UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvtvs Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

**Raynaud, Théophile**

**Lugduni, 1665**

urn:nbn:de:hbz:466:1-79582

Visual Library




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 779a.

S VIII
I

RAYNAUD

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII

PAYNAUD

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3

THEOPHILI

# RAYNAVDI

SOCIETATIS IESV

THEOLOGI,

DE ATTRIBVTIS

# CHRISTI.

THEOLOGIA PATRVM,

NEXA SCHOLASTICÆ, ALLEGORICÆ, ET MORALI.

*OPVS SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIBVS,*
*ac Verbi Diuini præconibus, ex æquo opportunum.*

TOMVS SECVNDVS,

*DIV OPTATVS NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.*

CVM INDICE COPIOSISSIMO.





Collegii Soctis

LVGDVNI, Jesu Paris.

Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

*M. DC. LXV.*

Cum Approbatione, & Permissu Superiorum.



CLARISSIMO,

NOBILISSIMOQVE VIRO, DOMINO

# MARCO ANT. MAZENOD,

DOMINO DE PAVESIN,

Lugdunensi Consulari.

HERMATHENAS olim in aditu Gymnasiorum fuisse consecratas, quibus permixtim ac eodem Signo confusa Mercurij Palladisque imago fingebatur, vnamque eiusmodi, dum versaretur in Græciâ, sibi diu studioque omni conquisitam, ad Atticum suum scribebat Cicero. Enimuerò quæ votorum summa fuerat Magno illi non minus Romanæ facundiæ quam omnium lepôrum & elegantiarum Parenti, in te vno (VIR CLARISSIME) mirabili quadam fælicitate, non fictum aut adumbratum, sed expressum ac spirans suspiciunt quotquot te familiariter vtuntur, illius vtriusque Numinis simulacrum. Nimirùm, quoniam in ea Ciuitate adoleuisti, quæ hodiéque nobilissimum totius Europæ Emporium est, & in quâ olim secundùm Araris Rhodanique Confluentem, periclitandæ Rhetorum industriæ, Ara Mineruæ consecrata ad Athenæum visebatur; inde vt recentia Patriæ tuæ decora veteribus

*adiungeres, Athenas iterùm in vrbem, quæ tota Mercurio conceſsiſſe videbatur, poſtliminiò intuliſti. Nimirum vbi commerciis & negotiationibus circumquaque calent omnia, doctus ipſe*

Exquilias, à feruenti migrare Suburra,

*Recipis te identidem ab vrbano tumultu, non vt ita te abdas in ſtudia, vt inertiâ congeles; neque ita negotiis tradas animum, vt curis ille diſtrahatur; ſed operoſa tibi otia facere aſſoles, quibus nobilem exerceas, non tam magnarum rerum, quàm virtutum eximiarum mercaturam. Extruxiſti iam pridem celebrem, haud ſine grãdibus impenſis, lectiſsimorum Voluminum Bibliothecam, in quam quidquid in libraria ſupellectili, rarum fuit & exquiſitum, ex vniuerſa Europa, importatum eſt. Eam Muſarum ſedem picturis, ſtatuiſque elegantiſsimis condecoraſti. Nec verò ſolùm iam fato functos Autores, in ſuperſtiti Lucubrationum ſuarum memoria colis amore ſingulari: quin; ſi quos literarum agnoſcis ſtudioſos, demereris officiis, foues præſidio, nec vllatenus ceſſas omni humanitatis genere cumulare. Prorſus vt celebratiſsimum, ſæculo proximè ſuperiori Coſmam illum Medicem, hac ætate repræſentare videaris; de quo* Gobelinus *in Coſmodromio, &* Iouius *in Elogiis hæc memoriæ prodiderunt.* Vir per totam Europam, Ægyptum, & Orientem negotiationibus clarus; Bibliothecam Græcis & Latinis voluminibus referſit, literis ipſe La-

tinis

tinis præclarè excultus, Græcarum non ignarus. Extorres post Constantinopolitanum excidium Musas hospitio excepit, Asylum Literatis aperuit; quem nihil externarum rerum latebat, quippe cui, ex Orbe ferè toto, ob latè diffusa commercia, opesque infinitas, obstricti homines responderent. Pietatis fuit promouendæ studiosissimus, magno apud temporis sui Principes Viros semper in pretio. *Hæc illi; sed in eo, mirum quantum ab eius imagine vita abludit tua, quòd Patriam libertate, si minùs spoliauerit; at aperuerit Soboli suæ viam, quâ sibi ad extremum pararet inuidiosum Reipublicæ dominatum. Tu iura Lugdunensium, donec gessisti consulatum, sarta tecta inuiolatè conseruasti, tam exploratâ vbique integritatis laude ac fama, vt vnam Ciuibus abstuleris tui non amandi, tui non extollendi libertatem. Optarunt hac famâ permoti, cùm ob spectatam gentis tuæ nobilitatem, tũ locupletem fundatissimæ domûs censum, familiæ tuæ, sanguinis communione coniungi, Purpurati supremæ Parlamenti Curiæ Præsides: iam data erat vtrimque fides, moxque honorificum illud, vt sunt omnia tua, commercium, quâ es apud remotam etiã Prouinciam existimatione, fœlices habiturum fuerat exitus, nisi acerbo suauissimæ filiolæ casu, cœleste Numen abdixisset. Sub idem tempus, & præclaris animi tui dotibus, quas perspectissimas habebat, & publicis Lugdunensium vocibus vo-*

tisque admonitus Prorex sapientissimus VILLAREGIVS, te absentem, ac tale nihil cogitantem, dignissimum pronunciauit, qui in sacram Lugdunensis publici Magistratus Tetradem adlegereris. Magna omnium voluntate adlectus es; & quam de te expectationem concitaueras mirabiliter superasti. De tuis verò in me meritis quid cõmemorem? Abundè sit, hæc de virtutibus tuis oppidò pauca, scriptis ac famæ, per Europam, quoquò tandem hic liber accedet, disseminanda commendasse; neminem ut regia tua munificentia lateat, qui semel atque iterum, his rei literariæ temporibus, nostro DE CHRISTI ATTRIBVTIS Operi, benignam obstetricis Aureæ manum prolixè obtulisti, & perfecisti porrò; quo liquidum sit apud omnes, tibi Christi decora cordi esse, suósque etiamnum superesse Lugdunensibus Mæcenates, non tam fortunarum splendore, quàm liberalitatis gloria longùm perennaturos. Hoc testatur non sine grati animi publica significatione.

Addictissimus tibi THEOPHILVS RAYNAVDVS
è Societate IESV.

*Lugduni Eidibus Quintil.* 1662.

# INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS.


PROLOQVIVM ad Tractationem de Attributis Christi Domini.

## SECTIO I.

De Attributis Christi secundùm se considerati.

CAP. I. CHristus Magnus Deus.
II. Christus Homo, homo homo filius hominis.
III. Christus Bonus, bona, bonum.
IV. Christus verè Christus, seu Messias.

## SECTIO II.

De Christi attributis in ordine ad Deum.

CAP. I. CHristus, Filius Dei naturalis, vnigenitus Patris.
II. Christus Agnus Dei.
III. Christus, Facies, ac vultus Dei.
IV. Christus, Iedidia, dilectus Patris, dilectus, dilectio.
V. Christus Dei seruus.
VI. Christus noua Dei creatura.
VII. Christus Gratia Dei, eiúsque misericordia.
VIII. Christus, Martyr Dei.
IX. Christus, Apostolus, siue Angelus Dei.
X. Christus, Amen Deo ad gloriam nostram.
XI. Christus, Domino Canticum nouum, Laus eius in Ecclesia Sanctorum, siue Alleluya, & gloria in Excelsis Deo.

## SECTIO III.

De Titulis Christi per ordinem ad quascunque Creaturas.

CAP. I. CHristus, ἀρχή, Principium, & finis omnium.
II. Christus, Primogenitus omnis Creaturæ.
III. Christus Dominus omnium, hæres vniuersorum.

## SECTIO IV.

De Christi Titulis per ordinem ad quascunque Creaturas intellectu præditas, Angelos videlicet, & Homines.

CAP. I. CHristus, Magnus Dominus, Rex Magnus super omnes Deos. Rex gentium, Rex Regum, & Dominus Dominantium.
II. Christus constitutus Rex à Deo super Sion Montem sanctum eius.
III. Christus Rex virtutum.
IV. Rursus Christus Rex virtutum id est exercituum Domini, & Aciei castrorum ordinatissimæ.
V. Christus Princeps Pacis.
VI. Christus Legislator summus.
VII. Christus Iudex.
VIII. Christus Caput super omnem Ecclesiam.
IX. Christus, Caput prædestinatorum.
X. Christus Ostium omnium.
XI. Christus Primogenitus in multis Pâtribus.


SECTIO

# Index Capitum totius operis.

## SECTIO V.

### De Christi Titulis in Ordine ad homines.


CAP. I. *CHristus Ecclesiæ sponsus.*
II. *Christus, Pater futuri sæculi.*
III. *Christus Magister.*
IV. *Christus Sol Iustitiæ, lux mundi, consummatio fidei.*
V. *Christus Mediator fidei, & hominum, pax nostra, qui fecit vtraque vnum.*
VI. *Christus Via, & iter quod ostendit salutare Dei, terrâ marique.*
VII. *Christus Medicus.*
VIII. *Christus Aduocatus.*
IX. *Christus Fideiussor.*
X. *Christus, Sacerdos.*
XI. *Christus, Pontifex futurorum bonorum.*
XII. *Christus, Pastor, & Episcopus Animarum nostrarum.*
XIII. *Christus Agonothetes, necnon concertator, & Auriga noster.*
XIV. *Christus Bellator, & victor.*
XV. *Christus Redemptor, Liberator, Seruator, Saluator, salutare, salus, saluatio.*
XVI. *Christus Triumphator.*
*Operis Clausula, & pro ea Eucharisticon.*


## *Approbatio Libri de Attributis Christi.*

EGo infrà scriptus exactissimè perlegi librum cui Titulus *De Attributis Christi Domini Theolog. PP.* continentem *nexam Scholasticæ, Allegoricæ, & Morali, Authore R. P. THEOPHILO RAYNAVDO, Societatis* IESV *Theologo*, & rem planè respondere perspexi. Nihil enim in hoc subtili, pio & laborioso opere, non selectum fideliter ex medulla Sanctorum Patrum, & quod non intellectum æquè clarè illustret, ac ardenter affectum inflammet per vsum doctrinæ. Et cum Ecclesia sit iam bellè decorata Prædicti R. P. Theophili doctis voluminibus, certè istud egregiè & opulenter eam etiam coronaturum existimo; & gloriæ Dei iacturam deploro, quod tale ac tantum opus cum methodo tam facili exaratum nondum prælo sit mandatum, in notabile detrimentum Præconum Verbi Dei, qui ibi omnia sunt reperturi digesta & pervtilia ad Christi mysteria explicanda, cum grata varietate sine vllo erroris nævo, & quomodo ad Capitis Christi hîc in ordine ad Deum, omnes creaturas, & potissimùm rationales considerati, vivam ideam membra Christianorum sint conformanda. Quare hoc opus dignissimum vt in lucem statim prodeat existimo; in cuius rei fidem hoc manu propria subscripsi. Lugduni die 17. Augusti anni 1654.

F. LAVRENTIVS A DIVIONE Capucinus Concionator.

*Lector olim quater Theologiæ, Definitor Prouinciæ Sancti Bonauenturæ, & Guardianus Diuionensis.*

PROLOQVIVM

# PROLOQVIVM
## AD TRACTATIONEM
# DE ATTRIBVTIS
## CHRISTI DOMINI.

CHRISTVM geminæ substantiæ Gigantem, aliàs inspeximus, & earum substantiarum alteram, perfectionum aduentitiarum capacem, variis naturæ & gratiæ perfectionibus, ex vtroque illo ordine lectissimis in eam diuinitus plena manu congestis exornatam, demirati sumus. Nunc ex Christi sic plenè constituti variis attributis, considerandæ sunt nonnulla. S. Dionys. ex interprete, passimque antiqui, vt notat Ockamus quodlib. 3. q. 2. cùm hæc in Deo considerant, vocant Diuina Nomina. Et quanquam in rigore aliud est Nomen, aliud est Attributum; cùm etiam Essentialium, Attributis anteriorum dentur nomina, & eiusdem attributi plura nomina esse possint: tamen vsus apud plerósque fert, vt Nomina cum Attributis confundantur.

Igitur nonnulla dumtaxat ex Christi attributis considerandæ suscipio. Vt enim omnia nomina Christo in Scripturis tributa recenserentur, vastum volumen esset necessarium, quod monuit S. Hieronymus in cap. 46. Ezech. vbi eiusmodi Christi nomina, sex supra triginta, cursim profert. S. Damasus carmine de cognomentis Saluatoris, multa Christi nomina sic constipauit.

Spes, & Vita, Salus, Ratio, Sapientia, Lumen,
Iudex, Porta, Gigas, Rex, Gemma, Propheta, Sacerdos,
Messias, Zebaoth, Rabbi, Sponsus, Mediator,
Virga, Columna, Manus, Petra, Filius, Emmanuélque,
Vinea, Pastor, Ouis, Pax, Radix, Vitis, Oliua,
Fons, Paries, Agnus, Vitulus, Leo, Propitiator,
Verbum, Homo, Rete, Lapis, Domus, Omnia Christus Iesvs.

2. Origenes hom. 3. in Ierem multa his paucis est complexus. [*Vnum subiacens est Domino meo Iesu Saluatori. Hoc vno subiacente, alio intellectu Medicus est, iuxta quod scriptum est:* Non necesse habent sani medicum, sed malè habentes. *Alio intellectu Pastor, secundùm quod irrationabilibus præest. Alio intellectu Rex, secundùm quod rationabilibus principatur. Alio intellectu Vitis vera, secundùm quod inserti in eam homines, vberrimos afferunt fructus, & exculti à Patre agricola pinguedinem vitis veræ ex vnius radicis consortio assumunt. Iuxta alium intellectum sapientia; iuxta alium veritas, iuxta aliũ iustitia: verùm tamen subiacens, vnum est.*]

Fusiùs, nec omissa expositione aliqua singulorum, recenset eadem Origenes tom. 1. in Ioan. ad illud, Erat Verbum. Nec pauca S. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 8. & Euseb. 4. demonstr. cap. 10. ac Gregor. Nyssen. lib. de perfecta Christiani hominis for-

*ma*, propè toto. *Necnon Nazianz. orat. 1. & 36.* ferè in fine, *ac Chrysost. hom. in Eutrop.* sub medium, *& S. Cyrill. Hierosol. catech. 10.* initio, *exponens cur Christus cùm in Symbolo dicatur*, Vnus Dominus, *tamen tam multis támque diuersis denominationibus in Scripturis designetur; paritérque Augustinus serm. 190. de Temp. Octo symbolica nomina Christi, & vt vocat, effigies quas sensus Catholicus per vias lucidas, & Spiritus sancti splendore radiantes, deprehendit, recenset & illustrat Arnobius iunior, in conflictu cum Serapione lib. 1.*

3. *Sed fusè & pulchrè S. Cyrill. Alex. de Trinit. à cap. 23. hoc argumentum pertractat, distinguens quatuor eorum classes. Quædam enim dicuntur de eo, ratione solius diuinæ naturæ, & antecedunt coniunctionem humanitatis cum Verbo; Quædam in ipsa vnione; Alia post vnionem; Denique aliqua post Resurrectionem ei conueniunt. Primi ordinis prædicata, S. Cyrillus sextuplicia statuit, sunt tamen ab hoc instituto aliena, quia hîc non diuinam Verbi personam nudam, & simplicem, sed humanitate vestitam & compositam spectamus. Prædicata verò secundi ordinis, triplicia recenset S. Cyrillus: nempe quædam à potiore extremo, id est, à Verbo, quædam à deteriore, siue ab humanitate, quædam ab vtriusque simul copulatione. Iam in classe tertia, collocat primò, aliqua diuinam Christi naturam sonantia: hoc est omnia primi ordinis attributa, demptis ijs quæ puritatem diuinæ personæ & exclusionem humanitatis ferebant. Nam ob coniunctionem diuinæ personæ cum humana natura, omnia huiusmodi prædicata Incarnatione anteriora, de Christo quoque, post vnionem considerato dicuntur. Secundò reponit in eadem classe, aliqua prædicata designantia humanitatem assumptam, quæ postmodum sextuplicia esse demonstrat. Tertiò denique aliqua Christi prædicata in eadem classe collocat, quibus ambæ naturæ & vna persona Christi insinuantur. Tandem S. Cyrillus, numerans quæ Christo attribuuntur post Resurrectionem, vnde existit ordo quartus prædicatorum eius, alia ait esse diuinitati congruentia, alia humanitati, nonnulla etiam vtrique simul; quorum omnium exempla, ex Scripturis profert.*

*Alium in his tradendis ordinem inuit Villauic. lib. 2. de ratione studij Theolog. cap. 2. obseru. 7. 8. 9. 10. quædam enim, ait tribui Christo vt Deo, alia vt homini, alia ratione vtriusque simul: quædam de eo vt exaltato & regnante, alia de eo vt deiecto & patiente: nonnulla in vnam naturam cadentia propter personæ vnitatem transferuntur ad aliam: pleráque de Christo vt homine singulari, alia de eodem vt capite vnum mysticum corpus conflante cum Ecclesia, & membrorum suorum personã sustinente, de qua est regul. 1. Tychonij quam alibi ex Nazianz & Aug. multis exemplis illustratam dedimus, tractantes quomodo Christus peccata aliqua sua, ob quæ à Patre derelinqueretur cognosceret. Deinde non aliam ad coordinanda Christi in scripturis attributa methodum quæsiuit Vincent. de Flumaro Monachus Cassinensis, duobus lib. de Christi nomin. quàm initialium cuiuslibet nominis siue attributi literarum.*

4. *Nos in sola attributa Christo homini conuenientia intenti, commodissimè ea in quinque classes digeremus. Nempe statuentes primo loco, quæ ad ipsum Christum secundùm se spectatum pertinent. Secundò, quæ eidem competunt in ordine ad Deum. Tertiò, quæ suscipit per respectum ad creaturas quascumque. Quartò, quæ aduenunt ex ordine ad creaturas intellectu præditas. Tandem quintò, quæ habet per ordinem ad homines. In singulis porrò classibus ne in infinitum fundatur oratio, dimittendi ferè erunt tituli metaphorici, demptis perpaucis illustrioribus, & in Scripturis vel apud PP. celebrioribus. Cæteri quòd alius eis reipsa non subsit sensus quàm proprijs de quibus agemus, vel prætermittentur, vel ad proprias reuocabuntur, & permistim cum eis proponẽtur. Opus Vincentij illius quem proximè memorauimus: itémque Cant. 2. Harmonia mundi Francisci Georgij. Non alijs ferè Christi attributis aut nominibus, factum est*

SECTIO

# SECTIO PRIMA.

## DE ATTRIBVTIS CHRISTI, secundùm se consideranti.

PRIVS omninò est rem considerare in ordine ad ipsammet, quàm in comparatione ad quidvis aliud. Quare quæ Christo attribuuntur per ordinẽ ad seipsum provt talis est essentiæ & naturæ, omnibus Christi prædicatis, siue Deum, siue inferiora spectantibus, præmitti debent. Eiusmodi sunt, denominationes *Magni Dei*, & *Hominis hominis*, & *Christi ac boni simpliciter dicti*. Ab his ergo auspicabimur.

### CAPVT PRIMVM.

*Christus, Magnus Deus.*

HÆc de Christo enunciauit Apostolus ad Titum 2. verbis illis, *Expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri* IESV CHRISTI, *qui dedit semetipsum pro nobis*. Locus est insignis, & discussione dignus.

*Magnum Deum, Paulus, non Patrem, vel Spiritum sanctum, sed Christum dixit.*

Repellenda in primis est absurda interpretatio Pelagij in scholiis ad Apostolum, affirmantis, *Magnum Deum*, eo loco dici Spiritum sanctum, quia ipsius expectamus aduentum. Hoc dico esse prorsus absonum; quia nihil est siue in iis quæ præcesserunt, siue quæ subsequuntur ex loco apud Apostolum, quod insinuet Spiritum sanctum. Est etiam planè falsum, quia non expectamus aduentum Spiritus sancti, sed Christi Domini. Venit quidem semel Spiritus sanctus visibiliter in cœtum Apostolicum, Ecclesiam Catholicam tunc nascentem sanctificaturus; sed ea non est beata spes, & aduentus gloriæ; id est gloriosus aduentus magni Dei, ab Apostolo & iis ad quos scribebat expectatus. Iam quippe præcesserat; nec propriè fuerat aduentus gloriæ, qualis erit aduentus Christi Domini in sæculorum meta. Præterquàm quod Græca locutio, eam interpretationem manifestè refellit. Duo enim illa epitheta *Magni Dei*, & *Saluatoris*, enunciantur sub eodem articulo τῦ μεγάλε θεᾶ, καὶ σωτῆρ☉, vtique quia in vnicam personam cadunt alioqui vt norunt qui Græcis literis tenuissimè tincti sunt; iterandus fuisset articulus; dicendo, τῦ μεγάλε θεᾶ, καὶ σωτῆρ☉, si duo illa attributa diuersas personas designarent.

6. Æquè porrò his argumentis confoditur altera expositio, veriùs peruersio & obtorsio eiusdem loci, ex Hilario Diacono, & Erasmo, ac nuperis Arianis. Hilarius enim in commentariis perperam Ambrosio tributis, non obscurè significat, *Magnum Deum*, dici eo loco ab Apostolo, Patrem æternum, cuius potestas & gloria, videbitur in Christo iudice. Sic ille subobscuriùs. Dilertè verò & perspicuè Erasmus, vt vbique Arianismo viam sternit; iravt hunc locum Catholicis in Arianos illum vibrantibus eriperet, nouam interpunctionem commentus est, & attributum *Magni Dei* ad Patrem retulit, quæ verò apud Apostolum sequuntur, assignauit Filio. Quod auidè arripientes nuperi Ariani, qui in Transiluania emerserunt, referente Bellarmino l. 1. de Christo c. 7. intortum à Catholicis ex eo loco telum, delinare se putant. Sed perperam. Non enim (vt dixi,) Patris gloriosum aduentum expectamus, sed Filij, vt Chrysostomus hunc ipsum locum vrgens aduersus Arianos, notauit hom. 6. in ad Philipp. nec si duæ personæ, duobus illis epithetis *Magni Dei*, & *Saluatoris*, designarentur, vnico ambæ articulo enunciatæ fuissent ab Apostolo.

Quare Græci Patres, passim hunc locum in Arianos intentant, tanquam apertè de Christo prolatum, & explicatissimum aduersùs eorum in Christum blasphemiam. S. Athanasius lib. de communi essentia Patris & Filij, titulo, *Filium cognominatum esse magnum Deum*, hunc locum profert; & ait illi esse geminum illum alium ex Rom. 9. *Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Theodoretus in hunc locum, [Magnum Deum nominauit Christum, hæreticorum blasphemiam redarguens.] Chrysostomus in eandem Epistolam hom. 5. confidenter ad hæc Apostoli verba exclamat, [Vbi sunt qui Patre minorem Filium dicunt? *Magni* (inquit) *Dei, & Saluatoris.*] Pleniùs etiam ex hoc ipso loco vrget Arianos hom. 6. in ad Philipp. subscribunt Chrysostomo de more reliqui Græci interpretes, nominatim Oecumenius, & Theophylactus. Alij item sine ambiguitate vlla aut controuersia, dictum eo loco Christum ab Apostolo *magnum Deum* intellexerunt, vt Gregorius Nyssenus lib. de perfecta Christiani hominis forma, & S. Cyrill. 12. Thesaur. cap. 11. ac Elias Cretensis ad orat. 1. Nazianz. S. Germanus

Constantinop. in rerum Ecclesiasticarum Theoria, illud, *Quoniam Deus magnus Dominus*, exponens de Christo, ait: [Magnus est Deus, IESVS CHRISTVS, quemadmodum Apostolus inquit, cum ait, *Magni Dei, & Seruatoris nostri* IESV CHRISTI.] Sic autem interpungit locum illum Psalmi, vt sensus sit, iubilemus Domino, quoniam Dominus est Deus magnus: húncque Deum magnum, ait esse Christum. Videtur planè consentire Chrysolog. serm. 46. sed sistamus in loco Apostoli.

7. Ex Latinis Idacius l. contra Varimadum, proposita Arianorum obiectione, quod Christus in Scriptura non dicatur *Deus*, cùm alia veteris & noui Testamenti loca illis opponit; tum nominatim illum, quo Christus non modò *Deus*, sed & *magnus Deus*, nuncupatur.

Rursúsque inferiùs probans personarum augustissimæ Trinitatis æqualitatem, ex eo quod omnes in scriptura iisdem illustrium titulorum decoribus honestentur, adducit inter alia argumenta, quod sicut Pater in Genesi, & apud Psaltem *Deus magnus* legitur nominatus, ita & Filius, hoc loco Apostoli quem versamus, dictus sic *magnus Deus*. Nec aliter Breuiarium fidei aduersus Arianos, nuper euulgatum. Præclarè S. Hieronymus in commentario huius loci: [Nos cum pudicè & iustè, nec corpore scilicet, nec mente peccantes vixerimus in Christo; piè quoque viuemus in hoc sæculo: quæ pietas expectat beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Sicut enim impietas magni Dei reformidat aduentum, ita secura de opere suo, & de fide, illum pietas præstolatur. Vbi est serpens Arius? Vbi Eunomius coluber? Magnus Deus, Iesus Christus, Saluator dicitur; Non primogenitus omnis creaturæ; non Verbum Dei & Sapientia, sed Iesus Christus.]

Faustus Episcopus de ratione fidei, prolato hoc Apostoli textu pro Christi diuinitate, concludit: [Immane piaculum est, vt per infidelium hominum blasphemias, minor esse dicatur, quem *magnum Deum*, ipsa veritas profitetur.] Potentissimè denique hunc Apostoli locum, aduersùs Nestorium intorquet Cassianus lib. 2. de Incarnat. cap. 4. & tam perspicuè in eo Christum *magnum Deum* appellatum existimat, vt sic concludat: [Nihil est quod dicas, nihil est quod afferas, nihil quod improba falsitate confingas. Potes habere in incredulitate impia, quod non credas, non habes in calumniandi occasione quod deneges.]

De mente ergo Apostoli, & quod Christum, non Patrem, aut Spiritum sanctum, appellarit *magnum Deum*, nullus ambigendi superest locus.

## *Num Christus, dictus* magnus Deus, *disiunctiuè.*

8. Video tamen tricari quempiam posse, & saluo argumento quod Patres pro Christi diuinitate ex hoc Apostoli loco petunt, aliter posse eum interpungere; adhibita scilicet distinctione post vocem *magni*: Vt sensus sit, expectari beatam spem, & aduentum gloriæ, eius qui & magnus, & Deus, & Saluator noster est. Qua ratione vbi apud Esaiam cap. 9. legimus, *Vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus fortis*: aliqui ita legunt illud *fortis*, vt sit adiunctum Dei, sensúsque sit, paruulum nobis natum, fore Deum fortem. Alij verò meliùs duobus illis vocabulis, duo Christi attributa designata volunt, ita vt sensus sit, illum fore Deum, & fore fortem. Estque id perinde SS. Patribus, ex eo Isaiæ loco argumentantibus pro Christi diuinitate. Nam siue disiungantur duæ illæ voces, siue nectantur, semper manet, Christum esse Deum. Idem ergo dici posset de præsenti loco Apostoli: eo videlicet significari, Christum & magnum, & Deum esse; non autem esse magnum Deum, provt hactenus affirmauimus.

Et sanè Christum absolutè magnum dici, non posset mirum videri: cùm diserte Angelus apud Lucam conceptionem eius annuncians, dicat, *Hic erit magnus*: quod expendens S. Bernardus, ad calcem homiliæ tertiæ *super Missus est*, Christum ibi *magnum* dici in assumpta natura, colligit ex verbo *erit*: nam secundùm Deitatem, magnus, imò maximus & infinitus ab omni æternitate erat. In natura autem humana, Deus homo, futurus magnus nuntiabatur ab Angelo, quia vt sic nondum erat. Ex quo autem fuit, *magnus* sine restrictione & limitatione fuit; iuxta illud de eo apud Esaiam c. 12. *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.* En Christum, absolutè & absque arctatione vlla *magnum*.

Eóque etiam S. Iustinus in Paræneſi ad Gentes refert hæc Sibyllæ carmina:

*Felices erunt in terris, homines illi,*
*Qui amabunt MAGNVM DEVM,*
*eum collaudantes,*
*Antequam comedant, & bibant.*

9. Et in Scripturis quidem, interdum nonnullis nomen *magni* tributum legimus: sed vel secundùm nomen magnorum qui sunt in terra, vel non absque temperamento. [Dictum est quidem (ait S. Ambrosius in Lucam) de Ioanne ab Angelo, quia erit magnus: sed ille quasi Homo magnus, hic quasi Deus magnus. Magnus enim Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Et verè est etiam ille magnus, quia inter natos mulierum, Propheta maior Ioanne Baptista nemo est: Habet tamen maiorem, quia qui minor est in regno Dei, maior est illo; magnus autem Ioannes, sed coram Domino.]

Expendo hoc verbum, ex Etherio & Beato l. 1. contra Elipandum. [In quo homo est, nullus Angelorum similis ei est. Sed neque homo, qui de muliere natus est. Dictum est de Ioanne, quòd *magnus erit coram Domino*. Dictum est de Christo: *Hic erit magnus*, sed non *coram Domino*, quia ipse Iesus, est magnus Dominus noster, & magna Virtus eius: & Sapientiæ eius non est numerus.]

Itaque Christus, non *magnus coram Domino*, sed simpliciter *magnus* dicitur, quia ipsemet, est Dominus coram quo Ioannes dictus est magnus. Nimirum magnus per comparationem ad paruos: habendus & ipse paruus, per comparationem ad eum qui absolutè magnus dicitur, (vt præclarè Origenes homil. 6. in Lucam *in fine*) & post quem nullus magnus: de quo insigniter idem Origenes hom. 12. in Leuit. ad illud *Sacerdos magnus ex fratribus suis*: quem locum aptans ad Christum, & neminem peccatorem,

catorem, esse magnum præfatus, subdit. [Ostende mihi de Scripturis, vbi aliquis peccator, aut parui meriti, *magnus* appellatus sit? Nusquam (vt opinor) inuenies. Audi verò qui sunt, qui *magni* appellantur. De Isaac dicitur quia *proficiebat valdè, vsquequo factus est magnus valdè.* Moyses magnus dictus est, & Ioannes Baptista magnus dictus est. Nunc autem Iesus magnus dictus est, & post hunc iam nullus, appellatus est magnus. Priùs enim quàm adesset qui verè magnus est, ad comparationem reliquorum hominum, magni appellati sunt Sancti, quorum superiùs fecimus mentionem. Vbi verò aduenit ipse, qui non ex comparatione cæterorum, sed sui magnitudine verè magnus erat, de quo etiam scriptum est, *Quia exultauit vt Gigas ad currendam viam*, vltra iam nullus magnus appellatus est. Hic est ergo de quo scribitur, *Magnus Sacerdos ex fratribus suis.* Quibus *fratribus?* De quibus dixit cum resurrexisset à mortuis: *Vade ad fratres meos, &c.* Si autem vis ex antiquis literis discere fratres Iesu, lege vigesimum primum Psalmum, vbi ex persona Christi dicitur: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Ex fratribus ergo suis magnus est Iesus, ex his qui priùs magni fuerant appellati, & sicut Pastorum Pastor est, & Pontificum Pontifex, & Dominantium Dominus, & Regum Rex: ita & Magnorum, Magnus est.]

Hæc de magnitudine Christi, non præ Viris Famosis & Potentibus à sæculo, quibus assentatio *Magni* nomen imposuit; cuiusmodi multos Raderus in Prolus. ad Curtij cap.6. congessit, sed tantum abest vt magni sint, vt ne quidem sint. *Ne tradas* (aiebat Esther) *sceptrum tuum, ijs qui non sunt.*

Locus igitur Apostoli in quo versabamur, ita videretur posse accipi, vt Christus, & magnus, & Deus sit dictus, disiunctiuè, id est, ita vt illud *magnus*, non sit adiunctum Dei, qui de Christo enunciatur, sed sit prædicatum solitarium, ac per se cohærens.

## *Verius, esse dictum* magnum Deum, *copulatiuè, nec quatenùs in Deitate subsistit.*

10. Non tamen ea interpretatio probanda, quia quamuis nihil à vero alienum contineat, tamen aliena est à mente Apostoli, quem omnes Patres ac Interpretes ita acceperunt, vt Christum *magnum Deum* copulatiuè appellarit, seruata PP. interpunctione. Sæpè enim notatum est, hæreticos noua interpunctione, hebetare scripturas quibus eorum errores iugulantur, vel errores nouos fabricare. Ita fecisse veteres quosdam hæreticos, circa Christi responsum datum S. Latroni, testatur Cassianus collat. 1. cap. 14. & valdè eos aduersatur: quod alij item fecere adducti in opere de S. Latrone c. 10. num. 9. Quare ea licentia de cerebro suo interpungendi, vitanda est homini Catholico, etiam vbi periculum erroris non apparet. Ac proinde fateamur, Christum ab Apostolo nominatum esse *magnum Deum*, nexis in vnum attributum duabus illis vocibus: id quod expedita & plana loci Apostolici lectio, apertè fert.

Et quidem sic Apostolus, de Christo vt persona subsistente in natura Deitatis, pronunciauit esse Deum magnum, nulla est difficultas. Quid enim maius Deo Verbo? aut quomodò non magnus, imò maximus & ter ac infinities maximus, & si quâ excrescere vlteriùs potest oratio, qui verus est Deus, cuius magnitudinis non est finis? *Magnum nimis*, vocat interdum Dauid, professus se ei magnitudini vel concipiendæ, imparem esse: quod egregiè ponderauit D. Augustinus in Psal. 95. Eóque sensu in Arianos sæpè conclamant Patres, quod Filium, Deum modicum, & Patre minorem fingentes, illum Deitate exautorarent. Audi Autorem perantiquum, Breuiarij fidei aduersus Arianos, nuper editi. [Dicit beatus Apostolus, *Expectantes beatam spem & aduentum gloriæ Dei.* Nescio qua fronte minor esse dicatur, quem magnum Deum Apostolus profitetur. Eadem propè verba (fortassis ex eo Breuiario deprompta) & eidem loco Apostoli innixa, vsurpat Augustinus serm. 6. de temp. Faustus Episcop. lib. de ratione fidei. Pulchrè autem S. Leo serm. 3. de Natiuit. Domini, Arianos vellicans, ait, [Maiorem sibi Deum, minorémque finxerunt, cùm gradus in vera Diuinitate esse non possint: quoniam quicquid Deo minus est, Deus non est.] Elias Cret. ad 1. orat. Nazianz. stipulatur, & Prosper epigram. 55. sic canens aduersus eosdem Arianos, ac monstrans quàm fatuè, Deum paruum sibi fingerent pro eo quod non est ipse.

*Natura omnipotens vna est, quæ cuncta creauit,*
*Et propriè quod sunt, omnibus esse dedit.*
*Quòdque Deo minus est, non est Deus, à Patre natum*
*Verbum, & qui amborum Spiritus est, Deus est.*
*Vna eadémque trium quoniam est essentia, quæ se*
*Numquam vel maior, vel minor esse potest.*

Stomachatur, & meritò, in hanc impietatem S. Chrysostomus hom. 6. in Philipp. Adducta enim Arianorum propositione, quòd Christus, cum inferior Deus esset, non rapuit vt magno & maiori Deo, æqualis esset, subdit non sine stomacho. [Estne modicus & magnus Deus? Itane Ethnica, in Ecclesiastica dogmata inducitis? Apud ipsos enim & paruus Deus est, & magnus. Si verò apud vos, hactenus ignoraui. Nam apud Scripturas, nusquam inuenies: sed magnum quidem vbique Deum, paruum verò nusquam. Si enim paruus est, quomodò & Deus est? Si non est homo paruus & magnus, sed vna natura; & si quid non vnius illius naturæ fuerit, homo non est; quomodónam erit Deus paruus & magnus? Qui non naturæ illius est, Deus non est. Vbique enim apud Scripturam, dicitur, *Magnus Dominus & laudabilis valdè.* Ecce & de Filio. Nam vbique Dominum eum vocat: *Magnus* (inquit) *es tu & faciens mirabilia. Tu es Deus solus.* Et iterum: *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & magnificentiæ eius non est terminus.* Sed Filius (inquis) paruus est. Sed tu hoc dicis. Nam Scriptura contrarium, quemadmodum de Patre, ita & de Filio loquitur. Audi namque quid Paulus dicat: *Expectantes* (inquit) *beatam spem, & apparitionem gloriæ magni Dei.* At nunquid de Patre si loqueretur, *Apparitionem* dixisset?

Christus ergo quâ Verbum, quia Deus erat,

non erat Patre minor sed æqualis, & eatenus Deus magnus. [Benè magnus (ait S. Bernadus hom. 3. super *Missus est*) qui Filius altissimi merebitur appellari. An non magnus, cuius magnitudinis non est finis? *Et quis magnus* (ait) *sicut Deus noster*? Planè magnus, qui tam magnus, quam altissimus, quia & ipse altissimus. Neque enim altissimi Filius, rapinam arbitrabitur esse se æqualem altissimo. Ille meritò arbitrandus est cogitasse rapinam, qui cum de nihilo in Angelicam formam factus fuisset, factori suo se comparans, vsurpauit sibi quod Filij altissimi proprium est: qui vtique in forma Dei, à Deo non factus, sed genitus est, altissimus enim Deus Pater, quamuis omnipotens sit, non potuit tamẽ, vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere Filium. Fecit itaque Angelum magnum, sed non quantus ipse: & ideò nec altissimum. Solum autem vnigenitum, quem non fecit, sed genuit, omnipotens omnipotentem, altissimus altissimũ æternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec iniuriam. Rectè ergo hic erit magnus, qui Filius altissimi vocabitur.]

Non dissimiliter S. Ambros. l. 2. in Luc. multa de Verbi Dei vera diuinitate præfatus, subdit. [Nihil emensum, nihil dimensum Trinitas habet. Non loco clauditur, non opinione cõprehenditur, non æstimatione concluditur, non ætate variatur. Dedit quidem Dominus Iesus hominibus magnitudinem. In omnem enim terram exiuit sonus, &c. Non in fines tamen mundi, non in fines cœli, non vltra cœlos. At verò in Domino Iesu, omnia condita sunt in cœlo, & in terra, visibilia & inuisibilia, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Cœlum aspice; Iesus illic est. Terram intuere, Iesus adest. Ascende verbo in cœlum, descende verbo in infernum: Iesus adest. Etenim si ascenderis in cœlum, Iesus illic est; si descenderis in infernum, adest. Hodiè cum loquor, mecum est, intra hoc punctum, intra hoc momentum. Et si in Armenia nunc loquatur Christianus, Iesus adest. Nemo enim dicit Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Abyssos opinione si penetres, illic quoque Iesum videbis operari. Scriptum est enim: *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendit in cœlum? id est, Christum deducere; aut quis descendit in abyssum; hoc est, Christum à mortuis reducere.* Vbi ergo non est qui cœlestia, terrena, inferna, compleuit? Benè ergo magnus, cuius virtus mundum repleuit, qui vbique est, & erit semper.]

Et est hæc magnitudo absoluta. Nam Christũ quatenus Verbum, absolutè magnum Deum, non per comparationem ad alia esse censendum, rectè statuit S. Chrysostomus hom. 5. in Epistolam ad Titum, expendens locum Apostoli in quo versamur, rationem reddens cur Christus, *magnus Deus* sit nominatus. [Non enim magnus ad aliquid dicitur: Quod si ad aliquid diceretur, per comparationem, non per naturam, magnus esset. At nunc magnus incõparabiliter dicitur.] Si igitur Apostolum ad hunc modum accipiamus, & de Christo provt Dei Verbo in natura diuina subsistente, dixisse velimus, esse magnum Deum, vacabit res difficultate, vt affirmabam.

## *Sed etiam provt Verbum subsistit in humanitate.*

12. Veruntamen S. Hieronymus, in comment. huius Epistolæ, diserte docet, Christum ab Apostolo dictum esse *magnum Deum*, non quatenus est Verbum in Deitate subsistens, sed quatenus est Verbum subsistens in humanitate. Eius verba sunt. [Magnus Deus, IESVS CHRISTVS Saluator dicitur. Non primogenitus omnis creaturæ, non Verbum Dei & Sapientia, sed Iesus Christus, quæ vocabula assumpti hominis sunt. Nèque verò alium Iesum Christum, alium Verbum dicimus: vt noua hæresis calumniatur, sed eundem & ante sæcula, & post sæcula; & ante mundum, & post Mariam: imò ex Maria magnum Deum appellamus, Saluatorem nostrum Iesum Christum, qui dedit semetipsum pro nobis, vt pretioso sanguine suo nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum περιούσιον.]

Christus ergo etiam in humana natura, (quamuis non per eam reduplicatiuè) est magnus Deus: quia persona quæ Deus est, hanc humanitatem terminat: itavt idemmet qui homo est, sit etiam Deus in hac humanitate, per personam diuinam terminata. Nec audiendus est Caietanus, qui solita subtilitate, Verbum in humanitate, minorem Deum esse pronunciauit, tractans illud ad Hebr. 2. *Modico quàm Angeli, minoratus est*, quod S. Hieronymus & alij quidam, legunt, *Minoratus à Deo*. Sensum ergo esse vult Caietan. Christum paulominus esse à Deo minutum, secundum esse substantialiter, quoniam est Deus personaliter: Deus autem est Deus & naturaliter & personaliter. Paululum itaque imminutus est à Deo, quia est quidem Deus secundum *esse* personale, quod constat esse substantiale, non autem secundum naturam. Hanc Caietani metaphysicè meritò explosit Catharin. l. 4. annot. in Caiet. *initio*, quia Apostolus Christum vocans à Deo minoratum, secundùm eam lectionem sensus Apostolici, quam etiamsi non authẽticam nunc supponimus, non cogitauit de ea aliquali præcisione per rationem, quæ inter essentiam diuinam & personalitatem fieri potest. Et quamuis eam præcisionem non omnibus probatam quis admittat, tamen IESVS (de quo agit Apostolus) æquè primò dicit duas naturas: ex vtraque enim compingitur & substantialiter constituitur; ac proinde non potest dici Deus minor in humanitate, eo quòd quatenus homo non concipiatur habens nisi substantiam diuinam absque natura. Nam Apostolus de eo loquebatur vt de Iesu per duas naturas constituto, & geminæ substantiæ Gigante, vt cum S. Ambrosio, loquebamur. Itaque euanescit illa Caietani subtilitas, aut si Catharinum hac in parte feuentiorem audimus, *Inaudita & infanda nouitas*. Mihi tamen satis est eam subtilitatem ab Apostolo alienam pronunciare, & Christum agnoscere, etiam in humanitate Deum magnum, quatenus persona in hac humanitate subsistens, est reipsa ac verissimè Deus: nec ita potest cogitari homo, (cum non sit purus homo) quin Deus etiam esse cogitetur, & Deus magnus.

*Ratio*

*Ratio prima denominandi Christum, magnum Deum per contrapositionem ad Deos minorum gentium.*

13. Huius denominationis causas aliquas, vestigare ac librare placet. An igitur Christus, Deus magnus ab Apostolo dictus fuit, ad distinctionem minutorum illorum Deorum, quos Gentilitas coluit? Apostolum enim de Christi diuinitate agente, cùm ad Gentiles ferè scriberet, allusisse quandoque ad ea quæ Gentiles de Diis suis fabulabantur, eáque à Christo remouenda docuisse, monstrat perillustris locus ex epistola ad Philipp. cap. 2. vbi de Christo Deo dicitur, non rapinam arbitratum esse, quod esset Deo æqualis. En enim quid de eo sensu scribat vir vndecunque doctissimus Isid. Pelusl. l. 1. epist. 139. [*Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo* (inquit Apostolus ad Philip. scribens) hoc est, ad homines superstitiosos & Ethnicorum dogmatum propugnatores, & custodes, ac propter otium in illis collocatum sic affectos, vt Euangelij prædicationem minimè admitterè vellent. Quoniam enim cum Gentiles essent, supremum Deum suum Patri suo eas partes, quæ ad gignendum destinatæ sunt, præcidisse didicerant, illud videlicet metuentem, ne alij filij existerent, regnique socij & consortes, ac Diuinitatis arreptiones, & dissidia de eâ, ac bella orirentur: addubitabant an Dei Filius, relictis cœli sedibus, nec vllam regni atque imperij commutationem vetitus, ad nos veniens carnem susceptisset. Huic igitur eorum ignorantiæ, vel potiùs amentiæ, diuinus Vir, atque arcanarum rerum doctor medicinam afferens, his verbis vtitur: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens*: Quod perinde est ac si diceret; Deitatem ac regnum haudquaquam per vim eripuit, verùm ante sæcula innatum habuit. Neque item vt id sibi eriperetur, subtimuit: verùm cum & cœlestium, & terrestrium, & infernorum Dominus esset, nec supera reliquit, & ad nos accessit.] En qua ratione Apostolus iuxta S. Isidorum agens de Christi Diuinitate, in Ethnicam fabulositatem digitum intenderit.

14. Potuit ergo similiter Apostolus, Christum nuncupare, *magnum Deum*, vt doceret non esse à fidelibus ab Ethnicismo conuersis, sentiendum de Christo, vt de minutis illis numinibus quæ Ethnici in Deos transcripserant, & à Diis magnis ac maioribus secreuerant. Plebeiam numinum multitudinem minutis opusculis deputatam, vocat S. Augustinus l. 7. Ciuit. c. 2. addens nonnulla de minutis illis operibus quæ minutatim minutis distributa numinibus affirmat, & plenius expresserat l. 6. eiusdem operis cap. 9. post Arnobium l. 4. *ab initio*. Et ibidem l. 8. c. 5. refert S. Augustinus, itémque Lactantius 1. instit. c. 15. Tullium in Tusculanis, Deos aliquos maiorum gentium, aliis minorum gentium Diis oppositos, admittentem. Quod enim Tarquinius Priscus veteri Romanorum senatui centum adiiciens Senatores, qui priscum Senatum constituabant, maiorum gentium; qui ad eos adiuncti erant, minorum gentium dixisset; alludens ad id Tullius, præcipuos illos & antiquitate confirmatos Deos, vocauit *maiorum gentium*, cæteris *minorum* appellatione relicta, ἐγγεγραμμένους, id est, *adscriptitios* nominat Lucianus. *Nouensiles* dictos à nouitate, & quod ab antiquo Dij non fuissent, latè persequitur Arnobius l. 3. n. 32. qui tamen l. 1. n. 47. omnes Deos infrà summum, videtur de Ethnicorum sententia dixisse Deos minores, ipsum autem summum Deum, quem & *principem Deum & omnipotentem* dictum refert, Deum maiorem ex eorumdem Ethnicorum sensu vocauerat n. 19. Vnum maximum, & potentem, omnium rectorem eximium appellat ex Ethnicis Lactantius l. 1. c. 3. instit. & pulchrè Eunomium cum Græcis conferens Nyssenus orat. 10. (imo 11.) in Eun. *in fine*. [Subiectas ei supponunt potestates, ordine quodam, & seriè inter se secundum maius vel inferiùs differentes, subiectas autem omnes æqualiter ei qui supereminet.]

15. Apud Lilium Gyraldum l. 1. histor. Deorum, pag. 17. Dij illi minores παρεγγεγραμμένοι καὶ μέτοικοι dicti habentur: quibus non contraponebantur qui dicebantur *magni Dij*; hos enim doctus Poëta l. 5. ad Deos penates videtur restrinxisse, verbis illis:

*Cum socijs, natóque, penatibus, & magnis DIs.*

Et adhuc angustiùs eas voces vsurpasse videtur Varro l. 3. de lingua Lat. cum *Deos magnos* cœlum & terram dici pronunciauit. Tantam Ethnicorum absurditatem, in Diis magnis & paruis, maioribus & minoribus agnoscendis, nihil attinet amplificare dicendo; cum constet verissimè pronunciasse Lactantium, 1. instit. c. 3. [Si Dij sunt, dispares esse non possunt.] Nec patitur Diuinitas, maius quicquam aut minus, quasi liceat eius alicubi magnitudinem emetiri, vt S. Hilarius in Psal. 144. egregiè aduertit. Et gradus queis ad titulum magnorum vel maiorum Deorum prouehebantur, sunt planè deridendi. Summum verò absurditatis verticem attigit Psapho. Lybs erat de quo in hunc modum Max. Tyrius dissert. 19. num. 110. [Plurimas quas canoras esse iudicabat maximè, aues collegit: eásque canere hæc verba docuit; *Magnus Deus Psaphon*: atque ita edoctos, rursus in priorem locum dimittebat. Itaque tum ipsæ hæ, tum aliæ vocem earum imitatæ, hoc canebant. Ibi Lybes, qui diuinum hoc augurium esse iudicabant, Psaphoni continuò rem sacram facere; atque ita comitiis auium, Lybicus Deus designatus est Psaphon.]

Potuit itaque Apostolus ad hanc paruitatem aliquorum Ethnicismi Deorum alludere, & Christum ea sorte esse negare, cum sit Deus verus in quem non cadit nisi esse magnum. Nec fortassis abhorret ab hac interpretatione, quod Gregorius Nyssenus l. de perfecta Christiani hominis forma, Christum censet ab Apostolo dictum *Deum magnum*, eo quod sit Deus verus. [His enim vocibus veri Domini magnitudinem prædicat, magni, inquiens, Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.]

*Secunda eiusdem denominationis ratio, per contrapositionem ad Deos participatione ac adoptione.*

16. Quid si verò Christum *Deum magnum* ab

ab Apostolo nominatum dicamus, quia verus Deus est, non per contrapositionem ad falsos Deos qui nullo modo Dij sunt, sed per contrapositionem ad Deos per participationem; qui quod diuinæ sint consortes naturæ, per participationem gratiæ quæ est diuinitas participata, Dij aliquatenus dicūtur, sed Dij minores. Est enim gratia diuinitas participata. Audi S. Maximum Centur. 1. c. 76. [Solius diuinæ gratiæ proprium hoc esse solet, ex proportione diuinitatem creaturis elargiri. Quæ quidem gratia supernaturali lumine naturam illustrat, & per excellēriam gloriæ, supra proprios terminos illam constituit.] Idipsum insinuauit S. Ioan. 1. ep. c. 3. cum gratiam sanctificantem vocauit *semen Dei*, quia scilicet gratia sanctificans est veluti essentia absconditi cordis hominis, quatenus est vita supernaturalis primaria, cui reliquæ formæ supernaturales debentur, tanquam potentiæ & connaturales facultates modum illum essendi assectantes, & eatenus est quasi vita diuinitas: vnde homo per gratiam sanctificantem efficitur Deus; quod nonnullis testimoniis prolatis firmauit superius l. 1. explicans Nestorij errorem, quibus addendum quod ait S. Basilius in Psal. 115. ad illud, *Omnis homo mendax*. Cum enim sibi obiecisset, Dauidem quoque, quippè hominem, mendacem videri posse, ac proinde vacillare fidem eius; respondet hominem esse nomen carnalis personæ: qui verò ex spiritu viuit, vt Dauidem, Deum esse, & Filium excelsi. Similiter Thalassius, Hecatontade 1. *in fine*, hominem Deo gratum, ait esse Deum quemdam. Alios in hanc rem dabit Carbo l. de inter. hom. c. 18. Ego claudo verbis S. Maximi Centur. 4. c. 19. [Participatio eorum quæ sunt supra naturam, est participantium cum eo quod participatur assimilatio: participum similitudo cum participato, est identitas obueniens vi similitudinis participum, cum eo quod participatur. Identitas verò participantium, quæ suscipitur ob similitudinem cum eo quod participatur, est deificatio eorum qui digni sunt, vt Dij fiant.] Vtique per participationem, quod est esse aliquatenus verè Deos; longè aliter quam Dij planè falsi Ethnicorum, de quibus idcirco dicitur, *Scimus quia idolum nihil est*: nempe in ratione Dei ac numinis. At hi sicut habent deitatem aliquatenus veram, etiamsi non nisi participatam, ita Dij aliquatenus verè dicuntur Dij, sed parui aut minores. Alij participatione aliqua diuini alicuius attributi aut potestatis, Dij, etiam in scripturis dicuntur. Vnde est illud de iudicibus, *Applica illud ad Deos*: & illud, *Diis non detrahes*. Nimirum vt est apud Tertullianum l. 3. contra Marc. c. 15. Dei nomen quasi naturale Diuinitatis, potest in omnes communicari quibus Diuinitas vindicatur, aliqua scilicet participatione munerum, & stillicidio potestatis. Sed nullus horum est magnus Deus, idque soli Christo præcipuum est inter homines omnes, quantumuis sanctos, aut participatione Deos. Dauid sanè ita contestatur Psalm. 85. *Non est similis tui in Dijs Domine, non est secundum opera tua: omnes gentes quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine, quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia; Tu es Deus solus magnus*. Ita enim legit S. Augustinus. Pulchrè S. Gregorius l. 1. in Iob. c. 19. (aliàs 6.) Christo, in proposito sensu, accommodat illud, *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*. Nam *Orientales* exponit Sanctos, qui adoptione & participatione Dij sunt, inter quos Christus, est verè *magnus*, cùm naturâ non adoptione sit Deus.

### *Ratio tertia eiusdem denominationis, ex nexu vtriusque rationis, hactenus seorsim assignatæ.*

17. Ad vtramque hactenus propositam causam denominationis *magni Dei*, pertinere potest causa alia quam subiicio: Nempè quod eum multi sint qui dicuntur Dij, vt est apud Apostolum 1. Cor. 8. & alij quidem dicti sint Dij per errorem abominandum, quo in eos translatum est incommunicabile nomen; alij verò per gratiæ quæ Diuinitas quædam creata est, participationem; neutri tamen sunt magni Dij ea notione magnitudinis, quæ propria est rerum quæ magnæ non sunt corporis mole. [In illis mole magna sunt, (ait S. Augustinus 6. quæ non Trin. c. 8.) idem est maius esse quod melius.] Disserit in hanc rem copiosè Seneca l. 1. de ira *ad finem*, cum demonstrat in ira non esse animi magnitudinem. Et inter cætera illud Liuianum, *Vir ingenij magni magis quàm boni*, ita refellit. [Non potest illud separari; aut & bonum erit, aut nec magnum: quia magnitudinem animi inconcussam intelligo, & intorsus solidam, ab imo parem firmámque, qualis inesse malis ingeniis non solet. Terribilia enim esse, & tumultuosa, & exitiosa possunt; magnitudinem quidem, cuius firmamentum robúrque bonitas est, non habebunt.] Addit & de plerisque vitiis, luxuria, auaritia, libidine, omnia exigua, depressa, & angusta esse: nec quicquam proferri posse magnum, nisi sit cum virtute nexum. Itaque magnitudo, in iis quæ non sunt magna molibus corporum, idem est quod virtus atque perfectio. Longè enim aliter se habet hæc magnitudo, quam magnitudo molis, quæ quo fit auctior & protensior, vt egregiè philosophatur Plotinus Enneade 6. l. 6. c. 7. eo res fit imperfectior, quia magis ab vnitate cui entitas ac bonitas complicatur, atque etiam magis à seipsa recedit. Ab hac rubrica deficiunt plerumque, & idcirco exerrant mortalium iudicia, quæ de magnitudine rei aut negotij, aut operis cuiuspiam, pronunciant non penes perfectionem, sed ex errore communi: [Multis rebus, non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est.], ait Seneca initio l. 3. natur. qq. errore planè gemino ei quo apud Romanos, homo pumilus dictus est *Magnus Senecion*, vel *Senecio Grandis*, quia omnia grandia vsurpabat, vt videre est apud Senecam suasoria 2. Calceis iusto grandioribus vtebatur, ficus non edebat nisi marisecas, vasa argentea non nisi grandia admittebat, seruos & ancillas granditate spectabiles quærebat, etiam grandem & proceram vxorem. Ita dementes factitant. Peccatorem tamen quemcunque, quantumlibet magnus habeatur, parum & pusillum esse, confirmat latè & pulchrè Origenes hom. 12. in Leuit. ad illud, *Sacerdos magnus ex fratribus suis*, vbi Christum solum affirmat fuisse magnum, quia solus sine labe, solus perfectus, & intemeratæ ac nullatenus oblæ-

oblæsæ virtutis fuit. Locum ex parte adduxi tractans Christi innocentiam & impeccabilitatem.

18. Haberi igitur ex his potest, quomodò Christus sit Deus verè magnus. Nam qui in prima causa superius proposita Dij sunt habiti, non erant magni, cum essent sceleratissimi. Nihil enim tetrius, spurcius, inquinatius Ethnicorum Diis. Videsis quæ in eam rem copiosissimè tradunt Clemens in Protreptr. & Arnobius, ac Lactantius, & Tatianus, ac Iustinus, quorum & aliorum in hanc rem loca latè profero in Natur. Theol. dist. 7. n. 35. Qui verò iuxta alteram causam propositam dicuntur Dij, aliquali participatione veræ Deitatis, non sunt vlquequaque magni, quia omnes peccauerunt & egent gloria Dei: peccatum autem (ait supra Origenes) hominem paruum facit & exiguum, virtus eminentem præstat & magnum. Nemo eorum plenè & simpliciter magnus, quia nemo eorum absolutè perfectus, sed tantum semiperfectus, iuxta illud Optati l. 2. contra Parmen. *post medium*, in confutatione Donatistarum superbè sanctitatem suam, & perfectionem iactantium. [Etiam vos ipsi, qui sancti & innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, vnde est ista sanctitas quam vobis licentius vsurpatis? Et paulò post. Ipse solus est perfectio, & perfectus, solus Dei Filius Christus. Cæteri omnes semiperfecti sumus. Quia nostrum est velle, nostrum est currere; Dei perficere.

## *Quarta ratio* magnus Deus, *id est*, *beatus.*

19. Quid si verò *magnus Deus*, in hoc Apostoli loco, idem sonet quod *Beatus?* Qua appellatione Apostolus 1. Tim. 1. Deum cognominat, *Qua est secundum* (inquit) *Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.* Non debet sanè nouum videri, quod dico, *magnum* posse pro *beato* accipi. Poëta enim ecloga 4. cum multa aurei sæculi bona, & felicitatem vniuersalem orbi aduenturam describeret, sic cecinit.

*Teque adeò decus hoc ævi, te Consule inibit*
*Pollio, & incipient magni procedere menses.*

*Magni* quippe *menses*, vt Alciatus optimè tradit l. 6. Parergon. c. 8. iidem sunt cum felicibus, & faustis, ac boni ominis. Sicut Tacitus in vita Agricolæ, *magnum diem* vocat felicem, quo à calamitatibus liberandi essent, dicens, [Imponite quinquaginta annis magnum diem.] Quia ipsa ratione Oseæ 1. dictus videtur *magnus dies* Israël qua scilicet confractis per Christum vectibus ferreis, in libertatem Filiorũ Dei asserti sumus. Hoc itaque sensu, Christus *magnus Deus* ab Apostolo dictus esset, id est, beatus, contra quàm Dij gentium dæmonia, quos æterna infelicitas premet & opprimet.

## *Quinta, eáque maximè genuina eiusdem denominationis ratio, à magnis operibus Deo propriis.*

20. Hæc vt non inuerisimiliter sint disputata, tamen simplicissima causa denominationis *magni Dei* Christo tributæ, & saltem quæ prima in cognitionem incurrit, ea est, ex qua infideles ipsi non semel Christum, *magnum Deum* inclamarunt, teste Cantacuzeno Apologia 3. nempe ad mirabilia opera Deo omnipotenti propria. Similiter enim cum contigit vt Gentiles conspicatentur opus aliquod supra naturam per SS. Martyres, al úmve quempiam fidelem virum patrari in Christi nomine; atque adeò per Christum, inclamare solitos constat, *Magnus Deus, Christus; magnus Deus Christianorum.* Vt S. Georgios, quod idem Contacusenus refert, idola effari compulisset diuinitatem Christi, móxque ad S. Georgij iussum seipsis nemine admitente euersa & contrita fuissent, exclamarunt Gentiles qui confertissimi aderant, *magnus Deus Georgij*, id est, *magnus Deus Christus.* Christus ergo *magnus Deus* videtur dictus ob magna & inscrutabilia quæ fecit, propria Deo; & quidem vltra omnem modum diuinorum operum. Actiones enim externæ Dei, non omnes sunt eiusdem dignitatis, & (vt sic dicam) mysticæ quantitatis, vt Orig. scitè docet hom. 1. in Iudic. *in fine*, verbis illis. [Sed & illud quomodo præterimus, quod addidit, *Qui cognouerit opera Domini magna, quæ fecit in Israël?* Quid enim? sunt aliqua opera Domini parua, ad quorum distinctionem hæc magna dicantur? Ego arbitror quod omne quidem Dei opus est magnum, sed pro capacitate eorum qui operantur, si sibi inuicem comparentur, vel magna opera Domini dicuntur esse, vel parua. Verbi causa, eduxit filios Israël de Ægypto in manu forti brachio excelso; Ægypto prodigiis cœlestibus verberata, viam fecit in mari, manna in deserto populo dedit; de cœlo locutus est ad Moysem; legem conscriptam in tabulis lapideis dedit; nónne hæc magna sunt opera Dei? Sed si illud his compares quod ita dilexit Deus hunc mundum, vt Filium suum vnigenitum daret pro salute mundi, inuenies omnia illa parua esse, ad huius operis magnitudinem.] Visibiliter autem res æstimando, actiones Deo propriæ numerari præsertim solent, creatio mundi, & conseruatio, & patratio operum supra naturam. Ideóque ex his operibus, Deus plerumque in Scripturis vult se agnosci verum Deum. Vt ex creatione Isaiæ 44. *Ego Dominus, extendens cœlos solus stabiliens terram, & nullus mecum.* Et Hierem. 10. *Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de sub cœlo.* Ex conseruatione, Actorum 17. verus Deus probatur, *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Denique ex mirabilium operum patratione Psal. 85. dicitur, *Faciens mirabilia, tu es Deus solus.* Similia vbiuis prostant in Scripturis. Has omnes actiones multo illustriùs & excellentiùs exercuit supernaturaliter Christus Dominus, quàm Deus ipse eas exercuisset in mundi visibilis productione, & conseruatione, ac vulgo dictorum miraculorum patratione.

## *Noua per Christum Cosmopœia.*

21. Mundum supernaturalem quem intelligam, accipe ex Origene hom. 5. in Leuit. verbis illis. [Intellige te, & alium mundum esse paruum, & esse intra te Solem, esse Lunam, etiam Stellas. Hoc enim si ita non esset, nunquam dixisset Dominus ad Abraham; *Aspice ad cœlum, & vide Stellas, si dinumerari possunt à multitudine, sic erit semen tuum.* Nec mireris, inquam, si dicitur ab Abraham, *Quia sic erit*

*semen tuum sicut Stellæ cœli*; de illis scilicet qui ex fide eius geniti, rationabiliter viuant, ac diuinas leges & præcepta custodiant. Audi amplius aliquid, Saluatorem ad Discipulos dicentem: *Vos estis lux mundi*. Dubitásne esse intra te Solem, & Lunam, ad quem dicitur, *Quia lux sis mundi*? Vis adhuc amplius aliquid de te ipso audire, ne fortè parua de te & humilia cogitans, tanquam vilem negligas vitam tuam? Habet hic mundus gubernatorem suum, habet quicum regat, & habitet in ipso omnipotentem Deum, sicut ipse per Prophetam dicit: *Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus*? Audi ergo, ipse omnipotens Deus quid etiam de te, hoc est, quid de hominibus dicat: *Habitabo*, (inquit) *in eis, & in ipsis ambulabo*. Plus aliquid adhuc audi erga personam tuam. *Et ero*, (inquit) *eis in patrem, & ipsi erunt mihi in filios, & filias, dicit Dominus*. Habet hic mundus filium Dei, habet Spiritum sanctum, secundum quod dicit Prophera: *Verbo Domini, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis virtus eorum*. & iterum alibi: *Spiritus enim Domini, replenit orbem terrarum*. Audi & tibi quid dicit Christus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*: & de Spiritu sancto dicitur: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt*. Cum ergo videas habere te omnia, quæ mundus habet, dubitare non debes, quod etiam animalia quæ offeruntur in hostiis, habeas intra te, & ex ipsis spiritaliter offerre debeas hostias.]

22. Hic est mundus spiritualis, homo iustus & sanctus. Quanto ergo præstat talis mundus spiritualis, corporeo & visibili, tanto mundi eiusdem spiritualis creatio & conseruatio, per Christum facta, antecellit creationi mundi visibilis, eiusdemque conseruationi factæ & confirmatæ à Deo: quod S. Basil. in Psal. 32. egregiè notauit ex verbis Psalris: *Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt*: quorum verborum priora, existimat S. Basilius pertinere ad primam partem versiculi immediatè præcedentis, qua dictum fuerat, *Timeat Dominum omnis terra*: posteriora autem verba, nempe *mandauit & creata sunt*, referri vult ad posteriorem partem eiusdem immediatè præcedentis versiculi; nimirum, *ab eo autem commoueantur qui inhabitant orbem*: subdítque S. Basilius. Quandoquidem homo ex terreno corpore, & anima corpus inhabitante compositus est, terra quidem iure dicitur, ex terra formatus: inhabitans autem orbem, anima vocabitur, diuersorium & habitationem in corpore sortita. Concinnè igitur, ad terrá illud retulit, ipse dixit, & facta sunt. Ad figmentum quidem nostrum terrestre pertinet quod dicit, & facta sunt: ad imaginem verò Dei, illud, *Et creata sunt*. Quoniam verò in sacris voluminibus, *creatio* pro transmutatione in potiorem solet accipi partem, vt est illud: *Si qua in Christo noua creatura*. Item illud: *Vt duos crearet in vnum nouum hominem*: forsan illud quidem, *Facta sunt*, dicitur de prima hominis productione ad essentiam; hoc verò, *Creata sunt*, de secunda per Christi gratiá regenerarione. Quantum itaque Dei mandatum à simplici differt verbo, tantum creatio à generatione distat.] Concinit S. Chrysostomus hom. 8. in 2. ad Cor. tractans illud: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus vestris*. Hoc sic interpretatur S. Chrysostomus. [Prius meminit eorum quæ in principio creationis facta sunt, nempè sensibilis Solis, & sensibilium tenebrarum, monstrans quod istud maius est opificium. Et vbi dixit, *Ex tenebris lux luceat*: In principio & in exordio creationis: *Tenebræ enim erant*, inquit, *super abyssum; Et dixit Deus, fiat lux & facta est lux*. Sed & tunc quidem dixit, *fiat, & factum est*. Nunc autem non dixit, sed ipse nobis factus est lux. Non enim dixit, *& nunc dixit*, sed *ipse illuxit*: Propter hoc neque sensibiles res videmus ope lucis huius fulgentis, sed ipsum Deum per Christum.]

*Est priore longè excellentior.*

23. Secernit egregiè creationem noui orbis per Christum factam, à prima materialis mundi creatione, & illam longè profert S. Anast. Sinaita toto opere contemplationum in Hex. Et idem præstitisse antiquos DD. grauissimos, Papiam, Clementem, Panthænum, Ammonium, annotat lib. 1. Perpulchrè verò initio l. 7. huc refert iteratam in 2. c. Geneseos creationis narrationem, vt ostenderetur instauratio per Christum facta, & productio noui orbis per eum longè pretiosior. Eáque ex causa obseruat, 2. capite duplicatum esse nomen Dei, nec vltra simpliciter dictum Deum, sed Dominum Deum, vt ostenderetur compositio personæ Verbi per Incarnationem. Quæ cum multis versasset, subdit. [Omni stupore & admiratione dignum est illud, quod per vniuersam sex dierum creationem simplici & incomposito nomine nominans Scriptura diuina creatorem, simplicem quoque & incompositam faciebat creaturarum narrationem. Postquàm autem nomen duplicauit opificis, statim in repetitione conduplicauit etiam facta opera, in eis non pauca faciens additamenta, nos apertè docens mysterium nouæ in Christo creaturæ & Ecclesiæ. Non solùm enim super priores, res secundas multiplicat, sed etiam magnam & incomparabilem in secunda creatione, nobis ostendit differétiam.] Tunc addit: [Appellatus est Dominus Deus quando factus est homo, & Paradisus Typus Ecclesiæ. Neque ex insipientibus audeat aliquis dicere, quod ex quadam simplicitate, aut intempestiue, aut ex quadam stultitia, facta est, hæc additio in nomine diuino. An ignorat quod iota vnum, aut apex vnus, sacræ Scripturæ, & legis non peribit?]

24. Possem minutiùs hæc concidere, & quod Anastasius diligenter persequitur à libro præsertim 7. demonstrare sigillatim, orbe nouo per Christum condito, exhiberi luculentius opera omnia orbis materialis; mystici huius mundi fabricationem per Christum esse nouum quoddam hexaëmeron, quale assignatis ad singulos dies hebdomadæ magnæ totidem Christi patientis, (imò vt S. Chrysostomus corrigit hom. 2. in acta laudanti Damascenо 3. fid. c. 15. agentis, & tunc maximè operantis) totidem mysteriis Dominicæ passionis, conficit Rupertus l. 5. de offic. à c. 9. Aut quale distributis per totidem cardinalia mysteria diebus septimanæ, contexit S. Chrysostomus hom. 4. de Ascens. Et perbellè cadit in hanc rem, quod obseruat, sexta 6. qua homo conditus est, respondere mysterium

rium missi in homines Spiritus sancti, quia reuera Christus per Spiritum sanctum quem affudit in totum nostrum, creauit nos creatione 2. & vt S. Cyrillus Catech. 17. loquitur secunda sufflatione. Tractans enim quod Ioan. 20. habetur, Christum in Apostolos insufflasse, cum primò daret eis visibiliter Spiritum sanctum, tanquam symbolum remissionis peccatorum, & sanctificationis, cuius tunc potestatem elargiebatur Apostolis, addit S. Cyrillus, [Altera hæc sufflatio, quandoquidem illa prima obscurata est per voluntaria peccata, vt impleatur quod scriptum est, *Ascendet sufflans in faciem suam.*] Locus est ex c. 2. Nahum, quem eodem item modo legit S. August. 18. Ciuit. c. 13 & vterque de insufflatione (vt vides) id est, de Spiritus sancti collatione per Christum, qua iterato & quidem nobiliùs creamur, eum locum exponit; astipulantibus quoad expressionem creationis secundæ per insufflationem, SS. Basilio l. de Spiritu sancto c. 16. Ambrosio serm. 10. in Psal. 118. ad illud, *Manus tuæ Domine fecerunt me*, & Athanasio q. 65. ad Antioch. Ego id explico & confirmo verbis S. Cyrilli l. 12. in Ioan. c. 56. sic philosophantis de causa insufflationis Christi in Discipulos. [Deus Pater per proprium Verbum, de limo terræ, vt scribitur, hominem formauit, animâ decorauit, & sui Spiritus participatione muniuit. *Insufflauit* enim *in faciem eius, spiraculum vitæ.* Verum quoniam in mortem ex inobedientia decidit, & priscum decus homo amisit, fotmauit ipsum rursus Deus Pater, & in nouam reduxit vitam per Filium, qui morte carnis suæ, mortem destruxit, & reditum nobis ad incorruptibilitatem largitus est. Vt ergo ipsum esse discamus, qui ab initio naturam nostram creauit, & Spiritu sancto signauit, rursus in ipso initio renouandæ naturæ, sufflatione spiritum Discipulis largitur: vt quemadmodum creati ab initio sumus, sic etiam renouemur: & quemadmodum ad imaginem Creatoris factus tunc homo est, similiter etiam nunc participatione spiritus ad imaginem creatoris renouetur. Quod autem Saluatoris informationem, in animis suscipientium spiritus imprimat, Paulus ad eos scribens, qui ad obseruationes legales relapsi fuerant, apertè ostendit: *Filioli*, (inquit) *quos iterum parturio, quousque Christus in vobis formetur.* Formati autem in homine Christus non potest, aliter, quàm participatione sancti Spiritus, per Euangelicam vitam. Vt ergo in primitiis renatæ naturæ hominum ad incorruptibilitatem & gloriam, & imaginem Dei, Spiritum suum Christus in Discipulos immittit: & ob hoc intelligimus fontem & largitorem ipsum Spiritus esse.] Planè egregiè hæc iterat. l. 13. Thesauri cap. 3. addens insuper inde effici, vt vir dicatur *gloria Dei*, 1. Cor. 11. sicut mulier dicitur *gloria viri*: nempe quia vt mulier de viri costa est edita, ita & vir ex Dei participatione per Christum, dantem nobis Spiritum sanctum.

25. Est ergo Christus noui orbis & inhabitantium eum Creator, iuxta illud Nysseni orat. 1. de Resurr. cum exponit, quorsum Zacharias, diem Christi, neque esse diem, neque esse noctem, dixerit. [Hæc est dies illa, quam fecit Dominus, à diebus illis longè diuersa qui mundi procreationis initio sunt constituti, quos temporis cursus dimetitur. Alterius hæc est procreationis initium. In hac enim die cœlum nouum facit Deus, & terram nouam, vt ait Propheta. Ecquod cœlum? Fidei firmamentum. Ecquam terram? Cor bonum, vt inquit Dominus. Hæc enim terra bibit superuenientem imbrem, & spicam multiplicem parit. Solis lux, est vitæ munditia: aër, perspicua & præclara viuendi constitutio: stellæ, virtutes: mare, diuitiarum sapientiæ, & cognitionis altitudo: herbæ & germina, bona doctrina, diuinâque documenta, quæ populus pascuæ, hoc est, Dei grex carpit, atque depascitur; arbores ferentes fructum, mandatorum obseruatio. In hac die, verus homo procreatur ad imaginem, & similitudinem Dei. Cernis cuius mundi principium sit hæc dies, quam fecit Dominus? Quam neque diem esse dicit Propheta diebus aliis, neque noctem aliis noctibus similem?] Sic ille de die quem Dominus carne amictus fecit, apertè monstrans Christum esse noui orbis creatorem.

### *Firmata, & illustrata Cosmopœia noua per Christum, eiúsque præcellentia, aduersus Rabbinos.*

26. Immeritò itaque Rabbini quidam, Christum quem colimus Christiani, negarunt fuisse Messiam illum in lege promissum, eo prætextu vsi, quod Pater æternus apud Isaiam c. 51. præfatus se esse qui tetendit cœlos & fundauit terram, addat, Christum alloquens, *Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos & fundes terram.* Hoc autem Apellæ prædicti, non agnoscunt à Christo factum. Sed nisi mens læua fuisset, vel ex illa ipsa Patris præfatione quam retuli, agnouissent Rabbini, Messiam non fuisse plantaturum cœlos corporeos, quos se iam tetendisse Pater præmiserat: nec fundaturum hanc terram visibilem, quam abs se iam fundatam idem Pater testatus est. Itaque destinabat Pater Christum, ad nouorum cœlorum mysticorum plantationem, & fundationem nouæ terræ & nouorum in ea inquilinorum creationem, quæ omnia per Christum abundè perfecta esse, rectè ibi cum aliis quos adducit, notauit Gabriel Aluares, & particulatim exequitur S. Bruno, propè toto lib. de nouis. cui operi gemina videtur fuisse ea ratio de nouis per Christum, quam Suidas ab Alexandro Hierapolitano elaboratam refert.

Specialiter autem creasse Christum cœlos nouos, docent tot animæ Christi opere & beneficio renidentes ac puræ, queis cœlorum nomen negari non posse, affirmat S. Bernardus serm. 27. in Cant. [Ego puto (inquit) omnem animam talem (puram scilicet & angelicè viuentem de quo ibi disserit) non modò cœlestem esse propter originem, sed & cœlum ipsum posse non immeritò appellari propter imitationem. Et tunc liquidò ostendit, quia verè origo ipsius de cœlis est, cum conuersatio eius in cœlis est. Est ergo cœlum sancta aliqua anima, habens Solem intellectum, Lunam fidem, Astra virtutes. Vel certè Sol iustitiæ, zelus, aut feruens charitas, & Luna, continentia. Quomodò enim claritas, (vt aiunt) Lunæ non nisi à Sole est: sic absque charitate seu iustitia, continentiæ meritum nullum est. Hinc deni-

que sapiens: *O quam pulchra est* (inquit,) *casta generatio cum claritate.* Porrò Stellas dixisse virtutes, non me pœnitet, considerantem congruentiam similitudinis. Quomodò nempe Stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Illud sanè cautelæ est, hoc necessitatis: ergo virtus est sydus, & homo virtutum cœlum. Nisi quis fortè cum Deum per Prophetam dixisse legit: *Cœlum mihi sedes est*: cœlum hoc volubile visibiléque, intelligendum existimet, & non potiùs illud, de quo alibi apertiùs scriptura commemorat: *Anima*, inquiens, *Iusti sedes est sapientiæ.* Qui autem ex doctrina sapit Saluatoris, Spiritum esse Deum atque in spiritu adorandũ; etiam ei sedem non ambigit assignare spiritualem. Ego verò fidenter id fecerim non minùs in hominis iusti quàm in angelico spiritu. Confirmat me in hoc sensu maximè illa fidelis promissio: *Ego* (ait Filius) *& Pater, ad eum* (id est, ad sanctum hominem) *veniemus & mansionem apud eum faciemus*; Prophetam quoque, non de alio dixisse cœlo arbitror: *Tu autem in sancto habitas, laus Israël.* Manifestè autem Apostolus, dixit, *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Nec mirum si libenter inhabitat cœlum hoc Dominus Iesus, quod vtique non quomodò cæteros, dixit tantum vt fieret, sed pugnauit, vt acquireret, occubuit vt redimeret. Ideo & post laborem voto potitus, ait: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Et beata cui dicitur: *Veni dilecta mea, & ponam in te thronum meum.*]

27. Specialiter item hominem, esse mysticam Christi facturam, & quatenus nouum esse accipit, & secundum Deum creatur in iustitia & sanctitate veritatis, esse verè opus Christi, Apostolus splendidissimè tradidit, cum dicit, *Ipsius factura sumus, creati in Christo IESV in operibus bonis.* Verè *creati*, quia ex nihilo per Christum simus, si prima gratia & radix totius iustificationis attendatur. Pro nihilo enim saluos facies eos. Idque à Christo magno, (vt ait) Deo nostro factum, collato nobis Spiritu suo sancto, in ratione formæ mysticæ & principij vitæ supernaturalis, quo abiecto peccator idcirco dicitur mori, & mortali peccato transfixus. S. Basilius omninò egregiè prosequitur l. de Spiritu sancto c. 16. addens dici de peccatore. *Diuidet eum* (inquit Matth. c. 24. de seruo nequam) *& partem eius cum hypocritis ponet.* [Neque enim corpus diuiditur, vt vna pars tradatur supplicio, altera absoluatur. Nam id quidem fabulosum, nec eo dignum iudice, cum totus homo peccauerit, dimidium illius addici pœnæ. Nec anima in duas partes secatur, quum tota per totum hominem peccandi affectum habeat, simúlque cum corpore malum operetur. Sed quemadmodùm dixi, dissectio est animæ, perpetua à Spiritu sancto alienatio. Nunc enim tametsi non admiscetur indignis, attamen aliquo pacto videtur adesse semel consignatis, expectans vt ad salutem conuertantur. Tum verò in totum ab anima, quæ gratiam ipsius prophanauerit, resecabitur. Ideoque non est in inferno qui confiteatur, neque in morte qui memor sit Dei: quod iam non adsit sancti Spiritus adiutorium.]

28. Nec desiderata est in hac secunda creatione, requies creatoris. Audi Rupertum l. 7. de offic. c. 19. differentem de sanctificatione primæ Sabbati siue diei Dominicæ. [Quanto præponderet primæ Sabbati sanctificatio, quæ nobis est data, sanctificationi illi qua Iudæis Sabbatum dedicatum est, ex comparatione causarum, vel temporum vtriusque sanctificationis, aduertere licet. Diuersis enim ex causis longéque imparibus, & Sabbatũ creator noster benedixit, & primam Sabbati diem, ipse Saluator noster dedicauit. Causa namque benedictionis Sabbati fuit hæc, quod Deus in illo cessauit ab omni opere quod patrauit: Causa verò primæ Sabbati, quod Deus homo factus in illa resurrexit à mortuis. Quis hæc longiùs à se differre non videat? Si enim Dei requies causa sanctificationis diei est, consequenter vbi maior, & verior eius requies, illic sanctificatio copiosior est. Itémque vbi maiorem in operante laborem attendimus, maiorem nihilominùs in cessante requiem agnoscimus. Constat verò, quia Deus, dum conderet mundum, fatigatus non est, vtpotè qui omnia per Verbum suum operatus est, & vniuersa componens, de singulis dixit, *Fiat, & factum est.* At ipse idem, cum vt mundum redimeret, homo factus, vnus idémque Christus, Deus & homo passus, & crucifixus, & sepultus est, proculdubio fatigatione non parua fatigatus est. Qua ergo die resurrexit, veram vtique requiem, gloria & honore coronatus, introiuit, longè excellentiùs requieuit, quàm cum à mundi creatione cessauit.] Nempe acquisita suo sanguine sponsa Ecclesia, in qua (inquit) vt in cœlo intellectuali requiescit.

### *Orbis conseruatio, alterum opus Deo proprium, Christo aptata.*

29. Iam mundi mystici, & vt Apostolus nominat, *Orbis terræ futuri* conseruatio, vt hoc quoque opus Deo proprium Christo vindicemus, non minùs Christo conuenit, quàm creatio. Verè namque de Christo Apostolus, *Omnia in ipso constant.* Et sanè Spiritus Domini iure à sapiente vocatur, *Continens & conseruans omnia*, quod de noua præsertim creatura valere, est indubitatum. De ea sapientissimè à D. Basilio lib. de Spiritu sancto c. 16. dictum est. [Quemadmodum si in nocte tollas lucernam è domo, supereſt vt nihil videant oculi, nihil operentur virtutes, nec agnoscatur rerum dignitas, sed per ignorantiam aurum perinde conculcetur, ac si ferrum esset: ita in intelligibili gubernatione, impossibile est illam insitiam manere vitam absque spiritu: nihilo profectò magis quàm exercitus in recto ordine manere potest, absente duce, aut chorus in consonantia, nisi adsit chori præfectus qui temperet harmoniam.] Et hanc ob causam Christus Isaiæ 22. describitur specie paxilli in loco fideli, super quo suspenditur omnis gloria domus, & omnia vasa sancta, quia omnes boni per solum Christum stant, eique innitentes ascendunt dealbati iuxta lectionem D. Augustino non semel probatam; nimirum vt inde sanctitatem hauriunt, inde etiam firment eam, & sibi perpetuam faciant. Quo perbellè Origenes hom. .. in Ierem. accommodat illud eiusdem Prophetæ cap. 17. *Solium altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ. Expectatio Israël Domine*, quod ipse ex

ex interprete, sic legit. *Thronus gloriæ exaltatus ab initio, locus sanctificatio nostra, sustentatio Israël.* [Sustentatio Israël sicut ipse iustitia Christus, ipse veritas, ipse sanctificatio, similiter est ipse etiam sustentatio; & non est aliquid iustum sine eo; neque patiens quod in se non habet Christum. Ipse est enim sustentatio Israël.]

30. Vides quomodò iuxta Origen. non modò perseuerantia vt benè progrediamur sanctè operando, sed etiam vt firmemur in bono, nec deficiamus in tentationibus ac probationibus, à Christo sit. Hoc secundum egregiè à D. Hieronymo expressum est in cap. 4. Zach. ad illud, *Videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel*, quod perinde esse ait, ac si dixisset Prophera, [Lætabuntur, & videbunt auxilium Saluatoris, qui de Zorobabel stirpe promittitur: & propter fortitudinem, *lapis* appellatur, & *lapis stanneus*. Pro quo in Hebraico scriptum est, אבן הבדיל, eo quod sit murus & fortitudo, roburque credentium. Sicut enim stannum ab igne alia metalla defendit: & cum sit natura æs ferrúmque durissimum, si absque stanno fuerit, vritur & cremator; sic omnis Angelorum & hominum fortitudo, si non habuerit auxilium Saluatoris, imbecilla probatur & fragilis.] Et S. Cyrillus non multum dissimiliter l. 3. de Ador. *ferè in* fine quæ enti Palladio quamobrem Christus à Prophera dictus sit *lapis stanneus*, & per plumbi talemú sit expressus. Sed de Christo lapide, alibi plenius, & copiosè Mendoça in 1. Reg. c. 6. v. 14. n. 8. & c. 7. v. 12. n. 7. & 8. Nunc satis sit notasse eam Christi appellationem in scripturis crebrimam, (vt videre est apud S. Cyprianum l. 2. ad Quir. c. 16 & 17. & apud Galatinum l. 3. c. 21.) referti à S. Cyrillo ad constantiam nobis per Christum conciliaram in bono, quoties occurrunt ex aduerso flabra, quibus nisi ipse firmaret & stabiliret nos, deficeremur & euerteremur, pro fragilitate nostra. [Sustinet tecum Dominus Christus,] (aiebat Arcadio Antonius Episcopus in calce Epistolæ.) Breuissimè sed sapientissimè, id expressit S. Hilarius canone 31. in Math. cum dixit, [Pati, nisi ex Christi passione non possumus.] Nos plenè in hanc rem diserauimus in opere de martyr. p. 2. c. 3. num. 21.

Quod verò prorsus admirabile est, sed tamen verum, eoúsque progreditur roboratio & fortitudo nostra per Christum, vt plura etiam quàm ipse passus sit, patiamur, tametsi quanta ille quámque atrocia sit passus, neminem latet. Obseruauit hoc egregiè S. Chrysostomus hom. 2 in 2. ad Cor. ad illud, *Sicut abundant passiones Christi in nobis*, quod sic expendit: [Non dixit *Quemadmodum Christi passiones nobis ingruunt: sed, sicut abundant.* Quibus verbis illud ostendit, quod non modò illius cruciatus, sed his quoque plures perferant. Non enim, (inquit) ea tantummodò, quæ ipse passus est, pertulimus, verùm his etiam ampliora. Sic enim considera. Vexatus est, persecutionem passus est Christus, flagris affectus est, mortuus est, At nos (inquit) his plura patimur: quod quidem vel solum, ad consolationem satis esse queat. Nec verò est quod quisquam hunc sermonem arrogantiæ ac temeritatis damnet. Nam & alio loco ait, *Gaudeo in promissionibus meis, atque adimpleo ea quæ desunt passionibus Christi in carne mea.* At neutrum horum, temeritatis vllius & arrogantiæ est. Quemadmodum enim discipuli maiora quàm ipse miracula fecerunt, (*qui enim credit in me*, (inquit,) *maiora his faciet*) totum autem ipsi iure adscribitur, qui in ipsis operabatur; sic etiam plura quàm ipse perpessi sunt]

*Patratio mirabilium Deo propriorum, Christo conueniens.*

31. Tandem mirabilia à Christo edita, & opera quæ nemo alius fecit, sed & eodem modo, ac cum iisdem adiunctis, nemo facere potuit purus homo, & qui Deus non esset satis supérque ei vendicare titulum *magni Dei*. Possem miracula innumera quibus Christus per tempus prædicationis inclaruit, hic expendere, & ventrem Christi, fragilitatem, inquam, & infirmitatem humanam, sapphiris distinctum exhibere, hoc est miraculis innumeris: vt locum ex Cant. 5. Gregorius, Beda, aliique apud Delrium ibi expostuerunt. Ingumento immenso non potero prolixus videri, si quam summam miraculorum Christi aduersùs Ethnicos confecit Arnobius l. 1. à n. 28. vt eum non vnum è nobis, sed verum & magnum Deum esse monstraret, hîc repræsentauero. Sic ergo affatur Ethnicos. [Quid dicitis? ô iterum ergo ille mortalis, aut vnus fuit è nobis, cuius imperium, cuius vocem popularibus & quotidianis verbis missam, valetudines, morbi, febres, aquæ alia corporum cruciamenta fugiebant? Vnus fuit è nobis, cuius præsentiam, cuius visum, gens illa nequibat ferre mersorum in visceribus dæmonum, contertitáque vi noua, membrorum possessione cedebat? Vnus fuit è nobis, cuius fœdæ vitiligines iussioni obtemperabant, pulsæ statim, & concordiam colorum commaculatis visceribus relinquebant? Vnus fuit è nobis, cuius ex leui tactu, stabant profluuia sanguinis, & immoderatos cohibebant fluores? Vnus fuit è nobis, cuius manus, intercutes & veternosæ fugiebant vndæ; penetrabilis ille vitabat liquor, & turgentia viscera salutari ariditate deflabant? Vnus fuit è nobis, qui claudos currere præcipiebat, & iam operis res erat, porrigere mancos manus; & articuli mobilitates iam ingenitas explicabant: captos membris assurgere, & iam suos ferebant lectos, alienis paulo ante cerucibus lati: viduatos videre luminibus, & iam cœlum, diémque cernebant nullis cum oculis procreati? Vnus, inquam, fuit è nobis, qui debilitatibus variis, morbísque vexatos, centum, aut hoc amplius, semel vna intercessione sanabat? cuius vocem ad simplicem, furibunda & insana explicabant se maria, procellarum turbines tempestatesque sidebant: qui per altissimos gurgites pedem ferebat in lutum? calcabat ponti terga, vndis ipsis stupentibus in famulatum subeunte naturâ? qui sequentium se millia quinque, saturauit quinque panibus? ac, ne esse præstigiæ incredulis illis viderétur & duris, bis senarum sportarum sinus, reliquiarum fragminibus aggerebat? Vnus fuit è nobis, qui redire in corpora iamdudum animas præcipiebat efflatas? prodire ab aggeribus conditos? & post diem funeris tertium, pollinctorum velaminibus expediri? Vnus fuit è nobis, qui, quid singuli voluerent, qui sub obscutis cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus peruidebat? Vnus fuit è nobis, qui cum

vnam emitteret vocem, à diuersis populis, & dissona oratione loquentibus, familiaribus verborum sonis, & suo cuique vtens existimabatur eloquio?] Innumera huiusmodi, de mirabilibus operibus à Christo editis, passim occurrunt.

Nec desunt hodie talia, quibus Christus in cuius nomine eduntur, *magnus Deus* agnoscatur. Hodiéque Christi nomen auditum, effugat noxios spiritus, & signum Crucis expressum spiritualia nequitiæ potenter expellit; non horrore nominis (vt fabulatos Ethnicos meminit suprà Arnobius, & Lactant. 4. inst. c. 27. ac hæretici quoque etiamnum garriunt, eodem cum Ethnicis spiritu acti;) sed maioris licentia potestatis. Hodiéque in Christi nomine resurgunt mortui, cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, & omnes valetudines depelluntur.

### *Potiora Christi miracula, interna, vt mundi ad fidem adductio.*

32. Verùm hæc ego tametsi insignia & eximia, ac defigẽdis stupore animis peropportuna, parui tamen facienda censuerim, præ aliis quę quod in Christiana lege sint frequentissima, minùs tamen videntur admirabilia hominibus, raritate metientibus admirabilitatem operum: rubrica sanè parum fideli, qua miracula ludicra seriis præferantur. In quam rem iuuat adducere quod Philo ait l. 1. de vita Mosis, tractans eductionem aquæ de petra percussa. [Si quis (inquit) huic narrationi non credit, non nouit Deum, nec quærit noscere. Alioqui certo certius sciret, miracula ista esse Dei ludicra collata cum seriis operibus: quale est creatio cœli cum fixis erraticisque syderibus, lucis, diei, solisque productio, itidémque nocturni lunaris luminis, terræ fundatio in rerum meditullio, insularum & continentis immensa magnitudo, animalium stirpiúmque in tot species diuisa varietas: ad hæc maris æstuaria, fluuiorum cursus tam perennium quàm torrentium, latices fontium perpetuò manantium, alibi frigidorum, calidorum alibi: prætereà tot mutationes aëris, tempora discreta annuis horarum vicibus, aliæque pulcherrimæ res innumeræ, quibus recensendis vix tota hominis vita sufficiat, quæ nec ad vnius cuiuspiam mundi partis miracula singulatim excutienda satis sit, etiamsi contingeret longissima. Verùm ista cum digna sint admiratione maxima, contemnuntur propter consuetudinem. Quæ autem inusitata sunt, quamuis minora, miramur indulgentes nouis imaginationibus.] Hoc ipsum de Christi miraculis (vt sic dicam) inusibilibus, quæ quotidiana inter Christianos sunt, & aliis ab initio editis, dicendum existimo.

33. Quantum enim reuera, si suis momentis expendatur, apparebit miraculum, mundi conuersio per Christum, & emissos ab ipso discipulos? [Obstupescamus, (exclamat S. Chrysostomus hom. 8. in 2. ad Cor. in mor.) virtutem Dei, admiremur, adoremus, rogemus Iudæos, rogemus Gentiles, quis persuasit vniuerso orbi à patriis moribus desistere, & ad aliam transire conuersationem? Piscator vel tabernaculorum factor, publicanus, vel illiteratus, & idiota? Et quomodò hæc essent rationi consona, nisi diuina virtus esset, quæ per illos operata est? Quid autem dicentes persuaserunt? *Baptizemini in nomine crucifixi.* Cuius? quem nescibant, non viderant. Attamen hæc dicentes & prædicantes persuaserunt, quod ij quidem qui vaticinabantur, & à patribus ipsis traditi erant, non sint Dij. Crucifixus autem hic Christus omnes attraxit, tametsi quod crucifixus quidem esset, & sepultus, omnibus manifestum erat: quod autem resurrexisset, nulli præter paucos viderant. Nihilominus & hoc persuaserunt his qui non viderant, & non solùm quod resurrexit, sed etiam quod ascendit in cœlos, & veniet iudicare viuos & mortuos. Vnde igitur sermones illi verisimiles & probabiles, dic oro? Non aliunde quàm à Dei virtute. Etenim nouitas primò omnibus ingrata erat. Quando autem & talia noua quis affert, res difficilior fit, quando amouet inueteratæ consuetudinis fundamenta, quando à fundamentis euellit leges. Ad hæc neque præcones fide digni videbantur; sed & apud omnes gentes exosi, indocti, ac meticulosi. Vnde igitur vicerunt orbem? quomodò nos, & progenitores nostros qui philosophi ac sapientes putabantur, cum Diis suis eiecerunt? Nónne manifestum, ex eo quòd Deum haberent secũ? Non sunt enim hæc opera humanæ facultatis, sed diuinæ cuiusdam & ineffabilis. Non (dicet quis,) sed magiæ. Oportuisset igitur dæmoniorum principatus crescere, & propagari Idolorum cultum. Quomodò ergo destructus est, & euanuit ille, & præualuere nostra quæ illis contraria? Idem hom. 3. in ad Ephes. ad illud, *Et quæ diuitiæ gloriæ ipsius*, eoúsque effert animæ ad fidem pertractionem à Christo factam, vt præferat suscitationi mortui. [Multò sanè (inquit) admirabilius, quod animæ ad fidem persuadeantur, vt credant, quàm quod morticina caro resurgat. Vt res hæc colliquescat magis, admirat, pro virili. Audi enim. Dixit Christus iam mortuo, *Lazare veni foras*: dicto ocyùs paruit. Dixit Petrus Tabithæ, *Tabitha surge*: quæ nihil cunctata, dicenti gessit morem. Dicet Christus extrema illa die: & resurgent omnes: idque tanta cùm velocitate, vt tum viuentes, ne puncto quidem eos præuenturi sint, qui priùs obdormierint somno mortis. Sicque in momento, in ictu oculi, vniuersa hæc conficientur, concurrentque. Vt autem quis fidem amplectatur, non sic. Rursum audi dicentem: *Quoties volui congregare filios vestros & noluistis?* Videsne, vt hoc illo sit difficilius? Itaque ob hoc, totius rei quam nititur persuadere, adornat summam. Multò enim difficilius fuerit, humanis rationibus libero hominis arbitrio persuasisse, vt Christi fidem complectatur: quàm vt credat quidvis naturam operari, admirabili dispensatione exhibuit, re ipsa declarans, quod negotium peragendæ humanæ salutis, diuina virtute opus haberet.]

### *Item commutatio peruersitatis morum, inducta à Christo.*

34. Addit eadem hom. 8. S. Chrysostomus, alterum virtutis & potentiæ Christi insigne opus, veréque miraculum; mutationem scilicet morum, vigentem Christianis temporibus. Quando enim virginitas tanta vbique terrarum pullulauit, quando diuitiarum contemptos & vitæ

vitæ, & omnium aliorum? Improbi enim & impostores nihil tale perficient, sed contraria omnia. Illi autem Angelorum nobis conuersationem inuexerunt; non inuexerunt autem solùm, sed etiam egerunt in hac nostra regione, in terra barbarorum, in ipsis terræ finibus. Vnde perspicuum quod omnia vbique virtus Christi perfecit vbique lucens, & ipso fulgure velociùs mentes hominum illustrans.]

Eadem habet S. Sedatus. hom. de Epiphaniæ, & Eucherius hom. 2. de Epiph. *in fine*, [De pessimis bonos facit, castos de luxuriosis, humiles de superbis, de sectatoribus seculi amicos Dei. Quæ potest maiora exercere miracula, quàm quando hominem de substantia pulueris in Angeli statum prouehit, ac terrenam materiam cœlo inserit, & in immortalitatem figmentum mortale transcribitur?] Multis est in hoc argumento Abbas Nesteros apud Cassianum totâ propè collat. 15. latè demonstrans, longè sublimius opus esse, longéque diuinius miraculum, colligere virtutibus Christianis, quàm edere quæ vulgo dicuntur mirabilia. [Et reuera (inquit cap. 8.) maius miraculum est de propria carne fomitem luxuriæ eradicare, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis: & magnificentius signum est virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quàm aëreis principatibus imperare: plúsque est exclusis edacissimos de corde proprio tristitiæ morbos, quàm valetudines alterius, febresque corporeas expulisse: Postremò multis modis præclarior virtus, sublimiórque profectus est, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni. Quantò enim hæc sublimior carne est, tantò præstantior eius est salus; quantoque pretiosioris excellentiorísque est substantiæ, tantò grauioris ac perniciosioris est & ruinæ.]

35. Origenes planè egregiè hom. 6. in Esaiam *sub medium*, ait hæc esse opera maiora horum, quæ Christus edenda per suos pollicitus est. Sic enim habet: [Quid maius est quàm mortuum resuscitare? Quis non dico nostrum, sed Apostolorũ mortuum suscitauit? Refert historia, quia Paulus Eutychum resuscitauit à mortuis, & Petrus Thabitam, quæ interpretatur *Dorcas*. Ista autem & alia istiusmodi, inueniri possunt. Vbi sunt maiora? Sed & cæcos Saluator fecit rursùm videre, & quod maius est, eos qui sic nati fuerunt. Exhibeant quos cæcos ab vtero manibus Apostolorum curatos aspexerint. Et alia infinita potest de Euangeliis inuenire qui quærit, quia neque Apostoli his maiora fecerint, neque eorum successores. Verùm sermo scripturæ tale quiddam locutus est. His quæ ego feci corporalibus, vos maiora facietis. Ego feci resurgere ex mortuis corporaliter, vos resurgere facietis ex mortuis spiritaliter. Ego cæcis sensibile hoc lumen effudi, vos spiritalem lucem non videntibus dabitis. Vsque ad hanc autem diem, hæc maiora signa à corporalibus quæ fecit Iesvs, ego video fieri per fidelissimos Discipulos Iesv. An non cæci nunc vident? & claudi ambulant? & leprosi mundantur? & reliqua fiunt? Si is qui heri obcæcatus est, accedens ad Idolum quasi ad Deum, hodie inuocet Deum viuum, pristina derelinquens, nonne videt? An non qui heri claudus erat propter peccatum, nunc propter discipulorum doctrinam iter verum edoctus, stabili graditur pede? Qui heri aridam, habebat manum, & otiosam ad benefaciendum, hodie recipiens manum, habet eam viuentem? Si videris aliquem pollutum, & lepram in anima habentem, subitò pœnitere, ac doctrinæ sermone compunctum, non te pigeat dicere, quia maius sit hunc spiritaliter leprosum, quàm quendam carnaliter fuisse purgatum.] Vide de his in nobis Christi operibus optimè philosophantem eundem Origenem hom. 22. in Lucam.

36. Non minùs splendidè in hanc rem, ac etiam paulo copiosiùs philosophatur apud Cassianum Abbas Cheremon. collat. 12. c. item 12. [Illa (inquit) quæ in Sanctis suis quotidiana operatione dispensat, ac speciali munificentia affluenter effundit, nullus alius, nisi anima perfruentis agnoscit, quæ in secreto conscientiæ suæ, ita est beneficiorum eius arbitra singularis, vt ea non solùm nullo valeat sermone disserere, sed ne sensu quidem, & cogitatione complecti, cùm ab illo ignito feruore discedens, ad istos materiales ac terrenos intuitus fuerit deuoluta. Quis enim in se opera Domini non miretur, cum insatiabilem ventris ingluiem, & sumptuosam gulæ perniciosámque luxuriam, ita in se viderit fuisse compressam, vt vix ipsum exiguum ac vilissimum cibum ratò inuitúsque percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, qui illum ignem libidinis, quem naturalem anteà, & velut inextinguibilem esse credebat, ita refriguisse perspexerit, vt ne simplici quidem se corporis motu sentiat incitari? &c. Ista sunt prodigia quæ posuit super terram. De istis operibus Dei Beatus Dauid in spiritu canens: *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia magna solus.* De istis & Amos Propheta: *Qui facit*, inquit, *omnia, & conuertit ea, & transmutat in matutinum vmbram mortis.*] Et post alia cap. 13. [Istud ergo est mirabile opus Dei, hominem carneum, carnales affectus, in carne positum respuisse, & in tanta rerum, atque incursuum varietate; vnum tenere animi statum, atque immobilem in omni accidentium permutatione durare. Qua virtute fundatus senex quidam, cùm apud Alexandriam turbis infidelium circumfusus, non solùm maledictis, verùm etiam grauissimis impellentium vrgeretur iniuriis, eíque à subsannantibus diceretur; quid miraculi Christus vester, quem colitis, fecit? Ille (inquit) vt his ac maioribus, si inuleritis, non moueat, nec offendat iniuriis.]

## *Non obstat, quominùs Verbum in humanitate sit Deus magnus, tanta Christi deiectio.*

37. Euicisse planè videor, Christo, diuinæ, inquam, personæ in humanitate nostrâ subsistenti, decus ac nomen *magni Dei*, ab Apostolo (vt vidimus) eidem tributum. Monstrauí præterea, & nequicquam aduersus extantem apertissimè magnitudinem tantam, obtendi posse Christi in humanitate voluntariam deiectionem. Imò mirabiliter & verè magni Dei nomine dignior proditur, quòd tantæ paruitati tantam adiunxit magnitudinem, idémque paruus & minimus, idem Dominus & magnus, nostra causa videri & esse voluit. Expendit id grauissimè

simè S. Ambrosius lib. de interpellatione Dauid versans illud Psaltis, *De terra Iordanis, & Hermonym è monte modico.* Monstrat enim, esse simul Christum montem magnum, & montem modicum. [Quis est mons modicus, consideremus, ne fortè diuinitas Christi sit mons magnus. Denique *cœlum & terram compleo, dicit Dominus.* Si ergo diuinitas Christi mons magnus est, vtique incarnatio eius, mons exiguus est. Vtrumque ergo Christus, & mons magnus, & minor. Magnus verè quia *magnus Dominus, & magna virtus eius.* Minor quia scriptum est: *Minorasti eum paulominus ab Angelis.* Vnde Esaias dicit, *Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem.* Idem tamen & ex magno minor factus, & ex minore magnus factus. Ex magno minor, quia *cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, & formam serui accepit.* Ex minore magnus, quia dicit Daniel, & *lapis qui elisit imaginem, factus est mons magnus, & impleuit omnem terram.* Lapis hic qui sit requiris? agnosce. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Idem tamen cum & exiguus videretur, magnus erat. Cui rei astipulatur Esaias dicens, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & vocabitur magni consilij Angelus.*]

Non minùs concinnè & actutè S. Augustinus in Psal. 95. ad illud: *Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis,* hanc in Christo magni Dei & omnium Domini, cum tanta paruitate & exilitate nostra copulationem, exhibet dicens: [Quis Dominus nisi IESVS Christus, magnus & laudabilis nimis? Nostis certè quia homo apparuit, nostis certè quia in vtero fœminæ conceptus est; nostis quia ex vtero natus est, nostis quia lactatus est, quia in manibus portatus est, quia circumcisus est, quia hostia pro illo oblata est, quia creuit: postremò nostis quia expalmatus est, conspuctus est spinis coronatus, crucifixus, mortuus, lancea percussus est. Nostis quia hæc omnia passus est, magnus est, & laudabilis nimis. Nolite contemnere paruum, intelligite magnum. Paruus factus est, quia parui eratis; intelligatur magnus, & in illo magni eritis. Sic enim ædificatur domus, sic eriguntur moles in ipsa domo, crescunt lapides qui ducuntur ad ædificium. Crescite ergo, intelligite Christum magnum, & paruus magnus est, magnus nimis. Finiuit verba, volebat dicere quantum magnus; & si tota die diceret: *Magnus, magnus,* quid magnum diceret? Tota die dicens, *Magnus,* finiret aliquando, quia finitur dies; magnitudo illius ante dies, vltra dies, sine die. Ergo quid diceret? *Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Quid enim dictura est lingua parua ad laudandum magnum? Dicendo *nimis,* emisit vocem, & dedit cogitationi quod sapiat, tanquam dicens; Quod sonare non possum tu cogita, & cum cogitaueris, parùm erit. Quod cogitatio nullius explicat, lingua alicuius explicat? *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Ipse, laudetur, ipse prædicetur eius gloria nuntietur.] Sit ita planè. IESV CHRISTO, *Deo magno,* honor & gloria per omnes gentes ac fœcula, ob coniunctas inaudito commercio res adeò dissitas.

*Vsus Doctrinæ.*

38. Possumus & nos cum summa abiectione nostra, consociare magnitudinem immetatam, dona gratiæ, & diuinitatis participium consecuturam. Nam vocamur nos quoque, & inuitamur ad præstanda opera iis proportionalia quibus Christus magnum se Deum demonstrauit, vt vidimus S. Chrysostomus hom. 15. in 1. ad Timo. præclarè in hoc argumento versatur, his præter cætera. [Corpus de terra nobis Deus contulit, vt ipsum & in cœlum reuehamus, non vt animam per ipsum ad terram detrahamus. Terrenum est, sed si velimus, efficitur cœleste. Vide quanto nos honore prosecutus est, tale nobis opus præcipiens. Feci, (inquit,) ego cœlum & terram, do tibi quoque creationem. Fac terram cœlum, nam potes. *Qui facit omnia & mutat,* de Deo dictum est: hanc & hominibus potestatem dedit. Sicut aliquis pater charitate plenus pingens, non ipse solus, sed & filium ad patrum disciplinam perducere studet. Feci, (inquit,) ego speciosum corpus, do tibi melioris creationem: Tu bonam fac animam. Dixi ego *germinet terra herbam virentem, & omne lignum pomiferum:* dic & tu; producat ipsa terra fructum proprium, & exibit quidquid facere velis. Facio æstatem & nebulam, firmo tonitru, & creo spiritum: Formaui draconem ad illudendum ei, hoc est diabolum; nec hanc inuidi tibi potestatem: Illude tu quoque si vis: Potes enim eum vt passerem vincire. Facio oriri Solem super bonos & malos. Imitare tu quoque: communica quæ tua sunt, & bonis, & malis. Contumelias patiens tolero, contumeliásque parantes, beneficiis prosequor. Imitare etiam tu, nec ita benefacias propter retributionem, neque propter gratiarum actionem. Accendi luminaria in cœlo; His splendidiora tu quoque fac accendas: Potes enim. Eos qui sunt in errore, illumina. Maius est illud beneficium quam Solem intueri, me agnoscere. hominem facere non potes, sed iustum facere potes, & Deo gratum. Ego substantiam creaui, tu voluntatem exorna. Vide quomodò te diligam, & in maioribus tibi virtutem dederim. Videtis dilectissimi qualiter honorati sumus.]

Hæc si præstemus, & tanto respondeamus honori, æmulabimur quantum mortale fas est, magnum Deum; & iisdem lineis quibus Christus magnus Deus apparuit, progredientes, audire poterimus quod esse iubemur: Dij, inquam, ex D. Basilij ad Valentem responso, nec qualescunque, sed magni, vt magnum Deum cuius soboles sumus, referat magna, nec patre indigna progenies.

## CAPVT II.

### *Christus Homo, Homo & homo; Filius Hominis.*

39. QVorsum hoc caput præcedenti sobnectant, per se euidens est ex structura Christi, quem geminæ gigantem substantiæ, diuinæ & humanæ, expressimus alibi. Et quamuis *Homo,* non sit Christi attributum, si nudè

c

ac præcisè spectetur, sed sit eius pars essentialis; idcircò tamen inter attributa & titulos Christi recensemus Hominem, quia potest ei voci substerni notio, quæ substantiæ iam constitutæ adueniat, sitque attributum, vt mox patebit.

*Homo quid. In Scripturis, ea vox sæpè probrosa.*

Præmittendum ergo est, Hominis notionem, ipsis quoque Philosophis fuisse ambiguam, vt videre est apud Sextum Empir. lib. 2. hypotyp. cap. 7. & in opere aduersus Mathem. *in examine scientiæ Logicæ*: quibus locis varias Hominis notiones à variis Philosophis prolatas adducit, absurdas atque ridiculas. Quo enim alio nomine appellauerim eam Hominis notionem Democrito propositam, *Homo est quod omnes scimus*. Sic sanè vt rectè argumentatur Empiricus, cùm omnes æquè sciamus saxum aut stipitem, esset Homo saxum aut stipes. Nec magis apposita fuit illa Hominis ex Epicureis notio, *Homo est id quod tali forma externa est præditum, cum animatione*. Visa quippè interdum sunt bruta, humanam præferentia speciem. Exempla coacernaui in Natur. Theol. dist. 2. num. 54. At Plato effusum Diogeni risum mouit, cum Hominis notionem esse dixisset, *animal bipes implume*. Capum namque allum in Platonis scholam coniecit addito eo scommate, *ecce hominem Platonis*: quibus sanè adactus est Plato aliam notionem hominis proponere, his appendicibus appositis, *latis unguibus, & capax ciuilis scientiæ*. Socratem denique (ait ibidem Empiricus,) desperasse claram & accuratam hominis notionem, & ingenuè profitetur esse, ab alio quàm à se expectandam esse. Nec mirum cœcutisse hac in parte Philosophos, quippè qui seipsos prorsus ignorarent. Veram autem notionem alicuius vocis subiicere, eius est qui rem voce significatam perfectè penetret. Quare germana Hominis notio, ex Scripturis, diuinæ sapientiæ partubus, est repetenda.

40. Præmittendum verò est secundò, nomen *Hominis* in diuinis litteris, accipi non vno modo. Interdum enim probrosa denominatio est Hominem dici, vt notat S. Gregor. 18. Mor. *Ferè in fine libri*, tractans illud 1. Tim. 6. *Quem nullus hominum vidit*. Censet enim Hominem cui Deus non patet, non esse absolutè quemcunque natura humana præditum, sed eum qui humana & terrena sapit. [Scriptura quippè sacra (inquit S. Pater) omnes carnalium sectatores, *Humanitatis* nomine notare solet. Vnde idem Apostolus quibusdam discordantibus dicit: *Nonne carnales estis*, & secundum Hominem ambulatis? Quibus paulò post subiicit. *Nonne Homines estis*? Et vnde alias testimonium protulit, quod *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor Hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*. Et cum hoc *Hominibus* dixisset *absconditum*, mox subdidit; *nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum*, ipsum se ab Hominis vocatione discernens, qui raptus supra Hominem, diuina iam saperet. Eodem modo S. Basilius in Psal. 115. quærens qua ratione Dauid mendax non fuerit, affirmans omnem hominem esse mendacem, cum & ipse homo esset, respondet. [Homines dicuntur hic qui totos se adhuc occupant humanis istis affectibus. Nam qui hisce carnis perturbationibus euasit superior, si quando continget de rebus vt differat quæ humanitùs fiunt, nimirum is intelligi debet ab reliquorum censu exemptus. Mendacij enim expers est, qui dixit, *Ego dixi, Dij estis, & Filij excelsi omnes vos autem sicut homines morimini.*] S. Hieron. iisdem in eundem Psalm. sententiis, ac ferè verbis vtitur cum Basilio. Sed & Richardus Victor. prologo in Cant. ex illa Christi percunctatione, *quem dicunt homines esse filium hominis*, colligit viros spirituales (quales erant Apostoli) in Scriptura non dici homines. Ideóque præmissa interrogatione quem homines dicerent esse hominis filium, ait subiungi, *vos autem* quasi ipsi homines non essent, *quem me esse dicitis*? Idem habet Hieron. Matth. 16. & August. serm. 25. de diuers. Viri ergo spitituales, non sunt homines eaque denominatio in Scripturis est probrosa iuxta hos Patres. Quinetiam idem interdum apud Ethnicos videmus vsurpatum. Sic enim quod narrat in Platonis vita Piçinus, cum Athenienſibus capitale esset adire Æginam insulam, eamque nihilominus Plato adiisset, interceptus; exemptus periculo est, quod cum Philosophus esset, non esset homo.

41. Reduci ad hanc primam hominis denominationem potest, ea in qua S. Dionysius epistola 4. quæ est ad Caium, negat Christum fuisse hominem, sumpta nimirum voce *Huminis*, provt sonat hominem nudum, vel hominem vulgari hominum modo operantem: cum tamen Christus, supra hominem quæ sunt hominis gesserit, & vltra humanum modum substantiam nostræ carnis acceperit, amator hominum supra homines, ac secundùm homines ex hominum substantia procreatus, vt eadem epistola dicitur: hunc sensum manifestè ferunt illa ad epistolæ finem. [Si quis ea quæ Christo insunt, dignè & vltra modum capacitatis humanæ mentis discutiat, animaduerter ea etiam quæ in summa illa sesu benignitate affirmati ac dicuntur, vim excellentioris negationis habere reconditam. Namque vt breuiter dixerim, neque homo ille erat, non quasi non homo, humanæque conditionis exors, sed veluti ex hominibus, ac super hominem, homo veraciter factus. Iam quoque neque, diuina vt Deus, neque vt homo humana perficiens, sed Deo hominefacto, nouam quandam ac inusitatam ex diuinitate atque humanitate permistam operationem, nobiscum quidem conuersatus, ostendens. Enquid S. Dionysius voluerit, negans Christum fuisse Hominem; nempe ad nostrum modulum, & provt vox *Hominis* malè audire solet.

*Eadem vox, in aliis Scripturis, honorifica.*

42. Econtrario autem S. Chrysostom. multoties contendit, *Hominis* nomen ac titulum, perhonorificum esse, etiam ex vsu Scripturæ, vt alicubi res aliter habeat. Annotabo quædam loca selectiora. Hom. 2. de Iobo, tractans illud, *& Homo iste iustus, & rectus, ac timens Deum*, sic scribit Chrysost. [Attende diligenter. Externi ac profani, hominem definire consueuerunt. Quid est Homo? Homo est, inquam, animal rationale, mortale. De his Philoso-

phorum definitiones consulantur. Scriptura autem non easdem dat definitiones. Sed quid homo? Irreprehensibilis, iustus, verax, & recedens ab omni opere malo: adeò vt qui talium perfectorum officiorum testimoniis non fuerit comprobatus, Homo non sit. Etenim talis, quamuis naturæ characterem ac formam ferat, hunc tamen malitiæ propositum deformat. Audi à Propheta: *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*]

Rursus homilia in illud, *Saulus spirans minarum*, (est 47. tom. 5. Græcol.) questus ab initio de nimia concionis infrequentia, quodque cum ciuitas plena esset Hominibus, Ecclesia esset hominibus vacua, subiicit illicò hanc correctionem. [Imò verò si verum dicendum est, destituta est Hominibus ciuitas, plena Hominum est Ecclesia. Siquidem *Homines* appellandi sunt, non qui in foro, sed vos qui in Ecclesia versamini; non illi socordes, sed vos diligentes; non illi qui res seculares ad stuporem vsque mirantur, sed qui spiritualia præferunt secularibus. Non enim si quis Hominis corpus ac vocem habeat, idcircò est homo: sed si quis Hominis animam, & affectionem animæ habeat. Porrò humanæ animæ tale nullum est iudicium quàm si diuinorum eloquiorum amore ducatur: quemadmodum belluinæ ac rationis expertis animæ, signum & argumentum tale, nullum est, ac si eloquia diuina contemnat.] Probat hoc ex Esaia c. 50. qui contestatus est venisse se in ciuitatem, nec fuisse in ea hominem, nimirum *Hominem* intelligens, qui Deo auscultaret. [Atque (inquit) vt hoc esse dictum intelligas, non ob raritatem eorum qui adessent, verùm ob eorum socordiam qui audirent, postquàm dixit; *Veni & non erat homo*; subiunxit, *& non erat qui obediret.* Itaque aderant illi quidem, sed adesse non censebantur, quandoquidem Prophetam non audiebant: propterea quandoquidem *venit & non erat homo*; *vocauit, & non erat, qui obediret*, orationem ad elementa conuertit, & ait: *Audi cœlum, & auribus percipe terra.* Nam equidem ad homines, (inquit) missus fueram, ad homines ratione ac mente præditos. Quando autem, neque ratione, neque sensu præditi sunt isti: propterea destituta sensu alloquor elementa.] Esaiæ adiungit Ieremiam c. 6. [Siquidem ille quoque in medio Iudæorum cætu cum stetisset, in eadem illa vrbe, quasi nullus adesset, ita clamabat: *Ad quem loquar, & contestabor.* Quid ais? Cùm tantam videas multitudinem quæris, quem alloquuturus sis? Quæro equidem, (inquit) siquidem multitudo corporum est, non hominum multitudo. Corporum est multitudo, qui auditu non pollent. Idcircò etiam adiecit: *Incircumcisæ sunt aures eorum, & audire non possunt.* Vides omnes istos eo quod non audiant, homines non esse? Ille dixit: *Veni, & non erat homo: vocaui, & non erat, qui obediret*: hic dicit, *Ad quem loquar & contestabor.*] Addit denique Christi ipsius suffragium, qui Matth. 4. cum quem agnoscebat vere hominem, negat de solo pane viuere. Ex quo concludit, in potestate bonorum ciuium esse, replere hominibus ciuitatem, eos efficiendo bonos quibuscum versabuntur, quod ait esse illos efficere homines.

43. Denique rem in qua versamur, accuratè admodùm versat, & fusè idem Chrysostomus hom. 23. in Genes. ad illud de Noëmo, *Noë homo iustus.* [Illum solum Scriptura sancta hominem vocare solet, qui virtutem colit: cæteros autem neque esse putat, sed aliquando vocat *terram*, & aliquando *carnem*? Hac de causa, Genealogiam iusti narraturam se promittens diuina Scriptura, dicit: *Noë homo.* Hic enim solus homo, cæteri autem non homines, sed humanâ gerentes formam, & ex hominibus in bestias mutati, malitia volùtatis, generositatem naturæ amiserunt.] Eodem postmodum adducit, quod de Iobo dictum est à Deo, quod non esset ei homo similis in terra. Expendit quoque Genes. 1. hominem dici à Deo conditum ad imaginem & similitudinem; hoc est (inquit) vt imperet & visibilibus omnibus, & passionibus suis. Imperet, non ferat imperium. Itaque quia amissa dignitate magis subditus est, & imperiū fert potiùs quàm imperat; amisit & nomen quod sit homo, & brutorum in se nomina transtulit. Miserrimam peccatoris conditionem, qui ipso quoque hominis nomine priuetur, quod multis exemplis docet. Quod autem in feram trāseat, eruerat ibidē paulo ante, nec dissimiliter hom. 1. in Ioan. & Isidor. Pelus. l. 2. epist. 135. Insigniter Clemens Alex. initio protrep. & 1. pædagog. cæter. vbi proprerea ait Græcam vocem ἁμάρτημα, significare æquè peccatum, & rem absque ratione, siue bestiam.

44. Concinit S. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto; c. 11. docens, Spiritum sanctum è feris homines effecisse, tractans visum S. Petro obiectum Actorum 10. [Spiritu videns Dauid sanctus Propheta, ex feris, nos similes futuros esse cœlestium; *Increpa*, (inquit,) *feras syluæ*; syluam videlicet significans non ferarum fragosam cursibus, nec bestiarum gemitibus inhorrentem, sed illam syluam de qua scriptum est; *Inuenimus in campis syluæ.* In qua sicut dixit Prophetia; *Iustus vt palma florebit, & velut Cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur.* Illa sylua, quæ verbi cœlestis alimoniam, propheticarum verticibus arborum, concussa defluxit. Illa sylua, ad quam Paulus, lupus quidem raptor intrauit, sed pastor exiuit. Magna igitur gratia quæ cœlo terras mutauit, vt *conuersatio nostra*, sicut Apostolus dixit, *in cœlis sit*, qui ante sicut feræ errabamus in syluis.] Similia passim alij Patres. Videndus nominatim S. Gregorius 24. moral. c. 6. *initio*, ad illud, *Respiciet Homines, & dicet, peccaui.* Locum mox dabo. Philo item in eodem sensu multus est, l. de Abraham, pag. mihi 307. & Euseb. 7. præpar. cap. 3. & ex externis Epictectus apud Arianum lib. 4. cap. 5.

45. Non est ergo hominis appellatio semper probrosa in Scripturis, sed cum homo possit spectari, & provt ratione præditus, ac ex ea vitam exigens, & provt appetitu sensitiuo bestiis quoque communi in bona sensibilia propendens; per priorem quidem statum, præsertim cum ei accedit exornatio naturæ indebita, dicitur *Homo* cum laude: attento autem posteriori statu, *Homo* quidem dicitur, eo quòd illa per appetitum exerratio à recto, fiat per facultatem humanæ naturæ implantatam. Tamen tunc ea appellatio vitio vertitur, quia ducitur à defectu aduenīente humanæ naturæ provt rationali, & consequente naturam humanam provt cum brutis conuenientem in prosecutione,

tione, bonorum sensibilium. Ea quippe ratione homo ducitur spiritu ferino & bestiali, cuiusmodi in homine tam multiplex est, quàm sunt multiplices in homine passiones sensitiuæ, iuxta præclaram Gregorij Nysseni disputationem orat. 1. in illud, *faciamus hominem*, sub finem. [Impera (inquit) bestiis omnibus, quæ sunt in te. Quid, inquies? Egóne in meipso bestias habeo? Tu verò bestias habes, & eas quidem innumerabiles. Plurima in te est bestiarum multitudo. Ac ne me contumeliosum existimes, dic, amabo, paruáne bestia est iracundia, quando latrat in corde tuo? Nónne ea est, quouis cane crudelior? Quid? in calido animo tuo dolus latitans, nónne quouis vrso fraudulento seuior est? Quid? nónne fera est hypocrisis, vel immanissima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nónne scorpius est? Qui præceps ad vindictam, vltionémque fertur, nónne est vipera grauissima? Quid auarus ipse? Nónne lupus est rapacissimus? Nulla in nobis fera non inuenitur. Qui fœminarum amoribus insaniunt, nónne furiosi sunt equi? *Equi amatores*, (inquit,) *& emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Sic in alicuius feræ naturam quisque conuertitur, vt aliquo animi vitio, perturbationéque vincitur. Ex quo fit, vt innumerabiles in nobis sint feræ.] Similiter habentur apud Philonem l. de Noë ad illud, *Noë vir iustus*. Et apud Chrysostomum hom. 3. ad pop. fusissimè.

## *Quatenus vox* Homo *interdum decus, aliàs probrum ferat.*

46. Ex his abundè liquet, quorsum aliquando *hominis* appellatio in scripturis sit probrosa, aliquando autem sit honorifica: nimirum, quia valet in homine, quod cernimus in quibusdam imaginibus biformibus. [Quemadmodum (inquit Nyssenus,) videre est quasdam effigies, in quibus duplex est expressa forma, fingentibus has artificibus magno studio, atque vni capiti geminas vultuum formas insculpentibus, vt eas spectatores quodam cum stupore intueantur: sic mihi & in homine duplex esse similitudo videtur, quarũ altera, longè ab altera dissideat. Diuinum enim mentis donum quod attinet, pulchritudinem hæc eam, quæ in Deo est, refert. Cæterùm qua cupiditates ei quædam insunt, ortæ ex animi morbis, etiam naturæ brutæ coguatione tenetur. Itaque nonnumquam & ipsa ratio sic obbrutescit, vt ab affectione erga brutam partem victa, quod est in homine præstantissimum, vi deteriotis obruat. Nam si quis eo mentis facultatem pertrahit, vt rationem seruire morbis animi cogat, nę tum vniuersam naturam in aliam quasi figuram redacta, eximiæ formæ in imaginem brutam, fit commutatio.]

Hominis porrò denominatio labis ac probri expers, non ducitur à nuda humanitate sed à virtute, & vita ad amussim rationis exacta, præsertim si id fiat ex supernaturalibus regulis. De ea quippe S. Bern. serm. 20. in Cant. & S. Aug. 20. Ciuit. c. 3. accipiunt illud Eccles. 12. *Time Deum, hoc est enim omnis homo.* Et quia huiusmodi conformatio vitę ad præscriptum rationis siue naturalis, siue supernaturalis, vnde denominatio ista *hominis* dicitur, est aliquid humanitati superadditum & accidentarium, propterea prædicatum illud *homo*, in hoc sensu sumptum, non est essentiale indiuiduis humanæ naturæ, sed accidentarium; & vt vocant *attributum* quæ est notio, illa secundùm quam aiebam agendum esse hîc à nobis de Christo Homine.

## *Christus antonomasticè* Homo, *ob præcellentem virtutem.*

47. Hac quippè ratione, Christus Dominus antonomasticè *homo* dictus est: eo modo quo plerumque ab eximia virtute, legimus nomen *hominis* quibusdam singulariter aptatum, vt fortibus ac magno animo viris, illustre quippiam generosè operatis. Sic enim Ethnici quoque autore Philosopho initio 5. Ethnicorum, eum qui in Olympicis palmam retulerat, non vltrà vocabant nomine proprio & antiquo, sed absolutè appellabant *hominem.* Non dissimili sensu S. Gregorius dictos absolutè homines à Iobo significat, iustos eximios, quorum contemplatione confunderẽtur qui secus fecerant: *Respiciet homines* (inquit Iob,) *& dicet peccaui.* In quæ verba sic S. Greg. 24. mor. c. 6. [Eos, à bestiis ratio distinguit, non alteri bestiali passionum motu demonstrat: quibus per Prophetam Dominus dicit: *Vos autem greges pascuæ meæ, homines estis*; quia nimirum illos Dominus pascit, quos voluptas carnis iumentorum more non afficit. At contrà, hi qui carnali affectioni succumbunt; non iam *homines* sed *iumenta* nominantur: sicut de quibusdam qui in peccato suo moriuntur, per Prophetam dicitur: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Iumenta quippè in stercore suo computrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed iumenta declarantur, de quibus per Prophetam dicitur: *Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat*; & de quibus Propheta alius dicit; *Vt carnes asinorum, carnes eorum, & fluxus equorum, fluxus eorum.* Vnde & per Dauid dicitur, *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Cùm ergo vocentur *homines*, hi qui iustitiæ ratione suffulti sunt; & irrationalia iumenta nominentur hi qui carnali delectationi deseruiunt, rectè de hoc pœnitente dicitur; *Respiciet homines, & dicet peccaui.* Ac si dicatur: Sanctorum virorum exempla conspicit; atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit.] Sic Apostoli iuxta Tertullianum 5. contra Marcio. c. 8. dicti sunt *homines*, nósque filij hominum, id est, *Apostolorum.* Exponens enim illud ex Psal. 67. & Ephes. 4. *Dedit dona filiis hominum*, eleganter (inquit Tertullianus) filiis hominum ait, non passim hominibus nos ostendens filios hominum, id est, verè hominum Apostolorum.

48. Aiebam, hac ratione Christum absolutè & antonomasticè dictum *Hominem*, quod Olympiodorus in catena Iobi c. 3. obseruauit ad illa verba, *Et nox in qua dictum est, conceptus est homo.* Se enim censuit Iob nomine *hominis* indignum, qui adeò se præ Christo imbellem agnosceret, ac propè nihil passum: vt propterea S. Augustinus lib. 2. de peccat. merit. c. 11. existimet Iobum qui initio de suis perpessionibus tanquam valdè magnis quasi expostulârat, postea edoctum de iis quæ Christus aliquando passurus erat, erubuisse querelas illas, & in ea

verba erupisse; *Auditu auris audiui te prius*, hoc est aliqua de te confusè subaudieram: *Nunc autem oculus meus videt te*; Exhibitus scilicet nunc mihi es, passurus immania & atrocissima, præ quibus quæ ego patior, nullius sunt momenti. *Ideò ipse me reprehendo, & pœnitentiam ago in fauilla & cinere.* Hæc igitur causa est iuxta Olympiodorum, cur Iob noluerit *homo* audire, sed id nomen Christo proprium censuerit: ad quem etiam eadem ex causa S. Greg. l. 1. in 1. Reg. *initio*, aptat illud de Elcana dictum, *Fuit vir vnus.*

## *Dictus eadem ex causa*, Homo Homo.

Apud nonnullos præcellentia hæc eximij hominis, expressa censetur in scripturis, quoties *homo* quasi geminus proponitur. Itaque quod de duplici homine tradunt sacræ literæ, eo isti referunt, quasi homo per virtutem, præsertim supernaturalem geminetur; fiátque homo intra hominem, quorum exterior vilis ac despectus, interior autem speciosissimus sit ac preciosissimus. Philonis verba sunt l. de gigantibus. [Hæc vox *homo*, iterata, significat non compositum ex anima & corpore, sed virtutibus præditum hominem. Nam hic est ille verus, quem è prisci quidam accensa meridie lucerna, percunctantibus obuiis, hominem aiebat se quærere.] S. Macarius pulchrè hom. 15. duos illos homines secernit, cum ait. [Si quispiam Deum diligit, Deus quoque cum eo commiscet suam dilectionem: & cum semel crediderit in eum, addit illi Deus cœlestem fidem, & ita euadit homo duplex. Vt igitur ex membris tuis Deo offeras, ille ipse ex propriis, similia membrorum permiscet cum anima tua.] S. Ambr. benè idem tradit epist. ad Constantium. [Cum sint (inquit) in vno homine duo homines, de quibus dictum est; *Et si qui foris est, homo noster, corrumpitur secundum desideria erroris; sed qui intus est, renouatur de die in diem.* Et alibi: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.* Interior est homo noster, qui est ad imaginem & similitudinem Dei factus; Exterior qui figuratus è limo. Sic denique & in Genesi duas tibi creaturas hominis ostendit, secundò creatum hominem significans.] Profecit Ambrosius de more ex Basilio hom. 10. hexaëm. qui duos illos in vno homine agnoscens homines, & locis à S. Ambros. prolatis stabiliès, concludit; [Introclusum itaque hunc habemus & arcanum hominem, deprehendimúrque quadantenus esse duplices, ac proinde id verum quod in omnium ore versatur, intus sumus.] Institit horum Patrum vestigiis Hesichius l. 5. in Leuit.

49. Præiuerat verò his omnibus Orig. hom. 25. in Num. tractans illud: *Homo homo quicunque vouerit votum Domino.* Sic enim in hanc rem disserit. [Quæ est ista repetendi nominis causa? Quasi non sufficeret dixisse; *Homo qui vouerit votum Domino.* Quid est ergo quod ait, *Homo homo*, & quid sibi velit ingeminata hominis appellatio, non mihi silentio prætereundũ videtur. Apostolus docet alium esse interiorem hominẽ, & alium exteriorem: & illum esse qui renouatur de die in diem secundùm imaginem eius, qui creauit eum: hunc verò esse visibilem, qui corrumpitur. Cum ergo venitur ad istum iam profectum, vt lex Dei suscipiatur, & vota Domino offerantur: (Vota autem Domino offerre nemo potest, nisi qui habet aliquid in semetipso, & in substantia sua quod offerat Deo) non sufficit iste exterior homo legem Dei suscipere, nec vota solus offerre; non enim potest aliquid dignum Deo habere: sed ille interior est homo, qui magis habet in se, quod offerat Deo. In illo namque est habitaculum virtutum, in illo omnis intellectus scientiæ; in illo est diuinæ imaginis innouatio: qui cum speciem suam, qua ex initio à Deo factus est, recuperauerit, & virtutum redintegratione pulchritudinem priorem formæ receperit, tunc iam potest vota offerre Deo, & tunc iam non *homo* solum, sed *homo homo* dicetur. Nam qui interiorem hominem non excolit, qui illius curam non gerit, qui virtutibus eum non instruit, moribus non adornat, diuinis institutionibus non exercet, sapientiam Dei non quærit, scientiæ scripturarum operam non impendit, hic non potest, *homo homo* dici, sed homo tantum, & homo animalis.] Fuit sanè Christus omnium congruentissimè *homo homo* in sensu proposito: quippè qui ita præferret obiectum carneis oculis externum hominem, vt præterea haberet insigniter exultum quem Apostolorum princeps nominat abscondium cordis hominem.

50. Non minùs concinnè, imò ad rem præsentem accommodatiùs, idem Orig. hom. 5. in Ezech. aliter accipit congeminationẽ illã (quanquam res eodẽ recidit.) Sic enim eam exponit. Ostendamus de Scripturis quomodò quidã homines non sint homines. *Homo in honore positus, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & assimilatus est eis.* Iste non est *homo homo*, sed *iumentũ homo. Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira vẽturã?* Talis non est *homo homo*: sed *serpens homo. Equi in fœminas insanientes facti sunt, vnusquisque super vxorem proximi sui hinniebat:* & iste non est *homo homo*, sed *homo equus.* Absit igitur à nobis, vt tales simus, qui mereamur audire non esse nos homines hominem, sed aliud quid præter homines. Si enim boni & mansueti sumus, duplicamus hominis nomen, vt sit in nobis non simpliciter *homo*, sed *homo homo.* Verissimè ad eum quoque modum Christus, fuit *homo homo*, quem impossibile fuit (quod nobis quandoque accidit,) esse hominem bestiam.

## *Quid* Homo & Homo natus est in ea? *Psal.* 86.

51. Sunt qui velint, Christo prædictorum modorum alterutro fuisse tributam à Psalte hu-iusmodi congeminationem Psal. 86. eo versiculo, *Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea.* Quod Appollinaris, & recentiorum non nemo, inter varias de eo loco opinationes adductas à Benzonio ibi cap. 34. & 35. accipit de homine illustri, & antonomasticè nomen *hominis* adepturi. Id verò in nullum aptius cadit quàm in Christum, cuius ibi generationem describi, grauissimi Patres & Interpretes diserte habent. Imò Bellarminus non patitur eum locum aliter accipi quàm de Christo: sed negat eum geminata denominatione *hominem* dici: quòd primo loco posita vox *homo*, in eo versu, iungatur cum verbo *dicet.* Quia tamen Gene-

brardus

brardus & alii Hebraici idiomatis peritissimi, aliter interpungunt, & verbum *dicet*, abiungunt à voce *homo*: eandam interpunctionem retinens, existimarim eo loco Psalmi 86. (qui per admirationem vt Paulus Burgensis rectè monuit, legendus est,) designari humillimum statum quem Christus ad nos veniens adamauit: ita vt sit sensus; Nunquid Sioni dicetur homo in ipsa natus est, (& quidem homo abiectissimus ac miserrimus externa specie,) qui illam ipsam Sionem in qua natus est, sua omnipotentia fundauit. Qua ratione congeminatio adhibita, pertinet ad miseriæ, *hominis* nomine connotatæ, expressionem illustriorem. Et fuit profectò res omnem admirationem superans, quod Rex gloriæ vsque eò se deiecerit, vt propter nos, homo, tes tantula, vitro fragilior omniúmque æcumnosissima esse voluerit, & quidē in statu despicatissimo qui vnquam vlli mortalium obtigerit: vt propterea ad eius prænotionem exclamarit Propheta, *Et homo est, & quis cognoscet eum?* Et alibi, *Quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius, quoniam excelsus reputatus est ipse.*

### *Christus cur se toties dicat Filium hominis.*

52. Habemus ex his, aliam præter superiùs addectas, notionem attributalem vocis *homo*, qtovt de Christo dicitur. Nempe quatenus designat non nudè hominem, (quo pacto esset prædicatio essentialis,) sed hominem egenum & calamitosum. Eam quippe significationem vocis *homo*, esse Hebræis quasi prouerbialem, rectè aduertit Delrius adagiali 214. veter. Testam. prolatis in eam rem plerisque sacris & profanis testimoniis, quibus apertè continetur quod dixi. Et quia Hebræis, *Filius hominis*, (vt idem Delrio obseruauit,) idipsum sonat quod homo imbecillis ac miser; habemus ex dictis, quo germano sensu Christus toties in Euangeliis nominet se *Filium hominis*. Quo facilè liceat trahere omnes illos, qui aiunt Christum se dicere, *Filium hominis* frequentissimè, vt humilitatem nos doceat, dum consideramus quod nomen subire voluit, & quo se deiecit nostri causa. Legere est eam interpretationem apud Hieronymum in c. 25. Prouerb. ad illud, *Gloria Dei est celare verbum*: ac pulchrè apud Rupertum in c. 3. Ioan. ad illud, *Filius hominis qui est in cœlo*. Quanquam addit aliam insuper frequentatæ à Christo denominationis illius rationem, ex eo ductam quod voluerit Christus ea appellatione se nobis insinuare, vt fratrem & proximum nobis. Eam quippe causam fuisse ait, cur Verbum voluerit homo ex homine fieri, cum potuisset humanitatem creare, eámque assumere non contracta illa erga nos proximitate, quam generatio illa similis nostræ nobiscum intulit. Laudo sensum pietatis, sed prior expositio videtur simplicior; eamque firmant quæ latiùs attulimus tractantes causam Christi effectiuam.

### *Vsus Doctrinæ.*

53. Est quod in hac meta, benignitatem Verbi Dei suspiciamus, & glorificemus. Voluit enim fieri homo, & homo homo, ac filius hominis, id est, res despicatissima & abiectissima, vt nos efficeret Deos. Audi Origenem hom. 2. in diuersos, *sub finem*. [Ad hoc Verbum in carnem descendit, vt in ipsum caro, id est homo credens, per carnem in Verbum ascendat, vt per naturalem Filium vnigenitum, multi filij efficiantur adoptiui. Non propter seipsum, Verbum caro factum est, sed propter nos, qui non nisi per Verbi carnem, potuissemus in Dei Filios transmutari. Solus descendit, vt cum multis ascenderet: De hominibus facit Deos, qui de Deo fecit hominem.] Eadem habet S. Chrysostomus hom. 2. in Matth. ad illud, *Liber generationis IESV CHRISTI*. Collimat eodem S. Augustinus tract. 25. in Ioan. tractans illud Christi de seipso. *Hunc enim Pater signauit Deus*, quod sic glossat. [Iste & Filius hominis, & Filius Dei est. Iste homo etiam Deus est. Alio loco interrogans discipulos ait, *Quem dicunt esse homines filium hominis?* Et illi; *Alij Ioannem, alij Heliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis*. Et ille; *Vos verò quem me dicitis esse?* Respondit Petrus, *Tues Christus Filius Dei viui*, ille dixit se filium hominis, & Petrus eum dixit Filium Dei viui. Optimè ille commemorabat, quod misericorditer exhibuerat. Ille commemorabat, quod in claritate permanebat. Verbum Dei commendabat humilitatem suam, homo agnoscit claritatem Domini sui. Et reuera fratres, puto quia iustum est: humiliauit se propter nos, glorificemus illum nos. Non enim filius hominis propter se est, sed propter nos.

54. Attexenda insuper est Philonis Carpathij consideratio ad illud Cant. 7. *Comæ capitis tui, sicut purpura*. Vbi, immanis ingratitudinis reos agit, homines qui Deum hominem & filium hominis factum, vix meminerint; gratissimóque animi sensu non colliquescant, ea ex causa. Hæc enim ait præter cætera. [O incomparabilem vim amoris! ô summam bonitatem! ô infinitam sapientiam! Quid te mouit ad hominem creandum? Quid rursus ad eundem redimendum. Solus amor, quo cuncta ex nulla subiecta re creasti. Hæc quæso patumper animaduertite ingrati, hæc cogitate superbi, hæc meditemini auari. Videte carnales, an maior vlla vis amoris esse possit, quàm quæ Domini nostri Iesu Christi erga nos fuit, extátque quotidie, & durat æterna. Deus immortalis, æternus, immutabilis, omnipotens, creator omnium, ac rector, summa sapientia, cui cœlum sedes, & terra scabellum pedum eius, qui cuncta pugillo virtutis suæ continet, nullius egens, amore victus hominis, è cœlo descendit: vterum virginis ingressus, humanitatem nostram, imò suam (ipse enim nos fecit, non ipsi nos,) assumit, factus aliquando perfectus homo, idémque mortalis, qui semper increatus est, & immortalis; factus patibilis qui semper immutabilis, vt nos ab sempiterna morte redimeret, quam sua ipsius culpa primus ille parens omnium Adam, sibimet & cæteris de se nascituris infelicissimè intulerat. Nos tamen immemores, nos ingrati atque superbi, tot ac tanta támque immensa summi Dei beneficia, facilè obliuiscimur, atque negligimus. O miseri planéque calamitosi, quicumque Christianorum non hæc assiduè recordantur, eorúmque auctorem Deum ipsum optimum maximum, non sanctissimè colunt, ac prædicant.]

S. Chrysostomus, in ipsis q oque vocibus

denominantibus, magnam vim facit homil. in illud, *Astitit Regina.* [Nomina (inquit) diuina sunt, & humana. Accepit à me ipse Dominus, & dedit mihi. Dicit proinde. Da mihi tua, & accipe mea: meorum indigentiam habes, nullius ego rei sum indigus, sed tu. Substantia siquidem mea, incorrupta, nec vllo æuo labefactanda perseuerat. Tu autem homo es corpori consertus. Cuiusmodi sunt quæ à me accepit, quales item assimilationes? Ipse Deus cum sit, me etiam vocauit Deum: Illhic natura rei, hîc honore nominis. *Ego dixi Dij estis, & Filij excelsi omnes.* Verba quidem sunt hîc; illhic verò rerum natura. Vocauit me Deum; hoc enim me dignatus honore est. Vocatus est ipse homo, vocatus est idem filius hominis, via, ianua, petra. Hæc à me accepit. Quæ autem verba mihi dedit, illa à sua ipsius natura est mutuatus.]

55. Docemur verò insuper ex dictis, Christi humiliratem demississimam consectando, si quæ in nobis sunt eximia & splendida, præmere. Si enim Christus qui rapinam non arbitrabatur esse se æqualem Deo, de diuina tamen prosapia ferè tacebat; nec nisi rarò, hoc est cum necessitas boni nostri & honoris paterni ita ferebat, agere de ea audiebatur; vt quid nos eximia nostra, si quæ sunt, perpetuò iactare ac exponere non erubescimus? Socratem refert S. Cyrillus lib. 6. in Iulia. *à medio*, non cessasse de patre marmorario, & de matre sua obstetrice loqui; (vnde suffundantur necesse est, qui obscurum genus quibus possunt artibus celant alios;) non tamen ea humilitas, ad Christi humilitatem pertigit. Verè enim Socrates iis parentibus ortus erat. At Christus ignobilitatem generationis humanæ, illustrare in immensum poterat, prolatis diuinis natalibus, de quibus tamen sobriè admodùm, nec nisi adactus necessitate, locutus est. [His auditis abscondamur, quod ab eo tantum distamus quem imitari iubemur.] Verba sunt Chrysostomi per aliam occasionem hom. 80. in Ioannem, hîc maximè apta. Quantum enim est quod Christianorum plerique, non modò publica esse cupiunt vera decora queis potiuntur, quoad natales aliáque ex sensu carnis illustria, sed etiam ementitis titulis splendere studiosè nituntur supra verum? Et prouecta est ad fastigium vsque, iniquitas ea in parte: quandoquidem vt non semel deplorant Ascetici, ad eos quoque qui mundo in speciem calcato institutis perfectioribus adhæserunt, pertigit contagium, quibus iure illud occinas. *Argentum tuum versum est in scoriam.*

## CAPVT III.

### Christus, *Bonus, Bona, Bonum.*

56. CVm titulo *Magni Dei*, & cum titulo item *Hominis Dei*, nexus & complicatus est titulus *Boni.* Nam vt ipse Christus apud Marcum c. 10. dixit, *Nemo bonus nisi vnus Deus.* [Quod ideo Dominus dixit, (ait Facundus l. 6. c. 3.) vt admoneret illum, Deum se credere, si vellet eum verè bonum confiteri, quia tanquam cordis inspector, videbat ab eo se hominem tantummodò, non etiam Deum credi. Quamuis ergo videatur quibusdam Hæreticis, non intelligentibus, bonum se negasse; Catholicis tamen intelligentibus, Deum se insinuasse, magis apparet.] Eadem autor imperfecti operis in Matth. hom. 33. qui in hoc puncto est omninò Catholicus, & ab Arianis qui opus illud variis locis inquinarunt, planè auersus. Ait itaque de Christo agente cum Pharisæo, qui eum vocauerat Magistrum bonum, [Laudem sibi oblatam ab eo repulit, quia non quasi Deum, bonum; sed quasi hominem, bonum eum dicebat: quod non feciſſet, si ille quasi Deum bonum, bonum eum dixisset. Et verè quantum ad Iudæos, qui vnum Deum colebant, & Christum Dei Filium non agnoscebant, nemo erat bonus, nisi vnus Deus. Apud fideles autem, sicut vnus Deus Pater, est bonus; sic & vnigenitus Deus nihilominus bonus est. Puto autem, si dixisset ei; *Magister Sancte*, aut etiam *Iuste*, similiter respondisset; quid me dicis Sanctum aut Iustum? Nemo Sanctus, nisi vnus Deus, nemo Iustus nisi vnus Deus.]

Non modò autè Christus quâ Deus est, bonus est, sed etiam S. Augustinus l. 1. de Trinit. c. 15. fusè prosequitur, denominationem *boni* in Christum Deum & hominem, simpliciter non cadere: quia quamuis Christus in iudicio sit futurus bonus rectis corde, tamen à malis quoque videbitur, quibus bonus non erit. Solus Deus, omni ipsum videnti est bonus. Concinunt varij Patres, cum in disputationibus aduersùs Arianos, illud Christi responsum in eius diuinitatem impiè intorquentes; vt S. Hilar. l. de Patris & Filij vnitate, & l. 9. de Trinit. Epiphan. hær. 69. Nyssenus latè orat. 10. (imo 11.) in Eunom. Tum in caput 19. Matthæi, vel 18. Lucæ, aut 10. Marci, quibus illud Christi dictum refertur. Itaque tantum abest, vt quicquam Arianis in eo Christi responso seratur aut metatur, vt potius validissimè ex eo confutentur.

#### *Christi etiam quâ Dei hominis, bonitas explorata.*

57. Non est tamen præsentis instituti, Christum quâ Deus est, bonum monstrare. Idque præstare, hominis propè fuerit otio abutentis, si ad confirmationem, & non ad expressionem & suauitatem tantæ bonitatis referatur disputatio, in quam Arianorum inportunitas Patres plerumque abripit, vel renitentes. S. Ambrosius splendidè id exequitur l. 2. de fide c. 1. Stomachatus ipso capitis initio, in sacrilegam de verbi Dei bonitate disceptationem. Cadit autem huc perbellè, elegantissima apud eundem Ambrosium serm. 9. in Psal. 118. Dei, atque adeò diuini Verbi expressio, specie pulcherrimæ arboris, cuius fructus sunt Angeli, fructus item rationabiles homines; (quos ait esse sanctos; significans qui vitiis sordent, & vt irrationabilia animalia vitam exigunt, homines non esse, sed adopertas specie humana bestias, vt loquitur c. 1. allegato:) præterea eiusdem arboris fructus sunt, qui nascuntur in terra: fructus denique, virtutes hominum. Ex qua tam eximiorum fructuum enumeratione, concludit S. Ambros. secundum Euangelicam regulam, bonum esse Dominum, quia arbor bona bonos fructus facit,

cit, & ex bonis fructibus de arboris bonitate meritò pronunciatur. Legenda insuper perelegans disputatio S. Hilarij in Psal. 52. ad illud, *Non est qui faciat bonum.* Diuinum namque decus esse bonitatem, & Deum solum esse perfectè ac verè bonum, nos autem non nisi imperfectè, pereleganter tradit. In quam rem egregiè quoque disserit S. Augustinus Epistola 54. Non sustineo in hac disputatione longiores moras, quod *imaginem bonitatis diuinæ* quæ est Verbi nomenclatura Sapientiæ, expressam inquam, effigiem diuinæ bonitatis infinitæ, vt in calce illius primi capitis interpretatur S. Ambrosius, audire ab impiis expertem bonitatis, pollutio sit, & inquinatio audientium.

Quod præsens locus postulat, hoc exequamur. Christum siue Verbum in carne nostra spectemus. Eius bonitas, est explorata. Idque inficiari, omne flagitium superare, affirmat S. Epiphanius hæresi 69. quæ est Arianorum. Et velati stupore defixus exclamat. [Si qui tot bona nobis fecit, non bonus apud ipsos iudicatur, & quis adhuc flagitiosior hoc fuerit? Qui animã suam pro omnibus dedit, qui vltro nea mente ad patiendum venit, passionis exors Deus existens, qui peccata nobis condonauit, qui sanationes in omni Israël perfecit, qui ex bonitate sua tantùm, hominum genus in bonitate ad Patrem congregauit; qui bonitatis perfectus est, & pacis Dominus, qui supernè ex Patre bonum Verbum ex bono Patre genitus est, qui tralimentum omni carni, qui operatur in hominibus & omnibus ab ipso factis omnẽ bonitatem, non bonus apud ipsos iudicatur.] Nyssenus tem orat. 10. (imo 11.) in Eunom. [Quid enim ad improbitatem quis inuenerit acrius, quàm negare bonum esse eum, qui in forma Dei est, quique non est arbitratus rapinam, esse Deo æqualem? Sed qui ad humilitatem naturæ humanæ descenderit, idque pro sola sua in genus humanum beneuolentia hoc fecerit? Cuius causa (dic mihi,), hæc Domino redditis? Vtar enim Moseos ad Israëlitas voce. Non bonus, qui te cùm puluis inanimus esses, diuina forma exornatum, inanimatam imaginem suæ potentiæ erexit? Non bonus qui propter te, forma serui assumpta & pro gaudio præsente, tui peccati afflictiones, & cruciatus absterfit, & pro tua morte se pretium dedit, & pro nobis maledictum, siue execratio, & peccatum, factus est?]

### *Christus, absolutè* Bonus, *ex Iobo.*

38. Est igitur Christi bonitas extra controuersiam, tum quâ Dei tantùm, tum quâ hominis Dei, quæ est consideratio huius loci propria, in qua tantisper hærendum est, eo solido fundamento iacto, quod in diuinis codicibus quibus Spiritus sancti sensus reconduntur, Christus anonomasticè *bonus*, aut etiam *ipsum bonum*, appellatus habeatur non vno loco: iure sanè multo potiore, quam Antenor ille Cretensis, quem Ptolomæus Hephestion apud Photium Cod. 160. in libri quinti breuiculo scribit Πλατὼ appellatũ, quod Cretenses *bonum* nominent Πλατὼν: aut quàm Phocion, quem idem Cod. 245. licet durum, nomen *boni* adeptum refert. Scripturæ insignia loca, quibus Christus bonus est nominatus, appendo nonnulla partim ex veteri, partim ex nouo instrumento.

Perillustris est locus apud Iobum c. 9. quo sancti viri hæc querela continetur. *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt & non viderunt bonum.* Quis hic fuerit *cursor*; quæ celertima fuga dierum, quod bonum cuius visione per eam fugæ celeritatem priuari se queritur, accipe ex D. Gregor. interpretatione. [Cursoris officium est, secutura nuntiare. Omnes igitur electi, qui ante aduentum Redemptoris orti sunt, quia hunc aut audiendo tantummodò, aut etiam loquendo nuntiarunt, quidam quasi in mundo cursores fuerunt. Sed quia ante præstolatum Redemptoris tempus se subtrahi præuident, transire se cursore velociùs dolent; diésque suos esse breues ingemiscunt, quia vsque ad videndam Redemptoris lucem minimè tenduntur. Vnde aptè dicitur; *Fugerunt, & non viderunt bonum.* Omnia quæ creata sunt, bona sunt. Moyse attestante, qui ait, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Sed hoc solum bonum principaliter bonum est, per quod hæc omnia bona sunt, quæ bona non principaliter existũt, de quo bono veritas per Euangelium dicit; *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Quia igitur antiquorum Patrum priùs dies finiti sunt, quàm mundo Deus in carne monstraretur, rectè nunc de iisdem diebus dicitur; *Fugerunt, & non viderunt bonum*: ac si apertè diceretur; ante expectatum tempus elapsi sunt, qui ad Redemptoris præsentiam, peruenire nequiuerunt.]

39. En bonum quod Patres non viderunt, bonum absolutè & antonomasticè dictum, Christum Dominum. Eius nos boni fructum tenemus, eo fruimur; priscis verò ad illud saluare vtcunque præconceptum, & suspirare à longè; non autem eo frui cõcessum est. Odorem Christi venturi exceperunt aliquatenus, omni præterea vsu negato. Quæ causa est cur concinnè omninò S. Gregorius, eodem loco, aptet antiquis Patribus verba illa quæ ibidem sequuntur apud Iobum. *Pertransierunt quasi naues poma portantes*, quæ sic glossat. [Hi qui poma deferentes, maria transmeant, ipsi quidem fructuum odore perfruuntur, sed eorumdem fructuum aliis cibos ferunt. Quid igitur antiqui Patres, nisi naues poma portantes extiterunt? Qui diuinæ Incarnationis mysterium prophetantes, ipsi quidem spei odore positi sunt; sed nobis fructum de eiusdem spei perfectione detulerunt. Quod enim illi expectando odorati sunt, hoc nos cernendo & percipiendo satiamur. Vnde & Redemptor eisdem discipulis dicit; *Alij laborauerunt, & vos in labores eorũ introistis:* quorum videlicet dies comparantur nauibus, quia decurrunt. Et rectè poma portantibus; quia electos omnes quos ante Redemptoris præsentiam gestauerunt, per prophetiæ valuerunt spiritum expectatione refouere, non autem manifesta exhibitione reficere. Vel certè, quia naues cùm poma portant, hæc palęis admiscent, vt ad terras illæsa perducant, Patrum præcedentium dies, describuntur nauibus poma portantibus similes, quia antiquorum dicta, in eo quod mysteria spiritualis vitæ denunciant, per interfusam hæc historiæ stipulã seruant, & opertum nobis fructum spiritus deferunt, cùm carnalia loquuntur.] Quia tamen sic procul conspicari, nec nisi opertam prospicere tantæ fœlicitatis materiam, non est ea vel per contuitum frui; idcirco querebatur Iob conditionem suam, & fugam

fugam celerrimam dierum suorum, ob non visum bonum: vtique Christum quem suspirabat, vt & cæteri antiqui omnes: de quo luculenter Rupertus lib. 5. de process. Spiritus sancti cap. 7. & S. Chrysostomus in Psal. 13. ad illud, *Omnes declinauerunt.*

*Idem ex Apostolo Rom. 5.*

60. Est in eadem sententiam locus apud Apostolum Rom. 5. iuxta Origenis interpretationem in eius loci commentario corrigentis Marcionis expositionem quam tacito nomine refert. Ait Apostolus, *Vix pro iusto quis moritur: Nam pro bono, forsitan quis audeat mori.* Arius quidem referente S. Hieronymo q. 7. ad Algasiam, bonum pro quo quis audeat mori, interpretabatur Patrem: Iustum verò aiebat esse Christum; cui datum est omne iudicium. Pro Patre ergo, quem solum agnoscebat bonum, iuxta illud cui errorem suum inædificabat, *Nemo bonus nisi solus Deus*, mortuos esse plerosque affirmabat. Quomodò verò posset ad iustum, id est (vt ipse somniabat) ad Christum aptare quod vix pro eo quis appetierit mortem; hoc verò est quod S. Hieronymus negat percipi posse. Tam multæ enim Martyrum myriades pro Christo occubuerunt, vt nulla ratione effutire liceat, vix aliquem pro eo cecidisse. Magis consequenter blasphemauit Marcion, eodem referente Hieronymo. Nam bonum interpretatus Deum noui Testamenti, eiúsque Filium Christum; iustum verò affirmans esse Deum Testamenti veteris vltorem & seuerum, addebat vix pro iusto quemquam mortem excipere, quia perpauci fuerunt in veteri lege martyres: pro bono autem, id est, pro Christo, innumerabiles cecidisse. Quam expositionem planè dehonestat admista blasphemia. Neque refert tertiam S. Hieronymus, errore liberam, qua iustus pro quo vix quis moritur, sit lex Mosaica, bonum autem sit lex Christiana, quæ est ferè Marcionis expositio, sed errore expurgata. Quod verò ei obiicit S. Hieronymus, non posse iuxta eam valere quod dixit Apostolus, *Forsitan quis pro bono audeat mori*; cum non sit ambiguum, nec cum vacillatione proferendum, an aliqui pro Christo & lege Euangelica ausi sint mori; facilè depelleretur si res ferret, monstrando vsum particulæ *forsitan*, aut *fortè*; in Scripturis non semper ferre dubitationem vel rei minùs exploratæ incertitudinem, sed plerumque insinuare libertatis expeditionem ex qua res ita fiat vel subeatur, vt posset non fieri aut subiri. Per otium id tradit S. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 5. qui Ethnicos quoque eodem modo voce illa vsos demonstrat. Quia ergo Martyres voluntariè Deo sacrificant, facilè posset ea expositio à telo proposito indemnis præstari, nisi aliundè conuellatur. Eam verò quoad secundam partem quæ per *bonum pro quo quis audet mori*, Christum intelligit, ratam habet Origenes, circa solam priorem dissentiens. Mentem eius ex subiectis verbis prospicere licebit. [Edocemur nos, quod Christus non pro piis, sed pro impiis mortuus est. Impij namque eramus, antequam conuerteremur ad Deum: & Christus vtique mortem pro nobis antequàm crederemus, excepit: quod proculdubio non feciſſet, nisi nimiam erga nos habuisset, & abundantissimam charitatem; vel ipse Dominus noster Iesus Christus moriendo pro impiis, vel Deus Pater vnigenitum suum pro Impiorum redemptione tradendo. Cùm enim vix aliquis pro Iusto moriatur, & dubitet vnusquisque mortem subire, etiamsi mortis iusta sit causa, quantus est hic, & charitas eius erga nos quanta pensanda est, qui secundùm illud tempus quo passus est, pro impiis, & iniustis mortem perpeti non refugit? In quo vtique summæ illius diuinæ bonitatis indicium est. Nisi enim esset hic ex illa veniens substantia, & illius Patris Filius, de quo dictum est, *Quia nemo bonus, nisi vnus Deus Pater*, tantam vtique erga nos bonitatem non potuisset ostendere. Vnde quia ex hoc tantæ bonitatis indicio: ipse esse hic agnoscitur bonus, pro hoc bono forsitan quis audeat mori. Cum enim cognouerit vnusquisque tantam erga se bonitatem Christi, charitatémque eius habuerit in corde diffusam, non solùm mori pro hoc bono, sed & audacter mori desiderabit. Quod rebus ipsis & operibus sæpè videmus impleri; cum hi in quorum cordibus abundanter diffusa est charitas Christi, sponte etiam, & cum omni audacitate semetipsos persecutoribus offerunt, & nomen Christi audiente mundo coram Angelis, & hominibus confitentur; vt non solùm iniuriam pati pro nomine eius, sed & mortem pro hoc bono subire audeant: quod quamuis pro iusto, quis perfert? Est enim amor vitæ huius tantus, vt etiam cùm iusta causa mortis aduenerit, vix vnusquisque mortem patienter accipiat. Iusta autem causa mortis videtur, cum naturæ legi defertur, & quamuis iustum sit conditioni mortalitatis, vix tamen amplectitur animus naturæ legibus cedere. Vix ergo pro Iusto quis moritur. Nam pro bono audet quis mori, & audacter occumbit, præcipuè si intellexit, quia cùm adhuc secundùm tempus impij essemus & infirmi, ipse prior pro nobis mortuus est: & quomodò non qui hæc sibi ab illo præstita priùs esse cognoscit, mortem quam ille malis impendit, huic bono reddet?] Non præsto, hanc interpretationem menti Apostoli & cohærentiæ contextus respondere, quam qui cupiet habet à quo eam petat S. Hieronymum q. illa 7. Tantum itaque refero, quid planè piè Origenes de Christo in Scripturis bono antonomasticè, sit commentatus.

*Rursus ad idem Apostolus Rom. 10. vetani Christum*, Bona.

61. Alius locus quem in eandem rem subiicio, potest & veteris & noui Testamenti censeri, cum extet apud Isaiam c. 52. allegetur autem ab Apostolo c. 10. ad Rom. *Quam pulchri super montes* (ait Isaias,) *pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum prædicantis salutem, dicentis Sion, regnabit Deus tuus!* Apostolus interpretes 70. secutus, in plurali numero extulit hoc modo. *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona:* & de Apostolis exponit, quorum speciosi pedes, id est, amabilis aduentus, & tempestiua (vt alij ex Græco verterunt) prædicatio euangelizauit pacem Deum inter & homines, euangelizauit item bonum seu bona. Cætera circa eum locum, alteri considerationi permittamus. Nunc quid illud sit *bonum*, aut multitudinis numero *bona*, veltige

vestigemus. Origenes l. 8. commentar. in epist. ad Rom. Sic hoc exponit. [Vnum est verum bonum Deus, cuius imago bonitatis, est filius, & Spiritus eius, qui dicitur bonus. Istud ergo vnum bonum, quia in Deo Patre & Filio & Spiritu sancto est, *bona* nominauit: Hoc est enim quod annunciant Euangelistæ, secundùm præceptum Domini & Saluatoris nostri, dicentis; *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Hæc sunt ergo euangelizantium bona.] Appatet non nihil obtortum esse interpretationem. Neque enim simpliciter & absolutè loquendo, tres personæ Augustissimæ Triadis, bona plura dici possūt: esto cum additamento, quo fiat restrictio bonitatis ad personas quâ tales, enunciari de eis possit multiplex bonitas, siue perfectio, nempè relatiua, vt latè versat Suares l. 3. de Trinit. c. 9. & 10. Apostolus autem sine determinatione vlla, ait Euangelizari per Apostolos bona.

62. Quare commodior est aliâ eiusdem Originis interpretatio, quam eidem loco Isaiæ adhibet præfatione in Ioan. verbis illis. [Itaque bona euangelizans illi, quorum pedes sunt pulchri; bona inquam, scilicet Iesum. Nec miretur quispiam, si nemine *bonorum*, numero multitudinis, exposuimus annuntiari Iesum ab euangelizantibus. Expositis enim rebus nomina habentibus, quibus Dei Filius nuncupatur, sciemus quomodò multa bona sit Iesus, quem annunciant ij quorum speciosi sunt pedes. Vita, bonum est vnum; at Iesus est vita. Bonum alterum lux est mundi, lux vera, lux hominum. At hæc omnia dicitur esse filius Dei. Ad hæc præterquàm quod vitæ & lux est, aliud etiam est bonum, iuxta considerationes nostras, veritas scilicet. Rursus est aliud bonum, quod est quartum bonum, nempe via, quæ ad hæc bona nos conducat. Hæc autem omnia Seruator seipsum esse docet, dicens; *Ego sum via veritas, & vita.* Quomodò autem non bonum est resurgere hominem excusso pulvere, & mortalitate, hócque à Domino assequi in quantum ipse Iesus est resurrectio? qui etiam, (inquit.) *Ego sum resurrectio.* Quin & ostium etiam, per quod ad summam beatitudinem quis ingreditur, est bonum. At Christus, inquit, *ego sum ostium.* Quid verò opus est verba facere de sapientia, quam condidit Deus in initio viarum suarum in operibus, qua ad gaudebat Pater ipsius, oblectatus in multifaria ipsius pulchritudine intelligibili, quæ solis intellectualibus oculis cernitur, quæque considerantem diuinam pulchritudinem, ad amorem cælestem inuitat? Bonum enim est Sapientia Dei. At hoc quoque præter ea quæ suprà recensuimus, ij annuntiant, quorum pedes sunt pulchri. Potentia Dei præterea octauum nobis bonum annumeratur, qui est Christus. Verùm enim verò, haud silentio prætereundum est illud Verbum, quod cum Patre vniuersorum est Deus. Namque & hoc bonum nullo alio bono est inferius. Itaque beati, qui admiserint hæc bona, quique perceperint ea, ab iis qui pedes habent pulchros, atque qui euangelizant.]

Est mox. [Quis autem ambigat, an id, quod per se Iustitia est, quódque per se sanctificatio, atque per se perfecta redemptio est, sit bonum? Quæ etiam ipsa, Iesum euangelizantes, euangelizant; dicentes eum fuisse factum nobis Iustitiam à Deo, & sanctificationem, & redemptionem. Quæ autem scripta sunt ab his de ipso, vix numerari poterunt, docentia nos subtiliter considerare, ex iis bonis quæ difficulter numerantur, quæque scripta sunt, quomodò multitudo bonorum sit Iesus, quæ in ipso quidem sunt, in quem beneplacitum fuit omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter habitare, haud tamen à literis continetur. Quid dico à literis? quando & de toto mundo dicat Ioannes; *Nec ipse opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur libros.* Dicere ergo Apostolos euangelizare Seruatorem, perinde est, ac si diceremus eos euangelizare bona omnia. Quamobrem hic est ille qui à bono patre accepit, vt esset tot bona: vt vnusquisque eo quod capit, vel iis quæ capit, eum per Iesum ea perceperit, fruatur bonis.]

Astipulatur planè S. Ambrosius epistola ad Irenæum. Præfatus enim multa de vero bono, subdit. [Quid euangelizant nobis, nisi Dominum Iesum? hic est pax nostra, hic est bonum illud summum, quia ipse bonus ex bono: Ex arbore enim bona bonus fructus legitur. Denique & spiritus eius bonus, qui ex ipso accipit, & deducit Dei seruulos in viam rectam. Quis autem habens Spiritum Dei in se, neget bonum, cum ipse dicat; *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Hoc bonum veniat in animam nostram, in nostræ mentis viscera, quod propitius Deus dat petentibus se. Hic est thesaurus noster, hic est vita nostra, hic est sapientia nostra, Iustitia nostra, pastor noster, & pastor bonus, hic est via nostra. Vides quanta bona in vno bono? Hæc bona nobis prædicant Euangelistæ. Hæc bona requirens Dauid, ait; *Quis ostendit nobis bona?* Et ostendit ipsum esse, *bona*, subiiciens, *signatum est in nobis lumen vultus tui.* Quis autem lumen vultus Patris, nisi splendor gloriæ, & imago inuisibilis Dei, in quo & videtur & clarificatur Pater, sicut ipse clarificat Filium suum? Ipse est ergo Dominus Iesus summum bonum quod nobis annunciatum à Prophetis, prædicatum ab Angelis, promissum à Patre, euangelizatum est ab Apostolis: qui nobis tanquam maturitas aduenit. Nec solùm tamquam maturitas, sed tanquam maturitas in montibus adest, vt nihil acerbum, nihil immaturum in nostris consiliis sit, nihil immite, nihil asperum in operibus ac moribus; qui primus euangelizans bona affuit. Vnde & ait: *Ipse qui loquebar, ad sum*; id est, qui loquebar in Prophetis, adsum in corpore, quod suscepi ex Virgine, adsum interior imago Dei, character, substantiæ, & adsum vt homo, sed quis cognoscit me? hominem enim viderunt, sed operibus supra hominem crediderunt. An non vt homo, cùm Lazarum fleret, & rursus suprà hominem, cùm eum resuscitaret? An non vt homo, cùm vapularet, rursus supra hominem, cum totius mundi peccatum tolleret? Ad illum igitur pro-

peremus, in quo summum est bonum.]

Quæ de maturitate in montibus, & Christo ipso primo euangelizante, tradidit Ambrosius, respiciunt locum Isaiæ, & variam eius lectionem de qua inferius cum de Christo noua creatura. Nunc satis esto, quod agnoscat apertissimè S. Ambrosius, bona quæ à Christo primùm annunciata, ab Apostolis iuxta Isaiæ vaticinium docebat S.Paulus, esse ipsummet Christum, quem agnoscit nomine *boni* antonomasticè dicti expressum, etiamsi ob immensam quoque bonorum syluam quam subministrat, appelletur quoque multitudinis numero *bona*.

*Christus, ex Sapientè ac Mose omne bonũ.*

64. Iuxta Sapientem Prouerbiorum XI. dici potest, *omne bonum*. Ait enim, *desiderium iustorum*, (quod vtique Christus semper fuit ab omni æuo, vt propterea dictus sit desiderium collium æternarum, *esse omne bonum*. Et sanè de summo bono, quale vt proximè ex Ambrosio audiuimus Christus est, verissimè dicitur omne in eo bonum cerni, vt confirmat Aristoteles initio moralium, Eudem. & 1. Ethic.c.8. reprehendens eum qui templi Delphici faciem tali epigraphè inscripserat, qua negaret cerni vspiam bona omnia. Hoc Aristoteles, vbilibet aliàs agnoscit verum: respicit autem quoad summum bonum, in quo omnia bonorum genera aggregari profitetur; (honestum, scilicet iucundum, ac vtile,) quod *boni* nomine denotatur. Nam cætera quidem quæ dicuntur bona, cum sint potentialia si vno bonitatis genere exornentur, destituuntur altero, v.g. Virtus bonum est honestissimum, sed insuaue, & amaritudinibus infossum. Diuitiæ sunt bona vtilia, & χρήματα, vt plerumque inhonesta; semper certè acerba, & infinitis obsepta spinis; cum vt acquirantur; propterea enim *res parta*, dicuntur, tanquam connixu patientum angores referentè comparatæ, iuxta S. Augustinum 9. Trinit. c.9. Tum etiam vt seruentur, ne vel eas fur abstrahat, vel situs corrumpat. Tandem voluptates, suauitate aliqua ablandiuntur fruenti: Sed ea suauitatis stilla, immensam habet insuauitatis adiunctionem vt non iniuria dixerit Encolpius apud Petronium in satyr. [Apes ideo pungunt, quia vbicunque dulce est, ibi & acidum inuenies.] Et Apul.4. florid. [Verum verbum est profectò quod aiunt; coniugatio vbique est mellis & fellis: vbi vber, ibi tuber.] Hæc cum ita se habeant circa bona quæuis creata, fœlicitatem tamen omni bonorum genere, honesto, iucundo, vtili, pacificè cohabitantibus redundare, profitetur Aristoteles; redarguens circa hoc eum quem dixi Delphicæ epigraphes Autorem: redarguendus & ipse, quatenus agnoscit in summo bono quale ibi profitebantur, rationem boni vtilis, cum nihil sit à ratione summi boni, magis alienum relatione ad aliquid vlterius, quæ est bono vtili planè intima. Qui tamen nævus Aristotelicæ doctrinæ, in summo bono quod S.Ambrosius ex Apostolo & Isaia ostentabat, locum non habet. Quia enim in Christo & Deitas & humanitas consociantur, penes vtramque & bonum honestum esset iucundum; peculiariter autem ratione humanitatis habet rationem boni summè vtilis, ac medij exquisitissimi, seu veræ viæ ad veritatem & vitam. Itaque de Christo illud accipere licet, *desiderium iustorum, omne bonum*.

65. Et deprehendo ita planè accepisse Cyrillum Hierosolimit. Catech. 10. quod Exodi 33. roganti Mosi, *ostende mihi gloriam tuam*; respondit Deus, *ego ostendam omne bonum tibi*. Hoc est, *Christum meum*. Idque S.Cyrillus eruit ex his quæ statim subduntur. Addit enim Dominus: *non potes videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet*. Hinc Verbi diuini humanitatem meritò fuisse decretam, agnoscit S.Cyrillus, dicens. [Propterea sanè cum Deitatis personam nemo viuus potuit videre, humanitatis personam recepit, vt videntes viuamus.] Eodem quoque aptat sequentia verba textus. *Ecce est locus apud me & stabis supra petram, cumque transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam tollámque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris*. In his omnibus insinuatum Christum, atque adeò ipsum esse illud, *omne bonum* quod ibidem Deus Mosi pollicetur, censet S.Cyrillus.

Quanquam quod locationem Mosis in foramine ad videnda Dei posteriora refert ad angustias hic nostras, quibus Deum per exiguum dũtaxat foramen conspicimus, aptiùs in rem nostram accipitur à variis Patribus vt à Gregorio Nysseno, l.de vita Mosis, vbi cum præmisisset de textu proposito varia quæsita: Quid ille lapis; quæ illa capacitas in lapide, quæ illa manus Dei quæ os lapidei foraminis retinet, transitus verò Dei quis sit, aut quid posterius eius quod Moyses videre permittitur? his inquam præmissis, respondet post aliqua. [Quoniam Christus lapis est, vt Paulo placet, omnem autem bonorum spem in Christo firmiter esse credimus; qui bonum aliquod adeptus est, is in Christo est, qui omne bonum continet: Qui verò ad Christum peruenit, & à manu Dei tectus est, manus autem Dei, quid aliud esse potest quàm creatrix rerum virtus? Ipse vnigenitus Deus, per quem omnia facta sunt, qui & currentibus locus est, & via, vt ipse dicit, & lapis confirmatorum, & domus quiescentium qui ad hunc, inquam, peruenit; Is audiet vocantem, is in posterioribus vocantis constituetur.] Si videlicet Christum præeuntem sequatur, & imitatione exprimat, quod ibidem pluribus exponit Nyssenus, & benè etiam hom.12.in Cant.

66. Fusè quoque & diligenter locum illum Exodi, vniuersum de Christo exponit S.Augustinus q.154. in Exodum & Hesychius l.5. in Leuit. c.16. qui omne bonum Moysi ostendendum negata visione faciei planè refert ad ostensionem Incarnationis siue posteriorum Domini, quæ Mosi sunt præmonstrata. Hesychij locus est luculentus, ex

ex quo partem exhibeo. [Quid Dei possit videri, ipse apertè subdidit, dicens; *Ecce est locus apud me, stabis super petram*, id est Ecclesiam, & confessionem quæ in eo est, cum fide, dicens: *quúmque transibit gloria mea, significans* Christi ad homines transitum: *& ponam te in foramine petræ*, id est, in lege; sicut per foramen angustum, ad confessionem Christi, & fidem, per eam transimus, vnde & pædagogus noster ad Christum, lex esse, per Paulum dicitur. *Et ponam super te manum meam*, signis videlicet, & miraculis, quæ cum eis faciebat, *donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea.* Quando ergo à populo Iudaico, in cuius nunc figuram, vtpotè principem populi Moysem accepit, protectricem Deus abstulit manum, & sua eum virtute nudauit, in tantum vt Romanis tributa præstarent, & sub leges eorum & principes degerent, tunc viderunt posteriora Dei, id est, Dei Incarnationem: *posteriora autem eius*, quia videlicet in vltimis est temporibus incarnatus. *Faciem autem non videbitis*, ait, substantiam videlicet diuinitatis.]

Nec alia iam olim mens Origeni. Homilia enim 12. in Ierem. tractans cauernas petrarum de quibus Ieremias c.16. sic scribit. Vnde possum intelligere petras? Vnde cauernas petrarum? Venio ad Exodum, quæro aliquam interpretationis occasionem, ibique inuenio volentem Moysem videre Dominum, & Dominum eidem promittentem, atque dicentem; *Ecce pono te in cauerna petræ, & conspicies posteriora mea, faciem autem meam non videbis.* Si consideres, quid ibi petra dicatur, & foramen petræ, intelligis & cæteras petras, & petrarum foramina. Quæ igitur est petra? Dominus Iesus Christus. *Bibebant enim de spiritali sequente eos petra: & super petram statuit pedes meos*, in trigesimo nono Psalmo dicitur. Quod est foramen petræ? Vide eum apud Deum Patrem Verbum Deum; videbis integram petram. Vide dispensationem assumpti corporis, videbis foramen petræ, quod per posteriora Dei, iuxta possibilitatem imbecillitatis suæ, humanus intuetur aspectus: hoc enim est, quod ait; *videbis posteriora mea.*

Damascenus item, sub initium orationis de Transfig. [Hodie veteris testamenti auspex ac diuinus legislator Moses, in monte Thabor legislatori Christo, seruilem in modum, tanquam hero astat, atque humanitatis ab eo assumptæ cognitione illustratur, quam typicè duntaxat olim edoctus fuerat. Hoc enim per Dei posteriora significari diximus ac iam deitatis gloriam liquidò perspicit, sub petræ foramine coopertus, quæ quidem petra Christus est incarnatus Deus, qui carnis suæ tanquam perexiguam quandam rimam, strictim aperuit, immensóque lumine, atque omne oculorum robur superante, astantium oculos perstrinxit.]

S. Bernardus hom.16. in Cant. posteriora ista, & foramen petræ, ad passionem Christi restrinxit. Similitérque ad totam quidem Christi in carne vitam, sed maximè ratione passionis, posteriora illa & transitum accommodat, Petrus Venerab. serm. de Transfig. Dom. tractans Mosis in ea apparitionem. Pulchrè Gilleb. c.10. altercat. *in fine.* [*Est locus*, (inquit) *penes me, & ponam te in foramine petræ.* Locus Ecclesia est, petra Christus; foramina, vulnera Christi; Moses synagogæ figura. Quæ synagoga Christi transeuntis videt posteriora; quia Christo ascendente, fidem humanitatis, & passionis eius accepit, quæ præsentem non vidit.] Hoc nobis perinde est, quia semper habemus de huius Doctoris sententia, Christum *dici omne bonum*, saltem in aliquo suo statu. En igitur omne bonum quod Mosi obiiciendum promissum est, Christus Dominus.

Satis itaque ab auctoritate monstratum est, Christo nomen *boni* omnino conuenire. Nam non placet insistere aliis præterea locis è Scripturis, quibus hoc insinuatum videri possit. Eiusmodi quod est Thomas Cantipr. l.2. Apum c.29. n.10. vestigans quid in salutatione Angelica magis Deiparæ arrideat, concludit esse eam partem qua fructus ventris eius dicitur *benedictus*: id est vt ipse quidem glossat, *bonus dictus*, quippequi sit bonus simpliciter, & essentialiter bonus. Laudanda in Deiparam pietas, non approbanda notatio. Quare ea supersedens ad suffragium rationis progredior.

*Rationes boni respectiui, in Christo dimissæ.*

68. Pateret amplissimus ad excurrendum campus, si rationes omnes boni in Christo conspicuas, prosequi oratione, consilium esset. Sed quod hoc loco ea duntaxat Christi attributa cõsideranda susceperim, quæ ipsum in se Christum spectant de bono iucundo & vtili quæ spectant alios, illud duntaxat hoc loco addam ad ea quæ in totius operis vestibulo prolocutus sum; hæc bona eminentissimè in Christo reperiri: idque indicate quod sæpè tradunt Patres, Christum omnia nobis esse, & quæcunque in humanis suauia vel vtilia habentur, in eum maximè & ab imperfectionibus quibus hîc sordent desœcata concurrere. [Omnia habemus in Christo,] ait S. Ambrosius l.3. de virgin. [Omnis anima accedat ad eum, siue corporalibus ægra peccatis, siue clauis quibusdam sæcularis cupiditatis infixa, siue imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, siue multis aliqua sit iam perfecta virtutibus, omnis in Domini potestate est, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est. *Gustate igitur, & videte, quoniam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.*

Cyrillus Hierosol. Catech. 10. *sub initium*, non dissimiliter. [Vnicuique varius sit saluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione & lætitia, illis sit vinea: qui opus habent vt ingrediantur, his constituitur ostium: & qui cuperent offerre orationes, illis sit mediator, summúsque Sacerdos. Rursus habentibus peccata, sit ouis, vt pro ipsis mactetur, & omnibus sit omnia, ipse idem natu-

turâ permanens, qui est. Manens enim idem, & verè immutabilem filij dignitatem habens, tanquam optimus medicus, & doctor compatiens, accommodat se ad infirmitates nostras: S. denique Chrysost. hom. 24. in ad Rom. ad illud *induimini Iesum Christum*, concurrere in Cristum omnes titulos iucunditatis & vtilitatis demonstrat, ostendens Christum omnia nobis fieri, siue interna, siue externa respicias. Locum dabo infra sectione 5. *initio*.

*Sistitur in bono absoluto, ratione cuius Christus, bonum, & omne bonum.*

69. His ita generatim libatis, quoad bonum iucundum & vtile; quod non consentiant præsenti instituto, quo Christi in se spectati & non ad alios comparati attributa prosequimur, de bono honesto dicendum plenè hoc loco esset, nisi iam ea tractatio esset in superioribus expedita. Bonum siquidem honestum, extra mores & transcendentaliter sumptum, vt nunc sumimus, nihil aliud est quàm rei in se constitutio, & dispositio conueniens, siue perfectio rei consentanea, iuxta illud D. Augustini lib. 3. de lib. arbitr. cap. 15. [quicquid est sicut esse debet, bonum est.] Et hoc modo, quicquid est, bonum esse, ferunt illa Phœbadij lib. contra Arian. [non potest quid esse, quod non sit. Non erit autem, si illi defuerit quod esse debebit.] Quia igitur de Christi esse & essentiali perfectione plenè superiùs est actum lib. 2. de aduentitiis autem perfectionibus internæ perfectioni superadditis per naturæ & gratiæ concursum, diffusè disputatum est toto lib. 4. vbi & substantiæ & facultatum omnium naturales ac supernaturales perfectiones plenè sunt expositæ, liberamur in præsentia hoc labore. Obiter tantùm addam, omnem hîc huiusmodi præ Christo bonitatem nostram absolutam, siue perfectionem, esse imperfectionem; meritóque censuisse S. Optatum superiori capite adductum, omnes nos semiperfectos, Christum solum, verum bonum, verè perfectum habendum esse. Id quod S. Hieronymus cap. 1. contra Pelag. scitè eruit ex verbis Apostoli Philipp. 3. quo primùm se inter non perfectos recensuit, verbis illis, *non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si quo modo comprehendam*: Mox se perfectis annumerat, dicens, *quotquot ergo perfecti sumus, idem sapiamus*. Quam apparenter intra paucas lineas Apostoli cum seipso pugnam, S. Hieronymus ita tollit, vt perfectionem propriè acceptam soli Deo in se, non carne amicto, aptandam dicat: cæterorum autem omnium perfectionem, quam sibi quoque Apostolus vindicabat, imperfectam esse, & perfectionis nomine indignam, profiteatur. Nam vt ait, [cunctorum in carne iustorum, imperfecta perfectio est.]

Hoc ipsum est quod Origenes hom. 2. in Cant. ex eiusdem Hieronymi interpretatione aliis verbis de Christo dixit, tractans illud Cant. 3. *sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*, quod sic glossat. [Omnia ligna, omnes arbores, ad comparationem Verbi Dei, syluæ inferaces existimantur. Ad Christum saltus est, omne quod dixeris, & infructuosa sunt omnia, quæ enim possunt dici ad eum comparata, fructifera? etiam ligna, quæ videbantur fructibus incuruari, ad collationem aduentus eius, infructuosa monstrata sunt. Ideò vt malum in lignis syluæ, ita fratruelis meus in medio filiorum.] Nimirum omnis perfectio Sanctorum, & quicquid eis inest frugiferum, tot admistis defectibus & adnatis syluestribus geminibus scatet, vt nomen perfectionis non sustineat. In solo Christo, omnia bona & frugifera; nihil syluestre & reprobandum.

70. Possumus sanè ex hac Christi bonitate adeò exquisita & cumulata, & (vt sic dicam,) tam perfecta perfectione, tribuere Christo ea nomina quibus Deus insigniebatur à Platonicis apud Alcionum in Breuiario cap. 9. Deus enim iuxta eos dicitur αὐτοτελὴς παντελὴς, ἀειτελὴς. *A seipso perfectus* dicitur Deus, & vt Paschasius l. de Spiritu Sancto scitè dixit, *fons fluminis sui*. Hoc ad Christum rectè accommodatur, quatenus etiamsi à Patre accepit omnia quæ habet vt homo, tamen nulli extra se causæ meritoriæ debet eximia illa dona quæ consecutus est. Omnes quidem mortales ex Christi meritis habent quæcunque habent gratiæ munera, siue magna siue modica. Solus Christus, sine medio, & nemine interposito qui ipsi aliquid promeretur, omnia quæ habet accepit. Quis enim quicquam mereatur, cum nemo mereatur nisi ex eo ac per eum? Dicitur item Deus παντελὴς siue *omni perfectus*, quia iuxta Tertullianum cap. 11. Apolog. [imperfectum non potuit esse, quod perfecit omnia] & hoc quoque rectè in Christum cadit, qui cum sit omnium perfectionum ad alios dimanantium fons & origo, nulla potest perfectione destitui, ne elargiatur quod non habet. Et hoc est quod de micantibus Plecadibus in vno coniunctis, dictum est à Iobo, interprete D. Gregorio lib. 29. moral. cap. 3. qui eodem aptat illud Zachariæ 3. & 4. *super lapidem vnum septem oculi sunt*, & *in candelabro aureo lucernæ septem*. Autor lib. de oper. Christi card. serm. de Nauit. ait defixos in Christum infantem Ioseph & cæterorum (si qui fortè aderant) oculos fuisse, quod in eo summo bono omnium bonorum vnita collectio videretur; nec opus esset euagari & mendicare per partes, quod simul in se vno fidelibus omnipotens infantia præsentabat. Tandem dicitur Deus *semper perfectus*, quia nihil ei noui accedere potest perfectionis, nihil decedere. Iridem Christus, omnem sanctitatem & gratiam qua collucet, habuit ab initio, & semper retinuit, sempérque retinebit.

71. Hæc est igitur bonitas Christi absoluta, siue perfectio, ratione cuius Christus Dominus in seipso, bonus & optimus est, vel etiam vt pleraſque scripturas ferre videmus, *ipsum bonum*. Et addi possent illa Zachariæ 9. de Christo: *quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines*? Sed ea nunc dimitto, quod ad Christum Sacramentalibus

libus speciebus oblectum pertineant, & potiùs referri videantur ad bonitatem Christi respectiuam, quæ in Sacramento tanta est, vt nihil nobis præterea sit bonum. Quo pacto S. Augustinus 17. ciuit. cap. 20. interpretatur illud Ecclesiastis 5. *non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet* Et quanquam Christus quandiù hîc peregrinamur bonus nobis & optimus est, cum in Eucharistiæ Sacramento, tum aliis innumeris modis: tamen maximè apparebit bonus suis in mundi clausula, cum amandatis ad æterna supplicia reprobis, fasciculo viuentium se ostentabit verè pium, verè bonum. Neque verò auersatum esse Christum laudem bonitatis, cum interrogauit, *cur me dicis bonum*, constat ex dictis huius capitis initio. Optimè autem illud Christi responsum exposuit S. Hieronymus ad calcem Psal. 142. [In Euangelio (inquit) ita habetur. *Et accedens vnus de scribis, tentans eum ait, magister bone*; Et ait, *quid me dicis bonum*, & non confiteris? sicut si aliquis tentans Episcopum suum quem contemnit, dicat ille: *Episcope*; Et ille respondet: Tibi non sum Episcopus, recede à me. Alibi autem non legistis; *Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis.* Quid autem melius filio, qui carnem induit propter nos & passus est, & descendens de sua maiestate nouem menses in vtero virginis in sanguine fuit, in cunabulis fuit, passus est per momenta crescere, & verberari, & colaphizari, & crucifigi. Quid hoc melius? Verum bonitatem Christi respectiuam, plenè ac fusè infrà prosequimur, sigillatim expensis variis titulis eam ferentibus, quos appendemus tota, sect. 4. & 5.

### *Vsus Doctrinæ.*

75. Vsus Doctrinæ de Christo bono, & absolutè & respectiuè, is esse debet quem collegit S. Bernar. serm. de quadrupl. debito, nimirum admirari & suspicere Christi erga nos bonitatem, nósque ei planè impares agnoscere, ac humillimè profiteri, quod tam pretiosus támque perfectus cum esset, nobis tamen & nostro bono sit impensus. Mellificium Christianæ illius apis, in hanc rem, est huiusmodi. [Christo IESV debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit, pro vita tua, & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirum, vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (vt dicitur) vsque ad cubitos in limo profundi? Quid non suaue tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis, primùm quidem illarum infantilium necessitatum; deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremò periculorum in falsis fratribus, conuitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horúmque similium, quæ in salutem nostri generis, triginta & tribus annis operatus, & passus est in medio terræ? O quam indebita miseratio, quàm gratuita, & sic probata dilectio? quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm inuicta mansuetudo, Regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imò vermiculo crucifigi? Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile? Vix enim pro iusto quis moritur; ipse pro iniustis & inimicis mortuus est, eligens exulare à cœlis, vt nos reportaret ad cœlos. Amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, & labores omnium hominum, qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt, nihil esset, ad comparationem corporis illius quod spectabile & stupendum est, virtutibus etiam supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscationibus miraculorum, in reuelationibus sacramentorum? Vides igitur, quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltata est vita illa à vita nostra, quæ tamen posita est pro vita nostra, sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vita nostra, nullam habet ad vitam illius proportionem; cùm illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec me putes rem exaggerare sermonibus, quia hîc deficit omnis lingua, nec sufficit oculus vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Cùm ergo ei donauero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam; vel potiùs vnum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius qui tantus, tantillum, tantis beneficiis præuenit? qui toto se, totum me comparauit? Alioquin si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia, vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, & audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum quod custodit Israël, & illius sanguinis non guttas, sed vndas à quinque partibus corporis in meum pretium detorquere? ]

Non erit inutile hanc Christi denominationem illustrare, institutis eius comparatione cum iis qui inter mortales dicti quandoque sunt cognomento, *Boni*. Philippus Dux Burgundiæ, cognominatus est Bonus; nec abs re, præ naturæ ac genij facilitate in tanto Principe planè singulari, cuius varios effectus exhibent qui res Burgundicas & Belgicas mandauere literis: Guillelmi Siciliæ Regis sepulchro adscriptum est. *Hic iacet Bonus Rex Guillelmus.* Ioannes de mente mirabili, Gallicè *Montmiral*, cum in aula Philippi Augusti Francorum Regis degeret, Regi in paucis charus, & illustrissimi sanguinis claritate & virtutibus supra omnes aulicos micans, verè iam Monachus sub paludamen-

to, vt Hieronymus de Nebridio loquitur; à Rege ipso Philippo, denominatus est, *Ioannes Bonitas*, vt ex antiquis vitæ eius Actis refertur. in recensita nuper eius historia, l. 1. c. 6. Cuius tituli fundamentum cumulauit, cum abiecto culmine natalium, & dignitatum ac opum queis in sæculo potiebatur, Cisterciensibus se adiunxit, vbi virtutibus heroicis & miraculis mox à felici obitu clarissimus, vitam conclusit. Existimatim huius Sancti viri memorem, virum Religiosissimum & doctissimum familiæ vniuersæ S. Bernardi strictioris instituti, semel & iterum Moderatorem Generalem, dici in Religioso ordine voluisse *Ioannem Bona*, haud vano nomine. Et hi igitur, & alij nonnulli, cognominati sunt *boni*. Sed quid vniuersa cuiuscunque mortalium bonitas, si cum Christi bonitate componatur? Hæc Christi bonitas ad illorum bonitatem comparata, inuenietur prior. Tantumne? Imo ne apparebunt quidem boni præ Christo, qui simpliciter spectati audierunt boni. Optimè quoque faciet, qui recognoscet, quorsum antiqui Patres tantoperè in Christum ferrentur votis; itavt S. Epiphanius infra referendus, vocet Christum *votum mundi*. An æquum fuerit, tepentioribus nos studiis ferri in Christum iam natum, quàm veteres illi ferrentur in Christū futurum? S. Bernardus serm. 2. in Cant. nostrum hac in parte stuporem castigat, & benè quoque S. Gregorius hom. 13. in Ezech. circa illud psalmi 69. *anima mea exultabit in Domino*.

## CAPVT IV.

### *Christus verè Christus, seu Messias.*

73 EXPOSITO proximè titulo *boni*, geminus est titulus *Christi*. Nā iuxta S Hieronymū epistola 135. quæ est ad Suniam & Fretellam circa psalmum 105. idem sonat χρηστὸς quod *bonus*. Obiicientibus enim non fuisse eam interpretationem legitimam qua dictum erat, *confitemini Domino quoniam bonus*, cum in Græco esset ὅτι χρηστός, id est *quoniam suauis*; respondet S. Hieronymus. [ Sciendum est quod χρηστὸς inutile, & in bonum, & suaue verti potest. Denique & in Hebraico scriptum est, *chitob*, quod omnes vocesimili transtulerunt ὅτι χρηστὸς, id est *quia bonus*. Ex quo perspicuum est quod χρηστὸς *bonus* intelligatur. ] Idem in caput 5. ad Galatas, χρηστότητα ait Latinè sonare *benignitatem* siue *suauitatem*: vt proinde idem sit χρηστὸς, quod *benignus* atque *suauis*, ac nominatim *eloquio blandus*. Vnde iocus militum vocantium Pertinacem Imperatorem *Christologum*, quod verbis magis quàm reipsa benignus esset: id quod concinnè Aurelius Victor expressit, dicens, blandum magis quàm benignum fuisse. Inde etiam Ausonij in fratres ἀκόνδυλον & χρηστὸν, falsum & amarulentum epigramma, (est numero 39.) quorum primo, alpha nominis initiale præcidi, & fratris nomini addi, vt esset ἀχρηστὸν, alter verò χόνδυλον mandat.

### *Christus, aliud quàm Græcum* χρηστὸς.

74. Vides cur dixerim, si Græcæ vocis solum sonum spectemus, idem fuisse titulum *Christi*, cum titulo *boni*. Reipsa tamen *Christi* appellatio latina, non est eiusdem significationis, cuius vox Græca χρηστὸς. Et idcirco quia Græcè scriptum per (η) Christi nomen, latinè *Chrestos* efferebant prisci Gentiles, vt est apud Suetonium in Claudio, iure Tertullianus cap. 3. Apolog. opponit, eos ne de nomine quidem Christianos habuisse legitimè perspectos; cum non Christiani à Chresto per (η) latinè Chresto quod benignitatem & suauitatem sonare ait, sed Christiani per *i.* ex Christi nomine ab vnctione deducto denominandi fuissent. Plenius hoc habet verbis illis Lactantius: lib. 4. institut. cap. 7. [Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis, & regni: sic enim Iudæi, Reges suos appellabant. Sed exponenda est huius nominis ratio propter ignorantium errorem, qui eum immutata litera Chrestum solent dicere. Erat Iudæis ante præceptum, vt sacrum conficerent vnguentum, quo perungi possent ij, qui vocabantur ad Sacerdotium, vel ad regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ, insigne est regiæ dignitatis assumptæ; sicillis vnctio sacri vnguenti, nomen ac potestatem regiam conferebat. Verùm quoniam Græci veteres, χρίεσθαι dicebant vngi, quod nunc ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homeri versus ille,

Αὐτὰρ ὃ δμῳαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

ob hanc rationem nos eum *Christum* nuncupamus, id est, *vnctum*, qui Hebraicè, *Messias* dicitur. ] Hinc verò eruemus commodè, rationem cur tametsi hoc attributum spectata significatione vocis, aliud sit ab attributo *boni*, tamen ei meritò continens sit, & proximè ad illius expositionem subiiciatur.

### *Reges, Sacerdotes, Prophetæ, dicti* Christi.

75. In quam rē præmittendum est, nomen *Christi*, vt docet Tertull. lib. contra Praxeam cap. 29. non plus esse nomen, quà *calceatum*, aut *vestitum*, atque adeò non esse nomen, sed appellationem, siue vt ex Lactantio proximè audisti, & confirmat S. Cyrillus lib. de Incar. Virg. cap. 1. non esse nomen proprium, sed nuncupatiuum, id est vt passim loquimur, *appellatiuum*, quo varia personarum genera designata in scripturis habemus: Tot videlicet quot solebant inungi vnctione sacra, perque eam ad munus aliquod inaugurari. Audi S. Hieronymum lib. 2. in Habacuc cap. 3. ad illud *egressus es*. [ Primum videamus quot sunt genera Christorum, & posteà tractabimus, quomodò egressus sit Dominus in salutem Christorum suorum. Christi in veteri testamento dicebantur, & Patriarchæ de quibus scriptum est in psalmis *corripuit reges pro eis, nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis, nolite malignari*, & in primo Paralipomenon libro, omnes qui de Ægypto egressi sunt, Christi vocantur. Chrisma quoque in Exodo,

Sacerdo

Sacerdotale conficitur, quo posteà Sacerdotes in Leuitico referuntur vncti. Est & aliud vnguentum quo Reges vnguntur in regno, quod in duo scinditur. Si enim Dauid est, & Salomon, id est, *fortis manu*, & *pacificus*, cornu vngitur. Si verò Iehu & Asaël sunt, perfunduntur lenticula. Vas autem fictile sic vocatur, id est, *phacos*. Sed & Cyrus Persarum Rex, atque Medorum, qui de captiuitate populum relaxauit, licet multi errent, & de Domino Saluatore scriptum putent, audit per Esaiam; *Hæc dicit Dominus Christo in eo Cyro, cuius tenui dexteram, vt adducant coram eo gentes*, &c. Et ad extremum dicitur, *tu autem non cognouisti me*; quod de Saluatore nefas est intelligere. Est vnguentum propheticum, quo præcipitur Heliæ, vt Helisæum vngat in Prophetam. Et super omnia vnguentorum genera, est vnguentum spirituale, quod vocatur oleum exultationis, quo vngitur Saluator: & dicitur ad eum, *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, pre participibus tuis.* Participes autem eos puto, ad quos loquitur & Ioannes; *Et vos vnguentum habetis a sancto.*]

76. Habes varia Christorum genera, inter quæ erant Reges apud Hebræos solos, ait D. Augustinus in Psal. 44. quia inde verus Christus erat proditurus Rex & Sacerdos Summus. Reges ergo Christi erant, iuxta illud de Dauide, *Vnxit me domus Iuda sibi in Regem.* Et alibi. *Oleo sancto meo, vnxi eum.* Et tulit Samuël lenticulam olei, ad Saülem primò, tum ad Dauidem inungendum, aliáque in Scripturis passim obuia. Latè & benè de hæc vnctione disputat Pineda, l. 2. de Salom. c. 6. §. 1. & 2. & quoad recentiores Regum inunctiones ad Hebræorum imitationem factas, Azor t. 2. l. 10. c. 5. & l. 11. c. item 5. §. 3. ac Hubertus Morus de Sacris vnctionibus l. 2. à c. 5. & toto l. 3. Inungebantur præterea Sacerdotes, vt habetur Exodi 29. Et 2. Machab. 1. Aristobulus dicitur de genere Christorum Sacerdotum. Insuper inungebantur etiam Prophetæ, saltem aliquando. Extat exemplum 3. Reg. 19. vbi Elisæus vnctus est in Prophetam. Quo spectat etiam illud ex Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Quanquam ex eo loco constare planè videtur, ambiguam censeri posse vnctionem Elisæi: & aliud non fuisse quod iussus est vngi in Prophetam, quam iussionem vt superiectione pallij, (quod fecit Helias) assumeretur ad munus prophetandi: quod planè sentit Lyranus 3. Reg. 19. ad illa verba, *vnges prophetam pro te.* Et ibid. Cartusianus ac Scahus in myroth. c. 39. fauéntque multi veterum, prolati ab Humberto Moro l. 1. de sacris vnctionibus c. 3. qui inter vnctos non recensent Prophetas, sed solos Reges, & Sacerdotes. Et ita nominatim Ruffinus ad 2. Symboli articulum. Et sanè mirum est è tot prophetis, nusquam vllum prodi vnctum, præter Elisæum. Ego (vt dixi) suspicionem non inunctorum materiali oleo prophetarum, augeo ex citato versu Psalmi, de prophetis. Ex eo namque planè liquet, iustos quoque (cuiusmodi erant Patriarchæ, de quibus agit ibi Dauid,) dictos esse Christos. Et ita ex eo loco colligit S. Cyrillus epistola ad Monachos Ægypti num. 10. addens etiam illud Abacuc 3. *Egressus es in saluum populi tui ad saluandum Christos tuos.* Ita enim ipse legit. Longè fusiùs ex citato Psalmi 104. loco idem docet Euseb. 4. demonst. c. 25. & obiter etiam S. Chrysostom. hom 1. in ad Romanos ad illud *seruus Iesu Christi*, & S. Hieron. Abacuc 3. ad illud *egressus es.*

### IESVS, *omnibus prædictis modis*, Christus, *Sed primordialiter ab vnctione per Deitatem.*

77. Ex qualibet harum vocis *Christi* acceptionum, Dominus Iesus potuit *Christus* denominari. Nam & Rex erat constitutus à Deo super Sion, & Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec, & propheta non vulgaris sed eximius ille, promissus Deuter. 18. & cũ articulo expressus Ioannis 1. ad designandam præcellentiam. Vt propterea Baptista, rogatus esséne ille Propheta magnus, negauerit se esse. Omnes porrò hæ Iesum denominandi Christum causæ, in vnam reuera recidunt; nempe in eam quæ petitur ex inunctione per diuinitatem: vnde consecutum est; vt & Rex esset, ac hæres vniuersorum, itémque Sacerdos magnus, factus reconciliatio in tempore iracundiæ; & propheta ille magnus, idoneus docere nos abscondita à conditione mundi: quippe qui in sinu Patris semper fuerat, ac etiamnum erat: vnde quod perspectissimum habebat, testari poterat.

Sic conciliari possunt variæ sententiæ de notione nominis *Christi*, provt Domino Iesu accommodati. Nam Lactantius, vt suprà retuli, à regia dignitate deriuat hanc Christi appellationem; éstque id reuera conforme vsui Iudæorum, qui Reges suos passim appellabant *Christos*; vel absolutè vt est 1. Reg. 16. *Num coram Domino est Christus eius?* id est designatus in Regem. Vel cum adiunctione nominis *Regis*, vt docent testimonia prolata à Galatino l. 3. c. 2. Et quod Lucæ 23. Iudæi Christo struentes calumniam, accusabant eum quod dixisset, se Christum Regem esse, & eo nomine prohibuisset tributa dari Cæsari. Alia de ea Christi denominatione inde petita, subministrabit Clemens 1. Recog. eique subscribunt Hieron. epistola ad Principiam. Hilar. Diaco. in ad Hebr. 1. & benè multi ad Psalmum 2.

78. Fortassis verò plerique eorum qui illam nominis Christi notionem approbant, non excludunt, aliàs perfectiones. Nyssenus enim qui in ea videtur esse sententia, ita scribit lib. de Christiani professione. [*Christi* nomen, si ad dilucidius, magísque perspicuum, & intellectu facilius verbum transferatur, Regem significat: quippe cùm sancta Scriptura, huiusmodi voce, peculiari quodam vsu, regiam indicet dignitatem. Sed quoniam, vt ait Scriptura, numen Diuinum verbis explicari, ac percipi non potest, quippe cum omnem superet excogitationem & comprehensionem; necessariò qui Spiritus sancti

numine

numine diuinitus rapiebantur Prophetæ atque Apostoli, multis nominibus, notionibus, ac considerationibus ad intelligendum incorruptibilem naturam nos quasi manu ducunt: alius ad aliam considerationem & intellectum Deo conuenientem nos dirigentes, vt ipsa quidem omnibus imposita potestas, *regni* nomine declaretur: ea verò vis quæ omnis affectus perturbationisque expers, & ab omni vitiositate ac malitia vacua, pura ac libera est, virtutis nominibus designetur: Ita vt vnaquæque virtus de natura excellentiore tùm dicatur, tùm intelligatur: atque idem sit, & Iustitia, & Sapientia, & potentia & veritas, bonitásque & vita, tum salus, incorruptibilitas, immortalitásque, tum immutati, ac variari nescia virtus, & quicumque sublimis est intellectus, qui per hæc nomina declaretur; omnia nihil aliud quam Christus & sint, & dicantur. Sic igitur omnis sublimis intellectus, in Christi nomine comprehendi intelligitur: sublimiori enim significatione reliqua quoque continentur, ita vt cæterorum vnumquodque nomen, in notione & intellectu regni consideretur.] Fortassis ergo alij, qui Christum, *Regem* interpretantur, non excludunt à significato nominis *Christi*, cæteras perfectiones & titulos, etiamsi inhærendo cortici vocis, dicant; Iesum dictum esse *Christum*, eo quod sit Rex. In quem sensum Gregorius Nyssenus orat. 5. & 6. contra Eunomium latè exponit illud Actorum 2. *Illum Dominum & Christum fecit Deus*, id est Dominum & Regem, tuetúrque S. Basilium qui locum illum sic erat interpretatus. Rursus optimè in eandem sententiam idem Nyssenus l. de Sancta Trinitate *in fine*. [Omnem quidem dignitatem (inquit,) regni nomen denotat. *Deus autem noster Rex*, (inquit,) *ante sæculum*, Quinetiam regis filius, qui omnia, quæ patris sunt habet, etiam ipse à sancta Scriptura Rex pronuntiatur. Spiritum verò sanctum vnigeniti vnctionem esse, diuina Scriptura dicit, ex translatione eorum quæ hîc in terra fieri consueuerunt, dignitatem spiritus explicans, atque designans. Quemadmodum enim antiquitùs in iis, qui ad regnum promouebantur, signum dignitatis huius erat vnctio quæ eis adhibebatur; quo facto, ex illo tempore, traductio & transitus quidem erat à priuata & humili fortuna ad principatus fastigium & celsitudinem, atque aliud nomen post vnctionem accipiebat is qui hac gratia ac decore dignus erat iudicatus, & pro communi homine Christus Domini nominabatur: idcircò quo maximè Spiritûs sancti dignitas hominibus ostenderetur signum regni & vnctio à scriptura nominatus est: nimirum vt nos doceremur quod vnigeniti Filij Dei gloriæ ac regni particeps & socius sit Spiritus sanctus. Nam vt in Israële non licebat regnum suscipere nisi vnctio præcessisset, ita ex translatione nominum quæ apud nos in vsu sunt, parem vim Scriptura ostendit: nimirum quod ne Filij quidem regnum absque sancti Spiritus dignitate accipiatur. Idcirco propriè *Christus* id est *vnctus* dicitur, inseparabilis, & indiuisibilis cum Spiritu sancto coniunctionis, hoc nomine præbente demonstrationem.

79. At alij, Domino Iesu nomen *Christi* aptatum volunt, à Sacerdotio. Ita Tertullianus lib. de Baptismo c. 7. [Egressi (inquit) de lauacro perungimur benedicta vnctione, de priscina disciplina, qua vngi oleo de cornu in Sacerdotium solebant, ex quo Aaron à Moyse vnctus est. Vnde Christus dicitur à chrismate, quod est vnctio, quæ Domino nomen accommodauit facta spiritalis, quia spiritu vnctus est à Deo Patre. Sicut in Actis, *Collecti sunt enim verè in ista ciuitate, aduersus sanctum filium tuum, quem vnxisti.* Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritaliter proficit.] Quanquam lib. aduersus Praxeam c. 29. vbi plenè argumentatur ex *Christi* nomine, pro filij distinctione à Patre, itémque l. 3. contra Marcio. cap. 25. vbi phantasticum & imaginarium Christum Marcionis, argumento ex *Christi*, nomine petito exagitat; ex sola vnctione Christi, hoc nomen deriuat, non expressa vnctionis qualitate, siue elsétne regia, an Sacerdotalis. Quo eodem modo S. Augustinus 17. Ciuit. cap. 16. cum bonam partem Psalmi 44. de Christo intelligendam esse præmisisset, subdit. [Quis non hîc Christum quem prædicamus, & in quem credimus, quamlibet sit tardus, agnoscat: cum audiat Deum, cuius sedes est in sæcula sæculorum, & vnctum à Deo, vtique sicut vngit Deus, non visibili, sed spiritali atque intelligibili chrismate? Quis enim tam rudis est in hac Religione vel tam Surdus aduersùs eius famam, longè latéque diffusam, vt *Christum à chrismate*, hoc est ab *vnctione*; appellatum esse, non nouerit?] Vbi nihil expressè determinat, cui muneri addicatur ea vnctio, & illud chrisma à quo deriuatum vult nomen *Christi*.

80. Tandem alij, *Christi* nomen aptatum Domino Iesu existimant, ratione muneris prophetici, quo destinatus est ad erudiendum orbem. In qua sententia, sunt manifestè plerique veterum, qui longè tamen alio sensu quàm Pelagiani apud Cassianum l. 1. de Incarnatione cap. 3. dixerunt Dominum Iesum non fuisse ab initio *Christum*, sed à Baptismo: quia videlicet tunc à Patre authenticè & publicè declaratus est Doctor orbis, quem audire omnes deberent. Ita S. Irenæus l. 3. cap. 10. splendidè omnino sed fusè. Breuiùs his verbis Optatus l. 4. contra Parmen. tractans quando Christus sit vnctus præ consortibus suis, vt est in Psalmo 44. [Consortes fuerant Iudæorum Sacerdotes, & Reges, quos singulos vnctos ad hominibus constat. Sed quia filius à Patre, Deus à Deo, erat vngendus, secundùm quod filius petiit, & Spiritus promissa nunciauit, compleuit Pater in Iordane. Quò cùm venisset filius Dei, Saluator noster, à Ioanne ostensus est his verbis: *Ecce Agnus Dei, hic est qui tollit peccata mundi.* Descendit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere ad mysteria imitanda, & ordinanda, & im-

p'enda

plenda baptismatis. Totus cum in Ioannis manibus haberetur secutus est ordo mysterij, & compleuit Pater, quod rogauerat filius & quod nunciauerat Spiritus sanctus. Apertum est cælum Deo Patre vngente: spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti eius, & perfudit eum, vnde cæpit dici Christus, quando vnctus est à Deo patre.] Idem habent Ruffinus ad 2. symboli articulum Hieron. ad c. 61. Esaiæ & alij quos referunt Maldonatus Lucæ 4. & ibid. Tolet. annot. 31. & in c. 1. Ioan. annot. 71.

### *Deitas oleum lætitiæ, quo Iesus dictus primariò est* Christus. *Patrum suffragia.*

81. Omnes has Iesum denominandi *Christum* rationes, censeo veras, dummodò omnes radicentur in vna illa quam proponebam: quam constat esse fundamentum primarium, & titulum eminentissimum dignitatis Regiæ, ac Sacerdotalis, & prophetæ, siue magisterij de rebus diuinis in Christo Domino: & quæ præ cæteris probanda iccirco est, & reddenda, cum quæritur quid *Christi* nomen propriè sonet, & quorsum sit Iesu titulum. Ea est inunctio Iesu per vnguentum diuinitatis siue oleum lætitiæ quo Christus præ participibus suis vnctus est in primo conceptionis momento: quæ est grauissimorum Patrum de hac denominatione sententia. Appendo nonnullos, vnctionem Christi Domini ad eum modum interpretatos.

Clemens Romanus 1. recogn. [ Christus dicitur eximio quodam religionis ritu. Nam sicut regum sunt quædam communia nomina, ita vt apud Persas *Arsaces*, apud Romanos *Cæsar*, apud Ægyptios *Pharao*; ita apud Iudæos *Christus*, communi nomine Rex appellatur: causa autem huius appellationis hæc est: quoniam quidem cùm esset filius Dei, & initium omnium, homo factus est. Hunc primùm Pater oleo perunxit, quod ex ligno vitæ fuerat sumptum: ex illo ergo vnguento *Christus* appellatur. Inde denique eum ipse secundùm prædestinationem Patris, plos quosque cum ad regnum eius perueneriut, velut qui asperam superauerint viam, pro laborum refectione simili oleo perunget; vt & ipsorum lux luceat, & Spiritu sancto repleti immortalitate donentur. Virguleti verò huius ex quo sumptum est illud vnguentum, vniuersam naturam tibi sufficienter exposuisse me memini. Sed & nunc per breuissimam speciem de omnibus te in memoriam reuocabo. In præsenti vita, primus Pontifex Aaron, chrismatis compositione perunctus est: quod ad imaginem illius de quo supra diximus, spiritalis vnguenti factum est. Princeps populi fuit, & tanquam rex, primitias & tributum per capita accepit à populo, & iudicandi plebem sorte suscepta, de mundis, immundisque iudicabat. Sed & si quis alius de ipso vnguento perunctus est, tanquam virtute inde concepta, etiam ipse Rex, aut Propheta fiebat, aut pontifex. Quod si temporalis hæc gratia ab hominibus composita, tantum potuit, intellige iam tu quantum sit illud vnguentum, quod à Deo de virgulto vitæ prolatum est, cùm hoc quod ab hominibus factum est, tam eximias inter homines conferat dignitates. Quid enim in præsenti sæculo Propheta glorioſius, Pontifice clarius, Rege sublimius?]

82. Origenes 1. Periar. cap. 6. [ Quod dixit *quia vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis*, ostendit quod aliter ista anima oleo lætitiæ, id est Verbo Dei vngitur, & aliter participes eius, id est Sancti Prophetæ & Apostoli. Illi enim in odorem vnguentorum eius cucurrisse dicuntur: ista autem anima, vasculum vnguenti ipsius fuit, ex cuius fragrantia participantes, digni quique Prophetæ fiebant, & Apostoli: sicuti ergo aliud est vnguenti substantia, aliud odor eius; ita aliud est Christus, & aliud participes sui. Et sicut vas ipsum quod substantiam continet & vnguentum, nullo genere potest aliquid recipere fœtoris; hi verò qui ex odore eius participant, si se paulò longiùs à fragrantia eius remouerint, possibile est vt incidentem recipiant fœtorem: ita Christus velut vas ipsum in quo erat vnguenti substantia, impossibile fuit, vt contrarium reciperet odorem. Participes verò sui quàm propinqui fuerint vasculo, tam odoris erunt participes, & capaces.] Idem Origenes sub finem libri primi contra Celsum monstrans eum Psalmi locum esse apertè de Christo Deo, vncto à Deo Patre, aiensque se inde valdè vrsisse Iudæum quendam cuius eam ait fuisse euasionem; vt illud *sedes tua Deus*, ad Deum vniuersitatis referatur; illa autem *dilexisti iustitiam*; pertineant ad Christum, quem Deus, Deus eius vnxerit. At quorsum ea congeminatio? Deinde prima nominis *Deus* vsurpatio, est in casu vocandi, secunda in casu nominandi, non autem vtrobique casus nominandi, vt fingit Apella prædictus.

Eusebius lib. 4. de demonstr. cap. 15. [ *Dei oleum* appellat. Quare & *Christum* & *vnctum*, eum qui illius particeps sit, vocat. *Oleum* verò in his noli miserationem accipere neque in rebus aduersis mœrorem: sed id quod certæ plantæ fructus emittit quod ex humida materia nihil habet admixtum, quod lumen auget, quod fessos subleuat, quod labores aufert, quod eos qui ipso vnguntur, facit hilares, quod instar luminis de se ipso vibrat splendores, nitidumque ac micantem eorum qui ipso vtuntur comparat vultum: quod vtique ipsum, etiam diuinæ literæ produnt illis verbis, *vt exhilaret faciem in oleo*, huic igitur exemplo, suprèmam eius Dei, qui omnium est princeps, omniúmque rex, virtutem comparans oleo, eum qui solus hoc toto vnctus est; quique diuinæ atque eius quæ cum nullis aliis communicatur paternæ fragrantiæ princeps factus, & qui solo de illo genitus Deus verbum, communicatione gignentis ingeniti, Deus de Deo est declaratus *Christum* atque *vnctum* vocauit. Quocirca in Psalmis

ad hunc ipsum qui à Patre vnctus est, sic quoddam oraculum dicit. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui; Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ participibus tuis.* At verò vna quidem est olei natura, sed vngenti quæ est, ea multarum in idem concursum significat. Proinde etiam prima illa & ingenita omnium Regis Dei virtus, quatenus quidem simplex atque incomposita nullique alij naturæ commixta intelligitur, simplici *olei* locutioni collata est: quatenus autem plurimas in eodem considerationes comprehendendi vim habet, vt quod facere potest, quod regnare, quod prouidere, quod iudicare, quod amore prosequi homines, quod salutem afferre, aliáque innumerabilia quæ intelligentia considerantur, vnguento rursus hæc ipsa quæ & multa & bona comprehendere potest, vis meritò comparata est: quo vnguento eum qui Dei & verus & solus est Pontifex, vnctum esse, Diuina nos docent oracula.]

Neque verò quod in speciem sonant interdum quædam eius verba, agit Eusebius de processione filij à Patre secundùm naturam diuinam: Nam agit de ea ipsa Christi vnctione, de qua Psaltes disserit Psal. 44. Hanc autem constat in humanitatem cedere. Videsis eundem in historiæ Ecclesiasticæ præmio.

84. Et Nazianz. egregiè orat. 36. *in fine*, sic scribentem. [Christus propter diuinitatem ea enim, humanitatis vnctio est, non operatione vt in aliis Christis, significans: sed totius vngentis præsentia: cuius hic effectus est, vt id quod vngit, homo vocetur, & quod vngitur, Deus fiat.] Diuinitas enim humanitatis vnctio est. S. Cyrillus l. de Sancta Trinit. c. 22. [Quod in superficie vnctum est, ex parte vnctum est non ex toto: & exinde neque propriè vnctum est. Quapropter Reges & summi Sacerdotes, oleo vnctione superficiali delibuti, propriè vncti non sunt. Quod si verò etiam gratia per vnguentum in profunditatem penetrauit ne sic propriè quidem vncti sunt. Gratia enim vncti sunt, & caduci sunt. Proinde solus Dominus propriè vnctus est, qui totus ex toto, & non ex gratia, sed ex vnctione personali, & in sempiternum vnctus est.] Idem epistola ad Monachos Ægypti, cum præmisisset quàm multis nomen *Christi* concedi contigerit subdit n. 11. [Cæteri itaque omnes, propter vnctionis beneficium & sint & appellétur *Christi*, & iure istud appellentur; Solus autem Emmanuël, ita est Christus, vt Verbum quoque sit Deus.] Et l. 2. Pentabibl. cap. 2. [Christi nomen (inquit,) ac res Verbo illi ex Patre existenti, ac nudo & seorsum extra carnem considerato, nullo modo conuenit. Quod si dicitur seipsum exinaniisse, & in serui forma descendisse, & factum fuisse nostri simile propter carnem, ipsum quoque quatenus vnctum est, *Christus* vocabitur. Sic igitur illo antegresso, in quo vnctio facta est, nam eius propria humanitas est, in qua fuit vnctio; cum *Christum* illum appellamus, non vt tu effrænatè loqueris, communem hominem à verbo diuisum, & seorsim positum ex Sancta Virgine editum putamus, sed ipsum, vt dixi, ex Deo Patre Verbum, vnitum carni & oleo exultationis à Deo & Patre vnctum humanitùs. Porrò Dei Verbi vnctionem in humanitate factam fuisse, quo tempore similis nobis apparuit, Sacræ litteræ nobis ostendunt. Adducit deinde Iacobi visionem & lapidis erectionem, subdens. [Acceptum lapidem pro titulo statuit, & in eius extremum infudit oleum. Iam in his considera Dominum nostrum Iesum Christum, illum vnum, & solum, & vere filium, quasi lapidem erectum in titulum. Is enim est lapis electus, angularis, pretiosus, in caput Anguli, & à Deo & Patre in fundamenta Sion positus. Ad hæc modum etiam velim inspicias, quo sit vnctus. Non enim oleo, totum vndique lapidem, Beatus Iacob irrigauit; sed in illius extremum infudit. Igitur, vt ita dicamus, non totus ille vngenitus, neque in sua ipse natura, qua verbum est, vnctus est. (Nam quomodo suus illi spiritus, impertitus intelligi possit.) Sed potiùs vt dixi, in extremo vngitur, hoc est exteriùs, & tanquam in parte atque extremo: mirum in suo per veram vnionem corpore; Et sicut passus esse carne dicitur humanitùs, quamuis per naturam, vt Deus, esset impassibilis; ita intelligitur vnctus secundùm humanitatem, licet vngat ipse suo spiritu, quos ipsius sanctitatem participare decet.]

85. S. Augustinus 15. Trinit. c. 26. [Scriptum est in Actibus Apostolorum, *quoniam vnxit eum Deus Spiritu sancto.* Non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento quo baptizatos vngit Ecclesia. Nec sanè tunc vnctus est Christus Spiritu sancto, quando super eum baptizatum velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est, Ecclesiam suam præfigurare dignatus est; in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum sanctum: Sed ista mystica & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando Verbum Dei caro factum est; id est quando humana natura sine vllis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei Verbo est in vtero Virginis copulata; ita vt cum illo fieret vna persona. Ob hoc eum confitemur natum de Spiritu sancto, & Virgine Maria;]

86. Hæc latè prosequitur Sanctus Fulgentius libro tertio ad Thrasym. capite 13. Itemque Damascen. lib. 3. Fid. cap. 3. & l. 4. fid. c. 6. Christum esse Christum ratione tantùm inunctæ humanitatis per Deitatem, confirmat ex Nazianzeno, & Cyrillo, atque Athanasio. Et pulchrè c. 15. [Natus igitur est ex ea Filius Dei, & Deus incarnatus. Non vt Propheta vnctione vnctus, sed totius vngentis præsentia; vt homo quidem fiat quod vngit; & Deus quod vngitur, non transmutatione naturæ sed vnione secundùm hypostasim. Idem enim erat vngens, & qui vngebatur, vt Deus, vngens seipsum vt hominem.] Habet idem Paulinus Aquileiensis in sacro syllabo, Vvaldensis tom. 2. cap. 113. n. 2. & optimè in sensum à nobis propositum,

S. Basilij

S. Basilij similem locum ex lib. de Spiritu sancto cap. 16. exposuit Tol. in cap. 4. Lucæ annot. 31.

Liquet ex horum Patrum mente, *Christi* nomen Verbo carne vestito tributum esse, ob vnctionem illam primariam, quæ est fundamentum cæterarum Christi prærogatiuarum; Regiæ inquam dignitatis, & Sacerdotij, ac Magisterij: penes quas alij quidam denominati leguntur Christi & inuncti. Ex quo vides, Sapienter omnino Iustinum in Apologia ad Senatum, tractando varias *Iesu* appellationes, dixisse. [Christus quidem eo quod vnctus sit, & per ipsum Deus disponat ordinétque omnia, vocatur: non vulgatæ significationis nomine; sicut & Dei vocabulum, non tam nomen est, quàm inenarrabilis rei hominibus innata opinio.] Nec enim vnctio Christi est aduentitia & accidentaria, vt cæteræ, sed pertinens ad ipsam Christi constitutionem, & essentialem perfectionem. Vnde concluditur connexio quam proponebam inter attributum *boni* seu *perfecti*, & istud de quo agimus.

### *Messias, idem quod* Christus. *Eius participes Christiani, secundarij Christi.*

87. Eadem porrò opera, qua Christi titulum sic expositum dedimus, expositus manet titulus *Messiæ*, quem idem sonare quod *Christum*, audisti ex Lactantio. Imo idem habet Ioannes cap. 1. Euangelij sui, verbis illis: *inuenimus Messiam quod est interpretatum Christus.* Exponit ex antiquis Rabbinis hanc ipsam nominis *Messiæ* notionem, Galatinus lib. 3. de arcanis cap. 2. adhibito etiam suffragio Chaldæi Paraphrastis, qui locum prædictum Psalm. 44. *Thronus tuus Deus, in cœlis, in secula seculorum, regnum fortè, sceptrum regnitui. Et tu Rex Messias, quoniam dilexisti iustitiam & odisti impietatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo vel vnguento latitiæ, plusquam socios vel amicos tuos.* Quæ verba vt Galatinus rectè perpendit, apertè ferunt, *Messiam* siue *vnctum Domini*, Regem æternum atque adeò Deum esse, nec alio oleo inunctum, quàm ipsiusmet Diuinitatis mediata coniunctione: quo vnguento & oleo, nullus Christi participum, qui etiam *eius consortes* dicuntur, inunctus est.

Dicuntur tamen Christi participes & consortes eius. Eáque ex causa, omnes Christiani, per participationem gratiæ ab eo deriuatæ, fiunt aliquatenus Christi. Quod egregiè omnino signat Origenes tom. 6. in Ioan. ad illud, *& hoc est testimonium Ioannis.* Vbi intermiscet expensionem verborum illorum *gratia & veritas per* IESVM *Christum facta est.* Opponens namque sibi, quomodò cum Christus sit veritas, gratia & veritas dicatur per Christum facta, respondet; veritatem quidem substantialem, quæ est per se veritas, & veritatum nobis aduenientium tanquam eius imaginum, primum exemplar, non esse per Christum factam, quia est ipse Christus. Eam tamen veritatem quæ inest Paulo, Petro, & aliis quibusvis, factam esse per Christum: & ideirco in Scripturis interdum *veritatem*, aliquando numero multitudinis *veritates* celebrari. Et idem obseruat circa vocem *iustitia.* Subdit porrò. [Inspice verò, num isto modo alia quoque quæ Christus esse dicitur singulariter, proportione multiplicata, plurium numero efferri possint. V.g. Christus est vita nostra, quemadmodùm Seruator ipse inquit; *Ego sum, via, veritas, & vita*, & Apostolus: *Quandocunque Christus manifestatus fuerit vita nostra, tunc, & vos cum illo manifestabimini in gloria.* Rursus in Psalmis scriptum est. *Melior est misericordia tua super vitas.* Nam quia Christus in vnoquoque inest vita, ideò multiplicantur. Fortassis isto modo, & illud inquirendum: *num experimentum, quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* fermè enim in vnoquoque sancto, Christus inuenitur: & fiunt per vnum Christum multi Christi, illius imitatorem, & transformati ad illius similitudinem: qui est imago Dei. Vnde per Prophetam inquit Deus; *ne tetigeritis Christos meos.*]

88. S. Augustinus 17. ciuit. cap. 4. *in fine*, Christos dici Christianos 1. Reg. verbis illis, *exaltabit cornu Christi sui*, sic demonstrat. [Quomodò *exaltabit cornu Christi sui?* de quo enim supra dictum est *Dominus ascendit ad cœlos*, & intellectus est Dominus Christus: ipse; sic hîc dicitur, *exaltabit cornu Christi sui*, qui est Christus. Christus ergo Christi sui cornu exaltabit; id est vniuscuiusque fidelis sui, sicut ista in principio huius hymni ait: *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Omnes quippè, vnctos eius Chrismati rectè *Christos* possumus dicere: quod tamen totum cum suo capite corpus, vnus est Christus.]

S. Macarius summam hinc Christianorum dignitatem egregiè his verbis eruit homil. 17. *initio.* [Christiani perfecti qui meruerunt attingere gradum perfectionis, ac fieri Regi proximi, hi cruci Christi perpetuò consecrati sunt; quemadmodum enim Propheterum temporibus vnctio erat res omnino pretiosa, cum in Reges, & Prophetas vngerentur: sic quoque nunc spirituales, cœlesti vnctione peruncti, euadunt Christiani per gratiam; vt ipsi sint Reges, & Prophetæ cœlestium mysteriorum. Quinimo hi sunt filij, & Domini vncti ac captiui Dij, abiectissimi, crucifixi, ac consecrati. Si enim vnctio olei à planta aspectabili, ac ligno visibili profecta, tantam habuit virtutem, vt eo peruncti, dignitatem citra omnem controuersiam consequerentur (ratum enim erat, vt constituerentur ipsi Reges: quo etiam Dauid inunctus, statim persequutionibus & afflictionibus expositus est: ac septimo post anno Rex factus.) quanto magis ij quorum animus, & interior homo, sanctificante & lætificante cœlesti ac spirituali sanctificationis oleo peruncti est, recipiunt signum regni illius incorruptibilis æternæque virtutis arrhabonem scilicet spiritûs, ipsum Spiritum sanctum, & paracletum? (Intellige verò paracletum qui consoletur & gaudio perfundat afflictionibus oppressos:) Hi ligno vitæ Iesu Christi, & planta cœlesti inuncti, merentur peruenire ad gradum perfectionis; regni, inquam, & adoptionis: quippe qui sunt Secretarij Regis cœlestis ac freti

fiducia omnipotentis, ingrediuntur palatium ipsius, vbi sunt Angeli, & Spiritus sanctorum, quamuis adhuc in hoc sint mundo. Licet enim integram hæreditatem sibi in illo seculo præparatam, nondum adierint, certissimi tamen sunt ex arrhabone quem modò receperunt, ac si iam coronati essent, & regni clauum tenerent.] Ex aliis Patribus, varia ad Regiam, Sacerdotalem, & Propheticam Christianorum omnium vnctionem illustrandam, profert Hubertus Morus, lib. 2.

89. Hoc voluit nos commonere Ecclesia, iubens initiatos Sacramento regenerationis inungi, vt D. Auguſtinus obseruauit 15. Trinit. cap. 26. & autor quæstionis 137. ad Orthod. apud Iustinum, ac Cyrillus Hierosol. catech. 3. vbi de Christis secundariis, præclara & multa. Item S. Ambrosius lib. de iis qui initiantur mysteriis cap. 6. & pulchrè autor sermonis de vnctione Chrismatis apud Cyprianum, verbis illis. [Nec tamen cessantibus his quæ ritu antiquo inoleuerant, cum iam in populo Christiano circumcisio videretur damnabilis, & Sacrificia idololatriæ imputarentur, vnctionis mysterium religio Christiani contempsit, sed cœteris generali Sanctorum consensu damnatis, non solùm in Regibus & Sacerdotibus, vnctionis honor permansit, sed in omnem populum Catholicum effusa est huius gratiæ plenitudo; vt sicut *Christus* à *Chrismate* dictus est, eo quod singularis excellentiæ oleo vnxerit eum Deus; ita & participes eius quotquot sunt, consortes sint, tam vnctionis, quàm nominis; & dicantur à Christo *Christiani*, vt sint sub Christo duce rectores & duces; & offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati à Deo sanctimoniæ Sacerdotes.]

### *Vsus doctrinæ 1. Expressio Christi necessaria Christiano.*

90. Eruere ex dictis possumus, fructum ad mores formandos, planè exquisitum: vrget ergo Nyssenus lib. de professione Christiani ad Harmonium, quandoquidem *Christi* nomine quod participamus, omnia alia Christi nomina inuoluuntur, vt ex ipso Nysseno superiùs vidimus (oleum namque diuinitatis, distinctè *Christi* nomine expressum, omnes perfectiones & earum nomina implicitè conuehit;) astringi nos quotquot communione nominis *Christi* fruimur, & *Christiani* denominamur, cæteras omnes Christi perfectiones pro modulo nostro repræsentare. Adscribo locum planè insignem, congruentissimam monitionem continentem. [Vt participatione Christi, Christiani appellationem adepti sumus; ita per consequens conuenit, omnium quoque sublimium nominum nos adsciscere communionem ac Societatem: ac quemadmodum in catena qui eam qui in extremitate est curuaturam attraxerit, eas quæ continenter intercohærent, per vnam attraxerit: ita quoniam *Christi* nomini reliqua quoque quibus ineffabilis & multiformis illa beatitudo explicatur, natura cohærent atque coniuncta sunt, necesse fuerit eum, qui vnum arripuerit, vnà cum ipso reliqua quoque attrahere. Si quis igitur nomen Christi sumat, quæ verò vnà cum hoc nomine considerantur, vita non exprimat neque repræsentet: is nomen ementitur iuxta propositam à nobis similitudinem, personam in animam humanæ figuræ conformatam, & assimilatam simiæ apponens. Fieri enim non potest, quin Christus, & iustitia, & puritas & veritas, atque cuiusuis mali vitatio sit. Neque Christianus esse potest (qui quidem verè Christianus sit) qui non illorum nominum quoque communionem, ac societatem ostendat.]

Præclarè item Chrysostomus hom. 18. in Ioannem *sub finem*. [Nomine vno omnes appellamur, Christiani scilicet omnium maximo absque præstantissimo cum quo & filij Dei, & amici, & corpus, dicti sumus: qua appellatione cæteris omnibus vehementiùs excitari & promptiores ad virtutem complectendam fieri, nec ea quidquam indignum facere conari debemus, cum eodem quo *Christus*, nomine vocamur, vt Paulus testatur cuius excellentiam nos intelligere oportet. Quòd is qui Principis cuiuspiam, aut alterius clari viri nomen sortitus est quum id audit, tumet atque superbit, & magnæ id sibi glotiæ arbitratur, eiúsque auctoritatem pro viribus seruare adnititur; quid nobis faciendum est, qui non Principis, non terrenæ alicuius potestatis, non Angeli, non Archangeli, sed ipsius omnium Regis nomine appellari dignati sumus? Nonne ita animam nostram instituemus, vt non afficiatur iniuria, qui tanto nos honore prosequutus est? An ignoratis quanto cohortes regiæ, & scutati, & hastati eius latus stipantes, in honore habeantur. Ita & nos proximi facti Deo, eo magis quàm quos nunc diximus, quo corpus propinquius est capiti, quàm illi Regibus, totis viribus contendamus, vt Christi simus imitatores.]

Denique Etherius & Beatus lib. 1. contra Elipandum, obtestantur omnes Christianos, vt si *Christi* & *Christiani* audire iure volunt, Christi spiritu vngantur, & eius vnctionem æmulentur: alioqui perinde eis euenturum, ac pannisis illis de stirpe regia, qui egentes nomen regium præferunt, vt igitur Christi & Christiani dicamur, inungamur: ab ea quippe inunctione Christiani dicimur, ait Theophil. lib. 1. ad Autotyc. *sub finem*, nempe saltem mediatè & ratione Christi, quem Deus primò & particulariter vnxit. Intelligemur autem inuncti esse, si quemadmodùm Christus ambulauit, ita & nos ambulemus.

### *2. In polluentes nomen sanctum, malè viuendo, & peierando.*

91. Dolendum verò est, quàm plurimos è contrario profana vnguine conspurcari potiùs quàm inungi. Oleo inquam illo peccatoris, quod non est oleum lætitiæ, sed in offibus quoque ipsis vim suam prodit. [Habet Diabolus Christos suos, (ait Iulius Firmius lib. de error. profano cap. 23.) & quia ipse Antichristus est, ad infamiam nominis sui miseros

miseros homines scelerata societate perducit.] Quod habet Firmius de profano illo Ethnicorum vnguento, quo à Sacerdote omnium qui flebant fauces inunctas refert, cum illato lumine digesti fletus ob rediuiuũ nomen cessabant; æquè de quauis profana inunctione dicere liceat: constitui scilicet per eam Christos Diaboli, verósque Antichristos. Addit Firmius cap. 24. [Christi vnguentum, immortali compositione conficitur, & spiritualibus pigmentorum odoribus temperatur, hoc vnguentum à mortalibus laqueis putres hominum arctus exuit; vt sepulto primo homine, ex eodem statim homine homo alius fœliciùs nascatur.]

In huiusmodi nomine tenus Christianos, sancto nomini contumeliam irrogantes, præclarè sic agit S. Ephrem. tom. 3. serm. de vita religiosa. [Ne nomini eius sancto, quod inuocatum est super nos, inuitiam inferamus, vt non propter nos nomen Dei nostri à perfidis & impiis blasphemetur. Parcamus nobis ipsis, & intelligamus nomen nostrum ipsius nomini consonare: *Christus* enim ipse, & nos *Christiani* vocamur.] Parce huic nomini ne propter te blasphemetur D. N. I. Chr. (inquit Cyrill. sic claudens Catech. 11.) Sed potius glorificent Patrem qui est in cælis. Cadit in eosdem increpatio qua Basilius Seleuciæ orat. 19. in illis Christi verbis, *non inueni tantam fidem in Israël*, deprehendit. Sic enim locutum Christum interpretatur. [Nomen quo te appellaris, Dei cogniti argumentum est, vt amplius incredulitatem tuam patefaciat. Cur igitur appellationi cuius virtute cares, contumeliam irrogas? Quid gestas Israëlis cognomen quod personæ probro sit? Factis appellationem impugnas, calumnia nomen tuum afficis;] quo iure polluentes nomen sanctum quo potiuntur, castigat pulchrè Musonius apud Gellium lib. 9. cap. 2. Fortiùs de ipso Christiani nomine agens Saluianus lib. 3. de prouid. & optimè initio quarti, verbis illis. [Totum in id reuoluitur, vt qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim, sine actu atque officio suo, nihil est: nam sicut ait quidam in scriptis suis: quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus, sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque vt iisdem verbis etiam nos vtamur, quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto? sicut etiam per diuinas litteras, sacer sermo testatus est dicens, *circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Et in nobis itaque Christianum vocabulum, quasi aureum decus est: quo si indignè vtimur, fit vt sues cum ornamento esse videamur. Denique qui vult plenius scire, vocabula nihil esse sine rebus, respiciat quomodò innumerabiles populi, cessantibus meritis, etiam nomina perdiderunt.] Rursúsque sub libri illius finem: [In lege gloriantur & per præuaricationem legis, Deum inhonorant. Et ideò hoc ipso Christiani deteriores sunt, qui meliores esse deberent. Non enim probant quod fatentur; & impugnant professionem suam moribus suis. Magis enim damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat: Et reatus est impij, pium nomen.]

92. Hactenus de irrogantibus contumeliam Christi nomini per mala opera quæ edunt præferentes nomen Christianum. Alij opprobrium suum inexcusabiliùs eulgant, qui nomen Christi, quod mel in ore, & mellitus super oleum sermo cuiuis Christiano esse deberet, vsurpant irreuerenter ac impiè. Agit in eam corruptelam suo iam æuo solemnem, & ad has vsque sæculorum fœces deriuatam, Saluianus lib. 4. de prouid. his præter cætera.] Quis est omnino hominum secularium, præter paucos, qui non ad hoc semper Christi nomen in ore habeat, vt peieret? Vnde etiam peruulgatum hoc ferè & apud Nobiles, & apud ignobiles Sacramentum est, *per Christum; quia hoc facio: per Christum, quia hoc ago; per Christum, quia nihil aliud dicturus sum, per Christum quia nihil aliud acturus sum.* Et quid plura? In id penitùs deducta res est, vt sicut de paganis, barbarísque priùs diximus, Christi nomen non videatur Sacramentum esse, sed sermo. Nam in tantum apud plurimos nomen hoc parui penditur, vt nunquam minus cogitem, quippiam facere quàm cum se iurant per Christum esse facturos. Et cum scriptum sit, *non nominabis nomen Domini Dei tui in vanum*, in id reuerentia Christi decedit, vt inter cæteras sæculi vanitates, nihil iam penè vanius, quàm Christi nomen esse videatur. Denique multi non otiosas tantummodò res, & aniles, sed etiam scelera quædam se iurant per Christi nomen esse facturos. Hic enim loquendi vsus est talibus: *per Christum, quia tollo illud; per Christum quia cædo illum: per Christum; quia occido illum.* Ad hoc res cecidit, vt eum per Christi nomen iurauerint, putent se scelera, etiam religiosè esse facturos.] Confirmat hoc exemplo magnatis, quem se adiuisse testatur, vt exoraret misero cuipiam benignitatem nonnullam. Sed ait repulsum se à magnate, causante anteriorem inter positionem iuramenti per Christi nomen, ne id faceret. Hanc ille religiosissimi vt ait sceleris rationem, detestatur vt indignissimam Christiano.

### 3. *Affectus, Christiani nomine dignus.*

93. Nostrum est inducere affectum Autoris libri de Spiritu & anima cap. 17. [Miser ego quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit cum non eram, redemit me, cum perieram. Non eram, de nihilo me fecit; non lapidem, non arborem, non auem, vel aliquod de animalibus, sed hominem voluit esse: dedit mihi viuere, sentire, discernere. Perieram, & ad mortalitatem descendit, mortalitatem suscepit, passionem sustinuit, mortem vicit, & sic me restaurauit. Perieram & obieram, quoniam in peccatis meis eram venundatus. Venit ille post me, vt redimeret me, & tantum dilexit me, vt sanguinis sui pretium appenderet pro me. Tali pacto reduxit me de exilio, & redemit de seruitio. Nomine etiam suo vocauit me, vt memoriale suum semper esset apud me. Vnxit me oleo lætitiæ quo

ipse erat vnctus, vt ab vncto essem vnctus, & à Christo dicerer Christianus. Sic gratia eius, & misericordia semper præuenerunt me.] Prosequitur minutatim alia non minuta Dei in vnumquemque nostrum beneficia, tum concludit. [Cum hæc diligenter considero, timore pariter & ingenti rubore confundor, quia illum ibi mihi præsentem, & omnia occulta mea videntem intueor. Multa enim sunt in me de quibus coram oculis eius erubesco, & pro quibus ei valdè displicere timeo. Nec pro his omnibus quid illi rependam habeo, nisi tantùm vt diligam eum. Non enim meliùs, nec decentiùs quàm per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est.]

## CAPVT V.

### *Christus Emmanuel.*

ET hic quoque Christi titulus, ad substantialia & interna Christo pertinet, vt statim patebit; ac proinde meritò collocatur in hac serie. Quem dixi *Emmanuelem*, secutus receptam scribendi & pronunciandi rationem, Iansenius cap. 7. concord. legit *Immanuelem*, familiari in aliis plerisque nominibus deflexione. Sic enim *Isaiam* dicunt aliqui, quem alij vocant *Esaiam*.

### *Quid aduersùs Emmanuelis nomen Christo tributum, Iudæi & Hæretici.*

Est autem *Emmanuelis* vocabulum, depromptum ex cap. 7. Esaiæ, vbi in celeberrimo illo vaticinio quod Matth. 1. de Christo exponitur, (nec potest reuera in alium cadere, quantumuis Iudæi se contorqueant, vt fusè prosequitur Richardus Victor. libris duobus de Emmanuele,) post prænunciatum conceptum ac partum Virginis, additur, filium ex ea procreatum, nominandum esse Emmanuelem. *Vocabitur* (inquit Esaias,) *nomen eius Emmanuel*, quod Matthæus in sensum intentus, sic allegat. *Vocabunt nomen eius Emmanuel.*

Aduersùs hanc Christi appellationem, occurrit illico vulgaris difficultas, mota à Iudæis contra aptationem huius prophetiæ ad Christum. Quæ est illamet difficultas, ob quam Marcion falsitatis insimulabat vetus Testamentum, vt refert Tertullianus libro contra eum tertio c. 11. & totidem propè verbis eandem difficultatem provt à Iudæis motam, refert ac refellit lib. conta Iudæos cap. 9. summa est, quod Christus iuxta Prophetam vocandus esset nomine *Emmanuelis*, quo tamen nomine designatus non sit, sed nomine IESV. Vtrobique autem hanc difficultatem sic enodat Tertullianus, vt dicat, Christum non appellari in actu signato *Emmanuelem*, sed esse; quatenus notio subiecta voci *Emmanuel*, cadit in Christum. Nam *Emmanuel* perinde sonat, atque *nobiscum Deus*. Liquet autem Christum esse Deum, atque adeò per Christum, Deum esse nobiscum. Sicque euanescit difficultas proposita; neque enim hærendum est in vocis cortice, dummodò notio subiecta ad quam Propheta respiciebat, cadat reuera in Christum. Aliter idipsum dixit Richardus Victorinus lib. 1. de Emmanuel. cap. 12. affirmans, nomen *Emmanuelis* esse substantiuum, non nuncupatiuum: & eum qui nuncupatiuè Iesus dicitur, substantiuè dici Emmanuelem. Sensus est, eum qui nomine proprio quo ab aliis internoscitur in vsu communi, non est denominatus *Emmanuel*, reipsa fuisse Emmanuelem; idque est *vocari talem*, ex vsu Scripturæ. Vt Isaiæ 9. *vocabitur admirabilis, Deus fortis, consiliarius, princeps pacis*; id est etit reipsa quod continetur notionibus quæ subiiciuntur his vocibus. Gabriel quoque in allocutione Deiparæ, *Filius* (inquit) *altissimi vocabitur*, id est *erit*. Tandem Apostolus, *In Isaac vocabitur tibi semen*; id est benedicta illa generatio quam Deus tibi spopondit, erit ex Isaaco. Nimirum Scriptura quæ Dei idioma continet, vsurpat *dici* & *vocari*, pro *esse*: quia apud Deum, res non se habet vt apud nos, qui plerumque aliter res denominamus, quàm reuera se habeant, ita vt non semper contingat quod Autor libri de Oper. Christi Cardin. in Prologo ait, [non deerat impositorum nominum, secundùm sensum, suorum effectuum certitudo:] sed plerunque aliud ferat nomen ab homine impositum, aliud reipsa subsit. Exemplo est Absalon, quod nomen sonat *Patris pacem*, seu *gaudium*; & tamen fuit Patris cordolium, & luctus æternus. Adonibesec quoque, ex Hieronymo lib. de nom. Hebr idem est quod *filius fulminis*, id est potentissimus & inuictissimus; qui tamen ludibrio hostibus fuit. Ex humilitate S. Chrysostomus homil. 1. in Acta, idem de suo nomine professus est, dicens, *vocor Ioannes, sed non sum Ioannes*, quia enim *Ioannes* significat *gratiam*, atque adeò insinuat, hominem in quem cadit, abundare gratia, negauit S. Chrysostomus se esse quod dicebatur, hoc est *Ioannem*. Nominari igitur ac vocari isto aut illo nomine, est plerunque aliquid euanidum, quia non rarò homines vacua nomina portant, vt dixit S. Bernardus serm. de Circunc. At apud Deum, atque adeò in scriptura quæ diuino idiomate conscripta est, idem sunt, *vocari & esse*. Deo quippe facillimum est exequi & præstare quod dicit, non item hominibus. Itaque vocari *Emmanuelem*, idem reipsa est, quod esse Emmanuelem, qualis reuerà fuit Christus, tametsi cortex illius vocis, discreparet à nomine quo passim denominatus est tanquam proprio, & nuncupatiuo, vt Richardus Victorinus loquebatur.

Recidit in propositam difficultatis prædictæ enodationem, responsio adhibita à S. Chrysostomo homil. 5. in Matth. vbi obseruatur Euangelistam, Prophetiam Isaiæ de nomine Emmanuelis ad Christum aptando, retuliisse adhibito verbo pluralis numeri & tertiæ personæ, inde eruit dissolutionem dubitationis motæ à Iudæis. [Quid ergo (inquit) hoc oraculo (Isaiæ per Matthæum allegati,) præst

prædictum est: *Ecce Virgo in vtero habebit & pariet filium & vocabunt nomen eius Emmanuël.* Et cur, inquies, non est hoc nomine, id est, *Emmanuël*, sed Iesus Christus vocatus. Quia scilicet non dixit, *vocabis*, sed *vocabunt*: populi sine dubio, & ipse exitus rerum hîc enim ab effectu nomen imponitur. Est enim mos Scripturæ, euentus rerum, ponere nominum loco. Quid enim est aliud, *vocabunt nomen eius Emmanuël*, nisi videbunt oculi mortalium, Deum inter homines versantem; qui & si antè cum hominibus fuit, non tamen apertè, tamque manifestè: Quod si hoc loco Iudæi impudenter repugnent, rogabimus eos, quando igitur puer vocatus est, *velociter spolia detrahe, cito prædare?* Nequaquam enim hîc habent quod respondere possint. Cur igitur Propheta dicebat, *voca nomen eius, velociter spolia detrahe, citò prædare.* Quoniam illo vtique natali detractio spoliorum facta est, atque populatio. Meritò igitur res quæ sub eo tam clara contigit, ipsi tanquam nomen imposuit. *Et ciuitas* (inquit,) *vocabitur ciuitas iustitiæ, mater ciuitatum fidelis sion.* Nec tamen inuenimus quòd aliquando *ciuitas iustitiæ* nominata sit, sed in Hierusalem semper appellatione per mansit. Verùm quia istud euenit in melius populi moribus conuersis, ciuitatem ita prædixit vocandam. Cum enim tale aliquid acciderit, vt is per quem id effectum sit, aut qui eius fructum perceperit, ex facto quod ex nomine clarius indicetur, nomen eius appellat ipsam rei, quæ facta est, veritatem.] Non ait, nomina sæpè peti ab euentu, etiamsi postea subsecuto, de quo fusè idem Chrysostomus t. S. Græcol. tom. 7. admittit in Genes. (id enim tametsi verum est, alò pertinet;) Ait ergo, ipsam rei veritatem, plerunque vsurpari pro rei nomine: idque significatum esse per verbum plurale *vocabunt*, à Matthæo adhibitum. Nam si proferre voluisset, nomen Christi proprium, dixisset *vocabis*. Hanc Chrysostomi doctrinam, fusiùs illustrat Iansenius c. 7. Concord. & æquè quadrat ea doctrina loco Esaiæ, tametsi apud eum non habetur *vocabunt*, sed *vocabitur*, in singulari numero. Idem quippe est, *vocabitur Emmanuel*, (vtique à populo,) atque *vocabunt*, scilicèt populi. Quanquam Iansenius suprà, putat mendosè apud Esaiam legi *vocabitur*; legendúmque esse *vocabis*, vel *vocabit*, vt se vertisse testatur S. Hierony. in Commentario quod refertur ad Sion siue Hierusalem, cum qua agebat Esaias. Sensus est planè idem.

### *Notio nominis* Emmanuël *Nobiscum Deus, ac primùm per coniunctionem hypostaticam.*

Sic discussa difficultate aduersùs nomen siue attributum *Emanuëlis*, Christo accommodandum, progredior ad notionem subiectam nomini *Emmanuël*, quæ apud Euangelistam, his verbis traditur. *Vocabunt nomen eius Emmanuël, quòd est interpretatum, nobiscum Deus.* Tametsi enim Matthæus, iuxta probatiorem sententiam, Hebraïcè scripsit, potuit tamen aliis item Hebraïcis verbis enucleare Hebræam vocem compositam, cuius notio minùs obuia esset apud plerosque: præsertímque, vt ex subiecta notione intelligeretur, nomen Emmanuëlis esse appellatiuum. Nam si esset proprium nomen, absurdè & extra rem allegatus fuisset locus Esaiæ, quæ est longa de hac re ratiocinatio Abulensis in cap. 1. Matth. quæst. 44. Has ob causas, adhibuit Matthæus interpretationem nominis *Emmanuel*, si tamen ipse eam adhibuit, & non potiùs Interpres, iuxta doctrinam Maldonati Præfat. in Euang. cap. 5. contendentis, quoties in Scriptura habetur similis aliqua interpretatio nominis, id esse additamentum factum à Sacro Interprete, non ab ipso Scriptore Canonico appositum. Vt cum Genes. 35. dicitur, *vocauit nomen eius Benoni, id est filius doloris mei*, hæc interpretatio videtur addita à Latino Interprete: nec sanè est in textu primigenio. Idem videtur de eo additamento Exodi 16. *Manhu, quod significat, quid est hoc?* Clariùs Apocal. 9. vbi dicitur, *nomen illi Hebraicè Abbadon, & Græcè nomen habet Apollyon, & Latinè habens nomen exterminans.* Quæ latina enucleatio Græcæ & Hebraicæ appellationis, est à Latino Interprete, etiamsi Græca interpretatio vocis Hebraicæ, est à Ioanne, qui Græcè scribebat: quotidianum enim est, vt Scriptor voces exoticas quas fortè adhibet, vertat in voces eius idiomatis quo scribit. Sed siue ab Interprete Sacro, siue à Matthæo ipso, habemus propositam interpretationem vocis *Emmanuel*, notio huius vocis, ista est quæ apud Matthæum legitur, *Nobiscum Deus.*

Bellam contrapositionem Christi & Adami à Deo electi obseruat circa hoc Richardus Victor. lib. 1. de Emman. cap. 10. verbis illis. [Vbi notandum, quòd non dicitur de Deo, quòd nos simus secum: sed è conuerso de nobis dicitur, quod ipse sit nobiscum, vt intelligamus, non quasi hominem reuersum ad Deum, sed Deum quasi è vestigio hominẽ secutum vsque in exilium, sicut scriptum est; *visitauit nos oriens ex alto.* Quòd igitur homo perdidit in primo homine, scilicet *cum Deo esse*, hoc videtur in nouo hoc homine recuperasse.] Necdum tamen exhausta est notio nominis *Emmanuel*. Duplici enim ratione Deus dici potest nos sequi, vt opituletur, & mentes apprehendat; siue duplici ratione dici potest, *nobiscum esse.* Primùm potest esse nobiscum per opem & protectionem; qua ratione passim Scriptura, ait Deum esse cum homine in tribulatione. Secundò potest Deus esse nobiscum per substantialem vnionem, & coniunctionem hypostaticam. Priore modo, vocem *Emmanuelis* interpretabatur Nestorius, & pro more Hæreticorum, Scripturarum suffragium ad eum sensum stabiliendum adducebat. Dixit enim Deus ad Iosue, *sicut eram cum Moyse, ita ero & tecum.* Neque tamen Deus, aliter cum Moyse aut Iosue fuit, quàm per consilium, & directionem, ac protectionem. Verùm modus ille quo Deus fuit cum Moyse & Iosue, longè inferior fuit, eo modo quo Deus factus est nobiscum per carnis susceptionem.

nem. Et idcirco nemo eorum cum quibus Deus dictus est esse, retulit nomen Emmanuelis, præter Christum cum quo Deus fuit secundo modo proposito; nempe per hypostaticam Dei Verbi cum nostra humanitate coniunctionem. Argumentatio est S. Cyrilli in Scholiis de Incarnat. Vnigen. cap. 2. qui concludit. [Ergo nobiscum factum esse dicimus Deum Verbum, eo tempore, quo dicit Baruch, *in terra visus est, & inter homines conuersatus est.* Et quantum quidem ad Dei naturam pertinet, non erit nobiscum. Multum enim interest inter diuinitatem & humanitatem, & ingens est nimis differētia naturarum. Denique etiam diuinus Dauid ad proximitatem mysticam, scilicet Deum Verbum, quod nondum ad nos venerat, vocabat dicens in spiritu, *vt quid Domine discessisti longè? Despicis in opportunitatibus, in tribulatione.* Ergo non iam longè discessit, sed nobiscum fuit: & conspectus est homo in terra, Christus verè, & Emmanuel, eundem nobis filium designans.] eadem repetit c. 6.

### *Deinde per conuersationem plenæ redemptioni opportunam.*

Ad eam primariam Dei nobiscum existentiam, consequens fuit, vt insuper Deus nobiscum esset per conuersationem, vt notauit S. Augustinus serm. 8. de Temp. [Emmanuel (inquit) interpretatur: *nobiscum Deus.* Ergo Saluator noster, ab effectu rerum etiam hoc nomen accepit, vt vocaretur *nobiscum Deus.* Et ipse tunc Deus, cum omnibus nobis esse dignatus est, quando fuscepit hanc carnem, vt per hominem qui visibilis erat, conuersari videretur in terris. Sic enim Hieremias Propheta promiserat, dicens, *hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hic inuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Vnde & ipse Dominus ad discipulos suos in Euangelio dicit, *tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Addit mox S. Augustinus, si respiciamus ad geminam causam propter quam Deus dignatus est nobiscum esse, non fore dubium quin verè impletum sit Propheticum oraculum, de Deo facto nobiscum. Fuimus enim à Christo saluandi, exhibita Deo satisfactione pro nobis; & fuimus etiam erudiendi. Ad quæ duo præstanda, necessarium fuit, & Deum nobiscum esse per susceptionem humanitatis ab hypostasi verbi, quia homo purus non potuisset satisfacere Deo læso, & Deum item nobiscum esse per conuersationem visibilem, sine qua non fuisset idoneus Magister. Ex eodem porrò discursu habetur, Deum ita fuisse nobiscum per substantialem coniunctionem & conuersationem, vt tamen non fuerit in nostris defectibus & imperfectionibus moralibus, sed manserit illimis ac purus, etiam in humanitate assumpta. [Dignatus est (inquit S. Augustinus serm. 5. de Tempo.) venire per Israël, & fieri Emmanuel nobiscum Deus in carnis infirmitate, non nobiscum in cordis iniquitate, accedens ad nos per id quod assumpsit ex nostro; & liberans nos per id quod mansit in suo.] Nempe non tantùm manens Deus, sed etiam manens purus ac nitens, qualem decebat esse hominem Deum. Nec sanè finis ob quem Deum voluisse esse nobiscum diximus, exigebat vel etiam admittebat fœculentias nostras morales, & earum matrem ignorantiam. Quare satis superque fuit, Deum assimilari nobis per omnia essēque nobiscum absque peccato.

Ex dictis eruendum est, cur S. Cyrillus in Scholiis de Incar. Vnigen. cap. 3. dixerit, tantundem esse Christum dici *Iesum*, ac dici *Emmanuelem.* Non ait, vtrumque nomen esse idem. Nam reuera formaliter loquendo, aliud est, esse *Iesum*, siue *Saluatorem*, ac Redemptorem; aliud, esse Deum nobiscum. Radicaliter tamen, siue spectato eo quod inuoluitur in nomine *Redemptoris*, & propter quod Deus nobiscum esse voluit, tantundem est vnum nomen atque alterum. Deus enim principaliter decreuit venire ad nos, & esse substantialiter nobiscum, vt redimeret sibi populum acceptabilem: quod exequi nequiuisset, nisi Deus fuisset. Nam satisfactio pendenda ad hominis redemptionem ex Iustitia, non potuisset exhiberi à pura creatura, neque à Deo in sua nuda diuinitate spectato. Itaque ad exhibendum litrum nobis necessarium, & reparandam prout necesse erat, iniuriam diuinam, oportuit Deum Saluatorem, esse nobiscum per vnionem hypostaticam cum humanitate. Atque ita tantundem sunt Iesu, siue Saluator, & Emmanuel *nobiscum Deus, perfectissimo modo*, vt rectè dixit S. Cyrillus, & præiuerant Tertullianus lib. 3. contra Marcio. cap. 12. & Lactant. 4. Instit. cap. 12. Nec puto aliud voluisse Abulensem in cap. 1. Matth. ad illud, *& vocabitur nomen eius Emmanuel* ante quæstionem 44. cum dixit, *Iesum* & *Emmanuel*, esse idem nomen. Sensus enim debet esse, tantundem ferre vnum nomen atque alterum, & vtriusque notiones nexas esse ac complicatas; quatenus notio nominis *Iesu*, nempe *esse Saluatorem*, præsupponit notionem nominis *Emmanuel*, quæ est, *esse Deum nobiscum*, & ad eam consequitur, vt proprietas ad radicem.

### *Bona fortuna Romana in simeto, imago Dei nobiscum.*

Video in hac Dei nobiscum existentia, agnoscere veritatem fabulæ, imo impietatis, ac Idolomaniæ Romanæ, cuius mentio est apud Clementem Alexand. in Protrep. Deam quippè apud eos maximam, nempe Fortunam, cuius esse censebant prosperos euentus ac res secundas, collocabant in sterquilinio. Fortunam porrò prosperam, seu rerum ex voto fluentium cursum, abiisdem Romanis, vt & à Græcis, significatam esse per hoc quod est, *Deum secum habere*, vel *Deum esse cum aliquo*, multis profanorum Scriptorum locis illustrat Erasmus Chiliade 3. cent. 1. Adag. 78. quod est σὺν, θεῷ, vel *cum Deo.* Nec abhorrent ab eo loquendi modo, Scripturæ, in quibus ad significandum omnia alicui prosperè cessisse, sæpè legimus, *erat Deus cum eo*, quod Ethnici aliter dixissent, *erat fortunatissimus.* Itaque haud abs re asserui, agnosci po-

sse

posse affinitatem aliquam inter notionem *Emmanuëlis*, quæ est, *nobiscum Deus*, & bonam fortunam generis nostri. Nec Theologi valdè refragabuntur, quibus bona fortuna nostra Deus est, cum primam cogitationem, & præsertim in supernaturalibus, hoc est, primum gratiæ tactum, aiunt esse à bona fortuna, ideſt à Deo, quem Proclus in Timæum, affirmat esse verè fortunam nostram. Ita porrò habet quòd de maxima illa Romanorum Dea, Fortuna, tactum à Clemente est; & miror ab iis qui de Fortuna Deo collegere permulta, fuisse præteritum, vt à lilio Gyraldo Syntag. 15. & ab Alexandro Neapol. lib. 1. Genial. cap. 13. Fortunæ Regiæ, (sic enim cognominabant,) statuam auream collocabant in sterneto, imo in sterquilinio εἰς ἀφεδρῶνα καὶ κοπρῶνα. Quia verò ex Spartiano & Capitolino constat, eam Fortunæ statuam asseruari solitam in cubiculo Imperatoris ad eius vsque obitum, nec inde eductam priusquàm ad successorem transferenda esset: (singulare quippe fuit, quòd Seuerus cum geminari eam statuam mandasset, vt geminis liberis Caracallæ ac Getæ præsto esset, idque se præueniente morte minimè assecuturum videret; edixerit, vt alternatim die vna apud vnum è liberis, altera apud alium asseruaretur, sicque quot diebus, transferretur statua:) Quia inquam prædictorum Historicorum testificatione compertum habemus, auream Fortunæ Regiæ statuam, in Imperatoris cubiculo fuisse asseruatam, fateri cogimur, sterquilinium illud in quo collocatam Fortunæ statuam ait Clemens, fuisse quod ipsæ Græcæ voces ferunt, ἀφεδρῶνα καὶ κοπρῶνα, *secessum* siue *latrinas* intra cubiculum Imperatorium collocatas, eiuè continentes, ita vt pars cubiculi censeri possent. Placuit autem asseruari ibi Fortunam Regiam, siue vt esset monimentum, è quàm humili fortuna seruius Tullius, cuius id esse inuentum creditur, prouectus esset ad regnum: siue vt confiteret, Deum qui è stercore eleuat pauperem, id quod de plerisque æui sui Regibus & Imperatoribus testatur Origenes l. 2. contra Celsum, posse vicissim ad sterquilinium redigere Reges malè moratos, & conditionis suæ oblitos.

Nos Christiani, bonam fortunam nostram, & quicquid fœlix ac prosperum speraree licet, possumus, (ô Dei bonitatis pelagus!) collocatum in sterquilinio agnoscere per Incarnationem, & productionem Emmanuëlis, qui bonam (vt dixi,) fortunam sonat. Neque attendo deiectionem Christi ad stabulũ, quæ postea secuta est, Deo hominem qui obruerat ad præsepe vsque consecuto, vt piè meditantur Hesychius hom. 2. de Deip. & S. Bernardus serm. 35. in Cant. Sed attendo punctum ipsum Incarnationis, ac momentum producti Emmanuëlis, qui in sterquilinio tunc fuit, siue spectato loco materno in quo conceptus est, siue attento proximiore loco, nempe secundinis queis obnoluebatur. Pax sit oculis, dum speluncam duplicem (vt Palamas in Prosopop. loquitur duo illa fœtus loca sepulchro per Abrahamum coëmpto componens;) videor irreuerentiùs quàm pro locorum illorum sanctitate compellare. Sed totum Christi dedecus vt est apud Tertullianum lib. 2. in Marcio cap. 27. Sacramentum est humanæ salutis: nec est quòd erubescamus profiteri, quòd Deus non erubuit pro nobis suscipere. Lubens ac volens prædico, B. Virginem ratione vteri quo Deum corporatum excepit, esse domum auream nitentissimam & puriſsimam, ea æde pellucidiorem, quam Nero autore Plinio lib. 36. cap. 22. Fortunæ struxit, auream totam, cui columnæ ex phengite lapide perspicuo, erant pro fenestris. Sunt apud Patres innumera sanctissimi illius vteri decora quæ collegimus libro 3. sectio. 2. cap. 5. Et nihilominus (proh Dei demissionem hominis causa!) spectata naturali conditione fœminei corporis, illa corporis veluti sentina, in sexu molliore, quantumuis ritè composito, sordere solet illuuie aliqua excrementitia, plus minùs ve abundante, & plus vel minus ibi hærente; pro varietate dispositionis corporeæ & rectionis qua vita exigitur. Nec dubitat Abulensis ita rem se habuisse in B. Virgine, vt videre apud eum est in cap. 12. Ieuit. à quæst. 7. Iuxta probatiorem verò sententiam, quæ eam illuuiem à Deipara ablegat, & meritò vt alibi monstrandum est, potest nihilominus verum manere; quod Christus ratione huius sui primi loci fuerit in sterquilinio, quatenus nisi Deus speciali prouidentia eam fœculentiam fœminis omnibus communem, à Sanctissimæ Parentis suæ vtero auertisset, contigisset illi ea in parte secundùm aliarum mulierum consuetudinemem. Et quanquam in B. Virgine quia aberat ab omni in esculentis & poculentis immoderatione, fatendum est, eam humorum aliunde illuc aduenientium conflugem, etiam seclusa alia extraordinaria Dei prouidentia, & exilem, & haud diuturnam, nec ad fœtorem vsque præ situ & corruptione, vt aliis mulieribus assolet progredientem, fuisse futuram: Tamen subitio locorum illorum, vbiuis alibi adeo inquinatorum atque fœtentium, etiam si ab eis in hoc indiuiduo omnem illuuiem ex specialissima prouidentia detersam admittamus, sufficisse videtur, ad concitandam Ecclesiæ admirationem, qua obstupuit collaudans Dei Verbum, eo quod non horruerit Virginis vterum; quippe qui ex sua naturali conditione ac dispositione in fœmineo corpore, est velut sterquilinium quodpiam atque fimetum, etiamsi in hac persona sit vndecunque nitens ac purum. Sicut si Rex secessum vel nondum conspurcatum, vel præpurgatum subiret, & ibi hæreret ad nonimestre, diceretur incoluisse secessum toto illo tempore. Iterum dico. Non erubesco indecorum & sordens vocabulum vsurpare, agendo de parente Sanctissima, quod ita sit necessarium ad explicandum summũ decorem benignitatis Dei in nos, quæ nullibi micat luculentiùs,

ac ne in cruce quidem, iuxta doctrinam S. Chrysostomi Orat. de S. Philogonio, quod tanto magis se deierit Christus subeundo mulieris vterum præ subitione crucis, quantò plus distat Deus ab vtero mulieris, quàm homo à patibulo. Vt vt verò de pleno nitore & exquisitissima munditia Virgineorum locorum statuatur, vicinia maternorum excrementorum è cibi reliquiis, satis superque esse potuit ad idem argumentum denominandi Christum, pro nobis demissum ad sterquilinium vsque. Vterus enim quo infans abditur, incumbit maternis intestinis, quibus ea materna fœculentia, donec excernatur, velut in sterquilinio continetur.

Locus alter proximus & immediatus, quo Christus intra maternum vterum obuoluebatur, æquè suppeditat fundamentum affirmandi, bonam vniuersi fortunam, Christum Dominum, quo tempore in materni vteri sinu delituit, fuisse in sterquilinio. In ea enim interiore spelunca, (vt cum Palama loquebamur, hoc est intra secundinas per totum tempus commorationis Christi in vtero, asseruabantur excrementa, quæ in Christo, vt in aliis fœtibus, sin minùs tanta & tam fœda, attamen aliqua excernebantur, & in cysti fœtui apposita, hærebant durante illa mora; quod est defigi in fœcibus suis. Itaque haud abs re dixisse videor, nomine *Emmanuelis*, seu *Dei nobiscum*, ad nostras inquam sordes & communem materiam, ac communia initia deducti, exprimi quod Romani de Deo maximo bona omnia causante, ignorantes asseruerunt, ad sterquilinium deducto.

### *Vsus doctrinæ de Christo Emmanuele, seu Deo nobiscum.*

Est hæc seges vberrima insignium affectuum, & luculenti vsus doctrinæ, ex nomine Emmanuelis, & subiecta ei notione. Et inprimis, agnoscenda est cum suauissimo sensu pietatis, dignatio Dei: quod non possum meliùs, exequi, quàm verbis Richardi Victorini lib. 1. de Emman. cap. 19. [In hoc puero recuperauit homo honorem suum; Ipse est qui abstulit opprobrium nostrum. Sed quale (inquit) opprobrium? Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Factus est autem homo ad imaginem & similitudinem Dei; Grandis honor. Sed homo non intellexit, ideóque despexit. Despecta verò, atque reiecta similitudine Dei transfigurauit se ad similitudinem iumenti. Ecce quale dedecus, iuxta magnitudinem honoris, magnitudo dedecoris, inde opprobrium, inde improperium, & iustè iam quidem opprobria exprobrantium ceciderunt super eum. Meritò ergo clamat. *Auser à me opprobrium, & contemptum.* Penset homo pietatem Dei si possit. Contemptus à nobis, contemptum nostrum sustinere non potuit. Despectus ab homine, despicientis opprobrium portare non sustinuit. Reiecit homo ad quam formatus est similitudinem diuinam: Deus è vestigio conformauit se ad illam è qua homo transformauerat se similitudinem humanam: ô qualis reformatio; ô qualis detersio exprobationis, transformatum similitudini iumenti, habere iam Deum similem sui. Ecce ad extergendum opprobrium nostrum, Deus Dei filius factus est nobis Emmanuel, comedens mel atque butirum, vt iuxta similitudinem hominum sciret reprobare malum, & eligere bonum. Cesset ergo iam vetus opprobrium, cesset illud antiquum improperium. Ecce enim audio vnam aliquam ex tribus in Trinitate personis, personare in voce exprobrationis; *Ecce Adam factus est vnus quasi ex nobis.* Meritò certè exprobrastis; sed nunquid exprobraturi estis. Certè si dicitis ironicè, quia *homo factus est quasi vnus ex nobis*, nos de cætero dicemus tam fidenter, quàm veraciter, quia Deus factus est quasi vnus ex nobis. Dictum est illud, & meritò, cum exprobratione. Dicamus nos iam istud cum gratiarum actione. Dictum est illud in voce exprobrantis & obloquentis; dicamus modò istud in voce exultationis & confessionis.]

Dignissimum præterea ac iustissimum est, vt si Deus ad nos deuinciendos & arctissimè copulandos sibi, voluit esse substantialiter nobiscum, nos item simus cum Deo quàm possumus præstantissimo modo; id est per affectum incensissimum, sicque efficiamur Dij, vt ille homo effectus est. Nam quanquam longè sublimior est modus quo dignatus est nobiscum esse, quippe substantialis; cum esse Deum per affectum, (quod vnum possumus cum Dei gratia,) sit tantùm aliquid accidentarium; tamen æmulamur illum longè præcellentissimum essendi modum, cum nitimur coniungi Deo quàm præstantissimo modo possumus; etiam si is modus sit tantùm accidentarius. Hunc esse finem aduentus Verbi in carnem, vt factus substantialiter siue hypostaticè homo, facere nos, quàm optimè licebat Deos, asserit S. Leo serm. 6. de Natiuit. Dom. cap. 2. & idem pulcherrimè planè docet Origenes homil. 2. in diuersos, quem expressit S. Chrysostomus homil. 10. in Ioan. Alios in eam rem Patres, protuli lib. 3. sect. 1. cap. 1. *in fine.* Idque esse signum quod Deus Isaiæ 7. se exhibiturum dixerat, tradit Richardus Victor. lib. 1. de Emman. cap. 12. & simile est quod idem lib. 1. cap. 20. habet de Deo ad boni & mali scientiam demisso, vt homo similiter ac Deus, disceret scire bonum & malum; hoc reprobando, illud solum amplectendo.

Est præterea quod considerato hoc Dei aduentu vt esset nobiscum, exultemus & gaudeamus, certi deinceps & secuti de victoria. Bellabat olim Israël cum Philistiim, & iussum est afferri arcam Dei in castra. Tanta verò fuit populi exultatio in aduentu arcæ, tanta è contrario Philistæorum consternatio, vt isti actum de se planè putarent, illi gestirent toti, nec possent intra claustra pectorum continere exuberantem lætitiam. Multo plenior nobis est gaudij materia, ex hac Dei nobiscum inexistentia, quanto plus est arca viua humanitatis, & eam sanctificans substantialiter Verbum, quàm lignea arca.

Itaque

Itaque multo iustiùs quàm illi, de victoria & & clade inimicorum concipere possumus ac debemus spem bonam, audacter in eos intortis verbis illis exprobrationis apud Esaiam cap. 8. in persona nostra. *O Emmanuel;* (Ita enim connectit ibi S. Cyrillus affectum exultantis Ecclesiæ, quem passim Latini censent esse affectum gementis, nexum cum præcedentibus quibus clades terræ describitur;) O igitur Emmanuel, id est Deus nobiscum. Iam concurrite, provt liber, in nos & infestæ irruite hostiles acies. *Congregamini populi, & vincimini, & audite vniuersa procul terræ; confortamini & vincimini, accingite vos & vincimini. Inite consilium & dissipabitur: loquimini verbum & non fiet, quia nobiscum Deus.* Exclusa planè est per hanc Dei benignitatem omnis timoris, & desponsionis animi, ob impetus hostium, & dolos aut vires eorum. Ad hanc exultationem ex Dei ad nos descensu, prouocat Christianos S. Leo serm. 5. de Natiu. Dom. cap. 2.

Erigimur hinc quoque, ad fiduciam de regressu in patriam cœlestem, vt sicut Deus ad nos venire voluit, & substantialiter ac per cohabitationem & conuersationem nobiscum esse; ita & nos regrediamur per eum, in cælum veram patriam nostram è qua exulamus. [Emmanuel noster (inquit Richardus Victorinus lib. 1. de Emman. cap. 12.) factus est nobiscum, non solùm nostræ susceptione naturæ, verùm etiam cohabitatione peregrinationis nostræ. Sed cur quæso Deus hominem prosecutus est vsque in exilium, nisi vt eum post se reuocaret ad regnum? Habemus ergo certissimum repatriandi signum, familiare illud in hac nostra peregrinatione diuinæ cohabitationis contubernium.] Et hinc maximè Christianum erigit, eique gratulatur S. Leo ser. 2. de Natiu. Dom. c. 5.



# SECTIO II.

## DE CHRISTI ATTRIBVTIS in ordine ad Deum.

HÆc secunda classis Christi attributorum, iuxta ordinem superiùs constitutum, commodè distribuetur, partim in ea attributa quæ spectant ea quibus Christus est à Patre donatus; partim in alia quæ pertinent ad exhibita Patri à Christo. In priori ordine sunt, esse Filium Dei, Agnum Dei, faciem ac vultum Dei, dilectum Patri, Seruum, Creaturam nouam, Gratiam Dei atque Misericordiam, & si quæ sunt alia fundata in esse Christi, aut modo illud accipiendi à Patre. Ad posteriorem ordinem pertinent, esse Christum, Martyrem Dei, & Apostolum eius, siue Angelum, & Amen Dei, ac etiam Alleluia.

### CAPVT I.

#### *Christus Filius Dei naturalis, Vnigenitus Patris.*

NOn est hîc sermo de filiatione Christi prout est persona diuina subsistens in Deitate. Sic enim certa fides est aduersus Arianos, Christum esse Deum verum de Deo vero, via generationis procedentem, atque adeò filium Dei naturalem. Tota ergo huius loci disputatio est de Christo quatenus homine, seu quatenus diuina personalitas in eius humanitate, subsistit, eámque substantialiter terminat.

#### *Christum hominem, non esse naturalem, sed adoptiuum Dei Filium, quorundam sententia.*

Aliqui ergo negarent Christum sub ea ratione esse filium Dei naturalem, admitterentque esse filium adoptiuum. Ita Durandus in 3. d. 4. quæst. 1. numer. 6. ac Bassolis ibid. art. 2. & Rubionius in 3. d. 10. quæst. 2. quorum ratio est, quia Christus quatenus homo, est filius Dei; cum sit sanctus & gratus Deo: quod vt ex iustis vulgaribus patet, satis est ad hoc vt quis sit filius Dei. Atqui per eam sanctimoniam, Christus non constituitur filius Dei naturalis, quia propter eam Christus non procedit vt viuens à viuente in similitudinem naturæ. Igitur est filius adoptiuus, sicut nos sumus, non quidem per diuersitatem personæ humanæ à diuina, (quo sensu Nestorius cum Diodoro Tarsensi libro suo 3. de Incarnat. apud Leontium Byzantinum, blasphemè statuit Christum filium Dei adoptiuum,) sed per exclusionem generationis naturalis, & per communicationem gratiæ habitualis, quæ constituit hominem filium Dei adoptiuum, nec potest constituere naturalem: quamuis vt Rubionius sæpè repetit, fas sit, Christum hominem denominare filium Dei naturalem per idiomatum communicationem. Quid quod disertè nonnulli Patres Christum filium adoptiuum statuerunt, vt agnoscit Facundus lib. 9. pro tribus capitulis cap. 5. & nominatim ita sensisse S. Hildefonsum fama tulit, eumque pro se referebat Elipandus. Inexcusabiliter autem id affirmasse S. Irenæum l. 3. c. 21. censet Vasq. 3. p. d. 89. c. 15. loca tria in eandem rem satis difficilia exhibet Agobardus l. contra Felicem *sub finem*. Locus S. Hilarij sic habet. [Parit Virgo, partus à Deo est. Infans vagit; laudantes Angeli audiuntur. Panni fordent, Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.] Quid clarius? Neque enim ea adoptio carnis, referri potest ad nostram adoptionem factam interuentu demissionis Christi, sed perspicuè à S. Hilario refertur ad ipsiusmet individuæ carnis, siue humanitatis Christi adoptionem. Quo eodem modo accipiendus videtur S. Auitus his verbis quæ ex eo refert Agobardus. [Certè circumfrementibus Iudæis, & in Dominum nostrum exerta blasphemiarum tela vibrantibus, quem respondisse credimus, *amen dico vobis ante Abraham ego sum*, nisi quia per concordiam Genitoris & generis, ipse per traducem maternorum patrum ex Abrahæ semine, qui sine annorum numero Abraham præiuit æternitate? Qui maxim us

maximus Patriarcharum cum videret illum diem in quo sine fine permanet Deus, concupiuit tamen illum videre quo homo vnitus est Deo. *Vidit* (inquit) *& gauisus est* : quia sicut cernebat illum in quo erat genuina maiestas, ita & istum desiderio conceperat, in quo adoptata illustrabatur humilitas.] En *adoptatam humilitatem* humanitatis Christi. Videntur ergo hi Patres, apertè astipulari adoptioni Christi quatenus hominis. Vt omittam Marium Victorinum lib. 1. contra Arium qui nonnisi cum addito vocat Christum, filium adoptiuum. [Non est filius (inquit de Christo) quemadmodùm nos : Nos enim adoptione filij, ille natura. Etiam quadam adoptione filius & Christus, sed secundùm carnem. Ego hodie genui te. [Quod dicat Christum secundum carnem, esse *quadam adoptione* filium Dei, non est visus allegendus in eorum classem qui simpliciter dixerunt, Christum esse filium Dei adoptiuum. Et reuera eius sensus non alius esse videtur, quàm quod humanitas non natura sua, sed ex vera Dei gratia & liberalitate, sit euecta ad subsistentiam filij Dei, quod est longè diuersum ab eo quod alij affirmant de Christo filio Dei adoptiuo.

*Improbatur à quibusdam inefficaciter.*

95. Contraria sententia est inter Scholasticos communissima. Quanquam non omnes eam probant efficaciter. Aliqui enim inde id confirmant, quod necesse sit, filium adoptiuum priùs tempore, vel saltem priùs natura esse quàm adoptetur. Atqui Christus non fuit priùs tempore vel priùs natura homo quàm filius Dei. Non est igitur adoptiuus Dei filius. Quæ argumentatio gratis assumit, ad filiationem adoptiuam requiri præexistentiam personæ adoptati, aut temporaneam, aut secundùm ordinem naturæ, priusquàm adoptetur.

Alij argumentantur ex eo quòd adoptio non contineat vnionem cum adoptione nisi secundùm affectum. At humanitas Christi realiter & hypostaticè vnitur Verbo. Non est igitur Christus secundùm humanitem filius Dei adoptiuus. Sed hæc quoque ratio, infirma est : quia non ostendit, vnionem realem excludere adoptionem, quod tamen fuisset ostendendum. Est quidem verum, vi adoptionis non inferri realem vnionem. Viceversa tamen non sequitur, vel saltem non ostenditur, adoptionem abesse posita reali vnione : quia cum ea vnio sit naturæ à Deo extraneæ, eiusmodi esse videtur omnis creatura, atque adeò etiam Christi humanitas, nihil in se habere videtur incompossibile cum talis naturæ sanctificatione accidentaria, atque adeò etiam cum adoptione.

Nonnulli inde à Christo homine remouent filiationem adoptiuam, quod relatio filiationis adoptiuæ conueniat ipsi suppositio immediatè, non autem mediante natura. Nam gratia sanctificans quæ confert filiationem adoptiuam, est noua natura dans supposito esse nouum & distinctum ab esse naturali quod dat natura creata; eique nequaquam superueniens, sed immediatè afficiens suppositum. Sicut si Angelus assumeret humanitatem, humanitas quia est noua natura, non aduenire naturæ Angelicæ, sed eius supposito. Repugnat autem, suppositum diuinum immediatè ac per seipsum esse filium adoptiuum. Igitur Christus homo, non est filius adoptiuus. Hæc item ratio est inanis. Falsum quippe est, filiationem quæ confertur per gratiam sanctificantem, cadere immediatè in diuinum suppositum. Nec id rectè probatur ex eo quod gratia sanctificans sit noua natura. Id enim est tantùm analogicè verum, ob aliquam proportionem quam gratia habet cum habitibus aliis infusis; ei non absimilem quæ naturæ intercedit cum suis potentiis. Absolutè tamen gratia non est natura, sed merum accidens : quod proinde in Christo non aduenit immediatè supposito diuino, sed humanitati per Verbum terminatæ; nec Verbum afficit nisi per humanitatem : Idque vnum affirmat Durandus. Nec argumento proposito, ostenditur id repugnare. Quare alia præsidia veritatis propositæ quærenda sunt, si eam solidè stabilitam volumus.

*Solida improbatio.*

96. Hoc vt assequamur, supponenda est adoptionis diuinæ germana ratio. Nam tum demum eam à Christo remouere legitimè licebit cum perspectum fuerit quid sit, & quid cum vnione hypostatica incompossibile inferat. In eo ergo sita est diuina adoptio, vt pleniùs dicam sect. 4. c. 10. quod personæ prorsus ex se à Deo extraneæ, à diuina benignitate donentur diuinitate proportionali, vt loquitur S. Maximus centur. 1. ex variis c. 76. id est gratia sanctificante, atque adeò per affectum fiant filij Dei. Hæc cum sic legitima notio adoptionis qua Deus puras quascunque intellectuales creaturas adlegit in filios, non generans, sed dicens vt sint Dij & filij excelsi, iuxta Cyrillum Hierosol. catech. 11. itémque vt post Nyssenum orat. 5. (imo 6. in Eunom. loquitur Iustinianus in edicto de fide, *non proprios habens, sed per imperium productos, & generatos*; constare potest, quàm rectè constitutum à nobis sit Christum non esse filium adoptiuum. Christum inquam, non quatenus nudè Verbum, de quo sit ne filius naturalis non est lis nisi cum Arianis; sed quatenus est subsistens in humanitate : ita vt filiatio ipsam humanitatem afficiat, licèt non seorsim à Verbo positam, sed vt ei copulatam. Quatenus Durandus, & alij, affirmabant Christum esse filium Dei adoptiuum.

Contrarium ex dictis confirmo, cum D. Thoma 3. p. q. 24. art. 1. quia persona quæ adoptatur ab aliquo, debet esse adoptanti extranea, saltem quoad gradum filij, vt constat ex fine adoptionis. Atqui Christus, etiam quatenus est persona in humanitate subsistens, non est persona à Deo extranea. Igitur etiam vt sic, non est filius adoptiuus. Vsus est hac ratione Adrianus Papa, Epistola ad Episcopos Hispaniæ, quam tametsi Be-

ned. Iustinia. Philipp. 2. v. 7. num. 7. suspicatur Adriano affingi, alij tamen communiter agnoscunt legitimam. Vsurpatur quoque ea ratio in Concilio Francofordiensi, & passim à Doctoribus : nec video qua ex parte nutet.

Tantùm dici potest, ad minorem, eatenus Christum haberi posse extraneum à Deo in sua humanitate; quatenus vt sic, non processit à Deo per generationem, nec est de eius substantia. Ex quo sequitur, vt quoad hoc sit creatura, nec habeat ius ad diuinam hæreditatem, nisi per gratiam. Nam id est totum fundamentum, quo nituntur qui statuunt, Christum provt est Verbum subsistens in humanitate, esse filium adoptiuum. Hoc tamen non eneruat rationem factam, quia non quisquis esse ab aliquo per generationem non accepit, censendus est eius filius adoptiuus. Potest enim nihilominus non esse ab eo extraneus, & habere ius connaturale ad hæreditatem eius; si nimirum vi sui esse, & essentialis constitutionis, sit cum eo coniunctus substantialiter, seu personaliter: Nam cum ea coniunctione, repugnat vt persona sit extranea, etiam provt subsistens in natura non collata per generationem substantialem, ab eo cui coniungitur prædicto modo. Igitur quamuis Christus vt homo, non acceperit esse à Deo per generationem quæ est processio viuentis à viuente in similitudinem naturæ; tamen non est habendus filius adoptiuus; quia vt dixi; etiam vt homo, siue in humanitate sua, est coniunctus Deo personaliter; ac proinde non est ei extraneus, quod est de ratione adoptionis, vt declaratum manet ex proposito superiùs ejus fine. Est igitur ratio proposita, planè idonea ad confirmandam sententiam à nobis constitutam.

*Fundamenta contrarij placiti, disiecta.*

97. Quod è contrario ei ab aduersariis opponebatur, leue est. Non enim quia est in Christo gratia sanctificans eiusdem cum nostra speciei, sequitur Christum esse æquè ac nos filium adoptiuum. Nam gratia, tunc tantùm habet pro formali effectu adoptionem, cum subiectum cui gratia aduenit, est extraneum: quod nullomodo in Christum cadit. Eodémque recidit, quod aliàs diximus, filiationem naturalem in Christo, absorbere seu excludere adoptiuam, ex gratia sanctificante creata consecuturam. Sicut maiùs vinculum quod est inter patrem & filium, facit vt non denominentur amici; quamuis tota ratio amicitiæ, ex qua aliæ personæ denominarentur amicæ, inter eos locum habeat.

Ad Patres verò quos pro Christi adoptione proferri diximus, respondet Facundus, idcircò Christum ab eis potuisse dici, *adoptionem suscepisse*, quia Sacramentum adoptionis filiorum suscepit, cum circumcisus est & baptizatus. Repræsentandus est integer locus, quia eget emplastro quoad aliud negotium. [Adoptionem (inquit) filiorum susscepisse Christum, si antiqui Doctores Ecclesiæ dixisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesiæ, quæ tales Doctores habuit, iudicari deberent hæretici. Nam Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, & quando circumcisus est, & quando baptizatus est: & potest Sacramentum adoptionis *adoptio* nuncupari; sicut Sacramentum corporis & sanguinis eius quod est in pane & poculo consecrato, corpus eius & sanguinem dicimus: non quod propriè corpus eius sit panis, & poculum sanguis: sed quod in se mysterium corporis eius, sanguinisque contineant. Hinc & ipse Dominus, benedictum panem, & calicem, quem discipulis tradidit, corpus & sanguinem suum vocauit. Quocirca sicut Christi fideles, Sacramentum corporis & sanguinis eius accipientes, corpus & sanguinem Christi rectè dicuntur accipere; sic & ipse Christus, Sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit rectè dici adoptionem filiorum suscepisse. Alioquin neque de nobis dicendum est, quoniam adoptionem suscepimus filiorum, aut quia redempti sumus atque saluati; quoniam Apostolus dicit; *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei. Expectantes, redemptionem corporis nostri; spe enim salui facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes.* Sicut ergo, quamuis adhuc secundùm Apostolum, expectemus adoptionem, & redemptionem, & salutem; tamen quia iam Sacramentum adoptionis & redemptionis, & salutis accipimus, & filij Dei, & redempti, & saluati, rectè vocamur; ita Christus quoque Sacramentum adoptionis non ad vtilitatem suam, sed ad ipsius Sacramenti confirmationem, in circumcisione, & baptismo suscipiens, sicut Apostolus ait; *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum*, potuit ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus rectè dici, quod adoptionem susceperit filiorum.]

Hic locus, quantum, attinet ad exponendos Patres Christi adoptioni in speciem stipulatos, valeat quantum potest. Ægrè certè satisfacit, quia plerique Patres qui adoptionis Christi meminerunt, nullo respectu habito ad eius baptismum, ita sunt locuti: & meritò baptismum Christi prætermiserunt, de adoptione eius agentes; quia baptismus ille non erat Sacramentum adoptionis, sicut est noster baptismus. Quod verò Facundus, adoptionem Christi per Sacramentum adoptionis, exponit, sicut Sacramentum corporis & sanguinis Christi, dicitur corpus Christi, etiamsi panis & poculum non sint propriè corpus & sanguis Christi; sed tantùm quia in se mysterium corporis & sanguinis Christi continent; hoc inquam quod de Christi corpore & sanguine ait Facundus, illud ipsum est, quod emplastro egere dicebam, ne hostes Christi, dimissis tot patentissimis & nullatenus ambiguis Patrum locis, quibus veritas corporis & sanguinis Christi asseritur, ad hunc Facundi locum in speciem duriusculum, illidantur; quod ante paucos dies in vrbe Nemauso, quæ nuper hæresconis latibulum in Septimania fuit, scio accidisse

inuers

inueterato dierum malorum in Caluini hara fabulco: hunc Facundi tunc recens editi locum, aduersùs veritatem Catholicam intorquentis. Sed facillimum erat aduertere, Facundum, *Sacramentum corporis & sanguinis*, appellare species visibiles. Hæ enim sunt quæ immediatè videntur & accipiuntur: & ratione earum, quamuis non sint corpus & sanguis Christi, tamen verum corpus Christi quod eis subest, dicitur tangi, videri, accipi. Qua ratione S. Anselmus, extremo capite libri de Sacramento altaris, & plenius Lanfrancus l. contra Berengarium, exponunt locum D. Augustini ex Epistolare 23. ad Bonifacium, huic Facundi loco affinem, quo Berengarius abutebatur. Nec plura de responsione quam Facundus suggerebat ad loca Patrum, adoptionem Christi, verbo tenus admittentium.

### *Purgati nominatim Patres aliqui; Hildefonsus, Irenæus, Hieronymus.*

98. Nominatim autem pro S. Hildefonso, certum videtur, eum per calumniam allegari pro Christi adoptione. Nam lib. de perpetua virginit. S. Mariæ, ita loquitur. [ Si ipse ex matre coinquinatus esset aut materna viscera quasi pro peccato corrumperet, & sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinaret, non esset Dei filius, sed adoptiuus vt cæteri. Quinimo nec adoptiuus & nullus esset, per quem adoptaretur ipse si non esset proprius. ] En apertè S. Hildefonsus negat Christi adoptionem. Itaque erauit in facto Synodus Francofordiensis circa S. Hildefonsum. Nec necesse est respondere cum Baronio ad Rom. Martyrol. 23. Ianu. *litera* I. S. Hildefonsum, cum scripsit Christum esse filium adoptione, sumpsisse *personam* pro *natura*, ita vt tantùm voluerit dicere, esse in Christo duas naturas: sicut è contrario S. Cyrillus, dixit esse in Christo vnam naturam, sumpta voce *naturæ* pro *personæ*. Non video tamen, quomodò hæc responsio quadret argumento: quod non opponit, dictum fuisse à S. Hildefonso, esse in Christo duas personas; sed Christum dictum ab eo fuisse filium adoptiuum: id quod salua personæ vnitate, toties à sancto viro celebrata, affirmauit. Quare nisi haberemus pro S. Hildefonso illud quod ex eo protuli testimonium, præstaret fateri, eum, & si qui alij Patres ita sunt locuti, eodem sensu vocasse Christum adoptiuum, quo scholastici pro contrario placito allegati; nempe quia secundùm humanitatem non est à Deo per generationem.

Pro sancto tamen Ireneo, nulla talis excusatio est necessaria. Apertè enim per eum *quem adoptionẽ recipere* dicit, designat vnum quemque nostrum; non autem Christum, vt aduersarius imaginatur præeunte ibi Feuardentio. Sensus ergo genuinus S. Irenæi, est idcirco Verbum iunctum esse carni, & filium Dei naturalem, factum esse filium hominis, vt puri homines fiant per adoptionem filij Dei. In quam rem, cum ipsum Irenæum, tum alios plerosque Patres retulimus lib. 3. c. 1. cap. 1. *subfinem*: estque id ipsum quod post Iræneum his aliis verbis eodem planè sensu dixit Origenes hom. 2. in diuersos sub finem. [ Verbum in carnem descendit, vt per naturalem filium vnigenitum multi filij efficiantur adoptiui. Non propter se ipsum caro factum est, sed propter nos, qui non nisi per Verbi carnem, potuissemus in Dei filios transmutari.

99. Vt locum S. Hieronymi pro Christi adoptione à Felice obiectam, exponat Agobardus, ipsum locum describit, & quidem paulo altiùs repetito principio vt de mente viri sancti, ex antecedentibus clarius liqueat. Consulendus est locus præsertim cum is duntaxat ex libro S. Hieronymi, seruante Agobardo naufragium euaserit. Beatus Hieronymus (inquit Agobardus) in suo breui & elegantissimo Tractatu de similitudine carnis peccati, contra Manichæos, hoc confirmat proposita ipsa sententia, quæ primum Adam, in animam viuentem factum esse testatur; nouissimum in Spiritum viuificantem. Quod & Psalmista duobus versiculis explanauit, dicens; *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum.* Homo, *Adam* accipiendus est; filius hominis, *Dominus* intelligendus est; qui in memoriam veteris visitatur, & in defuncti recordatione Spiritu salutis impletur; quod ipsa verba exprimunt, vtem planam videre non mirum sit; dum & homini memoria coniungitur, & filio hominis visitatio copulatur. Illi mortali, quid aliud poterat superesse? huic viuificanti, quid aliud oportebat infundi; Nam defunctis memoria debetur; visitatio viuentibus exhibetur. Quod vtcumque in Domino per Incarnationem constat impletum, cum in primi commemoratione, nouissimus visitatur; & per nouissimi visitationem, saluatur & primus. Huic sensui germana est illa sententia, *primus homo, de terra terrenus, Secundus homo de cælo cælestis.* Quis est iste *cælestis?* sine dubio qui eum quem gestabat, in baptismate fecit audire, quod ante ipsum nullus audierat; *filius meus es tu, ego hodie genuit te.* Et qualiter dicitur *hodie*, si in principio verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quia non est istud Verbum quod semper in Patre, & apud Patrem, & cum Patre fuisse, & esse credendum: sed homo, quem in gratiam salutis, Deus Verbum susceperat, audiuit, hic filius hominis per Dei filium, Dei esse filius, in Dei filio promeretur; nec adoptio à natura seiungitur, sed natura cum adoptione coniungitur: quoniam cum Verbum, caro factum est, non per assumptam decreuit assumptor, sed in assumente creuit assumptio creatura enim poterat per creatorem infirmitatis substantia commutari; creatoris autem in creaturam non poterat æternitatis naturâ conuerti, & ideò cum dicitur *prior homo de terra terrenus, secundus homo è cælo cælestis*, non corporis materia separatur, sed forma vitalis; nec caro tollitur, sed carnis susceptor ostenditur. Ille inquam qui in Euangelio ait. *Vos de inferioribus, ego de superioribus sum.* De superioribus, ait;

ait : non vtique fiderea carne sed virtute diuina. Videtur in his verbis S. Hieronymus agnoscere adoptionem Christi. Reuera tamen si omnia attendantur, illam euertit, quod his verbis optimè monstrat qui eum Hieronymi locum retulit Agobardus. [Ecce Beatus Hieronymus postquàm dixit, *nec adoptio seiungitur à natura, sed natura cum adoptione coniungitur*, vt ostenderet quæ esset hæc adoptio, adiunxit: *Quoniam cum Verbum caro factum est, non per assumptum decreuit assumptor, sed in assumente creuit assumptio.* Quod supra dixit *adoptio*, hic inferiùs subiecit *assumptio*: Et quam supra dixerat *naturam*, explanauit subdendo, *assumptorem* & *assumentem.* Nihil ergo hîc aliud significat *adoptio*, quàm quòd *assumptio.*] Hæc Agobardus qui in eundem sensum interpretatur SS. Hilarium & Auitum, quos retulerat fauere videri adoptioni Christi.

### *Adoptionis Christi assertio, an hæretica.*

100. An verò ea sententia merearur notam aliquam, atque adeò quanta sit sententiæ à nobis propositæ certitudo, controuertitur. Vasquez 3.part.d.89.cap.6.& Aluares d.75.ac Feuard. in append.ad Castrum hær. 3.censent sententiam quæ admittit Christum esse filium Dei adoptiuum, esse hæreticam. Et sanè Iustinianus in edicto fidei suæ,damnat Theodorum Mopsuëstenum, quod adoptionem Christi asseruisset: id quod apertè, habetur ex his verbis quæ ex eius lib. 3. de Incarn. refert Leontius. [*Et ego gloriam quam dedisti mihi, dedi eis.* Quamnam? nempe participare adoptionem. Hanc enim accepit ipse secundùm humanitatem, baptizatus in Iordane.] Quidam item Bonosus Episcopus refertur à S. Isidoro 8. orig. cap. 5. asseruisse Christum filium adoptiuum,eóque nomine damnatur à S. Innocentio I.epistola 21. & à S. Gregorio lib.9. Registri epist.61. Videsis Proteolum v.*Bonosiaci.*Tandem constat Elipandum Præsulem Toletanum, & Felicem Episcopum Vrgelitanum,fuisse eiusdem iniquitatis partiarios. Non enim quod fingit Papyrius Massonius in breuiculo operis Agobardi contra Felicem, obstitit Felici Elipandus, eique est aduersatus. Elipandum ergo atque Felicem, constat damnatos fuisse ab Adriano 1.& à Concilio Francofordiensi, eo quod assererent Christum esse filium adoptiuum. Et quanquam Concilium Francofordiense, in causa imaginum Sacrarum, errauit in facto, damnans Synodum Nycenam secundam, vt concedit Baronius anno 794. & Bellar.lib.2.de Conc.cap.8.reclamantibus aliis, vt Vasque 3.p.d.107.cap.5.& Suare ibid.d.54.sect.3. cuius puncti discussio aliò pertinet. Tamen in causa Elipandi, & adoptionis Christi,Concilium Francofordiense, processit ex instructione Adriani Papæ,& ab eo est confirmatum. Quare facit certam fidem, ea ex parte. Hac ergo ex causa, Vasques & illi alij quos retulimus, tametsi censent Durandum, & illos paucos Scholasticos qui Christi adoptionem admiserunt,non nisi materialiter erasse,quia latebat eos Ecclesiæ de initio, tamen nunc post eam patefactam, & erutum è latebris Adriani decretum, ac Francofordiense Concilium, non putant eorum sententiam posse ab hæresi liberari.

### *Scholastici ea nota liberati. Secus de Bonoso, Elipando, atque Felice, verè Nestoriano.*

101. Mihi tamen planè verum videtur, Durandum, & illos alios Scholasticos qui Christum censuerunt adoptiuum, omni nota præterquàm locutionis incommodæ,liberandos esse. Neque enim reipsa dissident à communi sententia, qua negatur Christi adoptio, eo quod non sit persona extranea, etiam in humanitate: sed aliter statuunt de adoptione, quam cæteri: Itavt cum alij,adoptionem excludi velint, eo ipso quod natura non est à Deo extranea, illi ex contrario astruant adoptionem Christi in humanitate, quia humanitas non procedit à Deo per generationem, nec est de substantia Dei, quam putant exigi ad filiationem naturalem, & ad excludendam adoptionem. Hoc autem non est litigare de reipsa, sed de vocabulis,& eorum notione, saluo consensu quoad rem substratam. Agnoscunt enim Durandus, & qui ei suffragantur quoad Christi adoptionem; agnoscunt inquam, humanitatem Christi esse verè Dei Verbo copulatam, ac proinde non esse à Deo personaliter extraneam, sed hominem ex ea constitutum, habere connaturaliter, id est vi sui esse completi, ius ad diuinam hæreditatem; quod communis sententia, vocat filiationem naturalem, & affirmat excludere adoptionem. Durandus autem, & qui ei astipulantur, quamuis admittant in Christo totum illud quod communis sententia vocat filiationem naturalem, negant tamen sic debere vocari; quæ (vt vides,) est meta lis de vocibus,

Aliter tamen statuendum est de aliis plerisque, qui asseruerunt Christum esse filium adoptiuum, vt de Bonoso, & (quicquid Facundus dicat) de Theodoro Mopsüesteno, nec non de Elipando & Felice. Hos enim omnes, verisimilius est asseruisse Christum adoptiuum in sensu Nestoriano: nempe admittendo in Christo duas personas, quarum vna sit creata, nec Dei Verbo iungatur nisi per affectum. Nestorium enim errorem suum hausisse à Theodoro Mopsüesteno,latissimè probat Leontius lib. contra Nestorium & Eutichem. Itaque verisimilius est, Theodorum in eodem sensu vocasse Christum adoptiuum, in quo postea Nestorius locutus est, vocans Christum Deum, & Dei filium, duntaxat per affectum, quod est esse filium adoptiuum.

De Elipando idem habetur, ex scriptis tunc aduersùs eum libris ab Etherio Episcopo, & Beato Presbytero, nuper t. 8. Bibl. Colon. eulgatis quorum priore infinities repetitur, Elipandum in sensu Nestoriano vocasse Christum, filium adoptiuum; quia agnoscebat

gnoscebat in eo personam creatam, & eum diuidebat in duos. Item Elipandus initio sui symboli, quod extat apud Etherium & Beatum lib. 1. exponit vnionem humanitatis ad Verbum per affectum & similem qui vnit coniuges; qui est apertus Nestorianismus: Eóque nomine quod esset Nestorianismi instaurator, damnatus est Elipandus in Conc. Francofordiensi anno 794. & epistolam Adriani Papæ, cum iam ante præcessisset eiusdem damnatio in Concilio Forliulensi, sub Paulino Aquileiensi anno 791. Itémque alia in Concilio Ratisponensi anno 792. vt ad singulos annos signatos notat Baronius. [Quem virgo peperit, non esse filium Dei, Elipandi fides est,] aiunt Etherius & Beatus lib. 7. in eum. Aliud autem non docuit Nestorius. Tandem tamen resipuisse Elipandum, refert Mariana lib. 7. hist. Hispan. cap. 8.

At Felix Vrgelitanus Elipandi assecla, & ipse Nestorianus, in peccatis suis infœliciter obiit, vt significat Vvalafridus lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. addens ex quo infelix. Felix delectus est, inductum fuisse in Gallia & Germania vsum cantandi symbolum Constantinopolitanum, ad profitendam Catholicam de vno Dei filio doctrinam, quem Felix cum Elipando distrahebat in duos filios, vt videre est apud Ionam Aurelianensem horum propè æqualem; quippè qui Claudium Taurinensem Hispanum, & Felicis Vrgelitani discipulum confutauit. Ionas lib. 1. de Imag. initio damnans Felicem & Elipandum de quorum in seducendis plenisque prouinciis, (etiam extra Hispaniam,) peruerso studio multa refert, Nestorianismi eos incusat perspicuè, item auctores qui scripserunt tempore Caroli Magni, atque adeò illo ipso tempore quo grassabatur Elipandi & Felicis error, vtrumque damnant Nestorianismi, vt clarissimè & disertissimè tradit Paulinus, totis septem libris contra Felicem, & idem Paulinus in sacro syllabo: vbi *sub medium*, refert eos in Christo agnouisse duos filios; Dei vnum, hominis alterum. In epistola item Synodi Francofordiensis ad Episcopos Hispaniæ, *sub finem*, hæc dicitur esse ipsissima Nestorij hæresis. Audiendus pro omnibus Aluinus lib. 3. de Trinit. cap. 9. cuius hæc sunt verba. [Æterna diuinitas filij, cum plena humanitate sua, vna est in Sancta Trinitate persona, & hæc non adoptiua, sed propria, & perfecta, & ipse totus in Diuinitate, ac humanitate sua vnigenitus, & verus filius Dei. Ideò cum Patre, & Spiritu Sancto verus est Deus: non nuncupatus, sicut Hispanica hæresis impia temeritate affirmare præsumpsit, asserens Dei filium in diuina natura, Deum esse verum, & in humana nuncupatiuum. Similiter & in diuina natura proprium filium Dei, & in humana adoptiuum: diuidens vnam personam filij Dei, cum Nestorio, in duas personas id est veri filij & adoptiui: cum certissimum constet, in illam personam quam habuit æternaliter de patre genitus Dei filium, humanam assumpsisse naturam; quam neino Catholicus, adoptiuam esse ausus est dicere.] Ex eiusdem quoque Alcuini Epistola ad Leidradum Lugdunensem, Nebridum Narbonensem, & alios, perspicuum est S. Benedictum Anianensem in Septimania Abbatem cum iisdem Præsulibus in Hispanias profectum, valdè laborasse vt hæc hæresis extirparetur, & Dei beneficio id esse assecutum, cum priùs suo studio & frequentibus disputationibus vt habent eius Acta, effecisset vt Septimania in qua degebat, à *peruerso* hoc & *nefando dogmate* & *pestifero perfidiæ errore* (sic de placito Felicis loquuntur Acta) aut præseruaretur, aut liberaretur, fanatis plerisque inferioribus, & conuictis multis Præsulibus. Specialiter contra Felicem scripsit Agobardus. Non quod Felice decreto Synodi Francofordiensis, (vt Ado refert,) relegato Lugdunum, Agobardus timeret, plebi sibi concreditæ, & idcirco stylum in eum strinxerit: (conuictus enim erroris Felix simulauit pœnitentiam, nec apertè visus est relabi, dum vixit: sed quod moriens, schedam errore quem aliàs damnarat, inquinatam reliquisset, quam nonnulli putarent legitimam, vt Agobardus initio illius lucubrationis ad Ludouicum Imperatorem præfatur. Toto autem eo libro Agobardus, Felicem impugnat, vt manifestum Nestorianum: quodque consideratione dignissimum est, obseruat Nestorium cuius varia dicta refert, plerumque vnam duarum Christi naturarum fateri personam, subdole id accipientem, de vnitate per affectum: nec aliter Felicem interdum loqui, sed eodem sensu. Ideóque tradit Agobardus, Felicem valdè allaborasse vt caput & corpus mysticum Ecclesiæ, tanquam vna persona acciperentur; inde videlicet gradum sibi facturum ad suum errorem; vt sicut corpus & caput mysticum non sunt vna persona, nisi affectu, ita neque duæ Christi naturæ, essent aliter vna persona: quæ est verus & merus Nestorianismus. Hæresis huius Felicianæ, (ita enim appellant) damnationem primam anno Christi 792. factam in Synodo Reganespurgensi coram Carolo Magno celebrata, mdxque iteratam eiusdem damnationem ab Adriano Papa factam, præsente & errorem suum, retractante ipso Felice; tandem anno 794. tertiò factam eiusdem hæresis damnationem in Synodo Francofordiensi, tradunt Annales Francorum à Pithæo editi, & Monachus S. Eparchij in vita Caroli Magni.

### *Filiatio Dei naturalis temporaria, an Christo concedenda. Pars negans.*

103. Fixum itaque esto, Christum in humanitate esse Dei filium naturalem, non adoptiuum; tametsi id non sit de fide, nisi in sensu quo à Nestorio recedit, & vnica in Christo persona, vnúsque Dei & hominis filius, statuitur. Difficultas verò hinc subnascitur inter Scholasticos, cuiusmodi sit ea Christi filiatio naturalis in humanitate; an scilicet sit ipsamet filiatio æterna; quod hactenus ante Suarem, &

Vasquem, duo (vt ait) scholastici belli fulmina, omnibus visum, affirmat Basilius Poncius relect. 4. eam veterem sententiam latè confirmans. Nam quomodò Christus quatenus homo potest censeri filius naturalis, denominatione petita aliunde quàm ab ipsa Verbi persona? Si enim quod noua illa à duobus prædictis recentioribus cusa sententia affirmat, denominatio filij naturalis petatur ex gratia vnionis, vana erit & fundamento vacua denominatio; cum ea gratia sit creata, nec sit processio viuentis à viuente in naturæ similitudinem. Cuius verò filium naturalem diceremus Christum per eam gratiam? Non sanè Patris solius: nam ea gratia est opus totius Trinitatis, & eam æquè respicit. Sed neque dici potest, Christum per eam gratiam, constitui filium totius Trinitatis. Sic enim filius esset filij, hoc est suimetipsius. Præterea hoc pacto inuehentur in Christum multæ filiationes naturales; nempe vna æterna & increata, altera temporalis & creata, præter purè temporalem & ordinis naturæ, qua Christus referebatur ad Deiparam. Tandem hoc pacto, nouum & peculiare genus adorationis supremo latriæ cultu depressius, Christo debebitur: contrà quàm vbique edicunt scripturæ, quæ Christum iubent adorari vt Deum, cultu eminentissimo.

*Affirmans astruitur.*

164. Nihilominus contraria sententia videtur explorata. Vt enim ex dictis constat, ea est filiatio naturalis qua habetur ius ad hæreditatem Dei, vi proprij esse substantialis; ita vt persona per illud esse constituta, non sit extranea Deo, sed sit aliquid eius, ac proinde Deus connaturaliter ei debeat gloriam: hoc quippe est, esse filium, non adoptiuum; ac proinde est esse filium naturalem: sin minus eo propriissimo modo quo filiatio naturalis fundatur in processione viuentis à viuente, (quod vnum probat Basilius Poncius, vt liquet ex vltima argumentorum classe quæ ex ratione ducitur;) at saltem alio modo, qui & verus sit, & proprius, tametsi minus quàm ille. Talis filiationis modus, tribuendus esset homini quem Spiritus sanctus hypostaticè assumeret. Non enim esset filius adoptiuus, & tamen esset filius, eique hæreditas deberetur. Esset igitur filius naturalis. Atqui modus iste filiationis, cadit manifestè in Christum. Nam provt constitutus ex gemina natura, secundùm vtramque est naturaliter coniunctus Deo, quod de Christo provt subsistente in natura diuina, est per se euidens. Sed neque negari de eo potest, quatenus subsistit in humanitate. Nam humanitas provt vnita Verbo, non potest dici extranea Deo, cum sit eius humanitas: ita vt homini ex hac humanitate & Verbi subsistentia constituto, connaturale sit ius ad hæreditatem diuinam. Igitur præter filiationem æternam, quæ est Verbi vt in Deitate subsistentis, cernitur in Christo alia filiatio temporalis, exurgens ex substantiali terminatione humanitatis per vnionem ad Verbum factum in tempore. Quæ est illa filiatio naturalis, quam Recentiores explicatiùs proposuerunt: non negarunt autem antiquiores, tametsi quia hæc filiatio consequitur personam Verbi terminantem hypostaticè naturam nostram, meritò Recentiores prædicti, & presserint eam per filiationem æternam, tanquam per radicem, non tamen tanquam per formam immediatè sit denominantem. Sanè Adrianus Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, hanc filiationem Christi ab æterna distinctam, agnouisse videtur, cum verba illa ex Matthæo, *Hic est filius meus dilectus in quo, mihi benè complacui*, docet ad totam Trinitatem pertinere. Ideò enim notat, non esse dictum *placui*, sed *complacui*. Filiatio autem æterna, non respicit totam Trinitatem, sed solum Patrem. Nec moror vi argumenti quatenus loco illi Euangelico nititur; sed tantum attendo argumentantis mentem, & quid ex eo loco illatum voluerit. Non debuit igitur ea filiatio, recens causa videri. Sed non potest meliùs lux plenior & firmitas conciliari sententiæ eam filiationem naturalem ab æterna distinctam admittenti, quàm si difficultates in eam superiùs in tertæ dissoluantur, quod facilè est præstare.

*Dissoluitur prima ratio in contrarium, ex adoptionis nostræ fonte, seu gratia, Christo communi.*

165. Primam quæ ducebatur ex eo quod per gratiam vnionis Christus non procedat à Deo vt viuens à viuente in similitudinem naturæ, iam præclusi, negans id esse necessarium ad filiationem, quamcunque naturalem respectu Dei. Nam quamuis ad proprijssimè denominandum aliquem filium Dei naturalem, exigatur vt ex vi Originis sit similis suo principio in natura quam ab eo accipit; idque non nisi in Verbum æternum cadat, & in Christum ratione filiationis æternæ: tamen dari potest alia minùs propria, tametsi etiam propria & vera notio filiationis diuinæ naturalis, ex eo ductæ quod natura intellectualis creata coniungatur Deo personaliter, indéque substantialiter sanctificata, accipiat connaturale ius ad gloriam & hæreditatem Dei, non vt subiectum extraneum, sed vt habens adid ius vi sui esse ad Deum pertinentis: quod est esse filium Dei aliquo tandem modo. At non est ea filiatio per adoptionem, quæ respicit subiectum extraneum, & solo affectu Deo coniunctum, absque vlla connaturalitate & exigentia fundata in esse talis subiecti, eiúsque constitutione naturali. Igitur est filiatio naturalis, distincta ab æterna quæ fundatur in origine & processione viuentis à viuente in similitudinem naturæ. Aduersarius autem vel negare cogetur, Christum vi vnionis, saltem vt viæ, sanctificari & accipere ius ad Dei hæreditatem; quod liquet negari non posse: vel certè adigetur admittere ius illud non esse annexum filiationi, quod esset ridiculum.

ridiculum. Nam si filius, & hæres per Deum ac viceuersa. Si enim sanctitas purè creata & accidentaria potest constituere filios, quia dat ius ad hæreditatem; quid id in multo magis possit sanctitas substantialis? At non esse eam filiationem adoptiuam, cuiusmodi est nostra, liquet ex eius fundamento: & ex eo quod non exurgat ex affectu ad subiectum extraneum. Est igitur naturalis; non quidem sublimissima & propriissima, quæ est tantùm æterna, sed inferior & temporalis, vera tamen & propriè dicta, habens pro via vnionem hypostaticam, pro forma autem immediata, sanctitatem increatam, huic subiecto applicatam interuentu vnionis.

Hæc est prima ad difficultatem propositam responsio. Potest & secunda addi; admittendo, Christum vi suæ productionis procedere viuentem à viuente in similitudinem naturæ; ideóque esse filium naturalem. Verè enim Christus homo Deus, tunc tantùm generatur atque producitur, cum vnio hypostatica humanitatem & Verbum colligans, ponitur. Eámque vnionis hypostaticæ cautionem, nomine generationis Christi in scripturis designari, neminem latet. Eo quippe pertinet illud Isaiæ, iuxta plurimorum Patrum interpretationem, *generationem eius quis enarrabit*. Et illud Psaltis, *ex vtero ante luciferum genui te*. Christus igitur homo Deus, vi productionis quam accipit cum humanitas vnitur Verbo diuino, procedit in similitudinem imo quòd multo plus est, in identitatem naturæ cum Deo producente: quòd præter hanc generationem, sola Verbi æterni generatio habet. Atque ita est verè ac propriè, filius Dei naturalis.

### *Ad secundam difficultatem, de Christo, sui ipsius, ac Spiritus sancti filio.*

106. Quod secundò obiiciebatur, Christum fore filium naturalem sui ipsius, atque etiam totius Sanctissimæ Trinitatis, non debet incommodum videri, agendo de hac filiatione. Christus enim denominatur hoc modo filius, ex vi vnionis; qua persona Verbi eáque mediante, diuinitas, coniuncta est humanitati; vnde sublimissima illa eius sanctificatio dimanauit, & ius ad Dei hæreditatem; est illi exortum. Atqui tota Sanctissima Trinitas eam vnionem est operata, quia eius productio est actio ad extra, quæ est toti Trinitati communis. Igitur relatio filiationis inde aduenies huic subiecto, respicit totam Trinitatem, vt est vnus Deus, operans ad extra, & perfundens sanctitate sua essentiali hanc naturam humanam, quæ sola est verum subiectum inhæsionis cui aduenit relatio prædicta: licèt denominet personam. Æquè ac relatio filiationis temporalis ad matrem, effecit solam humanitatem, etiamsi personam quoque denominarit. Itaque Christus, agendo de filiatione temporali, potest dici naturalis filius sui ipsius, provt Verbi Dei, & filij naturalis filiatione æterna. Cauenda tamen est simplicium hallucinatio. Vox enim *filij*, sonare solet diuersitatem personæ in eo qui filius dicitur, ab eo cuius filius dicitur: quæ diuersitas non habet locum in Christo ad Verbum diuinum comparato. Quare non erit ea locutio adhibenda, nisi adiungatur idonea interpretatio, qua constet Christum dici filium naturalem Verbi, salua identitate personæ. Cautio item conueniens adhibenda erit, si Christus dicatur filius naturalis Spiritus sancti, ne quis inducatur in errorem, existimans vel Christum dici filium Spiritus sancti, vi æternæ generationis; vel certè vi humanæ productionis de Spiritus sancti substantia. Exponendum ergo erit, eatenus tantùm, Christum dici naturalem Spiritus sancti filium, quatenus Christus per vnionem internam sibi & connaturalem, à tota Trinitate effectiuè prodeuntem, sanctificatur sanctitate efficienter communi toti Trinitati, indéque acquirit ius peculiare ad hæreditatem diuinam.

### *Enodatur tertia difficultas, admissis pluribus in Christo filiationibus Dei naturalibus.*

107. Tertia difficultas, euanescit ex dictis. Nihil enim incommodi est, concedere in Christo plures filiationes naturales. Et de æterna quidem non est dubitatio, si Christus spectetur quâ Verbum duntaxat. Sed & ad Christum hominem aptari potest ea filiatio, quatenus eius humanitas terminatur immediatè per personam filij naturalis. Quo adduci possunt omnia quæ Basilius Poncius proferebat de Patribus & Scholasticis, pro ea sola filiatione in Christo agnoscenda. Ad summum enim probant, eam filiationem in Christo homine reperiri, quamuis non solam. De temporali quoque filiatione ordinis naturalis, qua Christus respicit matrem, non potest esse controuersia: Christus enim est filius naturalis Deiparæ, æquè ac alij filij, sunt naturales filij matrum vulgarium. Estque ea relatio non rationis tantùm, sed verè realis, vt rectè affirmant Aquilanus in 3. d. 8. qu. 2. & ibidem Durand. qu. 3. num. 17. Rade in 3. controu. 6. art. 3. Toletus in c. 1. Lucæ annot. 82. ac Suarez t. 2. 3. p. d. 12. s. 2. malè reclamantibus Thomistis 3. p. ad q. 35. & ibidem Valentia d. 2. qu. 2. part. 4. De his igitur naturalibus filiationibus quæ fundantur in origine & acceptione eiusdem naturæ, non est difficultas: sed tantùm de illa temporali sublimissima filiatione, quæ non fundatur in communicatione eiusdem naturæ diuinæ, sed exurgit ex temporali terminatione humanitatis. Eam ergo negamus pugnare cum illis aliis filiationibus naturalibus Christo competentibus ex aliis fundamentis. Possunt enim totidem relationes multiplicari in vno subiecto, quot sunt varij termini ad quos referuntur, vel variæ rationes fundandi respectum, ex quibus constituantur formaliter multiplicia relationum fundamenta in eodem subiecto.

*Proluditur expeditioni quartæ difficultatis, expositæ multiplici adoratione Christo debita.*

108. Vt postrema difficultas aptè dissoluatur, rectéque perspiciatur quæ adoratio Christo debeatur ratione huius naturalis filiationis temporariæ, distincta à cultu eidem aliis titulis debito, secernenda sunt in Christo varia fundamenta adorationis, quæ Christo inexistunt præter nudam humanitatem, cui planè à Verbo præcisæ, ac ne moraliter quidem per illud dignificatæ, nemo adorationem ex se detulerit. Est ergo in Christo persona Verbi, quatenus in diuinitate subsistens, & eadem quatenus subsistens in humanitate. Insuper est in Christo sanctificatio substãtialis, consequens vnionem hypostaticam Christo item internam, & fundãtem relationem filiationis naturalis temporariæ. Et denique est in Christo sanctificatio accidentaria, per dona creata supernaturalia & infusa.

Posset verò præterea considerari Christi humanitas quatenus iuncta quidem de facto cum persona Verbi, tamen terminans actum aliquem nostrum religiosum ad ipsam seorsim à Verbo terminatum, propter moralem dignitatem quam ex vnione ad Verbum consequitur. Sed in ea humanitatis Christi consideratione, non hæreo; quia in cultu humanitatis sic spectatæ, non inuoluitur directè persona; nec Christus est qui colitur directè quod est hoc loco institutum nostrum. Obiter tantùm dico, tametsi Valentia 3.part.d.1.qu.24.p.1. Vasq.d. 96. Ragusa tit.2.d.42. & Castro Palao in opere Morali tract.8. d.1.p.2. num. 4. adorationem illam humanitatis sic consideratæ repudiant; tamen amplectendam esse sententiam D. Thomæ 3.p.qu.25.art. 2. ad. 1. cui subscribunt Canisius lib.5.Mar. c.15. Picus Mirand. q.3. apolog. & Suarez t.1.3. p.d.53.s.3. Affirmant rectè hi DD. in adoratione humanitatis sic conceptæ, nihil contineri iure reprehendendum; cum adsit obiectum dignum cultu infra diuinum, & superante cultum puris creaturis debitum: sicut est etiam obiectum amoris supernaturalis, inferioris amore super omnia qui soli Deo in seipso debetur, & superioris dilectione quæ honestè possit impendi puræ cuicumque creaturæ. Nec refert, quod hæc humanitas si sub alia aliqua consideratione spectetur, possit esse obiectum adorationis altioris. Non enim est semper necesse, deferre cultum præstantissimum qui possit obiecto deberi, sed sufficit deferre commensum titulo qui tunc de facto obuersatur vt ratio adorandi. Quod obiter dictum esto, vt intelligatur quid absque errore fieri posset. Quanquam vsus Ecclesiæ, in publica præsertim adoratione, non fert, vt Christi humanitas sic adoretur, ne illaqueatĕtur simplices, & obiiciantur Nestorianis in periculo; quod declinatur cum Christi humanitas modo nobiliore colitur: quatenus scilicet simul cum Verbi persona coadoratur, & latriam perfectam terminat. Sed de hoc cultu non pluta, quia est extra presens institutum; nec est adoratio Christi, sed humanitatis; tametsi vt pertinentis ad Christum, & à Verbo coniuncto significatæ.

109. Ipsius Christi adoratio, vt est Verbum subsistens in Deitate, vacat difficultate, nec de ea quæritur. Christi item adoratio provt continet Verbum subsistens in humanitate, certa esse debet, eámque contra impium Apostatam Richerium, latè confirmat Feuard, in appendicè ad Castrum V. *Christus* hæresi 5. & contra eius combibonem Lambertum Danæum, Val.3.p.d.1.q.24.p.1. sicut enim persona regia si vilibus amiciatur indumentis, non exuitur regia dignitate & fundamento cultus humani supremi; ita neque diuina persona, ex eo quod carnem assumpserit, spoliauit se iure adorationis supremæ, sibi quatenus Deo debitæ. Vnde hæc persona, etiam in humanitate subsistente in Verbo, adoranda est cultu supremo. Quanquam in aliqua varietate loquendi de eo cultu diuinæ personæ prout in humanitate subsistentis, castiùs & Conciliis ac Patribus conformiùs loquuntur, qui dicunt adorationem Christi sit spectati; terminari per se primò ac principaliter ad personam in humanitate subsistentem: ipsam verò humanitatem diuinæ illi personæ coniunctam, coadorari; id est perfectam illam adorationem qua Verbum in Christo adoratur, refundi quoque in humanitatem Verbo coniunctam, & ad eam terminari per se secundò ac minùs principaliter quàm ad Verbum: ita vt non sint duæ adorationes, (quod S. Cyrillus disertè negat in defens. 8. anathematismi & l.de fide ad Reginas, imò & Conc. Ephesinum canone 8. ac quinta Synodus can.9.) sed sit vnica adoratio principaliter & per se primò terminata ad personam; simul autem & concomitanter, nec per accidens, (vt cum æquiuocationis periculo loquitur Dur. in 3.d.9.q.2. n.7. & 13.) Sed per se secundò, quamuis per aliud, aut vt alij loquũtur, *ex consequenti*, id est propter personam, terminatam ad humanitatem quatenus tali personæ coniunctam per se ac physicè. Exemplum accommodatum desumi potest ex corpore, quod in sancto coadoratur cum anima: quia enim corpus per se vnitur animæ, & per se spectat ad hominem, habentem in anima sua fundamentum adorationis iusto debitæ; propterea corpus coadoratur: hoc est, per se secundò & minus principaliter adoratur. Alij cum S. Epiphanio in Anchorato, & Augustino serm. 58. de verb. Domini *in fine*, idem declarãt exemplo purpuræ Regiæ, quæ coadoratur cum Rege. Verùm purpura non vnitur Principi, sed ei merè adiacet, & idcirco tantùm per accidens coadoratur: qui defectus non cernitur in exemplo corporis, quod in sancto coadoratur cum anima, cui physicè ac per se coniungitur. Itaque quanquam purpuræ exemplum non sit inutile, alterum tamen aptius est.

Sicut autem hic humanitatis cultus est tantùm coadoratio, principalis verò tendentia est ad personam; ita viceuersa, si attendamus cultum qui potest Christo exhiberi ratione donorum habitualium accidentalium, cultus principaliter terminabitur ad humanitatem: diuina verò persona coadorabitur tantùm

tantùm, ratione scilicet coniunctionis cum natura humana, cui inest titulus inferioris huiusce cultus. Nec est ea Christi adoratio repudianda, tanquam minùs consentanea homini Deo, cum non sit nisi hiperduliæ, & eadem cum ea quæ Sanctis ob similia dona debetur, intensiuè tamen minor: sicut etiam adorationis huius fundamentum, in aliis Sanctis est gradualiter & intensiuè longè minus. Non est inquam idcirco ea adoratio Christo neganda, quia nihil vetat ex parte diuersarum honoris causarum, multiplicare adorationes Christo debitas, dummodò ex parte personæ adoratæ vnica adhibeatur, vt sæpè sanciunt Concilia Nestorium damnantia; qui sicut Christum soluebat, ita & eius adorationes multiplicabat ex parte personæ adorationem terminantis. Quemadmodum ergo si in eandem personam concurrant titulus dignitatis Regiæ & Ducalis, nihil obstabit quominus vna illa persona, ex parte diuersarum honoris causarum, diuerso honore afficiatur: ita idem contingit in re præsenti. Hæc est triplex Christi adoratio aliis illis titulis debita, quàm naturalis filiationis temporariæ.

### *Eruitur enodatio quartæ difficultatis, admissa adoratione peculiari, fundata in filiatione naturali temporaria.*

110. Sicut autem pro tribus illis diuersis causis adorationis, triplicem Christo cultum salua personæ adoratæ vnitate tribuimus; ita quod in difficultate postremò proposita agitabatur, fatendum est dari peculiarem adorationem respondentem filiationi naturali temporariæ, [ qua Christus ob sanctificationem substantialem est honore & adoratione dignus: non quidem adoratione suprema latriæ, sed tamen adoratione quæ in nullam puram creaturam potest cadere; ne in gradu quidem minore, quod tamen admissum est de adoratione titulo gratiæ habitualis & donorum infusorum. Hæc enim idcirco in gradu minore potest conuenire puris creaturis, quia fundamentum; nempe gratia accidentaria, est illis cum Christo commune, etiamsi in minore gradu quàm Christo. At fundamentum adorationis de qua agimus, etiamsi posset diuina vi aliis creaturis à Deo assumptibilibus competere, tamen attendendo quod factum est reipsa, conuenit soli Christo; cuius solius humanitas fuit Verbo copulata, atque adeò sola accipit à Verbo substantialem sanctitatem in qua hæc adoratio fundatur. Quia verò ea substantialis sanctitas & filiatio naturalis ad eam consequens, non adæquat filiationem æternam, & increatam sanctitatem Deo ipsi internam, à qua in humanitatem refunditur, secundùm prudentem æstimationem, attenta physica vnione humanitatis ad Verbum; propterea hæc adoratio, est minor adoratione suprema quæ debetur Deo in se spectato, ratione diuinæ dignitatis secundùm se consideratæ. Gabriel lect. 49. & 50. in Can. eam appellat *latriam secundum quid*. Alij vocant *latriam inferiorem*. Alij *hiperduliam fundatam in dono puris creaturis incommunicabili*. Parum refert quo nomine insigniatur, dummodò admittatur, & à cæteris prædictis adorationibus Christo penes alia fundamenta debitis secernatur, vti nos fecimus. Itaque liquet, perperam obiici sententiæ à nobis positæ de filiatione naturali temporaria, quod ea admissa, inuehendum sit peculiare adorationis genus à supremo latriæ cultu distinctum, & fundatum in hoc peculiari titulo, depressiore diuina dignitate secundùm se considerata, & æterna, ac impartecipata.

### *Firmatur diuina naturalis filiatio temporaria, ex nonnullis Patribus.*

111. Expositum ex dictis manet, cuiusmodi fuerit filiatio Christi naturalis respectu Dei: nimirum non æterna dumtaxat, sed etiam temporalis, & fundata in vnione tanquam in via ad sanctitatem substantialem ex Verbi coniunctione refundendam in humanitatem. De qua filiatione, intelligendus præsertim est locus cœteróqui obscurus apud S. Hippolitum hom. contra hæresim Noëti, qua sic de Christo Dei filio loquitur. [ Qualem igitur filium suum Deus per carnem misit, nisi Verbum quod à principio scilicet filium vocauit, quia futurum erat vt ortum caperet? Et cum filius vocatur, commune nomen amoris erga homines sumit. Nec enim Verbum per se, & sine carne, perfectus filius erat, cum tamen esset perfectum Verbum, vnigenitus. Neque caro per se sine Verbo, subsistere poterat, quia in Verbo habebat (τῷ σύσσωμῳ) id est in Verbo subsistebat. Sic ergo vnus filius Dei perfectus, manifestatus est. ] Ita S. Hippolitus, qui commune nomen *amoris* appellat filiationem Christo competentem, quia nos quoque ad titulum filiorum Dei atque adeò fratrum Christi, euecti sumus per Christi gratiam & merita. Addit autem, Verbum ante carnem assumptam non fuisse perfectum Dei filium, quia Verbum nudum non est filius Dei naturalis, filiatione illa temporali quam exposuimus. Minùs autem placet, quod Turrianus in notis ad eam homiliam num. 13. ait, filium Dei factum esse perfectum filium, carnis accessu, quia factus est filius hominis, & perfectus Christus; iuxta illud quod profert ex S. Cyrillo lib. 2. pentabibli [ corpus vnitum Verbo, Christum vnum, & filium, & dominum perfecit. ] Quo etiam adducit similem locum Leontij Bizantij lib. 1. contra Nestorium & Eutychem. Adde & illud Antiochi hom. 130. [ duæ naturæ vnitæ, perficiunt nobis vnum Christum, & filium. ] Hoc dico minùs placere: quia S. Hippolitus non ait, Christum ante Incarnationem non fuisse perfectum Christum; nullo enim modo tunc erat Christus: se ait, Verbum non fuisse filium perfectum, quod æquius est accipere de filiatione naturali & ordinis diuini; quàm de filiatione fundata in generatione ex matre, quæ est essentialiter naturalis. Penes eam

ergo filiationem naturalem ordinis diuini, fundatam in vnione hypostatica, Verbum ante Incarnationem non erat naturalis Dei filius perfectus, siue completus, quia deerat illi hæc filiatio quam diximus.

Et quia eam filiationem induxit Deipara, propterea iuxta aliquos ab Hesychio Hierosolymitano hom.2.de Deip. laudibus, in hoc sensu est appellata *complementum Trinitatis*, nempe efficienter non formaliter : quem Hesychij sensum, ex Hieronymo de Florentia profert & approbat Salazar in cap. 8. prouerb. num. 300. aliis tamen præterea eiusdem dicti interpretationibus prolatis, quæ illi multo minus ad rem, aut ad mentem Hesychij esse videntur. Alij tamen aliter eum titulum Deiparæ accipiunt, iuxta quos germanissima interpretatio dicti illius Hesychiani, est Deiparam complesse quod tota Trinitas pro nobis & redemptione nostra præstitit. Monstrauerat enim Hesychius totam Trinitatem interuenisse ad nostræ salutis negotium, quia virtus altissimi quam interpretatur *patrem æternum*; obumbrauit Virginem : eidem superuenit Spiritus sanctus; filius autem carnem assumpsit,& Virgo multiplicem causalitatem circa Christum Saluatorem nostrum adhibuit; quod est complere Sanctissimæ Trinitatis negotiationem pro nobis. Hæc illis aliis videtur mens Hesychij germana. Et fateor omnes has interpretationes posse cum verbis illis Hesychij si ab antecedentibus abiungantur, cohærere. Si tamen ea verba ( vt par est ) sumantur vt nexa antecedentibus, longè alium sensum faciunt, nec huc pertinent, de quo diligentiùs in Obseruationibus ad Nomenclatorem Marianum.

### *Christus penes quamcunque Dei filiationem, vnigenitus.*

112 Sunt igitur duæ in Christo filiationes naturales, per ordinem ad Deum; vna æterna, temporalis altera. Vtramuis autem naturalem filiationem respectu Dei in Christo spectemus; nempe vel æternam adiuncto carnis accessu denominatam de nouo; vel temporalem ex vnione deriuatam tanquam ex via, constat Christum esse Dei vnigenitum. Nemini enim alteri obtigit naturalis filiatio diuina increata; quia nullus alius euectus est ad participationem diuinæ personalitatis Verbi. Nullus item alius, fuit filius naturalis, filiatione creata vnionem hypostaticam consequente, quia nullus alius adeptus est sanctificationem substantialem. Quare Christus est vtroque illo modo vnigenitus filius. Sciò frequentius esse; vt vox *Vnigeniti*, vsurpetur ad significandam solam filiationem æternam nudam, & ab humanitate seiunctam: quod Toletus in cap.1.Ioan. annot. 45. fusè demonstrat prolatis angoribus Arrianorum ad argumentum Callidicorum, vt S.Fulgentij 3.ad Trasim. cap. 4. desumptum ex voce *Vnigenitus* tributa in Scripturis Verbo Dei. Quia tamen Ioannis 1. Christus ipse, id est Verbum carne amictum, vocatur *vnigenitus patris*, verbis illis, *vnigenitus qui est in sinu patris, ipse enarrauit*, quod non Verbum nudum, sed carne vestitum præstitit: propterea non abs re pronunciaui, Christum esse vnigenitum Patris duplici modo; nempe & filiatione æterna & temporali. Quanquam agendo de priore filiatione, nomen *Patris* sumendum est notionaliter, & arctandum ad primam Sanctissimæ Trinitatis personam : ita vt sic sensus, Christum esse vnigenitum æterni Patris, qui est fons totius diuinitatis. Et in hoc sensu S.Zeno serm.2. de æterna generatione, vocat Christum, *vnigenitum Patris, cordis eius nobilem inquilinum*. Agendo autem de posteriore filiatione, nomen *Patris* in ipsum quoque Dei Verbum, & in Spiritum sanctum cadit. Ea namque secunda filiatio, æquè spectat omnes personas, vt superiùs annotaui. Valere de vtraque hac Christi filiatione potest, quod S. Augustin Psal. 88. ad illud *similis erit Deo in filiis Dei*, his verbis pronunciat. [ Ergo nemo in filiis Dei similis erit filio Dei. Et ipse dictus est filius Dei, & nos dicti sumus filij Dei. Sed quis erit similis Domino in filiis Dei? Ille vnicus, nos multi. Ille vnus, nos in illo vnum. Ille natus, nos adoptati. Ille ab æterno filius vnigenitus per naturam : nos à tempore facti per gratiam. Ille sine vllo peccato; nos per illum liberati à peccato. *Quis ergo in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei?* Dicimur nubes propter carnem, & sumus prædicatores veritatis propter imbrem nubium. Sed caro nostra aliter venit, caro illius aliter. Dicimur & filij Dei, sed ille aliter filius Dei. Illius nubes ex Virgine, ille Filius ex æternitate æqualis Patri. *Quis ergo in nubibus æquabitur Domino?* aut quis *similis erit Domino in filiis Dei?* idem Cyrill. Ep. ad Monach. Ægypt.

113 Pulsat verò illicò animum eius qui Christum audit vnigenitum dici, quomodò ea appellatio cohæreat cum titulo primogeniti, quæ item Christo adscribitur in Scripturis. Ac ne dicas, primogenitum dici etiam illum qui vnigenitus est, quod notauit S. Cyrillus 10. Thesaur. cap. 4. demonstrans Verbum nudum dici posse primogenitum Patris, quamuis sic apertè vnigenitum, quandoquidem Christus Lucæ 2. dicitur primogenitus Deiparæ, cui tamen vnicus filius fuit; Ne inquam hoc dicas, & eo pacto elicias difficultatem propositam censeas, facit quod Christus ab Apostolo Rom.8. dicitur *primogenitus in multis fratribus*. Habet igitur Christus fratres, respectu quorum *primogenitus* appelletur. Quomodò ergo est vnigenitus? Hanc difficultatem fusè excutiam infra sect. 4.cap.11. Nunc obiter dico, vtrumque illum titulum probè cohærere: quia Christus vnigenitus est ratione vnionis ad Verbum, quæ est gratia Christo propria; & primogenitus ratione gratiæ quam habet cum aliis communem, salua prærogatiua præcellentiæ.

### *Vsus doctrinæ.*

Insignem vsum doctrinæ de Christo Dei filio, subministrat S. Bernardus serm. 1. in Octaua Paschæ, tractans illud, *quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei?* Illam enim mundi victoriam quam

quam filiis Dei adoptiuis ad imitationem filij naturalis congruentissimam esse docuerat, fide fieri contestatus, ea inquam fide, quæ credit, Iesum esse Dei filium, subdit. [Verumtamen potest fortè mouere, quod tam multos videmus credentes Iesum filium Dei esse; adhuc tamen mundi nihilominus cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait; *quis est qui vicit mundum, nisi qui credit quia Iesus est filius Dei*, cum & ipse iam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones & credunt, & contremiscunt? Sed dico: putásne filium Dei reputat Iesum, quisquis ille est homo, qui ipsius, nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is etiam si fateatur se nosse Deum, factis tamen negat?] Quandoquidem autem prædestinati diuinitùs sumus, conformes fieri imagini filij Dei, enitamur diuinum de nobis beneplacitum explere, referendo moribus naturalem Dei Filium quantum per humanam imbecillitatem, fas erit.

## CAPVT II.

### *Christus, Agnus Dei.*

114 MERITÒ *Agni Dei* titulum subnecto titulo *filij naturalis*. Non enim quod quispiam audito *agni* nomine fortassis existimaret, considerandas sub agni nomine suscipio Christi dotes, quarum plerumque Agnus est Symbolum, siue in Scripturis, siue apud Symbolicos.

*Christum Agnum, ob pleraſque rationes huic loco extraneas, lenitatem, innocentiam, immolationem, prudentiam, exquisitum nitorem.*

Verbi gratia, Christus ob mititatem, sæpè in Scripturis confertur agno. Vt Ierem. 11. *ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Isaiæ 53. *Sicut agnus coram tondente, sic non aperuit os suum.* Qui locus allegatur Actorum 8. Eóque ferè respiciunt, qui Agnum Paschalem, Christi patientis typum fuisse tradunt: vt S. Ambrosius in psal. 43. ad illud, *dedisti nos tanquam oues escarum.* S. Paulinus natali 8. Sancti Felicis, S. Augustinus lib. de catachysmo cap. 4. Naz. orat. 42. Lact. lib. 4. cap. 26. Rupertus 2. in Exod. à c. 3. ac pulchrè & diligenter Gislib. in alterca. Synod. & Eccles. cap. 9. à pag. 52. In hoc sensu S. Bernardus serm. 1. de Epipha. accipit illud Baptistæ de Christo Ioannis 1. *Ecce agnus Dei.* [Verè (inquit) Agnus, verè humilis, verè mansuetus.] Tertull. quoque lib. de patientia cap. 3. Christum, ob patientiam & lenitatem, agno confert. Non item considerandam sub agni nomine suscipio, Christi innocentiam, ob quam S. Petrus Christum agno confert, monens fideles, recolerent etiam atque etiam pretio se esse emptos, quod sit supra omne pretium; sanguinis inquam quasi agni immaculati. Ad hanc mentem ita disserit S. Augustinus tract. 7. in Ioan. [*Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo: & respiciens Iesum ambulantem, dicit, Ecce Agnus Dei.* Vtique singulariter iste Agnus. Nam & discipuli, dicti sunt agni. *Ecce ego mitto vos, sicut agnos in medio luporum.* Dicti sunt & ipsi lumen; *Vos estis lumen mundi.* Sed aliter ille de quo dictum est *erat lumen verum; quod illuminat omnem venientem in hunc mundum.* Sic & Agnus singulariter, solus sine macula, sine peccato: non cuius maculæ absterſæ sint, sed cuius macula nulla fuerit.] Disertè quoque S. Epiphanius hæresi 69. de Christi variis nominibus agens, ait [Agnus dicitur, propter innocentiam: & quod per ipsum, peccatum ab hominibus sublatum est, in eo quod ipse Patri oblatus est ouicula ad mactationem.]

115 Optimè Richardus Victor. tract. de Baptis. Christi [simplicitatis innocentiam, scriptura nobis commendat per agnum, etiam & puerum; Vnde ipse Dominus, propter omnimodam innocentiam dictus est *Agnus Dei*: & de eius consimilibus, dicit ad Petrum, *pasce agnos meos.* Et dictus est pastor ouium, & fideles oues pascuæ eius. Et legis præceptum est, vt quotidie Sacerdotes duos agnos offerrent; vnum mane, & alterum in vespere. In mane incipiunt homines operari. Ideò per manè intelligitur actionis principium, sicut per vesperam, datur intelligi finis. Quid est ergo duos agnos offerre, nisi opera innocentiæ incipere, & ad finem perducere? Hoc est Sacrificium iuge, quia semper Deus requirit à nobis, innocentiæ virtutem.] Inde etiam illud Paulini epist. 12. ad Seuerum.

*Sub cruce Sanguinea nitet ſtat Chriſtus in agno,*
*Agnus vt innocua in iuſto datus hoſtia leitho.*

Et superiùs:

*Sanctam fatentur, crux & Agnus victimam.*

Habes hîc & aliam causam huius Christo tributæ denominationis, sed quam hîc quoque non attendo; nempe quod Christus fuerit victima, pro nobis à Patre tradita ad salutem nostram. Theophilactus in cap. 1. Ioan. ad illud *ecce Agnus Dei*, disertè ita habet, his verbis. [Agnus Deus, dicitur Christus, siue quod Deus acceperit mortem Christi pro salute nostra, siue quòd Deus Pater, propter charitatem suam erga nos, illum dederit ad mortem pro nobis. Quemadmodum dicere solemus, Sacrificium hoc illius est: hoc est, ille Sacrificium hoc obtulit. Sic igitur & Dominus dicitur *Agnus Dei*, eo quod Deus Pater propter charitatem suam erga nos, illum dederit ad mortem.] Sed & iuge Sacrificium duorum agnorum in singulos dies, Christum victimam nostram exprimebat

primebat : autoréque Origene hom. 24. in Numer. id maximè spectat Christi *agni* denominatio. Audi & eundem Tomo 1. in Ioan. [ Vt agnellus innocens qui ducitur vt sacrificetur, factus est ille agnus Dei, vt auferat peccatum mundi : & qui omnibus sermonem suppeditat , etiam assimilatus est agnello sine voce, coram tondente, vt morte ipsius omnes nos purificemur ; idcirco Ioannes ait , ostendens ipsum ; *ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Non inquit ; *qui tollit aliquando* , neque item *qui abstulit quidem ante , nunc autem non tollit* , sed *tollit*, ( inquit, ) quia assiduè hoc agit, id est tollit ab vnoquoque in mundo existente peccatum, neque tollere, quoad è toto mundo sublatum fuerit peccatum , ac Seruator tradiderit Patri regnum paccatum , eo quod nullum ac ne leue peccatum superfuturum sit debellandum à Patre. ] Eusebius lib. 1. de demonstr. cap. 10. latè & egregiè de hac Christi denominatione disserens, huc respexisse censet Baptistam cum dixit, *Ecce Agnus Dei.* Ego tamen aliò collineo.

116 Multo minùs sub *agni* titulo, Christi prudentiam propono expendendam: tametsi S. Gregorius lib. 6. in 1. Reg. cap. 15. ad illud, *recensuit eos quasi agnos*, affirmat typum prudentiæ agnum esse. [ Agnorum ( inquit ) nomine , solent viri magnæ prudentiæ designari. ] Hoc nescio an ad eam solertiam referat , qua agnus matrem agnoscit. Audi S. Ambrosium lib. 6. exam. cap. 4. qui Agnorum in summa simplicitate summam industriam & solertiam similitudinariam , sic celebrat. [ Quid agniculis simplicius , quos minusculæ patuulorum comparamus infantiæ ? Sæpe ex his magno grege agniculus per ouilia tota vagatus , errat , à matre , & cum eam reperire non possit, balatu frequenti absentem incitat , vt responsuræ vocem excitet, quo ab eius sono , errabunda replicet vestigia ; multis licet versetur, in millibus ouibus, recognoscit vocem parentis, festinat ad matrem , lactis quoque maternis notos sibi fontes requirit. Quamuis cibi desiderio detineatur & potus, transcurrit tamen aliena vbera , licet humore lactis exundent. Solam matrem requirit , solius sibi materni vberis pauperes succos , significat abundare. Illa quoque inter multa agniculorum millia solum filium nouit. Vnus quamuis plurimorum balatus , eadem species ; sed illa tamen fœtum suum discernit à cæteris , & solùm filium tacito pietatis testimonio, recognoscit. Pastor errat in discretione ouium , agniculus in agnitione matris nescit errare. ]

Ex Cassiano lib. 6. de institut. cap. 4. desumi præterea potest alia ratio Christum denominandi *agnum* , ad hunc item locum minimè pertinens. Distinguens enim eo loco Cassianus , continentem siue ἐγκρατῆ à casto, vel potiùs ab eo qui in affectum integritatis vel incorruptionis transierit ; ait hunc dici ἄγνον. Vbi corruptè libri quidam legunt ἅγιον. Sed rectè ex M. S. Cod. Diaconius emendauit errorem ; legitque vt diximus Idem ergo est iuxta Cassianum ἄγνος, quod perfectè & exquisitè nitens, & purus à carnis fœculentiis & illuuie. Quod decus fuisse in Christo singularissimum, nemo non videt. Proindéque agnus iuxta hanc vocis notionem , iure dici poterit. Verùm nihil hæc ad Christum Dei agnum. Itaque potuerit sanè Christus ex prædictis causis *Agnus* appellari. Sicut S. Augustinus serm. 101. de diuers. cap. 6. Sanctam Agnetem ob exquisitam puritatem iure nomen illud adeptam docet, verbis illis. [ Virgo quæ quod vocabatur, erat. Agnes Latinè agnam significat, Græcè castram. Erat quod vocabatur; meritò coronabitur. ] Eandem inquam ob causam, Christus multo magis , potuerit *Agnus* denominari.

### *Agnus Dei Christus , quia Filius Patris.*

117 Ea tamen illius denominationis causa, quam hoc loco amplector , illa est ob quam dicebam subnecti meritò hunc titulum , titulo filij naturalis. Nempe quia nomen *agni* , in scripturis filium designat : Fortassis quod apud Hebræos , infantes ob teneritudinem, vel quia erant de grege Dei, sic nominarentur. Sanè S. Hyppolitus orat. de consumat. mundi proferens varias antitheses Christi & Antichristi ; imo imitamenta varia quibus Satan, illum hominem peccati ad Christi æmulationem conformabit ; inter alia id profert. [ Demonstratus est Saluator vt agnus , ipse quoque nascetur in circumcisione. ] Quæ verba manifestè ferunt vsum Hebræorum quem dico. Ea item ex causa, Baptistam , vt refertur Ioannis 1. denotasse Christum nomine *agni Dei* , quod illum filium Dei intelligi vellet, autor est Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. cap. 5. *in fine*, verbis illis de Christo, *magno*, ( vt ait ) *Deo, & perfecto puero.* [ De hoc puello , fert quoque testimonium Ioannes , qui est maior Propheta inter natos mulierum ; *ecce Agnus Dei.* Quoniam enim scriptura, pueros ac infantes *agnos* nominat , Deum qui est Verbum , qui propter nos homo factus est ; qui nobis in omnibus assimilari volebat ; vocauit *agnum Dei*, filium Dei, infantem Patris. ] Nec sanè suberat ratio , cur Ioannes si aliò respexisset quàm ad hanc Christi filiationem significandam ; v.g. si tantùm innocentiam, aut lenitatem , & bonitatem Christi designare voluisset , Christum vocaret *agnum Dei* , sed simpliciter vocasset *agnum*. Quare perspicuum videtur, Ioannem nomine *agni Dei* infantem cælestis aulæ, & filium Dei intellexisse. Vnde quotquot ex hoc Ioannis testimonio, confirmant Christum esse agnum Dei ( sunt autem innumeri, ) astipulari videntur huic Christi nomenclaturæ , in sensu quem proponimus. Eidémque etiam suffragatus est , quisquis hymno Angelorum artexuit illam clausulam, *Domine Deus Agnus Dei, filius patris ; qui tollis peccata mundi.*

*Pictura Christi Symbolica, specie Agni.*

118. Spectant planè ad hoc institutum, priscæ picturæ quibus Christus Symbolicè agni specie effictus exhibebatur. Sic Damasus Papa in Syluestro, testatur Constantinum Magnum constructo sacro fonte in quo Christiano ritu lotus est & initiatus, fontis labio agnum aquam fundentem appendisse ex auro purissimo; adscripto ad lævam titulo *agni Dei* demonstrati per Baptistam ex argento fabrefactum: vt intelligeretur, Christum esse qui aquam expiatricem fundit; iuxta illud, *hic est qui baptizat*. Aliam eiusmodi Christi picturam, exhibet Bosius lib. 6. de cruce cap. 12. Agni sub cruce rupi insistentis, & fontes quinque, vnum è pectore, & singulos è singulis pedibus emittentis. Apud Anastasium nihil frequentius eiusmodi Christi imagine.

Interdicitur quidem in 6. Synodo canone 82. Trullano, ne in posterum Christus sub agni specie depingeretur: quod hodiéque seruantes Græci, vt refert Ioannes Molanus l. 3. de imag. cap. 20. loco Agni quem in Latina Ecclesia ad latus Baptistæ pingi ex vsu est, apponunt schedam his ex Isaia & Euangelio verbis exaratam. *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Id tamen interdictum, apud Latinos non est vsu receptum, nisi fortassis vt Christus passim non pingeretur agni specie. Quo verisimile est spectasse canonem illum Trullanum. Neque enim absolutè improbat picturam Christi sub specie agni, alioqui anteriores quoque picturas eiusmodi, iussisset eradi, atque deleri: sed tantùm iam ante editis ea specie picturis Christi, mandat vt in posterum Christus pingatur specie hominis: quod in lege gratiæ, Symbola & figuras cessare par sit, præsente veritate. Vnde quia in eo canone imago agni non improbatur, imo anteriùs edita recipitur, Tharasius Patriarcha, postea in 7. Synodo actione 3. eum Canonem allegat pro sacris imaginibus. Quod ratum habet Adrianus Papa in rescripto ad eundem Tharasium. Et ibidem Epiphanius actione 6. eandem imaginem Christi sub agni specie à Ioanne demonstrati, profert pro vsu sacrarum imaginum. S. quoque Theodorus Iudita in epistola Catechetica, eundem Canonem pro imaginibus adducit. Æquè S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, in capitibus aduersus Iconoclastas, canonem illum Trullanum allegat pro imaginibus. Videsis Gretserum in Paralip. ad lib. 5. de cruce cap. 12. Igitur antiquæ illæ, & nunc non prorsus antiquatæ picturæ Christi sub agni specie, cum ferè habeant oppositum Baptistam, digito Christum agnum demonstrantem, alludunt manifestè ad demonstrationem Christi, factam Ioan. 1. verbis illis, *ecce agnus Dei*, quibus vidimus, significari Christum esse Dei filium; ac proinde iisdem picturis confirmatur notio agni Dei, quam hîc proponimus.

*Vsus agnorum cereorum, quorsum inductus, & quomodò Christum, Agnum, id est Filium Dei, dictum monstret.*

119. Possumus verò eandem astruere, ex per antiquo, & nunc etiam vulgatissimo vsu planguncularum cerearum, specie agni, quem ad tempora Constantini Magni refert Molanus orat. de agno Dei cap. 6. de quo integer tractatus à nobis conscriptus est omni ecclesiastica eruditione refertus; quem quoniam multis annis, post hocce opus absolutum, elucubraui consulere poteris de causa vsus Agni Cerei. Videbisque quàm non sine fundamento pronunciauerim, cereos agnos quorum est vsus apud fideles, esse memoriale baptismi Christiani: eáque Sacri sigillaris vsurpatione admonitos fideles, vt se baptismo initiatos, & agnos nouellos fuisse recordarentur.

120. Hinc igitur à posteriori Philosophando, confirmare licet, quod affirmabam de Christo agno Dei, id est filio Patris. Idcirco enim Christiani sacro baptismo initiati, dicuntur agni, quia per lauacrum aquæ, tanquam per vterum fidelium, vt S. Chrysostomus loquitur, efficiuntur per gratiam filij Dei, & conformes Christo primogenito: proindeque *Agni Dei*, nomen principaliùs, & tanquam primario analogato, conuenit Christo, quem *pastorem agnorum regalium* scitè nominat Clemens Alexan. in hymno ad Christum Seruatorem, qui Pædagogo subijcitur. Neque verò quod agnorum pastorem Christum nominat, excludit eum agnorum numero. In spirituali namque hoc ouili, Christus idem est agnus, & pastor, ait S. Paulinus epistola 5. *à medio* & epistola 32. sub initium. De Christo specie agni exhibito inter sacrificandum. Videndus Petrus Damia. lib. 6. epist. 25. & Epiphanius quidam libello de dignitate Religionis Christianæ, narrans visionem quandam de Eucharistia.

Vsus doctrinæ, est per se euidens ex dictis de Christo Dei Filio. Et addi potest debere nos quoque, quod ipsa *Agni* vox insinuat, Christianam placiditatem, præferre Christi imitatione. Nec prætermittenda consideratio vtilitatis gestandi cereos agnos, quorum vsum Deus tot prodigiis sæpè obsignauit: Nimirum non modò quia tam solemnibus & singularibus ritibus à solo Christi Vicario consecrantur, suntque his temporibus veluti tessera Catholicismi; sed etiam quia renouant homini memoriam susceptí baptismi eiúsque professionem continent; non absque insigni excitamento conformandi se filio naturali, cuius forma accidentaria communicata in Baptismo est, per filiationem adoptiuam.

# CAPVT III.

## *Christus, facies ac vultus Dei.*

CVR naturali filiationi hactenus in Christo tractatæ respectu Dei, subnectam titulum *faciei ac vultus Patris*, facit similitudo & expressio vultus parentum in liberis. Ex quo fit, vt liberi, parentum vultus & facies esse videantur; tametsi non è contrario parentes dicuntur esse facies filiorum, vt obseruat Tertull. lib. contra Prax: cap. 14. quia non patres à liberis, sed hi à patribus exoriuntur; eósque facie & vultu referre dicuntur. Res est & experimento testata quotidiano, & Doctorum commentationibus discussa, vt videre est apud Aristotelem 7. histor. cap. 6. & lib. 4. de Gener. anim. cap. 3. Plinium lib. 7. cap. 12. & alios apud Tiraquellum lib. 7. connub. à numero 50. Eadem non adulterini sed legitimi fœtus nota, habetur. Vnde Martialis

*Est tibi qua patrij signatur imagine vultus,*
*Testis maternæ nata pudicitiæ.*

Iudæi hinc occasionem arripuerunt concinnandæ fabulæ, cuius ex Rabbi Salomone meminit Lyranus 1. Paral. 3. Filium enim quem Dauid & Abigail susceperat, cum aliqui criminarentur esse Natalis filium, subitò orante Dauide immutatum facie, & Dauidi simillimum factum asserunt; vt prodiretur genuinus Dauidis filius; quo ipso, faciei similitudinem, notam professionis ex aliquo statuunt. Egregiè verò ac concinnè de more Gregorius Nyssenus orat. 3. de Resurr. hanc vultuum parentum in liberorum vultu repræsentationem, ac plerumque non parentum modò immediatorum, sed etiam anteriorum, faciei in posteris expressionem miraculum vocat omni stupore prosequendum.

## *Christus, quia Dei filius naturalis, est Facies Patris, & quâ Deus, & quâ homo Deus.*

Hæc cum ita sint commodè post expositam naturalem Christi filiationem respectu Dei, exponendum suscipimus quomodò dictus sit *vultus ac facies Dei*; quod huic filio singularissimum est; cum non dicatur vultu Patrem referre, sed esse ipsemet vultus ac facies Patris. Non est porrò hoc loco sermo de Christo quatenus Dei Verbo. Sic enim non esset obscurum, vocari sæpè Christum faciem Dei; quod benè confirmat Paschasius Diac. l. 1. de Spiritu sancto cap. 5. tractans illud psalmi 50. *ne proiicias me à facie tua.* Quibus verbis expressum Trinitatis mysterium, pulchrè demonstrat; sed quod ad rem propositam facit, istud est. [Filius sicut imago patris, ita & facies Patris accipitur. Et ideò legimus: *Philippe qui videt me, videt & patrem.* Et iterùm: *quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tuâ fugiam?* Aduerte in fide perfectæ confessionis mysterium Trinitatis. Propheta ad patrem loquitur, faciem patris, filium patris profitetur, nec non diffusum per omnia Spiritum sanctum profitetur. De filio ad Moysem etiam loquitur *facies mea præcedet te.* Quod nomen, id est *facies*, & ad vnitatis substantiam, & ad æternitatem pertinet maiestatis.] Inde Paschasius eruit argumentum, ad Filij cum Patre æqualitatem comprobandam, non obstante Natiuitate ex Patre quam Arriani obiiciebant, vt inferrent Filium esse Patre minorem, eique proinde inæqualem, sed absurdè. [Nam & facies de corpore nascitur, nec tamen faciem minorem capite suo, vel brachium corpore suo, constat esse posterius. Si ergo vllum caput antiquius vnquam fuit, tunc asserere præsume, antiquiorem esse patrem ab imagine sua, quæ in Christi perfecta similitudine, & æqualitate consistit. Ita ergo nescit filius, vel potestate, vel tempore, à Patre discerni, si ut faciet à capite separari, vel capite suo nequaquam potest iunior inueniri.]

Idipsum esse videtur, quod Apostolus Hebr. 1 dixit, vocans filium *splendorem paternæ gloriæ, & figuram substantiæ eius.* Ea enim *figura*, & vt Græca habent *character & imago expressa paternæ hypostaseos*, aliud non est quàm imago viua; & veluti facies filij, ore & facie Patrem referentis, vt illa pusionem Æneam optans, qui patris ora referret, loquebatur. Rectè etiam *splendor gloriæ* dicitur, non allusione facta ad solem, sed ad lumen vultus; iuxta illud, *lux vultus mei, non radebat in terram.* Id est facies Serena & læta non obnubilabatur. Sicque eum characterem apud Apostolum intellexisse videtur Anastasius Sinaita lib. 1. de rectis fidei dogmat. qui est de Patris & Filij consubstantialitate *sub finem.* Verùm quod hæc faciei paternæ denominatio, in Christum hominem non cadat nisi per idiomatum communicationem; non hæreo in ea vlteriùs. Sed Christo homini, seu Verbo in sua humanitate, eam appellationem vendicare, non erit difficile.

122 Videbimur tamen, Christum prout hominem, nomine *diuinæ faciei* donando, refragari iis Patribus, qui dictum illud Dei Exodi 33. *posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*, ita accipiunt, vt negata sit synagogæ Dei visio, concessa autem contuitio Christi, qui nomine *posteriorum Dei*, non autem *faciei*, sit à Deo expressus. Ita Athanasius quæst. 23. ad Antioch. [Quia vbique (inquit,) posteriores partes anterioribus sunt humiliores; Diuinitatem intellige, per anteriora. Et propterea dixit; *nequaquam videre poterit homo meam faciem, & viuet.* Non enim est possibile corporalibus & materialibus oculis videre incorpoream & omni materia carentem essentiam Dei, & viuere. Posteriores verò partes Dei, carnem intellige, quam assumpsit ex Virgine, & per quam conspectus est.] Alios aliquos similiter eum loquentes interpretatos, protuli supra tractans quomodò Christus sit bonum.

His & aliis faciem Dei de ipsa diuinitate clarè

His & aliis faciem Dei de ipsa diuinitate clarè visa accipientibus, posteriora autem, siue tergum, de Christo prout homine, non repugnamus, cum aggredimur ostendere, Christum hominem esse faciem ac vultum Dei. Tantum quippè volumus ostendere, posse in diuinam aliquam notitiam deueniri per Christum hominem, etiamsi ea cognitio non sit futura clara, & vt vocant *facialis*. Nam alicuius de Deo notitiæ ingeneratio per Christum, sufficit ad rationem diuinæ faciei analogicæ, Christo assignandam.

### *Scriptura & Patres, pro Christo Deo homine, facie Dei.*

113 Ex complurib. Scripturis id confirmat loco allegato Anastasius. Filium enim De carne amictum, faciem Dei pronunciari ait, eo psaltis loco, *quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Itémque illis aliis, *vultum tuum Domine requiram.* Iterúmque *deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.* Subdit verò. [Quod facies Patris sit vnigenitus ac Verbum, qui iuxta decretum Patris sui omnis creaturæ constitutus est iudex, tursus iuxta sententiam Dauidis; *A facie tua iudicium meum prodeat.* Itaque facies Patris prædicatur esse filius; quippè qui imago est & character Patris, & à Patre potestate accepta facit iudicium, iuxta illud. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Atqui sicut vultus Domini perdit malos de terra, non vt omnino non sint; sed vt non sint inposterum mali: Ad eundem sensum, rursus ait; *Emittes Spiritum tuum & creabuntur; & renouabis faciem terræ:* hoc est *hominem.* Decor enim & ornatus terræ homo est. Vt species in homine relucens, facies est.]

Est ibi apertè sermo de Filio carne circundato. Nam sub ea ratione est constitutus Iudex. Itaque apertè de sententia Anastasij omnibus locis prolatis Christus dicitur facies Patris. Clemen. Alexand. 1. pædag. cap. 7. similiter interpretatur quod dixit Iacob Gen. 32. *postquam colluctatus esset cum Deo.* [Interrogauit (inquit) ipsum, & dixit ei; *enuntia mihi quod sit nomen tuum.* Et dixit: *Cur interrogas nomen meum?* Nomen enim nouum nouo populo reseruabat, nempe infanti. Adhuc autem erat innominatus Deus Dominus, vt qui nondum homo factus fuerat. Vocauit tamen Iacob nomen loci illius, speciem Dei. *Aspexi, enim* (inquit,) *Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea;* Facies autem Dei est Verbum, quo Deus illuminatur & cognoscitur. Tunc etiam nominatus est *Israel*, quando vidit Deum Dominum, hic est Deus, qui est Verbum.]

114 Accommodat eodem S. Ambrosius sermo 17. in psal. 118. ad v. 7. illud Dauidis *faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.* Existimat enim alludi eo loco ad faciem Mosi, corporali velatione obductam dum alloqueretur Iudæos, vt significaretur legem scriptam tenebris obduci, & velaminibus operiri contra quàm futurum erat in lege gratiæ; vbi remoto velamine faciem Dei reuelatam conspicaturi erant fideles. Vt propterea Iesus Naue, quem typum Christi fuisse, nominis conuenientia monstrat; tametsi promissum ei à Deo esset, quod futurus esset cum eo sicut cum Moyse fuerat: tamen mortuo Mose, reuelata facie & absque obducto velamine alloqueretur populum. [Deus omnipotens (inquit S. Ambrosius,) qui in Moysi facie excœcauit populum Iudæorum, non duritia, sed præscientia, nec malitia sed æquitate atque iustitia, iste (inquam) Dominus illuminauit cor populi nationum, in facie Christi. Iesu, per eius aduentum: quod euidenter Apostolico declaratur exemplo, sicut scriptum habemus: *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu.* Ideò ergo dicit Dauid ad Dominum Iesum. *Vultum tuum illumina super seruum tuum.* Faciem Christi videre cupiebat, vt mens eius illuminari posset. Et secundùm incarnationem potest accipi. Multi enim prophetæ & iusti videre voluerunt, vt ipse Dominus declarauit. Quod autem negatum Moysi fuerat; non quærebat, vt corporaliter Dei vultum in corpore videret: si tamen & Moyses tam sapiens & eruditus hoc potuerit simpliciter magis quam in mysterio postulare, humanum tamen est desideria supra nos extendere. Nec immeritò faciem eius aduenientis ex virgine quærebat videre, vt illuminaretur in corde.] Habes ex Ambrosio, duplicem sensum quo Dauid in Christum respiciens, Dei faciem illuminari super se deposcebat: nempe directa ad Patrem oratione à quo posceret Verbi sui carne vestiti specie frui; Vel directa oratione ad ipsum filium carne circumdatum, cuius faciem corpoream videre cuperet. Et quamuis vterque sensus Christum spectet, tamen prior sensus videtur potior, & literæ congruentior, cum nulla sit ratio existimandi eo loco directam ad filium hominem orationem à Dauide, qui Patrem ibi perpetuò alloquitur. Quare habemus designatum eo loco Christum, nomine vultus paterni ac diuinæ faciei.

115 Nec minùs concinnè idem S. Ambrosius in psal. 43. ad illud *quare faciem tuam auertis?* de Christo Dei vultu & facie id dictum accipit, quem tamdiu differri doleret antiquis Patribus, quod à diuino vultu in carne exhibito, illuminandos se esse præsagirent. [Etenim si vultus hominis, cæteris membrorum partibus plus refulget, & quemcunque intuemur, vel incognitũ agnoscimus, vel cognitũ recognoscimus, quẽ aspectus noster latere non patitur: quanto magis Dei vultus, quem spectat, illuminat? De quo vt cætera eius sunt, ita & hoc præclarum Sancti Apostoli, qui verè interpres est Christi, vt aptiore cum sensu & sermone nostris infunderet mentibus.] Et mox. [Meritò ergo dicunt isti: *Quare faciem tuam auertis?* Aut fortasse propterea dicitur, quia desiderantibus, Christi moram faciebat aduẽtus. Ipse enim est vultus patris, qui est imago & gloria Dei.]

Placet etiam Ruperti meditatio lib. 6. de processi. Spiritus Sancti cap. decimo quarto, qui sic philosophatur expendens illum Psalmi 4. versum [signatum est *super nos*

*lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* Dominus cui hoc dicuntur, *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, ipſe eſt Pater: vultus Domini, ipſe eſt Filius patris; lumen vultus Domini, ipſe eſt Spiritus ſanctus Patris & Filij. Filius idcirco rectè dictus eſt vultus Dei Patris, quia ſicut in vultu alicuius hominis affectio lætitiæ, vel mœroris poteſt percipi, ſic per Filium voluntas Dei Patris mundo fuit lumen vultus Domini; idcirco rectè intelligimus, Spiritum ſanctum Patris & filij, quia ſicut lumen alicuius rei, valdè lucentis; viam vel proſpectum pandit corporalibus oculis: verbi gratia, ſicut claritas ſolis, depulſa caligine noctis nobis efficit diem: ſic Spiritus ſanctus depulſis ignorantiæ tenebris, docet nos omnem veritatem, quia per ipſum, & filium ſcimus & patrem, & ipſum cognoſcimus ex vtroque procedentem.] En Spiritus ſanctus quia omnem de Chriſto & eius myſteriis veritatem detegit, & legitimam Chriſti cognitionem ingenerat, *lumen vultus Dei* appellatur. Igitur vultus Dei, eſt ipſe Chriſtus.

126 Collimaſſe in diuinæ huius faciei contuitionem omnia antiquorum Patrum deſideria, monſtrat præſcriptæ Numer. 6. benedictionis formula, quæ ſic concipiebatur; *benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te, illuminet Dominus faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem, & miſereatur tui.* Quem locum piè omninò, in Chriſtum cadere, demonſtrat S. Cyrillus lib. 11. de ador. decerpo laciniam ex fuſiore eius oratione. Faciem porrò Dei & patris eſſe filium qui apparuit nobis, nemo, (vt ego arbitror,) ambiget: character eſt enim, & ſimilitudo, & imago illius: ac per ipſum, & cum ipſo Patrem cognouimus; Cuius aduentum videre cupientes, ad vniuerſorum Deum clamabant, *Deus virtutum conuerte nos & oſtende faciem tuam; & ſalui erimus.* Omnes igitur ſumus in oſtenſione Chriſti miſericordiam conſecuti.]

127 Hanc pacem & ſuauiſſimos fructus benedictionis in Chriſto promiſſæ & per Chriſtum Dei faciem exhibendæ, citra omnem ambiguitatem præconcipiebant priſci iuſti, in quorum omnium perſona Dauid pſalm. 79. aiebat, *oſtende nobis faciem tuam & ſalui erimus.* Quem locum Rabbi Moſes Hadarſan, de Chriſto Dei facie interpretatur in cap. 22. Geneſ. eodem referens illud Oſeæ 6. *viuificauit nos poſt duos dies, & in die 3. ſuſcitabit nos, & viuemus ante faciem eius, & ſciemus vt ſequamur ad cognoſcendum Dominum.* Illuſtria ſunt quæ ex aliis quoque Rabbinis profert Galat. lib. 3. de arca. cap. 12, quibus Meſſias vocatur *facies Dei.* Sed illud præter cætera placet annotare quod ex Malach. 3. à primario Rabbino Moſe Maymonide obſeruatum refert. Sic enim habet ex Hebræo Malachias. *Ecce ego mitto Angelum meum, & parabit viam faciei mee.* Eam faciem cui paraturus Angelus viam prædicitur, fuiſſe Chriſtum Dominum, affirmat Maymonides, & veriſſimè eum locum aprat ad Meſſiam ſuffragante ipſomet Chriſto Matth. 11. qui eum locum Malachiæ deſe expoſuit, & Angelum viam ſibi præparantem, docuit eſſe Ioannem Baptiſtam. Nec refert, imo maximè ad rem facit, aliqualis diuerſitas verborum quæ ſunt apud Malachiam, & eorum quæ inde à Chriſto allegantur. Malachias enim habet. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*, Chriſtus autem ita allegat. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante faciem tuam.* Quod enim apud Matthæum Chriſtus de ſe loquatur, apud Prophetam verò Deus ſit qui loquitur, meritò Chriſtus verba Patris de ſe dicta, & à Propheta in perſona Dei prolata vſurpans, refert ea in ſecunda perſona: & eo ipſo optimè intelligitur, Chriſtum eſſe faciem Patris, quandoquidem ea facies quæ Chriſtus eſt, (vt habet Euangeliſta, ex ore Chriſti,) iuxta Prophetam in Dei perſona eiúſque nomine loquentem, eſt facies Dei. Vide nodi extricationem, multa apud Riberam Malachiæ 3. verſ. 1. & Ianſenium cap. 13. concord.

128 Quod verò eo loco Malachiæ, facies hæc Dei, ſiue Chriſtus, deſcribatur tanquam ignis conflans & tanquam herba fullonum, pertinet ad bona quæ per exhibitionem diuinæ huius faciei præſtanda mortalibus erant per Chriſtum, facientem purgationem peccatorum: ſimúlque ad mala quæ obuentura erant in auerſos à Deo Iudæos occaſione aduentus Chriſti, per eos peſſimè habiti. Sic enim innotuit tempus illud vultus Domini, de quo inſigniter de more Cyrillus Alex. lib. 3. glaphyr. in Geneſ. tractans ſacrificium Abrahæ deſcriptum Geneſ. 15. quo delineatum vniuerſum Incarnationis myſterium, perbellè oſtendit. Nempe cum Chriſtus, terrenus ſimulſit & cæleſtis, naturam eius terrenam ſiue humanitatem, adumbrarunt vitulus, aries, & capra. Nam Verbum in humanitate, factum eſt nobis tanquam dux gregis, ſiue aries: idémque vt factus ſub lege, dicitur vitula docta diligere triturам: & ob deiectionem ac infirmitatem fœmineo ſexu aptè expreſſam, rectè quoque dicitur capra, quia eſt victima pro peccato. Iam verò naturam Chriſti cæleſtem ſiue diuinam, adumbrabant aues eiuſdem ſacrificij Abrahami: Turtur inquam, & columba. De quibus nominatim monet ſcriptura diuiſas non fuiſſe aues, cum diuiderentur animalia. Quia patiente humanitate, diuinitas non eſt compaſſa aut diuiſa ab humanitate: ob quam etiam cauſam in ſacrificiis auium vetabatur abſciſſio capitis à corpore, vt notauit Potho lib. de magna domo ſapientiæ. Quanquam neque humanitas per paſſionem & diuiſionem interpoſitam, vidit corruptionem. Quod ſignauit Abraham, arcens ab animalium diſſectorum cadaueribus, aues damnum illaturas. Deſcripto tam illuſtri Verbi humanæ carne veſtiendi typo, ſubiicit ſcriptura, prænunciationem Abrahæ: factam de vexatione generis ſui, tandémque additur, poſt occaſum Solis apparuiſſe clibanum fumantem, & inter diuiſiones illas animalium, tranſiſſe lampadem ignis. Quod qua ratione pertineat ad eam quam dixi Iudæorum cladem, ob Chriſtum faciem Dei repudiatum, iuuat ipſiuſmet

Cyrilli

Cyrilli verbis prodere [*erat* (inquit,) *flamma ignis, & clibanus fumans, & lampades igneæ,* factum enim est venerandum Incarnationis mysterium, eis qui credere noluerunt, & refractarios se se præbuerunt, clibanus & flamma, & omnium maximè intolerabile, atque extremum supplicium. Ideóque de Israëlitis, qui Christi mysterium temerè contumelia afficientes, improbi ac contumaces, sunt deprehensi, Dauid ita ait ad vniuersorum Patrem, ac Deum: *ponet eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Domine in ira tua conturbabis eos, & absumet eos ignis.* Tempus autem faciei Patris, meritò esse censeatur tempus Incarnationis; siquidem facies atque imago Patris, est filius. Ingens itaque flamma & clibanus, manet eos qui mysterium Incarnationis vnigeniti reiiciunt. Iis verò qui aduentum ipsius agnouerunt, sicut scriptum est, *fit lucerna in tenebris lucens*, & diabolicæ caliginis densitatem dissipans, & scandalis quæ se se offerunt, cultores offendi non sinens.] Eodem modo locum Psalmi 20. exponit ibi Euthymius.]

129 Possunt & alia in hanc rem loca proferri, quibus Christus dicatur *facies Patris & vultus Dei*, cum Tertulliano lib. aduersus Praxeam cap. 14. & lib. 3. contra Marc. cap. 6. vt locus ex Threnorum 4. quem contra fidem Hebræorum Codicum, & Græcorum, omniúmque Latinorum, recitat Tertullianus. Vbi enim habent alij, *spiritus facies nostræ*, vel *spiritus oris nostri*, ipse legit *spiritus personæ eius, Christus Dominus.* Vbi *persona* quidem idipsum est quod *facies*, iuxta Græcam vocem πρόσωπος quos & personam & faciem sonat, vt notauit etiam S. Basilius in psal. 44. explicans de Christo illud, *vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Quod tamen Tertullianus personæ paternæ, seu faciei Dei patris spiritum pronunciet Christum; hoc est in quo dicebam ab aliis omnibus discrepare Tertullianum: cum Hebræa lectio, & Græca 70. interpretum, & latinæ editiones omnes, habeant *oris nostri*, vel *faciei nostra* Christum ergo vocari ait à Propheta patris personam, id est faciem ac vultum: Qua etiam ratione lib. 5. contra Marcio. cap. 11. accipit alia quædam loca. Monstrat enim nequiter Marcionem abusum fuisse verbis Apostoli 2. Cor. 4. quibus memorat, *Deum huius seculi*, premendo postremam eiusdem loci Apostolici clausulam qua dicitur, Deum qui initio mundi dixit de tenebris lucem splendescere, reluxisse in cordibus nostris ad illuminationem agnitionis suæ, in facie Christi Iesu, aut vt ipse legit in persona Christi, subditque. [Quis dixit, *fiat lux*? Et de illuminatione mundi, quis Christo ait? *Posuit te in lumen nationum*, sedentium scilicet in tenebris, & in vmbra mortis? Cui respondet spiritus in Psalmo ex prouidentia futuri: *signatum est*, (inquit) super nos lumen personæ tuæ Domine. Persona autem Dei, Christus Deus Dominus; vnde & Apostolus infrà, *qui est imago*, (inquit,) *Dei.* Igitur si Christus persona creatoris dicentis, fiat lux;] sed de locis quibus Christus facies & vultus patris vocatur, plus satis.

### *Cur Christus dictus Dei facies, ratio prior, quia per eum conspicuus Deus vt vnus.*

130 Ratio eiusdem nomenclaturæ non est obscura, & in plerisque Patrum testimoniis prolatis, facta est vna, rem planè conficiens. Facies enim est, qua quisque nostrum cognoscitur, & internoscitur: eamque ipsam ob causam, Deus varietatem vultuum miraculi plenissimam prouidit vt internosceremur. Quod ex nostris & Ethnicis complures, tanquam vetè stupendum sunt demirati in tanta hominum numerositate semper contingere: ita vt miraculo habitum quandoque sit, duos fratres videre vultibus valdè similes, etiamsi aliquatenus quoque dissimiles. Videsis Nazianzenum, Nemesium, Meletium, Plinium, quos ad id profero in Natur. Theolog. distinct. 8. numero 128. quibus adde qui ad eandem tot vuultum varietatem obstupescunt & diuitias in ea diuinæ artis ac potentiæ profusione defixi suspiciunt, Augustinum 21. Ciuit. cap. 8. & Senecam epist. 113. Est ergo facies qua quisque noscitur, & ab aliis internoscitur. Et propterea, quod notauit S. Ambrosius 6. Hexaëm. cap. 9. si desit facies, nulla agnitio esse potest. Iacet truncus ignobilis sine honore, sine nomine. Prædones dum faciei obduxerint personam, tutos se arbitrantur, gnari vultu operto, hominem latere.

Itaque quia per Christum Dei notitia mundo inuecta est, meritò dicitur *facies Dei.* Et hac ipsa ratione, *figuram substantiæ Patris*, dictum esse Christum ab Apostolo, (nam figura & expressio substantiæ, est facies,) pulchrè exponit Autor libri primi de Incarn. apud Augustinum cap. 12. confirmátque exemplo, [si facta esset aliqua statua talis quæ magnitudine sui vniuersum orbem terræ teneret, & pro sui immensitate considerari à nullo posset; fieret autem alia statua membrorum habitu, ac vultus lineamenris, specie, ac materia, per omnia similis absque magnitudinis immensitate, pro eo, vt qui illam immensam considerare atque tueri non possent, hanc videntes, illam se vidisse considerent, pro eo quod omnia membrorum vel vultus lineamenta, vel ipsam speciem materiámque similitudine prorsus indiscreta, seruaret. Tali quadam similitudine, exinaniens se filius Dei, de æqualitate Patris & viam nobis cognitionis eius ostendens, figura expressa substantiæ eius efficitur, vt qui in magnitudine claritatis suæ positam gloriam meræ lucis non poteramus aspicere, per hoc quod splendor nobis efficitur, intuendæ diuinæ lucis viam, per splendoris capiamus effectum. Comparatio de statuis, quasi sanè in rebus corporalibus posita, ad nihil aliud recipiatur, quàm ad hoc quod filius Dei breuissimè insertus humani corporis formæ, ex operum virtutisque similitudine, Dei patris in se immensam atque inuisibilem magnitudinem designabat, per hoc quod dicebat ad discipulos suos; *Quia qui videt me, videt & Patrem.*]

131 Sed optimè Clem. Alex. 7. strom. c. 5. tractans illud psal. 23. *quærentium faciem Dei*

*Iacob*, sic scribit in tem nostram. [Breuiter vt arbitror nobis significauit Propheta eum qui est præditus cognitione cursimque & obiter vt videtur, nobis demonstrauit Dauid Seruatorem esse Deum, dicens eum esse faciem Dei Iacob, qui annuntiauit & docuit de spiritu. Quocirca Apostolus appellauit quoque filium characterem seu typum gloriæ Patris, qui veritatem de Deo docuerit, & expresserit quod Deus & Pater, vnus est & solus omnipotens, quem nemo nouit nisi filius, & cui filius reuelauerit. Vnum autem esse Deum per eos qui quærunt faciem Dei Iacob. Meminit quem solum esse Deum Patrem bonum, exprimit Seruator noster, & Deus. Generatio autem quærentium eum est, genus electum, quod est vi inquirendi præditum.]

Non multùm abest ab hac ratione tribuendæ Christo istius nomenclaturas, Autor libri de essentia Diuinitatis, perperam D. Augustino adscripti. D. Anselmo & Eucherio alij tribuunt, vt apud D. Anselmum in Syntaxi partis quartæ, notaui. Affirmat enim Autor ille, *faciem Dei* in scripturis dici cognitionem Dei per homines, communicatam à Christo, qui dixit, *nemo nouit Patrem nisi filius, & cui voluerit Filius reuelare*. Cæterùm cum ea notitia quam de aliquo ex vultu efformamus, non sit ipse vultus, sed vultum habeat pro causa & obiecto à quo hauritur, minùs commodè nomen *facieì diuinæ* à nostro vsu translatum notitiæ nostræ de Deo tribuitur ab eo autore; cum debuerit tribui causæ cognitionis eiusdem, nempe Christo à quo Deum agnoscere, eumque internoscere, edocti sumus.

Egregiè porrò Origenes, sub finem libri sexti contra Celsum, causam propositam corporati propter nos Verbi Dei, vt esset nobis carneis, carnea Dei facies, his verbis aperit [Si nos Celsus interrogauerit, quomodo putemus nos cognoscere Deum, & per illum salutem acquirere: respondebimus idoneum esse Dei Verbum, vt ingressum quærentibus, se suúmque aduentum spectantibus, Patrem reuelet, qui cerni non potest, nisi per præcedentem aduentum filij. Quis enim alius valeat seruare, & ad Deum optimum maximum humanam animam adducere quàm Deus Verbum, qui cum in principio apud Deum esset, propter carni cohærentes & carnales, caro factus est, vt caperetur à quibus alioqui ne videri quidem poterat, in quantum Verbum erat, & apud Deum erat, & Deus erat. Nunc corporaliter loquens, & vt caro se præbens, ad se vocat omnes Carneos: vt eos primùm formatos. Iuxta Verbum quod Caro factum est, deinde ad contemplationem sui ipsius prouehat, cernatúrque ab eis qui ante carnem sumptum fuerat, vt per eius carnem introducti ad sublimiora, dicant illud Apostolicum, *& si Christum aliquando secundùm carnem nouerámus, nunc certè non amplius sic eum nouimus*. Itaque caro factus est, & factus caro habitauit in nobis, cum non esset nobis extraneus.]

*Quàm tenuis olim Dei cognitio, ante hanc suam faciem reuelatam.*

132 Hîc nolim dicam mihi quispiam impingat, & litem moueat, de noto ante Christum in Iudæa Deo, & eius nomine magno in Israël: aut de confessione Dei, id est illustrissima & laudis plena notitia, super cœlum & terram; eo quod in paginis elementorum & voluminibus temporum, vt est apud S. Prosperum lib. 2. de vocat. gent. cap. 4. communis & publica diuinæ institutionis doctrina perlegi vbiuis potuerit. Nolim inquam, id quispiam obiiciat. Nam vt non diffitear, aliqualem Dei notitiam insedisse Iudæis; ai illa quàm obscura, quàm spicula & tenuis, ac etiam in plerisque quàm admista falsis imaginationibus Deum planè dedecentibus? Passim Iudæi Deum Hierosolimitano templo conclusum, imaginabantur: vt S. Hilar. 2. de Trin. *sub finem*, & Hieronymus in cap. 66. Esaiæ, aliique annotarunt. Quo figmento quid stultius, & à Deo vero alienus? Deinde omnis Iudæorum notitia, ad Deum vnum arctabatur. Trinitatem verò personarum, ne somniabant quidem. Et prouidè rudi populo & ad plistheismum prono, absconsa est; ne tres diuinas personas, tres Deos blasphemè agnosceret. Nemo porrò non videt, quàm luxata & oblæsa sit Dei notitia dimissis diuinis personis; earúmque distinctione. Quantula verò pars orbis erat Iudæa, etiamsi daremus in ea ante Christum viguisse perfectam Dei notitiam? Punctum propè præ reliquo orbe; quem densissima caligo offundebat in hac parte. Vt propterea quod S. Hieronymus quæst. 8. ad Helib. animaduertit, Hierusalem in scripturis dicatur *sancta ciuitas*, quia extra eam, eiusque fines, veritas Dei parcissimè micabat, & ferè vbiuis nulla erat. Hemispherium solis iustitiæ concludebatur vnius Iudeæ angustissimo ambitu, & quod scitè dixit S. Cyrillus orat. de S. Ioanne tom. 6. Conc. Ephes. cap. 2. Moses linguæ se prodidit impeditæ & exilis vocis, quæ ægerrimè exaudiretur, cum Dei notitiam vltra fines Iudeæ non protulit. At per Christum, gratia & veritas facta est. Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. Impleuit Dominus quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum. Non iam vltra saxis & truncis incommunicabile numen inditur; non allia & porri imponuntur nubibus; non pudendis & probrosis numinibus cadunt victimæ: sed vnus ac verus Deus, idémque personis Trinus, agnoscitur & colitur in Spiritu & veritate.

133 De hoc Dei consilio in facie sua pedetentim aperienda, & notitia sua per Christum plenè communicanda, est insignis locus apud Nyssenum in qq. de imag. qui sic habet. [Ex his intelligimus, quo tandem pacto se Deus tanquam in corpore quodam in mundo manifestum reddiderit, atque prodiderit: quaque ratione pedetentim natura nostra mysterium Trinitatis agnouerit. Est enim conceptus vi seminis cuiusdam mali, tanquam in vtero quodam præuaricationis, homo in re-

nebrós

nebrosis & in vmbra mortis sedens. Deinde cum in cognitionis Dei lucem tanquam infans ab initio progressus esset per legis directionem, animatus effectus est, cùm Deum ac Patrem agnoscceret; In se quidem habentem sicut & anima, substantia coniunctum Verbum & Spiritum. Hominem verò cum propter nimiam iudicij imbecillitatem, non caperet manifestationem Verbi & mentis, ne specie diuini cultûs prolaberetur in multorum Deorum cultum, tempore procedente erudiebat, tanquam Infantulum crescentem hæc nostra mundi natura velut ab anima quadã, edocta à Deo & Patre, vt obscurè cognosceret, & velut ex quibusdam minùs claris balbutientis lingua vocibus, ex propheticis documentis exitum & ortum, atque apparitionem substantialis & occulti patris Verbi. Post quas balbutientis voces, Mosaica inquam & prophetica Verbi ænigmata, cum prodiisset clarè & articulatè, tanquam ex labiis quibusdam ex vtero virgineo perfectum Verbum Dei, tum perfectam triplicem plenitudinem suam, cum istis, & per istud notam deinceps efficit humana mundi natura.]

### *Sensus gratitudinis in Deum, ob eam reuelationem vultus sui.*

Non se capit, effusus hac ex causa in Christi laude Arnobius lib. 1. num. 23. [ Hominibus (inquit) quantis afficiendus est nobis, qui ab erroribus nos magnis, insinuata veritate traduxit. Qui velut cæcos passim ac sine vllo rectore gradientes, ab deuiis locis, planioribus reddidit. Qui quod frugiferum primò, atque humano generi salutare Deus monstrauit, quid sit, quis quantus, & qualis, qui profundas eius atque inenarrabiles altitudines, (quantum nostra quisquis mediocritas,) capere & intelligere permisit & docuit: Qui quo authore, quo patre mundus iste sit constitutus & conditus, fecit benignissimè sciri. Qui natiuitatis eius exprompsit genus & nullius aliquando cognitione præsumptam materiam illius ] & mox. [ Qui quod omnia superauit & transgressum est munera, ab religionibus nos falsis, religionem traduxit ad veram: qui ab signis inertibus atque ex vilissimo formatis luto, ad sydera subleuauit & cœlum; & cum Domino rerum Deo supplicationum fecit verba atque orationum colloquia misere. Venerabar (ô cæcitas,) nuper simulachra modò ex fornacibus prompta. In incudibus deos & malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas, veternosis in arboribus tænias. Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex oliui vnguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco: & eos ipsos diuos quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis grauibus: cum eos esse credebam ligna, lapides, atque ossa, aut in huiusmodi rerum habitare materia. Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia ista quæ sint scio: digna de dignis, sentio; contumeliam nomini nullam facio diuino, & quid cuique debeatur vel personæ, vel capiti, inconfusis gradibus atque autoritatibus tribuo. ] Hæc quod vnius Dei notitiam per Christum mundo inuectam, sapienter Arnobius. Et idem passim est SS. Patrum sensus, cum in huiusmodi Dei beneficium incidunt.

### *Diuina attributa, per Christum Dei faciem, manifestata.*

135 Ad notitiam porrò Dei provt vnius, pertinet quoque notitia diuinorum attributorum. Itaque vt appareat quomodò in Christo tanquam in vultu Dei, visus sit Deus, necessarium est sigillatim differere de præcipuis diuinis attributis sapientia, charitate, misericordia, iustitia, atque potentia, quantoperè in Christo eluxerint. Sic enim perspicuum fiet, Christum meritò nuncupatum esse *faciem Dei*, quandoquidem in Christo conspicuæ sunt perfectiones diuinæ.

### *Sapientia.*

Sapientiam in Christo fuisse proditam, obseruat Methodius opusc. quodam de cruce quod maiorem cruciatum Dæmoni rependere voluerit ac potuerit, inde petito aduersus nequitiam eius remedio, vnde extiterat damnum. [ Huius enim rei gratia (inquit Methodius) & carnem gessit Dominus Iesus, & homo factus est, & cruci per diuinam dispensationem affixus, vt per quam carnem dæmones superbè Deos ementiti fuerant, animabus compendiosa fraude captis; per eam deiecti despectique essent vt non Dij. Prohibuit enim altiùs extolli superbiam ipsorum factus homo: vt per quod corpus, rationis particeps genus à veri Dei cultu alienatum perdidit, per idem ineffabili arte Sapientiæ verbo suscepto, exitiales hostes esse arguerentur, non benefactores animarum. Non enim mirum fuisset, Christum deitatis terrore & inuictæ patientiæ magnitudine aduersarias debilitare naturas dæmonum. Quoniam ergo ea res maiorem eis dolorem & cruciatum allatura erat, (vinci enim à præstantiore maluissent) idcirco per hominem salutem vniuersorum procurauit: vt homines quidem, vbi vita ipsa & veritas corporaliter in eos immigrasset, ad formam lumenque verbi recurrere valerent, superatis peccati illecebris. Dæmones verò ab infirmiore contemptôque victi, desisterent ab audacia & confidentia, Typhonica ipsorum flamma repressa. ] Eandem sanè ob causam, olim Deus arcam mundi seminibus fœtam seruauit, nec hominẽs diluuio aboleuit, nouos postea conditurus; sed subduxit aliquos cladi, vt semine ab ipso vincĕretur Diabolus, per quod vicisse videbatur, vt disserit Autor pœmatis de prouidentia pag. 183. & Basilius Seleuc. altera oratione de Noë.

Exultat præterea in Dei sapientia ostendenda ex Christo, S. Gregor. 17. moral. cap. 15. ad illud *prudentia eius percussit superbum*, quæ verba sic glossa. [ Quis hîc superbus, alius appellatur nisi ille qui dixit; *ascendam*

*super*

*super altitudinem nubium, similis ero altissimo.* Et de quo voce dei dicitur; *qui factus est vt nullum timeret, & ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* De quo etiam huic sententiæ Dauid propheta concordat, dicens: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Sed quamuis simplici naturæ diuinitatis, non sit aliud esse, & aliud sapere; nec aliud sapere, & aliud fortem esse; quippè quia ipsa fortitudo quæ sapientia, & ipsa sapientia quæ diuinitatis essentia esset: Vigilanter tamen intuendum puto, quod vir iste prophetico plenus spiritu, superbum diabolum, prudentia Dei potiùs maluit dicere quàm fortitudine esse percussum. Non enim ait, *fortitudo*, sed *prudentia eius percussit superbum.* Nam quamuis sicut dictum est, propter naturam simplicem Dei, fortitudo, sapientia sit: Dominus tamen, diabolum quantum ad faciem spectat, non virtute, sed ratione superauit.] Hanc rationem, apparisse docet in euerso per Christum satanæ consilio, & dolis in caput eius retortis, quod summæ est sapientiæ.

Pulchrè in hanc rem Eucherius hom. 11 de Pasch. [Ne per potentiam (inquit) Dei se iniquè opprimi posset Diabolus calumniati, astutum callido Deus consilio implicat, & contra superbum humilitate confligit: Non ei captiuum præripit; sed pretium quod sanè captiuo præponderat, & quod prædonem magis damnaret, appendit: Incentorem peccati, in formam peccatoris illaqueat. Humanæ amictam perditionis, inexplebilem bestiam, per escam carnis illudit. Homo in se prouocat esurientem, & Deus præfocat deuorantem. Sic Daniel maximus Prophetarum, horrendum draconem, id est qui spiritum diaboli præferebat, solidioris cibi virute conficit, faciens de pice & adipe, id est de duabus substantiis vnam offam: qua assumptâ, quod putabatur cibus, interitus fuit. In pice homo intelligitur: Deus adipe demonstratur, qui totius puritatis candor, & pinguedo est bonitatis.]

237 Hac ratione, hamum Leuiathano capiendo tetendit Deus, vt notauit Rupertus lib. 2. de oper. Spiritus sancti cap. 24. verbis illis, quibus exponit quomodò Deus ad Iobum profiteatur se illusisse Leuiathano, id est Satanæ. [Quomodo isti hic sapientiæ spiritus illusit? *In oculis* (inquit) *quasi hamo capiet eum.* Quis nesciat quòd inhamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca enim prouocat vt aculeus pungat. Dominus itaque noster, ad humani generis Redemptionem veniens, velut quendam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, vt in eo quasi escam, suam mortem carnis appeteret: quam mortem dum in illo iniustè appetit, nos quos quasi iniustè tenebat, amisit. In hamo ergo eius Incarnationis, captus est, quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo diuinitatis.]

Sunt hæc, specimina diuinæ sapientiæ in Christo conspicuæ. Nec obest quòd Apostolus statuat, insipiens Dei in Christo apparuisse. Loquitur enim per oppositionem ad sensum humanum; vt scilicet id sit fatuum Dei, quod hominibus iuxta sua principia fatuum videretur: quamuis reuera sit sapientiæ plenissimum. Alio modo Origenes homil. 5. in Ierem. ostendit quomodo dicatur in Christo proditum, quod stultum est Dei. Et post multa, sic concludit. [Non dignatur sapientia Dei ad mundi sapientiam commiscendam tota descendere; sed potius modicum quod necessarium fuit, quod factum Dei erat vt hoc paruo & fatuo Dei, infatuaretur sæculi sapientia, magnitudinem insevenientis sapientiæ impotens sustinere. Verùm exemplum interponamus, vt perspicuè possit intelligi quomodò fatuum Dei stultam fecerit sapientiam mundi. Fingam paulisper me qui aliquid putor esse, cum insipiente aliquo & inerudito conferre sermonem, qui nihil intelligat, nihil acutæ disputationis interroget. Nunquidnam opus mihi est ad illius stultitiam arguendam, dialecticam calliditatem & profundorum sensuum acumen adhibere? Nonne ad vnius sermunculi ictum, vilis & modici, qui tamen illius intelligentiæ videatur acerrimus, fatuum & insipientem esse conuincant? sic igitur ad mundi sapientiam stultificandam, non est opus sapientiam Dei descendere, & cum ea collictari quæ deorsum est sapientia: sed sufficit fatuum Dei. Quoniam *fatuum Dei, sapientius est hominibus, & infirmum Dei fortius est hominibus.* Et omnia contraria Saluator meus & Dominus assumpsit; vt contrariis dissoluæ contraria, & nos confirmemur ab infirmitate eius, & sapientes efficiamur à fatuo eius, & in hoc introducti, possimus ascendere ad sapientiam & virtutem Dei.] Quæ de sapientia Dei, micante in Christo, scripta. Nyssenus in orat. Catech. cap. 26. longiora sunt quàm vt hîc adscribi possint. Inde ergo repetantur.

### *Charitas in genus humanum.*

138 Iam charitas Dei in nos, summè & infinitè incensa, nullibi meliùs quàm in Christo est conspicua. [O suauitatem! (exclamat S. Bernardus!) ô gratiam! ô amoris vim! Itáne summus omnium, vnus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius: Triumphat de Deo Amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis quæ so tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam: Denique semetipsum exinaniuit, vt scias amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est.] Vt sermone de diligendo Deo. [Eius quidem potentia occultata est, quoniam in infirmitate venit vnde Habacuc, *abscondita est* (inquit) *fortitudo eius.* Haud dubium quin in cruce, cuius cornua in manibus eius. Sapientia quoque abscondita est & incarnata. Placuit enim ei per stultitiam verbi, saluos facere credentes. Nonne quodammodo stultum se fecerat, qui tradidit in mortem animam suam, & tulit peccata multorum, & quæ non rapuit, tunc exoluebat? nonne ebrius

ebrius erat vnio charitatis, & immemor sui, contra Petri consilium dicentis; *propitius esto Tibi*: Itaque abscondita est fortitudo, maximèque velata & incarnata sapientia. Sed benignitas non potuit amplius declarari, nec abundantius exprimi, non euidentius commendari.]

139 Hunc Dei amorem per Christum nobis conspicuum, Rupertus egregiè lib. 1. in Exod. cap. 8. docet expressum per candelabri Christum exhibentis obuersionem ad Austrum. [Speculemur (inquit,) candelabrum, id est Christum Incarnatum huius septem lucernæ, septem Spiritus Dei sunt, quorum exemplares septem lucernæ fuerunt, quæ sicut sequentia docent, super illud materiale candelabrum positæ sunt. (*Facies* (inquit) *& lucernas septem, vt luceant ex aduerso*) Christus ergo, super quem requieuit Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini, ipse est candelabrum cœli, candelabrum, & lux mundi, septem eiusmodi semper lucens inextinguibilibus lucernis. Qui propter Incarnationis mysterium, per arcam; propter passionis & sanguinis sui pretium, per propitiatorium; propter corporis & sanguinis sui Sacramentum, quod nobis in cibum & potum tradidit, per mensam: ipse propter septiformem spiritum qui super eum requieuit, quemque gloria & honore coronatus, & ad dexteram patris residens hominibus dedit, per candelabrum septem lucernarum rectè figuratus est.] Et infra. [Super candelabrum septem lucernæ dinumerantur, (*vt luceant* (inquit) *ex aduerso*:) id est contra mensam. Hoc enim postmodùm exprimit dicendo: *& contra mensam candelabrum pone, in latere tabernaculi meridiano*. Mensa enim stabat in parte Aquilonis. Per hoc mysticè innuitur, quia lux candelabri nostri, id est Euangelica gratia Domini nostri Iesu Christi filij Dei, ab Austro, à magna charitate Dei patris in nos effulsit qui eramus in parte Aquilonis: illius videlicet de quo Diabolus, *sedebo* (inquit) *in monte testamenti in lateribus Aquilonis*. Nobis inquam qui eramus Aquilonarij, id est infidelitate frigidi, mensa prædicta proposita est, & à meridiana charitate Dei, cœlestis Sanctuarij candelabrum Christus effulsit.] Theodoretus in fine sexti contra Græcos, his comparationibus hunc amorem declarat. [Quando iuuenili ac temerario quodam ausu sapientiæ abyssum vestris consiliis superaturos vos creditis, meliorem nostræ salutis modum quæso nobis ostendite. At inuenire profectò nullum poteritis. Tanto enim vsus est Deus nostet lenitatis excessu, vt incredibile hoc, & vobis & vestri similibus factu obliciatur, vnigenitum scilicet Dei filium, qui est ante sæcula Deus Verbum, quique opifex est rerum omnium, humanitate nostra assumpta, hominem factum esse, nostrámque hoc pacto salutem peregisse. Atqui eos medicos maximè laudare soleris, non qui vos quidem suis ministris curandos committunt; sed qui pallium deponunt, intulerámque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt vlcusque (si sit opus,) incidunt; neque fœtorem vlceris auersantur, imo inde profluentem saniem excipiunt, spongiáque inspergunt, & vnguenta compingunt, aliáque multa remedia conficiunt quæ adhiberi, medicinæ lex iubet. Neque verò illos etiam Reges admirari laudibúsque ornare soliti estis, qui regalibus in thalamis molliter enutriti, omni genere, deliciarum perfrui solent; sed quibus graue non est, pro subditis hominibus, caput periculis obiectare; quique armis obiecti in primâ acie cum hoste fortiter pugnant.]

### *Longè maior quàm erga Angelos.*

140 Maiorem Dei erga nos amorem, quàm erga Angelos fuisse, in Christo patefactum, monstrat insigniter S. Chrysost. hom. 5. in ad Hebr. *initio* tractans illud, *non Angelos apprehendit*. Sic enim ratiocinatur. [Multam Dei benignitatem volens Paulus demonstrare, & charitatem quam circa genus humanum habuit; postquàm dixit, *quoniam ergo pueri communicarunt carni & sanguini, & ipse similiter particeps factus est eorundem*, exequitur amplius hunc locum. Non simpliciter audias quod dictum est, neque nudum aliquid hoc esse putes, quod carnem ex nobis assumpsit. Angelis hoc non donauit. Non enim quemquam Angelorum apprehendit, sed semen Abrahæ. Quid est quod dixit? non Angeli naturam suscepit, sed hominis. Quid autem est quod dicit, *apprehendit*? Ille (inquit) non apprehendit naturam Angelorum, sed nostram. Quare non dixit *suscepit*, sed isto verbo vsus est, *apprehendit*? ex metaphora insequentium eos qui auersi sunt, & omnia facientium vt fugientes occupent, & vt resilientes apprehendere valeant. Aufugientem quippe ab ipso naturam humanam, & procul aufugientem, (eramus autem longè profugi,) insecutus apprehendit. Ostendit quoniam misericordia sola & gratia, & cura quam de nobis habuit, hoc fecit. Quemadmodum igitur cum dicit, *nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditaturi sunt salutem*; vehemens Dei studium erga naturam humanam ostendit, & quod illius multam curam habeat: sic etiam hoc loco; quod multo amplius est ex comparatione ponit. Non enim Angelorum quemquam apprehendit. Et re vera magnum & admirabile & stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere & adorari ab Angelis, & Archangelis, & Cherubin & Seraphin. Hoc sæpiùs ego in mente versans, excessum patior, & magna de genere humano imaginor. Magna quippe video, & clara exordia, multúmque Deo studij esse pro natura nostra. Et non dixit, *homines simpliciter apprehendit*: sed volens eos erigere, & ostendere magnum esse genus eorum & honorabile; dixit; *sed semen Abrahæ apprehendit: vnde debuit secundùm omnia fratribus simile reddi*. Quid est *secundùm omnia*? Natus est, (inquit) educatus est, creuit, passus est, omnia quæ oportuit. Postremò & mortuus est. Hoc est secundùm omnia fratribus similes reddi.

*Et quam in creatione.*

141 Multo item auctiorem ex Christo conspicuum esse Dei in nos amorem, quàm ex rerum creatione, docet mellitissimè Saluianus lib. 2. ad Eccles. *sub initium.* [Propter te ô homo, terram ac lutum, imo exiguam terræ ac luti partem, rerum vniuersarum Dominus è cœlo venit, terras adiit; ex carne pariter & in carne processit, humiliatus vsque ad humani exordij pudorem, & pannorum illuuiem & præsepij vilitatem tolerans indignas se vitæ istius passiones edendi, bibendi, somni, vigiliarum ægras vicissitudines, & caducæ istius conuersationis contumelios as necessitates; ipsam denique hominum circa se conuersantium fœtidam commorationem; populos peccatorum sordentium luto oblitos semper malæ conscientiæ admissu reos, turpium ex se actuum nidorem exhalantes; & idò cœlestium præceptorum incapaces, nec sustinentes sacri fulgoris iubar; quia caligantes peccatis oculos, splendor diuini luminis obtuebat. Nec solùm hoc; sed post hæc omnia, adde proteruas superbientis populi contradictiones, adde conuicia, adde maledicta, impiam insectationem, testimonium falsum, iudicium cruentum, irrisiones populi, sputa, verbera, acerbissimas quidem pœnas, sed indignitates pœnis acerbiores, coronam spineam, aceti poculum, cibum fellis, damnatum ab hominibus Dominum vniuersorum, pendentem in patibulo humani generis salutem, Deum terrenæ conditionis lege morientem.]

142 Suffragantur alij Patres. Orig. hom. 6. in Ezech. ad illud, *non pepercit in te oculus*, quod sic glossat. [Propterea nihil tibi horum feci, vt paterer aliquid super te, dicit Dominus. Exemplum ab hominibus accipiam; deinde si Spiritus sanctus dederit, ad Iesum Christum, & ad Deum Patrem transmigrabo. Quando ad hominem loquor, & deprecor eum pro aliqua re vt misereatur mei; si sine misericordia est, nihil patitur ex his quæ à me dicuntur: si verò molli est animo, & nihil in eo rigidi cordis obduruit, audit me & miseretur mei, & viscera eius molliuntur ad meas preces. Tale mihi quidam intellige super Saluatorem. Descendit in terras, miserans humanum genus, passiones perpessus est nostras. Ante crucem passus est vt pateretur, & carnem nostram dignaretur assumere. Si enim non fuisset passus non veniisset in conuersationem humanæ vitæ. Primùm passus est, deinde descendit & visus est quæ est ista quam pro nobis passus est passio? charitas est passio.]

Nazianzenus orat. 42. post expositas Dei bonitatis in Christo diuitias. [Ille meam carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat secundùm consortium nobiscum initum, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod præstantius erat nobis impertiit. At nunc eius quod deterius est, particeps ipse fit. Hoc priori illo diuinius. Hoc apud cordatos viros, multo sublimius.]

S. Bernardus serm 4. de Ascens. [Qui descendit, ipse est & qui ascendit. Ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis via, ne ductoris, imo seductoris iniqui aut vestigium, aut consilium sequeremur. Quia ergo non erat quo ascenderet descendit altissimus, & suo nobis descensu, suauem ac salubrem dedicauit ascensum. Descendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circundatus: descendit de monte scientiæ, quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quid enim tenello corpore, & infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet paruulo qui sola matris vbera nouerit? Quis impotentior eo, cuius omnia membra clauis affixa, cuius omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo qui tradebat in mortem animam suam, & quæ non rapuit, tunc exoluebat? Vides quàm multum descenderit, quantum à potentia sua, quantum à sapientia exinaniuerit semetipsum. Sed non potuit altiùs montem bontatis ascendere, nec suam commendare expressiùs charitatem.]

Caue humilitatem hanc ad Christi humanam naturam referas: quia cum non elegerit Verbo vniri, non potest dici actum humilitatis in ea vnione exercuisse. Ibi verò eluxit in Deo amor humilitatis obiectiuæ, seu luti & abiectionis nostræ. Pergit S. Bernardus. [Sed dicet aliquis, non valuit opus suum reparare creator, absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum iniuria sui, pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis, occasionem vltra reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commonerétque gratiarum actionis, difficultas redemptionis, quem minùs esse deuotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus. Gratis quidem conditus sum, sed nullo autoris grauamine, vel labore. Siquidem dixit & factus sum quemadmodum & vniuersa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaueris, sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, vnde amoris causam habere debuerat: idque ad excusandas excusationes in peccatis. Sed obstructum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantummodò pro te homo dispendium fecit, de Domino seruus, de diuite pauper, cato de Verbo, & de Dei Filio hominis filius fieri non despexit. Memento iam te, & si de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum Sex diebus condidit omnia, & re inter omnia. At verò per totos triginta annos, operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laborauit, sustinens carnis necessitates, hostis tentationes. Nonne sibi crucis aggrauauit ignominiam, mortis cumulauit horrorem? Necessariè quidem sed sic, *homines & iumenta saluasti Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*] Non refragatur Eucherius hom. 6. de Pasch. Iterum particulam adhibuerit diminuentem, quæ apud illum, expletiua potiùs est & redundans. [Lugeat (inquit,) & ingemiscat confusa

fusa supplantatoris inuidia : cernat diabolus hominem quem mortifero vulnere in primo parente prostrauerat, penè feliciùs ac nobiliùs resurgentem. Ecce gratia plenè maiora restituit, quàm factura contulerat. Maximum quidem circa hominem diuini amoris insigne est, quod inter ipsa mundi principia imaginem ac similitudinem Dei sui, seruu accepit. Sed penè amplius est quod nun personam & formam serui Deus autor assumpsit; multum quidem est quod abstulit diaboli nequitia, sed multum plus est, quod Dei reddidit misericordia. Postremò magna quidem fuit indulgentia conditoris, assumptum de limo hominem inter Paradisi amœna componere. Sed penè maior est gratia, de profundo inferi, ad cœlorum regna sustollere.

### *Ars misericordiæ.*

143 Eluxisse, & perspicuam fuisse in Christo artem misericordiæ Dei, admonet Guerricus serm. 1. de natiu. Dom. Benè in eam tem S. Bernardus lib. de gradibus humilit. [Protoplastorum (inquit,) plasmator Deus, requitens quod perierat, opus suum miseratus, prosequutus est, descendens & ipse misericorditer, quo illi ceciderant miserabiliter. Voluit experiri in se, quod illi faciendo contra meritò paterentur : non simili quidem curiositate sed mirabili charitate: non vt miser cum miseris remaneret, sed vt misericors factus, miseros liberaret : factus inquam misericors, non illa misericordia quam fœlix manens habuit ab æterno, quam mediante miseria reperit in habitu nostro. Portò pietatis opus quod per illam cœpit, in ista perfecit non quod sola illa non posset perficere, sed quia nobis non potuit absque ista sufficere. Vtraque siquidem necessaria, sed nobis hæc magis congrua fuit. Ineffabilis pietatis excogitatio. Quando nos illam miram misericordiam cogitaremus, quam præcedens miseria non infirmat ? Quando illam aduerteremus incognitam nobis compassionem, quæ non passione præuenta, cum impassibilitate perdurat ? Attamen si illa quæ miseriam nescit misericordia non præcessisset ; ad hanc cuius *miseria mater est*, non accessisset. Si non accessisset, non attraxisset de lacu miseriæ & de luto fœcis. Nec illam tamen misericordiam deseruit sed hanc inseruit. Non mutauit, sed multiplicauit, sicut scriptum est, *homines & iumenta saluabis Domine quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*]

Sub perpulchræ fictionis imagine, idem exponit serm. 1. de Annun. Sed sine ambagibus & præclarè serm. 3. de Vigil. Natiu. Dom. verbis illis. [Contraxit se Maiestas, vt quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro coniungeret ; & in persona vna sibi inuicem vniretur Deus & limus, maiestas & infirmitas ; tanta vilitas, & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo : & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur : quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili, quàm incomprehensibili Sacramento. Et attende quia sicut in illa singulari diuinitate, Trinitas est in personis, vnitas in substantia ; sic in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis, in persona vnitas ; & sicut ibi personæ non scindunt vnitatem, vnitas non minuit Trinitatem ; ita & hîc, persona non confundit substantias, nec substantiæ, ipsæ personæ, dissipant vnitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare, inter omnia, & super omnia opera sua. Verbum enim, & anima, & caro, in vnam conuenere personam : Et hæc tria vnum, & hoc vnum, tria ; non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Hæc est prima & superexcellens mixtura : & hæc prima inter tres. Aduerte homo, quia limus es, & non sis superbus : quia Deo coniunctus es, & non sis ingratus.]

### *Iustitia.*

144 Iustitia Dei, & summum eius in Deo studium, apertè patuit in Christo; quem in ostensionem iustitiæ Dei positum, tradidit Apostolus. Poterat profectò Deus genus nostrum absque Christo liberare, nutu vel verbo : sed maluit eligere modum Christo suo operosum, & in speciem indecorum, vt diuina iustitia micaret. D. Augustinus id egregiè perpendit 13. Trinit. cap. item 13. sic scribens. [Remissio peccatorum per reconciliationem Dei benignam, eruit hominem à Diabolo; non enim Diabolus potentia Dei, sed Iustitia superandus fuit. Nam quid omnipotente potentius ; aut cuius creaturæ potestas, potestari creatoris comparari potest ? sed cum diabolus vitio peruersitatis suæ factus sit amator potentiæ, & desertor opugnatorque Iustitiæ, (sic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa Iustitia potentiæ student, eiúsque vel adeptione lætantur, vel inflãmantur cupiditate :) placuit Deo, vt propter eruendum hominem de Diaboli potestate, non potentia Diabolus, sed Iustitia vinceretur: atque ita & homines imitantes Christum, Iustitia quærerent Diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit, sed ordo seruandus est, quo prior est Iustitia.]

Addit benè multa in eam rem ibid. & sequenti capite. Accuratè quoque in hanc rem disserit, Nyssenus in orat. Catech. cap. 21. & duobus sequentibus. Vide etiam S. Gregorium 3. mor. cap. 11. Non est omittendus Isidor. Pelus. lib. 4 epistola 100. tractans illud Apostoli *ad ostensionem iustitiæ suæ* hom. 9. sic scribens. [Quæsiuisti, quid sit quod Paulus dixit, *ad ostensionem Iustitiæ suæ.* Respondeo, quia postea quàm humana natura insaniuit aduersus Deum, & peccatorum tyrannis intolerabilis facta erat, & tempus aderat ferendæ sententiæ, quæ exitio vniuersali damnaret totum genus humanum : (Omnis enim ratio meditationis deprehensa fuerat inanis,

& nihili: ac neque lex, neque Propheticus sermo, pestilentem morbum qui omnia occuparat, depellere valebat:) Tunc Deus pretium Redemptionis introduxit vnigenitum suum filium, vt locus esse posset gratiæ ac veniæ. Eam ob rem hoc dixit Apostolus; *ad ostensionem Iustitiæ suæ.* Victima enim oblata est vna pro omnibus, quæque omnibus dignitate & pretio superior esset; ac tunc soluta est ira, & conciliatio facta est redintegratáque gratia, conuersum est odium in amicitiam; & pro sententia capitali abdicationis, datum est illud excellens adoptionis in filios donum, & infinita accesserunt dona quibus exornaretur Ecclesia: vt ita simul & iustitia ostenderetur, & abundantia bonitatis declararetur.]

### *Potentia.*

145 Potentia diuina, splendidissimè conspicua in Christo fuit, quod doceo ex S. Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 8. vbi ita habet. [Vtrum igitur quod hisce modis nostri curam gerit, cogitationes nostras deducet, vt humilius de eo sentiamus, an potius è diuerso efficiet, vt Seruatoris & potentiam & humanitatem erga nos admiremur, quod & compati nostris infirmitatibus sustinuit, & ad nostram infirmitatem se se demittere? Neque enim cœlum ac terra, immensáque maria, nec animantia vel in aquis vel in terris degentia, nec plantæ, nec astra, nec aër, nec horæ, nec multiplex vniuersi ornatus, excellentiam potentiæ illius nobis perinde commendat, atque quod Deus incomprehensibilis, sic per carnem cum morte conflictatus est, vt ipsa diuinitas nihil pateretur, quo nobis sua morte largiretur immortalitatem.]

Et in psalm. 44. ad illud, *accingere gladio tuo super femur tuum potentissime* sic disserit. [Putamus sanè, & hoc ad Dei Verbum tropicè referri, vt carni coniungatur, quod est efficax magis & penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, discretor cogitationum, & intentionum cordis. Quoniam femur signum est humanæ genealogiæ. *Ipsa*, (inquit scriptura) *egredientes animæ è femore Iacob*, vt itaque vita, & via, & panis, & vitis, & vera lux, & aliis eiusmodi vocibus sexcentis Dominus noster Iesus Christus nominatur, sic & gladius diuidens partem animæ, affectibus seruientem, & motus concupiscentiæ mortificans. Deinde quoniam Deus Verbum, carnis debilitati, se se coniuncturus erat, pulchrè additur, *potentissime*: quoniam maximæ potentiæ demonstrationem haber, posse Deum in natura esse humana.]

Concinit Basilio, germanus eius Gregorius Nyssenus in orat. catech. cap. 24. verbis illis. [Quod omnipotens natura, potuerit descendere ad humilitatem humanitatis, id potestatem magis ostendit, quàm magna & quæ naturam superant miracula. Nam quod magnum quippiam & excessum effectum sit à diuina virtute, & quodammodò secundùm naturam & consentaneum est. Neque nouum & admirabile quippiam auribus attulerit, quod dicitur, vniuersam quæ est in mundo creaturam, & quidquid extranea quæ cernuntur comprehenditur, Dei virtute constitisse, eius voluntate, vt ei visum est, deducta ad essentiam. Ad id autem quod est humile & abiectum descensus, est quædam insignis & redundans copia potestati; quæ minimè impeditur, in iis quæ sunt præter naturam; Quomodò enim ignis essentiæ est proprium ferri sursum; neque inflamma quidquam est admirandum quod sit naturaliter; sed si eam instar grauium corporum videat deorsum tendere, eius rei ducitur admiratione; nempe quonammodo ignis esse ignis perseueret, & in modo motus excedat naturam, tendens deorsum: ita etiam diuinam & supereminentem potentiam, neque cœlorum magnitudo, neque luminarium, & splendor, neque vniuersi ornatus, & communquæ sunt perpetua administratio tantum ostendit, quantum quod se demiserit ad imbecillitatem nostræ naturæ. Nempe quomodò cum excessum extiterit, in humili & abiecto id cernitur, nec descendit altitudo quomodò humanitas connexa diuinæ naturæ, & hoc fit, & est illud.]

### *Christus facies Dei, etiam vt Trini.*

146 Optimo igitur iure pronunciasse videor, Christum esse Dei prout vnius, faciem ac vultum, cum in Christo Deus vnus eiusque attributa sint conspicua, vt hactenus monstraui ex Patrum præcipuis. Quod rotitiam verò Augustissimæ Trinitatis à Christo mundo traditam, egregiè vt cætera dixit autor libri de operibus Christi Cardin. apud Cyprianum in Prologo. [Ad hanc rerum adeò profundarum indaginem, nisi Incarnati Verbi magisterium accessisset, humana defecissent ingenia; & nescio, si & aliqui, auderent, ad hæc tentanda, conatus assurgere; sed associata carni Diuinitas, assumptam naturam, ex parte suæ voluit esse claritatis consortem, & apertis cœlis super doctorem & Dominum nostrum, ad superiora nostrum introducere aspectum: & *vidimus gloriam eius quasi Vnigeniti à patre*; Et de plenitudine gratiæ, & veritatis quæ in ipso est; instillata est nobis aliqua portio. Et cum Philippo audiuimus: *qui videt me, videt & Patrem.*] Multus in hoc est Rupertus lib. 4. de procell. Spiritus sancti, præsertim c. 22.

### *Amor Dei quàm perfectus, ex sic reuelata Dei vnius ac Trini facie.*

147 Quia verò lucem notitiæ sequitur calor & flamma charitatis, mirum non est, tantum ante Christum veluti frigus & rigorem pluisquàm brumalem, occupasse vniuersum propè orbem terrarum. Aut si in Iudæa perpaucis selectioribus dè excelso ignis immittebatur, eum tamen ignem ibi stetisse, nec foras emisisse calorem suum, vt factum est per

per Christum. Qua de re insignirer, tametsi paulo fusiùs philosophatur S. Gregorius homil. 8. in Ezech. Descripto enim Christo specie electri, subdit & glossat de eo electro, verba prophetæ. [ Quid est quod mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, à lumbis & desuper, aspectum ignis intrinsecus per circuitum habere describitur, & à lumbi & deorsum speciem ignis splendentis per circuitum? Inuestigandum namque est, quare à lumbis & desuper, ignem intrinsecùs, nec tamen splendentem ignem habere narratur: à lumbis verò & deorsum, habere ignis speciem dicitur: non tamen hunc habere intrinsecùs memoratur, quia & splendentem in circuitu hunc habere describitur. Quid enim lumborum nomine, nisi propago mortalitatis exprimitur? Propter quod etiam & leui decimatus dicitur: quia adhuc in lumbis patris erat, cum Melchisedech occurrit Abrahæ. De lumbis verò Abrahæ, Virgo Maria exiit, in cuius vtero vnigenitus Patris per Spiritum sanctum incarnari dignatus est. Ex qua incarnatione, vniuerso innotuit mundo Deus, sicut & per Psalmistam dicitur; *accingere gladio tuo circa femur tuum potentissime.* Gladium etenim circa femur potentissimus suscepit, quia sermo prædicationis illius ex incarnatione conualuit. Quid verò iste ignis designat, nisi ardorem Sancti spiritus, qui corda quæ repleuerit incendit? De quo ipsa veritas dicit, *ignem veni mittere in terram.* Quid est ergo quod in hoc aspectu hominis qui Prophetæ apparuit, à lumbis superius intrinsecùs per circuitum ignis ardet, à lumbis verò inferiùs, non ignis intrinsecùs, sed in circuitu resplendet; nisi quod ante incarnationem Vnigeniti, Redemptoris nostri, sola intra se Iudæa, ardorem amoris eius habuit: post incarnationem verò illius, in circuitu eius ignis resplenduit, quia in vniuerso mundo gentibus claritatem Sancti spiritus effudit? Priùs ergo intrinsecùs ignis erat, sed splendor non erat: quia Spiritus sanctus in multis quidem partibus Iudæam replebat, sed ad notitiam gentium, necdum eius lumen emicuerat. A lumbis verò eius & deorsum, ignis in circuitu splendet: quia postquàm de Virgine carnem sumpsit, in humano genere longè latéque Sancti spiritus dono dilatauit. Et notandum, quod ignis à lumbis superiùs per circuitum esse describitur, non extrinsecùs, sed intrinsecùs; quia amoris flamma, sicut dictum est, in electis & spiritualibus viris, vbique in suis finibus Iudæam repleuit. Nec tamen exibat extrinsecùs, quia se se in multitudinem gentium non dilatabat. Quæ ardoris flamma visa est postmodùm in circuitu splendere, quia per mundi cardines, in vniuersis gentibus omnipotentis Dei cœpit amor excrescere. ] Verùm de prima ratione cur Christus dictus sit Patris facies, & iis quæ ad eam considérationem consequuntur, plus satis.

*Ratio altera cur Christus Dei facies, contuitus in eo diuinorum consiliorum ac iudiciorum.*

148 Est & altera ratio, cur Christus dictus sit *facies ac vultus Dei.* [ Vultus ( ait S. Ambrosius 6. exam. cap. 9.) mentis habitum specie sui prodit: Imago quædam animi, loquitur in vultu. ] Theodoretus non dissimiliter serm. 8. de prouid. animæ abditas affectiones, vultu prodi docet. [ Voluret aliquid anima ( inquit Tertullianus lib. de resurr. car. cap. 15. ) vultus operatur iudicium Facies, internorum omnium speculum est. ] Expressit Tertullianum Cassiodorus lib. de anima cap. 16. tradens *à voluntate, vultum* dictum, quasi indicem & speculum voluntatis & animæ. Idque sapienter à Deo prouisum fuisse, obseruat Meletius lib. de homine cap. de auribus. [ Clementissimi ( inquit ) Dei benignitas, arcana ipsa humanorum affectuum, moréisque reconditos, talibus quæ expressimus signis in propatulo constitutis, quo propriæ saluti quilibet consulendo, fidelibus probisque moribus insigniter inhæreret; prauósque ac sceleratos, vsquequaque declinare queat. ] Hinc liquidò perspicitur, cur Christus *facies Dei* dici potuerit, penes alterum caput à primo iam proposito. Ignorabat genus humanum arcana diuinorum consiliorum, ad latebras & profunda Dei, non penetrabat. Latebat illum vbertas inuestigabilium Dei diuitiarum, ( vt Apostolus Ephes. 3. loquitur ) & dispensatio Sacramentorum à sæculis absconditorum in Deo. Quis enim cognouerat sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuerat, vt quæ Deus imo pectore versarat ab æterno, & quæ agitauerat animo consilia, euulgaret hominibus. Quibus ( vt sic dicam ) affectibus tangeretur Deus, obscurum erat. Non eius misericordia, in tot exemplis scueritatis per anteriora sæcula frequentissimè constitutis, micabat. Peccatum odium quantum esset in Deo, nemo peruidebat, satis potenti argumento. Venit magni consilij Angelus, & eructauit abscondita à constitutione mundi. Nunc apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei: Atrocitas peccati, quæ tanto egeret malagmate, patefacta est. Licet igitur inferre, meritò penes hanc manifestationem latentium in diuino pectore voluntatum, & consiliorum, ac affectuum, tulisse Christum appellationem diuinæ faciei.

*Facies Christi, Dei facies, id est speciosissima.*

149 Obsignemus hoc caput, ea ritè ex antedictis deducibili consecutione, quod meritò Christus dictus sit *facies ac vultus Dei*, quia in eo ac per eum Deus provt vnus ac Trinus, eius item consilia ac decreta, facta sunt hominibus conspicua. Quia verò alia item ratione, pro vsu scripturæ, facies Dei speciosissimam faciem significat, æquè ac montes Dei, præcelsos montes; habemus

quanto iure suspicienda sit facies Christi species, ac summa, venustas, quam perspicacibus Sanctorum ad intima penetrantium oculis, lumen diuinæ gratiæ sæpè obiecit, & insigniter Sancto Bernardo serm. 45. in cent. verbis illis quibus expendit, quod sponsa de sponso dixerat, cum cum geminatione nominans *pulchrum, & pulchrum* [ Non contenta est semel dicere *pulchrum*, nisi repetat & *decorum*; Eminentiam decoris illa repetitione designans. Aut certè in vtraque Christi substantia, dignum expressit omni admiratione decorem, in altera naturæ, in altera gratiæ. Quam pulcher es Angelis tuis Domine Iesu in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante lucifetum genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus miniméque fucatus candor vitæ æternæ. Quàm mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui huius positione decoris? Etenim vbi te exinaniuisti, vbi naturalibus radiis lumen indeficiens, induisti, vbi pietas magis emicuit, vbi charitas plus effulsit, vbi ampliùs gratia radiauit. Quàm clara mihi oritis stella ex Iacob; quàm lucidus flos de radice Iesse egrederis, quàm iucundum lumen in tenebris visitasti me oriens ex alto? Quàm spectabilis & stupendus etiam virtutibus supernis, in conceptu de Spiritu, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in reuelationibus Sacramentorum? Quàm denique rutilans post occasum Sol Iustitiæ de corde terræ resurget, quàm formosus, in stola tuæ, demum Rex gloriæ, in alta cœlorum te recipiet? Quomodò non pro his omnibus, omnia ossa mea dicent; *Denique quis similis tui?*]

### *Vsus doctrinæ.*

150 Vrgemur inde nos quoque, ad aucupandam tantæ pulchritudinis participationem, eamque faciem in nobis exprimendam. Id enim est, quod iuxta Apostolum Deus voluit nos conformes fieri imaginis illius quæ Christus est, vt varij Patres interpretantur, & vt ad id connitamur, nec aliam induamus faciem vel formam, enixè commendat. Audiendus præter alios adducendos cum de Christo Rege virtutum, Origen. hom. 8. in Lucam tractans quomodò Deus magnificetur in nobis. [ Si considerem Dominum Saluatorem, imaginem esse inuisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem creatoris, vt imago esset imaginis, (neque enim anima mea specialiter est imago Dei, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est: ) Tunc videbo quoniam in exemplum eorum, qui solent imaginem pingere, & vno (Verbi causâ) vultu regis, accepto ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam commendare, vnusquisque nostrum ad imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem, aut minorem ponit imaginem; vel obsoletam vel sordidam, aut claram atque lucentem & splendentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est animam meam; & magnificauero eam, opere, cogitatione, sermone; Tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus cuius imago est, in nostra anima magnificatur: Et quomodò crescit Dominus in nostra imagine, sic si peccatores fuerimus, minuitur, atque decrescit. Sed nos pro imagine Saluatoris, alias nobis imagines induimus. Memini quondam circa Deuteronomium disserentem, in eo loco vbi scriptum est; *ne faciatis omnem similitudinem omnis animalis*, hæc dixisse me. ] Nos suprà bestiarum expressam in peccatore effigiem latè exposuimus, dignum præterea est in eius amorem inardescere mutuò, quia vt ait Augustinus. [ Finis præcepti, & plenitudo legis, charitas est, & vt & nos inuicem diligamus: & quemadmodùm ille animam suam pro nobis posuit, sic & nos pro fratribus animam ponamus; & ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos & filio suo vnico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando: & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere. ] Latè & potenter id firmat. Mox verò subdit. [ Operæpretium est animaduertere, quomodo quamquam & superiores velint se ab inferioribus diligi, eorúmque in se studiosè delectentur obsequio, & quanto magis id senserint, tanto magis eos diligant: tamen quanto amore exardescat inferior, cum à superiore se diligi senserit. Ibi enim gratior amor est vbi non æstuat indigentiæ siccitate, sed vbertate beneficentiæ profluit. Ille namque amat, ex miseria est; iste ex misericordia iam verò si etiam se amari posse à superiore desperabat inferior, infallibiliter commouetur in amorem; si vltrò ille fuerit dignatus ostendere, quantum diligat eum qui nequaquam sibi tantum bonum promittere auderet. Quid autem superiùs Deo iudicante? & quid desperatius homine peccante, qui se tanto magis tuendum & subiugandum superbis potestatibus addixerat, quæ beatificare non possunt quanto magis desperauerat sui curam geri, ab ea potestate quæ non malitia, sublimis esse vult, sed bonitate sublimis est? si ergo maximè propterea Christus aduenit, vt cognosceret homo, quantum eum diligat Deus, & ideò cognosceret vt in eius dilectionem à quo prior dilectus est, inardesceret, proximúmque illo iubente, & demonstrante, diligeret, qui non proximum sed longè peregrinantem; diligendo, factus est proximus. ] Rursus egregiè 7. confess. cap. 18. [ Quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inueniebam donec amplecterer mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Iesum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, vocantem & dicentem; *Ego sum via, veritas, & vita*: & cibum cui capiendo inualidus eram miscentem carni: quoniam Verbum caro factum est vt infantiæ nostræ lacteseceret sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Iesum Christum, humilis

m lis humilem, ne cuius rei magistra esset eius infirmitas, noueram. Verbum enim tuum æterna veritas, superioribus creaturæ tuæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam. In inferioribus autem, ædificauit sibi humilem domum de limo nostro; per quam subdendos deprimeret à seipsis, & ad se traiceret sanans tumorem, & nutriens amorem: ne fiducia sui progrederentur longiùs, sed potiùs infirmarentur videntes ante pedes suos infirmam diuinitatem, ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerentur in eam: illa autem surgens, leuaret eos.] Quem locum exscripsit S. Anselmus lib. de Sacr. alta. p. 1. cap. 8. Videndus quoque Guliel. Paris. lib. cur Deus homo cap. 7. & creditus Anselmus Rom. 5. ad illud, *commendat autem charitatem suam Deus.*

## CAPVT IV.

### *Christus Iedidia, dilectus Patris, dilectus, dilectio.*

151 QVi parentibus omnibus amorem pignorum suorum inseruit Deus, vt Saluianus optimè ratiocinatur lib. 3. de prouid. non potest ipse sua pignora non amare. Imo ex hoc affectu quo amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit quantum ipse amaret pignora sua. Hoc ille de mundo vniuerso, & de quibusuis hominibus verè ac piè: totum mundum, & totum humanum genus, *pignus*, id est sobolem creatoris, esse præfatus. Et tamen est mundus, aliquid planè extrinsecum Deo, nec homines vt adoptione filij dicantur, ex diuina substantia coaluerunt. Vnicus est Dei vni filius, *Dei* inquam *vini* & generantis sobolem sibi æqualem, ac tanto Patri commensam. Cæteri omnes ad quos diuina dignatio nomen filiorum extensum voluit, non *Dei vini* & vitaliter generantis, sed volentis, sunt filij; vt acutè distinxit Caietanus tom. 1. opusc. tract. 3. cap. 2. Si igitur fertur Deus amore in illos nomine tenus filios, quanto affectu & amore prosequi censendus est, filium naturalem? Ab eo amore, Christus, variis in Scriptura nominibus designatus legitur, quæ hîc considerare consilium est.

### *Salomon in Christi typum, tria omnis.*

Illud verò in primis faciendum est quasi fundamentum, Salomonem Christi typum gessisse, in permultis quæ minutatim prosequuntur S. Irenæus lib. 4. cap. 45. Beda l. qq. in 3. Reg. Prosper 2. p. de promiss. cap. 27. Bernardus serm. 27. in Cant. Hugo de S. Victore lib. 7. allegor. & ex recentioribus Pineda lib. 6. de Salom. cap. 16. & ita apertè habetur ex psalmo 71. qui Christi & Salomonis tanquam antityporum rebus inter texitus est, vt fusè Isid. Pelus. lib. 4. epist. 202. Breuiter autem idem docet Greg. Nyssen. hom. 7. in Cant. *initio.* [In multis, (inquit,) Rex Salomon assumitur in typum veri. In multis, inquam, quæ à Sacra Scriptura de ipso recensentur, relata ad id, quod est melius. Nam & *Pacificus* dicitur, & immensam habens sapientiam: & templum ædificat, & populum iudicat in iustitia; & est ex semine Dauid. Sed & ad ipsum venit Regina Æthiopum. Nam hæc quidem omnia, & quæ sunt huiusmodi, de eo quidem dicuntur typicè, describunt autem futuram virtutem Euangelij.] Demonstrat fusè ac sigillatim, Christum verè pacificum Regem fuisse, verè templi ædificatorem, verè sapientissimum, verè ab Æthiopissa Gentilitate aditum; omnibus denique Dauidici Salomonis prærogatiuis, longè illustriùs ac magnificentiùs claruisse.

152 Quia verò in nominibus ingentes plerumque latere auri massas, pulchertimè tradit S. Chrysostomus hom. 31. in ad Rom. idque in Hebræis præsertim nominibus valere, prosequitur fuse Euseb. 11. præp. cap. 4. expendendum peculiariter est, quot aut quæ nomina tulerit apud Hebræos Rex Salomon. Trinomium fuisse multi obseruarunt. Nec id apud Hebræos nouum, vt multis exemplis subiectis declarat Origenes præfatione ad comment. in epistolam ad Rom. Pro eo ergo vsu, Salomon, & *Iedidia* siue *Theophilus*, aut *amabilis Domino*, denominatus est, & *Salomon*, & *Ecclesiastes*. Priora duo fuisse propria, obseruauit S. Hieronymus ad titulum psalm. 44. & Doctorum plerique 2. Reg. 12. Tertium appellatiuum nomen fuit, peritum à sapientia extraordinaria, quam tot libris & orationibus sapientiæ pleniss imis, exprompsit.

Hæc nomina, ac quæcunque alia in Salomone splendida, longè illustriùs micuerunt in Christo Domino. Et quidem de *Salomonis* & *Ecclesiastis* nomine, existimauit S. Hieronymus, ea in Christum casura, cum in iudicij die, tum in cœlesti beatitudine, post orbis consummationem. Nam in cœlo quidem, erit *pacificus* ponens pacem fines Hierusalem, & faciens pacem opus iustitiæ, ac populo in pulchritudine pacis sedenti, & in neque opulenta, æternam securitatem præstans. Hîc est Dauid, ob pressuras & assidua bella. In cœlo Salomon pace altissima potiens, ait Petr. Damian. opusc. 37. dub. 10. In iudicio autem, concionabitur terribiliter, & aduersus impios tonabit in verbo aspero, detrudens maledictos in ignem æternum. Iustos verò, coram concione omnium quæ vnquam fuerunt amplissima, ex omnibus Angelis & hominibus conflata, collaudabit; blandáque allocutione mulcebit, & deducet ad vitæ fontes aquarum, hortatus vt bibant & inebrientur, dentque obliuioni angustias priores. Denique Christo provt est in sinu Patris, quadrare *Iedidiam* arbitratur Hieronymus. Consentit quoad nomen *Ecclesiastis*, Petr. Damiani ser. 1. de Natiu. Deip. Et Bernardus serm. 2. de Epiphan. Nomen verò *Salomonis*, aiunt quadrare Christo hîc in exilio: *Iedidiæ* autem, in regno & beatitudine. Habet verò eadem planè cum Hieronymo, Petrus Blesensis ser. 19. At Salonius & Albinus Flauus, initio

commen

commentariorum ad Salomonis Prouerbia & Ecclesiastem, Christum Dominum absolutè ac simpliciter vocant *Salomonem*, à munere pacis Deum inter & homines conciliandæ. *Ecclesiastem*, à sapientia cuius in eo omnes thesauri latuere, & *Iedidia*, quia fuit dilectus patris in quo sibi benè complacuit. Sed de Christo Rege pacifico, atque Doctore, inferiùs plura. Nunc *Iedidiam & amabilem Domino*, filiúmque *æterni patris dilectum*, consideremus.

### *Christus, Iedidia, & dilectus in quo Patri complacuit.*

153 Insonuit hoc Christi nomen ab ipsomet Patre, bis manifestè: nimirum in Baptismo, & in Transfiguratione. Quò proclus orat. de Transfigur. refert illud psalmi 88. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Nam Hermon quidem mons modicus est propè Iordanem, vbi Christo Ioannis Baptismum excipiente, audita est ea quam dixi vox Patris, Christum *dilectum* appellantis. Thabor verò mons ille est excellus, in quo Christus transfiguratus est, & accepit à Patre gloriam & honorem à magnifica gloria, voce delapsa quæ eum contestata est dilectum. Propterea que S. Damascenus orat. de transfigur. ait, montem Thabor ob auditam ibi hanc Christi à Patre appellationem, cum cœlo de gratia certare. Ioannes verò Contacus. orat. 1. in Mahumetem, hoc ait esse, quod Thabor dictus est in nomine Christi exultasse, nempe in Transfiguratione, sicut Hermon in Baptismo. Quod verò Franc. Lucas Matth. 17. v. 1. montem excelsum in quo Christus transfiguratus est, putat fuisse Libanum, non Thabor; nec satis ab eo stabilitur, nec vllius Patris aut Interpretis suffragio roboratur. Expendunt porrò Græci, geminatum articulum quo hîc Christus dicitur esse *ille filius, ille dilectus*. Quæ causa fuit, cur apud Lucam & Matthæum, in gradu positiuo Christus ὁ ἀγαπητὸς dictus referatur: Marcus tamen quem latinè scripsisse est probabilissimum, referat dictum *charissimum*: quia scilicet articulus additus, effert nomen alioqui positiui gradus, ad superlatiuum. Quod item expendunt iidem Græci, circa vocem *filij*, ait item articulus eo loco præfigitur, vt significetur, hunc esse filium illum præcellentem & vnigenitum, cui nemo similis est in filiis Dei. Vnde Synodus Francoford. epistola ad Episcopos Hisp. dilectum ait vocatum esse Christum à Patre, vt intelligeretur esse filius proprius non adoptiuus. Faciunt igitur hæc omnia, ad perspiciendum quanta sit erga Christum dilectio Dei, & quanto iure Christus, *Iedidia*, & *dilectus Dei*, audire possit.

Nec aliud sonant verba, quæ à Patre in duplici illa filij manifestatione prolata referuntur, *in quo mihi benè complacui*, ἐυδόκησα: quod à SS. Luca & Marco omissum, retulit S. Matthæus, & S. Petrus 2. epist. cap. 1. Estque additio grauissimo sensu plena, vt fusè versat Cassianus lib. 3. de Incar. *in fine*, his præter cætera. [ Ineffabili diuini dicti magnificentia, cum expresse ac significanter dixisset Pater, *hic est Filius meus dilectus*, addidit etiam illud quod secutum est, *dilectus* scilicet *in quo mihi complacui*. Vtique sicut per Prophetam, Deum fortem & Deum magnum iam prædicauerat, ita hîc dicens, *Filium meum dilectus in quo mihi complacui*, super proprij Filij sui nomen adiecit, vt proprietatē diuinæ videlicet naturæ, nominum significaret adiectio, & id ad honorem Filij Dei peculiariter pertineret, quod nulli omnino homini contigisset. Itaque sicut illa propria & peculiaria in persona Domini Nostri Iesu Christi fuerunt, quod cœli aperti sunt, quod eum Deus Pater cunctis videntibus per aduentantem atque astantem columbam, quasi manu quodammodò sua tetigit, & quasi digito indicante monstrauit, dicens. *Hic est Filius Deus dilectus*, ita illud quoque proprium ei ac singulare quod peculiariter dilectus, & peculiariter Patri complacitus nominatur, vt peculiarem vtique naturæ significationem, peculiaria additamenta monstrarent, & proprietatem Vnigeniti Filij, etiam cognominum proprietas confirmaret, quam iam honor signorum præcedentium comprobasset. ] Vtrumuis autem è duobus præcipuis ac potioribus modis, quibus hoc verbum à variis Patribus intellectum est, approbemus, æquè habebimus, quod hoc loco intendimus; nempe Christum esse *Patris dilectissimum*, & *Iedidiam*.

### *Siue quia per eum conciliatus est, quieitque vt in Sabatho.*

154 Nonnulli ergo Patres placuisse vel complacuisse sibi Deum in Christo prodiderunt, quia in eo Deus hominibus conciliatus est, pérque eum placatus factus est mortalibus, quos iure habebat exosos ob culpam. Deus enim cum & homo & Angelus corruissent, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed ex mero suo beneplacito, statuit abiectis Angelis hominem reparare, eique reconciliari: & hoc beneplacitum suum per Christum impleuit, vt Ephes. 1. habetur. Proptereaque S. Hieronymus in psalm. 68. ad illud *tempus beneplaciti Dei*, tempus beneplacitii interpretatur tempus aduentus Christi, ad humani generis reparationem. Et perspicuè in hunc sensum hæc verba accipiunt, Proclus & Damascenus; vterque orat. de Transfig. apud quos *Deum sibi in Christo complacere*, idem est quod Deum in Christo quiescere. Commotus enim propter peccata fuerat Deus, nec vllibi quietem inuenerat ante Christum. Per eum verò sedatus est, & in eo placatus quieuit, ac veluti sabbatizauit.

Hæc causa est, cur à plerisque Patribus Christus Sabbathum vocetur. Egregiè Epiphan. hær. 30. num. 32. cùm ex Iudæorum vsu, distinxisset magnum & primarium Sabbathum, subdit. [ Magnum Sabbathum, hoc est Christus, qui quietos nos fecit à peccatis nostris, cuius figura erat Noë: quem vbi Pater

Pater eius genitum vidisset, iuxta prophetiam imponebat ipsi nomen *Noë*, dicens: *hic quietos faciet nos ex peccatis nostris*; id est, *duris operibus nostris*. Noë verò à peccatis quietos non fecit, sed in Christum prophetauit Lamech, qui per Noë significatur in veritate. Noë enim requiem significat, & *Sebath*, quod *Sabbatum*, ac *requiem* interpretatis, est Christus, in quo quietus factus est Pater, & Sanctus eius spiritus, & omnes Sancti homines in ipso quieti facti sunt, quiescentes à peccatis. Hic est magnum illud Sabbatum, & perpetuum, cuius figura erat paruum Sabbatum, quod inseruiebat vsque ad ipsius aduentum. ] Locum huic affinem ex Ruperto lib. 2. in Genes. cap. 17. protuli tractans Christi innocentiam. S. quoque Cyrillus, Sabathismum interpretatur tempus aduentus Christi, & Christum Sabathum esse, fusè prosequitur lib. 7. de ador. at quietem illam non refert ad Deum, sed ad nos qui per Christum à peccatis cessamus, & bonis omnibus replemur, atque verè quiescimus: Quod reipsa videtur eodem reuolui. Nam hæc quies nostra, ex Dei quiete per Christum perfecta est. Nisi enim Deus nobis placatus per Christum fuisset, aquè in peccata prochiues fuissemus, ac sub lege.

155 Itaque Petrus Damiani, de Christo spirituali Sabatho latè disputans, lib. 2. epist. 5. vtramque illam causam denominationis *Sabatis*, Christo tributæ, coniungit. [ In hoc inquit Sabbatho acquiescimus cùm in illo solo spem ponimus; cùm hunc toto cordis amore diligimus, ac rerum temporalium concupiscentiam postponentes, à seruilium operum labore cessamus, atque vbi expositæ primæ tabulæ præceptum fuisse obedire Angeli præcedentis vocibus, & Sabbatum colere, subdit. Quia per Sabathum Christus inuenitur, rectè in illa tabula Sabbati mandatum ponitur, vbi sola fides Dei habetur. Nam & in ipso mundi nascentis exordio, cum vnumquemque diem scriptura manè præfigat, & vesperè; iam cum ad Sabbatum peruenit, neutrum horum nominat: vt illud quasi sine initio esse, vel fine, prorsus ostendat. Nam stylus historiæ hunc ordinem tenet: *factum est* (inquit) *vesperè & manè dies sextus; Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum*; statimque subiungit: *Complesque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo de vniuerso opere quod patrarat.* Non enim ad instar aliorum dictum, de creatione Sabbati priùs aliquid dixerat, sed sic ad illud quasi iam notum repentè prorupit: & dum nec manè eius, nec vesperam dixit, quodammodò nec initium, nec finem habere monstrauit. Ad similitudinem quippe Melchisedech Sacerdotis, etiam Sabbatum Moyses introducit, de quo ad Hebræos dicit Apostolus; *Rex Salem*, quod est rex pacis, *sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, neque finem habens: assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Et rectè quæ vnum sub allegorica figura significant, in ipso quoque scriptionis ordine non discordãt. Illud quoque ab vtroque discrepat, quia sicut Melchisedech, Rex Salem, *Rex pacis* dicitur, nihilominus, Sabbatum, *requies* interpretatur. Igitur hæc duo quæ pacem siue requiem suis nominibus exprimunt, congruenter in hunc, qui summa pax est, typica significatione concurrunt. *Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Et rectè in hoc Sabbato rerum conditor requieuit, quia in Christo Iesu, mediatore Dei, & hominum Pater omnipotens, quod se posset offendere, penitus non inuenit. In eo denique meritò requieuit, & nos requiescere præcepit. Vnde & in Leuitico dicit; *Sabbata mea custodite, & sanctuarium metuite.* Qui enim Sabbatum, ipse & Sanctuarium. In quo videret habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, & de quo idem dicit Apostolus: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*]

Liquet quomodò Pater in Christo sibi complacuerit, iuxta primam illam quam dicebam horum verborum interpretationem, probatam plerisque Patribus, & recentiorum interpretum grauissimis; Maldonato Matth. 3. & Toleto Lucæ 9. annot. 81. Quæ sanè interpretatio, (vt præmittebam,) apertè fert, summum Patris in Christum amorem; quandoquidem in eius gratiam interpositis tam multis tamque atrocibus offensionum causis, humano tamen generi conciliatus est, & cessauit ab indignatione; quieuitque super nos spiritus eius.

### *Siue quia nihil in eo inuenit odio dignum,*

156 Alium sensum eorundem verborum, ineunt quidam Patres, qui æquè prodit dilectum Patri Christum, veréque *Iedidia*. Sanctus enim Gregorius hom. 8. in Ezech. idcirco ait, Patrem professum esse quod sibi in Christo complaceret, quia nihil in eo inuenit non dignum amore. Qua ratione nemo mortalium præter Christum, fuit obiectum diuini beneplaciti; cum de sanctorum potioribus vnus, professus sit, veritatem non esse in eo, qui se peccati exortem dixerit. Et alius iis se annumerans, contestatus sit, omnes in multis offendere. Quare S. Gregorius hoc esse ait quod ab Ezechiele dicitur, *cum fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.* Sic enim hæc verba glossat [ *Firmamenti* nomine, mediator Dei & hominum pro assumpta humanitate debet intelligi, quia sub vnius nominis appellatione solent per Prophetiæ spiritum multa signari. Vox super firmamentum facta est, quæ super baptizatum Dominum de cœlo sonuit, dicens: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui*; sicut per Euangelistam alium, dicitur. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quæramus igitur, quomodò hanc vocem animalia audiunt, & alas deponunt. Abacuc propheta requisitus dicat; *Domine audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera tua & expaui.* Quid autem est, quod Pater de filio loquitur, dicens: *In quo mihi complacui?* Omnis enim qui pœnitendo corrigit aliqua quæ facit, eo ipso quo

pœnitet, se sibi displicuisse indicat, quia emendat quod fecit. Et quia omnipotens Pater, sicut intelligi ab omnibus poterat, humano modo de peccatoribus loquutus est, dicens, *pœnitet me feciſſe hominem ſuper terram*: quasi sibimet ipsi displicuit in peccatoribus quos creauit. In solo autem sibi Vnigenito Domino nostro Iesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem, creasse eum non pœnituit omnimodo, in quo peccatum nullo modo inuenit, sicut de illo per psalmistam dicitur: *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* In solo ergo sibi Redemptore nostro complacuit Pater, quia in solo non inuenit culpam, in qua se reprehendat quasi per pœnitentiam. Sancta itaque animalia vocem super firmamentum audiant, & pertimescant: quia si solus sine peccato est, in eius innocentia aspiciunt, in quantis ipsa quotidie delinquant, quæ necesse est vt incessanter defleant. ] Eodem planè modo, verba Patris de Christo, interpretatus est Paulinus Aquileiensis in libello Sacrosyllabo, sic scribens. [ Discreuit qui essent serui per gratiam, & per adoptionem filij, & qui verus ac proprius filius: *hic eſt*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* In Adam quippe sibi Deus pater displicuisse innotuit, qui peccando filij dignitatem amisit.

Præiuerat autor sermonis de baptismo Christi apud Cyprianum, verbis illis. [ Per omnia sibi pater in filio complacuit, nec vlla in eo serpentis sunt reperta vestigia, nec Sacerdotij eius pœnituit Deum. ] Ex hoc igitur secundo modo quo potest dici pater placuisse sibi in Christo, verissimum est, Christum fuisse *Iedidiah*, siue *dilectum Patris, & amabilem Domino.* Filium enim tam morigerum, & qui nihil vnquam mœroris Patri intulerit; quin potiùs ad discolorum filiorum iniurias erga Patrem obseruandas, mortem appetierit, quidni Pater optimus habuerit dilectissimum; qui etiam ingratissimos, & filiorum nomine indignos, tanto amore præuenit, vt omnem admirationem superet eius cogitatio, tanto magis æstimatio.

## *Christus* anima Patris, *eius typus Ioseph dilectus.*

157 Has ob causas, Pater æternus, Christum *animam suam* appellat, nomine parentibus in dilectissimos filios non inusitato, etiam apud profanos. Dicitur enim Leuitic. 26. *non abominabitur vos anima mea.* In quæ verba Origenes hom. 16. in Leuit. *in fine*, sic scribit. [ Velim requirere quid est *anima Dei.* Nunquid nam putamus, quia Deus habeat animam, sicut homo? Absurdum est hoc sentire de Deo. Ego autem audeo & dico, quia Dei anima Christus est. Sicut enim Verbum Dei est Christus, & sapientia Dei, & virtus Dei; ita & anima Dei est. Et hoc modo dicitur, quia non vos abominabitur anima mea, id est, filius meus. ]

Iisdem rationibus, nisi præter cœteras vult analogiam Christi cum Iosepho Patris dilecto, Macarius Chrysoceph. hom. de crucis exalt. eius hæc sunt verba. [ Ioseph neque apud fratres talis audiebat qualis reuera erat, neque etiam apud mulierem Ægyptiam; sed eos quidem inuidia eò impulit, vt serui nomine afficerent eum qui liber erat. At hæc intemperantiam contra temperatissimum iuuenem mendaciter excogitauit: Apud patrem autem eum quem merebatur locum obtinebat, à quo tenerrimo quoque affectu diligebatur. De Christo itidem neque Gentiles vt par est sentiunt, & loquuntur, & Iudæi multa impia & blasphema de eo garriunt: quia his scandalum, illis stultitia, saluatore crucis verbum reputatur. At verò Deus & Pater, superis ex oris diuinitatem eius testatur, filiúmque dilectum vocat, & per cognatum spiritum mundo ostendit & manifestat. Hunc in modum formosissimus ille Ioseph, dulcissimum nostrum Saluatorem expressit. Hunc in modum vmbra veritatem typicè adumbrauit. Hunc in modum is qui Ægypto alimenta suppeditauit, per ea quæ tulit, quæ egit, & per quæ à Deo gloriam celebrémque famam consecutus est, eum qui omnem spiritum nutrit, & pro nobis mitabilia opera patrauit, torque cruciatus sustinuit, Dominum gloriæ symbolicè prænuntiauit. ]

158 Hæc tamen non eò pertinent, vt significemus, hoc Christi nomine designari, vnionem hypostaticam cecedisse sub Christi meritum. Id enim falsum esset, & rectè refellitur à Philippo Abbate lib. de damnatione Salomonis *non multum ab initio.* [ *Vocauit* (inquit) *nomen eius; Salomon, & Dominus dilexit eum, misitque in manu Nathan Prophetæ, & vocauit nomen eius, amabilis Domino, eo quòd diligeret eum Dominus.* In Hebræo vt aiunt, habetur; *vocauit nomen eius Idida*, id est *dilectus propter Dominum.* Super quo traditio habet Hebræorum, quod propter suam misericordiam Deus illum dilexerit: cum diuina dilectione dignus ille non fuerit, vtpotè natus de illa quam contra Domini veritatem, Dauid sibi acceperat in vxorem. In hoc autem quod *dilectus propter Deum* appellatur, ille vt arbitror figuratur, de quo in Euangelio dictum est; *hic eſt filius meus dilectus in quo bene complacui.* Homo enim etiam ille quem in vnitate personæ sibi assumpsit Verbum Dei, nihil meruerat vt assumeretur, vt diligeretur. Scilicet quidquid assumens assumpto contulit, assumptus non meritis sed gratiæ assignauit; de quo Propheta precinuit, dicens: *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti.* Beatus nimirum ille fuit, qui non eligens, est electus, vt ad eum quoque dici possit, quod ad nos dictum est, *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* ] Itaque amauit Deus Christum, quia id optime meritum non tamen ex merito fecit eum Christum.

## *Christus antonomasticè dilectus.*

Quæ subtexam impensæ Christo dilectionis nomina, video posse ad aliorum, quàm ad Dei in Christum amorem pertinere. Dicitur enim Christus absolutè *dilectus*, vel cum geminatione *dilectus dilectus*, vel *dilectus & de-*

*lectio*

lecto vel in abstracto *dilectio*: quæ æquè possunt accipi de Christo provt obiecto amoris nostri, aut beatorum, ac de eodem provt obiecto amoris diuini. Quo tantùm secundo modo hîc Christum spectamus. Quia tamen appellationes illæ æquè in Christum cadunt provt diuino amori obiectum, ac etiam provt eum amori nostro obuersantem designant; multo magis Dei amorem erga eundem insinuant; cum Deus multo sublimiùs & puriùs diligat, quicquid nos sanctè ac purè amamus. Idcircò rectè hoc loco illas quoque Christi appellationes attingemus.

159 Dicitur ergo Christus absolutè *dilectus*; inprimis in psalmi 44. titulo inscribitur enim *pro dilecto*. Eum verò dilectum, non alium esse quàm Christum, vulgatissima est interpretum propè omnium sententia. Eodem quoque nomine donatur passim Christus in Canticis, & vniuersaliter vbicunque *dilectus* absque addito ponitur, intelligendum esse Vnigenitum Patris, obseruat S. Augustinus in psal. 67. ad versum 13. quod egregiè confirmatur perillustri loco S. Athanasij orat. 5. contra Arrianos, verbis illis. [Quin & Ethnici literarum periti, sciunt hanc vocem *dilectum*, idem valere cum hoc vocabulo *vnigenito* quum Homerus Telemachum vnigenitum Vlyssis, *dilectum* appellet. Idque in secundo Odisseæ.

*Quid nam chare tuo voluis sub pectore fili.*
*Aut curnam statuis peregrinas visere terras?*
*Solus Dilectus siquidem præclarus Vlysses.*
*Ignotos inter periit procul vrbe, domoque.*

Nimirum quia vnicus erat patri suo, *dilectus* appellatur.] Ibidem non ita multo ante, Christum *dilectum*, idem sonare ait quod Christum Dei manum, in sinu Dei positam: & vtrumque idem esse monet ac filium vnigenitum. [Quem Ioannes (inquit,) filium appellat, hunc Dauid *manum* appellauit. *Vt quid auertis manum tuam, & dexteram à medio sinu tui?* Ergo si manus est in sinu, & filius est in sinu, ipse filius fuerit manus', & ipsa manus fuerit filius, per quam Pater omnia fecit. *Tua enim* (inquit) *manus, fecit hæc omnia.* Et, *manu tua eduxisti populum.* Ergo hoc ipsum, per filium fecit. Quin & *ipsa mutatio dextræ excelsi*; & etiam illud *in finem pro mutandis, Canticum super dilecto*: dilectus scilicet manus illa est, quæ mutationem accepit, de qua etiam loquitur vox illa diuina, *hic est filius meus dilectus.* Idem ergo est *manus mea*, ac si diceret *filius meus.*]

Nolo præteritum vnicum dumtaxat è Iobis innumeris, quibus Christus antonomasticè (vt D. Augustinus loco proximè notato admonet,) dicitur *dilectus* quia dilecti opus insigne extollit. Christus ergo psalmo 28. dicitur *dilectus quemadmodum filius vnicornium*: quem locum Christo aptat Richardus Victorinus in illius psalmi expositione, monstrátque significare modum quo Christus, fortissimè instar vnicornis confringit cedros; diuersum à modo quo Deus eas comminuet. Nam Psaltes, & Deum, & dilectum eius, comminuturum cedros Libani, affirmat eo psalmo. Nec aliud est iuxta Richardum ea confractio vel comminatio, quam arrogantiæ nostræ deiectio à Deo facta, per terrorem: à Christo autem per suæ humilitatis exhibitionem. [Quando ergo quis Domini considerata potentia, in conspectu tantæ maiestatis altum sapere erubescit, & aliquid contra eius voluntatem præsumere pertimescit, absque dubio Dominus in eius corde elationum cedros confringit. Alius visa dilecti nostri mira humilitate, confunditur superbus apparere, cum videat Dominum maiestatis formam serui accipere, legem implere, hominibus obedire, improperia hominum, crucis probra patienter sustinere. Quando ergo quis viso Dominicæ humilitatis exemplo in sua præsumptione confunditur, & ab omni altitudine pristini tumoris deiicitur; patet procul dubio quod dilectus iste cedros malè rigidæ mentis confregit, & tanquam vitulum Libani (hoc est ad similitudinem sui,) comminuit. Rectè ergo dicitur, *confringet Dominus cedros Libani & confringet eos tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium.*]

160 Itaque Christus ex vna parte infirmissimus, quippe victima & vitulus Libani, id est è cœlo huc missus, & sacrificio addictus; ex altera fortissimus, & vnicornis, conteret & comminuet cedros, vt vitulum: superbos inquam mortales deducet ad modestiam & humilitatem, qualem ipse suscepit viuens, ac præsertim moriens. Ita vt comminutio cedrorum tanquam vituli, non pertineat ad comminutionem aurei vituli à Mose comminuti; quo hanc comparationem refert Nyssenus hom. 14. in Cant. quid enim vitulus aureus, ad vitulum Libani, sed pertineat ad Christi ipsius comminutionem moralem: id est plenam deiectionem & humiliationem, quam viuens ac maximè moriens prodidit. Eam verò comminutionem, dilectus suauitate humilitatéque sua perficit. Nihil enim aptius ad implantandam animis nostris humilitatem, consideratione tantæ Christi humilitatis. Videsis Franciscum Picum lib. 1. de morte Christi & propria cogitanda cap. 8. & 9. & lib. 3. à cap. 4. aut potiùs Nazianzenum qui impossibile esse superbire, recogitantem Christi inter latrones confixionem, præclarè dixit, orat. 20. Necnon Augustinum serm. 37. de diuers. qui superbiæ nostræ exitium extremum, in recogitatione tantæ Christi depressionis, sitam docet. Nihil item efficacius ad patientem incommodorum perpessionem, quàm attenta perspectio modi quo Pater dilectum habuit, iuxta illud Augustini ad psal. 31. *in fine.* [Flagellat Deus omnem filium quem recipit. Itane omnem? vbi te volebas abscondere? Omnem, & nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid ad omnem? Vis audire quem omnem? Etiam vnicus sine peccato, non tamen sine flagello.] Dilectus itaque, cum aliis viis, quatenus nobis obuersans in tanta demissione quam vltrò suscepit; vel tantam demissionem patienter & humiliter à Patre excipiens; ad similitudinem comminutionis & humiliationis suæ, contrit & deiecit superbiam

biam noſtram. Eſtque hæc inſignis planè potentia, & dilecto conuenientiſſima, ſpectato modo quo exprimitur. Dilectum enim ſuauitaspotiùs quàm robuſta manus decet. Quid verò filius à Patre dilectus, tanta nos dilectione proſecutus repoſcat à nobis, dicam inferiùs.

### *Idem, dilectus dilectus, & dilectus ex dilecto.*

161 *Dilectus dilectus* nominatur Chriſtus pſal. 67. verbis illis. *Rex virtutum, dilecti dilecti & ſpeciei domus diuidere ſpolia.* Eam geminationem in aliquibus codicibus aſterico ſuffixam, S. Auguſtinus obſeruat, ad commendationem dilectionis pertinere: vt non aliud ſit *dilectus dilectus*, quàm *amantiſsimus* vel *dilectiſsimus*. Apud Hebræos enim, congeminatio illa amplitudinem & vbertatem ſonat. Vt cum dicitur, vnguentum deſcendiſſe in *barbam barbam*; id eſt promiſſam & prolixam barbam. Et cum Iſaias populum compellans, ait; *conſolamini conſolamini*, id eſt *valdè conſolamini*. Dilectus ergo dilectus, id eſt dilectiſſimus. Rex autem virtutum dilecti dilecti, id eſt exercituum Chriſto duci parentium, totius ſcilicet militantis Eccleſiæ; vel eſt Deus pater qui verè eſt Rex cui Chriſtus eſt dilectus dilectus, (quem ſenſum valere poſſe, agnoſcit idem **S. Auguſtinus**:) vel certè eſt ipſemet **Chriſtus**, quem item ſenſum **D. Auguſtinus** proponit: ſupponens plerumque in ſcripturis, præſertim in veteri teſtamento, loco pronominis poſſeſſiui repeti nomen. Vt cum toties legimus, *fecit Moſes ſicut præceperat Dominus Moyſi*: quod nos diceremus, *ſicut præceperat ei Dominus*. Chriſtus ergo dicitur autor & Rex exercitûs Chriſti, qui nomine dilecti dilecti, vtrumuis è propoſitis ſenſibus amplecti placeat, deſignatus eſt. Et huic ductori tribuit Dauid, non modò quod verbum daturus ſit Euangelizantibus; ſed etiam quod ad domus ſuæ ornamentum ac ſpeciem, tributurus ſit diuidere ſpolia, & vberem prædam animorum colligere, ac in Eccleſiam inferre.

Non habet reuera alium ſenſum, quod alibi Chriſtus *dilectus ex dilecto* appelletur, quàm cum *dilectus dilectus* dicitur. Senſus enim vtrobique eſt, ſummè ac ſuper omnes diligi Chriſtum, & eſſe antonomaſticè dilectum. Richardus quidem Victorinus, & alij nonnulli, *dilectum ex dilecto*, interpretantur Deum verum de Deo vero? ita vt contineat ea appellatio, rationem primam ſummi amoris, quo pater Chriſtum proſequitur: quia ſcilicet & ſecundum naturam diuinam eſt filius Dei conſubſtantialis Patri, & ſecundum humanam quoque ex Deo eſt; quatenus non agnoſcit in terris patrem. Sed veriùs eſt, quod recentiores interpretes paſſim obſeruant, particulam Hebræam cui in textu noſtro reſpondet particula *ex* polyonimam eſſe; & interdum idem valere quod *ex*, interdum autem idem quod *præ*, & ſonare comparationem ſeu præcellentiam. Vt cum pſalm. 134. dicitur, *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, id eſt *præ me*: altior ſcilicet es, quàm te luſcioſis meis oculis poſſim peruadere. Dilectus ergo ex dilecto Chriſtus eſt, quatenus præ omnibus dilectus eſt, cum ab aliis ritè diligentibus, tum maximè à patre, qui eius formam ſpecioſam, atque Deo amabilitatem præ filiis hominum, optimè perſpectam habet.

### *Ideò expreſſus per Patris annulum.*

162 Argumentum tantæ dilectionis, qua Pater Chriſtum proſequitur, illud eſt ſanè luculentum, quod annulus patris eſt, atque ſignaculum: vt de Zorobabele in Chriſti typum dicitur Aggei 2. non modò quia eſt ſigillum quo Pater omnes adoptionis filios vult obſignari, vt concinnè dixit Nazianzenus hymno de Chriſto: nec quia eſt quaſi ſignum appoſitum ad tutelam electorum: nec denique quia eſt character militaris electorum omnium manibus inſcriptus; quas rationes vocandi Chriſtum nomine *ſignaculi*, illuſtrat pluribus Caſtro Aggei 2. *in fine*. Sed ea præſertim de cauſa Chriſtus *ſignaculum*, & *annulus ſignatorius Patris*, appellari poteſt, quia nihil Pater concedit nobis, niſi per Chriſtum & eius merita obſignetur. Aliqui eam ob cauſam vocant Chriſtum *cuſtodem Regij paterni ſigilli*. Sic enim Hymnus Græcanicus ad Chriſtum, qui ſubiunctus legitur metaphraſi Appollinaris in pſalmos & Sacra Cantica, hæc de Chriſto habet.

*Eſt hominum amator Chriſtus Deus, ſtet dator,*
*Benignum cor habens ſupplicibus, & rectis mente:*
*Pronus & condus, miſericordia patris ſigillum cuſtodit,*
*Omnigenûm bonorum hominibus dona ſuppeditans.*

Stephanus Cantuarienſis in cap. 8. Eſther, Dei annulum Chriſto commiſſum, ex crucis cornibus confectum docet. Vnde Chriſtus qui crucem tulit, annulum Dei geſtauit. Malim tamen, Chriſtum appellare ipſum annulum Dei. Si enim ſignatoriis Principum annulis quibus diplomata muniuntur, principum ipſorum imagines exprimere in chartis priſcus vſus tulit; (ſymbola enim annulis ſignatoriis inſculpta, quæ exhibet Clement. Alexan. 3. pædag. cap. 11. ad priuatorum potiùs morem pertinebant:) multo magis Dei, principibus quibuſuis longè præcellentis ſignatorio annulo, imaginem ſuam exprimi par fuerit. Ea verò nullibi illuſtrior quàm in Chriſto Deo & homine, vt optimè tradit S. Athanaſius ſerm. de Deip. exponens quomodò apud Paulum Chriſtus dicatur *ſubſtantiæ Patris character*. [Vt enim annulo ſignatorio ſpecies aliqua effiguratur, quam & imaginem expreſſam & ſigillum appellamus, nihilque quatenus ad ſuos pertinet, deficit ab exemplari ſuo: ita quoque filius eandem cum patre formam gerit. Non enim euaniat impreſſa imago ab imprimente ſignaculo: ſed incommutabilis perſeuerat iuxta ſculpturam annuli: ſiue in cera, ſiue in auro ſignaculum illud effigiatum ſit, pro ratione Regij numiſmatis

numismatis : Ita quoque diuinus character filij substantiæ patris incommutabile sigillum est, ferens omnia verbo potentiæ suæ, secundum suum ipsius exemplar, carnique suæ quasi ceræ eum typum formámque impressit. Non enim est impossibile vel incredibile, vt tempore Patris voluntati grato, vti character (si quidem & character est,) Incarnationem in se configuraret qua veluti pro cera aut quasi pro auro vsus videri potest, quemadmodùm totum illud mysterium ineffabilis huius & inenarrabilis Incarnationis nonnihil subostendit.]

Egregiè in eandem sententiam Richardus Victorinus in psal. 71. multis enim præmissis de minera auri ex quo caro Christi est formata, hoc est de vtero Deiparæ, déque eiusdem auri excoctione, subdit. [Ex huiusmodi auro formatus est annulus, lapisque pretiosus, & in eo imposita est forma summi Regis & imago impressa, vt plenè expressa. Aurum optimum caro Christi, lapis pretiosus, anima Christi, figura & imago Patris, diuinitas Christi: qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, nihilominus tamen humanitati nostræ est vnitus, vt ex duabus naturis tribúsque substantiis, esset quasi in vnum annulum iunctus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus; & fieret dexteræ excelsi ornatus. Huius annuli signaculo, signatum est illud edictum, vel chirographum, in quo liberata est captiuitas Iudæorum. Hic est annulus Amon, Principi ablatus, & Mardocheo Regia clementia commissus: & quem hæretica peruersitas perdidit, ordo Catholicorum Doctorum acquisiuit aliquis in nobis factus filius prodigus, qui dudum mortuus est, & iam reuixit, perierat & inuentus est, date hunc annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius. O quantu honore vnusquisque nostrum in hoc annulo donatur, quandoquidem in eiusmodi ornatu, & ipse pater gloriatur.] Tandem Zeno Veron. serm. de Iuda Patriarcha exponens mystice annulum ab eo datum Thamari. [Annulus (inquit) signaculum fidei est, quod est Christus, cuius illustratione maiestatis impressi atque signati, qua syncerè viuentes in custodiam nostræ salutis, per Spiritum sanctum, imaginem referimus quam tenemus.]

### *Christus, dilectio, ex Scripturis veteris Testamenti.*

163 *Dilectionis* denique nomen, Christo tributum aliquoties legimus, cùm in veteri, tum in nouo Testamento. Ad Christum enim potiùs quàm ad Salomonem referendum est, quod habetur Canticorum 3. in descriptione lecticæ, seu gestatoriæ sellæ, (*ferculum* vocat vulgatus,) de lignis Libani, cuius columnas Rex argenteas fecerat, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media constrauerat charitate. *Media*, seu *medium sellæ*, consterni charitate, iuxta aliquos est, opere ex pretiosis gemmis tessellato exornati, & in eo esse dilectionem. Ita enim aperrè ferunt 70. Graues Interpretes, opus illud, Symbolum aliquod vel emblema amoris, media in sella appositum interpretantur. Nec puto improbandum. Quod tamen illud Symbolum, volunt esse columbam, præsertim si re ferant ad ea quæ de geminis columbis se se respectantibus & amorem conciliantibus aliqui proponunt, est planè ludicrum, & merum commentum. Non incommodè autem dixerimus, ipsiusmet amoris siue sponsi expressi *amoris* nomine, (vti etiam à S. Ignatio in Epistola ad Rom. referente etiam Dionysio lib. de diu. nom. cap. 4. p. 1. factum est,) collocatam opere tessellato media in lectica dicemus. Sicque verum erit, erit, quod alij verterunt, *medium tenet ipse accensus*, in sua scilicet effigie, opere gemmario è lapillis pretiosissimis concinnata. Alij verò (quod nobis perinde fuerit,) medium charitate teneri, idem esse censent, ac in medio sellæ, *amorem*, id est sponsum ipsum cum sella gestaretur, insidere solitum. Et ita accipit hunc locum Pineda lib. 5. de Salom. cap. 9. num. 7. & Iustinianus 2. Thessal. 2. v. 10. Iuxta huiusmodi ergo interpretationes, quia Salomon cuius ibi ferculum & sella curalis describitur, non est typicus ille Salomon, sed Christus Dominus; constat Christum dici *dilectionem ipsam*, ipsúmque amorem non modò sponsæ & filiarum Hierusalem, Ecclesiæ inquam peregrinantis, & auium cœlestis Hierusalem sed præcipuè Patris.

Quod item Ecclesiastici 24. dicitur *ego mater pulchræ dilectionis*, ad Deiparam, eo quòd Christum dilectionem pulchram peperit, accommodant multi, & latè Richardus à S. Laurentio lib. 6. de Deip. Cuius tamen ratiocinatio ægrè sapit, sic enim scribit. [Christus emphaticè dicitur *dilectio* quasi *duos ligans*, quoad duas naturas: scilicet Deum & hominem assumptum Deo in vnitate personæ, quando Verbum caro factum est; per dilectionem quam habuit ad genus humanum. Colligauit sibi naturam humanam, quia dilectio, est diligentis & rei dilectæ quasi quædam vnio, potissimùm in bonis, & naturaliter illud quod amatur, in sui naturam, suum conuertit amatorem. Per dilectionem etiam quam habet ad nos, colligat nos sibi ipsi, quia *qui adhæret Deo, vnus Spiritus est cum eo*, 1. Cor. 6. vnitate scilicet amoris & gratiæ. Vnde Psalmista, *mihi adhærere Deo bonum est*. Psalmo 72. Per dilectionem etiam qua diligit hominem, colligat ipsum hominem sibi ipsi, & quasi conglutinat ne diffluat per vitia & peccata. *Cor enim fatui*, id est peccatoris, *quasi vas confractum*. Ecclesiastici 21. vel etiam *pulchræ dilectionis*, id est *Christi*, vt supra dictum est, qui solius pulchrè diligit & à quo habetur pulchra dilectio. Ipse enim charitas est 1. Ioannis 4. ergo pulchra dilectio, quia charitas forma est & deaurata, siue pulchritudo virtutum.]

164 Non sentiet item S. Ambrosius ser. 5. in psal. 118. Christum in scriptura vocatum *dilectionem* arbitratur; vt eo loco Cant. 2. *constituite in me dilectionem*. Ita enim legit, vbi nostra vulgata habet *ordinate in me charitatem*.

*tatem.* Ibidem quoque à Christo vulneratam dici animam censet eodem Canticorum capite, vbi dicitur, *vulnerata charitatis ego sum.* Ita quippè legit, & exponit vulneratam Christi animam. Denique de Christo item accipit, illa alta verba ibidem quæ sic legit. *Adiuraui vos filiæ Hierusalem in virtutibus & fortitudinibus agri, si suscitaueritis & resuscitaueritis dilectionem, vsquequò voluerit.* [ Suscitatus est à mortuis, vt leo. Vnde ait Scriptura, *quis suscitabit illum?* Non enim poterat illum aut Angelus, aut potestas suscitare aliena, cum ipse alios resuscitaret. Ergo cum hîc dicit; *si suscitaueritis, aut resuscitaueritis charitatem vsquequò voluerit*; de iis dicit, qui resurrectionem eius possunt congruè prædicare, vt audientibus ardorem fidei & deuotionis accendant. Vel suscitatur Christus in iis qui postquàm accesserint, dormierunt. Dormit ergo Christus negligentibus, suscitatur in sanctis. ] En quomodò *Charitas* Christus, suscitatur iuxta Ambrosium. Nazianzenus orat. 6. *in fine*, apertè ita vocat charitatis patrem, imo ipsa charitas, ( his enim nominibus præcipuè delectatur, vt per ipsa quoque vocabula mutuum amorem quasi lata lege promulget, ) nouum mandatum dedit, vt tanto nos ipsos mutuo diligamus quàm dilecti sumus.]

*Item ex nouo.*

165 In nouo Testamento est locus pulcherrimus 2. Thessal. 2. vbi Antichristi aduentus describitur, *secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quod* ( inquit Apostolus, ) *charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent.* Quam dicat *charitatem veritatis*, non æquè consentiunt omnes. Sed cum constet iis verbis designari charitatem veram, Hebraico idiotismo, ( cuiusmodi Apostolus etiamsi græcè scribens sæpè vsurpat, ) nonnulli eam *veram charitatem* intellexerunt puram & veram dilectionem: quasi diceret Apostolus, meritò Iudæos fore implanandos ab Antichristo, quia pro vero amore quo ferri in doctrinam Euangelicam debuerant, dilexerunt magis tenebras. Cum tamen hoc non sit adeò propriè recipere amorem, ( *recipi* enim propriè est personatum non affectuum; ) malim cum S. Chrysostomo, Theodoreto, Theophilacto, & Oecumenio, ad eum locum, *charitatem veram* eo loco, accipere Christum ipsum. Apertéque suffragatur S. Cyprianus epist. 55. qui ita hunc locum allegat: *Dilectum veritatis, non habuerunt.* Et sub finem libri de lapsis, *Dilectum veritatis non receperunt.*

Existimarim quoque, dilectum discipulum, Christum nomine dilectionis & charitatis significasse, epistolæ primæ cap. 4. ait enim, *clarissimi diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum Vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas.* Non me latet, hæc verba passim accipi de amore qui est actus internus Dei, & ipse Deus. D. tamen Augustinus ponderans illa verba, *charitas ex Deo est*, accipit *charitatem* in hoc capite, non essentialiter, sed notionaliter. Et cum non posset in Patrem cadere qui non est ex Deo, ( id enim de filio tantùm vel Spiritu Sancto dici potest vt ipse D. Augustinus rectè admonet; ) aptat eam Spiritui sancto, qui cum procedat per voluntatem, dicitur *charitas patris & filij.* Nolo explicationi tanti Patris obstrepere: sed quod mihi occurrit, aperio. Existimarim, non minùs consentaneè, dictum Ioannis *Deus charitas est*, & illud *charitas Dei in nobis*, de ipso Christo accipi posse, aut etiam debere. Quod enim ibi ait Ioannes, *Deus charitas est, in hoc apparuit charitas Dei in nobis*, idipsum est quod versu 16. iterat verbis illis. *Et nos cognouimus & credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas est.* Nemo autem non videt, charitatem quam abse cognitam, & in quam se credidisse ait Ioannes, aliam non esse quàm Christum, quem cognouerat familiarissimè, & vt ipsemet cap. 1. loquitur contractauerat, & sibi apparuisse professus erat. Nec in aliam charitatem crediderat quàm in Christum Dominum, ex cuius tanta in nos beneuolentia, quantum fuso pro nobis sanguine prodidit, conatur Ioannes toto eo capite, infigere charitatem in proximum. Est ergo mihi quàm verisimillimum, Ioannem locis prædictis, cum ait, Deum esse charitatem, vel dilectionem, & charitatem Dei in nobis apparuisse, de Christo agere, eumque *charitatem* denominare.

166 Planè id censuisse videtur Epiphanius in Anchorato, cuius in hanc rem illustrissimum locum, non censeo omittendum. Retulerat blasphemiam illorum, qui Christum filium duntaxat adoptiuum censebant esse, eo quòd de eo scriptum sit, *ecce puer meus electus, quem elegi.* ( Apud Epiphanium ex interprete, malè legitur *filius meus dilectus*; ) estque reuera sensus loci illius prout habetur in vulgata editione. In Canticis item, Christus vocatur *electus.* Blasphemiam ei loco inædificatam, refellit S. Epiphanius, & cuiusmodi sit Christi electio, sic declarat. [ Manifestum est vnde sit vox *electus*, & vnde *electio*: quoniam multa millia in terra erant, & Maria sola gratiam inuenit, & in ipsa elegit sanctam carnem. Et propterea est illa in qua ipsi benè complacitum est: & post paulò gentibus ostenderunt, dicit: *subiecit populos nobis, & gentes sub pedes nostros, pulchritudinem Iacob quam dilexit.* Hoc dicit autem Apostolus, *ipsum filium dilectionis, qui liberauit nos* ( inquit ) *ex potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis sui.* Et stolidi illi hic non intelligentes, locutionem, iuxta profectum dilectionis Dei, esse filium dicunt: Et non sciunt indocti illi, comparationem sermonis. In alio enim loco dicit Apostolus, *Deus dilexit nos in Christo.* Verè enim filius dilectus est vnigenitus; quoniam dilectio Pater, dilectio filius. Nam dilectio ex dilectione, est filius. Igitur filius est dilectionis propter nos, & propter seipsum quia in illo dilexit nos, & filium suum vnigenitum tradidit pro nobis.]

167 Cum

167 Cum ergo Christum vocet *dilectionem Patris*, manifestè denotat, se ita accepisse Ioannem citato capite. Hæresi quoque 42. quæ est Marcionitarum, *in fine*, ait Deum Patrem verè charitatem, genuisse filium charitatem. Similiter Gregorius Nazianzenus orat. 6. *in fine*, illud, *Deus charitas est*, de Christo dictum accipit. S. item Bernardus ser. 1. de Assumpt. videri potest ad illud Ioannis dictum allusisse cum Christum appellauit, *ipsam Dei charitatem*. Vide etiam an non eodem spectarit S. Ambrosius lib. de Isaac c. 8. ait enim. [Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde. In fronte vt semper confiteamur; in corde vt semper diligamus; signaculum in brachio, vt semper operemur. Luceat ergo imago eius in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus & factis: vt si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis. Ipse sit caput nostrum, quia *caput viri Christus*. Ipse oculus noster, vt per illum videamus Patrem. Ipse vox nostra, per quam loquamur ad Patrem. Ipse quoque est signaculum nostrum, quod est perfectionis & charitatis insigne, quia diligens Pater signauit filium. sicut legimus; *quem Pater signauit Deus*. Charitas itaque nostra, Christus. Bona charitas, quando obtulit morti se pro delictis: Bona charitas, quæ peccatum remisit.]

Apertè denique est à me Origenes, prologo in Cant., cum proponens aliqua obiter ex Ioannis Epistola de nomine *charitatis* deliberate, ait. [*Deus charitas est*. In hoc ostendit, & ipsum Deum charitatem esse. Et iterum ait eum qui ex Deo est charitatem esse. Quis autem ex Deo est, nisi ille qui dicit, *Ego ex Deo exiui, & veni in hunc mundum*. Quod si Deus Pater charitas est, & filius charitas est, charitas autem & charitas vnum est, & in nullo differt; consequenter ergo Pater & filius vnum bene dicuntur. Et ideò conuenienter Christus sicut sapientia & virtus, & iustitia, & Verbum, & veritas; ita & charitas dicitur, & ideo dicit Scriptura: quia si charitas manet in vobis, Deus in vobis manet. Deus autem, id est Pater & filius, qui & veniunt ad eum qui perfectus in charitate est, secundum Verbum Domini & Saluatoris, dicentis, *ego & pater veniemus ad eum, & mansionem faciemus apud eum*.] Et mox. [Et quia Deus charitas est, & filius qui ex Deo est, sui simile aliquid requirit in nobis; vt in hanc charitatem quæ est in Christo Iesu, qui est charitas, velut cognata quædam per charitatis nomen affinitate sociemur. En verè amorem ex Poro patre copiosissimo & locupletissimo, ac matre pauperie natum, quo se deierit Christus à Patre dilectus, vt nos de carne transiremus ad Verbum ait S. Hieronymus lib. 2. in Iouin. cap. 16. vbi etiam Paxis in Christum amorem tantoperè extollit, vt dicat, ideò Patrem nos diligere quia filium dilexit, & membra diligi sed in corpore, atque adeò sub capite. Quæ quomodò cohæreant cum Christo nobis dato & impenso, consulendus Ruis disp. 53. de volunt. Dei, sect. 6. & 7.

*Vsus doctrinæ.*

168 Concludo cum S. Liberio Papa Marcellinam alloquente, apud S. Ambrosium lib. 3. de Virg. *initio*. [Hunc Christum filia, dilige quia bonus est. Nemo enim bonus nisi solus Deus. Si enim non dubitatur, quia Deus filius. Deus autem bonus; vtique non dubitatur, quia bonus filius Deus. Hunc inquam dilige. Ipse est quem Pater genuit ante luciferum, vt æternum; ex vtero genera-uit vt filium, ex corde exultauit vt Verbum: Ipse est in quo complacuit Pater: Ipse est Patris brachium: quia creator est omnium: Patris sapientia, quia ex Dei ore processit: Patris virtus, quia diuinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo. Quem pater ita diligit vt in sinu portet, ad dexteram locet, vt sapientiam dicat, virtutem nouerit. Si igitur virtus Dei Christus, numquid aliquando sine virtute Deus? Numquid aliquando sine filio Pater? Si semper vtique Pater, vtique semper & filius. Perfecti ergo Patris, perfectus est filius. Nam qui virtuti derogat, ei derogat cuius est virtus. Inæqualitatem non recipit perfecta diuinitas. Dilige igitur quem Pater diligit, honorifica, quem honorificat Pater.]

Ita sanè. Diligamus dilectum à Deo, in tantis præsertim tórque illicibus nostri erga ipsum amoris. Meritò enim Richardus Victorinus tametsi fortassis Gallicæ vocis affinitatem ad Latinas voces transferens, faciem Christi positam vt adamantem, (vt Prophota dixit,) interpretatur positam vt magnetem, *vn Aymant*, qui omnia ad seipsum traxerit. Sic ille lib. de gradibus charit. cap. 2. Insigniter quoque Theodoretus initio libri quinti contra Græcos, sermones de Christi cruce & passione; magneti confert. Nam iis dociles animos & aduersùs diuinam vocationem qua præueniuntur non affirmatos, trahi cernimus, sicut magnete solum ferrum trahitur. Sed nihil hæc ad concinnissimam Saluiani orationem lib. 4. de prouidentia, Christum patientem cum magnete conferentem, verbis illis. [Si debitum mortis non soluimus, (quod facere martyres dixerat,) vel amore soluamus. Nam ipse Saluator, ideo vt ait Apostolus, moriendo pro nobis commendare voluit omnibus charitatem suam, vt nos ad reddendam pietatem tanta vicissitudine pietatis suæ traheret. Sicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propiùs admotæ, durissimum licet chalybem, affectu quasi aspirante suspendunt. Ita etiam ille, id est summa & clarissima regnorum cœlestium gemma, hoc scilicet voluit, vt dum se licet durissimis nobis descendens de cœlo propiùs adiungeret, affectu suo nos quasi amoris sui manibus admoueret: vt agnoscentes vtique bona sua ac beneficia, intelligeremus quid nos pro Domino tam bono facere conueniret, cum ille pro malis seruis tanta fecisset: & compleretur hoc quod Apostolus dicit, vt mortificaremur charitate illius tota die; & neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque fames, neque nuditas, neque gladius,

gladius, posset nos separare à charitate Christi, quæ est in Christo Iesu Domino Nostro.]

Ad huius in nobis amoris ingenerationem, pertinere nomen *dilecti* Christo tributum, quia à Patre amatus in nos refundit amorem, sic tradit autor sermonis de Christi Bapt. apud Cyprianum num. 4. [Vsque ad mortem Christum duxit dilectio & resurgens à mortuis charos habet quibus tantæ charitatis affectum ostendit. Duo grata vocabula filius & dilectus ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur: vt communio nominum nos associet collegio munerum, & tantæ dulcedinis nomina, nostrum emolliant animum, accendantque deuotionis affectum.]

## CAPVT V.

### *Christus Dei seruus.*

SI filius, iam non est seruus, vt ad Galat. 4. tradit Apostolus, quomodò Christus naturalis Dei filius, seruus dicetur? Videbor itē Adriano Papæ in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, & Synodo Frācofordiensi in Epistola ad eosdem Episcopos, refragari. Acriter enim damnant Elipandum, eique adhærentes Hispanos, qui Christum seruum Dei statuebant: id quod æquè ego in capitis titulo præfero. At hoc in magnum Christi dedecus cedere; inculdatur in prædictis epistolis, vsque adeò vt concludat Pontifex, *stultiloquam linguam quæ non confunditur Christum latrare seruum, in frusta esse præcidendam, & per mille partes minutiùs detruncandam.* Ex ea colluuie, Felix Vrgelitanus Christum vocans *seruum conditionalem*, id est vi suæ conditionis & procreationis, latè reiicitur à Paulino Aquilensi lib. 6. contra Felicem. Sed prædictæ præsertim Adriani Epistolæ innixi nonnulli, inter quos Vasquez 3. par. d. 80. à cap. 3. contendunt de fide esse, Christum nulla planè ratione, ac ne cum determinatione quidem humanæ naturæ, dici posse seruum. Eodem planè modo, quo ne cum ea quidem determinatione, dici potest filius adoptiuus. In prædicta namque epistola, & in tota Synodo Francofordiensi, esse seruum, & esse adoptiuum, recurrunt. Vasquem sequitur Becanus tract. de Incar. cap. 16. q. 2. autoritati ex Adriano & Synodo prædicta, iungunt aduersarij alia quædam Patrum loca, quibus Christus negatur fuisse seruus. Addant quoque rationem ex eo ductam, quod seruitus cadat in personam, non autem in naturam. At personam Christi repugnat non esse ingenuam, cum sit diuina. Item quia inter Christum & Deum fuit communicatio, quæ non est inter seruum & Dominum. Repugnare itaque videtur, Christum, quippè Dei filium, esse Dei seruum.

### *Christum in humanitate esse verè Dei seruum, probatur ex Scripturis.*

170 Nihilominus rectè titulus capitis præfert, Christum Dei seruum, vtique in humana natura. Nam seruitutem Dei quam Arriana perfidia inuenit, nemo Catholicus sustineat audire; molliendáque est loquendi ratio quorundam aliquatenus ad id accedens, qua Verbum diuinum in molitione orbis, atque adeò ante Incarnationem, *ministram Patris* esse dixerunt. Ita Clem. Rom. lib. 5. cap. 21. aliàs 29. Nouat. lib. de Trinit. c. 31. & Autor libri primi de Incarn. apud Augustinum. Quamuis enim ea locutio apud hos autores, cadat verè in ipsum Verbum, nec quod Pamelius ad caput citatum. Nouatiani existimauit, possit ad Christum prout hominem detorqueri; tamen sensus dumtaxat est, Patrem omnia fecisse per filium. Quo eodem modo alij Patres apud Turrianum in defensione lib. 6. Constit. cap. 11. Spiritum sanctam, qui humanitati iunctus non est, vocant Dei ministrum in sanctificatione creaturarum. Itaque facessat blasphemia Arriana, Verbum statuens Dei seruum; in quam fusiùs conclamant S. Athan. orat. 3. contra Arrianos, S. Hilarius lib. 11. de Trinit. & Gregor. Nyssenus lib. de dicto Apostoli; *nunc & ipse filius subiicietur.* Fuisse tamen peculiariter hunc errorem Eunomij, & in hoc Eunomium superasse Arrium improbitate, docet Isid. Pelus. lib. 1. epist. 24. Exagitátque latè hac ex causa Eunomium. Greg. Nyssenus oratione contra eum 9. (veriùs 10) Sed seruitus quam respectu Dei Christo tribuimus, cadit in eum ratione solius humanæ naturæ. Hæc seruitus, & autoritate, & ratione facilè euinci potest,

Autoritas in primis suppetit ipsius Scripturæ, quæ Christum infinities, *seruum* vocat. De Christo enim sunt vulgata illa loca Isaiæ 42. *Ecce seruus meus suscipiam eum.* Qui locus Matth. 12. de Christo exponitur. De eodem Zach. 3. dicitur, *adducam seruum meum Orientem*, & Ezech. 34. *Suscitabo super eas pastorem vnum, seruum meum Dauid.* Sunt alia huiusmodi in prophetis & psalmis de Christi seruitute loca expressissima, quæ velle ad metaphoras aut sensus allegorico trahere, violentum fuerit. Dicere autem ita haberi in veteri testamento ratione status seruitutis tunc vigentis, non satisfacit. Neque enim Prophetæ Spiritu sancto agente locuti, quamuis ipsi sub Mosaicæ legis iugo seruitutem seruirent, Christo tribuissent seruitutem respectu Dei, eamque Christus per eos professus toties & tam distinctè fuisset, nisi verè de Christo affirmari potuisset. Quid quod in nouo item testamento, perspicuè Christus appellatur seruus? Sic enim 1. Corinth. 3. *omnia vestra sunt*, (ait Apostolus) *vos autem Christi, Christus autem Dei.* En Christus Deo subiicitur, eo modo quo nos Christo. At nos sumus serui Christi: Ergo & Christus, est

Dei

Dei seruus. Sed disertè & in actu signato. Phil. 2. Christus dicitur *accepisse formam serui.* Ea quippè serui forma, de vera & propria seruitute accipi debet. Contraponitur enim formæ Dei, quam perspicuum est debere propriè sumi. Sicut ergo quod Christus dicitur esse in forma Dei, est Christum esse propriè Deum: ita quod Christus dicitur habere formam serui, ac Christum esse verè ac propriè seruum; Nimirum in humana natura, ratione cuius verbum ibidem dicitur exinanitum, susципiendo formam serui; hoc est demittendo se ad naturam nostram, cui essentiale est Dei seruum esse, & pleno iure subiectam. Eodem spectant scripturæ quibus Christus dicitur *puer.* Nam in scripturis, *puerum* idem sonare quod *seruum*, latè tradit D. Augustinus l. locutionum de Genesi *sub finem*: vt proinde nesciam quorsum Genebrardus in Psal. 68. v. 22. admittens Christum esse Dei seruum; addat, rectiùs tamen vocari puerum. Quomodò rectiùs, si idem seruus qui puer?

171 Addensauit in hanc rem pleraque alia scripturarum loca, pugnans pro Christi hominis ad Deum seruitute; S. Ambrosius Epist. ad Irenæum, contra quendam Apollinaristam, quem ait audire non potuisse, quod Dominus noster Iesus pro nobis seruitutem susceperit, in istius corporis. Dixerat enim Sanctus Ambrosius ex Christi verba Matth. 11. *Confiteor tibi pater Domine*, idcirco prolata esse, vt intelligamus Patrem filij esse, & dominum creaturæ: hoc est Christum qua Verbum est, habere Deum pro Patre: vt creaturam autem, habere eum pro Domino, & esse seruum eius. Nam & Psalmo 108. Christus Deum vocat Dominum suum, cum ait, *adiuua me Domine Deus meus.* Hoc cum ille hæreticus, simulato pro eruditorum more Christi honore, negaret; & seruitutem Christo indecoram, nullâque ratione ei tribuendam contenderet; obruit eum conferis scripturarum aciebus S. Ambrosius demonstrans mirum non esse, quod seruitutem Christi hominis negaret Apollinarista, qui vnam Dei & hominis substantiam esse crederet. Nam si supposuisset naturam in Christo distinctionem, affirmat S. Ambrosius, hæreticum illum non fuisse negaturum seruitutem Christi in natura humana. Multa idem scripturarum loca in hanc ipsam rem congerit idem S. Ambrosius, explicans titulum psalmi 35. qui ita habet *In finem seruo Domini, psalmus Dauid.* Quem titulum arbitratur ferre, psalmum esse de Christo Dei seruo in humanitate assumpta. Et post multa de Christi propter nos egestate ac seruitute latè disputata, concludit. [Aduerte mysterium. Ex vtero Virginis, idem & seruus exiuit & Dominus. Seruus ad operandum, Dominus ad imperandum, vt regnum Deo in hominum mentibus radicaret. Vtrinque vnus, non alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem qui ante secula ex Patre, ipse posteà carnem susцepit ex Virgine. Ideò ergo & seruus vocatur, & Dominus. Propter nos seruus, Sed in vnitate diuinæ substantiæ Deus ex Deo, Princeps ex principe, æqualis ex æquali. Neque enim degenerem genuit, in quo se ipse complacere meruerat. *Magnum*, (inquit,) *tibi est vocari puerum meum, vt statuas tribus Iacob.* Seruat vbique suæ vocabula dignitatis. Magnus Deus, & magnus puer; Nec in carne, magnitudinis suæ nomen amittit, cuius magnitudinis nullus est finis. Meritóque securus, *cum in forma Dei esset* (vt Apostolus dicit) *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Hic est ergo æqualis, quasi Dei filius, hic serui formam in carne susцepit, hic mortem gustauit: Cuius magnitudo non habet finem; quia finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti: vt in ipsum omnes credamus, hunc intimo adoremus affectu. Bona seruitus, quæ omnes liberos fecit.

## *Suffragium Sanctorum Patrum.*

172 Iuuat hanc ipsam veritatem de Christi seruitute, selectis aliquibus Patrum testimoniis numine. Origen. optimè tom. 1. in Ioannem ad illud *In principio erat Verbum.* [Quisquis (inquit) intellexerit, quonam pacto Iesus factus sit Discipulis non tanquam recumbens, sed tanquam ministrans, cum filius Dei existens, pro liberandis iis qui peccato seruiebant formam serui sumpserit: non ignorabit quomodò ad ipsum Pater dicat, *Seruus meus es tu*, Ac mox, *magnum tibi est, vt voceris seruus.* Nam nobis audendum est dicere, maiorem diuiniorémque, atque verè secundùm imaginem Patris, Christi bonitatem apperere, quando humilem præbuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis? quàm si rapinam arbitratus fuisset, esse se æqualem Deo; nec voluisset pro mundi salute fieri seruus. Ob eam causam volens nos docere, magnum donum se à Patre accepisse, quod sic seruiuerit, inquit, *Et Deus meus erit mihi fortitudo mea. Et dixit mihi: Magnum tibi est, vt voceris seruus meus*: Nam seruus non factus, non excitasset Iacob, neque dispersionem Israël conuertisset. Sed neque futurus erat ni lucem gentium, vt vsque ad extremum terræ, salus esset.]

Disertissimè Sanctus Augustinus Epist. 378. in disceptatione cum Pascentio Arriano. [Subiectionem filij Patri debitam, ex carnis infirmitate susceptam, etiam nos quia iustum est verissimè confitemur, in qua eum infirmitate non solùm subditum. sed & seruum euidentissimè confitemur, ipso dicente in prophetia ad Patrem, *O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*; id est Mariæ. Patet ergo in quo sit æqualis Patri Filius. In quo sit non solùm subditus aut inferior, sed etiam humillimus seruus. Ipse, inquam ostendit, in quo sit humilis, in quo sit æqualis; vnde omnipotens, vnde infirmus; vnde abiectus, vnde speciosus vnde diues, vnde egestati subiectus. Ex Hieronimo locum illustrem infra dabo: & bene idem tradit in psalmum octuagesimum octauum ad illud *intra-ui Dauid seruo meo.*

S. Cyrillus lib. 3. pentab. cap. 1. [Ille qui

erat in forma & æqualitate generantis, factus est seruus, mensuram eorum qui sub iugo seruitutis erant, dispensatoria ratione non dedignatus; qua de causa metuis, eum Pontificem propter humanitatem appellare? ] Et lib. 12. thesau. cap. 15. [ seruus factus est, quia verè homo.]

173 S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. [ Formam ergo serui accepit. Neque enim aliud fuit illa summi Dei exinanitio, nisi formæ seruilis, id est humanæ naturæ susceptio. Vtraque igitur est in Christo forma, quia vtraque & vera & plena est in Christo substantia. Ideò Sanctus Euangelista, plenum eum gratiæ & veritatis prædicat: quia in diuina natura in qua Deus veritas est, plenus est; & in humana natura in qua homo verus gratia factus est. In ista plenitudine Deus est, in forma Dei, æqualis Deo. In ista plenitudine seruus, in forma serui, quia in similitudinem hominum factus, habitu est inuentus vt homo. Exinaniens ergo semetipsum, formam serui accepit, vt fieret seruus: sed formæ Dei plenitudinem non amisit, in qua semper est æternus atque incommutabilis Dominus: factus secundùm formam serui homo verus, eiusdem naturæ cuius est ancilla mater; & manens in forma Dei Deus verus, eiusdem naturæ cuius est etiam Dominus Pater.] Idem habet de 10. obiectionibus Arianor. Idemque bis iterat sub finem illius responsionis tertiæ.

174 S. Gregorius manifestè eandem Christi seruitutem agnoscit 2. Moral. cap. 22. ad illud *nunquid considerasti seruum meum Iob.* Hæc enim verba accommodans Christo, & redeuntem à circuitu orbis Satanam accipiens de mortalium omnium qui illhuc vixerant expugnatione per illum, subdit S. Gregorius, præsignificatum esse à Deo apud Iobum, venturum esse Christum qui plenè Satanæ obsisteret; ipsum inquam, à Iobo expressum Christum. Itaque ait dictum Satanam redire: [ *Numquid considerasti seruum meum Iob; quod non sit ei similis in terra?* Quod Iob interpretatur *dolens*, paulò antè iam diximus. Dolens verò ipse veraciter per figuram dicitur; qui portare dolores nostros, Propheta attestante, perhibetur. Cui in terra similis non est, quia omnis homo tantummodò homo est; ipse autem Deus & homo. In terra ei similis non est, quia etsi adoptiuus quisque filius ad percipiendam diuinitatem. Proficit, nequaquam tamen vt Deus naturaliter esset, accipit. Qui benè etiam seruus dictus est, quia formam serui susciperе dignatus est. Nec maiestati iniuriam intulit assumpta humilitas carnis: quia & vt seruanda susciperet, nec tamen habita permutaret, nec diuina humanitate minuit, nec humana diuinitate consumpsit: vt serui forma tegeret hoc quod incircumscriptè omnia ex diuinitate penetraret. Dei autem ad Satan per figuram dicere, est, *numquid considerasti seruum meum Iob?* vnigenitum filium, contra eum, in forma serui admirabilem demonstrare. Eò enim, ipso quo illum tantæ virtutis in carne innotuit: quasi superbienti aduersario, quod dolens consideraret, indicauit.]

Eucher. homil. 2. de Natiuit. Dom. *initio*, agens de die natali Christi, ait; [ hic est in quo factus est Dominus seruus, vt persona serui transiret in Dominum.]

Nazianzenus orat. 1. *sub finem*, in congerie titulorum Christi, non omisit titulum *serui Dei* secundùm humanitatem: vbi Elias Cretensis, hanc Christi appellationem confirmat ex Apostolo Philipp. 2. & addit. [ Nec verò hîc solùm, sed etiam compluribus aliis locis, Christum seruum vocari reperies.] Idem Nazianzenus, loco perillustri idem tradit orat. 56. num. 8. verbis illis. [ Quis igitur inficias ibit, quin Sapientia, secundùm inferiorem quidem generationem creata, secundùm autem primam illam magisque in comprehensibilem genita, dicatur? Huic velut consectarium est, quòd etiam *seruus* dicitur, & multis benè seruiens; illúdque item quod magnũ atque amplum ipsi sit filium Dei vocari. Haud dubiè quippe carni, & generationi, & affectionibus nostris, libertatis nostræ causa seruiuit, ac denique omnibus illis, per quæ eos, qui à peccato detinebantur, in salutem asseruit. ] Interpres Græcam vocem παῖδα malè vertit *filium* cum debuerit vertere *seruum*, vt patet ex filo rationis Nazianzeni, & ex loco Isaiæ quem profert: in quo Græcam vocem παῖδα, debere verti *seruum* non *filium*. S. Hieronymus in c. 1. ad Titum ex fontibus Hebraicis obseruauit.

S. Athanasius orat. 3. contra Arrian. [ Quatenus in confessione est cum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit, siue seruus siue filius hominis appelletur. Omnes enim istiusmodi voculæ, in ratione humanitatis benè & propriè competunt: illáque nomina non substantiam Verbi, sed hominem fuisse demonstrant. ] Insigniter, & fusè admodùm Christi seruitutem celebrant Guerricus serm. de Domin. in palm. Non est ergo quod tot Patribus teneriores, aut Christi studiosiores videri velimus, refugientes Christi seruitutem, quam illi absque scrupulo imminutæ quoquomodo dignitatis asseruerunt, suffragantibus tam multis Scripturis, & tam multis Scholasticis, aliisque recentioribus, quos inter, fusè hoc punctum versant Stunica in Annotationibus contra Erasmum ad c. 4. Actorum & Sanctius Carranza in Antopologia pro Stunica.

### *Seruitus Christi respectu Dei, probatur ratione.*

175 Rationem huius veritatis, planè ineluctabilem, paucis attigit S. Ambrosius epistola illa ad Irenæum. [ Seruus (inquit,) legitur factus Dei filius, quia legitur factus ex Virgine, & creatus in carne. Omnis enim creatura serui, dicente Propheta, *quoniam omnia seruiunt tibi.* Vnde & Deus Pater ait. *Inueni Dauid seruum meum, oleo Sancto meo unxi eum.* ] Tametsi ratio his D. Ambrosij verbis comprehensa est satis euidens, tamen vt sit prorsus manifesta, & aduersarios inexpedibiliter stringat, sic concipi potest, & ad syllogisticam formam reduci. Ille verè seruus est, qui est sub alterius dominio. Atque Christus

Dominus

Dominus, secundùm naturam humanam, est verè sub dominio Dei. Igitur secundùm humanitatem Christus est verè Dei seruus. Maior est planè explorata. Nihil quippe aliud est seruire, quàm subesse alterius dominio: Et hæc ipsa subiectio ad dominium, illa est de qua Christóne conueniat, iis nobis est cum aduersariis. Minorem verò, certum est negari non posse. Nam Christus Dominus secundùm humanam naturam est ens potentiale & à Deo dependens, ac proinde viribus diuini dominij obnoxium. Tanta quippè est extensio dominij diuini, vt quicquid Deus non est, illi subdatur. Quare cum humana Christi natura sit quid creatum, necesse omnino est fateri, Christum secundùm eam subesse diuino dominio, esséque Dei seruum.

Dei inquam, non solius æterni Patris, quia terminus huius seruitutis est Deus, & omnes Augustissimæ Triadis personæ deitatem terminantis. Qua item ratione superiùs diximus, terminum filiationis naturalis temporalis quam in Christo agnouimus, esse Deum in tribus diuinis personis subsistentem: ita vt eo modo Christus sit filius diuini Verbi. Similiter ergo Christus, est seruus diuini Verbi: atque adeò Christus quatenus subsistit in natura humana, est seruus suipsius quatenus in diuinitate subsistit. Quod non negauit D. Damascenus 3. fidei c. 21. cum negauit, Christum hominem esse seruum suiipsius. Tantum quippe intendit negare, Christum esse suiipsius seruum in sensu Nestoriano; & ita vt is qui seruus dicitur, & Dominus eius, siue duo supposita. Vide subdit. [ Qui dicunt ipsum seruum, diuimunt vnum Christum in duos, quemadmodum Nestorius. Nos autem dominatorem eum diximus, & dominum omnis creaturæ Christum, eundémque Deum simul & hominem. ] Vides quo sensu Damascenus, Christum esse Verbi diuini seruum neget. Itaque seruitus Christi secundùm humanam naturam, fundata in diuino dominio inabdicabili supra quæcunque potentialia omnibus diuinæ Triadis personis competente, non videtur in dubium reuocanda.

### *Quæ seruitus in testimonijs suprà in contrarium adductis, Christo negetur*

176 Nec difficilè erit enodare quæ in contrarium sunt adducta initio capitis. Adrianus enim Pontifex, & Synodus Francofordiensis, cum tantoperè detestantur Christi seruitutem, intelligunt seruitutem in sensu Nestoriano, qualem vt proximè diximus retulit & damnauit S. Damascenus: damnauítque etiam S. Cyrillus anathematismo 6. verbis illis. [ Si quis Verbum quod ex Deo Patre est, Deum ac dominum Christi esse dicit, & non magis illum eundem confitetur esse Deum simul & hominem, anathema sit. ] Et cum Theodoretus Nestorianus, saltémque S. Cyrilli aduersarius, huic anathematismo obiecisset, pleraque scripturæ loca in quibus Christus, Dei seruus appellatur; respondet S. Cyrillus, siquis Christum appellet seruum, non decere offendi proper voces SS. Prophetarum quibus serui nomine est mancupatus. Cauendum tamen esse monet, ne Christus seruus dicatur, eo sensu quo Nestorius Christum seruum, & Verbum eius Dominum appellabat; cum dicebat Verbum esse Deum Christi, addébatque [ Erat ipse & infans & infantis Dominus. ] Quibus verbis hanc glossam subiicit S. Cyrillus. [ Hos illius sermones nos non solùm indecorè, sed & impiè dictos asserimus. Nam si Deus est Christi, Verbum quod ex Deo Patre est, duo vtique erunt modis omnibus & incunctanter. Quomodò autem intelligitur ipse infans, & infantis Dominus? Non igitur dicetur suimetipsius Deus ac Dominus Emmanuel, quandoquidem ipse idem simul est Deus ac homo; eo quod Verbum Dei, homo factum & incarnatum est. Quia autem Deitas aliud quiddam est secundum suam naturam, aliud autem secundum naturam suam humanitas, quomodò quis vacillarit? Veruntamen vnus est Christus, ex duabus Deitatis & humanitatis naturis, secundum dispensatinam vnitatem. ] Manifestissimum ex his verbis est, S. Cyrillum nihil minùs cogitasse, quàm de abroganda seruitute Christi secundum humanam naturam, salua vtriusque natura vnica hypostasi: sed tantùm voluisse negare eam seruitutem Christi ad Verbum, quæ hominis & Verbi duplicem personam inuehebat, qualem in Christo seruitutem respectu Verbi admittebat Nestorius, & Nestorianismi instauratores Elipandus & Felix, in quos Adrianus & Synodus Francofordiensis calámum strinxerunt, iis epistolis quibus Christi adoptionem & seruitutem exsciderunt.

177 Addere liceret alios modos, quibus Christus iure à Patribus negari potest esse seruus: vt quod non esset, nec esse posset seruus peccati & Dæmonis, è qua seruitute turpissima simul, & ærumnosissima, Christus humanum genus eripuit. Et hanc seruitutem non omisit S. Damascenus cap. illo 21. cum dixit, Christum qui nos in libertatem vindicauit, non esse seruum habendum. Sicut enim Christus non depulit eam hominis seruitutem quæ respondet dominio diuino inabdicabili, & fundatur in humanæ naturæ potentialitate ac dependentia à Deo; eam verò duntaxat libertatem contulit homini quæ est libertas Christiana & quasi ciuilis supernaturaliter: ita ipse seruitutem peccati nunquam seruiuit, & solus fuit inter mortuos liber. Eam tamen seruitutem quæ Deum habet prò termino, & fundatur in naturæ humanæ conditione, non possumus saltuo iure diuini dominij pleni negare Christo secundùm humanam naturam. Alia item seruitus quæ negari Christo debet, ea est quæ excludit imperium summum, & dominatum Christi in omnia, de quo postea. Vt taceam seruitutem ciuilem, & ingenuitatis exclusionem, quæ non vocatur in controuersiam quoad Christum. Item neganda est Christo seruitus quoad externam tractationem. Qua ratione filius Principis, tametsi verè Principi seruit & subiacet, & ab eo morte quoque plecti potest si in patrem delinquat: at tamen non habetur vt seruus, seu vt vassallus, quia est filius: quod sufficit vt negari possit esse seruus, nempe externa tractatione, quia *liberi sunt filij*, vt dicitur Matth. 17. De his seruitutibus agere interdum videntur, Adrianus & Synodus Francò-

fordienſis, & nonnulli Patres cum Chriſti ſeruitutem inficiantur, argumentantes ex pleno Chriſti in omnia dominio à Patre collato, & ex libertate qua Chriſtus nos liberauit: quibus argumentis eæ quas hîc propoſui ſeruitutes oppugnantur. Verùm quod Patres illi etiam his argumentis præcipuè intendunt, eſt excluſio ſeruitutis Neſtorianæ, cum qua illæ aliæ ſeruitutes nectuntur tanquam infœlices ſtolones mali trunci, quibus ſuccidendis appetitur quoque (indirectè ſaltem & obliquè) ſeruitus Neſtoriana. Nam ſi proprietas aliquid inſeparabiliter affectans conuellitur, perſpicuum eſt radicem illius proprietatis, vnâ tentari. Nihil ergo eſt in teſtimoniis quæ contra Chriſti ſeruitutem proferebantur, quod non commodè & facilè expediatur.

### *Ad rationes contra Chriſti ſeruitutem.*

178 Argumenta item à ratione quæ initio ſunt propoſita, nullo negotio diſſolui poſſunt. Primum quod nititur eſſentiali diuinæ Verbi perſonæ immunitate à ſubiectione & ſeruitute, nullius planè eſt momenti. Neque enim contendimus diuinam Chriſti perſonam ſeruituti mancipare, quæ eſt Arriana blaſphemia: ſed profitemur diuinam perſonam in humanitate ſubſiſtentem, ſicut in ea verè paſſam & mortuam, ita & ſeruam. Quod eſt dicere, totum ſubiectum ſeruitutis æquè ac paſſionis & mortis, eſſe humanitatem, etiamſi propter vnionem, denominatio à forma in humanitate recepta, refundatur in perſonam; quod abſque vllo perſonæ probro ac dedecore præſtatur, quia attributum non cadit in perſonam ratione ſui, ac prout ſubſiſtit in natura ſua; ſed tantùm ratione naturæ extraneæ, per vnionem adiunctæ Verbo. Itaque tota depreſſio quæ huiuſmodi attributis inuehitur, ſiſtit in natura, cuius ea prædicata ſunt propria. Idque credidetim voluiſſe Nazianzenum, vt ex eo refert Nicetas lib. 3. theſau. cap. 38. num. 5. & Cyrillum lib. de S. Trinit. cap. 25. cum dicunt, humanitatem Chriſti ſeruam dici poſſe, ſi fiat per mentem præciſio à Verbo. Eaque ratione ait Cyrillus, Chriſtum dixiſſe Patrem, Deum ſuum. Non labimur ergo, ſi ipſummet Chriſtum ſecuti, habita ratione naturæ humanæ, eaque ſola in Chriſto ſpectata, dicamus illum fuiſſe Dei ſeruum, & Deum eſſe Chriſti Deum ac Dominum.

Altera ratio contra Chriſti ſeruitutem, eſt etiam debilior. Ex eo enim quod Chriſtus admittatur ad diuinorum bonorum communicationem, inferebant aduerſarij, Chriſtum non eſſe Dei ſeruum. Sed eſt inanis collectio. Nihil enim vetat, Dominum velle ad bonorum ſuorum communicationem admittere ſeruum, ſaluo iure dominij in eum: ſicut Apoſtoli titulo amicitiæ admiſſi à Chriſto ſunt ad arcanorum & conciliorum participationem. Neque tamen deſierunt Apoſtoli Chriſto ſubeſſe, iis titulis quos inferiùs proponemus. Beati quoque admittuntur ad communicationem diuinorum bonorum. Idcirco enim dicuntur *hæredes Dei*: neque tamen quiſpiam ſubduxerit beatos diuino dominio. Igitur is quoque quorum ſunt cohæredes, quamuis primarius hæres ſit, & omnia Dei bona ipſumque Deum poſſideat, non deſinet eſſe ſeruus Dei in natura ſua humana, ea ſeruitute ac ſubiectione ad Deum, quæ in potentialitate humanitatis, & ſupremo Dei in omnia creata dominio fundatur.

### *Chriſtus ſeruus noſter, quanto magis Dei?*

179 Eſt itaque Chriſtus in humanitate ſeruus Dei. Nec id mirum videri debet, quod is ſeruire Deo ſtatuatur, qui ſeruorum ſuorum præ charitate nimia qua dilexit nos, ſeruus eſt factus. Egregiè ita monuit S. Hieronymus, in fronte epiſtolæ ad Titum. Expendens enim titulum quo ſe D. Paulus inſignit, nempe *ſerui Dei*, præfatus hanc eſſe nobilem ſeruitutem qua multos ſanctos Deo ſeruiiſſe demonſtrat, ſubdit. [Nec mirum quamuis Sanctos homines, tamen Dei ſeruos nobiliter appellari: cum per Eſaiam prophetam Pater loquatur ad Filium, *magnum tibi eſt vocarite puerum meum*: quod Græcè dicitur μέγα σόι ἐστι τὸ κληθῆναι σε παῖδα μοῦ *Puer* autem hoc eſt, παῖς quia poteſt ſecundùm Græcos & *famulum* & *filium* ſignificare: in Hebræo quæſiuimus, & inuenimus, non *filium meum* ſcriptum eſſe, ſed *ſeruum meum, haudi*. Vnde & Abdias Propheta, qui interpretatur *Seruus Domini*, ex famulatu Dei nomen accepit. Si moueat quempiam, Dominum Saluatorem qui vniuerſitatis eſt conditor, *Seruum Dei* dici; non mouebitur, ſi ipſum ad Apoſtolos audiet loquentem; *Qui voluerit inter vos eſſe maior, ſit omnium Seruus.* Et *filius hominis venit, non vt miniſtraretur ſibi, ſed vt miniſtraret.* Quod ne docere tantum verbis videretur, monſtrauit exemplo. Aſſumpto quippe linteo, accinxit ſe: & aquâ peluim replens, diſcipulorum pedes lauit. Non eſt itaque impium credere, eum qui formam ſerui aſſumpſerat, hæc feciſſe quæ ſerui ſunt: vt paternæ voluntati ſeruiſſe dicatur, cum ſeruis ſuis ipſe ſeruierit.]

Guerricus item optimè ſerm. 1. de dom. in Ramis palm. *initio*. [Sed parum tibi videatur, quod cum eſſet filius, & coæqualis, tanquam ſeruus ſeruiuit patri, ſi non & ſeruo ſuo pluſquàm ſeruus ſeruiuit. Factus quidem erat homo, vt ſeruiret creatori. Et quid iuſtiùs quàm vt ſeruias illi à quo creatus es, ſine quo nec eſſe potes? Et quid beatis aut ſublimius, quàm ſeruire illi, cui ſeruire regnare eſt; Non Seruiam, (inquit) creatqui. Ego igitur Seruiam tibi, inquit creator homini. Tu recumbe, ego miniſtrabo, ego tibi pedes lauabo. Tu quieſce, ego languores tuos feram, & infirmitates portabo. Vtere me vt libet in omni neceſſitate tua, non modo vt ſeruo tuo, ſed etiam vt iumento tuo, vt peculio tuo. Si fatigaris, aut oneratus es, ego te & onus tuum feram, vt legem meam primus impleam. *Alter*, inquit, *alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Si eſuris, aut ſitis, & ad manum forte nihil melius habeas nec

nec alter tibi vitulus æquè saginatus præsto est; ecce ego paratus immolari, vt carnes meas comedas, & sanguinem bibas. Nec verearis ex morte serui damna seruitij eius pati, etiam comestus & bibitus, manebo tibi integer, & viuus, seruiamque vt priùs. Si in captiuitatem ductus, aut venundatus es, ecce vende me, téque pretio mei, vel me ipso pretio redime. Vile quidem mancipium videor, sed & si noctu & clanculò distrahar quasi res furtiua; & si ab auarissimis Iudæorum Sacerdotibus emar, attamen saltem triginta argenteos appretiari potero. Hoc pretio mei, poterit emi sepultura peregrinorum, mei pretio vita sepultorum. Si infirmari & mori times, ego moriar pro te, vt de sanguine meo tibi conficias medicamenta vitæ. Euge serue bone & fidelis; Seruisti reuera, seruisti in omni fide & veritate; seruisti in omni patientia & longanimitate. Non tepidè, qui exultasti, vt gigas ad currendam viam obedientiæ; non fictè, qui etiam animam post tot & tantos labores semper impendisti, non murmurosè qui innocens flagellatus, nec os aperuisti.]

### *Vsus Doctrinæ.*

180 [O detestabilem (exclamat idem Guericus serm. 1. de Dom. in Ramis Palm.) superbiam hominis, seruire contemnitis, quæ alio exemplo non poterat humiliari, nisi seruitute, & tali seruitute Domini sui. Et vtinam vel sic posset; vtinam vel nunc habeat & referat gratiam, tantæ humilitati ac bonitati.]

Præclarum Hilarij Diaconi monitum, dignum est quod iis subtexatur. Expendit illud Apostoli Hebr. 1. *cui dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu*, subuertionémque humanitatis ad Deum, & Dei cum humanitate copulationem, in verbis illis obseruat, tum subdit. [Hæc verò ad salutis nostræ exempla referamus. Si enim ipse cum Deus esset & docuimus, vt Dei filius, non respuit formam serui suscipere, multo ampliùs nos oportet cuncta perficere quæ iussa sunt nobis, & humilia quæque tolerare.] Si inquam ille naturâ filius, seruire Deo, vt est apud Isaiam, magnum & gloriosum ducit, ne indecoram censeamus homini obedientiam quæ Deum decuit, vt scitè Euchetius dixit. Glorioßissimum dicamus, Dei seruos audire. Nam & immensa gloria est hæc seruitus, ait D. Hieronymus in psal. 133. sic glossans illud *omnes serui Domini*, postquam distinxit seruos Domini à seruis peccati. [Putamus parum esse quod dicitur; *Ego seruus Domini sum.* Summa virtus est hoc mereri. Quomodò? Quasi dignitatem vendicat, qui dicit: *Ego seruus Imperatoris sum*, & nemo audet accedere ad seruum Domini. Vnde & Apostolus de seruitute Domini gloriatur, & scribit in principio Epistolarum suarum: *Paulus seruus Christi.* Et de Moyse dicitur: *Et non sicut Moyses famulus meus, cui locutus sum facie ad faciem.*] Et iuxta S. Basilium ad illud psalmi 33. *In Domino laudabitur anima mea*, quamuis alij alia captent argumenta gloriæ & laudis. [Tamen in hoc glorietur qui gloriatur, quod intelligit & cognoscit Dominum Deum suum. Vides quomodo Apostolus cooperarios Euangelij laudet? *Qui est*, (inquit,) *conseruus & minister vester in Domino.* Si quis autem ob corporis elegantiam, decusque, aut ob acceptam à parentibus claritatem generis laudatur, non in Domino laudatur anima eius. Sed quisquis talis est, in magna constituitur vanitate. Non enim artes illæ quæ mediæ sunt & indifferentis naturæ, veram habent laudem. Gubernatores aut medici, aut oratores, aut architecti ciuitates ædificantes, vel pyramides seu labyrinthos; quique sumptu ingenti substructiones ædificiorum apparent, ædiumve superbam molem. Nam qui ob eiusmodi laudantur, non in Domino suam habent animam. Satis est nobis ad omnem dignitatem & nostri existimationem, talis Domini seruos censeri. Etenim qui Regi cuipiam subseruit, nónne tandem is sibi mirè placebit, quod in ordinem ascitus sit tanti istius famulitij? Qui verò in seruorum Dei dignationem venerit, aliunde laudem exquiret? ac si ad omnis excellentiam gloriæ & nobilitatis, hæc appellatio non satis esset.] Benè ac plenè de serui Dei dignitate, disserit S. Chrysostomus homil. 8. in ad Ephes. (Obiter sed benè Prosper in calce psalmi 42. Ambrosius in Exortatione ad castitatem *initio*, cum de S. Vitale, & Philo l. de Cherubin, cuius his paucis verbis id obsigno. [Nihil purificatam mentem maiori afficit lætitia, quam quod Dominum habet, quem agnoscit Regem rerum omnium. Nam seruire Deo maxima est gloriatio, non modo libertate maior, sed & diuitiis, & principatu, & omnibus rebus quas mortales mirantur, pretiosior.]

181 Meritò itaque Clemens Alexandrinus sub finem præcept. tractans domini quærelas expressas Isaiæ 1. concludit. [Volo vos rogare, an non vobis videtur absurdum, vos ipsos qui estis Dei figmentum, & ab ipso animam accepistis, & omnino Dei estis, alij seruire Domino, & præterea colere quidem pro Rege Tyrannum, pro bono autem malum? Quis enim, (ô per veritatem) sanæ mentis, bonum relinquens versatur cum vitio? Quis est autem qui Deum fugiens viuit vnà cum Dæmoniis? Quis autem cum possit esse Dei filius, delectatur seruitute? Aut quis cum cœli possit esse ciuis. Erebum persequitur, cum ei liceat colere paradisum, & cœlum circum circa obire, vitalisque est puri esse fontis particeps. Ne ergo, ne euadamus mancipia, neque porcis efficiamur similes.] Atque adeò affectemus, & studiosè quæramus, esse serui Dei: sed & nos Deus ad eam prærogatiuâ admittat, caueamus esse homines fuilli, [ne erubescat Deus (verba sunt S. Chrysostomi hom. 24. in ad Hebr.) vocari noster Deus. Pudor est enim ipsi, quando vocatur malorum Deus, & ipsum eorum pudet: sicut glorificatur, quando bonorum & proborum, & virtutem colentium. Si enim nos recusamus vocari Domini malorum nostrorum seruorum, & eos dimittimus; Et si quis accedens dixerit, hic vel ille, mala facit innumerabilia; numquid est seruus tuus? Statim dicimus Nequaquam; probrum propulsantes: Est enim seruo ad Dominum habitudo, & relatio: ignominia ab illo ad hunc transit. Sed illi (*veteres Patriarcha*) erant adeò præclari, & tanta pleni fiducia, vt non solùm non erubescerent ex illis

vocari, sed etiam de se diceret; *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.*] Tales admittit Deus, lubens in seruos; cæterorum, pudet illum, nec eos agnoscit pro seruis suis, quantumcunque tales habeantur, & audiant *serui Dei.*

Non itaque quotquot eo titulo gloriantur, sunt reuera quod profitentur, vt S. Hilarius in psal. 118. ad illud *seruus tuus sum ego* rectè annotauit, sic scribens. [Nemo nostrum est, qui non vel in orationis suæ prece, vel in communium sermonum consuetudine, seruum se esse Dei fateatur. Et quid magnum Propheta fecit, seruum se profitendo, quod nullus ausus sit denegare? Sed professio cæterorum, fallax est: quæ cum habeat conscientiæ necessitatem, non habet tamen confessionis veritatem. Proprium hoc Prophetæ est, vt se seruum Dei profiteatur, in omni vitæ genere famulatu conditionis suæ fungens: siue ambulans, siue vigilans, siue dormiens; in cibo etiam atque ieiuniis, Deo aut esuriat, aut saturus sit; & nullo in tempore à seruitutis suæ officiis absistat. Hîc liberè dicit: *Seruus tuus, sum ego.* At verò qui stupris dormit, latrociniis vigilat, quæstibus peregrinatur, luxui requieuit, si dicat seruus tuus sum, profitetur quidem quod est, sed quod non est, agit.]

## CAPVT VI.

### *Christus, noua Dei creatura.*

HVNC titulum Christo tribuit, & latè explicat Rupertus toto l. 1. de operibus Spiritus sancti. An rectè & quorsum, inuestigandum est sed illud inprimis excutiendo, an Christus in bono sensu, *creatura* dici possit. Non paucis enim, huiusmodi locutio, vel erroris, vel periculi plena est visa. Sed distinctio adhibita, rem hanc facilè componet.

### *Christus, quatenus creatura.*

Si igitur Christus sumatur quâ Verbum in diuinitate subsistens, sic extra controuersiam est, Christum non esse creaturam. Idque vnum volunt plerique Patres in disputationibus contra Arrianos, cum negant Christum esse creaturam. Diligenter id versat S. Ambrosius epist. 26. & l. 1. de fide c. 6. & 7. & eiusdem operis l. 3. c. 4. Sed toties ibidem ingeminat Christum in natura humana esse creatum, & creaturam Dei, vt planè ex oculatos esse oporteat qui illam enunciationem, *Christus est creatura*, vocant in suspicionem; si *Christus* in ea enunciatione non sumatur quâ Verbum in Deitate sola subsistens, sed quatenus homo. Verè enim sub ea ratione, est creatura. Non quod persona diuina quæ in humanitate subsistit, sit creatura, sed quod habens eam humanitatem, contineat aliquid quod est verè creatura. Et quia illud *habens*, & humanitas *quâ habetur*, in concreto seu personaliter sunt vnum; iure illud vnum ratione vnius extremi ad illud concurrentis, dicitur creatum. Æque ac ob similem causam, dicitur passum, & mortuum. Quæ est D. Hieronymi ratiocinatio in c. 2. ad Ephes. ad illud *ipsius enim factura sumus.* Sic enim de Christo scribit. [Nos liberè proclamamus, non esse periculum, eum dicere creaturam, quem vermem & hominem, & crucifixum, & maledictionem, tota spei nostræ fiducia confitemur.]

190 Similiter Gregorius Nyssenus l. de fide ad simplicium. [Quemadmodum cum Verbum sit, propter nos caro factus est; & Deus cum sit, homo factus est: ita creator cum sit, propter nos Creatura factus est, quippe cum caro res creata sit. Quemadmodum igitur per Prophetam dixit, *Sic dicit Dominus, qui formauit me ex ventre seruum suum*; ita etiam dixit illud per Salomonem; *Dominus creauit me principium viarum suarum ad opera sua.* Omnis enim creatura seruit, vt inquit Apostolus. Proinde & is, qui in ventre Virginis formatus est, secundùm verbum Prophetæ, seruus est; non Dominus: hoc est, is qui secundùm carnem homo est: in quo Deus manifestatus est; & is qui illic creatus est: in principium viarum eius, non Deus est, sed homo: in quo nobis Deus manifestus est, vt corrupta ac labefactata via salutis humanæ, iterum renouaretur. Itaque quoniam res duas de Christo statuimus & sentimus, vnum quidem diuinum, alterum verò humanum; in natura quidem diuinum, in administratione ac dispensatione id quod secundùm hominem est: consequenter sempiternum Deitatis attestamur, creatum verò naturæ humanæ assignamus. Quemadmodum enim secundùm Prophetam, in ventre formatus est seruus, ita etiam secundùm Salomonem, per hanc seruilem creaturam, in carne manifestatus est.] Fulgentius idem latè & disertè habet l. de decem obiectionibus Arrianorum ad 3. Vix tamen necesse est monere, cauendum esse ne cum Christus spectatur vt subsistens in humanitate, prædictum illud *creatura*, cadat per se & illectè in suppositum; non iam diuinum qui erat sensus Arrianorum iam explosus, sed humanum & à diuino diuersum; hîc enim fuit sensus Nestorianorum, qui subsistens in humanitate vocabant *creaturam*, in geminarent in Christo suppositum. Proptereaque Capreolus Episcopus Carthag. Epistola contra Nestorianos *ad finem*, cum dixisset verba illa Christi tertiùm *ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, geminam Christi naturam designare; & primum quidem membrum illius sententiæ, pertinere ad Vnigenitum filium; secundùm verò ad hominem factum subdit quasi corrigens hoc postremum Verbum; [Sed in Christo Iesu nec homo creatus potest dici, nec filius, nec vnigenitus Deus, negari homo potest natus.] Nimirum in sensu Nestoriano, negat posse dici Christum hominem factum, siue creatum; hoc est ita vt Christus priùs tempore sit creatus, postea verò per solum affectum copulatus sic Deo sintque proinde in eo duæ personæ. Hoc Capreolus meritò negat dici posse, quia cum aduersus Nestorianos scriberet, videbat eum esse Nestorianorum sensum peruersum atque blasphemum. Absolutè tamen Christum dici posse factum, siue creatum, ratione humanitatis non est inficiatus Capreolus. Imo immediatè ante id admittit, vt retuli. Alterutro autem prælo-

posito

positorum modorum, hoc est in sensu Arrianis aut Nestorianis contrario, accipienda sunt quæ Vald. t. 1. l. 1. doctor. cap. 41. à num. 6. ex variis Patribus contra Vvicleffum profert, vt probet, Christum non esse creaturam : admittens tamen alios Patres Christum vocasse creaturam, in sensu à nobis proposito, cui & ipse ibidem subscribit n. 8.

### *Noua creaturæ titulus Christo adscriptus, quo sensu.*

191 Sic constituta veritate & puritate enunciationis illius, *Christus est creatura* disquirendum sequitur, an & quo sensu, Christus dictus sit noua creatura. Non probo nouam interpretationem à Ludouico la Cerda primùm cusam cap. 105. Aduersar. Sacrorum numer. 4. existimante, in Scriptura *creaturæ* nomen, pro *Principe* ac *Rege* vsurpari. Quod probat ex 1. Petri 2. vbi Apostolus monet fideles, vt essent *subiecti omni humanæ creaturæ propter Deum*. Et eam humanam creaturam cui subiiciendi essent exponens, addit *siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis*. Vbi Beda, *omni humanæ creaturæ*, dicit, *omni dignitati hominum* omni personæ, omni principatui, cui nos diuina dispositio subdi voluerit. Hinc ergo colligit prædictus Autor, *creaturam* sonare potestatem. Rationem tangit Stapleton. lib. 1. de Magnitud. Rom. Eccles. c. 1. quia in Græco est κτίσις creatio. Vnde innuitur ea voce, principes temporales esse ex humana creatione, ea transfusa in eos potestate per consensum populorum. Ita hi autores, & Cornelius ad locum Petri propositum. Qua ratione Christus dici posset *noua creatura*, quia est noua potestas, & nouus Rex vniuersi nouo modo, nec ab hominibus, sed à Deo. Vocatur quidem à Michea cap. 4. *potestas prima* quo loco describens Christi aduentum in Bethleem, & demiratus quo nostri causa demittenda esset tanta maiestas, ait; *Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion vsque ad te veniet potestas prima*: id est Christus Rex æternus, interprete Palerio. Sed quæ erat ratione Verbi diuini potestas prima, facta est ratione humanitatis assumptæ in qua imperat & regnat, potestas temporalis & noua. Hæc, si *creaturæ* notio quam retuli vera esset dicerentur sanè non improbabiliter. Sed acumen illud interpretationis nouæ, nec Apostolorum Principi cum ita loqueretur, nec Bedæ expositori, aut vlli alij antiquorum in mentem venisse, adducor vt credam, qui videam perinde fuisse dicere *subditi estote omni humanæ creaturæ*, ac si dictum fuisset, *subijcimini omni homini*; nempe *cui subijci debeatis*, siue Regi siue Duci. Illico enim vniuersalis locutio determinatur ad omnem hominem cui vis sit imperare, siue Regi, siue Ducibus. Quem modum loquendi, passim quoque vsurpamus, hortantes subditos vt pareant omnibus hominibus, vtique qui iure præsunt. Neque tamen iure idcirco est argumentandum, *hominem* qui in ea loquendi forma pro subiecta materia significat præfectum, ac superiorem, sonare simpliciter superiorem, eamque esse vocis illius notionem. Quare alio recurrendum est, vt monstremus, qua ratione Christus dictus sit *noua creatura*.

### *Expensus locus Ieremiæ, de nouo creato super terram.*

192 Insinuatur ea locutio in nonnullis Scripturis, vt Ierem. 31. verbis illis, *nouum creabit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum*. Quem locum frustra Catholici quidam malè consulti, aliò auertunt. Nempe vel ad Iuditham, quam aiunt circumdedisse Holofernem & occidisse, hocque esse nouum illud quod fecit Dominus super terram: vel ad synagogam, quam aiunt expressam *fœminæ* nomine, & prænunciatam, Christo viro suo adhæsuram. Hæc dico frustra proferri. Non enim cædes Holofernis, dici potest circumdatio viri per fœminam. Vt quid enim? Incubuit sanè in iacentem armata pugione Iuditha; sed hoc non est circumdare, vt videtur per se manifestum. Sed neque nouum est, fœminam occidere virum : vt propterea dicendum fuerit, Deum creasse nouum super terram. Multæ enim (quod latè prosequitur Adrianus Finus lib. 2. flagelli cap. 4. hanc loci huius Ieremiæ peruersionem refellens, multæ inquam, & quidem vt Finus contendit, multo generosiùs & fortiùs quàm Iuditha, viros ante eam cæciderant. Vnde non potest Holofernis cædes, dici esse nouum illud quod Dominus creauit. Sed neque Synagoga, Deum tanquam fœmina virum circumdans; id est ei adhærens, dici potest nouum illud quod Dominus super terram creauit, vt Oleaster canone 4. præambulari in Genesim, est interpretatus. Nam iampridem ad Deum aliquoties reuersa erat synagoga; eique adhæserat tanquam marito : vt proinde non posset ea reuersio & adhæsio, dici quod nouum. Neque verò causa propter quam Propheta nouum illud à Deo creatum memorat, rectè quadrat in eandem adhæsionem. Idcirco enim profert illud nouum Dei opus, vt suadeat Israëli, non esse vltra diffluendum deliciis : cuius rei argumentum est Christi aduentus, non autem adhæsio illa Synagogæ.

193 Quare dubitandum non est, quin Propheta per nouum quod creauit Dominus, intellexerit Christum, qui etiamnum infans matris vtero abditus, vir erat, & eodem iudicio ac sensu quo vir factus pollebat, vt propterea Clem. Alex. 1. pædag. cap. 5. Christum vocet *perfectum puerum*. Hunc virum circumdedit fœmina, quia aluo concluſum illum tenuit Deipara. Hoc enim esse fœminam circumdare virum, pulcherrimè tradit S. Bernardus hom. 2. super missus est. Non pauci Hebræi, referente Fino capite citato, non legunt *fœmina*, sed *virgo* : quod mirè consentit cum Christiana veritate. Neque enim alia vnquam virgo circumdedit ventre suo virum, præter B. Virginem, cum Christum circumdedit gestans vterum. Alij verò plerique Rabbini, tametsi fœminam virum circumdedisse ex Ieremia statuant, tamen æquè eum locum de Christo accipiunt & eius matre, vt videre est apud eundem Finum, & apud Hieronymum à S. Fide lib. 2. contra Iudæos cap. 4. Christiani verò

verò Doctores eandem loci Hieremiæ interpretationem vnanimiter tradunt, vt non sit necesse sigillatim quosdam proferre, sed tanquam ratum apud omnes ponere liceat, Christum dici eo loco, *nouum à Deo creatum super terram*, siue *nouam creaturam*.

### *Et locus Apostoli, de nouo homine secundùm Deum creato.*

194 In eandem sententiam, S. Hilarius 12. de Trinit. profert illud Apostoli Ephes. 4. *induite nouum hominem qui secundùm Deum creatus est*: hoc enim idem esse censet S. Hilarius, ac si dictum esset, *induimini Dominum Iesum Christum*; indéque docet, filium Dei in homine, ac ex homine, esse facturam & creaturam. Eodem modo Apostolum intelligit creditus Anselmus in eum locum; sed optimè planè S. Hieronymus ibid. quem operæ pretium est adscribere. [Cum renouati fuerimus in Spiritu, qui nostri sensus & spiritus, tum induemur nouum hominem qui secundùm Deum creatus est. Quod quidem aliis verbis idipsum puto esse quod in alio loco dicitur; *Induite vos Christum Iesum*. Iste quippe est nouus homo, quo vniuersi credentes debemus indui atque vestiri. Quid enim in homine qui à Saluatore nostro assumptus, non nouum fuit? ] Et mox ponderans vim vocis *creatus*, inde colligit quantum quamque sublime sit, hoc nouum quod Dominus creauit super terram. [Considerandum (inquit,) quia *creatio* atque *conditio*, nunquam nisi in magnis operibus nominentur. Verbi causa, *mundus creatus est*; *vrbis condita est*: domus verò quamuis magna sit, ædificata potius dicitur, quàm condita vel creata. In magnis enim operibus atque facturis Verbum *creationis* assumitur. Ex quo animaduertendum, istum nouum hominem, qui iuxta Deum in Christo creatus est; magnum Dei opus esse dicatur, vt mundus & initium viarum Dei, & in exordio elementorum omnium sit creatus.]

### *Quomodò Christus noua creatura, si Deus primo Sabatho, cessauit ab vniuerso opere creationis.*

195 Est igitur apertè Christus, iuxta modum quoque loquendi Scripturarum, *noua creatura*. Nec est quod quis obiiciat, Christum productum esse in fine sæculorum; Deum autem à creando cessasse die septimo. Hoc si quis opponat, respondet Rupertus lib. 1. de oper. Spiritus sancti cap. 2. personam quæ requieuisse dicitur in mundi principio, esse Deum Patrem, naturæ conditorem. Esse verò Spiritum sanctum, qui creationem & molitionem nouæ huius creaturæ, executus est Christus enim conceptus est de Spiritu sancto. Verùm cum opera ad extra sint toti Sanctissimæ Trinitati communia; perspicuum est, eam Ruperti doctrinam non posse subsistere. Facilè tamen erit, difficultatem propositam elidere cum Sanct. Thoma 1. p. q. 73. art. 1. ad 3. annuente S. Bonauentura in 2. d. 15. *dub. 4. circa literam* dicendo tatenus Christum de nouo conditum esse, absque temeratione veritatis illius, qua dicitur Deum post primum dierum senarium quieuisse à creando, quia Christus cum sit homo sicut nos sumus, non est aliquid omnino nouum. Ea autem Dei quies in eo sita est, quod Deus à primo dierum senario, nihil produxerit planè nouum, quódque aliquo modo non præextitisset iuxta illud Eccles. 1. *nihil sub Sole nouum, Iam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos*. Additque D. Bonauentura, Deum post sex primos dies nihil creasse, aut per se ipsum produxisse, necessarium ad perfectionem & complementum vniuersi. At Christus supra totum naturæ ordinem erat, & vniuersi naturalem completionem longè excedebat. Quam doctrinam aliis verbis tradit, genetatim ad hanc difficultatem respondens Suarez lib. 2. Cosmop. cap. 11. num. 6. simplicissimè verò dici potest, Deum quieuisse ab vniuerso opere quod patrarat, siue cessasse à prima productione rerum, non abrogatâ sibi facultate nouum aliquid creandi cum libueret: vt patet ex animarum nouâ in dies singulos creatione. [Sed quia ordo rerum hunc fixum habuit statum,] vt ex Aristobulo eam Dei à creando cessationem exponit Eusebius lib. 13. de præpar. cap. 7. & pulchrè S. Augustinus serm. 15. ex 40. nouis.

Quando autem huc deuenimus, nolo omittere perelegantem Ruperti considerationem de Christo, prima simul creaturâ verò sabbatho Deique in eo quiete ab operibus. Nam quæ de Christo, sabbatho mystico superiùs sunt dicta cap. 4. alio referebantur. Rupertus ergo sic in rem nostram disserit lib. 2. in Regulam Sancti Benedicti cap. 4. [Quia vesperam sabathi cum sequenti mane, id est cum prima sabathi coniungit Ecclesia Sancta in vnam festiuitatem Iesu Christi, opportunè per studium meditationis illud recolimus, quia secundùm hanc similitudinem, sabathum Dei, id est Verbum vel Sapientia Dei, in vnam conuenit personam cum vera humanitate eiusdem Verbi. Et hæc, scilicet humanitas illius, glorificata gloria resurrectionis, eidem Deo Patri, prima est sabbethi, id est præcipua causa vel materia requietionis atque delectamenti, quia sicut scriptum est, *lætabitur Dominus in operibus suis*. Nihil enim Deus tale vnquam fecit inter cætera opera quæ dignatus est operari. Et erant quidem valde bona, sed nihil tale, vt est humanitas coniuncta Verbo in vnitate personæ. Similitudinem sume de cythara, quoniam huic dixit patet, *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara*. Etenim citharæ antiquitùs octo chordis fiebant. Octaua autem chorda, eadem est quæ prima, nisi quod altiùs resonat, sono quem disciplina Musicæ artis *diapason* nuncupat. Igitur quemadmodum in hac symphonia quæ *diapason* dicitur nulla chorda siue vox præter octauam, eadem est quæ prima; ita in vniuersitate creaturæ quæ sex diebus peracta est, nihil est illi diei, qui (vt iam supra dictum est) naturâ primus, numero autem est septimus, nihil inquam illi diei, illi Verbo, vel Sapientiæ Dei, ità est vel esse debet coniunctum, vt iste vnicus homo Deus & Saluator hominum, Deus & Imperator Angelorum. Et omnes quidem chordæ benè resonant. Omnia enim opera sex die primo

dierum, valdè bona sunt: Sed ista chorda, cum prima & eadem est, & altera: Eadem secundùm personam, altera secundùm substantiam. Illud quoque perpulchrum est considerare, quia Sabbathum vel requies Domini, in Genesi vesperam non habet, in Euangelio autem habet; dicente diuino Euangelista, *vespere sabbathi*, quam ne penes præcedentem, sicut in eadem Genesi, cæterorum quemque dierum sua vespera præcedit, determinat sic dicendo; *quæ luxit in prima sabbathi*. Denique Verbum quod erat in principio apud Deum, secundùm se nullam vnquam habuit vesperam: Nam & ipsum potiùs est & erat ante omnia: Secundùm autem susceptum hominem, & vesperam habet & mane, sicut iam supra dictum est.] Alia in hanc rem prolata sunt superiùs tractando quomodò Christus sibi benè complacuerit in dilecto Filio. Quæ autem nunc adduximus eo pertinent, vt intelligatur quomodò ita Christus sit noua creatura, vt tamen in eo quieuerit, tanquam in Sabbatho suo. Ita igitur Deus in Christo sabbatizauit atque quieuit vt tamen Christus, sit noua Dei creatura.

### *Prima ratio Christum vocandi nouo creaturam, à tam multis in eo nouitatibus.*

His ita constitutis, superest inquirendum qua de causa Christus, *nouæ creaturæ* denominationem sortiatur. Quod primum in cogitationem incurrit, illud est, quòd à S. Hieronymo loco superiùs allegato traditur: nimirum meritò Christum dici *nouam creaturam*, quia omnia in eo noua & inusitata fuerunt. [Quid enim (inquit) in homine qui à Saluatore nostro assumptus est, non nouum fuit? Conceptus, natiuitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes. Hunc locum per immemoriam S. Hidelphonsus l. pro perpetua Deiparæ Virginitate, explicans nouum hoc Dei opificium, ad ducit tanquam S. Augustini scribentis in epistolam ad Ephesios: cum tamen nulla sit Augustini in eam epistolam lucubratio. Poteratamen proferri Augustinus serm. 5. de natali Domini quo loco ex tam nouo Christi conceptu & partu, probat Christum esse nouum quod creauit Dominus. Nec dissimiliter Autor sermonis de Natiu. Christi apud Cyprianum, qui præfatus noua mira pleraque in Christo cerni, propter quæ sit ipse nouum Dei opus, & noua creatura, subdit. [Nouum & inauditum quod in materni angustia vteri, circumdedit intra se fragilis caro virtutem altissimi; & ordinem rerum, cursúmque naturæ mutauit Sapientia Dei, & vbique diuinitas dilatata, plenitudinem sui, vasi infundens exiguo, sic est circumdata muliebri vtero, vt cum vniuersa ambiret implens omnia, excedens cuncta, intra se omnia continens; extra, vniuersa complectens.]

Gregorius item Nyssenus orat. 1. de resurr. Christum putat dictum *nouum hominem* à nouitate primæ & secundæ natiuitatis. Paulo explicatiùs S. Bernardus locum Hieremiæ supra propositum pertractans, cum expendisset difficultatem occurrentem in viri circumdatione per fœminam subdit. [Sed verto me ad conceptum partúmque virginalem, si fortè inter plurima noua ac mira, quæ ibi profectò inspicit qui diligenter inquirit, etiam hanc quam de Propheta protuli, reperiam nouitatem. Portò ibi agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas si attendas, potentiam regi, Sapientiam instrui, virtutem sustentari; Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem. Videas si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans. Cui iam illud quoque non occurrat quod quærebam?] quomodò scilicet Christus vir per fœminam circundatus, sit nouum à Deo creatum.

Vide an non iure tot nouitatibus vnâ adunatis, exclamarit Nazianz. orat. 38. [O nauam mixtionem! ô admirandam temperationem! Qui est, fit: qui creatus non est, creatur: qui nullo loco contineri potest, per interuentum animæ intellectualis, inter diuinitatem & carnis crassitiem, continetur. Qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur. Carnis enim meæ paupertatem subit, vt ego diuinitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur: Sua enim gloria, ad breue tempus exinanitur, vt ego plenitudinis ipsius particeps efficiar.] Hæc est prima & per se obuia, nouæ creaturæ in Christo notio, quam S. Diony. cap. 2. de diu. nom. part. 2. confirmasse visus est, vocans mysterium ortus Christi, *supereminentem nouitatibus omnibus nouitatem*.

### *Secunda ratio, quia procul à Christo vetustas.*

197 Nec illa alia, nouæ creaturæ notio respuenda est, quæ sæpè ab Apostolo insinuatur, nouam creaturam denominante eam quæ vetustatem à se abiecerit; id est interprete Niceta ad orat. 43. Nazianzeni, iis prauitatibus quas veternum naturæ à mundi prope exordio corruptæ, homini conserit ablegatis, nouum vitæ genus assumpserit. Quo in genere Christus Dominus, fuit nouitatis exemplar. Nihil enim in eo antiquæ corruptelæ locum habuit. Nulla ei siue parentalis, siue arbitraria adhæsit prauitas. Nouus vsquequaque & recens fuit. Nam nulla ei peccati rubigo, nullus situs obduci potuit; siue quoad maculam, siue quoad reatum. Quam esse in nobis vetustatem toties apud Apostolum improbatam, S. Thomas Roman. 6. lect. 2. annotauit. Qui etiam distinctiùs eam vetustatem declarat lect. 7. in c. 4. ad Ephes. verbis illis. [Homo vetus dicitur, tam miseriæ, quàm exterior, qui subiicitur vetustati quantum ad animam per peccatum, & quantum ad corpus, quia membra corporis sunt arma peccati. Et sic subiectus homo peccato, secundùm animam & corpus, dicitur vetus homo; secundùm quod illa vetusta sunt, quæ sunt in via corruptionis; vel in ipso corrumpi, quia *quod antiquatur & senescit, propè interitum est*, vt dicitur

citur Hebræorum 8. Et sic homo subiectus peccato, dicitur vetus, quia est in via corruptionis: propter quod subdit. *Qui corrumpitur secundum desideria erroris.* Nam vnumquodque corrumpitur, cum recedit ab origine naturæ suæ. Natura autem hominis est, vt desiderium eius tendat ad id quod est secundùm rationem. Perfectio autem & bonum rationis, est veritas. Quando ergo ratio tendit ad errorem, & desiderium ex hoc errore corrumpitur, tunc vetus homo dicitur.]

Omnis hæc vetustas, vt vides, quàm longissimè à Christo abfuit, fuitque proinde omni ratione nouus. Nam & corpus eius rationi perfectè subiacuit, & anima indeclinabiliter in bonum rationis tetendit, hæsitque in nouitate sibi consentanea. Qua de re plenè tractando Christi perfectiones cap. 4. Hac ex causa, Christum *nouam vitæ creaturam*, nominat Gregor. Nyss. lib. de perfecta Christiani forma. Videtur hanc Christi nouitatem designare S. Bernardus serm. 6. de vigil. Natiuit. Dom. cum ait, [hic nouus homo qui nullius vnquam vetustatis capax, etiam eos quorum inueterarunt omnia ossa, in veram vitæ transferat nouitatem.]

### *Ratio tertia, ab illata in orbem nouitate.*

198 Suggerit his postremis verbis S. Bernardus, aliam perpulchram & plerisque probatam nouitatis Christi notionem, quia Christus, *nouus, & noua creatura* dici potuit, quia nouitatem mundo intulit; omnia enim innouauit per gratiam. Quæ ratio denominandi Christum nouum hominem, atque adeo nouam creaturam, à D. Thoma profertur Ephes. 2. lect. 3. Hùcque spectat, quod de omnibus per Christum nouis, traditur 2. Cor. 5. vt interpretatur S. Chrysostomus hom. 11. in eam epistolam, his verbis. [Inueterati & senio confecti in malis; omnes erant, sed ecce omnia noua purificatum enim, & corpus nouum, & cultus nouus, & promissiones nouæ, & testamentum, & vita, & mensa, & stola, & in summa omnia noua. Etenim pro Hierusalem quæ infra, accepimus supernam Metropolim: & pro templo visibili, templum vidimus spirituale: pro lapideis tabulis, carneus pro circumcisione, baptisma: pro mana, corpus dominicum: pro aqua petræ, sanguinem à latere: pro virga Moysi vel Aaron, crucem; pro terra promissionis, regnum cælorum: pro innumeris Sacerdotibus, vnum Pontificem: pro agno irrationali, agnum spiritualem. Hæc & talia cogitans dicebat, *noua omnia*, hæc autem ex Deo per Christum, & dono illius.] Eodem modo quomodò omnia facta sint per Christum noua, exposuit S. Augustin. lib. de Cantico nouo cap. 1. sic glossans Apostolum. [*Vetera transierunt ecce facta sunt omnia noua.* Quæ vetera transierunt? quæ facta sunt noua? si adsit spiritualis auditor, non solùm intelligit verùmetiam videt quæ facta sunt noua. Si autem carnalis adsit, qui totum per oculos carnis, nihil per aciem mentis intelligit, itridens respondet; Rogo te, die, quæ facta sunt noua? Numquid aliud cœlum respicio, quàm anteà, aut sydera in nouum splendorem micantia? Nonne iisdem cursibus sol peragit diem, iisdémque curriculis, luna peragit noctem? Numquid mare terminos suos finésque transgressum est, aut terræ facies immutata, alia insolita germina procreauit? numquid sicut ex initio, horis duodecim peragitur dies, eisdemque crementis ætatis tempus, quibus detrimentis hyems peragitur? progenies quoque ipsa mortalium aliis decedentibus, aliis succedentibus terminatos finiunt dies. Quum ergo omnia sicut ex initio constituta sunt, ita concurrunt, suos motus finesque seruantia; quid est quod nobis prædicatur, *vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua?* Respondè ô Paule, talia de nobis requirenti, & quia minùs valeo ad respondendum, te obsecro respondè pro me. Ecce audi Apostolum; Quid quæris carnalis auditor per oculos carnis respicere? Erige mentis aciem, vt quod dicitur possis intelligere, *vetera transierunt, ecce facta sunt noua.* Quæ vetera transierunt, quæ facta sunt noua? *Primus homo,* (inquit,) *de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis;* Transit in Adam homo vetus factus ex limo, venit Christus Deus homo, missus è cœlo.]

Hìc est nouus dies quem fecit Dominus. Faciunt huc quæ de nouo die in quem Sanctus quisque suspirabat, scribit ad Psaltis mentem S. Ambrosius, exponens illud ex psal. 38. *Ecce mensurabiles* (ipse legit *veteres*) *posuisti dies meos.* Depulsa enim per Christum vetustate, sibi gratulatur quia [vetus dies præterit, nouus venit. Alius enim dies hominis; alius dies Christi, quem Abraham vidit, & gauisus est, de quo & Dauid ait: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Sanctus ergo, in die Domini exultat, in die nouo, in quo Deus Dominus illuxit nobis, & dedit nouum lucem, in innoxiam vitam & integram reformatis. Ideò vir iustus securus nouæ lucis & gratiæ Dei, *& erit,* (inquit,) *cœlum nouum & terra noua, & nouum lumen.* Non enim lucerna & lumen solis illic lucebit, aut lunæ: sed Dominus illuminabit super populum suum. Illa ergo desideraui illa exoptaui: & ideò diem hominis non requisiui.]

### *Christus idcirco dictus, vir spirituale.*

199 Hoc nouum lumen, & nouus hic dies terram efficit nouam. Quo retulerim quod S. Cyrillus lib. 3. glaphyr. in Exodum, Christum à nouitate in orbem inducta, & innouata spirituali terræ facie, appellat *ver* & adueniens eius vocat *mensem nouorum.* Sic enim scribit. [In primo mense, qui & *nouorum* appellatus est, cultus vmbratilis & typicus ferme cessauit, contractúsque est & è medio sublatus. Quomodò hoc? Illuxit enim nobis vnigeniti Dei filius humana specie, velut in mense nouissimo. Vnde & ipse dixit loquens: *Adsum, tanquam hora in montibus, & tanquam in mense nouarum frugum.* Sic & Ecclesiam ex gentibus compellauit dicens: *Surge, veni proxima mea, pulchra mea, columba mea, quia ecce hyems præterijt, & pluuia abiit, recessit sibi ipsi. Flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis aduenit.* Refloruimus enim in Christo ad vitæ nouitatem, & tempus aduentus, est quasi ver spirituale

nobis

nobis ostensum, cum floridam & fructuosam efficit hominis naturam.]

Sed distinctiùs hom. seu veriùs epistola 13. Pasch. [Nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, per quem omnes resloruimus ad incorruptionem & vitam. Venit namque; ad nos *tanquam ver in montibus*. Quid ita? Arbores nempe in montibus & hortis, densante ipsas hyeme, nec permittente humorem è radicibus vbertim ad superiora excurrere, exaresc unt propemodùm, fructibúsque, ac foliis vndique destituuntur. Cum autem ver appetit, ridetque anni tempus, cum sol feruidioribus radiis vniuersa excoquit, laxantur quæ priùs adstricta fuerant, & humore ex imis radicibus in omnes partes liberè diffluente, complentur succo rami, nouámque foliorum viriditatem expullulantes, illicò suis fructibus coronantur. Fuit igitur nobis tanquam ver in montibus Dominus noster Iesus Christus. Quod quidem nobis ex aliis quoque Sacræ Scripturæ locis conformare licet. Siquidem in Cantico Canticorum, sponsi persona inducitur, his verbis Ecclesiam veluti Sponsam suam compellantis; *veni amica mea, speciosa mea, columba mea, quia ecce hyems transiit, imber abiit, & a se recessit: Flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit.* Fuit præterea similis pedibus euangelizantis auditum pacis, euangelizantis bona.]

200 Non mihi tempero, quo minùs quæ alibi in hanc rem commentatur idem Cyrillus, insuper addam valdè quippe ad rem faciunt. Igitur lib. 4. in Ioan. cap. 28. exponens præceptum Exodi 40. latum, de exigendo tabernaculo in mense primo, in neomenia, sic scribit. [Neomenia nihil aliud denotat, quàm Saluatoris aduentum, quo renouamur, quo transactis iam priscis, omnia noua facta videmus. Nouum enim vere tempus in Christo nobis apparuit antiquitatem cultu iam terminans, & in nouam vitam Euangelica doctrina reformans, & peccatis inueteratos, in iuuentam iustitiæ redigens & corruptionis vires destruens, ac incorruptibilitatis fulgore omnes, qui ad eum concurrunt, rerum in modum exornans. Noua enim creatura efficitur, quisquis in Christo est, vt scribitur. Mense autem primo tabernaculum creatum est, quando mitigata hyemis sæuitia, verni temporis pulchritudo resplendet: quando solis radij & clariùs fulgent, & temperantiùs calefaciunt; quando floribus terra decoratur, & virescentibus herbis prata vestitur. Quæ omnia spiritualiter intelligenda sunt. Hyemis enim tempestas, id est atrocissima Diaboli tyrannis, & vires eius, tempore Christi ceciderunt. Sol autem nobis fulgentior, Christus ipse apparuit, de quo Deus Pater dicit; *& orietur vobis Sol Iustitiæ*, delictorum frigiditate corruptos, spiritus ardore ad Iustitiam reficiens. Flores autem & virescentes herbas, meritò Sanctos dicemus, feruenti erga Deum pietate varios virtutis fructus edentes. Et qui olim regnante peccato, vt in hyeme, nullum producentes fructum versabamur, fidei fructum, Spiritum largitori quasi bono agricolæ afferimus. Hoc ipsum quasi ex persona Christi, Prophetarum qui dam nos docuit: *ipse qui loquebar, adsum,* (inquit,) *vt ver super montes.* Quid enim in montibus ver efficiat, & nos tetigimus, & omnes intelligunt.] Habet idem ferè rursus lib. 10. de ador. *sub initium.* [Vbi eum notauit non carere mysteriò nouilunium subiungit [quod verum tempus efficit in montibus; illud idem in nobis Saluatoris nostri aduentus effecit, qui in ordine temporum quasi anno secundo fuit, non autem primo tempore, quo lex, & Prophetarum chorus vigebat, & quo mors dominabatur]: Regnauit enim ab Adam vsque ad Moysen. Igitur tanquam secundo anno, id est tempore quo illud primum, quo fuit lex, proximè consequitur, Ecclesia ex gentibus emicuit, quæ Christum inhabitantem habet, qui est legis ac Prophetarum finis.]

### *Expensus Isaias, de Christo vt hora in montibus, & vere nostro.*

201 Locus quem omnibus prædictis locis adducit S. Cyrillus, habetur Isaiæ 52. his apud vulgatum verbis. *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quàm pulchri super montes, pedes annuncians, & prædicantis pacem, annuncians bonum.* Illud, *quàm pulchri* 70. vertunt ὡραῖοι. Quæ vox, ambigua est. Nam si cum aspiratione scribatur, nunc *horam* significat, temporis inquam partem, diei artificialis duodecimam: nunc partem anni, præsertim vernum tempus, & metaphoricè pulchritudinem vnde ὡραῖον *pulchritudo*, & ἐξωραῖοι *quorum pulchritudo euanuit*. Si verò scribatur absque aspiratione, significat sollicitudinem ac curam, circa quam & in qua maturatione sit opus. Ob eam vocis ambiguitatem, factum est, vt Græci plerique, & multi antiquorum latinorum, adhærentes interpretationi 70. legant eum locum diuersimodè. Quidam, *adsum dum hora, est in montibus.* Ita Tertullianus lib. 4. in Marcio. cap. 13. Nonnulli *velut hora in montibus*, putantes alludi ad eos qui publica horologia curabant, & denunciandorum solemnium temporum curam habebant, quos Athenienfibus *gnomones* Persis *horas* dictos, scribit Cælius lib. 12. cap. 9. Apud Romanos id præstabat Censor, ex Gellio lib. 14. cap. 7. & Plinio lib. 7. cap. 60. Apostolis in Ecclesia id muneris à Christo datum, ideò horæ dici potuerunt, eóque alludi prædicto loco. Alij verterunt hoc modo, *sicut ver in montibus*, vt Cyrillus locis allegatis. Alij *tanquam maturitas in montibus*, vt S. Ambrosius epist. 11. quæ est ad Irenæum: qui tamen eam maturitatem accipit non pro maturatione & acceleratione, sed pro exclusione acerbitatis & acoris, ex qua fructus *maturos* denominamus. Nec multum abest quod Tertullianus lib. 5. in Marcio. cap. 5. legit *quàm maturi pedes*, & ibid. cap. 2. *quam tempestiui pedes*. Quæ tempestiuitas videtur recidere in illam aliam lectionem, quam iam ex eo retuli lib. 4. eiusdem operis cap. 13. nempe quæ aduentus opportunitatem sonat, non autem celeritatem. Et quia tempus veris est orbi valdè tempestiuum & opportunum post hybernos vigores, non immeritò dicitur Christus affuisse tanquam ver. Eamque lectionem S. Cyrillus, locis quæ signabam, est secutus.

Hoc est lacteum ver nostrum, Christus, ait

Gregor. Thaumat. orat. 1. de annunc. *initio*. Ver spirituale, ver animorum, ver inuisibile, quod Nazianz. orat. 43. *in ipso fine* proponit, & opponit mundano ac visibili, cuius perelegantem descriptionem exhibet. Quod si ea Dominica, quæ vt ibi Theologus latè disserit ver spirituale orbi inferebat; octaua inquam Paschæ, encœniis sacris destinata, dicebatur *noua Dominica*, multò magis Christus innouans faciem terræ emisso in eam vitæ Spiritu, & peccati hyemem depellens, ac nouas creaturas producens, *nouus homo* & metonymicè siue causaliter, *noua creatura* dici potuit. Idque peculiariter conuenire Christo in Eucharistia, docent illa S. Cyrilli lib. 12. de adorat. [Quia Christus noua creatura est secundùm Scripturas, eam ob causam nos quoque in nobis ipsis per sanctam eius carnem & sanguinem accipimus, vt in vitæ nouitatem per ipsum & in ipso reformati, deponamus veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria errotis.]

### *Hyems mystica, per ver sacrum depulsa.*

202 Vt autem spirituale hoc ver quod Christus est, & Christum ex hoc quoque capite nouam creaturam, ob oculos vtcumque ponamus, & vocem turturis, id est Ecclesiæ in hoc verè agnoscamus, vt docet Chrysost. hom. de Turture, considerandæ anteriùs est cum Nysseno hom. 5. in Cant. hyems peccati, ac tempestatis horrentis orbem vniuersum occupantis ante Christi aduentum; statumque ergo vniuersi per ea tempora teterrimum, sub hyemis imagine sic describit ibi Nyssenus. [Dicitur hyems, propter multiplicem malorum significationem. Nam hyeme & quæ germinarunt, marcescunt, & arborum pulchritudo, quæ naturaliter suam venustatem ac decorem accepit à foliis; excidit à foliis & miscetur terræ. Musicatum auium. Silet concentus. Fugit luscinia, torpet hirundo, à nido peregrinatur turtur, imitantur omnia tristitiam mortis, interit germen, moritur herba. Quomodò ossa separata à carnibus, ita rami nudati foliis. Deforme euadit spectaculum, pro specie ac decore qui ei aderat ex germinibus. Quid autem dixerit quispiam ea quæ in mari hyeme accidunt, quemadmodùm ab imo euersum & tumefactum scopulos imitatur, & montes in rectam figuram instar verticis aqua fastigiata? Quemadmodùm in terram irruit non secùs atque hostis, erumpens vltra fines suæ habitudinis, & frequentium vndarum ictibus, tanquam aliquibus machinarum insultibus, ipsam quatiens? Sed has, & quæ sunt huiusmodi hyemis affectiones omnes, mihi mente versa, ad typicam deducens significationem. Quid sit quod hyeme defloreſcit & marceſcit. Quid sit quod in tertam ex ramis resoluitur. Quænam sit vox quæ Silet Canonarum auium. Quodnam sit mare quod tugit flutibus. Quisnam deinde sit Imber. Quæ sint Imbris stillæ, quemadmodum Imber abeat, & se recipiat. Per hoc enim, id quod est animatum, & libero arbitrio præditum, tacite significat ænigma huius hyemis. Fortè enim & si singula non explicant oratio, auditori erit manifesta sententia, quæ se ostendit in vnoquoque eorum: quemadmodum in initio humana germinauit natura, quamdiù fuit in paradiso, aqua illius fontis irrigata & germinans: quando erat pro filiis germen Immortalitatis, naturam decorans. Sed cum hyems inobedientiæ radicem exsiccassset, flos in terram excussus est, dissolutus & nudatus fuit homo à pulchritudine Immortalitatis, & excitata fuit herba virtutum, refrigerata in Deum charitate, propterea quòd abundasset iniquitas; vnde variæ affectiones aduersis flatibus in nobis sunt in altum excitatæ, per quas fiunt mala animæ naufragia.]

203 Hæc omnia hyemis mysticæ mala, depulit ver mysticum Christus, quod aperio eiusdem Nisseni verbis, recisa perelegati materialis veris descriptione: qua præmissa, admonens abiecto verborum cortice, peruadendum esse ad thesaurum intelligentiarum intùs abditum, subdit. [Quid est ergo quod dicimus? Frigore Idolatriæ aliquando concreuerat genus humanum, mobili hominum natura conuersa ad cultum rerum Immobilium. *Similes enim*, (inquit) *fiant qui faciunt illa, & omnes qui confidunt in eis.* Conseritaneum autem erat, hæc ita fieri. Quomodò enim qui veram aspiciunt diuinitatem, in se accipiunt diuinæ naturæ proprietates: Ita qui simulachrorum attendebat vanitati, transformabatur in id quod aspiciebatur, lapis factus ex homine. Quoniam ergo quæ per Cultum Idolorum lapiduerat, ad id quod est melius erat Immobilis natura, concreta frigore Idolatriæ, ea de causa propter asperam hanc hyemem oritur Sol Iustitiæ, & ver efficit meridiano Spiritu hanc soluente concretionem, simul cum ortu radiorum fouente quicquid est subiectum, & Spiritu excalefactus qui per gelu homo lapiduerat, & fotus radio Verbi, rursus fiat aqua Saliens in vitam æternam.]

Eadem planè mens insedit Nazianzeno orat. 42. Sic enim explicat cum Paschalis agnus, Christi typus, *agnus anniculus* sit nominatus, [Anniculus porrò vt Sol Iustitiæ, vel è cælo progrediens, vel quantum ad partem eam quæ oculis cernitur, circumscriptus ac definitus, & ad se ipsum rediens: atque item vt benignitatis Corona benedicta, omnique ex parte sibi similis & æqualis: ac præterea vt virtutum, quæ amicitiæ ordinisque lege leniter placidèque inter se coniunguntur, & commiscentur, orbem progignens. In his verbis, Christum solem omnes anni tempestates vérque in primis, suo ad nos appulsu efficientem, & innouantem terram, attingit Theologus & fusè ac omnino eleganter idipsum repræsentat Nicetas ad hunc Theologi locum, quem consultat cui hæc non sunt satis. Est igitur Christus, hoc item ex capite, *noua creatura*, metonymicè ac causaliter.

### *Modus alius Christum denominandi ver sacrum, improbatus.*

204 Occurrit (præterea alius sensus quo Christus dictus videri possit *ver sacrum*, sed qui non sit ad mentem propositorum Patrum.

*Ver sacrum* vocabant Romani, tracta à Græcis consuetudine, vt innuit strabo l. 5. *sub finem*, eos qui ob ingens aliquod periculum declinandum deuoti fuerant; ideóque veluti abigebantur. Ita enim fert locus Iustini libro 24. vbi ait, Gallos trecenta hominum millia veluti ver sacrum, misisse ad sedes nouas quærendas. In quæ verba ignarus quispiam, quia quid esset *ver sacrum* ignorobat, induxit errorem substituens *missos ad peregrinandum*. Sed germanam lectionem, ex fide veterum codicum repræsentauit Pithæus l. 1. aduers. c. 6. vbi eodem modo restituit locum Solini c. 8. Polyhistoris de Catillo qui missus dicitur eum omni fœtu *vel sacro*. Legendum enim, *ver sacrum*. Nonius, ac Festus, & Liuius, quæ esset veris illius sacri causa & ratio, quomodò item inde vernæ vocabulum pro deuoto, & maledicto ac detestabili sit hausturn, perspicuè explicant locis ibi à Pithæo notatis, & à Bisciola t. 1. subsec. c. 14. qui addit, strabonem sub finem libris vsurpatum à Samnitibus ver sacrum memorare, tacito licet *veri sacri* nomine. Addit & Sisenam l. 4. hist. Christus ergo nostrum *ver sacrum*, & *verna* pro nobis factus est, quatenus factus est pro nobis maledictum, vt excluderet excidium nostrum. Cæterum ea veris sacri notio, tametsi Christo aptari queat, non est tamen tradita à Patribus, qui Christum *ver sacrum* appellarunt. Tantum quippè respexerunt, ad eam terræ innouationem quam fert tempestas veris. Vnde perinde fuit, quod Christum *ver* appellarunt, ac si Christum nominassent *nouam Creaturam* metonymicè & causaliter.

## *Quarta & maximè germana ratio Christum denominandi nouam creaturam ex contrapositione cum Adamo.*

205 Verum præcipua ratio, eiusdem nominis *noua creatura* Christo tributi, esse videtur, contrapositio Christi & Adami, duarum generis nostri stirpium vt scitè dixit S. Cyrillus l. X. de adorat. pag. 262. [Ecce (inquit Rupertus l. 1. de oper. spiritus sancti c. X. post descriptam Christi ex spiritu sancto productionem,) hæc est illa noua creatura, ille nouus homo de quo Apostolus, *Primus homo de terra terreus, secundus homo de cælo cælestis. Item factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus verò in spiritum viuificantem.*] Excurrit inde per libri illius pleraque capita Rupertus, in vtriusque huius hominis antitheses. Considerat è quam meliore terra formatus sit Christus, quàm Adam. Perpendit quomodò de Christo quoque eatenus dici potuerit, quod de primo Adam, eiusque coniuge dictum est, *masculum & fœminam creauit eos*, quatenus spiritus sanctus in vno vnius eiusdemque personæ Christo, creatam hominis naturam coniunxit increato Dei Verbo. Benedictionem verò qua Deus Adamo condito benedixisse legitur, multo vberiorem & excellentiorem Christo impertitam demonstrat. Multiplicationem item ac repletionem terræ, per populum ex Christo natum, quem fecit Dominus, probat gi cremento & multiplicationi quam Deus primo homini obtingere voluit, longè antecellere. In alias denique benè multas analogicè dissimiles nouæ huius creaturæ cum prima collatæ prærogatiuas, expatiatur eo libro per multa capita Rupertus, quem describere prolixitas vetat. Et multis quoque in eandem sententiam Philosophatur Cusanus lib. 3. cribrationis Alcorani cap. vltimo. Paucis autem aliunde delibatis, hunc sensum de Christo noua Dei creatura, illustrare operæ pretium videtur.

Tertullianus ipsam quoque de limo figulationem Adami, opifice Deo solo, ad Christum refert lib. de resurrect. carnis cap. 6. verbis illis. [Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, quæ lineamenta ductabat. Quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. Quod & limus, & sermo caro, quod & terra tunc. Si enim præfatio Patris ad filium: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Et *fecit hominem Deus*, id vtique quod finxit, *ad imaginem Dei fecit illum*, scilicet Christi. Et *sermo enim Deus*, qui in effigie Dei constitutus *non rapinam existimauit pariari Deo*. Ita limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed & pignus.] Filium *pignus* dici apud Ambrosium, Saluianum, & alios, frequentissimum est. Itaque limus ille ex quo Adamus est efformatus, pignus dicitur Dei quia typicè erat Christus Dei filius: vt sicut Adam à Deo solo plasmatus, *fuit Dei*, iuxta Lucam cap. 3. ita Christus nullum agnoscens terrenum Patrem, iure Dei filius nominetur, & sit. Atque adeò valet quod dixit S. Ambrosius Lucæ 3. [Quid pulchrius potuit conuenire, quàm vt Sacrosancta generatio à Dei filio inciperet, & vsque ad Dei filium deduceretur, creatúsque præcederet in figura, vt natus in veritate sequeretur; Ad imaginem factus præiret, propter quem Dei imago descenderet.]

Consulto missa facio, quæ idem S. D. alibi de eodem argumento disserit, vt ea proferam in quibus Richardus Victorinus planè insigniter, Christi & Adami contentionem instituit lib. 1. de Eman. cap. 10. Quod igitur homo perdidit in primo homine, scilicet cum Deo esse, hoc videtur in nouo hoc homine recuperasse. Ibi ad mulierem dicitur; *In dolore paries filios*; Hic de hac nostra puerpera dicitur: *Ecce virgo concipiet & paries filium*. Sed quare illa peperit non sine dolore, nisi quia non concepit sine libidine? Libido sanè causa doloris, & dolor effectus libidinis. Ex effectu igitur causa innuitur in eo quod dicitur, *in dolore paries filios*. E contrario autem simul & è conuerso, hic ex sublatione causæ, perpenditur effectus ipsius sublatio. Quæ enim concepit cum virginitate, concepit sine libidine; consequenter intelligitur peperisse sine dolore. Ibi nec conceptus sine culpa, nec partus sine pœna; hic quià Concupiscentia, & parturitio sine pressura. Quod igitur humana natura perdidit in puerpera prima scilicet concipere, & parere sine corruptione) hoc in puerpera nostra, ve-

lut quasdam reparationis suæ primitias videtur recepisse. Videtis quomodò homo Contra hominem, mulier contra mulierem ponitur, & modo ex oppositio, modo ordine contrario, & simili quadam dissimilitudine, sibi inuicem respondere videntur. Illic fœmina de viro solo, hîc vir de fœmina sola. Ibi ex fortiori sexu, fragiliori fortior fructificatur, qui vtrumque repararet. Vides ne tanta similitudinis dissimilitudo, dissimilitudinisque similitudo. Quomodo, nos admonet quoddam nouitatis principium in istis, sicut quoddam vetustatis principium extitisse in illis? In primo homine quædam vetustatis inchoatio, in posteritatis suæ condemnationem. In secundo homine, quædam nouitatis inchoatio, in generis sui restaurationem.

### *Quid recapitulatio apud Apostolum.*

207 Hæc est quam Apostolus Ephes. 1. iuxta multorum Patrum interpretationem, vocauit recapitulationem à Christo factam, vt iisdem lineis quibus perierat, salus humana redderetur. Pulchrè S. Irenæus l. 3. c. 31. sic de Christo scribens [ Aliquam plasmationem in se recapitulatus est quemadmodum protoplatus ille Adam, de rudi terra, & adhuc virgine; (nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram, ) habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei; (omnia enim per ipsum facta sunt: & sumpsit Dominus limum à terra, & plasmauit hominem;) Ita recapitulans in se Adam ipse, verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationis.

Recapitulationem hanc ex Apostolo Ephes. 1. haustam, Tertull. l. 5. in Marcio. c. 17. expendens vim Græcæ vocis, ait idem latine sonare, quod *ad initium redactionem* vel *recensionem ab initio*. Ea verò ad initium reuocatio quomodò in Christo sit facta, sit exponit l. de monog. c. 5. vnde Adami veteris & nouissimi, primæque ac nouæ creatura contrapositio, optimè deprehenditur [ Dicit Apostolus Scribens ad Ephesios, Deū proposuisse in semetipso ad dispensationē adimpletionis temporū, ad caput, id est, ad initium reciprocare vniuersa in Christo, quæ sunt super cælos & super terras in ipso. Sic & duas græciæ litteras, summam & vltimam sibi induit Dominus, initij & finis concurrentium in se figuras: vti quemadmodùm α ad ω vsque voluitur, & rursus ω ad α replicatur; ita vt ostenderet in se esse, & initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium: vt omnis dispositio in eum desinens per quem cœpta est, per semonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde desinat quemadmodùm & cœpit. Et adeò in Christo omnia reuocantur ad initium, vt & fides reuersa sit à circumcisione ad integritatem Carnis illius, sicut ab initio fuit: Et libertas ciborum, & sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit: & matrimonij indiuiduitas, sicut ab initio fuit & repudij cohibitio, quod ab initio non fuit: & postremò totus homo in paradisum reuocatur, vbi ab initio fuit. [ Videnda quæ supra dixi ex Cassiano, tractans Christi tentationes, agendo de perfectionibus appetitus. Quam Tertulianus, *recapitulationem* dixit. Reformationem appellat firmicus l. de error. profan. c. 26. Descripto enim primo Adamo, & eius fraude ac deceptione per fœminam, & inobedientia, subdit Firmicus [ Opportebat hoc totum & reformari & corrigi: & reformatio, originis debuit reformare primordia. Ex virginis terræ limo factus est Adam præuaricatione propriâ promissam perdidit vitam. Per Virginem Mariam ac Spiritum Sanctum, Christus natus, & Immortalitatem accepit, & regnum. Arbor ligni pestiferum deceptis pabulum præbuit: lignum crucis, vitam Immortali compage restituit. Contempsit Adam, obediuit Deo Christus. Sic diuina dispositione, quicquid Adam perdidit, Christus inuenit.]

### *Modus peractæ recapitulationis, per antitheses expressum à Patribus.*

208 Huic recapitulationi & reformationi ac rerum in statum pristinum reuocationi faciendæ, totam causam aduentus Verbi in carnem, adscribit Nazianzenus orat 39. eamque per antitheses quoad varia illius adiuncta, concinnè exprimit, & illustrat post descriptum hominis lapsum inuidia Diaboli: subdit enim [ Quoniam enim ille vitij parens & effector, ideò se inuicto quodam robore præditum esse existimabat, quià nos diuinitatis spe obiectâ tanquàm illecebra quadam in fraudem induxerat, ideò ipse quoque carnis prætextu inescatur; vt dum quasi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat; atque ita nouus Adamus pristinæ saluti & incolumitati veterem asserat, sententiâque aduersus carnem pronunciata rescindatur, morte nimirum à carne oppressa, & interempta.]

Idem orat 1. [ Ob hanc causam Deus animæ interuentu carni iunctus est, ac res intese disiunctæ ac dissidentes per inter positæ rei cum vtraque earum affinitatem, & cognationem copulatæ sunt; atque omnia propter omnia, & pro vno illo generis nostri principe in vnum coierunt anima nimirum propter eam quæ præcepto diuino minimè paruit: Caro propter eam quæ animæ cupiditati obsecuta est, simúlque condemnata: Christus denique propter Adamum; hoc est propter eum qui sub peccato factus est, is qui peccato sublimior ac præstantior erat. Ob hanc etiam causam, veteri nouum substitutum est, & per passionem, is qui passus fuerat, in pristinum statum reuocatus, ac pro vnaquaque rerum nostrarum, vnaquæque res eius, qui nobis sublimior est, repensa: nouúmque mysterium factum est illa, quæ circa eum, qui ob inobedientiam cecidit, per benignitatem contigit dispensatio. Idcircò generatio & Virgo: idcirco præsepium & Bethlehem: generatio propter effictionem, Virgo propter mulierem. Bethlehem propter Edem, Præsepium propter paradisum, res paruæ & conspicuæ, propter magnas & ab oculis remotas.]

Rursus

Rursus paulo post. [Id circò lignum aduersùs lignum, & manus aduersùs manum; illæ inquam, fortiter extensæ, aduersùs in continenter extensam, illæ clauis confixæ, atque constrictæ, aduersùs remissam & solutam, illæ orbis fines coniungentes, aduersùs eam quæ Adamum è paradiso exturbauit. Idcircò sublimitas aduersùs lapsum, & fel aduersùs gustum, & Spinea Corona aduersùs prauum Imperium, & mors aduersùs mortem, & tenebræ propter lumen, & Sepultura aduersùs illam in terram reuersionem, & resurrectio propter resurrectionem. Hæc omnia diuinæ cuiusdam erga nos disciplinæ loco erant, infirmitatísque nostræ velut medicina quædam; veterem Adamum eò vnde exciderat, reducens, & ad illud vitæ lignum adducens, à quo scientiæ lignum, intempestiuè atquè incommodè perceptum, nos remouerat.] Vides quomodò Adam Antiquus, & quæ circa eum sunt gesta, per similem dissimilitudinem & conformem difformitatem sint forma seu figura futuri, vt dicitur Rom. 5. vbi describitur Christi nouæ creaturæ antitypus, & forma à contrario, vt vocat D. Augustinus l. 2. de nupt. c. 27.

109 Digna sunt vt his subtexantur quæ pulchrimè ac piissimè de more tradit, de remedio à Christo malis nostris per proportionalia adhibito, S. Ambrosius serm. 37. concludens post multa in hunc modum. [Sicut dixi, hoc agit Dominus, vt iis præiudiciis quibus homo obnoxius peccato fuerat, liberatur. Propterea namque per omnia secundùm similitudinem Adæ nasci voluit, vt secundùm similitudinem omnia hominis dissolueret. Adam enim de terra virgine natus est, & Christus de Maria Virgine procreatus. Illius maternum solum necdum scissum fuerat, istius maternum secretum nunquam Concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur è limo; Christus Dei Spiritu formatur in vtero. Vterque ergo oritur cum patre, vterque Virgine vtitur matre, vterque sicut Euangelista dicit, filius Dei est, sed Adam Creaturâ est filius, Christus verò Substantiâ. Hoc ergo agit Dominus, sicut Adam Secundus, vt quod prior homo manducando perdiderat, hoc alter ieiunando recipiat.]

Religio sit dimittere egregiè in eandem sententiam disputantem S. Chrysostomum orat. de Pasch. latine facta à Pestrano. [Per quæ Diabolus (*inquit*) primò nos strauit, per eadem etiam Christus illum deuicit. Eadem inquam, panoplia illa, qua diabolus genus nostrum intulerat & debellauerat; Christus certamine contra illum inito Diabolum vicissim peremdedit. Quomodò autem, audi: Nostræ calamitatis & cladis symbola fuere; Virgo, lignum, & mors. Nam & Eua, virgo erat, Quando enim seducta est, necdum cum viro commercium habuerat. Lignum erat, discretionis arbor: mors supplicium, in Adamum constitutum. Ecce quomodò virgo, & lignum, & mors, calamitatis nostræ organa exciterint virginemque cum Eua, lignumque scientiæ cum cruce comparans de ligno sic concludit. Illud Adam veluti Captiuum & nudum abscondebat; hoc autem victorem nudum, clariis que in sublimi suffixum, omnibus palam ostendit: Adam tandem eos etiam in mortis condemnationem coniecit, qui longo post tempore illum consecuti sunt: Christus autem illos quoq; à morte exuscitauit, qui multa antè illum secula, mortem obierant. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? per mortem facti sumus Immortales. Hæc crucis sunt stratagemata:]

Bellissimè verò in hanc rem cadit quod Anastasius Sinaita 7. Hexaëm *sub finem*, citatis 5. Ambrosio atque Pyrrone affirmat; nempe Christum nouitatis suæ die quadragesima, ingressum esse paradisum, sicut Adam post diem 40. iuxta Hebreos ingressus est terrestrem paradisum Sed omnino excellenter in fine libr. XI. & calce totius operis, admonet agens de Eua oportere aduertere [Quomodò hæc spiritualis coniux Secundi Adami, à deteriori nomine profecit in melius. In principio enim, vocata est *costa*, & secta diuisa: significante, vt arbitror hac amputatione & diuisione, defectionem à Deo quæ erat ei aduentura. Deinde post hoc ædificata, & in melius excitata, propterea quod ad virum Christum appropinquarit, appellata est *mulier*. Postremò autem omnium, appellata est *vita*; vt quæ à morte profecerit ad vitam. Vir autem eius non ita, sed ex meliori nomine accepit peius. In primis enim Adam, magnum honorem & gloriam est adeptus, vt qui sit appellatus *Imago & similitudo Dei*. Deindè posteà appellatus est *homo*, & posteà rursusus *Adam*, & postremo omnium *terra*, vt per hæc apertè discamus & erudiamur, quæcunque sunt in protoplasto, referre ad Euam Ecclesiam, & Adamum Christum. Sic enim cum in principio esset splendor & character substantiæ ipsius Dei inaspectabilis, se ipsum exinaniit serui formam accipiens vt Ecclesia ex mendicitate diceretur vita, id effecta, & ex ipso nominata, & in libro viuentium Collocata.]

### *Quàm refecta sapientia, sic facta recapitulatio.*

110 Eam reducendi ad pristinum statum hominis rationem verè nouam; & contrariam è contrariis eruendi industriam, suspexisse Angelos, hánc que esse multi formem Dei sapientiam, quam Apostolus ait innotuisse Angelis per Ecclesiam seu Christum tradit luculenter Gregor. Nyssenus hom. 8. in Cant. [Reuera (inquit) per Ecclesiam portatur ad supra mundanas potestates, varia & multiplex Dei sapientia, quæ per contraria res efficit magnas & admirabiles Quomodo enim facta fuit vita per mortem, & per peccatum, iustitia, & per maledictionem benedictio, & per ignominiam gloria, & virtus per imbecillitatem? Nam in prioribus temporibus solam simplicem & vniformem Dei sapientiam, nouerant supramundanæ potestates, congruenter suæ naturæ facientem miracula. Nec in iis quæ cernebantur, erat quicquam varium, in eo quod cum esset virtus ac potestas, natura diuina, liberè omnem faceret Creaturam solo motu & impulsu voluntatis, & rerum naturam deducens ad generationem, omnia faceret valde pulchra

manantia

manantia ex fonte pulchritudinis. Varium autem hoc ac multiplex genus Sapientiæ, quod constat ex connexione cum contrariis, nunc apertè ostensum est per Ecclesiam; nempe quemadmodùm suo liuore suisque vibicibus nostra sanauit vulnera: quemadmodùm imbecillitate Crucis vires expugnat aduersarij, quemadmodùm in Carne manifestatur, id quod non cadit sub aspectum, quemadmodùm redimit captiuos, cum ipse sit qui emit, & sit ipse pretium: se ipsum emit dedit pro nobis morti pretium redemptionis: quemadmodùm & est in morte, & à vita non recedit: quemadmodùm & miscetur seruituti, & manet in regno. Nam cum hæc omnia, & que sunt huiusmodi, cum sint varia & multiplica per Ecclesiam didicissent amici Sponsi, cordificati sunt vt qui alium diuinæ sapientiæ characterem animaduerterint in mysterio.]

### *Concluditur quod penes recapitulationem per antitheses, Christus dictus sit noua creatura, & adolescens secundus.*

211 En igitur Christum nouam creaturam Dei, eo germanissimo modo quem referebam, nempe ob contrapositionem cum primo homine, & veteri creature. Vocatum his de causis Christū Ecclesiastis 4. *adolescētem secundum* notauit Olympiodorus ibi. Locus est pulcherrimus de Regis senis fatui, hoc est principis tenebrarum qui ad eam diem mundo imperarat, deiectione per puerum sapientem & pauperem; hoc est Christum nostri causa pauperem factum, qui ibi *puer* dicitur, id est iuuenis. Nam eadem vox Hebrea *Teled*, eiusdem libri c. XI. expressa latinè est per vocem *iuuenis*, in illo loco; *lætare iuuenis in adolescentia tua*. Hunc iuuenem & adolescentem secundum, cunctos viuentes qui ambulabant sub sole secutos, profitetur sapiens. Omnia ista pulcherrimè ad Christum ex Origene & Victorino aptat S. Hieronimus ad hunc locum. Et pulcherrimè quoque S. Ambrosius l. de institut. virg. c. VII. vt infra referam, tractans Christi regnum. Sed quod huic loco est accommodatum, non aliud est quàm denominatio *adolescentis secundi*, tributa Christo. *Adolescentem* ergo primum, Olympiodorus ait fuisse Adamum, cum adhuc fortis & vegetus esset, ante lapsum. Christus vero Adamo inueterato suffectus, dicitur *adolescens secundus*. Verba Olympiodori, in secunda expositione huius loci sunt ista. [Adolescens secundus, procul dubio saluator noster est, homo de cœlo cœlestis qui nobis natus est ac surrexit pro adolescente primo, Adam qui fuit homo de tetra terrenus]. De relicto per Adamum hunc secundum Patre æterno, & matre Ierusalem cœlesti, vt adhæreret vxori suæ cui sociatus est; egregiè ex Gregorio Nazianzeno S. Hieronimus in c. 5. ad Ephes. & nos infra eum de Christo sponso.

### *Recapitulatio alia ex Anastasio, in Istam recidens.*

212 Aliam recapitulationem omnium in Christo, ratione cuius Christus *noua creatura* sit dictus, videri potest suggerere Anastasius Sinaita, in præfatione Hexaëmeri. [Ab ipso (inquit) Deo, vniuersorum effectore, effecta sunt duo opificia. Vnum quidem quo produceretur homo, & vt semel dicam, res omnis creata. Alterum autem quo benè esset, & homo & vniuersa res creata, Omnia enim quæ sunt in cœlis, & in terra, Deus prius constituit in Sapientia, ad eius figuram, & priorem descriptionem. Et quod statim à prima voce & effectione, eius fundamenta & structuram, & apparitionem, & illuminationem præmeditabatur, & priùs describebat, & per primum cœlum, & secundum, & quæ sunt in ipsis luminaria; nec hoc solùm, sed etiam per ipsum solem & lunam, & terram, & aquas, & plantas, & pecora, & volucres, & pisces, & vt semel dicam, per omnem creaturam cæli & terræ, Christum qui in ipsis & per ipsam loquitur prædicat, & magnificè commendat. Hæc discens Ecclesia, exultat & lætatur, gestit & illuminatur, & aduersùs infideles, valens ac robusta redditur, vel potiùs armatur, eos conuincens, dedecore afficiens, vincens, exiliens, & tripudians, siquidem vniuersa quæ cernitur & intelligentia percipitur creatura, ad eius Imaginem & Sponsi sui Christi, primis constructa fuit & præfigurata. Hoc est enim mysterium, quod ante sæcula & à generationibus priùs definiit Deus, & prædestinauit. Vnde etiam dicitur, Deus, omnia in Caput redegisse & instaurasse in Christo. Quid est *in Caput redegisse, & instaurasse*, quàm ea quæ rationibus in ipso priùs erant figurata & adumbrata, re ipsa factis, in ipso esse impleta? *Omnia enim* (inquit) *per ipsum & in ipso* Christo *facta sunt, tam quæ in Cœlo*, quàm quæ in terra visibilia & inuisibilia, siue throni siue dominationes, siue principatum & potestates; omnia per ipsum & in ipso Creata sunt. Dei loquus autem Apostolus, dicens omnia & visibilia & inuisibilia in Christo esse creata, apertè ostendit & docet, quod ipsa etiam inuisibilis Creatura priùs figurata & facta fuit in Christo & Ecclesia.] Et Illustrissime in eandem sententiam, initio libri, qui 7. inscribitur cum sit 8. de duplicatione diuini nominis differit post hanc creationnem.

213 Hanc tamen Anastasij recapitulationem, recidere in eam quæ à nobis proposita est quantumuis diuersa videatur intelligitur ex iis quæ eodem libro subdit, non ita multo post cum ait. [Est attentè animaduertendum, quòd à quo die ad Imaginem factus est homo, nempe prototypus Christi typus Adam, non est amplius Deus aliquid fabrificatus per ipsum: neque de cætero dixit, *fiat hoc, & illud*, sed suo per se & diuino opere operando secundam [fecit creationem: propriè & verè & citra vllam dubitationem diuina prædicente scriptura, Dei verbi aduentum & præsentiam quæ, fuit à cœlo in terram, & in ea quæ est in secundo ordine creaturarum breui repetitione, nos docente], quod videbitur Deus Deorum

apud

apud nos super terram, & per se suo opere & & suis manibus fabricabit nouam Creaturam, nouum cælum, & nouam terram & nouum ex non seminata terra non seminatum hominem. Quem quidem nobis prius significans diuina Scriptura, & duplicat creaturæ & hominis constructionem, & narrationem; hinc ponens principium.]

### *Vsus doctrinæ.*

Fructum doctrinæ de Christo nouo homine, accipe ex Origene hom. 16. in Leuit. *in fine.* [Vide quatenus benedictiones promittantur, si mandata seruemus: *Statuam,* (inquit,) *testamentum meum vobiscum, & manducabitis vetera, & vetera veterum, & eicietis vetera à conspectu nouorum.* Quomodò *eiicimus vetera à conspectu nouorum?* Vetera habuimus, legem & Prophetas, vetera autem veterum, ea quæ ante legem fuerunt ab initio, cum mundus factus est. Venerunt Euangelia noua, venerunt & Apostoli. A conspectu horum, eiicimus vetera. Quomodò ea eiicimus? Legem secundùm literam eiicimus, vt statuamus legem secundùm spiritum: Possumus & hoc modo dicere. Antequam veniret homo de cœlo, & nasceretur homo cœlestis, eramus omnes terreni, & portabamus imaginem terreni. Sed vbi venit homo nouus, qui secundùm Deum creatus est, eiicimus à conspectu eius vetera, deponentes veterem hominem, & induentes nouum, qui secundùm interiorem hominem renouatur de die in diem.]

## CAPVT VII.

### *Christus, gratia Dei, eiusque misericordia.*

VNGO hæc duo, quod eodem reuerta recidant, vt ex sequentibus perspicuum fiet: quamuis quod vtraque Christi prærogatiua sub diuersis his vocibus apud Patres & in Scripturis exprimatur, seorsim vtra idem caput de vtraque sit dicendum, initio facto à gratia.

### *Christus, gratia substantialis, quæ apparuit omnibus hominibus, & sine Deo gustauit mortem, iuxta Apostolum.*

*Gratiam* Christum, agnoscit S. Hieronymus in cap. 2. epistolæ ad Titum, tractans illud, *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri.* Eam enim gratiam Dei Saluatoris, S. Hieronymus licet fateatur posse exponi de gratia per Christum collata hominibus, tamen admonet posse quoque accipi de gratia quæ sit ipse Deus Saluator noster, eo quod Dei Patris, [viuens & subsistens gratia,] ipse sit Christus. Agnoscit quoque Christum Dei gratiam, Ecclesia vniuersa, quæ ex hac causa Deiparam compellat *matrem gratiæ:* quam gratiam, Christum esse non aduertentes aliqui, eam Deiparæ allocutionem in hymno Ecclesiastico & precationibus lytaneuticis sunt calumniati, vt refert Richardus à S. Laurentio lib. 6. de laudibus Deiparæ ad illud, *in me omnis gratia,* eo ducti argumento quod solus Deus sit autor gratiæ. Sed elidit argumentum Richardus, dicendo eam gratiam cuius Deipara mater est, Christum esse: qua ratione ea Deiparæ appellatio, subducitur cuiuis calumniæ.

Profert in huius rei confirmationem Richardus, locum Apostoli Hebr. 2. vbi de Christo Domino sic dicitur; *Eum qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Ibi illud *gratia,* esse casum nominandi, atque adeò Christum designare, pronunciat autor prædictus. Nec dissentit D. Thomas lect. 3. ad idem caput, promens eam interpretationem ex D. Augustino. Eamque etiam habet Hilar. Diaco. ad hunc locum. Sic enim scribit. [Ipsum gratiam nominat, qui pro omnium salute gustauit mortem. Non enim debebatur nobis, vt filius Dei pro nobis gustaret mortem, sed gratia hoc fecit.] Et ita planè interpretari coguntur, quotquot eo loco Apostoli, vocem *gratia,* censent esse casus nominandi; quod tametsi plerisque Græcis codicibus dissonat, qui nunc legunt χάριτι θεοῦ quomodò etiam legit D. Chrysostomus & Theophilactus; tamen consentit cum aliis plerisque Græcis codicibus qui legunt χάρις, quam lectionem agnoscunt DD. Græci non pauci. Lectio vulgata quæ sola est authentica, neutri Græcæ lectioni præiudicat, quia nomen *gratia,* potest & in auferendi, & in nominandi casu accipi; ac proinde ex ea non colligitur vtra Græca lectio sit magis probanda.

215 Ex nostra tamen vulgata, corrigendum est, quod antiqui quidam Græci codices aliter legebant nempe χωρὶς θεοῦ. Vnde factum est, vt aliqui latinè id expressérint *sine Deo.* Quo pacto legit S. Ambrosius 5. de fide cap. 4. & Theodoretus ad hunc locum, ac etiam S. Fulgentius lib. 3. ad Trasim. cap. 20. Sensum verò esse ait S. Ambrosius, gustatam esse à Christo mortem temporalem pro omnibus, excepto solo Deo: ita vt etiam insensibilia ex Christi morte profecerint, liberando per eam à seruitute corruptionis. Theodoretus verò id restringit ad rationalia, non exclusis Angelis, quibus Christi mors profuit ad lætitiam, ob congregatos in vnam Rempublicam sub Christo Rege Angelos & homines. S. Fulgent. nihil moratus quibus profutura dicatur mors Christi, refert verba illa *sine Deo,* ad passionem solius carnis, Deo in sua diuinitate, à carnis perpessionibus immuni. Qui omnes sensus pij sunt, longéque absunt à sensu Nestoriano, quem Oecumenius ab hæreticis huic lectioni χωρὶς θεοῦ inædificatum refert, qui Christum *sine Deo passum,* referebant ad Christi suppositum à diuino diuersum; indéque duplicem Christi personam inferebant. Sed planè contra Apostoli mentem, etiam supposita lectione illa, quam quòd è vulgata latina dissentiat, non habemus pro legi-

tima. Sanè Vigilius lib. 2. contra Eutychem, cum voluisset Nestorium eo Apostoli loco abusum, illudque *sine Deo*, ad alteram Christi patientis, alteram Dei non patientis personam retulisse; tametsi eam quæ Nestorius abutebatur loci Apostolici lectionem, ratam habet, legitque ipse quoque *sine Deo*: Tamen sensum Apostoli esse docet, Christum eundem Deum & hominem sola carne passum esse; Et post longam in ea veritate confirmanda exspatiationem, condudit. [Quid est igitur *sine Deo gustare mortem?* nisi quia Verbum Immortale est, & passio secundùm carnem est? vnde & Petrus Apostolus ait; *Christo itaque passo carne*. Passio ergo propriè ad carnem pertinet secundùm naturam. Ad Verbum autem secundùm personam, quia & Verbi & carnis vna est eadémque persona; ac per hoc Deus & passus est, & non est passus: passus secundùm vnionem personæ, impassibilis secundùm proprietatem naturæ.] Pulchrè item Fulgentius cap. illo 20. [Non hîc Christum diuisit Apostolus, sed ostendit in vno Christo, quæ substantia passibilis & mortalis fuerit, quæ autem immortalis, impassibilisque permanserit. Sine Deo igitur homo ille gustauit mortem, quantum ad conditionem attinet carnis; non autem sine Deo, quantum ad susceptionem pertinet Deitatis: quia impassibilis atque immortalis illa diuinitas, cum in veritate formæ seruilis, & pati voluntariè pro nobis dignaretur & mori sicut in morte solius carnis, immortalis fuit, sic in passionibus totius hominis, impassibilis omninò permansit.]

Nihil ergo Nestorianæ perfidiæ in ea Apostolici loci lectione præsidij est, quàm quod è Nestorianis confictam ait Oecumenius, admitti non debet; cum anterior Nestorio D. Ambrosius eam vsurparit, vt vidimus. Et ante Ambrosium quoque, receptam apud aliquos fuisse, docent illa verba Origenis tomo 1. in Ioan. ad illud *in principio*, cum explicat quomodò Christus sit magnus Pontifex. Sic enim scribit. [Magnus est Pontifex, non modò pro hominibus, sed etiam pro omni quod rationis est capax, hostiam semel oblatam seipsum offerens. *Sine Deo* enim, vel *per gratiam Dei*, (vt in quibusdam exemplaribus Epistolæ ad Hebræos ponitur,) *pro omni gustauit mortem*: siue *siue Deo pro omni gustauit mortem*, non solùm pro hominibus mortuus est, verùmetiam pro cæteris rationis capacibus; siue per gratiam Dei, pro omni gustauit mortem: pro omnibus sine Deo mortuus est. Per gratiam namque Dei, pro omni gustauit mortem.] Est ergo prædicta lectio loci Apostolici, multo antiquior Nestorio. Quamuis autem latina illius loci lectio vulgata, optimè cohæreat cum præsenti scopo nostro, possitque in ea vox *gratia*, sumi in casu nominandi & Christum designare: tamen ne loco ambiguæ lectionis inniti dumtaxat videamur ad hunc titulum Christo tribuendum, alia quædam loca, expendenda sunt.

* *
*

*Idem factus gratia, & gratia data pro gratia, Ioan. 1.*

216 Accipere in hunc sensum videntur nonnulli Patrum, illud Ioannis 1. *vidimus gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*. S. namque Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2. duobus illis extremis verbis, duas Christi naturas expressas censet; nempe diuinam voce *veritatis*, est enim Deus ipsamet veritas. Vnde Christum *esse veritate plenum*, idem censet esse S. Fulgentius, ac si dictum fuisset, Christum esse plenè & sine vllo defectu, Deum verum; humanam verò Christi naturam, designatam censet S. Fulgentius verbo *gratiæ*, qua plenus dicatur Christus, quia [in humana natura in qua homo verus, gratia factus est, plenus est.] Vbi correspondentia membri secundi ad primum, postulat, vt vox *gratia* sumatur in casu nominandi; ita vt sicut Christus in se erat veritas ab æterno quâ Deus, sic in tempore quâ homo, dicatur factus *gratia*.

Existimarim verò idem ferrè locum ex eodem cap. 1. Ioan. quo Baptista Christo testimonium perhibens, & omnes de plenitudine eius accepisse professus, addit, *& gratiam pro gratia*. Non me latet, quàm variè & Patres & interpretes, accipiant eam gratiam pro qua nobis data est gratia. Et nonnulli quidem, gratiam noui testamenti, substitutam pro gratia legis veteris existimant. Erat enim lex quoque vetus, gratia quædam sed cum ea locutio admodùm insolens videatur in scripturis, moxque lex contra distinguatur gratiæ, cum subdit Ioannes, *lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*; manifestum videtur, eam expositionem non quadrare. Alij *gratiam pro gratia*, dici putant, vitam æternam repositam pro meritis ex gratia profectis. Nam liquet vitam æternam ab Apostolo spectata radice meritorum quibus paratur, gratiam petiisse nominari. Verùm Ioannes de gratia agebat iam accepta, Ait enim, *de plenitudine eius omnes accepimus*. Non acceperat autem gloriam, sed tantùm erat accepturus. Agit igitur de alia gratia iam collata.

217 Eam ego si agatur de gratia data & accepta, (Cartusianus lib. 2. de laud. Deip. art. 1. vocat *gratiam gratiatam*, & contraponit *gratiæ gratianti*.) censuerim esse gratiam sanctificantem, qua iusti per Christum facti sunt, quotquot coram Deo iusti fuerunt. Volebat enim Baptista, se præ Christo deprimere, & quantopere Christo aderet, declarare. Cum ergo dixisset, Christum sibi meritò prælatum, subdit eius rei causam; quia & ipse, & quotquot ad eam diem fuerant Sancti, stillas sanctitatis & gratiæ de eius plenitudine acceperant, & gratiam pro gratia: quod quantum attinet ad gratiam acceptam, de gratia eos sanctificante, manifestè dicitur. Quantum verò attinet, ad gratiam pro qua data est hæc & Baptistæ & aliorum purorum hominum gratia seu sanctitas; etiamsi videri id possit cadere in gratiam Christi habitualem; tamen magis propriè accipi potest de gratia subsistente & viuente, quæ Christus est, vt ex S. Hieronymo, initio diximus. Nam gratia Christi accidentaria, non est fons gratiæ nostræ:

alioqui

alioqui purus homo posset alteri mereri gratiam, quod constat falsum esse. Fons ergo gratiæ puris hominibus collatæ, est Christus ipse, qui est gratia substantialis: & eatenus accepimus gratiam pro gratia, nempe pro Christo, qui Dei donum primarium est, gratiam remissionis peccatorum, & sanctificationis. Belléque cum hac interpretatione consentiunt verba sequentia. Subditur enim, tanquam ratio, cur dictum sit datam esse gratiam pro gratia; *lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* En per quam gratiam, facta sit gratia quam accepimus; & pro quo gratia, data sit omnibus gratia. Vtique per Christum, & pro Christo, per quem factam esse gratiam, continenter subiicit Baptista. Vide verò an non id ferant verba illa Clementis Alexandrini 2. pædagogi cap. 7. [lex est vetus gratia, per Mosem à Verbo data. Quocirca dicit quoque Scriptura; *lex per Mosem data est*: Non à Mose: sed à Verbo quidem, verùm per Mosem seruum suum. Et ideò fuit ad tempus. Æterna autem gratia & veritas, per Iesum Christum facta est. Videte verba Scripturæ; de lege quidem, *data est*, (inquit,) tantùm. Veritas autem, quæ est gratia Patris, est æternum. Verbi opus: & non dicitur *dari*, sed *per Iesum fieri*, sine quo factum est nihil.]

### *Ad idem aptatus Thronus gratiæ, apud Apostolum.*

218 In eundem sensum Gerso 1. p. sermonis de circunciſ. Domini, habito coram Papa apud Tarasconam, accipiendum censet illud Apostoli, *accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ.* Eum namque *thronum gratiæ*, ait Gerso esse ipsum Christum, per quem gratia facta est, & quem ait æquè dici posse *gratiam*, ac à Psalte dictus est *misericordia*, verbis illis *Deus meus, misericordia mea.* [Et quid est (inquit,) misericordia, nisi gratia?] Vt vt verò sumendus sic is Apostoli locus, pulchrè omnino vt paulo post ostendat, quomodò gratia Dei apparuerit in Christi aduentu, quod Apostolus ad Titum 3. affirmat, considerandum proponit Gerso, idcirco Verbum factum esse hominem, vt contrariis per contraria mederetur. Quia enim per superbiam prorsus horrendam, mortales plerique affectarant audire Dij, & incommunicabile nomen stercori & fimo arrogarant; Deus vsque eo se demisit, vt qui non rapinam arbitraretur esse se æqualem Deo, exinaniri voluerit, & habitu inueniri vt homo, ne dedignaretur mortalis homo, assectari humilem Deum. Similiter quia auaritia omnium malorum radix, & turpissimæ idololatriæ fons erat, Christus liberalitate sua, & pretiosissimarum opum, sanguinis inquam & vitæ profusione, cupiditati nostræ fecit satis. Gula in genus nostrum mortem inuexerat. Et hanc curauit Christus ieiuniis suis, & iugi cibi ac potus parcitate. Eadem peccatorum omnium est ratio, proportione seruata. Quia verò specialiter laborabant homines teterrimo ingratitudinis vitio, aduersùs ingratitudinem nimiam, exhibuit Deus gratiam infinitam, Christum scilicet suum. Hæc est Gersonis cogitatio; quæ congruentior & aceptior foret, si non ad medendum ingratitudini, cui gratitudo & gratiarum actio opponitur, sed ad remouendam elongationem a Deo qua vniuersum genus humanum pessimè afficiebatur, Christum substantialem gratiam, diuinitùs prouisum affirmasset.

### *Christus non ex meritis, atque adeò gratia.*

219 Rationem optimam denominandi Christum *gratiam Dei*, suggerit eam ipsam denominationem vsurpans D. Augustinus lib. de correpț. & gratia cap. 11. Disputans enim de gratia Adami lætiore, nobis autem necessaria potentiore, subdit. [Et quæ gratia potentior, quàm Dei Vnigenitus filius æqualis Patri, & coæternus, pro eis homo factus, & sine vllo vel originali vel proprio peccato, ab hominibus peccatoribus crucifixus? Qui quamuis die tertio resurrexit nunquam moriturus vlteriùs, pertulit tamen pro mortalibus mortem, qui mortuis præstitit vitam, vt redempti eius sanguine, tanto ac tali pignore accepto, dicerent, *si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit, cum eo quo modo non, & cum illo omnia nobis donauit?* Deus ergo naturam nostram, id est animam rationalem; carnémque hominis, Christus susceþit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, vt nullis iustitiæ suæ præcedentibus meritis, filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, vt ipse & Verbum quod sine initio, vna persona esset. Neque enim quisquam, tanta rei huius & fidei cæcus est ignorantia, vt audeat dicere; quamuis de Spiritu sancto & Virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium benè viuendo, & sine peccato bona opera faciendo, meruisse vt esset Dei filius: resistente Euangelio atque dicente, *Verbum, caro factum est*: Nam vbi hoc factum est, nisi in vtero virginali, vnde fuit initium hominis Christi? Itémque virgini requirenti, quomodò fieret quod ei per Angelum nunciabatur, Angelus respondit, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: propterea, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Propterea* (inquit,) non propter opera, quæ nondum nati vtique nulla sunt: Sed *propterea quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ista natiuitas profectò gratuita, coniunxit in vnitate personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam natiuitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt.]

Rectissimè igitur Christus dicitur *gratia Dei*, quia neque suis propriis meritis effecit vt esset, neque vllius alterius puræ creaturæ meritis, (quæ Christum omnia supponunt,) adductus est Deus, vt Christum produceret: sed ex merâ sua bonitate id præstitit. Eáque ex causa 10. Ciuit. cap. 29. agens contra Porphyrium, affirmat Christum esse summum exemplum gratiæ.

*Eandem ob causam, dictus misericordiæ, vel etiam misericordia.*

220 Hæc ipsa est ratio, cur Christus dicatur quoque *misericordia Dei*. Nam vt paulo ante ex Gersone dicebamus, quid est misericordia, nisi gratia? Et hoc sensu, Deiparam in hymno Ecclesiastico appellari *matrem gratiæ matrem misericordiæ*, quia mater est Christi, qui est ipsa Dei gratia, & misericordia; affirmat Amedeus Lausan. hom. 3. de Deip. *sub finem*. Disserit in hanc sententiam, æqualis eius, & eiusdem instituti Cisterciensis auctior gloria, S. Bernardus serm. 1. de Purif. exponens de Christo in templo susceptо, verba illa Psaltis, *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*. Repræsentans eleganter & solidè, magnam generis humani miseriam, insignis diuinæ miserationis indignam; & antiquorum Patrum illos gemitus, *Domine in cœlo misericordia tua & veritas tua vsque ad nubes*. [ At vbi sanè minoratus est Christus paulò minus ab Angelis, factúsque est Dei & hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificauit per sanguinem suum quæ in cœlis sunt, & quæ super terram; ex hoc planè iam suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Eramus enim & nos natura filij iræ, sed consequuti sumus misericordiam.]

Hoc verò aliquatenus corrigit, aut potiùs perficit serm. 5. in Natiu. Dom. docens, genus humanum cum Christum susceperit, non modò misericordiam, sed & *misericordias* esse consecutum: eoque refert, quod ab Apostolo 2. Cor. 1. Deus Christi pater, dicitur *pater misericordiarum*; & quod Threno. 3. misericordiæ Domini multæ esse dicuntur. Tum subdit. [ Vnus est Dei filius, vnum Verbum: sed miseria nostra multiplex, non modò magnam misericordiam, sed & multitudinem quærit miserationum. Fortè tamen propter substantiam duplicem qua subsistit humana conditio, cum sit vtraque tam misera, non incongruè duplex hominum dicatur esse miseria, licet sit multiplex in vtraque. Siquidem & corporis & cordis nostri tribulationes multiplicatæ sunt: sed ab vtriusque necessitatibus eruit, qui totum hominem saluum facit. Cum ergo vnus ille & vnicus Dei Filius, & iam nunc venerit propter animas, tollere scilicet peccata mundi; & secundò propter corpora sit venturus, vt ea resuscitet, & configuret corpori claritatis suæ: non incongruum fortasse videbitur, vt in eo quod Patrem misericordiarum benedicimus, duplicem hanc misericordiam confiteamur. Suscipiens enim humanæ naturæ corpus simul & animam, non modò semel *consolamini*, sed (vt supra quoque meminimus.) *Consolamini, consolamini dicit Dominus Deus vester*; vt videlicet certi simus, quod vtrumque sit saluaturus, qui neutrum suscipere est dedignatus.]

221 Non nemo quoque, illud Psaltis votum ad Deum, *ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, non de salutari aliquo aut misericordia accidentaria, sed de substantiali, id est de Christo; est interpretatus: Nec incongrue. Nam totus ille psalmus, de mysterio Incarnationis est manifestè conscriptus. Sicut ergo Christus interprete S. Ambrosio serm. 6. in psalm. 118. v. 1. est illa gloria inhabitans in terra nostra, & salutare Dei in quo misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt; itemque veritas orta de terra, & iustitia de cœlo prospiciens: sic etiam est misericordia Dei, quam ostendi sibi, & Dauid & Patres antiqui omnes, incensissimis studiis affectabant. [ Ipse est misericordia, ( ait citatum versiculum glossans S. Ambrosius ) vtpotè remissio peccatorum. Ideò dicit: Ostende quem videre possit in corpore. Nam Deum in maiestate sua, videre non poterat, quia Deum nemo vidit vnquam. Auidus Propheta desiderat videre, quem sperat tenere: quem si viderit, desiderat propriis manibus comprehendere.] Idem in psal 47. ad illud *suscepimus Deus misericordiam tuam*, cùm dixisset, hæc verba posse & ad Filium & ad Patrem dirigi, subdit. [ Si ad Patrem refertur, quid est, *in medio templi tui*, nisi quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi? In illo ergo templo, *suscepimus*, (inquit) *misericordiam tuam*: hoc est, Verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis. Sicut enim redemptio Christus, ita & misericordia. Quæ autem maior misericordia, quàm quòd pro nostris flagitiis se præbuit immolandum, vt sanguine suo mundum lauaret, cuius peccatum nullo alio modo potuisset aboleri? Etenim si de Sanctis viris Apostolus dixit; *Templum Dei vos estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis*; quanto magis carnem Domini Iesu, templum Dei dixerim, qui semper plenus Spiritu sancto legitur, & ipse testificatur, dicens; *Sentio de me virtutem exisse*: quæ virtus omnium vulnera aceruo sanabat.]

Tandem nec illud tametsi exile, nec in speciem adeò genuinum, prætermittendum est. A Deo petere misericordiam, idem omnino est quod poscere regnum Dei, vt latè prosequitur Cabasilas in expositione Liturgiæ cap. 13. Sed neque hoc à Christo abhorret, quem dici *regnum Dei*, infra liquebit.

*Vsus doctrinæ.*

Apparuit itaque in Christo gratia Dei & misericordia, ita vt nunquam obseruari nobis possit Christus, ( & obseruari debet perpetuò ) quin simul obuersetur nobis gratia, & misericordia Dei in nos. Vnde non modò ad gratiam in Deum, & misericordiam in egentes Dei tanta gratia vsi, imitatione; sed etiam ad omne opus bonum trahi nos, vt Apostolus meritò docuit agnoscamus. *Apparuit* ( inquit ) *gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo.*

# CAPVT VIII.

## *Christus, Martyr Dei.*

222 OMNIS quidem qui veritati atteſtatur, *martyr*, ſeu *teſtis* haberi ac dici poteſt, vt obſeruat Origenes tom. 5. in Ioannem ad illud, *hic venit in teſtimonium*, qua ratione benè multos Chriſti teſtes addenſat Pet. Damiani ſerm. de Epiph. Quinetiam Origenes ibidem obſeruat ipſummet Deum in ea generalitate martyrem eſſe, quod confirmat ex cap. 44. Eſaiæ, vbi Propheta in perſona Dei ſic loquitur. *Eſtote mihi teſtes, & ego teſtis dicit Dominus Deus, & filius quem elegi.* Concludit itaque Origenes. [Quiſquis teſtificatur de veritate, tum verbis tum operibus, quomodocunque fauens illi, is iure teſtis dicendus eſt.] Subdit tamen, hanc nimis latam vocis notionem; & communi vſu Eccleſiæ, reſtrictam eſſe aduerſum genus teſtium. [Sed iam (inquit) fraternitatis morem, qui admitatione proſecuti ſunt, (nempe affectum eorum qui vſquè ad mortem certarunt pro veritate, vel fortitudine,) eos propriè ſolos nominarunt martyres, ſeu teſtes, qui ſui ipſorum ſanguinis effuſione, diuini cultus myſterio teſtimonium reddidere.] Inter hos preſsè dictos Dei martyres, veritati reuelatæ morte ſua atteſtatos, numerandus inprimis eſt [Chriſtus Dominus, de quo fusè iam actum eſt in Tractatione de martyrio parte 4. cap. 4. Hìc breuiter, & nonnullis aliis teſtimoniis SS. Patrum veritatem ibi traditam confirmabimus, & acceſſionem nonnullam lucis, ad hoc Chriſti decus faciemus.

## *Chriſtus Martyr, ex Patribus.*

228 Chriſtum itaque martyrem, (quod Patres latuiſſe dixit Pamelius ad lib. Cypriano tributum de dupi. martyrio num. 5.) nuncupant grauiſſimi Patres à nobis loco citato prolati: Nempe Origenes, Cyprianus, Ambroſius, Nazianzenus, Ephrem, Auguſtinus, Maximus, Damaſcenus, Rupertus, Richardus Victorinus, & Seruus Dei Epiſcopus Afer. Quibus nunc addo hos paucos. S. Irenæus lib. 4. cap. 5. quem locum deſcripſit S. Auguſtinus lib. 1. contra Iulian. c. 2. [Adhortabatur Paulus, dicens non aliter ſaluari homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credant in eum qui ſecundùm ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad ſe & viuificauit mortuos.] Conſtantinus Magnus orat. ad SS. cœtum c. 12. Chriſtum nominat *martyrem*. Euſebius Pamphili, in Concilio 1. Nicæno (apud Alphonſum Piſanum lib. 2. Conc. Nicæni pag. 124.) diſputans cum Phædone philoſopho, hæc verba habet. [Factus eſt homo propter diſpenſationem: propter ipſum prophetæ, propter ipſum Apoſtoli, propter ipſum martyres, Prophetæ propter eum qui diſpenſatorie miſſus, & Apoſtolus factus eſt. Martyres propter eundem protomartyrem.] Similitérque Gregorius Nazianzenus præter loca annotata citato capite, diſertè orat. 39. enumerans multiplici baptiſmi membra, quarto loco proponit illud quod martyrio & ſanguine comparatur, quo ipſe quoque Chriſtus baptizatus eſt. Vbi Nicetas notat alludi ad illa Chriſti verba de ſua paſſione, Marci 10. *poteſtis bibere calicem quem ego bibo, aut baptiſmo quo ego baptizor baptizari.* Et ad illud Lucæ 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodò coarctor vſque dum perficiatur.* Nominibus autem *calicis* & *baptiſmi*, deſignari in ſcriptura martyrium, res eſt vulgatiſſima. Et ratio peti poteſt ex Origene tract. 12. in Matth. & ex S. Maximo hom. 1. de S. Cypriano. Idem Nazianzenus orat. 6. ait. [martyres cruore purgatos Chriſti ſacrificium ſibi imitandum propoſuiſſe.] quod planè eſt Chriſtum agnoſcere martyrem, cum alij qui paſſim dicuntur martyres, non niſi ex Chriſti imitatione ſtatuantur martyres. Diſertè S. Chryſoſtomus homil. 1. de ieiunio, paucis illis verbis. [Martyr pro illo fias, qui pro te Martyr factus eſt.]

Eadem perſpicuè S. Paulino mens fuit, epiſtola 12. cum Chriſtum Sanctum ſanctorum, Dominorum Dominum, & *martyrem martyrum* nominat: niſi quod rationem reddens illius appellationis, ſignificat teſtimonium à quo Chriſtum appellat martyrem, non perhiberi Deo ſed martyribus ipſis. Sic enim ſcribit, reddens rationem collocandarum reliquiarum SS. Martyrum Fundis, in Baſili vita, (ita enim homo vbique humilis appellat,) abs ſe fundata. [Hanc quoque baſiliculam, de benedictis Apoſtolorum & martyrum reliquiis ſacri cineres in nomine Chriſti Sanctorum ſancti, & martyrum martyris, & Dominorum Domini, conſecrabant. Ipſe enim Chriſtus teſtatus eſt, ſeuiciſſim confeſſorum ſuorum confeſſionem futurum.] Hoc tamen non obſtat quominus denominatio martyris Chriſto tributa à S. Paulino, deducta potiùs ſit à teſtimonio quod Patri reddidit; etiamſi ratio conſecrandi in Chriſti nomine ſub martyrum honore ædem ſactam, ducatur ex claritate martyribus à Chriſto promiſſa, quæ ab ipſomet Chriſto exhiberi videtur, cum templis in eius vnius honorem conſecrabilibus, adſcribi ſuorum martyrum nomina, ratum habet, ad conciliandam eis gloriam: & vt eo muto teſtimonio linguis omnibus vocatione, prodat quanti apud eum ſit confeſſio martyrum, coram hominibus generoſè obita.

Aſtipulatur S. Bernardus ſerm. 47. in Cant. veſtigans diuerſas rationes cur Chriſtus dictus ſit *flos campi*, hanc habet præter cœteras, quod flos ſit martyrium; nec flos horti ſed campi: nam flos in campo, expoſitus eſt tranſeuntium manibus, ac ſi lubeat concuſcationi. [Igitur benè (inquit,) in campo martyrium, dum martyres ludibrio omnium exponuntur, ſpectaculum facti hominibus & Angelis. Nonne illorum miſeranda vox eſt in pſalmo, *Facti ſumus opprobium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt.* Mox hæc ad Chriſtum accommodans, addit; [Chriſtus flos campi, martyr, martyrum corona, martyrij forma. Denique foras ciuitatem eductus eſt, extra caſtra paſſus eſt, in ligno eleuatus eſt, ſpectandus

hominibus , ſubſannandus ab hominibus. ] proſequitur longa oratione cauſam cur Chriſtus ſe florem campi dixerit, non florem horti; quod poterat ſibi tribuere ob puriſſimam natiuitatem in horto concluſo : & æquè ſe dicere poterat, florem thalami, ob ſparſos vbi in thalamis aſſolet,bonorum operum flores, in omni loco ac tempore.Cauſam igitur præ electæ denominationis illius , *ego flos campi* , refert S. Bernardus ad expreſſionem martyrij Chriſti, quod celebrari , & vel ipſo ſuo nomine ingeri oculis noſtris,deſideret;vt vrgeamur ad imitandum , eiuſque exemplo pugnandum in campo; & martyrium ſaltem incruentum obire prouocemur.Rupertus lib.7.in Geneſ.cap.vltimo,lapidem poſitum in titulum à Iacobo ſimul & Labane , cui ſuperaggeſtus eſt lapidum aceruus in teſtimonium, interpretatur Chriſtum, martyrum principem , cui ſuperſtructi ſunt martyrum aggeres. Nec diſſimiliter ſymbolum veteris Eccleſiæ Alamannicæ , hæc præter cætera habet de Chriſto , quibus martyr celebratur. [ Credo martirizatum eſſe,cruci affixum,in eaque mortuum. ] Extat tomo 2. antiquit. Alamannicarum. Altiſſimodorenſis quoque,Chriſti martyrium confirmat ex ſenſu vniuerſalis Eccleſiæ , quam ait ſic canere in antiphona de martyribus.[ Filiæ Hieruſalem venite,& videte martyrem Chriſtum cum cotona,]aitque Chriſtum eſſe martyrem dilectionis ſummæ , qua Deus Pater mundum dilexit. Id enim Chriſtus orbi atteſtatus eſt. Ita Alliſiodorenſis l.3. ſummæ tract.7.c.de fortitudine q.2.

### *Et ex ratione.*

230 Fruſtra in conquirendis pluribus huius veritatis teſtimoniis , operam perderem ; cum ratio potentiſſima eam manifeſtè ſtabiliat. Martyrem enim preſsè ac propriè vocamus, qui veritati reuelatæ atteſtatur & pro ea confeſſione, vitam ponit. Vtrumque enim neceſſarium eſt ad verum martyrium. Nam ſi quis innocens damnetur per calumniam, poterit quidem ea mors excepta patienter , magni meriti eſſe ſententis;non tamen ad conciliandum veri martyrij decus ſufficiet. Si quis item pro veritate philoſophica,etiã morali, nulla intermiſta reuelationis ſupernaturalis mentione, mortem oppetat martyr nequaquam erit. Mortis denique expers perpeſſio incommodorum pro veritate reuelata , etiamſi ad martyrij veri præludium ſit ſatis,non tamen ad conſummationem: eamque veri & preſsè dicti martyrij rationem, quæ ſita eſt in conuehenda martyrij portione gratiæ ſanctificantis ex opere quaſi operato, ſiue vltra menſuram gratiæ diſpoſitionibus quatenus actibus bonis ac meritoriis rependendam,& iure ad gloriam ei gratiæ commenſam, ac prærogatiuam ſpecialem laureolæ. Poteſt autem ea mortis ob veritatem reuelatam exceptio , vel ab hoſte Chriſti inferri vel à cauſis naturalibus immitti , inter exercendum opus Deo gratum ex Chriſtianis regulis; non ignorando quid ex eo reuelatæ virtutis opere , tunc immineat. Id enim eſt atteſtari veritatem reuelatam,& pro ea æquè occumbere, ac ſi mors ab hoſte inferretur. Proindéque Deo non minùs probatur,nec minùs præmio dignum videtur. Actum de ea re eſt plenè tota parte 3.operis de martyrio,vbi probatum eſt,& ex perantiquo Eccleſiæ ſenſu ac Doctorum ſuffragiis & rationibus ſolidè confirmatum , eos qui ex Chriſtiana charitate proximis peſte contactis iuuandis immoriuntur, eſſe verè ac preſsè martyres. Quam non quidem noſtram,ſed à nobis tamen non indiligenter expoſitam opinationem,grauiſſimis Doctoribus , & hic in Gallia, & in Italia, Hiſpania, Germania, Belgio, quorum penes me ſunt teſtimonia verbis ampliſſimis collaudatam , quiſpiam Lyſiſca appetiit, ſed veritati tutela non defuit.

Iam verò nihil eorum quæ ad veri ac preſsè dicti martyrij rationem poſtulari diximus, Chriſto defuiſſe,perſpicuum eſt. Non ſiue vulgatum martyrij titulum attendamus , mortem ſcilicet pro veritate reuelata à fidei hoſte illatam,ſiue exceptam pro charitate in proximos, vterque ſplendidiſſimè in Chriſto micuit. Sanè illatæ à Iudæis Chriſto mortis, quantum eſt ex malignitate Iudæorum ea fuit cauſa primaria, quod ſe Chriſtus diceret filium Dei , eique æqualem ; qua nulla eſt inter Chriſtianas veritates ſublimior , nulla ad fidei martyrium accommodatior. Martyrij verò charitatis illuſtriſſimum exemplar Chriſtus fuit; quandoquidem non ad vnum aut alterum hominem extremæ cladi ſubducendum vitam prodegit ; ſed iacentem & miſerabiliter proſtratam vniuerſorum hominum maſſam , factus ipſe peripſema, eripuit de interitionibus eorum , qua nullam cogitari poſſe maiorem charitatem,certum eſt ex eiuſdem Chriſti oraculo.

231 Fuit igitur Chriſtus verè ac propriè martyr.Et quanquam gratiæ ex operæ operato per mortem accipiendæ capax non erat , eo quod plenus eſſet gratia ab initio , nec ei plenitudini adiici quicquam progrediente tempore dignitas Chriſti pateretur : Tamen id totum in Chriſto fuit , vi cuius ſuppoſita diuina promiſſione , accreſſit martyribus gratia , cum ventum eſt ad certum temporis articulum ſub mortem : ita vt ſi non ſtetiſſet per Chriſti dignitatem , & præceſſiſſet diuina lex quæ ab ipſomet Chriſto pro aliis martyribus poſita eſt , debuiſſet ei ex opere quaſi operato conferri gratia , eique reſpondens gloriæ eſſentialis acceſſio: cum libera mortis exceptio ad obſignandam veritatem reuelatam , quæ eſt tota ratio conferendæ martyribus gratiæ ac gloriæ martyrio propriæ , habuerit in Chriſto locum, nec ea præmia excluſerit à Chriſto , defectus illorum quæ ſunt ex parte ſubiecti requiſita, vt obtingat remuneratio:ſed vbertas ſecũdùm regulas æternæ ſapientiæ incapax crementi, ſeu noui præmij. Vnde nihil derogari dignitati perpeſſionis à Chriſto exceptæ , eiuſque feracitati ad gratiam & gloriam nouam ſubiecto idoneo conuehendam, perſpicuum eſt. Quod tamen aliqui , ſicut gratiæ & gloriæ eſſentialis martyribus propriæ menſuram Chriſto negamus;ita & aureolam ( quam vocant,)ei negandam contendunt, improbauimus p.2.operis de martyrio cap. 6. num.33. Argumentum quo ineptus quidam concionator referente Turriano diſpp. ſelectarum parte 2. diſp.3. dub.4. negauit Chriſtum eſſe martyrem; nempe quod Chriſtus non ſit mortuus pro fide cum ea caruerit;

ruerit; est argumentum ridiculum. Satis enim est, quod sit mortuus pro veritate supernaturali, & obiecto fidei nostræ, etiam si non suæ, reuera fide caruerit.

*Christus martyr præ omnibus.*

232 Nec verò quod vnum hactenus tradidi, verum dumtaxat est, fuisse Christum verè ac propriè martyrem; sed etiam præ alijs omnibus id decus est consecutus, vt meritò S. Ambrosius in psalmo 118. serm. 5. v. 2. Christum nominet *magnum testimonium*, id est antonomasticè testem & martyrem sensus D. Ambrosij esse videtur, habere Deum plurima testimonia, id est plurimos testes. Nam & testimonium habet à rebus omnibus naturalibus, iuxta illud *non reliquit seipsum sine testimonio*. Omnia quippè creata attestantur diuinis perfectionibus. Testimonium item speciatim habet ab Angelis bonis, qui Deo famulantur in omni humilitate & subiectione. Sed & Angeli mali (frendeant licet) coguntur testificari quia ipse est solus Deus, & solus Dominus, & deprehendi potest quotidie cum flagellantur, vt Tertullianus in apolog. & alij patres vrgent. Hominum Plerique vita & factis, nonnulli etiam voce, testimonium perhibent Deo. Non pauci, sed eximij, sanguine suo fuso, testificationem vocis obsignant, quos idcirco κατ' ἐξοχὴν testes vocamus, siue *martyres*. Hæc tamen omnia minuta & exigua sunt testimonia, præ illo magno testimonio est Christus ipse.

Aiebam hanc videri mentem S. Ambrosij, cui concinit qui omnes alios martyres secundas victimas vocauit. Nazianzenus carm. de vita sua. Et sanè vt S. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 19. recte perpendit, ea in parte singulariter fuit Christus, quod [nullus vnquam homo præter illum, Deo dedit quod aliquando necessitate perditurus non erat; aut soluit quod non debebat. Ille verò sponte patri obtulit, quod nulla necessitate vnquam amissum erat; & soluit pro peccatoribus, quod pro se non debebat. Quapropter ille magis dedit exemplum, vt vnusquisque, quod aliquando incunctanter amissurus est, pro se ipso redderet Deo, cum ratio postulat, non dubitet: quia cum nullatenus aut pro se indigeret, aut cogeretur, pro alijs, quibus nihil nisi pœnam debebat, tam pretiosam vitam, immò se ipsum, tantam scilicet personam, tanta voluntate dedit. Eaquè ex causa, Christum D. Anselmus iure anteponit omnibus, qui ad honorem Dei, propter iustitiam aut virtutem, fortiter occubuerunt. Deinde nihil in Christo pendente vacauit à martyrio, vt recte pronunciauit. Gul. Paris. lib. de legibus cap. 28. *ad finem*. Reuera enim & anima Christi suum subijt internum martyrium; quo prodidit sanguis præ angore effusus in ipso passionis vestibulo; & corporis partes omnes, suo quæque peculiari cruciatu vexatas, testimonium perhibuerunt veritati; ad quod se natum esse, & corpotis lacernam induisse, ipse de se Christus professus est.

233 Nec verò in Christo duntaxat cruci tuffixo spectandum est eius martyrium; sed quod Petrus Damiani serm. XI. est de Annunc. Deip. rectè notauit, ab ipso ortu pannis vilissimis inuolutus, & præsepio durissimo reclinatus, iam ex tunc sanctissimis membris legem martyrij præfigebat. Quare consummatio quidem martyrij Christi, facta est in cruce; sed exordium martyrij, idem quod vitæ fuit. Rectissimè enim auror Tractatus de passione Domini, apud Bernardum cap. 5. dixit [passionem, non illum diem vnum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi, crux fuit, & martyrium.] Et cap. 35. proposita effussione sanguinis Christi in circumcisione. [Audiant (inquit) & intelligant, tam pueri teneri, quàm puellæ; & frequenter eorum mentibus inculcetur matutum Martyrium innocentis Iesu. Vnde & Esaias de natiuitate eiusdem Iesu Christi loquens; *Puer* (inquit) *natus est nobis, & filius est nobis; cuius imperium super humerum eius*; Crucem quam *imperij* nomine significauit, natiuitati statim adiungens; quia profectò à natiuitatis exordio, passio crucis simul exorta est.]

*Vsus doctrinæ.*

234 Nihil conuenientius ad obligandam hanc Christi martyrij expressionem, graui oratione Clementis Romani 5. constitut. c. 5. vbi ad martyrium adhortans Christianos, proponit exemplum Christi tanquam magistri. Nam & Christum, *martyrij magistrum* nominat S. Irenæus lib. 3. cap. 12. Ad tanti ergo magistri doctrinam, auidè omnibus hauriendam, hortatur in hunc modum Clemens. [Iussum est vt sit vnus quisque perfectus, sicut magister suus. At Magister propter nos verberatus est, blasphemias, & probra, magna tolerantia pertulit, sputis aspersus est, colaphis & alapis cæsus, & post verbera cruci affixus, aceto & felle potatus, & consummatis omnibus quæ scripta erant, dixit Deo & patri *In manus tuas commendo spiritum meum*. Quamobrem qui optat esse illius Discipulus, æmuletur illius certamina, imitetur illius patientiam.] Sic nimirum, qua ratione etiam in altissima Ecclesiæ pace fas est, incruenti martyrij decora, generosi quique adipiscuntur.

Grauissimè S. Chrysostomus hom. 47. in Acta *in mor.* exponit quantoperè imitatione anteriorum martyrum, atque adeò etiam Christi martyrum principis, obstringamur nos quoque ad martyrium, id est ad præstandum Christo testimonium; non tam voce, quàm vita laudaret nominatim Beati Pauli martyrium, siue testimonium, tum subdit. [Tales & nos oportet esse testes, & non prodere ea quæ concredita sunt nobis. Non de solis dogmatis, sed etiam de vita loquor. Vide enim quid vidit, quidque audiuit. Testatur cunctis mortalibus, & nihil prohibuit illum. Et nos audiuimus quod est resurrectio & innumera bona. Igitur debemus hoc testificari omnibus hominibus. Ac dicet quis, nonne testificamur & credimus? Quomodò, dum contraria agimus? Dic oro mihi, si quis se diceret Christianum, deinde deficiens saperet Iudaica, numquid sufficeret testimonium illud? Minimè. Nam ab operibus

testimonium

testimonium quærerent. Ita certè & nostra est causa. Si dicimus quod resurrectio est, ac innumera bona; deinde etiam contemnimus ea, & indignè hæc præsentia præeligimus, quis nobis credet? Omnes enim animaduertunt non quæ dicimus, sed quæ operamur. *Testis eris*, inquit, *apud omnes homines*. Non apud domesticos duntaxat, sed etiam apud infideles. Testium enim est persuadere, non scientibus sed nescientibus. Fiamus igitur fide digni testes. Quomodò autem erimus fide digni testes? A vita. Insidiabantur illi Iudæi, insidiantur nobis passiones quæ iubent non annunciare testimonium. Sed ne pareamus. Testes sumus à Deo missi. Iudicatur apud homines quosdam, Deus non esse Deus. Misit nos testificaturos sibi. Testificemur & persuadeamus contendentibus. Si non testificabimur, sumus & nos erroris illorum rei. Si autem sæcularium negotiorum iudicio non suscipitur testis multis flagitiis notatus; multo magis hîc, vbi de talibus rebus consideratur. Nos dicimus quod audiuerimus Christum, & crediderimus his quæ annunciauit. Dicunt illi, ostendite hæc per opera. Vita vestra contraria, testatur quod non creditis? Vultisne vt vsurarios auaros, & rapaces videamus? Vt lugentes, plorantes, ædificantes, omniaque agentes, quasi nunquam morituros? Si igitur quòd moriamini non creditis, qua re nihil certius, quomodò vobis credam testantibus? Sunt enim multi homines sic affecti, quasi nunquam morituri. Nam cum in longa senecta incipiunt extruere, quando mortem affuturam putabunt? Non parua pœna nobis quidem ad confessionem vocatis, sed testari non valentibus ea quæ vidimus. Vidimus & nos oculis Angelos, & manifestiùs eis qui viderunt. Igitur testificabimur Christo. Etenim non illi soli martyres, sed etiam nos. Eapropter illi dicuntur martyres, quia quum iuberentur confiteri, omnia sustinuerunt, vt veritatem dicerent. At nos quando affectiones nostræ iubent confiteri, succumbimus. Aurum dicit, dic quod Christus non est Deus; Ne igitur audi tu, quasi Deum, sed contemne illius præcepta. Concupiscentiæ malæ, idem dicunt; sed tu ne persuadeare: sta fortiter, ne etiam de nobis dicatur, *Deum confitentur scire, operibus autem negant*. Hoc enim non est testium sed aduersariorum. Et quod alij quidem negant, non est mirabile: quod autem nos qui ad confessionem vocati sumus, negamus, valdè graue est, & onerosum.]

## CAPVT IX.

### *Christus, Apostolus, siue Angelus Dei.*

235 APostolatum Christi pro Patre, celebrauit Paulus Hebr. 3. verbis illis. *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei qui fecit illum*. Ad quæ verba, creditus Anselmus obseruat, meritò Apostolum tacuisse in fronte huius Epistolæ ad Hebræos, solitam epigraphem, *Paulus Apostolus*. Quod enim sciret, Christum Hebræorum Apostolum fuisse, non ausus est titulum sibi Apostoli, ad eosdem Hebræos, arrogare. Id quod Clemens Alexandrinus in libro Hypotyposeon ex Beato quodam Præsbytero refert, cuius hæc verba describsit Eusebius 6. hist. cap. 11. [Quoniam Dominus ipse, Apostolus Patris sui Omnipotentis ad Hebræos missus fuit, Paulus quia erat ad gentes missus, modestè quidem, cum ad Hebræos scriberet, se Apostolum Hebræorum non inscripsit, partim propter honorem quem Domino Hebræorum Apostolo tribuebat; partim ne cum gentium præco & Apostolus esset, præter officium, ad Hebræos scribere videretur.] Et potuit etiam iuuare ratio quam ex se Clemens præmiserat, nempe exacerbatio Iudæorum in Paulum, ob quam nihil scribendo fuisset profecturus, si nomen suum & Apostolatum, inscripsisset fronti epistolæ. Quamuis autem hæ rationes, ex Pauli Apostolatu ad gentes, & Hebræorum in eum exulceratis animis, admodùm verisimiles sint; tamen nihil vetat, imo longè probabilissimum est, eam quoque aliam causam, petitam ex modestia Pauli & reuerentia in Christi Apostolatum interfuisse, vt Beatus ille Presbyter, & creditus Anselmus asseruerunt. Nec obscurè insinuatur in cognomine *Apostoli*, quod in actu signato tribuitur Christo in hac Epistola, vt obseruasse creditum Anselmum retulimus.

### *Loca varia pro Christi Apostolatu.*

236 Ad hunc ipsum Pauli locum, Theodoretus in confirmationem Apostolatus Christi Domini, profert illud ad Galat. 4. *vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*. Et eodem iure allegari possunt omnia loca, in quibus Christus se à Patre missum, profitetur. Quod enim S. Chrysostomus hom. 5. in ad Hebræos animaduertit, Paulus Christum *Apostolum* vocat, propterea quod missus est. Omnes ergo scripturæ, quibus Filij à Patre missio proponitur, Apostolatui Christi astipulantur. Nec omittendum, elegans quoque testimonium ex 2. Cor. 5. vbi Paulus, datum ordini suo ministerium reconciliationis præfatus, subdit. *Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: Rogamus pro Christo, conciliamini Deo*. His verbis Paulus Apostolatum suum, & cæterorum omnium, pronunciat vicarium esse Apostolatus Christi, vt D. Chrysostomus homilia 11. ad eam epistolam expendit. Sic enim glossat proposita Pauli verba. [Misit filium Pater exhortari, & legatione fungi apud humanum genus pro se. Quoniam autem ille occisus abiit, nos legationem suscepimus, & pro illo & Patre exhortatur vos. Tantum honorat humanum genus, quòd, & filium impendit, quamuis sciret occidendum, & Apostolos nos propter vos fecit: Et ita meritò dicebat, *omnia propter vos*. Igitur *pro Christo legatione fungimur*, hoc est, *illius loco*. Nam nos quæ illius officij sunt, suscepimus. Si autem magnum tibi hoc esse videtur, audi & sequentia per quæ monstrat, quòd non solùm pro illo, sed & pro Patre hoc faciant. Nam propter hoc & subdidit,

didit, *tanquam Deo obsecrante per nos.* Non enim per filium suum exhortatur solùm, sed & per nos, qui filij opus suscepimus. Ne igitur putetis, (inquit,) quòd à nobis rogemini; ipse Christus vos exhortatur & obsecrat. ] Optimè quoque Nyss. l. 1. in ad Rom. ad illud *vocatus Apostolus* sic ait. [ Illi quidem ad fidem vsque vocati sunt: ipse autem aliud quiddam concreditum est, mirum Apostoli munus, res bonis infinitis exundans, gratiis omnibus maior, ac dona omnia complectens. Quid enim ampliùs dixerimus quam id? Videlicet Christum quod nobiscum diu versaretur fecisset, hoc ipsum illis commisisse; ac sic demum à nobis abiisse, id quod Paulus exclamans Apostolorúmque dignitatem extollens, ait, *pro Christo legati sumus, tanquam Christo per nos consolante*, hoc est, *Christi vice.*]

Si igitur qui dicuntur Apostoli, funguntur Apostolatu vice Christi, eiúsque sunt prolegati, Apostolum esse Christum, nemo non videt. Illud enim *pro* in scripturis, cum non designat causam finalem (vt sanè eam non designat hoc loco,) adhibetur ad denotandum successionem vnius ad alium in eodem munere, quod ex Græco & Hebræo vsu confirmat rectè Toletus in cap. 1. Ioan. annot. 51. Itaque verborum illorum *pro Christo legatione fungimur*, non est propriè sensus *missi à Christo sumus ad vos, vt tanquam legati eius tractemus ea quæ pacis sunt, vt conciliemini Deo*: sed sensus est, *successimus in idemmet munus Christi*, ita vt sicut ille fuit ad vos legatus Patris atque Apostolus, ita & nos eidem in legatione & Apostolatu succedamus, eiusque obeamus partes: quod est manifestè Christum statuere Apostolum.

237 Et fuit quidem principaliter Christus legatus & Apostolus Hebræorum, vt proximè ex Eusebio & Clemente Alexandrino diximus: confirmantque illa Christi verba quæ in hanc rem ad cap. 2. epistolæ ad Hebræos profert creditus Anselmus, *non sum missus nisi ad oues quæ perierant domus Israël.* Concinunt item illa Pauli Rom. 15. *dico Christum Iesum, ministrum fuisse circumcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum.* Promissum enim antiquis Patribus fuerat, diuinus hic nuncius, qui diuina arcana cum hominibus communicaret, & negotium salutis humanæ cum Patre mediator conficeret. Tamen quandoquidem Apostolorum tanquam Christi vicariorum, & ipsius Christi, idem est Apostolatus, æquè ac Episcopi & Vicarij idem est tribunal; Pauli autem & cæterorum qui gentibus veritatem Dei annunciarunt Apostolatus, transgressis finibus Hebræorum, ad gentes quoque peruasit; non immeritò, Christus gentium quoque, atque adeò vniuersalis Apostolus confessionis nostræ audit.

### *Error Nestorij circa Christi Apostolatum, depulsus.*

238 Hic verò cauendus est scopulus, ad quem Nestorius allisus est. Testatur enim S. Cyrillus lib. 3. pentabibli cap. 1 Nestorium, Apostolatui Christi distinctionem suppositorum ex quibus Christus compingatur, inædificasse. Refertque hæc ex eo præter cætera. [ Cum audiunt nomen Apostoli, ipsum Deum Verbum intelligunt Apostolum. Pontificis appellationem cum legunt, diuinitatem pontificem sibi fingunt, noua dementiæ specie. Quis enim Apostoli munus cum didicerit, non illicò indicari hominem intelligat. ] Vides Nestorij in Catholicos fannas, eo quod innixi ei loco ex cap. 2. ad Hebr. quem supra protulimus, agnoscerent, Christum Deum simul & hominem, esse Apostolum confessionis nostræ. Id tamen optimè ac verissimè dictum esse, nec quod Nestorius blasphemabat, ex titulo *Apostoli*, siue *missi* illatum rectè fuisse, Christum esse purum hominem, sic conuincit Sanctus Cyrillus, proximè relata Nestorij verba confutans. [ Igitur ne missum quidem esse, in hunc mundum ipsum Dei verbum asseris? Decepit ergo, vt est consequens, homines suo ministerio vocatos, Beatus Paulus; ait enim: *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*; Conuincitur etiam tuo iudicio Beatus Dauid, temerè carnem contexuisse, & inscrutabilia quærere, dixit enim, Patrem qui est in cælis & Deum aloquens: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Quid autem dic mihi; nonne etiam ipse filius mentietur planè, cum dicit: *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*: Et iterum: *Ego ex patre exij, & veni.* Scribit etiam alicubi Beatus Ioannes de ipso: *Qui accipit testimonium eius, signauit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Missum porrò dicimus Dei Verbum, quòd Apostolatus nomen & rem simul cum exinanitionis mensuris haberet. Tu verò stultè formidas, & illi tribuere, & nomen & rem Apostolatus ac Sacerdotij, nescio qua de causa erubescis.] Addit mox S. Cyrillus, Nestorium pugnare cum laruis, fingendo aut supponendo in verbis ex eo relatis, Catholicos tribuere nudo Verbo munus Apostoli aut Pontificis; quod neminem esse adeò attonitum vt asserat, contestatur: sed Verbo carne vestito, Christo inquam Deo simul & homini, id officij assignare Catholicos.

### *Prior Apostolatus Christi notio, nexa missioni, spectans Patrem tantùm.*

239 Habes germanum sensum Apostolatus Christi, spectando missionem Verbi ad nos; cui illustranda illud quoque attexo ex Athanasio, aut quouis alio autore sermonis de Deip. sub finem. [ Cum venisset plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Atque hinc annotandum; quod primùm filius à Patre mittitur & tùm demùm nascitur ex fœmina, non quod primùm nascatur è fœmina, & tum demum mittatur à Patre; sed primùm eius missio à Patre est, ac tùm denique succedit eiusdem natiuitas è fœmina vt quum verbis istis Apostolicis consentiant Prophetæ, qui filium referunt missum esse. Et primùm in Esaia, ipsius qui missus est, verba auscultа. *Ego sum primus, & ego sum vnus in æternum. & manus mea fundauit terram, & dextra mea stabiliuit cælum*: & egre-

diens in tempore operationis coniungit dicens, *& nunc Dominus misit me, & Spiritus eius:* manifestè seipsum per hæc declarans, quod ipse Deus, qui fecit cœlum & terram, hæc dicat, *& nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* Etiam per Zachariam loquens, *oblectare,* (inquit,) *& lætare filia Sion, quoniam ecce venio, & habitabo in medio tui. Et defugient gentes multæ ad Dominum in die illa, & cognoscent, quòd Dominus omnipotens miserit me.* Iam inde & ipse incarnatus de se ipso suis verbis confitetur: *Missus sum à patre,* (inquit,) *& misit me pater,* eadem multis sermonibus contestata reddidit. Ergo non vt homo missus est, sed vt Deus & homo, filius à Domino Patre. Quale etiam illud est, *pluit Dominus à Domino patre,* additum est *à Domino:* Quale quoque & illud est. *Dixit Dominus Domino meo.*]

Indubitatus Athanasius in calce orationis 5. contra Arrianos, pulcherrimè astipulatur, sic scribens. [Ex Verbi missione per Iesum, connunctionem illam intelligi conuenit, qua Verbum cum Iesu Mariæ filio in vnam personam coaluit, cuius vocabuli etymon, *Saluatorem* significat. Nihil autem aliud hoc dicto indicatum voluit, quàm se Dei. Verbo coadunitum fuisse, dum ait. *Qui misit me pater.* Et *à me non veni, sed Pater me misit.* Vnionem enim cum homine, quò hominibus indiuisibilis natura Dei per visibilem innotescere posset, *missionem* nominauit. Non enim Deus locum mutat nostro more, qui locis continemur, neque ad similitudinem nostræ paruitatis, præsentia Dei tota comprehensa intra carnem humanam latuit: Quomodò enim id fieri posset, cùm cœlum & terram impleat? Sed quia se in carne præsentem sistebat, ideò sancti viri, vocabulo *missionis* vti voluerunt.] Denique sub finem orationis contra Sabellij gregales, grauiter refellit eos qui Verbum à Patre missum diffitebantur.

240 Sub prædicta tamen ratione, Christus non est *Apostolus Dei*, provt hoc nomen pro tribus diuinis personis supponit, sed tantùm *Dei Patris.* Sub ea enim ratione ipsum Verbum est missum. At inter diuinas personas non est missio, nisi ratione processionis: eaque dicitur mitti ab altera, quæ procedit ab ea. Vnde Pater nunquam missus legitur, quia à nulla persona procedit. Spiritus verò sanctus quia à Patre & Filio procedit, ab vtroque mitti perhibetur. Nam sæpè eum Pater mittere dicitur. Et ipse quoque filius Ioan. 15. disertè de Spiritu ait, *quem ego mittam.* Vnde S. Hilarius lib. 8. de Trinit. & S. Augustinus 4. Trinit. cap. 20. rectè inferunt, Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere, quandoquidem ab vtroque mitti dicitur. Filius ergo quia à solo Patre procedit, qua Verbum est, non dicitur vt sic mitti nisi à patre. Vox enim *missionis* cum de Deo agitur, continet metaphoram à missione sensibili, qua quis dirigitur aliquo: proindéque ex parte principij mittentis, est actio quædam: ex parte autem eius qui mittitur, est effectus quispiam ad cuius executionem mittitur. At in Deo ex parte principij, non potest occurrere alia actio præter productionem æternam; cui ex parte personæ productæ quæ mitti dicitur, adiungitur effectus aliquis externus, eidem personæ proprius, qualis in re præsenti respectu personæ Verbi, est terminatio humanitatis. Quandoquidem igitur Verbum non procedit nisi à Patre, ideirco Verbum qua Verbum est, à Patre solo missum est ad effectum prædictum; ita vt quamuis effectio totius entitatis ex qua Christus coaluit, sit toti Trinitati communis, ob indiuisionem actionum externarum, & operum per eas accipientium esse, tamen sicut solus filius terminat hypostaticè, ita solus Pater filium ab eo duntaxat procedentem, mittere dicatur ad præstandum effectum illum quasi formalem, peculiarem Verbo. Enucleant hoc plenius Scholastici ad calcem tractationis de Trinitate, exponentes missionem personarum diuinarum.

241 Mihi sufficit circa hanc Christi missionem & Apostolatum, referre & refellere ex Richardo Victorino tract. de superexcellenti baptismo Christi, insulsum errorem quorundam. [Filij (inquit Richardus,) missionem, quidam simpliciores, minùs sanè intelligunt: cum enim audiunt ab ipsa veritate; *Ego exiui à Patre, & veni in mundum,* sic intelligunt, quasi priùs fuerit in Patre, & non in mundo. Et cum à Patre exiuit, patrem deseruit, & à Patre recessit, &c. & mox subdit. Nec solùm est in omni loco, quia est immensus, sed etiam vbique est totus, quia simplex. Hæc est enim natura simplicitatis, quod vbicunque est, ibi tota est. Cum ergo Deus sit immensus & simplex, consequens est quod vbique sit totus. Nec cùm dicitur esse vbique totus, prædicatur habere partes, immò in hoc ipso habere negatur partes: Quia si partes haberet, totus vbique non esset. Nec cum dicitur totus vbique, intelligendum est, quasi omni creaturæ secundùm plenitudinem se infundat. Sed vbique est totus in seipso, id est, vbicunque est, se totum habet. Hoc de Patre, hoc de Filio, hoc de Spiritu sancto est intelligendum. Quid est ergo Filij missio, nisi formæ seruilis susceptio? Alia in eum errorem suggerit Sanct. Augustinus orat. de 5. hæresibus cap. 7.

### *Altera notio Apostolatûs Christi, spectans totam Trinitatem.*

242 At potest prætereaalius Christi Apostolatus agnosci, qui non respiciat solum Patrem, sed totam Trinitatem; sitque magis proprius huius loci quo de Christo homine agimus. De Christo enim dictum est Isaiæ 48. *Dominus misit me & Spiritus eius.* Tametsi enim Origenes, ambiguitatem Græci textus apud Esaiam scrutatus lib. 1. contra Celsum, censuerit verborum illorum Græcorum καὶ νῦν κύριος ἀπέσταλκε με καὶ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, verum sensum esse, *Dominus misit me, & Spiritum eius,* tamen verus sensus est, *Dominus misit me & Spiritus eius:* alioqui dicendum fuisset potiùs, *& Spiritum suum.* Præterquàmquod Christus Dominus se à Spiritu Domini missum profitetur verbis illis cap. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, ad euangelizandum pauperibus misit me.* Cum ergo Christus quâ Deus, non procedat à Spiritu sancto, & tamen ab eo mitti dicatur, alia Christi missio, aliúsque eius Apostolatus, agnosci debet, respiciens Spiritum sanctum,

cum, atque adeò etiam Verbum quâ Verbum. Nam quandoquidem habemus missionem sine processione æterna ; & id omne ratione cuius talis missio potest respicere Spiritum sanctum, commune est filio ; negari non potest, quin hic alter Apostolatus etiam filium respiciat. Attigit hanc missionem Christi, diuersam à Verbi ipsius missione S. Hieronymus in cap. 61. Esaiæ, & expresse eam tradit Conc. Toletanum 11. in professione fidei *sub finem*, docens Christum non à solo Patre, sed & à Spiritu sancto, & à seipso quoque missum accipi, ob inseparabilem personarum omnium diuinarum & voluntatem & operationem. Disertè item Hyginius Papa epistola 1. Decretali, agnoscit, filium non secundum Deitatem solam à Patre missum esse, sed etiam secundum carnem: & eatenus filium quoque seipsum misisse. Itaque vt D. Augustinus 4. Trinit. cap. 20. rectè distinxit, hæc missio, & hic Christi Apostolatus, longè alius est à priore quo Verbum mittebatur vt caro fieret: ille autem posterior, non alia de causa Verbo tribuitur, quam ratione humanitatis, seu quia Verbum caro factum est, & per communicationem idiomatum, quæ huic homini ratione naturæ humanæ conueniunt, tribuuntur etiam Verbo eam suppositanti: Vnde liquet, tantum abesse, vt ex missione siue Verbi ad subsistendum in hac natura humana, siue huius hominis ratione naturæ in qua Verbum subsistit, rectè colligatur diuersitas suppositi inter Verbum & hominem illum ; vt potiùs nequeat ea missio intelligi absque vnitate personæ, & singularitate suppositi vtramque naturam adunantis. In quam rem plura petere licet, ex homilia D. Chrysostomo tributa, *de oue & pastore* t. 6. Græcol.

### *Eadem duplex notio, cadit in titulum Angeli, Christo tributum. Exponitur prior.*

143 Duplicem notionem propositam, secundum quam Christus dicitur *Apostolus*, notare æque licet in denominatione Angeli, qua item insignitur Christus Dominus. Quamuis enim Nyssenus orat. 10. (verius 11.) in Eunom. late reiicit sensum hæreticum, quo Eunomius Christum provt Deum vocabat *Angelum*; tamen in bono sensu, Christus propterea quâ homo, dicitur Angelus ; estque reuera vox *Angeli* synomeno cum voce *Apostoli*. Apud quosdam erga Patres, Scripturæ quibus Christus dicitur *Angelus*, accipiuntur de Christo quatenus Deus est. Adducit plerosque Fernandius commentario 2. ad visionem sextam sect. 1. qua tractat problema Theologicum, an qui in apparitionibus veteris testamenti *Deus* nuncupatur, esset semper Angelus, vt D. Augustinus contendit; consentiuntque Vasq. 1. p. d. 185. c. 2. Peterius Dan. 3. Thyr. lib. 1. de apparit. Dei visib. à cap. 24. Ant. Peres Authent. Actor. c. 22. Suarez fusissimè lib. 6. de Angelis c. 10. à n. 29. an verò esset aliquando Verbum ipsum diuinum, siue Deus: aut simpliciter, aut cum appropriatione apparitionis ad personam Verbi; quod idem Fernandius affirmat, cum aliis quos profert quibus mox quosdam addam.

Nunc inprimis pro *Angeli* nomine in scripturis tributo personæ Verbi, adduco Cassianum lib. 2. de Incarn. cap. 2. vbi affirmat, omnia illa Christi prædicata apud Esaiam cap. 9. *vocabitur nomen eius magni consilij Angelus* (Hieronymus ibi negat nomen *Angeli* haberi in Hebræo, sed sufficit habere in vulgatâ editione:) *Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*, esse diuinitatis vocabula. Et idcirco obseruat, in Euangeliis, quæ Christi seu Verbi Dei nostræ carni coniuncti, historiam contexunt, tam quam tales Christi appellationes vsurpari. Similiter S. Iustinus in Apolog. ad Antoninum, cum Angelum qui Mosi in rubo dicitur apparuisse, affirmat esse Verbum Dei; ideòque dixisse, *ego sum Dominus*. Locus est adscriptu dignus, quod ad rem hanc vniuersam illustrandam, videatur peropportunus. [Est autem (inquit ;) sermo Dei, filius ipsius sicut iam diximus. Idem & Angelus vocatur, & Apostolus. Is enim nunciat quæ sciri oportet, & mittitur vt afferat nuncium, sicut ipse Dominus noster ait: *Qui me audit, audit eum qui misit me*. Quin & è literis Mosaicis id satis apparet, vbi sic legitur ; *& loquutus est Mosi Angelus Dei è rubo ardente dicens, ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus patrum tuorum ; Descende in Ægyptum & educ populum meum*. Reliqua inde petere licet volentibus : non possunt enim hic comprehendi omnia. Tantùm adduximus hæc, vt declararemus Iesum Christum esse Dei filium & Apostolum, qui priùs Verbum erat, & aliquando in ignis specie apparuit, aliquandò in imagine incorporea ; Nunc autem per voluntatem Dei pro salute hominum factus homo, passus est iniurias & contumelias ; ab insanis Iudæis furore dæmoniaco percitis: Qui cum in libris Mosis disertè dictum inueniant, *& loquutus est Angelus Dei Mosi in flamma ignis in rubo, dixitque, ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, vniuersorum patrem, ac Creatorem, aiunt hæc dixisse. Et hoc est quod Spiritus propheticus eis opprobrat, dicens : *Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit*. Rursum Iesus, vt modò dixi, cum apud eos versaretur, ait: *Nemo nouit patrem nisi filius, neque filium nisi pater ; & quibus filius reuelauerit*. Itaque Iudæi qui putant patrem omnium cum Mose colloquutum, nescientes loquutum ei Dei filium : qui & Angelus & Apostolus vocatur ; meritò reprehenduntur per Spiritum propheticum, & per ipsum Christum, vt ignorantes tam Patrem quàm filium.] Idem discursus habetur apud Tertullianum lib. contra Iudæos cap. 9. vt planè appareat, Tertullianum ex Iustino profecisse. Sed & lib. 3. contra Marcion. cap. 16. eadem iterat ex parte ; & vtrobique tradit, Christum dictum *Angelum*, ob magnitudinem virtutum quas erat editurus, & ob officium prophetæ ; nunciantis scilicet diuinam voluntatem. Item vt addit lib. de carne Christi c. 14. quia magnum cogitatum patris super hominis restitutione annunciaturus sæculo erat. De Angeli autem in rubo apparitione, eodem planè modo quo Iustinus & Tertullianus, philosophantur S. Hilarius l. 5. de Trin. & Patres Concilij primi Antiocheni in professione fidei ad Paulum Samosatenum, vbi de nomine *Angeli* tributo personæ Verbi multa loca aceruant.

*Illustratur posterior.*

244 Idem tamen Iustinus in colloq. cum Tryphone, Christum magni consilij Angelum ab Isaia pronunciatum quatenus iam filium hominis, tradere videtur, docens Christum dici *Angelum magni consilij*, ratione doctrinæ quam factus homo annunciauit: & quia docuit cladem Angelorum improborum, & cogitationes pacis quas Deus cogitauit super electos. Qua ratione Christus prout homo, denominatur *Angelus Dei*. Verbum autem non subit eam denominationem, nisi in tempore, & ratione vnitatis suppositi inter Deum & illum hominem. Et planè eodem modo de eo Christi nomine philosophatur Epiphanius hær. 69. Egregiè autem S. Athanasius orat. 4. contra Arrianos, idipsum eruit ex Genesi 48. in hunc modum. [Nunquam quispiam precaretur accipere à Deo, & ab Angelis, aut ab vllis rebus creatis. Neque quispiam hanc verborum formam concepit, *det tibi Deus & Angelus*, sed contra à patre & filio propter vnitatem, vniformémque rationem dandi. Siquidem per filium dantur ea quæ in dationem veniunt. Nihil autem est omnium, quod non per Filium efficiat Pater: ita enim qui accipit, tutam & certam gratiam adipiscitur. Iam si Iacob in benedicendis nepotibus Ephraim & Manasse, ad istum modum locutus est; *Deus qui aluit me à pueritia mea vsque in hunc diem, Angelus qui liberauit me ex omnibus malis: benedicat pueros istos:* non tunc aliquem Angelorum Creatorum, & qui natura Angeli erant, in vnum copulauit cum creatore Deo, neque omisso nutritio suo Deo ab Angelo benedictionem suis nepotibus postulauit: Sed quia disertè locutus est de Angelo qui illum ab omnibus malis liberauerat, satis præ se tulit, non ex creatitiis Angelis aliquem, sed filium fuisse Patris, quem Patri in suis precibus consociauit, per quem Deus liberat quos vult. Hunc enim magni consilij Patris Angelum nouerat, nec alium, nisi illum ipsum qui benedicit & liberat ex malis, suis verbis expressit. Non enim ille sibi à Deo, nepotibus autem ab Angelo benedictionem dari voluisset, sed eundem illum quem interpellabat, *non dimittam te*, (inquiens,) *nisi benedixeris mihi*. Is enim erat Deus, vt verba Iacobi clarè testantur: *Vidi Deum facie ad faciem*. Illum ipsum (inquam,) precatus est, vt nepotibus beneiceret.]

Idem ferunt illa S. Dionysij cap. 4. cæl. hierar. *in ipso fine*. [Omitto vt ipse quoque Iesus, ea dicere quæ Sacrosanctis nostris traditionibus exponuntur; scienti enim loquor; vt scilicet Iesum Angelus passioni proximum & orantem, confortasse memoretur. Et ipse quoque Iesus, cum ob nimiam charitatem suam, salutique nostræ nimis necessariam, ad suæ pietatis opus implendum in ordine veniret nunciantis, *magni consilij Angelus*, sit prædicatus. Nam profectò (sicut ipse suo ministerio conuenientia locutus ait,) *quæcunque audiuit à Patre, nunciauit nobis.*]

245 Suffragatur apertè S. Augustinus tract. 24. in Ioan. in fine [sic (inquit,) Prophetа Christus Dominus Prophetarum; sicut Angelus Christus Dominus Angelorum: Nam & ipse dictus est *magni consilij Angelus*. Veruntamen alibi qui dicit Propheta? Quia non legatus neque Angelus, sed ipse veniens saluos faciet eos: Id est ad saluos eos faciendos, non mittet legatum, non mittet Angelum, sed veniet ipse. Quis veniet? Ipse Angelus. Certè non per Angelum, nisi qui ipse sit Angelus, vt etiam Dominus Angelorum. Etenim *Angeli* latinè *nuncij* sunt. Si Christus nihil annunciaret, *Angelus* non diceretur; si Christus nihil prophetaret, propheta non diceretur. Exhortatus est nos ad fidem, & ad capessendam vitam æternam. Aliquid præsens annunciauit, aliquid futurum prædixit. Ex eo quod præsens nunciauit, Angelus erat; ex eo quod futurum prædixit, propheta erat; ex eo quod Verbum Dei caro factum est, & Angelorum & prophetarum Dominus erat,] quod idem S. Augustinus serm. 15. ex 40. nouis tractans turbationem Euangelicæ piscinæ ex descensu Angeli, confirmat, Christum hunc fuisse Angelum, quia nuncius erat voluntatis Patris.

246 Planéque eundem sensum fert, quod apud Malachiam, Christus ad templum veniens, atque adeò iam homo, & prout homo, vocatur *Angelus testamenti*. Idem habet Clemens Alexandrinus 1. pædag. cap. 7. vbi de Christo, *mystico* (vt vocat) *Angelo* pluscula. Audi Rupertum lib. 5. in Apocal. [Angelum esse Christum Dei filium, Angelum, id est, nuntium magni consilij hunc esse vel dici, non solùm prophetica, verùm etiam legalis auctoritas astruit, cum ad Mosem Deus dicit; *Ecce ego mittam Angelum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obserua eum & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris, & est nomen meum in illo.* Nam Angelus in quo debeat esse nomen Dei, id est qui Deus aut Dominus iure debeat dici, vnus & solus est Deus, Christus Dei filius? *Idio*, (inquit,) *venit*, videlicet in hunc mundum, per incarnationis mysterium. Nam & ex eo quod sic venit, & voluntatem Patris nobis annuntiauit, *Angelus* dicitur, & est. Veniens autem, *stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua*. Quomodò *stetit ante altare*, nisi præsto se exhibens ad subeundum opus obedientiæ spontaneæ? Cum enim tanquam Deus manu sua se tueri posset, tanquam homo infirmum, se inueniri & teneri passus est, dixitque orans ad Patrem; *Mi Pater si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Itaque non se defendens stetit ante Altare, videlicet tanquam ouis ductus ad immolandum, & non aperuit os suum. Taliter astitit, aureum in manu sua habens thuribulum, scilicet apparens in conspectu Ecclesiæ, factus ipse thuribulum, vt super altare crucis thuribulum suum aureum, id est corpus immaculatum, & de Spiritu sancto conceptum, offerret Patri pro nobis.] locum ex cap. 23. Exodi quo vsum vides Rupertum, ad monstrandum quod Christus in

in Scripturis dictus sit Angelus, adhibet quoque in eum finem Arnobius in conflictu cum Serapione lib. 1. sub finem, vbi & alia pictaque loca ad idem declarandum addensat.

247 Sed pereleganter ac latè lib. 1. de meditat. mortis cap. 11. monstrat idem Rupertus, de Christo per simplam mortem suam liberante nos à dupla morte nostra, dictum esse Iobi 33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnum de similibus, vt annuncieti hominis æquitatem*, &c. Quæ verba toto reliquo illo libro, & sequenti. versans & ad Christum accommodans, post S. Gregorium, affirmat cap. illo 11. Christum esse illum Angelum, qui non dominici eloquij, sed suimet factus est Angelus ac nuncius, vt apud Amos quoque dicitur verbis illis; *quia ecce formans montes, & creans ventum, annuncians homini eloquium suum, Dominus exercituum nomen eius.* Addit cap. 13. hunc ipsum dictum esse à Malachia *Angelum testamenti*, quia taliter Angelus factus est, vt solus moreretur, & mori posset secundùm naturam nostram quàm assumpsit, & moriendo conscribere nobis testamentum æternæ hæreditatis. Et quamuis Petrus Blesensis serm. 46. *initio*, dicat hunc esse *non Angelum Domini*, sed *Angelum Dominum*; tamen potest quoque Angelus Dominus, quia vnus cum patre Deus est, dici Angelus Domini, quia à Deo missus est. Latè denique Angeli nomen Christo sub hac ratione vendicat Origenes lib. 5. contra Celsum *sub finem*, probans iuxta Christianos, ante Christum, alios missos fuisse: sed hunc docens esse magni consilij Angelum qui hominibus Patris vniuersorum, de ipsis Concilium nunciaret.

### *Fatuitas Bogomilorum ac Origenis circa Christum hoc secundo modo Angelum.*

243 Hæc secunda denominationis propositæ notio, quod spectet Christum provt hominem, nec nisi per communicationem idiomatum refundatur in Verbi personam, est huius tractationis magis propria, quàm prior, quæ denominationem Angeli directè tribuit ipsi Verbo diuino, etiamsi cum aliqua connotatione humanitatis postea assumendo. Cauendum autem circa eam est, ne quod deliraſſe Bogomilos autor est Euthymius p. 2. panopl. tit. 23. num. 8. existimemus, Verbum Patris, esse celebrem illum Archangelum cui nomen *Michaëli*, quod caro sit factum. In quam vanissimam fatuitatem, consensisse bene multos è Lutheri & Caluini hara subulcos, latè refert Serarius in cap. 5. Iosue q. 42. fusè id refellens q. 43. & 44. Quod frustra ferè fieri censeo, cum ex veteri Testamento, longè ante Christi aduentum & Verbi Incarnationem, constet fuisse vnum quemdam Michaëlis nomine signatum, creatum spiritum, quod tributa ei munera euincunt.

Rursus circa denominationem Angeli diuino Verbo tributam, cauendum est, ne quod Origenis verba innuere videntur hom. 8. in Genes. & tomo 1. in Ioan. ad illud *in principio erat Verbum* in longa explicatione nominum Christi, cum deuenit ad explicationem *primi & nouissimi*, existimemus Christum factum reuera esse Angelum æque ac hominem: quod Origenes probat, quia Christus vocatur *magni consilij Angelus*. [Seruator (inquit,) diuinius multò quàm Paulus factus est omnibus omnia, vt omnes vel lucrifaceret, vel perficeret. Et manifestè homo hominibus, Angelis Angelus factus est. Cumque fidelium nemò ambigat hominem eum fuisse, Angelum etiam eum fuisse adducimur ad credendum, obseruantes Angelorum apparitiones, & verba, quando potestatem cum apparet Angelorum habere, in quibusdam Scripturæ locis, Angelis loquentibus: veluti illo in loco; *visus est Angelus Domini in flamma ignis de medio rubi, & dixit: Ego sum Deus Abraham, & Isaac, & Iacob.* Quin etiam Esaias dicit; *vocabitur nomen eius magni consilij Angelus.* Primus ergo & vltimus est Seruator: non quòd non sit etiam inedia, sed idcircò duorum extremorum vocabulo gaudet, vt declaret se omnia fuisse.] Hoc vel apertè falsum vel nimis mysticum est. Quomodo enim Christus factus Angelus: Non enim Deus Angelos apprehendit

### *Vsus doctrinæ.*

249 Est Christus, fidelis Dei ad nos nuncius atque legatus. Itaque quam fidem legatis Principum deferre par est, honores item ac immunitates quibus legati iure gentium vbiuis potiuntur, congruum vel etiam necessarium est, Christo non negare. Ægerrimè quippe ferret Pater, si quem signauit & ad nos misit, velut planum ac impostorem audire, & vt fidem adhibere refugeremus. Et ægriùs etiam ferret inhonorationem aut contumelias si quas à nobis toleraret. Notum quid Dauid in dehonestatores legatorum suorum sanxerit, & quàm graues pœnas de eis sumpserit. Qui igitur in nuncium à Deo ad nos missum iniurius & contumeliosus fuerit, eum inquam condignè non exceperit, vel irreuerenter habuerit, meminerit in quem recidat ea iniuria inhonoratio: Vtique in ipsum Deum viuentem, quem in legato suo vidisse impium est, nec impunitum abibit.

# CAPVT X.

## *Christus veritas Dei, siue amen Deo ad gloriam nostram.*

IN hoc titulo dedi de Christo, verba Apostoli 2.Cor. 1. qui excusans mutationem consilij de aduentu secundo Corinthum, veritus ne quis eam propositi varietatem traheret in dedecus Euangelij quod annunciarat, haberetúrque etiam in eo varius, addit; *Fidelis Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos non est in illo est & non: Dei enim filius Iesus Christus qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit est & non, sed est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est: ideo & per ipsum amen Deo ad gloriam nostram.*

## *Amen Deo per Christum, an spectet orationum clausulam. Sensus germanior.*

250 Postrema verba, Theodoretus ad hunc locum, accipit de clausulis orationum nostrarum ad Deum. Est enim *amen*, signaculum orationis cuiusuis nostræ, vt scitè dixit S.Hieronymus; & tradunt qui antiquum orandi publicum vsum describunt, Iustinus apolog.2.& Cyrillus catech.5.mystag. Vnde quia quæcunque postulamus à Deo, per Christum postulamus, existimat Theodoretus dictum esse ab Apostolo, per Christum adhiberi Amen Deo, ad finem orationum, & nostrarum Dei glorificationum. Est sanè id verissimum, si rem spectes præcisè à contextu Pauli. Christus enim iam ab Ecclesiæ Christianæ cunabulis, imo ab origine mundi, interpositus semper est à fidelibus ad conciliandam orationibus autoritatem, & exorandum Deum, vbi nunc etiam seruatur in publicis precibus. Benè id tradit autor libri de amore Dei apud Bernardum cap.8.& illustrat Durandus 2.de ritibus cap.16. num.12. verissimè igitur à Theodoreto dictum est, per Christum dici à nobis *amen Deo*, ratione clausulæ qua preces omnes obsignamus. Quominùs tamen ea interpretatio Apostoli admittatur; facit, quod reuera non cohæret cum contextu: in quo Apostolus perspicuè agit de diuinis assertionibus ac promissis, non autem de orationibus nostris.

Existimarim itaque sensum Apostoli esse, Christum esse ipsam veritatem & firmitatem, cùm dictorum, tum promissorum diuinorum, quæ ab Euangelicis concionatoribus, Syla, Timotheo, ipsóque Paulo, proposita Corinthiis fuerant. Volebat enim Apostolus certitudinem firmam prædicationi suæ conciliare, & amouere ab ea notam leuitatis, vt dictum est. Ad hoc ergo assumit, in Christo quem annunciarat, (nam is est, non autem Deus ad quem referuntur eæ particulæ *in illo* vt benè vidit creditus Anselmus;) non esse *nisi est*, q. d. veritatem & firmam certitudinem: idque constare ait, ex diuinis promissis, quæ omnia in Christo cernuntur rata. Quod enim Breuiarium fidei contra Arianos, hæc verba refert adesse Christi à se, & hunc locum vult esse affinem illi alteri, *qui est, misit me ad vos*, non est reuera consentaneum textui, qui solam quam dixi veritatem sonat. Et meritò. Nihil siquidem antiquis Patribus, aut per Prophetas populi Dei promissum fuit, quod non abundè in Christo persolutum habeatur, atque expletum. Ideóque per Christum, *amen Deo*, hoc est ipse Christus, (nam illud *per*, sumo vt sæpè alias, in sensu formali, non autem causaliter;) ipse inquam Christus, *est amen Deo*, quia per eum deprehenditur Deus omnia verè & dixisse & promisisse. Vnde ingens gloria redundat in Christi præcones: nisi mauis in ipsum Deum, quod potiùs fert Græcus contextus, qui habet δι' ἡμῶν *per nos*: vt sit sensus, *Christum* esse *amen Deo*. Vnde magna Deo gloria redditur per nos, perspicientes in Christo firmitatem ac veritatem plenam omnium à Deo, siue simplici assertione propositorum, siue promisso firmatorum. Ita videtur hunc Apostoli textum accepisse S. Epiphanius hæres.42. quæ est Marcionitarum. Sic enim scribit. [Non est contrarius Christus Deo qui legem dedit & Prophetas. Nam eò quod in ipso promissiones promissæ fiunt, *idcirco* (inquit,) *& per ipsum, Amen Deo.* Ita vt Deus quidem Pater promiserit, Christus autem confirmet, & Dominus amen ipsum sibi vendicet per ipsum, in his quæ per ipsum promissione confirmata sunt, cùm pater ipsius in lege locutus sit, & in Euangelio credentibus salutaria donauerit per ipsum Christum.] S.Basilius in catena Græcorum à Francisco Zephyro collecta, consentit prolatæ Apostoli verborum interpretationi. Proposita enim quæstione, [cur recitatis execrationibus Deuteronomij, adiungitur Amen; benedictionibus verò nulla sequitur affirmatio, Amen:] Respondet S. Basilius. [Diluit hanc dubitationem Apostolus, dicens; *Filius Dei non est, Amen, & non Amen; etiam, & non; sed in se ipso est Amen. Omnes enim Dei promissiones, in ipso sunt, Etiam, Amen.* Ipse nimirum est qui benedixit nobis omni benedictione spirituali.] Quia ergo benedictiones Christi, pro nobis non pro Hebræis fuerunt, quia nobis Christus factus est benedictio, non subiungitur Amen benedictionibus Iudæorum.

* *
*

Loca

*Loca alia, quibus Christus dictus, Amen, seu veritas Dei.*

251 Ne verò nomen illud Christi, *amen*, prædicto dumtaxat Apostolico loco, quem alij non nihil variè accipiunt, inædificare videamur, extant alia in Scripturis, vnde eum titulum confirmemus, nominatimque illud ex cap. 3. Apocal. *Hæc dicit amen, testis fidelis & verax qui est principium creaturæ Dei*, Græcè additur articulus, quo designatur manifestiùs, illud *amen* sumi substantiuè & in vi nominis ὁ ἀμὴν, ὁ μαρτὺς, ὁ πιστὸς. *Ille amen, ille testis, ille verax.* Quamuis enim in Scripturis, hæc vox interdum sumatur in vi aduerbij, aliàs verò in vi verbi, quod contra Oleastrum in cap. 5. Numerorum, Caminum lib. de locis noui testam. cap. 5. angustius de notione illius particulæ opinatos, ex variis Scripturis & peritorum suffragiis firmaui in Tractatione de S. Latrone cap. 10. Tamen dubitare non licet, quin insuper quoque ea particula vsurpetur in vi nominis, vt Isaiæ 65. *Seruos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicitur in Deo amen, & qui iurat in terra, iurabit in Deo amen.* Vbi *Deus amen*, est Deus verus, vnde *amen* sumitur ibi in vi nominis. Vox Hebræa propriè verteretur *in Deo veritate.* Eum locum latè versat S. Hilarius lib. 5. de Trinit. & affirmat illum *Deum amen*, aut vt ipse semper legit, *Deum verum*, esse Deum in assumpta humanitate. Apud eundem Isaiam c. 25. laudatur & exaltatur Deus, eo quod *fecerit mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, amen.* En cogitationes *amen*, id est cogitationes veritatis & fidelitatis. Similiter Ieremi. 11. vbi vulgatus habet, *respondi & dixi, amen Domine* 70 vertunt, *Deum verum*: agnoscitque Sanctus ad eum locum, *amen* ibi sumi substantiuè, & Deum vocari *amen.* Eadem vocis huius notio locum habet Apocal. 7. in illis verbis, *amen benedictio, & claritas & sapientia.* Quid quod S. Hieronymus clausulam illam epistolæ ad Galatas, *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres amen*, ita accipit, vt illud *amen*, sit nomen sonans qualitatem fidelium ad quos scribebat. Vocat enim eos *fratres amen*, id est *fratres fideles.* Cumergo habeamus tam multa loca, in quibus *amen* sumitur in vi nominis; non potest mirum videri, quod dicamus Christum vocatum esse *amen*, vsurpata ea voce in vi nominis; provt scilicet designat *verum*, imo *veritatem* in abstracto. Nam propriè sic exprimenda esset vox Hebræa, vt interdum quoque factum est. Ab *amen* enim, quod est *fidem præstare*, oritur *amana*, id est veracitas ac fidelitas, & in dictis factisque constantia. Tametsi non soleat ea vox latinè aut Græcè verti, vt de hoc & plerisque aliis Hebræis vocibus obseruat S. Augustinus 2. doctri. Christ. cap. 11. v. 5. de *Sabaoth, Osanna, Alleluia*, aliisque huiusmodi, quæ retenta sunt apud omnes gentes, [propter sanctiorem autoritatem quamuis interpretari potuissent, seruata est antiquitas.] Rursusque tract. 41. in Ioan. [sic mansit, non est interpretatum, vt honorem haberet velamento secreti, non vt esset negatum, sed ne vilesceret, nudatum. Quare supposita huiusmodi notione vocis *amen* qua Christum in Scripturis denominari vidimus, monstrandum nobis ad eius elucidationem incumbit, Christum esse veritatem Dei ad gloriam nostram. Quod cum pro triplici veritatis significatione, possit accipi de veritate dictorum, & promissorum, ac rerum typis & imaginibus contrapositarum; erit nobis per singulas hasce veritates breuiter discurrendum, vt omnibus modis appareat, Christum esse *amen Deo*, siue Dei veritatem.

*Prima in Christo, Dei veritas, quæ dictorum, & reseratæ sui notitiæ.*

252 Est inprimis Christus Dei veritas in dictis. Innotuit enim nobis in Christo, doctrina veri Dei, cum ante eam inundaret orbem falsitas. Non enim de sola Ægypto verum est, quod aquis operta & tenebris obsita esset, ante tempus quo Christus natus est; postmodùm autem liberata sit ab aquis, & visibilis ac conspicua facta; quod ad liberationem à falsitate qua ante Christum inundante obruebatur, accommodat Anastasius Sinaita lib. 3. Hexaëm, ad illud *& appareat arida.* Non inquam id Ægypto peculiare est mysticè loquendo; sed vniuerso orbi commune, quem Deus per Christum veritate replcuit. Per Christum innotuit maximæ orbis parti: vnitas veri Dei: quæ quamuis naturaliter erat cognoscibilis, tamen offusa peccatis interno visui caligine. plerisque non apparebat. Nihil frequentius, quàm vt homo lapidi & ligno accidens, ei diceret, *Deus meus es tu*, & saxo prostratus acclamaret, *tu me genuisti.* Nec prouulgata in orbis terrarum angulo lex scripta, tantæ tamque profundæ Dei veri ignorationi medebatur. Enim verò ait S. Cyrillus in oratione in Concilio Ephesino habita in die S. Ioannis Euangelistæ. [Dum lex per Mosem promulgata adhuc vigeret, Euangelica prædicatione nondum allata, in sola Iudæa notus erat Deus; in Israël magnum nomen eius. Erat enim Moyses voce exili, linguáque tardiore; vnde per solam Iudæam audiebatur. At vbi vera illa lux nobis illuxit, & Deus Verbum, æque ac vnus ex nobis, carni & sanguini communicauit, omnia illius plena facta sunt. Vbique exultantium chori, vbique veri adoratores & boni pastores. Rationalium pecorum greges, præ multitudine, sacra stabula angusta reddunt.]

Olim Philosophi ingenio acutissimi, ad solem diuinæ veritatis cœcutientes, ea de Deo dixerunt quæ abhorrerent ab eo quàm longissimè. Ac ne stolidos quosdam adducere videar, Aristoteles qui ingenij miraculum, & metrum humanæ eruditionis paratæ à quocunque, aut parabilis est habitus de Deo ea scripsit, vt videre est apud Franciscum Picum lib. 5. exam. vanit. doctr. gent. cap. 17. & 18. quæquàm circa Deum cœcutiuerit egregiè prodant. Nunc per Christum vel anus illiteratissimæ, & rupices quique ac petrones, inter Christianos Deum syncerè & verè norunt.

norunt. Hanc Dei veri veram notitiam adeò diffusam & illustrem, per Christum accepimus.

253 Ab eodem, patefacta est Trinitas personarum. Extabant quidem in antiquo Testamento adumbrationes aliquæ Sanctissimæ Trinitatis, vt Galatinus fusè persequitur lib. 2. de arcanis à cap. 8. & Petrus Alfonsus toto titulo 6. nec non Genebr. in notis chronicis, præsertim ætate 4. vnde illa in quibusdam Gentilium aliqualis notitia Trinitatis, vt notaui in Natur. Theolog. dist. 5. à num. 191. Tamen & inter Gentiles ea notitia fœdis erroribus veram Trinitatem excludentibus obnubilabatur, & inter Iudæos non nisi rudis adumbratio tam arcani mysterij, ad præparanda vtcunque ingenia excipiendæ plenæ luci Christianæ, exhibebatur. Expressa autem tanti mysterij detectio, Christianæ temporum plenitudini reseruabatur, vt monuit S. Epiphanius in Anchorato, & concinnè in hunc modum Gregorius Nyssenus in qq. de imag. [Est conceptus vi seminis cuiusdam mali, tanquam in vtero quodam præuaricationis homo, in tenebrosis, & in vmbra mortis sedens. Deinde cum in cognitionis Dei lucem, tanquam infans ab initio progressus esset, per legis directionem animatus effectus est, cum Patrem ac Deum agnosceret, in se quidem habentem, sicut & anima, subsantia coniunctum Verbum & Spiritum. Hominem verò, cum propter nimiam iudicij imbecillitatem, non caperet manifestationem Verbi & mentis, nè specie diuini cultus prolaberetur in multorum Deorum cultum, tempore procedente erudiebat tanquam infantulum crescentem, hæc nostra mundi natura, velut ab anima quadam edocta à Deo & Patre, vt obscurè cognosceret, & velut ex quibusdam minùs claris balbutientis linguæ vocibus ex propheticis documentis, exitum & ortum atque apparitionem substantialis & occulti Patris Verbi. Post quas balbutientis voces, (Mosaica inquam, & prophetica Verbi ænigmata,) cum prodiisset, clarè & articulatè, tanquam ex labiis quibusdam ex vtero virgineo perfectum Verbum Dei, tum perfectam triplicem plenitudinem suam cum istis, & per istud, notam deinceps effecit humana mundi natura.] Rursúsque in opusculi calce. [Quemadmodùm mutus infans, brutus est ac sine mente apud homines, quousque verbum labris genuerit: ita per Dei Verbi genelationem in carne, omnis brutalitas naturæ nostræ deleta est, cum Deus Verbum patrem suum creaturæ palam, & Spiritum sanctum reuelasset.] Eusebius in eandem sententiam, de reseruata Christianis temporibus notitia Augustissimæ Triadis, pleraque habet lib. 1. contra Marcellum Ancyr. cap. 1. & l. 3. de Eccles. Theologia cap. 2. Alibi addam quæ de Trinitatis mysterio post Christi transitum manifestè exposito, commentatus est S. Augustinus quæst. 154 in Exod. expendens illud, *cum transierit gloria mea, me videbis.* Et tract. 100. in Ioan. ad ea verba[a], *ille me glorificabit*, vbi eo aptat illud psalmi 107. *exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.*

A Christo igitur habemus tam eminentis veritatis patefactionem.

### *Incerta & occulta Sapientiæ Dei, manifestata verissimè per Christum, qui idcirco Vrim & Thummim.*

254 Per Christum, Deus incerta & occulta Sapientiæ suæ manifestauit. Vt iure sanè propitiatorio per quod Deus oracula fundebat, & veritatem suam promebat hominibus, à variis Patribus componatur, aut illi certè pectori Pontificis appressæ veritati, vt habetur cap. 28. Exodi, vbi Pontificis pectus videtur ornati insigni opere lapidibus pretiosis intexto, inscriptis hisce Hebræis vocibus, *Vrim & Thummim* 70. vertunt δήλωσις καὶ ἀλήθεια quod latinè dicitur, *illuminatio*, vel *manifestatio & veritas. Vrim* enim à radice *Iara* idem est quod *manifestare & docere* siue *illuminare.* Tummim verò à radice *aman*, vnde etiam prodit *amen* de quo agimus, quod est verbum credendi habens pro obiecto veritatem 70. interpretes, *Thummim* voce ἀλήθειας hoc est *veritatis* expressêrunt. Conuenientissimè autem in Pontificis pectore veritas & manifestatio nexa sunt, vt his verbis pulchrè docet Philo Iudæus lib. de Iudice. [Quid in vita est æquè preciosum ac veritas? Quam vates sapiens inscripsit loco Sacratissimo, ea parte vestis Pontificiæ, vbi est principalis vis animæ, vt Sacerdotem per hoc ornamentum augustiorem faceret. Veritati autem adiunxit cognatam virtutem, declarationem (vt vocat) vt essent seu imagines orationis, quæ vel animo concipitur, vel profertur etiam. Nam huic declaratione opus est, per quam aperiatur aliis, quicquid latet in animo. Sicut veritate illi alteri, ad perfectionem vitæ, actionúmque per quas itur ad felicitatem.]

Hinc liquet, quàm consentaneè *Vrim & Thummin* quæ Christi imago fuit, vt docet S. Cyrillus in expositione Symboli Nicæni, veritatem & manifestationem iunctas haberet. Fuit enim Dei veritas patefacta, & verbum bonum non in corde abditum, sed propalatum & foras emissum: quæ est iuxta Philonem, notio germana Symbolicæ expressionis per Vrim & Thummim. Et multo sanè iustiùs quadrare hæc ex causa Christo potest, titulus ementitus quo summum suum Sacerdotem decorabant Iaponij vt refert eorum Apostolus lib. 3. epistola 5. Vocabant enim eum *Nimxit*, id est, *cor veritatis*; vsu ni fallor per mimicam Sataneæ emulationem (vt in aliis plerisque notatum est à Tertulliano cap. 14 libri de cor. milit. & lib. de præscript. cap. 40.) translato ab hoc vsu Hebræorum, ad cor summi Sacerdotis appendentium veritatis figuram. Vnde etiam ortum quis non immeritò censuerit, quod apud Ægyptios referente Æliano lib. 14. var. histor. c. 34. è pectore summi Sacerdotis ac Iudicis, Saphyrus cui adscripta erat veritas, dependebat. Eóque habitu in vestibulo sepulchri Regis Simandij, primus inter iudices 30. qui statuario opere ibi visebantur, veritatis imaginem de collo suspensa conspicuus micabat.

255 N

255 Nec minùs concinnè accommodari Christo potest alia eiusdem Philonis de Vrim & Thummim Philosophia lib. 2. de Monarchia. Vestitum namque Pontificium vniuersum, Philo ibi docet esse symbolum orbis terrarum, vt insinuatum est à sapiente, attigitque S. Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 3. *in fine*, & fusè quoque prosequitur S. Hieronymus epistola ad Fabiolam. Vrim verò & Thummim, sic interpretatur Philo. [ In pectore sunt gemmæ duodecim, eximiis coloribus ternæ serie quadruplici, ad exemplar signiferi circuli. Nam & ille ternæ è suis duodecim signis in quatuor anni horas distribuit. Cæterum tota hæc pars in qua sitæ sunt, *rationale* vocatur vero nomine; Quoniam quicquid cœlo continetur, fabrefactum ornatumque est certis rationibus inter se congruentibus: Nam ibi nihil non sua ratione nititur. Id rationale geminus textus variat, quorum alter *claritas* appellatur, alter *veritas*. Per hanc subindicatur, non esse fas vlli mendacio cœlum ascendere, quod totum inde ad terrestria loca relegatum sit, & demigrarit in animos scelestorum hominum. Per claritatem verò res nostras clarescere naturis cœlestibus, aliàs in obscuro futuras. Liquet enim, quòd nisi sole illustrante, non essent conspicuæ tot qualitates corporum, nec tot colorum, formarumque species, nec dierum, noctium, mensium, annorumque discrimina. Et in vniuersum quis distinxit tempora, nisi solis, lunæ, cæterorumque syderum cursus, ac recursus, concinniores quàm vt enarrari possint humana facundia? Vnde numerorum natura, nisi ex obseruatione modò dictarum temporis partium? Quis in tanta maris latitudine simul & altitudine, vias nautis aperuit, nisi ratio syderum? Alia quoque innumera, viri sapientes deprehensa per eorum notitiam retulerunt in literas, vt procellas & tranquillitas aëris, felices ac malignos frugum prouentus, æstus remissos, & ardentissimos, hyemes asperas, aut vernantes, siccitates & pluuias, fœcunditatem animantium & stirpium, aut è diuerso sterilitatem, & id genus alia. Omnium enim rerum terrestrium, in cœlo signa notata sunt.

Hæc citra expensionem, Christo accommodare quiuis potest. Est enim iustitiæ sol, non habent vllam in se partem tenebratum, imo eas depellens à sublunari mundo cui præluceat, & præsentia ac futura commonstrat. Omnium planè illarum vtilitatem factus mysticè autor, quas à sole per veritatem Pontificiam expresso, deriuari in orbem subiacentem, commentatur Philo. Et ante Christum quidem, solem exortum, lux aliqua tanquam crepusculum affulsit orbi: adulta tamen & liquida lux, aduentui eius est seruata. Vt non possim sanè Origeni adhærere qui Tomo 1. in Ioan. ad illud, *& hoc est testimonium Ioannis*, contendit ante Christum eximios quosque Prophetas nihil minùs cognouisse mysteriorum nostrorum, quàm Apostolos, & alios ab eis edoctos. Hoc omnino censeo falsum, repugnatque plenitudini lunis & temporum, in qua Apostoli sunt versati. Melius S. Macarius hom. 27. proposita quæstione quorsum Apostolus 1. cor. 2. dixerit de nostris mysteriis, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt*, respondet. [ Illo tempore magnates iusti, Reges & Prophetæ, venturum esse Saluatorem nouerant: passurum autem esse, crucifigendum, ac sanguinem profusurum in cruce, non nouerant, neque audierant, neque adscendit in eorum cor, futurum baptisma ignis ac Spiritus sancti: item in Ecclesia offerendum esse panem & vinum typum seu figuram carnis eius ac sanguinis: atque eos qui participant de pane visibili, * Spiritualiter carnem Domini esuros: item Apostolos & Christianos susceptoros paracletum, atque induendos virtute ex alto, ac replendos diuinitate; commiscendas quoque animas cum Spiritu sancto. Hoc ignorabant Prophetæ ac Reges, neque ascenderat in cor illorum. Nunc Christiani, alio pacto ditescunt. ] Optimè item sub alio licet schemmate S. Gregorius 27. mor. cap. 5. Apostolorum sapientiam, vt gurgitem fuisse ad stillas anteriorum, clarè prosequitur.

## *Christus fons veritatis in nobis, quantum in ipso est.*

256 Mertissimò igitur dixit Baptista, *Ioannis* 1. per Christum factam esse veritatem, quia omnis veritas Dei quæ in nos defluxit, à prima illa & substantiali veritate Dei, quæ Christus est, dimanauit. Quod omnino egregiè tradit Origenes tomo 6. in Ioan. ad illud, *& hoc est testimonium Ioannis*. Opponens enim sibi, quomodò Christus fecerit veritatem, cum Christus profiteatur se esse veritatem, & nemo possit seipsum facere, respondet. [ Intelligendum est quod αὐτο λήθεια ea, quæ est per se veritas, ipsa illa quæ est substantialis, & ( vt ità dicam ) primum exemplar illius veritatis, quæ in animabus inest rationis capacibus, à qua veritate veluti imagines illius, impressæ fuere spectantibus veritatem, non per Iesum Christum facta est, neque omninò per aliquem, sed à Deo. Quemadmodùm enim neque sermo ille, qui in principio erat apud Deum, non est per aliquem; neque sapientia illa quam creauit initio viarum suarum Deus, est per aliquem: sic neque veritas illa est per aliquem. Verùm quæ apud homines est veritas, per Iesum Christum facta est. Verbi gratia, veritas quæ in Paulo inest, cæteriisque Apostolis, per Iesum Christum facta est. Nec mirum est, si veritas cùm sit vna, multas quasi veritates ab illa dicamus diffluere. Vidit enim Dauid ille Prophetа multas veritates, dicens: *veritates exquiret Dominus*. Non enim vnam exquirit veritatem, veritatis ipsius Pater, sed multas, per quas seruantur qui eas habent. Simile verò quiddam huic orationi de veritate, & veritatibus, dictum inuenimus de iustitia, & iustitiis. Ipsa enim iustitia, quæ est substantialis, Christus est, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiaque, & sanctificatio, &

redemptio perfecta. Ab illa autem iustitia, ea iustitia formatur, quæ in vnoquoque ineſt, ita vt in his qui ſeruantur, multæ fiant iuſtitiæ. Hanc ob cauſam etiam ſcriptum eſt, iuſtus Dominus, & iuſtitias *dilexit*: ſic enim in veris exemplaribus, & cæteris traditionibus iuxta ſeptuaginta, & ipſo Hebraico inuenimus. In ſpecie verò, num iſto modo alia quoque quæ Chriſtus eſſe dicitur ſingulariter, pro proportione multiplicata, plurium numero efferri poſſint.]

Eſt ergo Chriſtus, & in ſeipſo ſubſtantialis veritas, & in vnoquoque fideli veritas: quia tota veritas ſupernaturalis quam obtinemus, & omne Dei arcanum quod verè attigimus, eſt plenæ veritatis Chriſti ſtillicidium. Scitè Chryſoſtomus ſerm. de ſigillis l.6. Græcol. [quandiu quidem Chriſtus abfuit, porta veritatis aperta non fuit, neque vinculum ignorantiæ ſolutum.] Eius autem aduentu, apertam eſſe occluſam priùs veritatis portam, monſtrat conſequenter. Similiter S. Gregorius 29. mor. cap. 2. tractans illud, *oſtendiſti auroræ locum ſuum*, interpretatur auroram luce & tenebris commiſtam, Eccleſiam militantem, cui à Chriſto oſtenſus eſt locus veritatis. Id quod etiam in antiquis Patribus voluiſſe docet, quos oportuit lucem veritatis à Chriſto haurire. [Bene autem (inquit,) poſt ortum ſuum, locum proprium auroræ oſtendiſſe ſe perhibet, quia futuræ retributionis beatitudinem priuſquàm per corpus ipſe innoteſceret, in paucorum intellectu continuit. Cum verò humanæ natiuitatis infirma ſuſcepit, venturæ claritatis notitiam in multitudinis innumeræ amore dilatauit.]

257 Non obſtat quominus ſit Chriſtus, veritas noſtra, quod etiamnum aliqui, poſt veritatem Dei in Chriſto à Deo luculenter expreſſam, inuoluuntur nihilominùs falſitate, nec ſi Chriſtus in eis veritas, iuxta Dei conſilium; ſiue hæretici ſint tenebris errorum obſcuratum habentes intellectum, ſiue Catholici à quorum pleriſque diminutæ ſunt veritates, quia vitam ei veritati, quã Chriſtus propoſuit, conformem non exigunt. Non eſt inquam ea labes in Chriſtum referenda, ſed in ſubiecti incapacitatem, quod falſitate occupatum & quaſi plenum; eique ex electione adhæreſcens, non ſit particeps veritatis. Idem profectò his contingere dixerim, quod apud Dionem Pruſæum in calce orationis 35. Indis illis, habentibus apud ſe diuiniſſimum fontem veritatis, de quo guſtare non poſſunt qui repleti ſunt. Sic eſt planè in Eccleſia Chriſtiana diuiniſſimus fons veritatis, (nam fons ſapientiæ Verbum Dei Chriſtus Ieſus;) ſed de eo fonte guſtare non poſſunt, qui repleti ſunt. Hoc quid ſit, benè perſpexerat F. Iordanus, inter primos Ordinis Prædicatorum Generales, non ætate tantùm ſed etiam meritis & eximia ſanctitate referendus. Narrat in eius Actis Leander *pag. mihi* 32. cum ad eum ægrum acceſſiſſent Fratres, vt in Generali conuentu, verbum aliquod ad ædificationem promeret; paucis reſpondiſſe petito dicendi argumento ex antiphona quæ per illud tempus crebrò recurrit, (agitabatur enim feſtum Pentecoſtes;) iterabimus ſæpè per hoc hebdomadem ea verba, *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui.* Non priùs locuti ſunt & ad Dei opus aggreſſi, quàm replerentur Spiritu veritatis, qui eſt ipſe Chriſti Spiritus. Nec priùs repleti ſunt quàm effunderetur ſpiritus eorum, ſpiritus carnis ac ſeculi Chriſti ſpiritus aduersùs, qui in vaſis præerat. Sicque impletum eſt quod Pſalmes cecinerat; *auferes ſpiritum eorum & deficient, emittes ſpiritum tuum.* Hunc accipiemus eoque replebimur, ſi ſpiritum noſtrum foras mittamus, & effundamus. Sapienter iſta Iordanus. Quid ergo ſit exinanitum dumtaxat, non autem repletum guſtare poſſe fontem veritatis patentem per Chriſtum, adſtinguédam veri ſitim cuiuis innatam, intelligit quiſquis Verbo propter nos exinanito conformatur. Planè eſt Chriſtus fons veritatis & ſapientiæ, de quo non guſtant, qui aliter quàm Chriſtus ſunt affecti: atque adeò qui deſipiunt ſpiritu, cuiuſmodi ſunt omnes ei repugnantes. Nam S. Paulinus piè ac ſcitè de more epiſtola 43. vocat Chriſtum [fontem veritatis, cuius doctrinæ quicquid aduerſatur, inſanum eſt.]

Huius fontis veritatis, riuulos eſſe Scriptores ſacros, de quo ſecuri bibamus cum nullã ſit in eo falſitas, dixit S. Auguſtinus ſer. 8. ex 11. additis in calce tomi 10. Bibunt ſimul & comedunt ex hoc veritatis fonte Chriſtiani, & ſic ſe habet Chriſtianiſmus, ait S. Macar. hom. 27. Decora huius fontis veritatis, complexus paucis eſt S. Chryſoſtomus hom. 61. ad pop.

### *Affectus pij, ex hac prima, Dei in Chriſto, veritate.*

258 Eia quis ſufficienter, & Deo & generi noſtro gratulerur, abiectionem freni erroris quod erat in maxillis populorum! Senſus & affectus S. Gregorij hom. 18. in Ezech. *ſub finem*, huc belliſſimè cadit. [Conſiderate (inquit,) libet, quantum ſuper nos effuſa ſunt viſcera creatoris noſtri. Omnes enim nos ex gentilitate venimus. Antiqui parentes noſtri, lignis & lapidibus ſeruiebant, & derelinquentes Deum à quo facti ſunt, Deos venerati ſunt quos fecerunt. Nos autem per omnipotentis Dei gratiam, ad lucem de tenebris venimus. Recolamus ergo de quibus tenebris venimus, & de luce quam accepimus, gratias agamus. Neque enim diuinam miſericordiam intelligit, qui ſuæ miſericordiæ memor non eſt. Vnde & per Pſalmiſtam Deo dicitur, *Mirifica miſericordias tuas Domine, qui ſaluos facies ſperantes in te.* Tunc enim nobis Dei miſericordiæ mitificantur, cùm nobis ad memoriam miſeriæ noſtræ reuocantur: quia recolentes quid fuimus, intelligimus cui debemus quod ſumus. Cantemus itaque cum gaudio creatori noſtro, qui de ſeruitio creaturæ colla mentis excuſſimus. Gaudeamus in nobis impletum eſſe, quod per Eſaiam dictum eſt; *& frenum erroris quæ erat in maxillis populorum, canticum erit vobis ſicut vox ſanctificatæ Solemnitatis.* Frenum quippe erroris maxillas

illas populorum constrinxerat, quando idolorum errore obligata Gentilitas, Deo vero confessionis laudem dare nesciebat. Sed hoc ipsum erroris frenum, iam nobis in canticum versum est; cum gaudendo Psallimus atque cantamus: *Omnes Dij gentium Dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.* Et rursum: *simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.* Qui itaque hæc omnipotenti Domino, psallendo dicimus; ipsum erroris nostri frenum; quod à laude Dei ora nostra ligauerat, vero Domino canticum fecimus. Benè autem dicitur, *sicut vox sanctificata* solemnitatis: quia dum confessionis laudem Deo reddimus, in sanctificata solemnitate gaudemus. Respondeamus ergo moribus tantæ misericordiæ Redemptoris nostri; & qui lucem cognouimus, prauorum operum tenebras declinemus.]

259 Quorsum verò habentes limpidissimum fontem veritatis patentem, bibemus in via Ægypti aquam turbidam? Riui sunt turbidi sensus sæcularium & peruersa iudicia vnde peccata. Addo Petrum Damiani ser. 60. Torrens mori humani, & ipse est turbidissimus ac cœnosissimus. Vt quid ergo præeligat quis eo cœno diluto prolui potiùs, quàm limpidissimis purissimisque laticibus è Christi Saluatoris fontibus, vbertim manantibus?

Eo porrò temeriùs ardentiúsque afficiemur erga fontem veritatis in Christo patentem quo liquidiùs perspiciemus, quàm nitens & pretiosa sit veritas ex eo Christi fonte per nos hausta. S. Chrysostomus hom. addititia in illud ex 1. Corinth. *Nolo vos ignorare fratres*, egregiè & luculenter ueritatis in Christo nitorem ac depressionem præ veterum officiis prosecutus est, exponens quod dixerat, baptismum antiquum, esse figuram præsentis baptismi. [Si didiceris (inquit,) primùm quid sit figura, & quid veritas, tunc & huius tibi rationes reddemus. Quid igitur est vmbra, & quid veritas? Age similitudinem ab imaginibus sumamus, quas pictores pingunt. Vidisti sæpè imaginem regiam veneto colore coloratam, deinde pictorem circumducere candidas lineas, & facere regem & seruum regium, & equos circumstantes, & lancearios & vinctos hostes, & subditos: Et cum hæc vides delineata & adumbrata, neque scis totum, neque ignoras totum, sed quod homo pingitur, & equus, obscurè cognoscis. Qualis autem sit Rex, & qualis hostis, non valdè perspicuè cognoscis, donec colorum veritas adueniens, certiorem reddat visum. Sicut igitur in hac imagine, non exigis totum ante veritatem colorem, sed etsi obscuram quandam accipias cognitionem eorum quæ fiunt, satis tamen picturam absolutam putas; sic & de veteri & nouo testamento teneri, vt non omnem veritatis diligentiam in typo exquiras. Et poterimus te docere, quomodò vetus ad nouum testamentum habeat cognationem; & ille transitus, ad nostrum baptisma. Nam ibi aqua, & hîc aqua: lauacrum hîc, & ibi pelagus. Omnes hîc in aquam ingrediuntur, & ibi omnes. Iuxta hoc similitudo est. Posteà vis cognoscere colorum varietatem? Ibidem liberati sunt ex Ægypto per mare, hîc autem ab idololatria. Et ibi quidem Pharao submersus est; hîc autem Diabolus: ibi Ægyptij submersi, hîc autem vetus homo peccatis defoditur. Et vide cognationem figuræ ad veritatem, & veritatis excellentiam. Neque enim omninò alienum oportet esse typum à veritate, alioqui non esset typus: neque omninò adæquari veritati, quia alioqui, & veritas ipsa foret: sed oportet manere in suo modo, & neque comprehendere omnem veritatem, neque omni veritate destitui. Nam si totum contineat, iterum ipsa est veritas: si autem à toto destituatur, & nulla sit similitudo, consequenter non poterit esse figura; sed oportet vt partem quidem teneat, partem autem veritatis reseruet. Igitur ne in veteri, totum à me requiras; etiamsi partua quædam & obscura accipis ænigmata, boni hoc consulas. Vbi igitur est affinitas figuræ ad veritatem? omnes ibi, & hîc omnes: Per aquam sunt ibi, & hîc per aquam; à seruitute liberati sunt illi, & nos à seruitute liberati sumus: sed non ab eadem omnes. Nam illi quidem à seruitute Ægyptiorum, nos verò à seruitute Dæmonum: Illi quidem à seruitute barbarorum; nos verò à seruitute peccati. Ad libertatem venerunt illi, & nos: sed non ad eandem. Nam nos ad multò clariorem. Quod si maiora sunt nostra, & illis excellentiora, ne moueatis: hoc enim à veritate est, quod sit aliqua excellentia, sed non pugna, vel diuersitas cum figura.] Quod dixit de baptismatis antiqui vmbra, & noui veritate, æquè addit, comparans vtramque mensam & communionem Sacramentorum.

### *Error Mopsuesteni, circa hanc primam Dei in Christo veritatem.*

260 Cæterum priusquàm vlteriùs progrediar, & veritatem in Iesu proditam quoad dicta, dimittam; dispellendus est vanissimus error Theodori Mopsuesteni quoad dicta prophetica, quatenus in Christo accipientia veritatem. Ex Theodoro ipso, illum errorem adscriptis variis ex eo locis fusè illustrat Francis. Turrianus in defens. 2. libri constitut. Clem. ad c. 5. Vnus aut alter Theodori locus ad rem præsentem sat erit. Exponens ergo illud Ioëlis, *effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri*, &c. quæ S. Petrus actorum 2. de aduentu Spiritus sancti per Christum missi, est interpretatus, ait Theodorus, ea non esse à prophetà ad literam dicta de effusione Spiritus sancti, sed secundùm historiam, & quoad sensum προχειρον qui in promptu est, & primùm occurrit, dicta esse de rebus à populo feliciter gestis statim post liberationem à captiuitate Babylonica: ab Apostolo autem, spectato euentu, fuisse aptata ad factam per Christum effusionem Spiritus sancti, eo quod hæc effusio bellè responderet rebus tunc

gestis, haberetque cum eis similitudinem non modicam. Vnde in ea effusione, veriùs quàm in rebus de quibus primò pronunciabantur, impleta censentur Ioëlis verba. Hæc quidem, (inquit proposito eo quem dixi sensu Iudaico,) est horum verborum sententia πρόχειρος. [Petrus verò disserens cum Iudæis in aduentu Spiritus sancti, his vsus est meritò. Siquidem lex vmbram habebat futurorum bonorum; & populo illi tam accuratè prospiciebat Deus, propter expectationem eorum quæ in Christi aduentu extiterunt. Erant itaque quæ ad illos pertinebant parua omnia, & tanquam in vmbra facta, vt iam magnificentiora atque grandiora essent verba, quàm res ipsæ subiectæ, veritas verò rerum ipsarum, dictis ipsis par & æqualis in Christi aduentu habuit exitum, perductaque est ad effectum. Tunc enim omnia magna & noua, & verè admirabilia fuerunt; & quæ maximè, illa quidem quæ in lege gesta fuerunt, superarunt. Vt iam illa vetera vice ænigmatis, hæc verò in Christo, veritas ipsa fuerint. Sic Dauid dixit de populo, *non est derelicta anima eius in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*: quod quidē reipsa completum in populo intelligi non potest, sed dicit metaphoricè, hyperbolicè scilicet liberatum fuisse populum à periculo & interitu; res verò & veritas eorum quæ dicta sunt, ipso Christo extitit, & demonstrata est, quando nec anima eius in inferno remansit, vt potè reuersa ad corpus per resurrectionem; neque corpus interitum vllum sustinuit. Immò non solùm non mansit vt erat cum est affectus morte; sed immortalis factus est, & ab omni interitu alienus: vt iam illud in populo, ænigma & vmbra fuerit, hoc verò in Christo, veritas ipsa. Ad eundem modum vsus est his eisdem verbis Petrus in actis Apostolorum in aduentu Spiritus sancti, tanquàm dicta essent antea, ratione quadam metaphoricè, id est translatè; nunc autem ad exitum ipsius rei, & ad veritatem ipsam perducta sint; vt maior nunc fides præsentibus adhiberi debeat, quàm illis superioribus admiratio tunc adhibita fuerit. Cum multa fuit huiusmodi in sacris libris, host est de illorum numero in quo Deus disserens cum Iudæis per Prophetam, & colloquens vt solebat, promittebat se illis abundè & largè prouisurum, sicut expositum est. Quæ omnia vera vt dixi, extiterunt in Christo; quoniam sol verè obscuratus est, & luna cum eo, & multa tum in cœlo, tum in terra facta sunt prodigia, & sanguis salutaris Christi Domini nostri effusus est, & ignis species ostensa, quæ aduenientis Spiritus vim, & energiam præ se ferebat; quem ignem antecessit vapor fumi, ad significandum supplicium eorum qui ausi fuerant Christum agere in Crucem: Tunc omnes facti sunt participes gratiæ Spiritus sancti communitatis, multis, variisque charismatibus. Alij animi Prophetabant; alij miracula faciebant plurima ad faciendam fidem iis quæ audierant, & ad coarguendos eos qui aliter de Christo sentiebant, vt iam quæ per Prophetam dicta fuerint translatè, & superlatè, siue hyperbolicè; nunc adeò sint in rem ipsam & exitum collata, atquè perducta, vt verba sint infra res ipsas. Horum ergo & aliorum huiusmodi verbotum, quæcunque de aliis rebus à Prophetis dicta, & ad œconomiam, id est ad aduentum Christi, Apostoli transtulerunt, & accommodarunt, hæc causa & ratio, meritò existimari potest; ne historia rerum illarum ficta esse videatur, & vt rerum præsentium magnitudo, ex comparatione illarum magis appareat; simulque ostendatur illorum cum his nostris affinitas; abesse tamen illa ab his tantum, quantum vmbra à corpore, quamuis similis esse videatur.]

Item Theodorus exponens dictum Zachariæ de Christo, *Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus*, quod S. Matthæus de Christo Hierosolymam ingrediente est interpretatus, damnat summæ stultitiæ, ea verba accipere partim de Christo, partim de Zorobabele, de quo vult & ad literam esse prænunciata, subditque quomodò ad Christum transferri potuerint. [Vera autem sententia illa est quàm supra memini dixisse; nempe quòd lex vmbram quandam continebat eorum omnium quæ ad Christum pertinebant. Multa igitur eorum quæ admirabiliter & præter omnium opinionem siue in populo, siue in viris ad res aliquas gerendas electis, facta sunt, scriptura narrat hyperbolicè verbis ipsis primo aspectu veritate carentibus, in ipsis illis rebus in quibus exponendis posita sunt. At tunc deprehenduntur esse vera, cum comparantur cum ipso Christo, ad eumque referuntur, qui eum in omnibus vmbram legis cessare fecerit, veritatemque introduxerit, meritò huiusmodi etiam verborum veritatem declarauit.]

*Euertitur.*

261 Hic Theodori error, profectus est ex nimio literæ studio; & ne absonas in speciem intercisiones in Prophetis admitteret, Damnatus verò est à Vigilio Papa in Synodo Romana, vbi definitum est, Prophetias directè & vt Theodorus loquebatur, κατὰ πρῶτον λόγον de Christo in quem recta Prophetæ ferrentur esse accipiendas, nec istis esse allegorias & typos sensui historico superstructos admittere; sed verè κατὰ λέξιν (vt ait Clemen. Romanus 2. constit. cap. 5.) Prophetas de Christo pleraque protulisse, sicque esse in Christo exhibitam, veritatem, quia impletæ sunt in eo Prophetiæ illæ, non per accommodationem euentus, & similitudinem vel illustriorem expressionem. Certum quidem est, in veteri Testamento pleraque ad literam dici de rebus illius temporis, quæ spiritualiter & mystice Christo aptantur, habueruntque se vt vmbræ & imagines præuiæ: V.g. casus Ionas, & exaltatio serpentis in deserto, & alia quæ in figura contigisse populo affirmat Paulus. Sed præterea multa sunt in Prophetis, quæ directè, & non sub ratione vmbræ ac sensus mystici inædificati alteri sensui

historico, de Christo sunt dicta, & in eo veritatem habent, etiam quoad literam, cuiusmodi sunt varia loca in eo Concilio Romano sigillatim prolata, & sub anathemate iussa de Christo & non de alio quippiam derecte accipi; contra quam statuebat Theodorus, in auris errorem plura Turrianus ibid. & Pineda 5. de Saloin. c. 19. nequicquam Theodorum purgare nitente Facundo lib. 3. pro tribus capit. cap. 6. Præter Theodorum, alij Prophetiis de Christo sunt aduersati. [ Sunt enim plures hæretici (inquit Origenes hom. 17. in Lucam) qui asserunt, Christum à Prophetiis penitus non fuisse prædicatum. ] In hos æque cadunt, quæ in Theodorum intorquentur. Disputat in eos plenè Origen. tom. 5. in Ioannem ad illud *hic venit in testimonium*. Breuiter S. Hilarius in Psal. 54. ad illud *ecce elongaui fugiens*.

### *Altorum extremus error, reiectus.*

262 Porrò vt horum nimius literæ occidentis amor, cauendus est, ita in altero extremo, nec minùs declinando sunt alij, qui vniuersum vetus Testamentum ad minimas vsque particulas, de Christo esse intelligendum tanquam figuram de figurato, contendunt. Quam in rem vulgo profertur illud ex 1. Cor. 10. *omnia in figura contingebant illis* Græca vox, plurali numero *typos* habet, ita vt esse sensus videatur, *hæc omnia tanquam figura seu typi contingebant illis*. Consonatque quod ait D. Augustinus 22. contra Faustum cap. 24. priscorum Patrum non linguam modo sed & vitam, fuisse Propheticam; & totum regnum Hebræorum, magnum quendam; quia & magni cuiusdam, fuisse Prophetam. Vera tamen & ipsi D. Augustino 17. Ciuit. cap. 3. egregiè probata sententia est, quam optimè tradunt Corquæus ad idem caput, Serarius in prolog. Biblioth. cap. 21. quæst. 8. Bellarm. lib. 3. de verbo Dei à cap. 3. Salmeron tomo 1. à prolegom. 8. Sandæus lib. 2. Theolog. Symbol. comment. 3. exercit. 2. Scholastici plerique 1. part. quæst. 1. art. 10. nominatimque Mol. Vasq. Valentia. Nimirum non ita abiiciendum esse literæ corticem, vt omnes planè quantumcunque minimæ veteris Testamenti particulæ, de Christo sint: in quo iam olim apud plerosque malè audiit Origenes, qui semper est mysticus. Quanquam ipsemet supponendum esse literalem sensum non semel obseruat, & nominatim hom. 13. in Exod. & hom. 2. ac 11. in Leuit. sed neque ita exsuccam esse quamcunque literam veteris scripturæ, vt nullibi Christus præmuncietur, & præfiguretur. Vniuersè ergo ac generatim, vetus testamentum continet Christi typos, & omnia quæ in eo traduntur, vel de Christo sunt dicta, vel propter ipsum, vt habet D. Augustinus 12. contra Faustum cap. 7. Minutiæ tamen consectandæ non sunt sollicitiùs, & in Scripturis humano modo confectis, permittendum est vt aliqua humano modo se habeant, nec omnia sunt habenda sic fœta mysteriis, vt nihil prorsus vacet mysterio, & Christi præfignificationibus. Idque nequaquam ferunt illa verba Apostoli, quæ vulgo circumferri in eum sensum referebam. Vt enim benè aduertit Vasques 1. part. disp. 14. cap. 6. eodem sensu, & eadem *typorum* voce, in Græco textu adhibita, Apost. c. ex illo dixit, *Hæc in figura facta sunt nostri*, (agens de exemplo nobis statuto in castigatione iniquorum antiquorum,) quæ ibidem ait, *omnia in figura contigisse Hebræis*. Sicut ergo dicens pœnas quas antiqui illi exceperunt in nostri figura factas esse, significauit eas factas nobis esse in exemplum vitæ, provt etiam eum locum legit Tertull. 5. contra Marcio. cap. 7. Sic omnia in figura contingebant Iudæis, id est ex omnibus exempla decerpere & proficere possumus; licet non omnia, etiam minutissima, fuerint Christi & rerum eius adumbrationes.

263 Dignus est Isidorus Pelus. cuius hîc iudicium adscribam ex lib. 2. epist. 195. Qui vniuersum vetus Testamentum ad Christum transferre conantur, reprehensione minimè carent. Siquidem & Gentilibus & hæreticis illis qui id repudiant, in sua aduersum nos concertatione robur suppeditant. Nam dum ea quæ de ipso minimè dicta sunt, per vim intorquent, hoc efficiunt, vt quæ de eo haud quaquàm conforte dicta sunt, in suspicionem veniant. Per quæ enim illi, hos vt verborum sensum intorquentes euertunt; per eadem in his quoque quæ perspicuè de eo dicta sunt, superiores esse existimantur. Ego verò necessariò vtrumque contigisse aio; nempe, nec cuncta de ipso dicta esse, nec rursum de eo nullum omninò sermonem habitum fuisse. Hoc enim conducebat, vt nec omninò de Christo apud eos homines, qui de Deo etiam ac Patre ambigebant, ac dicebant, *fac nobis Deos*, verba fierent; nec rursum, tum ad conuincendos Iudæos qui fidem minimè adhibituri erant, tum ad eorum qui crediturі erant, confirmandam spem, omninò sileretur. ] Quod non minus eleganter repetit rursus lib. 3. Epist. 33. 9.

264 Quod si interdum quidam Patres, aiunt vniuersum vetus Testamentum præsignasse Christum, accipiendi sunt de maxima parte Scripturæ antiquæ, non autem de omnibus eius minutiis. Sic accipio illa Antiochi in præfatione ad suas homilias. [ Vt tela ex multis conflata staminum particulis, in vnam & impartibilem arte textoria coalescit tunicam; sic & vniuersa scripturæ diuinitùs inspiratæ oracula, in hunc finem conspirarunt, planè vt dominicæ dispensationis inconsutilem tunicam præsignarent, quam ex vtero susceptit glorioſæ ac sanctæ Deiparæ semper Virginis Mariæ. ] Hoc ipsum voluit S. Augustinus, oratione de quinque hæresibus cap. 7. cum in Transfiguratione, Moysem & Eliam Christo astitisse tradit, vt significaretur legem & Prophetas ad Christum spectasse. *Ecce* (inquit,) *apparuerunt illis Moyses & Helias, cum eo loquentes*. Quid sunt Moyses & Helias nisi lex & Prophetæ? loquebantur cum illo quia loquuti erant de illo; ostendebant quæ prædixerant, manifestabant quem prophetauerant.

uerant, loquebantur putas, quid loquebantur? Vt Iudæi conuincerentur, Pagani conuerterentur, Manichæi confunderentur, hæretici comprimerentur, catholici confirmarentur. Loquebatur lex & gratia, lenitas & asperitas, terror & mansuetudo, præceptum & adiutorium, ferramentum & medicus, vmbra & lux, præco & iudex, sententia & misericordia. ] Legem & prophetas Christum prænunciantes, tam multiplici periphrasi circumloquitur, non vt omnes legis & prophetarum apices de Christo fuisse significet, sed tantùm (vt indefinita eius oratio docet,) maxima ex parte. Idemque sensus est illorum eiusdem Augustini verborum lib. 12. contra Faustum cap. 27. [ Christus mihi vbique illorum librorum, vbique illarum scripturarum peragranti & anhelanti, in sudore illo damnationis humanæ; siue ex aperto, siue ex occulto occurrit & reficit. Ipse mihi, & ex nonnulla difficultate inuentionis suæ, desiderium inflammat, quo id quod inuenero, auidè sorbeam, medullisque reconditam, salubriter teneam.]

Illud non incommodè dici potest, in lege & Prophetis, omnia esse grauida Sacramentis quatenus omnia ad Christum, vel ad aliqua eius adiuncta v.g. Ecclesiam, accómodari possunt. Qua ratione S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 22. illud, Ezechielis de rota in medio rotæ, sic est interpretatus. [ Rotam intra rotam vidit Propheta currentem, quod vtique non ad corporalis refertur speciem visionis, sed ad vtriusque gratiam Testamenti, eo quòd teres vita Sanctorum sit, & ita sibi concinens, vt superioribus posteriora respondeant. Rota igitur intra rotam, est vita sub lege, vita sub gratia; eo quod Iudæa intra Ecclesiam sit, lex intra gratiam; Nam intra Ecclesiam est, qui Iudæus est in occulto, & circumcisio cordis intra Ecclesiæ Sacramentum est. Sed illa Iudæa intra Ecclesiam, de qua scriptum est; *Notus in Iudæa Deus.*]

### *Secunda Dei in Christo veritas, quæ promissorum.*

265 Sequitur veritas promissorum, ratione cuius Christus quoque est *Amen* & veritas Dei. *Quotquot enim promissiones Dei, in illo sunt*, vt ex Apostolo initio dicebamus: *ideò per ipsum amen Deo ad gloriam nostram.* Promiserat nimirum Deus antiquis Patribus, contritionem capitis serpentis, destructionem peccati, mortis abolitionem, omnium denique malorum quæ Satanæ malignitas & protoplastorum delusa imbecillitas mundo immiserat, depulsionem. Et in summa tempus ante Baptistam, fuisse tempus promissionum, admonuit S. Augustinus præfat. in psal. 109. Richardus porrò Victorinus lib. 1. de Emman. cap. 11. diuina promissa antiqua, ad tria capita reuocauit secundùm triplex damnum quod homo subierat; nempe ad promissum recuperandæ immortalitatis, dignitatis, & beatitudinis. Omnibus illis promissis, abundè à Deo satisfactum esse per Christum, docet ibid. Richardus. Sicque fuit Christus aduenies, *Amen Dei*, & veritas Dei, constans & rata. Quod Rupertus lib. 4. de victor. verbi Dei cap. 21. egregiè aperit, expressum esse ab Apostolo Rom. 1. cum veritatem Dei, *reuelari* dixit, *de fide in fidem.* Præfatus enim antecedenti capite Rupertus, Deum iustificari in sermonibus suis, & vincere cum iudicatur, quia mutabilis non potest argui, & quod promisit, per Christum est executus, subdit ad hoc confirmandum. [ Quam aliam iustitiam Dei putamus in Euangelio reuelari, sicut Apostolus dicit: *Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidē, sicut scriptum est; Iustus autem ex fide viuit?* Iustitia Dei, Incarnatio est filij Dei, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem. Incarnatio inquam, vel aduentus Iesu Christi, filij Dauid, filij Abrahæ. Hæc iustitia in Euangelio reuelatur. Num parua est hæc iustitia Dei? Non parua sed verè magna, & valdè laudabilis; quia per illam incarnationem, dum fit ex semine Dauid, iustificatur Deus in sermonibus suis implendo, quod promisit, custodiendo quod iurauit Deus verax & fidelis. Attende perpulchrum huius iustitiæ definitionem. *Iustitia* (inquit,) *ex fide in fidem.* Cuius ex fide, nisi eius qui promisit, qui iurauit? Cuius in fidem, nisi eius qui promittenti credidit, qui iuramenti fidem adhibuit, scilicet Abrahæ, siue Dauid? ]

Intelligo vix fuisse, cur vnum hunc locum ex eo Ruperti opere defloratum, cum vniuersum ad hoc spectet, vt fidem lectori faciat, Dei promissa, quocunque contra nitente, & quibusuis per Satanam eiúsque emissarios appositis obicibus, perstare tamen inconcussa, nec vllam vim aduersam, quantacunque sit, obstare posse ne impleantur. Quod enim in libri primi præmio ad Canonem Abbatem scribit, hoc suscepit eo libro demonstrandum; Non Amanem, non Antiochum, non alios per quos id agebat Satanas vt periret genus illud de quo Verbum carnem assumere ad salutem humani generis proposuerat, frustrati potuisse diuinum promissum. Sed ei abundè in Christo esse satisfactum, propterèaque operi titulum fecit, *de victoria verbi Dei.* Idem argumentum de Christo omnia Dei promissa explente, versauit diligenter ac figillatim S. Prosper, in opere de promissionibus Dei, quod qui ei abiudicare nisus est Sotellus in præfatione ad ipsum Prosperum abs se editum, baculo planè arundineo fultus est, silentio nimirum Gennadij & Trithemij, dum Prosperi scripta recensent hoc opus omittentium; & styli dissimilitudine. Quæ argumenta quanti sint, alibi expendo. Autor in dimidio temporis cap. 6. & p. 2. cap. 38. vtrobique ætatem suam bis prodit. Et vt Prosper non esset., inde habetur antiquum esse scriptorem, & S. Leonis æqualem. Crebra verò D. Augustini in eo opere allegatio atque laudatio, non obscurè prodit parentem Prosperum. Sed de his alibi.

* *
*

Exsili-

*Exsolutio promissorum per Christum, extensior promissione.*

266 Neque verò ij dumtaxat quibus promissiones factæ fuerant, effectu eorum sunt positi; sed vlteriùs quoque peruasit benignitas. Idque in promissionibus solemne est Deo, vt non contentus stare pollicitis, ea quoque excedat. Illustre est exemplum, quod D. Augustinus serm. 99. de temp. in eam rem profert in hunc modum. [ Diligenter attendite fratres, quia vnum promisit Deus futurum in virga, sed plura dedit. Verum est fratres. Consuetudinis suæ rem fecit Dominus noster. Semper enim maiora tribuit, quàm promittit. *Et erit*, ( inquit, ) *homo quemcumque elegero, virga eius germinabit*: hoc est solum quod promisit Deus, vt virga eius quem eligeret, germinaret. Vbi verò ad rem venitur, vt quod promissum est ostendatur impletum, non vnum illud quod promissum fuerat effectum dicitur, sed vide quanta addantur. Ait enim Scriptura. *Ecce germinauit virga Aaron in Domo Leui.* Hoc est vnum illud sine dubio quod fuerat repromissum. Sed adduntur alia & dicitur; *Et produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces.* Cum ergo de solo germine fuisset repromissum, vide quanta largitur Deus, vt non solùm germen produxerit, sed & frondes; & non solum frondes, sed & flores; & non solùm flores, sed & fructus ] Idem de personis quibus facta fuerit diuina promissio, dicere licet: nempe non ibi stare Deum, sed quasi exundante misericordia, ad alios quoque fructum benignitatis suæ protensum velle. Quamuis ergo solis Patribus promissus fuisset Christus, & respectu duntaxat eorum, Christus fuerit *amen Deo*, & veritas exhibita; tamen in alios quoque commodum promissionis illius expletæ est deriuatum. Quod Apostolus Roman. 15. his verbis tradit. *Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum.* En Christum veritatem Dei quoad nepotes Patrum qui promissionem acceperant: Eiusdem verò veritatis & promissionis fructum extensum ad gentes, quibus Deus nullo promisso obstrictus erat.

*Pij affectus ex impletis per Christum, Dei promissionibus.*

267 Hic si Christianis sæculis gratulatus fuero, expletionem promissorum ad quæ anteriores ætates, tanto studio, tamque incenso affectu suspirauerant, rem fecere tanto ante ab Apostolorum Principibus grauissimè inculcatam primis fidelibus. Proposuerat S. Petrus epistolæ primæ cap. 1. Christum fidelibus, tum subdit. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi prænuncians eas quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias; quibus reuelatum est quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nunciata sunt vobis.* Non potuit accuratiùs studium antiquorum Patrum prodere circa promissam salutem, siue Christum: quandoquidem expendit eos *exquisiuisse* atque *scrutatos esse*, id est diligentissimè rimatos, quod fore beatum illud æuum aduentus Domini. Et tamen acceperunt diuinum responsum, fore scilicet vt ipsi abirent vacui, nec tantorum bonorum diuinitùs promissorum exhibitione fruerentur. Paulus non minore cum emphasi, Hebr. 11. fatigatam longa expectatione antiquorum Patrum spem, nec expletam, his verbis prodidit. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutantes.* Vides saliuationem SS. Patrum, ad ostentationem tanti boni, ac tam pinguium Dei promissorum. [Qualis putas, ( ait Rupertus l. 10. de victor. verbi Dei cap. 11. ) tunc mentis habitus iustis animabus, erat? Quos autem illius temporis iustos esse dixerim, nisi illos qui fidem & spem, siue expectationem habebant promissionis ad Abraham, promissionis ad Dauid, iuramenti ad Abraham, iuramenti ad Dauid? Qui videlicet Dauid fidelis, Deum fortiter tenens, *miserere mei*, dixit, *vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris?* Talium vnus vel notissimus de tempore illo Simeon nobis extitit, qui in hac fide declinãdo, & requirendo veritatem Dei, veritatem promissionis, in qua Deus maior homine, sponte hominibus iurauit, responsum accipere meruit, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.]

Et mox, cum celebrasset alias pleraſque pias animas, eodem æstuantes desiderio expletionis promissorum diuinorum, Zachariam scilicet Elizabethã, Annam Prophetissam, & alios quorum laus est in Euangelio, subdit. [ Clamabant animæ multæ, quatenus in sermonibus suis verax & fidelis Deus appareret. Existimo quod mulier illa in vtero habens, vt sæpè dictum est, nullo vnquam tempore magis parturiendo clamauerit, nunquam magis, vt pareret, cruciata fuerit. Nolo autem viuentes in corpore fideles illius temporis homines solos, debere intelligi corpus illius quam dicimus mulieris in vtero habentis. Immò vniuersa dierum vel sæculorum Ecclesia, etiam apud inferos beatam spem expectantium huiusmodi desiderij clamores emittebat. Et hæc vniuersitas, propter vnam eandémque expectationem, vna mulier in vtero habens existebat.]

268 Nec per humanum duntaxat clamorem quantumcunque, ac vt parturientis esse solet; sed per rugitum onagri, & bouis famelici mugitum, hæc desideria exprimit Iob cap. 6. verbis illis, *nunquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?* Onager enim eo loco, vt interpretatur S. Gregorius 7. mor. cap. 4. gentilium populum signat: quem sicut natura extra stabula disciplinæ edidit, ita vagus in voluptatum suarum campo permansit. Bouem autem expressi sunt Hebræi, iugo legis pressi. Vtrorunque fames in herbam & fœnum carnis nostræ Verbo coniunctum, acuebatur in dies magis. Vtrique in præsepe plenum & promissam

promissam refectionem ardentissimè suspirabant. [ Sed quia dici ( ait S.Gregorius, ) & electorum Gentilium vota dilata sunt, & ex Hebraico populo sancti quique longo tempore redemptionem suam expectando, gemuerunt;benè Beatus Iob,prophetiæ mysteria enarrans, ex vtraque natione causas afflictionis insinuat, dicens: *Numquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cùm ante præsepè plenum steterit* ? Ac si apertè dicat. Idcircò gentilitas gemit, quia eam nec dum Redemptoris sui gratia refecit : atque ideò Iudæa mugitus dilatat, quia legem tenens,sed legis auctorem non videns,stans ante præsepè icjunat.]

Tanto æstu conceptorum, tantóque affectu ingeminatorum desideriorum fructum, ne quicquam ab antiquis captatum, nos tenemus. Illi concepti non viderunt lucem, quia vt ait S.Gregorius 5.moral.cap.37.[Ad aduentum Incarnationis Dominicæ, quamuis hanc fideliter crederent,peruenire nequiuerunt. Incarnatus quippe Dominus, dicit: *Ego sum lux mundi.* Atque ipsa lux ait : *multi prophetæ & Iusti desiderauerunt, videre quæ videtis, & non viderunt.* Conceptiigitur non viderunt lucem : quia ad spem venturi Mediatoris, apertis Prophetarum vocibus excitati,nequaquàm potuerunt cernere eius Incarnationem. In his itaque conceptus interior formam fidei edidit ; sed hanc vsque ad apertam visionem diuinæ præsentiæ non perduxit : quia priùs hos à mundo mors interueniens rapuit, quàm manifesta veritas mundum illustrauit.]

269 Nos feliciter diuino beneficio editi,quæ illi cupierunt videre & non viderunt, conspicimus & perspicimus oculis nostris, & manibus contrectamus,iuxta dilecti discipuli mellitissimam vocem;veritate manifesta fruimur,diuinorum promissorum exsolutionem non vltra quærimus,sed tenemus.Quanta hæc gratulationis materia,quanta lætitiæ seges quantum gratiarum argumentum?Expectarunt sanè antiqui Dominum,expectantes vt Dauid psal.39.de se dixit; quamuis reuera *expectare* potiùs quàm *expectasse* dicendi erant,vt notat ad eius psalmi initium S.Ambrosius qui addit. [ Gratias igitur Domino Iesu,vnigenito Dei filio, redemptori nostro, qui nobis peccata omnia remissurus descendit è cælo,vt nos de lacu ac limo istius mundi,& cænulenta quadam palude terrarum,de corpore quoque mortis huius eriperet,atque in carne sua statueret animi nostri interiora vestigia.]

Egregiè insuper in hanc rem vniuersam philosophatur Rupertus lib. 1. in Matth. *in fine.* [ Igitur ( inquit, ) natus est Christus,& in natiuitate eius,fidelis & verax comprobatus est, ipse qui promisit Deus. Gratulamur omnes dicentes cum psalmista;*Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*Item:*Quia rectum est verbum Domini,& omnia opera eius in fide. Quotquot enim promissiones Dei sunt,* ( ait Apostolus, ) *in illo est,ideò & per ipsum dicimus, Amen Deo ad gloriam vestram.* Verè *ad gloriam vestram.* Quodammodò superatus est Deus,licet fortior;& vicit volentem vinci fortis colluctator, nòstet per fidem pater Iacob. Quod dicimus, ita scriptum est : *cumque maturè surrexisset Iacob, & transductis omnibus remansisset solus, ecce vir luctabatur cum eo vsque mane:qui cum videret quòd eum superare non posset, tetigit nervum femoris eius; & statim emarcuit. Dixitque ad eum : Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit : non dimittam te,nisi benedixeris mihi. Et ille : Si contra Deum inquit,fortis fuisti,quanto magis contra homines prævalebis ? Et benedixit ei in eodem loco. Dixitque Iacob : vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Iuxta magnum & mirum illud præsagium, factum est nascente Iesu Christo, & victor inuentus est homo, siue genus Iacob, promissum exigens à Deo, & quasi iure superatus est Deus,promissi sui debitor.]Addit, hoc expleto promisso, emarcuisse nervum femoris Iacob ; id est,distinctionem tribuum & [qq. Genealogicas quæ vnum Christum spectabant,euasisse inanes ac vanas.

Claudo cum S.Bernardo serm. 2. in Cant. *initio.* [ Ardorem desiderij patrum suspirantium Christi in carne præsentiam, frequentissimè cogitans, compungor, & confundor in memetipso, & nunc vix contineo lachrymas;ita pudet teporis,torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum,tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio,quantum veteribus sanctis,accenderat desiderium promissio ?] Petrus Blesensis serm.7.*initio*, ex hac diuinorum promissorum tamdiu dilata explctione quæ omnes retro iustos fatigauerat, silentium omnibus Prophetis deinceps indicit, quia facto promisso, impositum est promittentibus silentium. Vox ergo exultationis & salutis de executione tamdiu procrastinatæ promissionis,in solius Ecclesiæ Christianæ tabernaculo audita est, de qua proinde exultationem bonis collatis congruentem, præter affectus prædictos, dignum est concipere. Egregiè idem colligit Guerricus serm. 1. de Annunc. ex tanto veterum gaudio de Christo, dumtaxat promisso. Quam enim par est, auctius gaudere de exhibito.

### *Tertia Dei in Christo Veritas,abactis typis, & vmbris.*

270 Reliqua est veritas tertia in Christo prodita, depulsis typis ac velaminibus quibus omnia ante Christum obducebantur.Sic enim S. Cyrillus lib.3. graphyr. pag. 307. ait esse accipiendum illud Christi de ipso.*Ego sum veritas*, id est ( inquit ) [ legalium typorum & figurarum impletio.] Vmbram enim lex habuit futurorum bonorum non ipsam veritatem expressam ac solidam quam nos tenemus. Tametsi namque prisci non destituebantur veritate, tamen eam obuolutam habebant tot tegminibus figurarum, vt non pateret : cum apud nos, sola & nuda veritas proponatur. Quo Origenes hom.6. in Leuit. *sub initium*, [egregiè refert quod Aaronico Pontifici duplicis tunicæ vsus mandabatur, qui est Apostolis vetitus [Pontifex est ( inquit,) qui scientiam legis tenet, & vniuscuiusque

cuiusque mysterij intelligit rationes. Et vt breuiter explicem, qui legem & secundùm Spiritum & secundùm literam nouit. Sciebat ergo Pontifex ille quem tunc ordinabat Moyles, quia esset circumcisio spiritalis, Seruabat tamen & circumcisionem carnis, quia nisi circumcisus Pontifex esse non poterat. Habebat ergo iste duas tunicas. Vnam mysterij carnalis, & aliam intelligentiæ spiritalis. Sciebat quia & sacrificia spiritalia offerri debent Deo; offerebat tamen nihilominus & carnalia. Non enim poterat esse Pontifex eorum qui tunc erant, nisi hostias immolaret. Ita ergo conuenienter ille Pontifex duabus indutus tunicis dicitur. Apostoli verò qui dicturi erant, *quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, & qui dicturi erant, *nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomenia, aut Sabbato, quæ sunt vmbra futurorum*; isti ergo vt huiusmodi secundùm literam legis obseruantias penitùs repudiarent, nec occuparent discipulos Iudaicis fabulis, & imponerent his iugum, quod neque ipsi, neque patres eorum portare potuerunt, meritò duas tunicas habere prohibentur, sed sufficit eis vna, & hæc interior. Nam ista quæ foris est, & quæ desuper apparet, legis tunicam nolunt. Vnam namque eis Iesus, & ipsam interiorem habere permittit.]

En igitur quomodò apud solos nos est veritas explicata & patens, qùia vbi Spiritus Domini per Christum inuectus, ibi libertas intelligentiæ, provt Apostolum optimè interpretatus est Origenes hom. 9. in Iosue. Egi plenè de eo loco, eiusque germano hoc sensu, excutiens nouam libertatem p. 1. cap. 8. num. 5. Nunc addo brèuiter Rupertum l. 4. in Exod. cap. vlt. [Quod posuit Moyses velamen super faciem suam, quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo illud auferebat, si quando autem loquebatur ad filios Israël, operiebat rursus faciem suam, eius rei præsagium fuit, quam totus nunc orbis agnoscit. Quia videlicet dum loquitur Moyses ad Christum, id est ad Euangelicam Ecclesiam, in qua Christus est, tollit velamen suum, & apertam ostendit faciem. Tollit enim literam occidentem, & spiritum promit vivificantem. Vbi autem legitur in Synagogis Iudæorum, operit vultum suum, id est spiritualem legis sensum. Illi enim propter aureum blasphemiarum suarum vitulum, oculos perdiderunt, & claritatem veritatis sustinere non possunt. Nam *in his qui pereunt*, (inquit Apostolus,) *opertum est Euangelium, in quibus Deus huius sæculi sapientum excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij Christi, qui est imago Dei.*] Has fuisse vmbrarum præformationes ante inditos colorum flores, pulcherrimè tradit, & variis exemplis illustrat Basil. Seleuciæ orat. 13. quæ est de Iona, *sub initium*.

* *
*

*Solida Euangelica veritas, discussis vmbris, firmata.*

271 Videri posset refragatus ex parte S. Ambrosius in psalmum 38. ad illud *in imagine pertransit homo*, quod de Christo interpretatur, in qua non emortua sed viua imagine, ambulant sancti omnes qui hîc peregrinantur. Subdit verò. [Primùm igitur vmbra præcessit: secuta est imago: Erit veritas, Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus. Vmbra Euangelij & Ecclesiæ congregationis in lege: imago futuræ veritatis, in Euangelio; veritas in iudicio Dei.] Agnoscit ergo S. Ambrosius etiam nunc vmbras intercludere plenam veritatis lucem.

Hæc tamen S. Ambrosij sententia, nequaquam referenda est ad exclusionem veritatis per Christum factæ, quasi etiam nunc Ecclesia veritate careat, & imagines adumbratas consectetur, vt olim factum in lege. sed referenda est ad fruitionem diuinæ essentiæ, quam hîc non assequimur, discussis licet vmbris, & veritate bonorum quorum præsens status capax est, exhibitæ nobis, absque figuris ac adumbrationibus, & perfectæ picturæ rudimentis informibus. Quod apertè ferunt ista quæ continenter addit S. Ambrosius. [Ergo quæ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum vmbra erat in sermonibus Prophetarum: vmbra in diluuio, vmbra in rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube & in mari. Vmbra in petra quæ aquam fluxit, & populum sequebatur. Nonne illud in vmbra erat, Sacrosancti huius mysterij Sacramentum? Nonne vmbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, quæ fugientes se populos sequebatur vt biberent, & non sitirent: redimerentur, & non perirent? sed iam discessit vmbra noctis & caliginis Iudæorum: dies appropinquauit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginem bona; & tenemus imaginis bona.]

272 Videtur S. Ambrosius hoc loco, vt sæpè alibi, strictim expressisse quod diffusiùs tradit Origenes hom. 10. in Leuit. *initio*. [Est ergo lex, (inquit,) & omnia quæ in lege sunt, secundùm Apostoli sententiam vsque ad tempus correptionis imposita. Et sicut hi quibus artificium est signa ex ære facere, & statuas fundere, antequam verum opus æris producant, aut argenti, vel auri, figmentum priùs luti ad similitudinem futuræ imaginis formant; non quod figmentum necessarium sit, sed vsquequo opus quod principale est, expleatur: cum autem fuerit effectum opus illud propter quod figmentum luti fuerat formatum, vsus eius vltra non quæritur: Tale aliquid intellige etiam in his, quæ in typo & figura futurorum in lege & prophetis, vel scripta, vel gesta sunt. Venit enim ipse artifex & auctior omnium, & legem quæ vmbram habebat futurorum bonorum, transtulit ad ipsam imaginem rerum. Sed ne fortè difficile tibi probari posse quæ dicimus videatur, recognosce per singula. Erat priùs Hierusalem vrbs illa magna regalis, vbi templum famo-

fissimum Deo fuerat extructum. Posteà verò quàm venit ille , qui erat verum templum Dei,& dicebat de templo corporis sui,*soluite templum hoc* , & quia cœlestis apparuit : in templo illo non remansit lapis super lapidem ex quo verum templum Dei , facta est caro Christi. Erat priùs Pontifex sanguine taurorum & hircorum purificans populum:sed ex quo venit verus Pontifex , qui sanguine suo sanctificaret credentes,nusquam est ille Pontifex prior,nec vllus ei relictus est locus. Altare fuit priùs,& sacrificia celebrabantur.Sed vt venit verus agnus qui se ipsum hostiam obtulit Deo , cuncta illa , velut pro tempore posita, cessauerunt.] S.Gregorius hom. 6. in Ezech. post S. Ambrosium lib. 3. de Spiritu sancto cap. 22. hoc esse ait, quod Ezech. rotam conspexit in medio rotæ.Eodem S.Gregorio interprete 29.moral.cap. item 29.& S. Augustino serm.100.de temp. hæc sunt dico Cherubin,apposita propitiatorio.Astipulantur illa Giseliberti cap.12.altercat. *sub finem.* [ Quidquid in antiquis egit forma figuralis, ratio quædam obumbratilis in nobis resculpitur , luce vel ordine veritatis. Denique Guerricus Abbas serm. 4. de Natiuit. Dom. causam cur Apostolus nouæ legis tempus vocet *plenitudinem temporis* , hinc repetit , his præter cætera. [ Hanc & adultam, ac plenam ætatem fidei, vocat Apostolus , *plenitudinem temporis* : quando scilicet hi qui sub pædagogo legis erant , nihilque à seruo differebant dum erant paruuli , iam adulti libertatem filiorum receperunt per Vnigenitum Patris. Qui nimirum vt nulla plenitudo suo deesset tempori , plenus tam gratia quàm veritate venit : quatenus & per gratiam impleri faceret legis mandata,& per veritatem impleret ipse promissa : adeò vt quicquid etiam vniuersis retrò sæculis mysticè gestum , aut dictum fuit,totum veriùs ac plenius impletum sit in hac plenitudine temporis. ]Nam & hic ipse dies, tot Sacramenta, tot oracula, quasi recapitulata in breui hodie exhibuit,vt de eo verè dici possit; *consummatus in breui,explenit tempora multa.*]

### *Antiqui omnes , sub nube , & in typis.*

§ 273 Est ergo veritas in Iesu,vt Apostolus contestatur Ephes.4. Est inquam in eo veritas , quæ in anteriorum quantumuis sublimium Sanctorum nullo, etiamsi Patriarcha, etiamsi Propheta locum habuit;ait ibi S.Hieronymus. Omnes enim typis & ænygmaticis adumbrationibus distenti sunt , donec ad Christi noui solis aduentum,caligo & tenebrio depellerentur. Quod ibidem S. Hieronymus perpulchrè obseruat , expressum in Christi transfiguratione [ vbi & vestimenta eius, id est scripturæ quæ de eo annunciant, immutantur ; & Moyses quoque & Elias, id est lex & Prophetæ,videntur in gloria.Quamdiu Dominus formam serui non mutat , nec ascendit in montem;lex in sordibus,Prophetæ in squalore versantur. Cum ille ad superiora conscenderit, & vestimenta sua voluerit immutare , intellectúsque de seruo fuerit clarus & liber , tunc Moysi quoque & Eliæ, & facies & vestimenta mutantur.]Hęc est veritas Dei in Christo reuelata manifestè, citra typos & offucias ac vmbras veteris legis.

Et est quidem semper lex conformis Euangelio illúdque adumbrans , & inde lucem ac collustrationem accipiens , quod in eodem Transfigurationis mysterio expressum liquidò esse, egregiè tradidit Orig. hom. 6. in Leuit.*initio*, verbis illis. [ Vis videre quia Moyses semper cum Iesu est , hoc est lex cum Euangeliis ? Docet te Euangelium, quia cum transformatus esset in gloriam Iesus , etiam Moyses & Elias simul cum ipso apparuerunt in gloria , vt scias quia lex & Prophetæ , & Euangelia in vnum semper conueniunt,& in vna gloria permanent. Denique & Petrus, cum vellet eis tria facere tabernacula, imperitiæ notatur , tanquam qui nesciret quid diceret. Legi enim & Propheris, & Euangelio, non tria sed vnum est tabernaculum , quæ est Ecclesia Dei. ] Est inquam semper Moses cum Iesu , sed ex se non splendet , nisi per Iesum depellatur offusa caligo. Apud eundem hom. 2. in Iosue, ex libello apocrypho,refertur quod duplex Moses videbatur,vnus mortuus in corpore in typum legis absque Christo , alter viuus in Spiritu per Christum in legis litera agnitum : quod sub alia imagine, reuoluitur in ea quæ diximus.

### *Veli templi disruptio & Solymæ euersio, diuinitùs,ad monstrandam typorum abiectionem per Christum.*

274 Refert eodem S. Paulinus in panegyr. Celsi pueri , disruptionem veli Iudaico adyto oppassi,quod à summo vsque deorsum discissum est , efflante animam Christo. Adscribo partem longioris de eo velo, eiusque disruptione orationis.

*Iamque reuelata facie speculamur apertum*
*In Christo propriæ lucis honore Deum.*
*Et puto , quod scissi in templo mysteria veli,*
*Id quoque signarint , gratia quod tribuit.*
*Nam velum rupto patuere Sacraria velo*
*Sic reserat nobis,legis operta fides.*
*Inde sub antiquo legitur velamine Moses,*
*Iudæis nebula cordis opertus adhuc,*
*Quam de luminibus mentis mihi creditus aufert*
*Christus , adumbratus discutiens species.*
*Séque docet priscæ velatum legis in vmbra,*
*Iamque reuelatum corporis in facie.*
*Qualem præmissi cecinerunt adfore vates.*

Non oportuit ergo perstare velum , iis quæ per illud occulebantur, iam reuelatis. Quinetiam

etiam spectasse huc demolitionem vrbis Hierusalem & omnium legalium sublationem, pulcherrimè docet Origenes hom. 17. in Iosue, verbis illis. [ Sicut vmbræ & exemplari deseruiunt cœlestium, ij qui legem suscipiunt, quæ est illius veræ legis vmbra ; ita exemplar & vmbram sequuntur diuisionis cœlestis, ij qui in Iudæa hæreditate diuidunt terram. Erat ergo in cœlis veritas , vmbra verò & exemplar veritatis in terris. Et donec vmbra hæc constabat in terris , erat Hierusalem terrestris, erat templum , erat Altare, & visibilis cultus, erant Pontifices, & Sacerdotes, constabant etiam ciuitates & vici Iudææ, & omnia hæc quæ nunc in hoc libro descripta recitantur. Cum verò in aduentu Saluatoris nostri Dei , è cœlis descendens veritas de terra orta est , & iustitia de cœlo prospexit, vmbræ & exemplaria ceciderunt. Cecidit enim Hierusalem , cecidit templum , Altare sublatum est, vti iam neque in monte Garizin , neque in Hierosolymis sit locus vbi oportet adorare, sed veri adoratores, qui adorant patrem, in spiritu & veritate adorent. Sic ergo præsente veritate, typus & vmbra cessauit : & cum adesset templum illud, quod per spiritum Dei & virtutem altissimi in vtero virginis fabricatum est, dirutum est templum ex lapidibus fabricatum. Aderat Pontifex futurorum bonorum ; cessauerunt Pontifices tantorum & hircorum. Venit agnus Dei qui tollit peccatum mundi ; destitit agnus ex pecudibus assumptus. Igitur si hæc omnia quæ in vmbra prioribus data fuerant, præsente & assistente veritate cessarunt, consequens sine dubio erat , vt hæreditate regni cœlorum patefacta, hæreditas terrena cessaret. Ratio autem qua hæc cuncta desinerent, illa est, vt omne os obstruatur , & subditus fiat omnis mundus Deo , ne qui forte ex incredulo populo occasiones suæ infidelitatis acciperent, & habentes vmbras antiquitùs, sibi traditas, vel templi, vel altaris, vel Pontificij, vel Sacerdotij, viderentur sibi permanente antiqui cultus statu, prævaricari religionis ordinem, si transirent ad fidem. Propterea ergo auferri hæc omnia , quæ in terris dudum fuerant adumbrata, diuina prouidentia, dispensauit, vt viam quodammodò accipiant requirendæ veritatis, cessantibus typis.]

275 Intelligimus ergo ex prædictis mutationibus, placuisse Deo innotescere omnibus factam esse per Christum veritatem , depulsis typis & vmbris. Existimóque huc præcipuè spectare illud Ioannis 1. *gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Vt enim de gratia , per Christum facta non per Mosem, nunc sileam , veritas sanè per Christum est facta. Nam apud Mosem omnia typis & vmbris obuoluebantur ; in quam rem multa passim præclarè differit industrius typorum illorum interpres S. Cyrillus. Pulcherrimè verò initio operis de Adoratione, vbi ob hanc causam ait ; [ lex figura & vmbra est , & illa forma pietatis , tanquam adhuc in vtero latentem in se speciem veritatis habet.] ( videtur alludere ad egregiam Origenis ratiocinationem homil. 7. in Num. qua Iudæos cum fœtu informi intra vterum abdito compo-

nit. ) Et mox idem Cyrillus , legem ait fuisse disciplinam elementariam : Mosem verò pædagogum illius elementariæ disciplinæ ad sensa non peruadentis, sed soli literarum extimo cortici insistentis. Quod pleniùs & pro more diligenter tradit S. Chrysostomus homil. 4. in ad Coloss. [ Suppone mihi ( inquit ) humanam naturam tanquam ætatem quandam esse. Et primis quidem temporibus statum adolescentis habere genus ; illis verò quæ proximè subsequuta sunt, iuuenis; senectute deinde vicinis , senis. Posteà cum animus maturus factus est membris corporis subactis, bellóque soluto , tunc ad philosophiam ducti sumus. Atqui contrarium verum est , inquis. Adolescentem docemus , at non sublimia dogmata , sed Rhetoricam, sed grauitatem sermonum. Ista quidem, quando vegetus, ac flagrans est animus. Vide quomodò & Deus istud cum Iudæis fecerit. Etenim quomodò pueris solet præfici liberator , ita Iudæis Moysem præposuit. Et is quæ pueris solent, illis fecit, adumbrans ac pingens, vt nos solemus , elementa. Nam *vmbram* , ( inquit, ) *futurorum bonorum lex habens, non ipsam imaginem rerum*. Quemadmodum pueris placentas emimus , & pecuniam damus , vnum hoc ab ipsis exigentes intereà in disciplinam vt eant : ità & Deus tum fecit ; Et diuitias dedit, & delicias, vnum ab ipsis duntaxat per multam remissionem & indulgentiam mercatus, Moysen vt audirent. Propterea tradidit eos præceptori , ne se tanquam beneuolum & indulgentem patrem contemnerent.] Et mox post alia in eam sententiam , præfatus , solitudinem in qua per annos 40. sub Mose hæserunt Iudæi , factam illis esse scholam & locum disciplinæ, id ita illustrat. [ locus disciplinæ, facta est Eremus. Et quemadmodum pueri cum aliquandiu in exercitij loco detinentur, secedere cupiunt : ita & illi tum perpetuò in Ægyptum reuerti quærebant, ac plorabant, dicentes, periimus, consumpti sumus : Et tabulam ipsorum contriuit Moyses, in qua illis veluti nomina quædam addiscenda conscripserat, id quod & præceptor facere solet , cum acceptam tabulam malè scriptam videns, proiicit, multum iræ hoc facto ostendere volens ; & si fracta quoque fuerit, non tamen hinc irascitur Pater. Nam ille quidem diligenter scribendo incubuerat, illi verò non in ipsum attendentes, sed aliò auersi petulanter se habebant. Et quemadmodum in schola alius alium percutit , ita & tunc permittebat Moyses , vt alius alium percuteret, & occideret. Et rursus quomodò præceptor addiscenda quædam tradens, deinde quomodò didicerint exigens , si lusam viderit operam, punit & castigat : ita & Moyses fecit, vt potè scripta diuinam potentiam indicantia illis exhibens. An ea quæ in Ægypto dedit? etiam. Sed illa scripta, plagas demonstrabant, nempe quod inimicos puniret. erantque illis instar disciplinæ.] Illustrat ita subiectis plerisque exemplis, tandémque concludit. [ Itaque non peccarit si Mosem quispiam , præceptorem , educatorem , & pædagogum appellauerit.] Affectatus Magistrum Isidor. Pelus. lib. 4. epist. 134. Mosem confert Gramma-

tistæ & literatori, legem verò nouam, perfectæ philosophiæ in res ac sensa intentæ.

### *Lux spicula ante Christum, plena per Christum.*

276 Eandem typorum & vmbrarum depulsionem per lucem & veritatem legis nouæ, his verbis egregiè expressit Iustinus q. 101. ad orthod. [Quid est lex? Prænunciatum Euangelium. Quid Euangelium? Impleta lex.] Nec alia mens Apostolo Rom. 1. cum dixit, *Iustitiam Dei reuelari ex fide in fidem.* Nimirum ex fide veteris Testamenti abditiore & occultiore, in fidem noui Testamenti magis perspicuum; tametsi nondum planè discussa caligine aliquatenus nubilosam. Fides enim nostra, vt Damascenus orat. de Transfig. huic dixit, est *nubes lucida*; admixtam scilicet habens cum multa luce obscuritatem aliquam. Et suffragantur qui Roman. 13. ad illud. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*, noctem exponunt legem veterem, ob summam caliginem & densas in ea lege vmbras. Et quanquam S. Cyrillus lib. 3. de adorat. *fere initio*, respici ab Apostolo censet ad caliginem impietatis & ignorantiæ quæ orbem vniuersum ante Christi aduentum occupauerat; Tamen alij apud Toletum ibi, exponunt vt dixi. Quid si verò eodem spectabat fumus ille qui apparuit cum lex in Sina promulgaretur? Idem quidem Cyrillus in homilia quadam Ephesi habita quæ extat t. 6. Concilij Ephesini cap. 5. refert fumum illum ad incomprehensibilem Legislatoris profunditatem, & ad lachrymas quas fumus ciet; quibus significatum putat, contemptores lachrymaturos: sicut affirmat exhibitum nunc esse ignem intermicantem, vt intelligerent Iudæi, lege conculcata, rem sibi cum igne fore. Nihilominus ea quam proposui, fumi ad legis obscuritatem accommodatio, est satis idonea.

Legendus in hanc rem vniuersam è recentioribus, Iosephus à Costa in opere de Christo reuelato, ac nominatim lib. 1. cap. 2. q. 3. quibus de legis per Christum declaratione & comprobatione disserit. Item Catharinus tota ferè claue 2. Scripturarum. De causis verò præparatæ ad Euangelij lucem viæ, per tenebras & vmbras legis, disserit plenè & eleganter S. Cyrillus sub initium libri primi de Adorat.

### *Murenula aureæ vermiculatæ argento, huc aptata, ex Origene.*

277 Non omitto Origenem, lib. 2. in Cant. tractantem illud Cant. 1. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*: quod ipse sic legit, & vertit cum versu sequenti. *Faciamus tibi similitudines auri cum distinctionibus argenti, vsquequò Rex sit in recubitu suo.* Hæc vult Origenes esse verba sodalium sponsi; Sanctorum inquam Angelorum, & Patriarcharum, ac Prophetarum, quos longa serie ad orbis conditi cunabulis, Ecclesiæ inseruisse demonstrat. Ab his ornamenta vsque ad Regis aduentum in recubitum suum; parata sponsæ docet, auri similitudines: non vnam inquam, sed plurimas similitudines argento distinctas. Aurum vt ex multis Scripturis confirmat, ad sensum mentémque pertinet: argentum verò ad eloquium & externam sensum interiorum expressionem. [Scilicet (inquit) aurum verum, in illis quæ incorporea sunt & inuisibilia ac spiritalia intelligatur: Similitudo verò auri in quo non est ipsa veritas, sed vmbra veritatis, ista corporea & visibilia accipiantur. Verbi gratia, similitudo auri fuit istud tabernaculum manu factum, de quo dicit Apostolus: *Non enim in manu facta ista introiuit Iesus exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum.* Ergo quæ in cœlis sunt inuisibilia & incorporea, illa sunt vera: ista autem quæ in terris sunt visibilia & corporea, exemplaria verorum dicuntur esse, non vera. Ista ergo sunt quæ *similitudines auri* appellantur: in quibus est & arca testamenti, & propitiatorium, & Cherubim; & altare incensi, & mensa propositionis, & panes: sed & velamen, & columnæ, ac seræ; & altare holocaustorum, & ipsum templum, &c. Sed & ipsum aurum visibile, pro eo quod visibile erat, non erat aurum verum, sed similitudo erat illius veri auri inuisibilis. Istas ergo similitudines auri, fecerunt sponsæ Ecclesiæ, sponsi amici; Angeli videlicet & Prophetæ: qui ministrauerunt in lege cæterisque mysteriis. Hæc (opinor,) & Paulus intelligens, dicebat: *In religione Angelorum, in his quæ videt frustra inflatus sensu carnis suæ.*]

278 Obiter aduerte insolitam admodùm interpretationem loci difficilis apud Apostolum Coloss. 2. & tamen interpretationi conciliare colorem videtur, quod immediatè ante Apostolus monet & vrget Colossenses, ne ceremoniis Iudaicis abduci se sinant à Christi cultu, quod illæ fuit vmbra futurorum, corpus autem sit Christi. Illæ inquam sint nudæ imagines, veritas autem sit in solo Christo, & eius adoratione in Spiritu, quam Christiana defert religio: quæ non est humilis quidam cultus, & veluti puerilium crepundiorum excogitatio, per Angelos pædagogos proposita & ordinata in manu mediatoris Mosis, sed est natura institutio solidis ac veris obiectis distinens animos. Non me latet, quàm multis aliis modis locus ille exponatur, nominatim à recentioribus confutantibus hæreticos, qui ei loco admodùm ridiculè inædificant exclusionem cultus Sanctorum. D. Thomas Coloss. 2. subscribitque Suares lib. de superst. cap. 1. num. 10. voluit Apostolum agere de vitanda superstitione legalium ceremoniarum, & cauendis deceptoribus qui illam superstitionem sub specie humilitatis & religionis Angelicæ, id est per Angelos traditæ, inducere quaqua versum satagebant. Idem tamen Suares lib. 2. contra Iacobum cap. 9. à num. 16. *religionem Angelorum*, de superstitioso Angelorum cultu, exclusa Christi fide, à quibusdam hæreticis inuecto, & à Platonicis hausto accipit: quæ est admodum iactata inter Hæreseologos interpretatio loci Paulini. Ita Bellarm. lib. 1. de Sanctorum beatitud. cap. 20. *ad 3. locum*, latéque idem habet Cornelius ad eundem Apostoli

ſtoli locum. At S. Paulinus epiſtola 43. de quibuſuis hæreticis, viſa verè dœmoniaca iactantibus, & ea ratione errores ſuos diſſeminantibus, per malignum blandiloquium quo Chriſtum excludunt, interpretatur. Quas interpretationes excutere, alienum eſt ab inſtituto. Mihi tamen prolata ex Origene interpretatio non videtur repudianda, tanquam abſurda, vel ab Apoſtolo aliena. Vel ſicui aliter videtur, valeat ea expoſitio quantum poterit.

279 Tantùm Origenes de ſimilitudinibus auri, hoc eſt de figuris & ſimilitudinibus Chriſti, quibus vniuerſum vetus Teſtamentum contextum eſt. *Diſtinctiones* verò *argenti*, in conſequentibus verbis, interpretatur indicia quædam modica & infrequentia ſenſus ſpiritualis, intermicantia in figuris illis ac ſimilitudinibus antiquis. Quandoque enim Prophetæ inter proponendum ſigna illa futurorum, & ſymbola ac ſimilitudines, aperiebant quo ſpectarent illæ ſimilitudines; eáſque ad ſpiritualia ſenſa dirigendas eſſe demonſtrabant. Vt cum Iſaias cap. 5. poſt longam vineæ dilecti expreſſionem, ſubdidit eam vineam eſſe domum Iſraël. Et cùm Ezechiel, duas ſorores *Oollam* & *Oolibam*, dixit eſſe Iudæam & Samariam. Has interpretationes, quæ in veteri Teſtamento quandoque habentur; Origenes diſtinctiones argenti dictas cenſet, & notat eas perparcè legi in antiquo Teſtamento, eo quod eſſet vmbrarum & imaginum nudarum tempus. [ Ergo illud quod per Angelos & Prophetas miniſtratum eſt, ſimilitudo auri fuit, cum diſtinctionibus paruis & exiguis argenti. Hæc autem quæ per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum tradita ſunt, in auro vero & argento ſolido collocata ſunt. Hæc enim quæ per amicos ſponſi facta eſt ſimilitudo auri cum diſtinctionibus argenti; non in ſempiternum manſura promittitur: ſed tempus ei ſtatuitur, ab illis ipſis dicentibus *vſque quo Rex ſit in recubitu ſuo.* Cum enim recubans dormierit vt leo, & vt catulus leonis, & poſt hæc ſuſcitauerit cùm pater, & reſurrexerit à mortuis, ſi qui fuerint conformes reſurrectionis eius, iam non in ſimilitudine auri, id eſt non in rerum corporalium cultu manebunt: Sed aurum verum ab ipſis percipient, credentes & ſperantes non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur; nec quæ in terris ſunt, ſed quæ in cœlis, vbi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens, & dicent: *Quia etſi cognouimus Chriſtum aliquando ſecundum carnem, ſed nunc iam nouimus.* Non ergo iam diſtinctionibus paruis argenti, ſed in latitudinem diffuſo vtentur argento. Audierit enim quod in illa auri ſimilitudine petra quæ ſequi dicitur, & potum populo præbere, Chriſtus eſt, & mare baptiſmus eſt, & nubes ſpiritus Sanctus eſt, & manna verbum Dei eſt, & agnus Paſchæ Saluator eſt, & ſanguis agni paſſio Chriſti eſt, & velum quod eſt in Sanctis Sanctorum, quo diuina illa & arcana tegebantur, caro eius eſt; aliáque innumera ex eius reſurrectione patebunt, non iam parua vt priùs diſtinctione, ſed latiſſima expoſitione patefacta.] Adſcripſi paulo fuſiorem Origenis diſputationem, auiſus tamen pleriſque quod aliquid in rem præſentem accommodatiùs deſponderem. Liquidò namque ex dictis patet, quomodò diſcuſſis figuris ac typis & vmbris, ſolida veritas inuecta ſit per Chriſtum. Quod Rabanus Mautus carm. 9. de Prædarum Epiſcopum, eleganter proſequitur, maximâ antiquorum typorum parte Chriſto applicata. [ Hiſtoria vetus (inquit Guerricus ſerm. 3. de reſur. Nam propriè noua Sacramenta loquitur, vt cum prophetia legitur, penè Euangelium, mutatis duntaxat nominibus, audiri videatur.

### *Typi nunc ſuperſtites, veritate non carent.*

280 Et quanquam ſunt nunc quoque typi quidam & cœleſtium antitypi, vt ſæpè docet S. Dionyſius, tamen ij aliquales typi, cum veritate coniuncti ſunt v. g. corpus Chriſti in Euchariſtia, ab aliquibus Patribus vocatur antitypon, & à nonnullis quoque latinis *figura*: non quod inficientur veritatem realis præſentiæ corporis Chriſti; velintque tantùm eſſe figuram: id enim eſt ab eorum mente alieniſſimum; vt aliis locis explicatiſſimè tradunt; ac plerumque etiam iis ipſis locis quibus voces illas vſurpant: ſed quod ſpectatis ſolis ſpeciebus quibus Chriſti corpus operitur, verum ſit; hoc eſſe ſignum Chriſti latentis ad reficiendas animas per modum cibi ac potus ſpiritualis. Vel quod corpus Chriſti provt latet ſub ſpeciebus Sacramentalibus, ſit ſignum ſuimetipſius viſibiliter exiſtentis; quamuis ſub eo ſigno verè ſit Chriſtus: & ideò nunquam à prædictis Patribus adhibeatur particula excluſiua, qua tradant hanc eſſe tantùm Chriſti figuram, vel eſſe merum ſignum. Eruditè omnino id tradit Billius ad orat. 17. Nazianzeni n. 25. ac pleniùs etiam ad orat. 11. *ſub finem*, & optimè item Turrianus in defenſione capitis 13. libri 3. Conſtitutionum, Voſſius ad lib. 5. Ephrem de non ſcrutando curiosè Dei filio, & iam olim S. Anſelmus lib. de Sacram. altaris cap. 11. ac Innoc. lib. 4. de myſter. Vnus ſanè S. Ambroſius, euidentiſſimè ſtabilit. quod affirmaui. Nam lib. 4. de Sacram. cap. 5. cum tam clarè tradat tranſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, vt clariùs & diſertiùs proponi non poſſit; tamen oblationem noſtram vocat *figuram corporis & ſanguinis Chriſti*: nec agit tantùm de oblatione nondum conſecrata; ſed id quoque intelligit poſt conſecrationem. Sicut immediatè ante in calce capitis quarti, quo tam manifeſtè tranſubſtantiatio aſtruitur, vt metonymicos ac figurales Chriſtianos apertiùs confodere non poſſit, affirmat nihilominus id quod fideles hauriunt, eſſe ſimilitudinem pretioſi ſanguinis, vt nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis; vtique ob verè contentum ibidem Chriſtum, etiam ſi ſub externa ſpecie aliena. Sub qua ratione, S. Ambroſius ſpecies viſibiles per comparationem ad Chriſtum, & ipſummet Chriſtum reſpectu ſuimetipſius in alio ſtatu, figuram & ſimilitudinem nominat. Eodem-

que modo plerique omnes accipiunt Tertullianum lib.4.contra Marcionem cap.40. vbi ait,Christum dixisse,*hoc est corpus meum,id est figura corporis mei.* Sed non est ea interpretatio necessaria pro Tertulliano iuxta Democharem, qui in assertione veritatis Eucharistiæ à pag.46.late confirmat , illud *hoc est figura corporis* , cadere in panem ex Hieremia proximè à Tertulliano memoratum ; ita vt sensus Tertulliani sit, panem de quo Hieremias dixerat, *venite mittamus lignum in panem eius*, figuram fuisse corporis Christi : vel potiùs nomine *figuræ* , Tertullianus in loquendo durus ac ferreus , intelligit eo loco rem solidam & non vmbratilem. Itaque figuram corporis Christi appellat verum eius corpus,figuræ terminis intrinsecè ac in ordine ad se circumscriptum , provt rei vacuæ, ( quo pacto ille loquitur ; ) & phantasmati inani opponitur:vt figura corporis sit verum corpus figuratum & lineamentis suis formatum.Nam ad hunc ipsum locum alludens l.5. eiusdem operis c. 8. in hunc modum se satis explicat.

281 Hæc dixerim,vt appareat quomodò verum sit quod iam supra attigi , agens de Verbo inumbrato ; esse scilicet in Christiana Ecclesia etiamnum,figuras quasdam ac typos sed à veritate quæ per Christum facta est non disiunctos,aut egenos & vacuos,quales erant apud Hebræos : ita vt quamuis quoad aliquid pertinens ad statum vitæ futuræ, interdum res nostræ aliquid typicum contineant quod nondum habemus , tamen veritate non destituantur. Sic participatio corporis Christi , possessionem Dei beatificam adumbrat , iuxta S. Dionysium , astipulante Ecclesia quæ diuinitatis sempiternam fuitionem, temporali perceptione corporis & sanguinis Domini præfigurari profitetur,& conuincit D. Athanas.lib. 5. de humana natura susceptа contra Apollinarium , qui panem ἐπιούσιον quem orantes petimus interpretatur *panem futurum*,cuius ait Eucharistiam esse arrham atque primitias. Attamen ij typi non sunt inanes & egeni , sed facti veritate quapiam solida:vt Eucharistia Christo ipso, Sacramenta autem reliqua fructu gratiæ sanctificantis referta sunt. Et idem est proportione seruata,de aliis.At longè aliter se habuerunt antiquæ figuræ. Erant enim nudæ [& prorsus vacuæ spiritualium opum , meráque repræsentationem futurorum bonorum, non ipsam,imaginem rerum, ( vt Apostolus loquitur,) continebant;quatenus omnes ceremoniæ,& ritus ac Sacramenta quæcunque illius legis ; quam etiam totus contextus veteris Scripturæ , Christum aut cultum à Christo instituendum , & aliquid ad res nostras pertinens , adumbrabant. Vnde egregiè S.Augustinus serm. 4. ex 40.nouis, eandem, nostram & veterum fidem fuisse demonstrat. [ Sacramenta ( inquit ) sunt mutata ; non fides. Signa mutata sunt quibus aliquid significabatur , non res quæ significabatur. Pro Christo aries,pro Christo agnus,pro Christo vitulus,pro Christo hircus, totum Christus: aries , quia ducit gregem. Ipse est inuentus in vepribus quando patet Abraham filio iussus est parcere,nec tamen sine oblato sacrificio inde discedere.Et Isaac Christus erat;& aries Christus erat. Isaac sibi ligna portabat: Christus crucem propriam baiulabat. Pro Isaac aries,non tamen pro Christo Christus. Sed in Isaac,& aries & Christus.Tenebatur cornibus in vepre aries. Interroga Iudæos, vnde tunc Dominum coronauerint. Agnus est,*ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi.* Taurus est,attende cornua crucis.Hircus est propter similitudinem carnis peccati. Velata sunt ista,donec aspiraret dies, & remouerentur vmbræ.In eundem ergo Dominum Christum , non solùm quod Verbum , sed etiam quòd mediator est Dei & hominum homo Christus Iesus,& Patres antiqui crediderunt, & ad nos fidem eandem prædicando & prophetando transmiserunt.Vnde dicit Apostolus,*habentes eundem spiritum fidei;propter quod scriptum est , credidi propter quod locutus sum.* Eundem habentes , quem habuerunt & illi, *& nos credimus propter quod & loquimur.*]

282 In genere aperiendi & euoluendi hos typos,præcellunt omnino,Origenes vbinis, & S.Cyrillus nominatim in opere Glaphyrorum,& alio opere de adoratione in spiritu & veritate. Ammonius Alexandrinus bonam eiusdem negotij partem exegit , scripto libro de consonantia Iesu & Mosis, quem memorat in catalogo S. Hieronymus, *in Ammonio.* Ex recentioribus idem tractauit Marinarius in concordia veteris & noui testamenti , & Ioseph à Costa de Christo reuelato.

### *Vsus doctrinæ.*

Hîc quoque si pro exhibita per Christum solida veritate abiectis puerilibus typis nudisque imaginibus, affectum in Deum solidæ gratitudinis poposcero,rem iustam exegerim. Sed longiusculæ, in triplici veritate Dei, expressa in Christo, moræ pertæsus , non vltrà hæreo. Indicasse ad quid teneamur sit satis. Recolenda quæ ad calcem primæ & secundæ veritatis per Christum exhibitæ , sunt propositæ. Et quandoquidem Ecclesia per Christum vt Zachar.8.habetur facta est *ciuitas veritatis* , annitendum omni studio vt eius boni ac digni ciues euadamus , veritátemque dictis,factis,& vitæ ratione vniuersis exhibeamus.

CAPVT

## CAPVT XI.

*Christus, Domino Canticum nouum, laus eius in Ecclesia Sanctorum; siue alleluia, & gloria in excelsis Deo.*

NON est vnica *Cantici noui* in Scripturis notio iuxta varios Patres. Aliqui enim eum titulum explicant vno mystico sensu, alij alio. Sunt qui ad Christum Dei canticum, referant, vt mox dicam, præmissa alia affini interpretatione, aliquatenùs diuersa.

*Vita ex noui Testamenti gratia & præscripto exacta, Canticum nouum.*

283 Canticum Domini nouum quod toties Dauid cantandum suadet, vitam nouam ex noui Testamenti gratia initam, interpretatur Augustinus lib. de cantico nouo cap. 1. [Canticum (inquit,) vetus, homo vetus. Nunc autem testamentum nouum, canticum nouum, propter hominem nouum.] Et planè eadem est mens Nazianzeno orat. 43. *initio*. Ait enim. [Canticum nouum Domino canere iubemur, tam qui in Babylonem ac prauam confusionem à peccato pertracti, ac deinde in Hierusalem incolumes reuersi sumus. (Atque illic quidem, vt in terra aliena, canticum diuinum canere minimè poteramus, hic autem nouam cantionem, vitæque rationem instituimus;) quàm qui in virtute persistimus, nouosque subinde in ea progressus facimus, innouatorisque spiritus ope atque auxilio; virtutis muneribus partim iam functi sumus, partim fungimur.]

Concinit D. Ambrosius, cuius illa sunt in psal. 39. ad illud *immisit in os meum canticum nouum*, post descriptam veterum de Christo expectationem. [Expectanti ergo mihi Domine Iesu, aliquando venisti, direxisti gressus meos in Euangelio, immisisti in os meum canticum nouum, quod est nouum Testamentum. Gaudentes iam canimus, hymnum Deo nostro, quia nouarum virtutum præcepta cognouimus, vt nostra omnia relinquamus, Christum sequentes, & nostros diligamus inimicos. Nouos etiam hausimus mores.] Egregiè quoque in eandem sententiam differit serm. 7. in psal. 118. ad v. 6. docens, nouum Testamentum & vitam ad eius gnomonem exactam, esse dulcem cantilenam & canticum nouum ad quod auditum vt Lucæ 7. habetur, noluerunt saltare Iudæi, ideóque reprehenduntur. E contrario autem piis quibusque cantabiles sunt iustificationes Dei. Vacui enim sunt cantantium more, & diuersarum cogitationum curas relegunt; nec solum corporis vocem, sed etiam mentium suarum vanitates emulcent.]

284 Est sanè canticum illud verè nouum, & antiquis canticis oppositum è diametro. Audi autorem Tractatus de passione Domini apud Bernardum cap. 25. [Quid est canticum nouum? canticum charitatis. Quare nouum? Quia initio sæculi à primis creaturis cantatum fuit vetus canticum, contratium charitati. Vis ergo id nosse? Cantauit Angelus periturus in cœlo canticum superbiæ, dicens: *ponam sedem meam ad Aquilonem, & similis ero Altissimo*. Cantauit posteà detractionis canticum in paradiso, cum accedens ad mulierem ait; *Quare prohibuit Deus vobis, ne comederetis de ligno scientiæ boni & mali?* Tanquam diceret, mala intentione prohibuit. Canticum dubitationis cantauit mulier, dicens: *Ne comedamus, & fortè moriamur. O fortè!* Quantum infirmitatis nobis induxisti? Videns autem Diabolus mulierem dubitantem, prorupit ad canticum mendacij, dicens: *Nequaquam moriemini*. O nequam! ô nequam! Vbi est modò tuum *nequaquàm?* Ecce mortui sunt duplici morte, quos dixisti nequaquàm morituros; *Nequaquàm*, (inquit,) *moriemini*. Malum & vetus canticum, hoc verbum veritati contrarium. Dixerat enim Deus: *Quacunque die comederitis, morte moriemini*; morte videlicet animæ, vel vt alij exponunt; *Moriemini*, id est mortales efficiemini, scilicet vt necessitatem tunc habeatis moriendi, qui modò potestis non mori; si enim inobedientia permansissent, mortui non fuissent. Cantauit & Adam canticum excusationis in peccato, cum dixit; *Mulier quam mihi dedisti sociam, dedit mihi & comedi*; ac si diceret; Tu potiùs accusandus esses, qui talem mihi iunxisti mulierem, quæ me ad peccandum induceret. Charissimi, vetera cantica sunt hæc, canticum superbiæ, canticum detractionis, canticum dubitationis, canticum mendacij, & canticum excusationis. Cauenda sunt, & per omnem modum cauenda hæc cantica.] Addit etiam c. sequenti, canticum detractionis & dubietatis de Dei misericordia; quæ omnia opponi decet cantico nouo, quod charitate, humilitate, veritate, aliisque virtutibus, & vita rectè composita continetur, vt disserit Gregor. Nyssen. tr. 2. in titulos psalmorum c. 3.

*Canticum nouum, Christus ipse.*

285 Hoc quidem canticum, per Christum noui Testamenti conditorem insonuisse orbi, verissimum est. Tamen Clemens Alexandrinus initio protreptici, longè aliter accipiendum esse docet canticum nouum, quod Deo pangendum suadet toties Dauid. Ipsum namque Christum asserit esse hoc canticum nouum; describens primò quidem Verbum diuinum, per quod omnia facta sunt, & vocans illud, *canticum incorruptum vniuersorum, firmamentum & harmoniam omnium*. Tùm addens de Verbo homine. [Qui autem de Dauide ortus est, & ante ipsum fuit, Dei Verbum, lyram quidem & citharam instrumenta inanima despiciens, cum hunc mundum, atque etiam paruum mundum, nempe hominem, & eius animam, ac corpus Sancto spiritu, concinnasset, psallit Deo per instrumentum

mentum multarum vocum ; & huic instrumento,nempe homini,canit.] Et mox.[ Pulchrum spirans instrumentum, Dominus hominem fecit ad suam imaginem. Certè ipse quoque est Dei concinnum & aptum instrumentum & sanctum, sapientia supermundana,Verbum cœleste. Quidnam ergo vult instrumentum, Dei Verbum, Dominus & nouum canticum ? Patefacere oculos cæcorum, & aperire aures surdorum , & qui pedibus claudicant vel errant, ad iustitiam deducere, Deum insipientibus hominibus ostendere, interitum compescere,mortem vincere, inobedientes filios patri reconciliare.Benignum Dei instrumentum , Dominus. ] Rursusque paulo post. [ Meum salutare canticum,ne ita existimes esse nouum , vt vas vel domum. Erat enim ante luciferum , & in principio erat Verbum,& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.Est autem vetus,error;res noua verò,apparet veritas.] Tandémque post aliqua. [ In principio erat Verbum. Sed quoniam Verbum quidem erat ab alto petita origine diuinum vniuersorum principium , & fuit & est. Quia autem nunc nomen accepit, olim sanctificatum potestate dignum, Christus,nouum mihi vocatum est canticum.Hic ergo Verbum Christus, & vt nos olim essemus , erat enim in Deo , & vt benè essemus, causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum,qui solus est ambo, Deus & homo,& est nobis omnium causa bonorum, à quo edocti rectè viuere, ad vitam æternam transmittimur. Nam vt ait diuinus ille Domini Apostolus, *gratia Dei Salutaris, omnibus hominibus apparuit , docens nos , vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, moderatè,& iustè , & piè viuamus in hoc sæculo , expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi.* Hoc est canticum nouum,aduentus qui nunc refulsit in nobis.] Habes apertè, Christum Deum hominem de Clementis sententia , esse canticum nouum quod Domino cantat quisquis ad Christi normam componit vitam. Sanè si *pulcher hymnus, Dei homo,* vt habet ea oratione Clemens, quanto magis Christus, agnoscendus Dei hymnus ?

286 Videri porrò possit Eusebius lib. 1. de demonstr. cap. 10. eodem modo accepisse canticum nouum,cum exponit canticum nouum de quo Dauid psal. 39. sic enim scribit Eusebius , post multa de Christo agno & victima,eruditissimè (vt solet) prolata. [ Quod porrò sit hoc nouum canticum,declarat deinceps vbi ait; *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi , holocausta & pro peccato non probasti. Tunc dixi,ecce venio. In capite libri scriptum est de me,vt facerem Deus voluntatem tuam : volui.* Et adiungit: *Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna.* Sic planè docens pro antiquis Sacrificiis & holocaustis,Christi aduentum per assumptionem humani corporis , eiúsque corpus perfectum, Deo oblatum esse;ipsúmque hoc Ecclesiæ suæ nunciat cum gaudio tanquam ingens mysterium , quod prophetica voce in capite libri propositum expressúmque sit. ] Appellat ibi perspicuè Eusebius , Christum canticum nouum , sed agit de eo provt in Eucharistia immolatur : & hoc esse ait canticum nouum quod Deus immisit nobis in os,carmem Deo nostro. Nam cum dixisset , Christum pro antiquis pecorum victimis , post omnia , quasi mirabilem quandam victimam sacrificiúmque eximium patri suo operatum,pro nostra omnium salute obtulisse eiúsque memoriant vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus instituisse,addit hanc ipsam institutionem fuisse à Dauide prophetatam, cum immissionem noui cantici in os nostrum carmen Deo nostro celebrauit psal.39. excurritque plenè & magnificè in alias de Eucharistia scripturas; vt dubium nullum supersit , quin per canticum nouum ori diuinitus immissum, & carnem Deo nostro, Christum quem in Eucharistia ore sumimus , intellectum à Dauide voluerit : Quia verò Eucharistia eundemmet Christum continet modo inuisibili ; quem mysterium Incarnationis visibilem exhibuit mundo ; propterea æquè ad rem præsentem confert Eusebij cogitatio,de Christo cantico nouo.

287 Et addi potest egregius ex eodem locus , in oratione de laudibus Constantini *post medium* , vox Christum cum Orpheo componit , & per humanitatem veluti per musicum instrumentum, edidisse insigne melos confirmat. [ Communis ( inquit, ) omnium seruator , per instrumentum humani corporis, quo se circumdedit , se beneficum omnibus præstitit , & salutarem : non alitèr sanè quàm musicus , qui suam in arte peritiam per lyram declarat. Orpheus, vt in fabulis Græcorum est , omnia ferarum genera cantu permulcere,& instrumenti fidibus plectro percussis, belluarum immanium furores mitigare potuit. Quæ res à Græcis & passim decantatur,& vera esse creditur: quod scilicet lyræ inanimæ conuentu tum feræ manuescere,tum arbores ( quæ *fagi* vocantur, ) muficæ suauitate delinitæ, situs suos mutare solent. Eodem modo igitur sapientissimus Dei sermo , cuius vi ac potestate omnia continentur,cohærentque animis hominum , omnibus vitiorum generibus oppressis, varias curationes adxibere, & humana natura, tanquam instrumento musico à sua ipsius sapientia fabricato, in manus arrepta, cantilenas & quasi incantationes animantibus non expertibus rationis,sed eiusdem participibus occinere cæpit : omnésque feros mores tàm Græcorum quàm Barbarorum, omnes etiam agrestes & immanes animorum perturbationes , salutaribus cælestis doctrinæ medicamentis sanauit:ægrisque animis,qui diuinum numen,in ortu rerum & corporibus penetrabant , Deus humano corpore conclusus, velut medicus facilè præstantissimus , congruenti, & appositio remedio opem tulit.]

Eidem cogitationi de Christo cantico nouo , astipulatus videtur Guilielmus Parisius in præfatione in cantica , sic describens canticum vetus & nouum. [ Canticum aliud vetus , aliud nouum. Canticum vetus , est ad quod inuitatur omnis intellectualis creatura,cum dicitur, *Benedicite Domino omnia opera eius.* Canticum verò nouum est , ad quod tantum

tantummodò inuitatur omnis terra , id est omnis ex redemptis hominibus Ecclesia,cum dicitur ; *Cantate Domino canticum nouum,cantate Domino omnis terra* ? vtrumque sanè canticum canit omnis terra, sed cum Sanctis Angelis,canticum vetus cantat creatori:sola verò canticum nouum cantat Redemptori. Sola,inquam, terra cantat canticum nouum: quia veritas de terra,non de cœlo,orta est ; id est Verbum Caro,non Angelus, factum est,& habitauit in nobis Itaque ad Angelos canticum nouum minimè pertinet , quia vt ait Apostolus, *non Angelos, sed semen Abrahæ*, id est, terram, redemptrix veritas, *apprehendit*.] Inter recentiores , Christum esse canticum nouum,agnoscit atque confirmat Benzonius in psal.86.c.22.

### *Harmonia Cantici noui , supra Orphei,&c.melos.*

289 Meritò porrò Clemens laudato loco,per hunc *nouæ* ( vt vocat , ) *harmoniæ æternum modum*, longè aliter affectos fuisse mortales considerat , quàm per Amphionem, Arionemque, & Orpheum, quorum primus cantilenæ suauitate piscem inescasse , alter Thebas ædificasse ; Tertius feras mansuefecisse , & arbores transplantasse referuntur: cum reuera prætextu musicæ vitæ intulerint orbi perniciem, & ad seruiturem lignis ac lapidibus turpissimè seruiendam, morrales adduxerint. At canticum nouum,[ difficillimas feras,homines mansuefecit.Volucres quidem eos qui ex ipsis sunt leues : Serpentes verò eos qui deceptores : & leones , eos qui sunt animosi,& ad iram concitati:sues autem, eos qui sunt voluptati dediti : lupos autem, eos qui sunt rapaces;lapides autem & ligna,sunt insipientes. ] Probat hoc Clemens , variis ad id congestis scripturis.Tum addit. [Has ergo omnes immanissimas feras , & tales lapides, ipse cœlestis cantus in mansuetos homines transformauit. Eramus enim,*eramus nos quoque,aliquando insipientes, inobedientes, errantes, seruientes voluptatibus , & cupiditatibus variis, in malitia & inuidia degentes, odibiles , nos inuicem odio habentes*,vt ait Scriptura Apostolica. Quando autem *benignitas & humanitas apparuit Seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos , sed secundum suam misericordiam nos saluos fecit*. Vide quantum potuerit nouum canticum.Homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris. Ij autem qui erant alioqui vt mortui , qui eius qui verè est vita non erant participes,postquàm cantici solum fuerunt auditores,reuixerunt.] Efficacitatem melodiæ à Christo in orbem inductæ , haud aliter expressit Amedæus Lausan. cuius illa sunt homilia 4. de laud. Deiparæ,*initio*.[ Exultauit Gigas geminæ substantiæ , modulatis vocibus ex tinnulis suauissimis in citharæ corporis decantare,& in carnis organo compacto dulcissimos sonos edere , & ineffabili concordia resonare , vt lapides suscitaret, ligna commoueret,feras traheret;homines abstractos à carne , educeret in sublime. Nam suauitate mirificæ cantilenæ,suscitauit de lapidibus filios Abrahæ,& ligna syluarum, id est corda Gentilium , ad fidem commouit. Feras quoque,id est feros motus,& incultam barbariem moraliter composuit,& homines ab hominibus edoctos,in numerum Deorum instituit.]

290 Hominem paulo post,Clemens Alexandrinus loco proximè allegato,cum cithara diuinitùs pulsata confert ; atque adeò Christum quoque,ait esse citharam, eiúsque melodiam , ait esse canticum nouum , quali Rex Citharœdus Saulem à Dœmone vexatum , solummodò canens curauit. In quam rem subit animum quod ex Matthia Felisio in Christiana institutione ad methodum magistri 2. S.dist.8.tradit Thyræus in opere de Dœmoniacis c.48.n.16. nimirum Christum, præsertim in cruce expassum , citharam esse mysticam,cuius repræsentatione,Dauidis cithara materialis,Dœmonem profligarit.Hoc Autor tractatus de Pass. Dom. apud Bernardum cap.8. pulchrè agnouit. [ Cithara ( inquit alloquens Christianam animam , ) tibi factus est sponsus,cruce habente formam ligni ; corpore autem suo vicem supplente chordarum per ligni planitiem extensarum. Nam nisi ligno affigeretur expassus , neutiquam verborum sonum ederet tanquam citharizans quibus ampliùs delectareris. Obserua diligentiùs , septem chordas habet cithara.] Has septem chordas,ad septem Christi in cruce verba,accommodat.Prosper quoque part.2.de promiss.cap.25. tractans varias Christi & Dauidis analogias , sic de citharizatione scribit. [ Suaui sono citharizans Dauid , non tantùm animalium mulcebat auditus,quantum etiam in ipso Saule vexationem mali Spiritus temperabat. Sic nostri manu fortis , Christi Domini citharam respicias personantem,quam ligno crucis cernis membrorúmque suorum chordis aptatam,plectro dum tangit Sancti Spiritus,omne animal replens benedictione , ipsum quoque Diabolum fugauit de cordibus inimicorum , pro quibus orans in cruce, suauem illum sonum protulit,dicens;*Pater ignosce illis,quia nesciunt quid faciunt*.] En quàm affabrè structa,quàm dulciter resonans cithara , multo suauiùs quàm Threicij Vatis , multóque maiora & vberiora procreans bona.

### *Christus , laus Dei in Ecclesia Sanctorum.*

291 Horum bonorum consideratio, facit , vt Christus in ore & cogitatione Sanctorum , non nunc tantùm in hac peregrinantium Ecclesia,sed per totam æternitatem in Ecclesia magna ad plenum expurgata, veréque Ecclesia Sanctorum , sit canticum nouum,& laus Dei nunquam intermittenda.Est quidem hîc Christus , gaudium & exultatio vniuersæ terræ , iuxta illud S. Ambrosij in psalmum 47.qui interpretatus verba illa Psaltis , *fundatur exultatione vniuersa terræ , mons Sion*,de cœlesti Hierusalem,subdit . [ Conuenit igitur , & si ita intelligamus vt diximus: sed quia in vetustis exemplaribus aliquibus reperimus , ἱυρίζω ἀγαλλιάματι πάσης τῆς γῆς, id est bona radice exultationem vniuersæ

terræ. Sensum quidem eundem aduertimus, quia diuina in nobis Dei Patris dona laudantur ; qui dedit nobis exultationem bona radice fundatam, Deum videlicet Iesum, veram & fœcundissimam vitem, de qua Sacramenta fluxere cœlestia, in quibus est perpetua & diuturna lætitia ; quòd his abluatur omne peccatum, & conscientia interna mundetur. Elocutionémque conuenire cognoscimus: quia bene radicata exultatione lætamur, qui exultamus in Christo. Sæculi enim lætitia, temporalis est ; perpetua autem lætitia, eius qui gaudet in Domino.]

292 Quis autem vel tenuiter rem æstimans, dubitare possit quin electi tam fœlicem sortem suam præ innumeris eiusdem aliquando conditionis & ordinis perspicientes, videntes se de luto fœcis ereptos, & statutos super petram, cum amore suauissimo erga Deum & Christum colliquescant, de quo infrà, cum Richardo cap. 10. in Cantica ; tum iugi laude Deum concelebrent per Christum, cuius interuentu tanta bonorum vbertate fruuntur ? Bona namque terræ comedunt, iuxta Esaiam, id est terræ promissæ quæ Christus est, provt contra Iudaicum stuporem, bulbos & tubera in terræ bonis diuinitùs promissis deputantem, interpretatur Tertullianus lib. de resurr. carnis cap. 26. Sic igitur est Christus, laus Dei perpetua in Ecclesia Sanctorum laudantiũ & celebrantium Deum in firmamento virtutis eius; quòd esse ipsum Christum docet S. Gregorius hom. 8. in Ezec. Cuiusmodi verò sit futurâ ea Dei de Christo, & per Christum laudatio, vtcumq; ostendo, exhibito perillustri de ea loco Gregorij Nysseni lib. 1. de titulis psalmorum cap. 9. supremum (inquit,) omnium bonorum quod omnibus commune erit, nihil aliud est quàm laudis diuinæ celebratio, quando sine vllo peccati periculo in omnibus complebitur; provt in postremo Psalmo habetur ; *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Vbi etiam firmamentum virtutis eius immutabilem constantiam in bono significat: Principatúsque seu virtutes Dei, ostendunt naturam non ampliùs fore dominationi peccati obnoxiam ; quando humana natura de cætero, secundùm multitudinem magnitudinis eius laudem instituet, non iam paruum quoddam & exile resonans, sed vocis magnitudine tubam exæquans. Ait enim; *Laudate in sono tubæ*, quando etiam huius vniuersi harmoniam, & concentum imitabitur, variis & multigenis virtutibus, quasi organum Deo facta, aptis concinnisque modulis & concentibus. Nominat verò hoc figurata quadam loquendi forma Psalterium & citharam. Post cuius modulationem, sepositio omni illo quod terrestre est, & mutum, vocisque expers, in tympanorum magnifico cantu consociat cœlestibus choris propriarum chordarum sonum. Chordæ autem in organo extensæ, nihil aliud fuerint, quàm ille in qualibet virtute insitus rigor, quo ad malitiam inflecti & inclinari nequit, quibus omnibus iucundus ille cymbali concentus chordis permixtus efficitur, quando sonus cymbalorum mentem excitat vt diuinos illos cætus obeat & frequenter. Quod quidem mihi innuere videtur naturæ nostræ cum Angelis societatem; ait enim: *Laudate Dominum in cymbalis benè sonantibus.* Conuentus enim ille Angelicæ naturæ cum humana, quando humana ad finem suum peruenerit, gratam illam gratiarum actionis modulationem mutuo congressu efficit : simúlque iunctis vocibus, benignitatem Dei super omnes perpetuò effusam decantat ; Hoc enim cymbali cum cymbalo coniunctio significat. Cymbalum vnum est cœlestis ilia Angelorum natura; alterum cymbalum est, rationalis hominum creatura ; sed peccatum hanc ab illa separauit, quas cum denuò Dei benignitas copulauerit, tunc resonabit vtraque in vnum iam conflata, hymnum illum; quia vt magnus ait Apostolus ; *Omnis lingua confitebitur, cœlestium, terrestrium & infernorum, Christum esse in gloria Patris :* Quo facto decantabunt hæc cymbala epinicium, seu carnem victoriale, tanquam victoria parta ob communem iam concordiam, abolito & profligato omni bello, quo depulso, & in nihilum redacto, indesinenter ab omni spiritu, pari studio & conatu, laus & hymnus Deo in omnem æternitatem persoluetur : cum enim laus non sit speciosa in ore peccatoris, ( tunc autem non sit futurus peccator sublato omni peccato, ) omninò oportet, vt omnis spiritus qui in sæculo illo erit, Dominum laudet.] Id quod nunc quoque, Sanctorum super terram peregrinantium Ecclesia, vsurpat; prægustans iam ex hac vita perpetuum inibi munus suum, orique iam nunc præstare, quod per æternitatem cumulatiùs, lætiùs, tranquilliúsque præstabit.

### *Christus, Alleluia.*

293 Geminum est quod Rupertus lib. 4 de diu. offic. cap. 5. Christum ait esse *alleluia*, quod idem est, ac *Dei laudatio*, vt Theodoretus rectè notauit in Psal. 146. ac S Hieronymus epist. 137. quæ est ad Marcellam, & multi quos proferunt Durantius lib. 2. de ritibus cap. 20. *Laudationem concinnam* interpretatur Iustinianus quæst. 50. ad orthod. vbique Dei, qui solus est laudabilis & superlaudabilis. [Quam ergo Dei laudem (inquit Rupertus capite illo 5.) significat Alleluia ? Illam vtique illam cui dicit Deus Pater in Psalmo; *exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.* Gloria Patris, Dei Filius, perfecta laus, & sempiterna musica, vtpotè summa sapientia, quæ de corde nata eiusdem Patris, æterni musici, citharam nostræ humanitatis assumpsit ; quam & confractam ab inuidis & stultis pueris, qui ad cantum eius saltare debuerant, rursus per gloriam resurrectionis reformauit, & inuiolabile Psalterium fecit, illa inquam gloria, hæc cithara, siue Psalterium, Alleluia nostrum est. Quicquid enim supernæ iucunditatis auditoribus suis exhibuit, quorum beati oculi qui viderunt, & aures quæ audierunt ; quicquid inquam de cœlestibus gaudiis ore suo Dominus Iesus Christus præcinuit, Alleluia est, canticum nouum est, laus suauis est,]

Facit ad hanc rem, notatio Hebraica vocis

vocis *alleluia*, quam profert S. Germanus in terum Ecclesiasticarum Theoria. Eam verò non tam refero quod approbem,& Hebraicæ radici conformem censeam, quod peritos inficiari non me latet,sed quod mentem S. Germani de Christo *alleluia*, apertè prodat. Ait igitur S.Germanus,*alleluia*, Hebræam vocem esse, quæ idem sonet ac *venit Deus laudate venientium Deum*. Iuxta eum enim *Al* Hebraicè, idem est quod *venit* : sicut *el* , idem quod *Deus*.*Via* idem quod *laudate venientium Deum*. Quæ vocis notio si vera esset , nihil posset commodiùs proferri ad monstrandum quomodò Christus sit nostrum *alleluia*, vt Rupertus affirmabat. Verè enim Christus,Deus est,qui ad nos in carne venit, & per eam apparuit. Quo mirabili & insolitæ claritatis spectaculo perculsi , id enim fert *apparitionis* verbum vt ponderat Cassianus circa illud Apostoli *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri*; lib.2. de Incar.cap.4. ) excitamur ad laudandum patrem , qui Deus est non mortuorum sed viuentium. Non præsto eam notionem esse legitimam , vt iam dixi , & eam reiicit Humbertus Card.Syluæ candidæ lib. contra Græcorum calumnias *sub finem*. Æquè tamen quadrat ac aliæ quatuor, quas præter propositam ex D. Hieronymo notionem , refert Turrecr.in regulâ S. Benedicti tract.72. Quas inter, potest ad istam ex D.Germano propositam , reduci illa quam Turrecremata ex D. Augustino refert,(locum non signat,& ægrè inuenietur,cum non sit D.Augustini:qui vbique in huius vocis notione , approbat eam quam ex D. Hieronymo retuli , vt videre est serm. 18. ex 40. nouis, & epist.178. & sæpè alibi. ) Hæc igitur est illa interpretatio τῆ *alleluia* quam D. Augustino affingit Turrecremata.*Al*.id est *saluum le*.id est *me.lu* id est *fac*. *ia* id est *Domine*. Quasi *alleluia*,idem sit quod *Iesu Domine*,vt vt sit,*alleluia* designare Christum qui est laus Dei summa & perfecta in Ecclesia Sanctorum,sententia est Ruperti, & S.Germani.

### *Ducta indè germana ratio,cur certo anni tempore,prematur Alleluia.*

294 Hinc verò potest non incongrua ratio reddi,Ecclesiastici ritus cuius alioqui perobscura est expositio. Si enim *alleluia* , non aliud est quàm quæcunque laus Dei, vt probatior vocis notio fert spectato nudo vocis cortice, quorsum Ecclesia , *alleluia* premit à septuagesima ad Pascha ? Vel saltem ab incunte Quadragesima. Quod addo quia quamuis nunc à septuagesima omnes dimittant. Alleluia,tamen longo tempore Benedictini, Alleluia,retinuerunt vsque ad Quadragesimam,vt eis S.Benedictus cap.23.Regulæ permiserat. Eumque vsum retinuerunt,etiam post prohibitionem Synodi Franciæ, de qua ad prædictum caput Smaragdus, & Synodus Abbatum coacta Aquisgrani sub Ludouico Pio tit.30.Nam Radulphus Tungrensis tanto posterior lib.de obs.can.propos.16. suo tempore idem ab eis seruatum docet. Seruabant item Hispanicæ Ecclesiæ,teste S.Isidoro l. 1. de offic.cap.3.Vt tamen saltem ineunte quadragesima, id est prima Dominica quadragesimæ , ( quæ verè est caput Quadragesimæ, non autem Septuagesima vt malè caput citatum Regulæ Benedictinæ glossauit Rupertus lib.2.in regul. S.Bened.cap.13.) dimittatur Alleluia [ vniuersalis Ecclesiæ consensio, in cunctis terrarum partibus roborauit ] ait Conc.Tolet.4. cap.10. Quorsum verò hoc,si Alleluia idem est quod *Laudate Dominum*?An non etiam in Quadragesima laudandus Deus? Vetus planè quæstio,iam olim scriptis Albini Flacci , & Caroli Magni Imperatoris discussa : & à posterioribus diuinorum officiorum Tractatoribus agitata ; nec non à defensoribus Latinorum rituum aduersùs Græcorum impugnationes,vt ab Humbertò Episcopo syluæ candidæ lib. aduersùs Græcorum calumnias : sed ita vt ægrè satisfaciant quæ adducuntur.

Sunt qui cum D. Augustino respondeant, *melos alleluiaticum*,esse vocem gaudij & exultationis,quæ non decet peregrinos & exules: iuxta illud *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* ? Ita D. Augustinus serm. 15.ex 40.nouis,& in psal.106.ac 110.Et perspicuè in psal. 148. *initio* [ Propter hæc duo tempora ( inquit , ) vnum quod est nunc in tentationibus & tribulationibus huius vitæ, alterum quod tunc erit in securitate & exultatione perpetua,instituta est nobis etiam celebratio duorum temporum ante Pascha & post Pascha.Illud quod est ante Pascha,significat tribulationem in qua modò sumus: quod verò nunc agimus post Pascha, significat beatitudinem in qua posteà erimus. Ante Pascha ergo,quod celebramus hoc &agimus. Post Pascha autem;quod celebramus, significamus,quod & nondum tenemus.Propterea illud tempus,in ieiuniis & orationibus exercemus:hoc verò tempus,relaxatis ieiuniis in laudibus agimus.Hoc est enim *Alleluia* quod cantamus, quod latinè interpretatur , vt nostis , *Laudate Dominum*, ] fusè idem habetur in epistola de celebratione Paschæ , inserta t.9.Hieronymi quæ reuera est tantùm rapsodia ex Augustino. Qui quod ait tempus vitæ notari per quadragesimam,tempus verò alterius vitæ per Pascha , suffragatorem habet, Nazianzenum orat. 42. quæ est de Pasch. & Theodorum Studitam , Catechesi 66. Huic tamen rationi premendi *alleluia*,illud confestim opponitur , quod si *alleluia* nihil aliud sonat quàm *laudem Dei*,æquè premenda esset latina illa precandi tessera quam loco alleluia vsurpamus , per tempus quo tacetur *alleluia*; nempe *laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*.Quæ ratio æquè pessundat omnes alias huius silentij rationes,quas Durantus supra n. 7. ex variis terum Ecclesiasticarum tractatoribus coaceruat.

295 Illam verò ex D. Thoma petitam, videlicet quod *alleluia* sit vox plena gaudij, & denotet ineffabilitatem laudis Deo debitæ,quæ vt Iansenius cap.110.concor. in hanc rem tradit , maximè congruit Paschati , non video quomodò approbare possimus. Præterquàm quod enim non consonat notioni vocis ex D.Hieronymo propositæ,quorsum prohibemur certo tempore potiùs quàm alio,

testificari verbo, ineffabilem laudem Deo deberi? Olim sanè Monachi in communi salutatione semper præmittebant *alleluia*, vt ait D. Hieronymus epistola 27. & infantes quoque ea primùm voce imbutos, vt perpetuò illam proferre discerent, ibidem tradit, ac etiam epistola 7. & in campis hoc fuisse leuamen operarum, tradit epistola 17 Arctatio igitur vsus vocis *alleluia*, ad certum anni rempus, non est iis probata qui perpetuò habebant illud in ore. Quod autem addebatur, hanc esse vocem exultationis ob ineffabilitatem laudis Deum decentis, æquè improbarunt, qui *alleluia* etiam in funeribus vsurparunt: quod Gallis olim in vsu fuit, vt libro 2. de vita S. Radegundis legere est. Viguisséque alibi vsum illum, liquet ex Theodoro Balsamone ad can. 106. Conc. Carthag. Imo ex S. Hieronymo in Epitaphio Fabiolæ, idem Romæ in more fuisse, certum est. [Et iam (inquit) fama volans tanti prænuncia luctus, totius vrbis populum ad exequias congregarat. Sonabant psalmi, & aurata tecta templorum, reboans in sublime quatiebat alleluia.]

Quare commoda ratio presſi per certum anni tempus *Alleluia*, ea est quam Rupertus profert lib. 4. de diu. offic. cap. 5. verbis illis. [Cum miserabilem antiquæ Ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus, nostrumque incolatum, quia prolongatus est deplangimus, pulchro satis ordine *Alleluia* ab ore nostro tollitur; quia videlicet qui per illud significatur, illis nondum venerat; à nobis iam recessit, & ablatus est sponsus à filiis suis. Rectè hoc consideravit, qui hoc responsorium cecinit *Alleluia: Dum præsens est, imitantur illam: & desiderant illam, cum se eduxerit.* Dum enim hic de *Alleluia* dixit, hoc quod de Sapientia scriptum est, quæ sine dubio Christus est; profectò per *Alleluia* Christum intelligi voluit; qui dum præsens esset, imitati sunt illum; & desideravuerunt eum, cum se eduxit, ascendens in cœlum.]

### *Aliorum de eo ritu sententiæ, eodem aptatæ.*

296 Eodem reuoluitur ratio illa Humberti Episcopi sylvæ candidæ, l. aduersus Græcorum calumnias. [Quod nocem (inquit) hebdomadibus *Alleluia* intermittimus, non incongruè per nouem hebdomadas, nouem ordines Angelorum accipimus. Quorum decimus ordo, per superbiam corruens, Angelicum numerum imminuit, & fœlicitatem perturbauit. Qui condolentes suæ diminutioni, & parem ruinam timentes sibi, à perfecta laude Creatoris fuere præpediti. Quorum recuperationi & consolationi consulens omnipotens Creator, primum hominem de limo terræ formauit, qui sui generis multiplicatione damna cœlestis patriæ resarciret, atque Angelorum gaudia suppleret. Qua spe Angelicus chorus ad modicum exhilaratus, nec mora ex lapsu ipsius hominis fuit conturbatus. Vnde ille nouem ordinum concentus, in laude Creatoris remansit imperfectus, donec in Christo resurgente, resurrexit prolapsus ille Protoplastus. Ibi augmento sui Collegij, & meliori spe, Angelicus exercitus gaudens in nouum *Alleluia* consurrexit totus, & in eo perstat deuotus. Quem & nos pro modulo nostro imitantes, a Septuagesima quando lapsus protoplasti in Ecclesia recitatur, *Alleluia* nouem hebdomadibus intermittimus; scilicet in Pascha, vbi Christus resurgens à mortuis, tristitiam nostram in gaudium vertit, & *Alleluia* reddit.]

Fortassis autem difficile non erit, plerosque alios qui de causa tacendi *alleluia* aliter philosophati videri possent, ad hunc sensum reducere. Plerique enim ac inter eos Blesens. serm. 13. Durandus lib. 6. ration. cap. 24. Hugo Victor. serm. 51. Turrecr. tract. 72. in reg. S. Bened. Autor libri de vita Eremit. ad sororem cap. 18. & quod præcipuum est Leo Papa de consecr. dist. 1. cap. *Hi duo* causam premendi à tempore septuagesimæ *alleluia*, inde ducunt quod illa septimanarum septimana, quæ à Septuagesima ad exordium passionis producitur; designet septimanam annorum septem, inquam decades captiuitatis filiorum Israël sub Babylonio tyranno: quam fuisse imaginem captiuitatis humani generis sub principe tenebrarum, Christi passione solutam, grauissimè persequitur S. Hilarius in psal. 125. & in psal. 136. Hancque esse germanam rationem nominandi vnam dominicam *Septuagesimam*, & ita consequenter, rectè euincit Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 14. discussis & reiectis aliis de ea denominatione improbabilibus sententiis variorum autorum: præter quos legere licet apud S. Ambrosium sermone 23. Sancto illi Doctori malè adscripto, vbi de ea denominatione peculiari modo philosophatur. Quia ergo memoria captiuitatis generis humani, adumbratæ in Babylonica septuagenaria captiuitate, sub eiusdem numeri septenarij typo, recolitur à Dominica septuagesimæ. Et quia ea captiuitas soluta non est aliter quàm per Christi aduentum & consummatam passionem, aiunt autores prædicti, premi per tempus illud *alleluia*: non quia vox gaudij est, (id enim est postea ea communi sensu inductum:) sed quia Christus, qui abfuit per tempus captiuitatis, nec venit vt in actu secundo redemptor, nisi per mortem & passionem qua redemptio nostra est consummata, designatur per *alleluia*: quæ est vt vidisti ratio Ruperti. Et sanè ipse Rupertus eodem opere lib. 1. cap. 35. & lib 7. cap. 11. rationem illam taciti *alleluia*, eo quod tempus per quod tacetur signet tempus captiuitatis, vsurpat absque alia explicatione, vt illi alij autores fecerunt. Signum ergo est, & Rupertum, & illos alios idem velle: hoc est vtrosque intellexisse, *alleluia* esse Christi Symbolum, seu laudis quam Deo per Christum redemptorem pangit Ecclesia. Quo pacto sumptum *alleluia*, est verè vox gaudij, & digna quæ Aggæum primum autorem habeat. Quod scribit Epiph. lib. de vita propher. cap. 20. ait enim cum vidisset, Dei domum quæ priùs miserè soluta cecidérat, fuisse reædificatam, cecinisse *alleluia* magno cum gaudio, iuxta propheriam Tobiæ cap. 13. Nos igitur ædificari per Christum Dei domum

domum post captiuitatem cernentes, vt habet alicubi psalmi titulus, ipsúmque primarium Dei templum Iudaica rabie solutum, denuò excitatum agnoscentes, pressum aliquandiu *alleluia* resumimus, laudantes Deum per Christum, eumque excitatum, tantæque nostræ in Deum laudis argumentum, signantes per *alleluia*. Nec frustra hic quis retulerit insignem victoriam à SS. Germano & Lupo de fidei hostibus reportatá, adhibita acclamatione *ter alleluia*, quam etiam in prælio tesseram vsurpauit exercitus candidatorum apud Cæsarium lib. 4. mirac. cap. 54. Perinde enim fuit sic acclamare, ac Victoris Domini trophæa hostibus obiicere.

### *Christus, gloria in excelsis Deo.*

297 Quæ dicta sunt de presso aliquando *alleluia*, quia significat Christum, æquè cadunt in canticum *gloria in excelsis Deo*, quod æquè premitur eodem tempore, & eadem ex causa, vt disertè tradit Leo Papa cap. *hi duo* de consecrat. dist. 1. Nimirum hoc quoque canticum, exhibet nobis Christum, vt perspicuè habent Ethetius & Beatus lib. 1. contra Elipandum, verbis illis. [IESVS Christus filius Dei, de Maria, hoc est gloria in excelsis Deo, & in terra pax.] Et verè, Christus est perfectissima *gloria in excelsis Deo*, non modò ratione suæ diuinitatis, vt Theodoretus obseruauit in cap. 6. ad Rom. circa illud *quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris*, id est per suam diuinitatem; sed etiam ratione humanitatis Verbo coniunctæ, seu quatenus est Deus homo. Idcirco enim Eph. 1. Deus Pater vocatur *pater gloriæ*, id est Christi, qui est gloria in altissimis Deo.

Quanquam D. Thomas ibi lect. 6. hunc locum aptat Christo quatenus Verbo, & idcirco notat eodem loco esse dictum, *Deum Domini nostri Iesu, & patrem gloriæ*, vt priùs membrum, pertineat ad humanitatem assumptam, cuius pater est Deus ac Dominus; posterius verò ad Christi diuinitatem, id est ad secundam personam, cuius est pater, non Dominus. Videtur id velle S. Hieronymus ibi, sic scribens. [Porrò Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater autem gloriæ, ita intelligendus, vt quomodò Dominus noster Iesus Christus, ipse est sermo, sapientia, veritas, pax, iustitia, fortitudo: ipse sit etiam *gloria*: secundùm illud quod alibi dicitur: *Apparebit gloria Dei.* Et in omni penè veteri lege, scriptum est, super tabernaculum testimonij visam esse gloriam Dei. Et psalmista canit; *exurge gloria mea, exurge.* Quæ gloria illuminans suo fulgore mundum, templum sibi de virginali vtero fabricata est. Cuius templi pater gloriæ, efficitur Deus. Et vbi Christus gloria est, ibi tantùm pater dicitur: vbi Iesus, ibi Deus eius, absque additamento aliquo nominatur. Iste igitur Deus assumpti hominis, pater verò *gloriæ*, sapientiæ, veritatis, dat credentibus in filium suum, Spiritum Sapientiæ.]

Idem priùs tradiderat S. Athanasius, per illustri loco quem Cypariss. decade 9. cap. 6. refert ex eius lucubratione contra eos qui seruiunt verbis, qui in opere nuper edito, titulum illum præferente, desideratur. Sic autem habet. [Gloria dicitur *vnigenitus*: *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Quare illud; *Deus Domini nostri Iesu Christi*, perinde est, vt si dicatur; *Deus carnis Christi. Pater gloriæ, Pater diuinitatis.* Gloriam enim vocat Esaias Saluatorem secundùm dignitatem diuinitatis. Cum enim narrasset miracula, quæ in deserto facta sunt, & euangelizasset deserto, *exultet*, (inquit,) *solitudo Iordani, & floreat tanquam lilium; quoniam gloria libani data est ei, & honor carmeli: Et populus meus videbit gloriam Domini, & altitudinem Dei: & videbit omnis caro salutare Dei.* Gloria igitur est à gloria, vnde & Paulus ait: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ.* Pater ergo est gloriæ, vnigeniti; Deus autem carnis Christi.

### *Etiam ratione humanitatis, Verbo, coniunctæ.*

298 Quamuis igitur D. Thomas, post illos Patres, itémque ad eundem locum Oecumenius, ac Chrysostomus, *gloriam* interpretentur Christum, provt Verbum æternum quod verè est *aporrhœa gloriæ*, & sola limpida patris gloria, vt disserit pulchrè & latè autor libri primi de Incarnat. apud Augustinum cap. 13. & 14. tamen nihil est quod veteat, vtrumque membrum sententiæ ex Apostolo propositæ. videli. et *Deus Christi*, & *Pater gloriæ* vsurpare de Christo homine, quod fecit Apostolus 1. Timoth. 1. cum Euangelium Christi, vocat *Euangelium gloriæ beati Dei.* Item S. Ambrosius serm. 6. in psal. 118. v. 1. vbi totum psalmum 84. aptans ad Verbum carne vestitum, illud eiusdem psalmi *vt inhabitet gloria in terra nostra* sic enucleat. [Quis est *gloria* niß Dominus Iesus? Vnde & Apostolus Paulus ait: *Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ.* Meritò complacet in eo Pater, quia patris gloria est. Hunc qui à patre separat, maiorem Patri iniuriam facit, quem vult esse sine gloria. Hunc quisquis æqualem Patri non putat, inferiorem & patrem iudicat, cum alio verbo patrem plus laudare non possit; cuius summa laus gloriæ, Christus est.] Tametsi S. Ambrosius, æqualitatem cum Patre, Christo non vendicat nisi ratione diuinæ personæ; tamen totum Christum, ex diuina persona & humanitate coalescentem, vocat *patris gloriam*, & quidem *summam.* Quo item modo modo S. Bernardus serm. 1. de Annunc. tractans eundem psaltis versum, sic ait. [Si gloria patris filius sapiens; cum sit sapientia ipsa sapientior nemo; liquet profectò gloriam Patris Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam esse. Quia ergo multifariè multisque modis de eo prædictum fuerat in Prophetis, quod in terris videndus esset, & inter homines conuersaturus, quonam modo id factum sit, vt impletis quæ de eo per os omnium Prophetarum dicta fuerant, habitauerit gloria in terra nostra, Psalmista indicat in his verbis, ac si manifestè dicat: vt verbum caro fieret, & habitaret in nobis, misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.

Magnum Sacramentum fratres, & diligentiùs perscrutandum, nisi & intellectus mysterio, & ipsi quoque intellectui verba deessent.]

299 Sed & Rupertus lib. 12. de victor. verbi Dei cap. 27. illud psalmi 56 exurge *gloria mea*, exurge psalterium & cithara, interpretatur, dictum Christum à Patre gloriam suam. [Quod erat (inquit,) illud psalterium, vel quæ cithara? Vnum idemque corpus, in sepulchro quiescens, erat psalterium, erat cithara. Erat cithara quem distentis charitatis fidibus personantem, dulcésque prædicationis sonos modulantem, Iudæi confregerant. At illa fractura citharæ, illi causa fiebat augmenti, causa successus optimi, vt surgeret psalterium decachordum; id est psalterium dulcisonum, nunquam frangendum, semper confessionis in populis, & psalmi in gentibus vocem daturum: cuius chordas manus nulla vltriùs rumpere posset; cuius ligni compages, deinceps nulla vis frangere prævaleret; iuxta quod ait Apostolus; *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Hæc est gloria Dei Patris, quia videlicet in hoc opere suo, per magnam gloriatur abundantiam charitatis. *Exurge igitur* (inquit,) *ô gloria mea, exurge psalterium & cithara.*] Breuiter idem attigit S. Hieronymus quæst. 9. ad Hedibiam. S. item Cyrillus in exegesi de Incarnat. ad Valerianum Episcopum, quæ extat t. 6. Conc. Ephes. cap. 17. Verbum carne vestitum esse gloriam Patris, egregiè tradit & multis Scripturis idem confirmat Dialog. 6. de Trinit. consonatque quod S. Augustinus quæst. 154. in Exodum, illam Mosi petitionem, *ostende mihi gloriam tuam*, interpretatur de Christo Deo homine, vera Patris gloria. Idem habet Hesych. lib. 5. in Leuit. cap. 16. Quod item Ezechiel cap 1. habet de gloria Dei super portam Orientalem, Rupertus lib. 1. in Matth. interpretetur de Christo in Deipara edito. Petrus denique Damiani serm. 45. sic scribit. [Gloria Domini intelligitur Christus, cuius fide repletus est mundus. De qua gloria cum pro adorato vitulo deprecaretur Dominum Moyses, vt parceret populo peccatori; Respondit Dominus: *Propitius ero illi. Verumtamen viuo ego, & viuit nomen meum, quia implebitur gloria mea omnis terra.* Et Psalmista: *Implebitur* (inquit) *gloria eius omnis terra.*

### *Tituli propositi, ratio gemina.*

Christum porrò esse *Dei gloriam*, duobus modis explicare possumus. Primùm quia Christus, vt rectè notauit S. Chrysostomus hom. 7. ad Philipp. maximè omnium patrem glorificauit. [Nemo ita Deum honorauit. Quantum habuit celsitudinis, tantum humilitatis vicissim subiit. Quemadmodùm maior est omnibus & nemo illi æqualis, ita & honorando patre cunctos superauit.) Itaque Christus in illis ipsis suis inhonorationibus in quibus inglorius apparuit, maximam Patri gloriam contulit. Vnde non immeritò ex eo capite denominari potest *gloria Dei*; multo magis quàm gratia accidentalis, cui sacræ literæ tribuunt nomen *gloriæ Dei*, tantùm quia per eam accipimus illustrissimum diuinæ gloriæ incentiuum, & fœcundissimum argumentum. Ita sanè Prosper lib. contra Collatorem cap. 10. *aliàs* 22. accipit illud Apostoli, *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Apostolus enim continenter declarans quæ sit ea Dei gloria qua omnes egent, subdit; *iustificati gratis per gratiam ipsius.* Vnde infert Prosper, [ergo gratia, gloria Dei est, non meritum liberati. Quis enim prior dedit ei, vt retribueretur illi? Nihil boni operis ex mortuis, nihil iustitiæ procedit ex impiis. Tota ipsorum salus, gratia est. Et ideò gloria Dei est, vt qui gloriatur, in illo cuius gloria eguit, glorietur.] Igitur si eam ob causam, quod locupletes nobis diuinæ gloriæ argumentum suppeditet, accidens emortuum & ex se obstipum, *Dei gloria* dicitur; quanto magis Christus idem nomen sortiri poterit, vnde nobis vt è feracissimo solo, diuinæ gloriæ messis vberrima existit.

Respectu item nostri, non immeritò Christus dicitur *gloria Dei*, quia nullum est nobis illustrius argumentum exhibendæ Deo gloriæ, nec Deus de vllo suo opere tam gloriatur. Audi Rupertum lib. 3. in Matth. [Rectè Pater glorioſus, & hic dicit, *In quo mihi benè complacui.* Et eundem in psalmo *gloriam suam* appellat, dicens ad eum; *Exurge gloria mea.*] Quod vllum aliud Dei opus est in quo Deus æquè sibi complacere possit; quodque gloriam suam denominare meritò valeat, ac Christus in quo tam splendidè micant omnes Dei perfectiones, sapientia, misericordia, amor, iustitia, potentia? Quod hic non iterò quia fusè in hoc argumento versatus supra sum tractans faciem Dei. Sanè singulares iusti sunt gloria Dei, ex Chrysostomo hom. 18. in ad Corinth. multo magis Christus.

### *Vsus doctrinæ.*

300 Quia autem qui Deum glorificant, glorificantur à Deo, glorificari Christum par fuit, & nos maximè ad id astringimur iuxta illud Augustini tract. 25. in Ioan. [Ille dixit se filium hominis & Petrus eum dixit filium Dei viui. Optimè ille commemorabat, quod misericorditer exhibuerat: Ille commemorabat quod in claritate permanebat. Verbum Dei commendabat humilitatem suam; homo agnoscit claritatem Domini sui. Et reuera fratres, puto quia iustum est. Humiliauit se propter nos, glorificemus illum nos. Non enim filius hominis propter se est, sed propter nos.] A Deo item, glorificatus meritò est Christus. Quanquam in hoc mundo sibi quidem gloriam conciliant, seque glorificauit, verùm *non gloriosè*, ait Orig. hom. 6. in Exod. ad illud *gloriosè magnificatus est.* Erit tamen sibi *gloria glorioſa*, in cœlo. Audi ipsum Origenem. [Dominus meus Iesus Christus cum carnem ex Virgine Maria pro salute nostra susceperit, glorificatus est quidem, quia venit quærere quod perierat; non tamen gloriosè glorificatus est. Dicitur enim de ipso, *quia vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem, & vultus eius ignobilis super filios hominum.* Glorificatus est, & cum ad crucem venit,

venit, & pertulit mortem: vis scire quia glorificatus est? Ipse dicebat; *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Erat ergo ei gloria, etiam ipsa passio crucis. Verùm gloria hæc, non erat gloriosa, sed humilis. Denique dicitur de eo, *humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis.* De quo etiam Propheta prædixerat: *Morte turpissima condemnemus eum.* Sed & Esaias dicit de eo: *In humilitate iudicium eius sublatum est.* In his ergo omnibus, glorificatus est Dominus; sed (vt ita dicam,) humiliter non gloriosè glorificatus est. Verùm quia hæc oportebat pati Christum, & sic introire in gloriam suam, cum venerit in gloria Patris & Sanctorum Angelorum, cum venerit in maiestate sua iudicare terram, quando & verum Pharaonem, id est Diabolum, interficiet spiritu oris sui; cum ergo refulgebit in maiestate Patris sui, & post aduentum humilitatis, secundum nobis in gloria ostendet aduentum; tunc non solùm glorificatur Dominus, sed & gloriosè glorificatur, cum omnes ita honorificant filium, sicut honorificat patrem.]

Appono pro clausula insignem planè fructum, quem ex hac denominatione Christi, suppeditat Orig. idem hom. 4. in Esaiam tractans illud, *Plena est omnis terra gloria eius*, vbi sic ait. [Olim plena domus erat gloria, nunc verò his qui super terram sunt à Seraphim prophetatur, quia futurum sit vt vniuersam terram gloria Dei mei Christus impleat. In omnibus quippe qui conuersatione sua glorificant Deum, gloria Dei est; atque ita vniuersa terra, plena est gloria Dei. Olim non omnis terra plena erat gloria Dei, sed vnus angulus terræ, quando dicebatur: *Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius.* Gloria Deo, qui misit filium suum, vt omnis terra plena fieret gloria sua. Sed quid tibi prodest, si terra propter Ecclesias beatorum, qui vbicunque sunt, plena sit gloria Dei, tu autem non sis particeps gloriæ plenitudinis Dei? Et tu ergo labora, & in cunctis enitere vt sis gloriam Dei quærens, vt inhabitet & inueniat locum in te, & fias etiam tu cum omni terra in qua est gloria Dei, plenus gloria eius. Quomodò fit per singulos nostrum plenitudo gloriæ Dei? Si quæ facio quæ loquor, in gloriam Dei fiant, plenus sermo meus & actus fit gloria Dei. Si & processus & ingressus meus, in gloriam Dei est, si cibus: si potus meus, si omnia quæ facio in gloriam Dei fiant; & ego particeps sum istius dicti, *Plena est terra gloria eius.*]



SECTIO

# SECTIO TERTIA
# DE TITVLIS CHRISTI
## per ordinem ad quaſcunque Creaturas.

INCIPIMVS conſiderationem attributorum Chriſti Domini, per ordinem ad res creatas, quæ poſſunt in tres claſſes digeri. Prima eorum quæ ſpectant omnes creaturas. Secunda eorum quæ communiter ſpectant omnes creaturas intellectu præditas, Angelos videlicet & homines. Tertia eorum quæ ſpecialiter reſpiciunt homines. In prima claſſe hi occurrunt Chriſti tituli; quod ſit α & ω, principium & finis, ac primogenitus omnis creaturæ, & Dominus vniuerſorum. Secunda continet titulum Capitis, & Regis, & Legiſlatoris, ac Iudicis. Ad tertiam quæ longè amplior eſt ſpectat titulus Redemptoris & Doctoris, omnéſque his aduncti.

### CAPVT I.

### *Chriſtus α & ω, principium & finis.*

ESSE Chriſtum α & ω principium & finem Ioannes cap. 1. Apocal. dubitare non ſinit. Sic enim loquitur in Chriſti perſona. *Ego ſum α & ω, principium & finis dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens.* Video ingenerandam alicui ſuſpicionem, quod hic locus cadat in Verbum, non in Chriſtum. Nam Verbi eſt, dici *Dominum Deum*, & dici *qui eſt, & qui erat*. Illud enim *qui eſt*, vt plenè monſtro in Naturali Theolo. diſt. 6. à num. 46. & præter cæteros pulchrè tradit S. Hilarius libro 1. Trinit. ſignificantiſſimè Deum exprimit: vt propterea admiratum planè ſe dicat S. Hilarius, [tam abſolutam de Deo ſignificationem, quæ naturæ diuinæ incomprehenſibilem cognitionem, aptiſſimo ad intelligentiam humanam ſermone loqueretur.] Aptiſſimè quoque ea vox, Dei æternitatem indefectibilitatémque deſignat, vt idem S. Hilarius egregiè proſequitur lib. 12. de Trin. Sed, non minùs luculenter expreſſa cenſeri debet æternitas Dei per Verbum *erat*, quod etiam adhibetur in textu citato. Verbum quippe *erat*, excludit omnes metas, & omnem anteceſſionem. Quare aptiſſimè æternitatem planè immetatam deſignat, vt D. Auguſtinus ſæpè expendit

*Chriſtus, etiam vt Deus homo α & ω.*

301 Ob hanc igitur cauſam, non nemo locum propoſitum de Chriſto Deo & homine accipiendum negat, non tam apertè characteriſticas diuinitatis præferat, eſſentialem infinitatem & æternitatem. Ita latè S. Fulgentius lib. 2. ad Traſim. cap. 5. ad Chriſti æternitatem immetatam & indefectibilem, Verbi diuini propriam, referens hunc titulum, vt & Aretas Apocal. 1. Ad Chriſtum item qua Verbum, hunc titulum refert Clem. Alexand. 6. ſtrom. cum ait, [ipſe Dominus dictus eſt α & ω principium & finis per quem omnia facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil.] Quominus tamen ſubſcribam, facit quod Deus quâ Deus, non eſt venturus, Id enim ſolius Chriſti Dei ſimul & hominis proprium eſt. Et tamen is ipſe α & ω dicitur, qui eſt venturus: hoc eſt Chriſtus Et manifeſtè cap. 22. eiuſdem libri, vbi titulus quem expendimus repetitur, Chriſto ſit eius attributio. Sic enim ibi habetur. *Ecce venio cito, Ego ſum α & ω primus & nouiſſimus, principium & finis.* Et continuato orationis filo, mox addit. *Ego Ieſus. Et ego ſum genus & radix Dauid*, quæ conſtat in Chriſtum Deum ſimul & hominem cadere. Itaque illa quoque quæ habentur cap. 1. vbi hæc aliis admiſta habentur, æquè Chriſto tribuo; quædam ratione diuinæ naturæ, quædam ratione humanæ.

302 Fuit hic ſenſus priſcorum Chriſtianorum, qui alludentes ad hæc loca Apocalypſeos, inſcribere ſepulchris ſuis aut aliis locis ſolebant, α & ω. Quod de Hiſpanis teſtatur Ambroſius Morales lib. 11. cap. 41. & refert ad fidei profeſſionem, quam Catholici eo pacto

pacto de Christo ederent contra Arrianos. Sed non placet. Nam Rosuedius ad carmen 26.S.Paulini, varias notauit huiusmodi inscriptiones, tempus Arrianorum antecedentes. Ipsorúmque Arrianorum referuntur iuscriptiones eiusmodi,vt constantij à Gretsero t.3.de cruce l.1.c.9.Longéque ante Arrianos, Basilidiani hæretici, leguntur vsi hac veluti tessera ad Christianitatem profitendam. Scribitque Rosuedius loco allegato, extare apud Ducem Atschotanum,nummum Basilidianorum,adscripto α & ο Ionicè scripto o pro ω. De Marco item, quem Basilidianorum per Gallias Apostolum, imo Catholicæ fidei apostatam fuisse docet S. Hieronimus in epitaphio Lucini Bætici, scribit latè S.Irænæus l.1.contra hær.c.12. & 13. & Irænæum exscribens Epiphanius hær. 34. eum hoic Christi nomenclaturæ, multas fabulas inædificasse. Breuiter Tertull. l. de præscript. c.50 [Marcus quidam & Colarbasus, nouam hæresim ex Græcorum Alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse litteris inueniri ; immò contendunt solam plenitudinem & perfectionem veritatis,in istis litteris esse dispositam. Propter hanc enim causam, Christum dixisse : Ego sum α & ω. Multa ibi ad huius fabulæ illustrationem congessit Pamelius. Itaque etiam exortes à vera fide, pro symbolo Christianismi vsurpabant α & ω, probè conscij & in scripturis & ex vsu Ecclesiæ ac fidelium,iam olim duo hæc Græca elementa Christum designasse.

*Num Christus α,quia quasi leprosus.*

303 Quorsum verò Christus Dominus per hæc duo elementa notatus sit, & quæ huic nomenclaturæ subsit notio, variæ omnino sunt sententiæ. Erit cui videatur, Christum ἄλφα dictum eodem sensu, quo Helladius Byzantinous in Chrestomathia apud Photium Cod.279. ait, Mosem ἄλφα vocatum, eo quod corpus haberet ἀλφὼς, id est vitiligine ac lepra maculatum, cuius rei Iesum producebat Philonem. Sed mendaciter vt Photuis ait, sed quid si Helladuis ille respexit ad lepram, qua manus Moysi educta è sinu, leprosa apparuit ? Hoc autem fuisse egregium symbolum Christi Domini è sinu patris ad nos delapsi & in nostra lepra ac paupertate conspicui,egregiè sic docet S.Cyrillus de Incarnat.vnig.c.15. [Manum & dexteram,Dei & Patris verbum,& filium eius, diuina Scriptura nominat. Induxit enim ipsum dicentem, *ego manu mea firmaui cœlum.* Necnon Dauid diuinus cantat;*Verbo Domini cœli firmati sunt.* Cernegitur in sinu quidem Moysi adhuc manum eius occultari,& nondum factam leprosam. Prolatam verò, & statim leprosam factam:deinde mox illatam, & rursus prolatam, & de cætero non leprosam. *Restituta est enim* (inquit) *in colorem carnis eius.* Ergo quamdiu quidem erat in sinu Patris Deus Verbum, diuinitatis naturæ fulgebat. Verùm quoniam aliquo modo exrra fuerat per Incarnationem siue humanationem,factus est in similitudine carnis peccati & inter iniquos reputatus est. Ait enim diuinus Paulus : *Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt nos fieremus Iustitia Dei in ipso.* Hoc existimo lepra significari. Immundus enim secundùm legem leprosus. Sed quoniam iterum fuerit in patris sinu; ( assumptus est enim post resurrectionem à mortuis ; ) prolata iterùm manus videtur munda. Aduenier enim,aduenier per tempora Dominus nostet Iesus Christus in sinceritate diuinitatis & gloria,quamuis similitudinem nostram non proiecerit.]

304 Pulchrè item Petrus Damiani serm. de S.Columba,qui est numero 66. [Nec indignum (inquit)super Domino,saluatore nostro,infirmitatem vel stultiliam dici ; cum etiam per leprosum, cum etiam per serpentem, non dedignatus sit mysticè figuram. Vnde est quod Scriptura testante,dixit Deus Moysi ; *Mitte manum in sinum tuum ; qui cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe,* (ait) *manum in sinum tuum. Retraxit; & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.* Quid hoc loco, per manum Moysi designatur,nisi filius Dei ? vnde dicitur in psalmo: *Fiat manus tua, vt saluet me.* Ac si diceret, fiat ille, per quem facta sunt omnia ; vt dum ille creatur,creatura à roatus sui contagio liberetur. Hæc manus in sinu Patris est, sicut Ioannes Baptista dicit;*filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* Sed manus hæc cum de sinu prolata est;hoc est, cum per mysterium Incarnationis apparuit,peccatorem eum, & tanquam sceleris lepra perfusum, is vnde processerat populus æstimauit. Vnde dicit Esaias;*Et nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Sed manus hæc cum in sinum rediit, lepram prorsus iamsit;quia Redemptor noster postquàm ad Patrem,calcato mortis imperio rediit, iam in fine sæculi, non peccator homo, sed verè Deus, & homo Iudæis omnibus apparebit.]

Sic igitur posset aliquis, de titulo Christi proposito, subtiliter commentari, idque plerisque nouitates aucupantibus,posset arridere. Quod tamen id à genuino sensu scripturarum planè abhorreat, alioqui erit qui similiter fabuletur Christum dici ἄλφα, eo quod Phœnices *bouem* lingua sua ἀλφὰ, nominent.Quam causam esse censet Ammonius apud Plutarchum l.9.sympos. q.3. cur. ἄλφα primum locum inter elementa literarum occuparit,quia id boui nomen,cur primas inter vtiles animantes, defert consensus populorum. At Christum factum causa nostri bouem,aut vitulum de armento,sæpè meditatur S. Gregorius, exponens quatuor animalia Ezechieli obiecta, sunt hæc piè excogitata, sed à scopo Scripturæ Christum α denominantis,prorsus aliena, atque adeò dimittendi ; præsertim cum oleo postremo elemento taceatur. Nec aliter statuo, de multis quæ circa has literas Christo tributas,aceruat Richardus à S.Laurentio lib.12. de Deip.

*Num A & ω, idem quod primus & nouissimus, seu qui singulariter est?*

305 Dimittendus item est Origenes tom. 5. in Ioan. ad illud *in principio erat Verbum*, vbi in longa explicatione nominum Christi, cum venit ad eum Christi titulum, *primus est nouissimus*, quanquam affirmat eum differre ab illo, α & ω; tamen fatetur explicationem vnius conducere ad explicationem alterius, & multa omnino dicit de Christo primo & nouissimo, vel insigniter fabulosa, vel nimium mystica, quæ apud eum legi poterunt: nam ad veram intelligentiam huius Christi tituli, commodare non possunt. Quod autem aliud esse α & ω, aliud primum & nouissimum, affirmat; dissentientem habet S. Isidorum l. 7. orig. c. 2. contendentem, in scripturis pro synonimis vocibus accipi tres illas cõiugationes, *α & ω, primus & nouissimus, principium & finis*. Nec refert quod simul iungantur. Nam nihil in scriptura frequentius, quàm vt eadem sententia sub diuersis vocibus congeminetur, essèque id genus ornamenti proprium sanctorum Prophetarum aduertit Bellarm. in Psal. 1. v. 1. & citra obseruationem, facile est id deprehendere, ex vulgatis illis versiculis, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*. Nec non ex illis, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. Sexcenta huiusmodi passim occurrunt. Similiter ergo, idem sonant variæ illæ vocum syzygiæ, *α & ω primus & nouissimus, principium & finis*.

Hinc videtur aperiri via, ad sensum illius Christi tituli α & ω. Nam Isaiæ 41. 44. & 48. & alibi, Deus vt se vnicum & solum verum Deum contestetur, extra quem non est alius, vocat se *primum & nouissimum*. Si igitur α & ω, idem est quod primus & nouissimus, videmur nos ab re pronũciaturi, idcirco Christum dici α & ω, quia singulariter est: Nullus enim præter eum est naturalis filius. Ipse est verè Vnigenitus, & tanquam verus Apollo, ab omnibus aliis secernitur. Non adæquatur ei aurum vel vitrum: & siue structuram, siue dotes superadditas, siue merita spectes, supergreditur omnem comparationem: ita vt quemadmodum de Deo propter supereminentem perfectionem rectè dicitur, *solus est* eo quod creata omnia per comparationem ad creatorem perinde se habeant ad esse, ac si non essent: ita in genere bonorum supernaturalium, puræ omnes creaturæ, quamuis verè iustæ & sanctæ, tamen perinde se habeant ac si non essent. Est enim (quod alia occasione superiùs vidimus,) est inquam Christus, in ordine gratiæ sol quidam, ignes minores præstinguens: non quod ignes non sint, destituantúrque vera luce, sed quod præsente sole, tenuior eorum splendor, non internoscatur. Non est ea interpretatio tituli Christi propositi, planè aspernenda.

*An α & ω, prima & vltima natura rationalis?*

306 Video tamen alias passim vias iniri à Patribus & DD. S. Paulinus natale XI. sancti Felicis, cuius fragmenta, repræsentauit Dungalus l. de imag. ita hunc Christi titulum accepit, vt significentur per eum duæ Christi naturæ, prima & vltima inter ratione præditas. Sic enim canit.

*Alpha itidem metrum Christus & ω, qui*
*summo supremis*
*Finibus excelsi pariter complexu & imi*
*Victor & inferna & pariter cælestia cœpit.*

Non aliud fortassis voluit Orig. tomo illo V. in Ioann. tametsi verbis vsus est. Nimium latebrosis, vt sonant errore non vacantibus. Apertè verò S. Augustinus in hac videtur esse sententia serm. 6. de temp. pro eodem enim habet, Christum esse α & ω, ac esse Deum & hominem. Sicut enim Alpha literam nulla alia præcedit, ita ante Verbum Dei nihil est, etiamsi idem quatenus homo sit nouissimus & ω, ac minor patre. Et locus ille, & bona pars sermonis, verbatim continentur eo libro qui Fausti Episcopi nomine *de ratione fidei*, prænotatur. Adducit in eandem sententiam Epiphanium Sixtus Senensis l. 2. bibl. v. α & ω. Ait enim Epiphanium in Anchorato, existimare, titulum hunc Christi ad geminam eius naturam pertinere; Idque ipsorum elementorum Græcorum figuris insinuari. A quod infernè patet & supernè clausum est, naturam humanam ω verò quod supernè aperitur, & infernè claudit diuinum Verbum designat. Ego apud Epiphanium in Anchorato, id non reperio. Et aliter quoque eas literas ad geminam Christi naturam enunciandam aptat Perer. in c. 1. Apocal. Habet hic quoque sensus tituli propositi, suam verisimilitudinem.

*Num α & ω, fundamentum & vertex structuræ Ecclesiæ.*

307 Non improbabiliter alij, perinde esse censent, dicere Christum α & ω primum ac nouissimum, principium & finem; ac dicere, Christum esse initiatorem & consummatorem fœlicitatis Ecclesiæ, & sanctificationis ac glorificationis nostræ. Frequens enim in Scripturis est, vt abstracta pro concretis vsurpentur. Qua ratione Paulus, Christum sæpè nominat iustitiam & sapientiam nostram: quia scilicet nobis est auctor iustitiæ & sapientiæ. Similiter ergo Christus, quia est autor & consummator fidei ac totius Ecclesiasticæ structuræ, omniúmque bonorum ad eam consequentium; meritò dicitur principium & finis, α & ω: id est eius initiator & autor ac consummator. Belléque concinit is sensus, cum locis quibus hic Christi titulus, aliique quos & synonimos diximus, vsurpati leguntur. Nimirum iis locis adhibiti sunt, quibus addendus erat animus fidelibus, ne difficultatum mole oppressi, despon

desponderent animos. Sic cap. 1. Apocal. *noli timere, ego sum primus & nouissimus.* Et cap. 2. *Hac dicit primus & nouissimus, nihil horum timeas.* Ad excutiendum ergo timorem, maximè iuuare poterat commemoratio huius attributi Christi Domini, & quod qui cœpit ipse perficiet.

Non multum ab hoc sensu abest, quod ait Arias Montanus in cap. 4. Zach. nempe Christum dici α & ω, quia est in Ecclesia decus & perfectio ac consummatio rerum omnium. Eoque reuoluitur quod habet S. Ambrosius lib. 1. Hexaëm. cap. 4. agens de multiplici acceptione *principij*. [Est etiam (inquit) initium mysticum, vt illud est: *Ego sum primus & nouissimus, principium & finis.* Et illud in Euangelio præcipuè, quod interrogatus Dominus, quis esset, respondit; *Principium quod & loquor vobis.* Qui verè & secundùm diuinitatem est principium omnium, quia nemo ante ipsum; & finis quia nemo vltra ipsum: & secundùm Salomonem, initium est viarum Domini in opera eius, vt per ipsum disceret hominum genus, vias Domini sequi, & operari opera Dei. In hoc ergo principio, id est in Christo, fecit Deus cœlum & terram, quia per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil; quod factum est in ipso vita erat, quia in ipso constant omnia.]

### *Idcóne α & ω Christus, quia præuenit & perficit studia nostra.*

308 Alia ratione, esse principum & finem, atque adeò esse α & ω, Christo tributum, exponit S. Bernardus ex quo hac deflorauit qui eius flores iam olim collegit lib. 5. cap. 20. ex quibusdam (vt ait) dictis eius. [Initium meum solius gratiæ est, vt nihil quidem mihi in prædestinatione attribuam, siue in vocatione. Non sic sanè ab opere iustificationis alienus sum. Operatur & illud gratia, sed planè mecum. Porrò consummatio quidem, & ipsa solius est gratiæ; nec est mihi in hac parte, vel cum ea siue in ea gloriari, quasi coadiutor sim aut cooperator. Itaque misericordia Domini ab æterno est, & vsque in æternum super electos: in medio quidem aliquatenus ostendens liberum arbitrium meriti gratia; principium verò & finem, soli vendicans sibi, vt sit nobis α & ω Dominus Deus noster.] Eandem doctrinam tradit ad finem tractatus de gratia & libero arbitrio, iuxta quam Christus dicitur α, quia nos præuenit per gratiam suam, & ω quia dat perficere. Nos excitati & adiuti, tantillum quid quasi intermedium confecimus; nempe consensum liberum, quod vt conferremus constitutum est, ne inanes meriti essemus. Magnæ profectò consolationis est, considerare quòmodò Christus sit hoc modo in nostris supernaturalibus actibus principium & finis; quomodò inquam gratia Christi, interueniente illo exili quod de nostro post præuentionem adiuti conferimus, ad remunerationem aptos nos faciat. Quantum certè ex nostro est, perinde videmur nos habere ac Valgius ille naufragus, exinde dictus *Victor* apud S. Paulinum epistola 36. qui vocatus à Domino, porrigere tantum specie agendi, manum ad quamlibet operam iubebatur. In illa enim trium & viginti dierum intra nauem rectoribus & operis omnibus destitutam à Sardinia ad Lucaniam agitatione; Dominus ita pro senis salute nauem moderabatur, vt tamen eum aliquid de suo exhibere vellet; sed tam tenue, vt quod præstabat, imago potiùs & species actionis, quàm actio esset. Mira fides (inquit S. Paulinus,) & ineffabilis pietas Domini Saluatoris, qui senem, si fortè somno piger, lentiùs ad gerenda consurgeret, & molli manu antè præpalpans, nè trepidus expergefieret, vellicata blandè auricula suscitauit, cum leniter admitens senex, à primo statim conatu suo, manibus Angelicis res effectas videret. Vix rudentem quasi ducturus attigerat, cum velum videret iam exsinuatum in cantos suos: Supparum stabat, vela nauis faciebat. Aqua rimis nauis accepta mergere tentauerat: & post vnum vel alterum breuis sentinaculi haustum, humore destricto, siccatáque naui quod ageret non habebat; stupens laborem sibi sine labore præcerpi, & actum suum occulta manu præueniri, si benè occulta dicitur, quæ tam perspicuum præstabat auxilium.] Quod per se & Angelos, in corporali illo opere, ad temporalem vilis illius capitis salutem præstabat Christus, hoc circa salutem nostram ille facit: estque proinde α & ω.

### *An Christus α & ω, quia per eum reuenitur ad initium.*

309 Iniuit alium interpretationis callem S. Hieronymus lib. 1. in Iouinia. existimans sensum esse, omnia per Christum reuenire, & reduci ad statum primum quo ab initio fuerant. Nam in prima mundi origine, neque vigebat circumcisio, neque polygamia, neque repudium, nec vllum aliud ex iis quæ Christus abrogauit, vt omnia reuocaret ad primum statum: ita vt quemadmodum decurso alphabeto cum venitur ad ω, recurrendum est in α; vt suppetant literæ quæ decurri denuò possint sic cum ad Christum deuentum est, factus sit regressus ad primum initium. Ipse Hieronymus sic hoc exponit. [Docet Apostolus scribens ad Ephesios, *Deum proposuisse in adimpletione temporum, recapitulare omnia, & ad principium retrahere in Christum Iesum quæ sunt super cœlos, & super terram.* Vnde & ipse Saluator in Apocalypsi Ioannis, *Ego sum,* (inquit,) *α & ω, initium & finis.* Ab exordio conditionis humanæ, nec carnibus vescebamur; nec dabamus repudium; nec præputia nobis eripiebantur in signum. Hoc cursu vsque ad diluuium peruenimus. Post diluuium autem cum datione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingestæ sunt ad vescendum, & repudia concessa duritiæ; & cultellus circumcisionis appositus, quasi Dei manus plus in nobis creauerit, quàm necesse est. Postquàm autem Christus venit in fine temporum, & ω reuoluit ad α, & extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente

Apostolo; *Bonum est vinum non bibere, & carnes non comedere.*]

Liquet, Hieronymum ex Tertulliano profeciſſe, cuius illa ſunt in hanc rem præclarè & prop modè robustè ſcripta lib. de Monog. cap. 5. [Inuenimus nos ad initium dirigi à Christo: ſicut in quæſtione repudij, dicens illud propter diuitiam ipſorum, à Moyſe eſſe permiſſum, ab initio autem non ſita fuiſſe, ſine dubio ad initium reuocat matrimonij indiuiduitatem. Ideóque quos Deus ab initio coniunxit in vnam carnem duos, hodie homo non ſeparabit. Dicit & Apoſtolus ſcribens ad Epheſios: *Deum propoſuiſſe in ſemetipſo ad diſpenſationem adimpletionis temporum, ad caput* id eſt ad initium *reciprocare vniuerſa in Chriſto, quæ ſunt ſuper cœlos, & ſuper terras in ipſo.* Sic & duas Græciæ litteras, ſummam & vltimam ſibi induit Dominus, initij & finis concurrentium in ſe figuras: vti quemadmodùm α ad ω vſque voluitur, & rurſus ω ad α replicatur; ita, vt oſtenderet in ſe eſſe, & initij decurſum ad finem, & finis recurſum ad initium; vt omnis diſpoſitio in eum deſinens per quem cæpta eſt, per ſermonem ſcilicet Dei qui caro factus eſt, proinde deſinat quemadmodùm & cœpit. Et adeò in Chriſto omnia reuocantur ad initium; vt & fides reuerſa ſit à circumciſione ad integritatem carnis illius, ſicut ab initio fuit; & libertas ciborum & ſanguinis ſolius abſtinentia, ſicut ab initio fuit, & matrimonij indiuiduitas, ſicut ab initio fuit, & repudij cohibitio, quod ab initio non fuit: & poſtremò totus homo in paradiſum reuocatur, vbi ab initio fuit.]

### *Num Chriſtus α & ω, quia eſt ſcopus Scripturæ ab initio ad finem.*

310 Nec inueriſimiliter Vincentius de Flumaro lib. de nom. Chriſti, cum de Deo primùm qua Deus eſt, expoſuiſſet: hos titulos, quos eodem recidere rectè arbitratur, α & ω, *primus & nouiſſimus, principium & finis*, mutato conſilio eos ad Chriſtum refert, & ſenſum eſſe exiſtimat, Chriſtum eſſe *totius Scripturæ* (vt in ſcholis loquuntur) *ſubiectum adæquatum*. Nam totum vetus teſtamentum, ad Chriſti adumbrationem, vel promiſſionem dirigitur. Non verò teſtamenti vniuerſa ſeries, in Chriſto conſumitur. Itaque eſt Chriſtus α & ω: Id eſt & primæ & nouiſſimæ, & vno Verbo vniuerſæ ſcripturæ ſcopus, initiúmque & finis ſermonum, quos vel Prophetæ, vel Apoſtoli diuinitùs inſpirati ediderè. Perpulchrè S. Gaudentius tract. 2. in Exod. carnes Agni neque crudas neque elixas comedi iuſſas interpretatus Scripturas interpretatione ignea à feruenti diuinæ ſapientiæ ſpiritu veluti aſſatas & toſtas, ait; (Omne corpus diuinæ ſcripturæ tam veteris quàm noui Teſtamenti, Filium Dei continet, vel venturum promittens in hominem, vel iam veniſſe declarans. Vnde B. Philippus inuentus à Chriſto, inuenit Nathanaël, & dicit ei: *Quem ſcripſit Moyſes in lege & Prophetis, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth.* Et quid plura chariſſimi? In ipſo continetur omnis lex & vetus & noua; & vt ſic dixerim, ipſe eſt anima legis. Ipſe enim per Moyſem locutus eſt cum dixit illi, *Ego aperiam os tuum, & inſpirabo quæ debeas loqui.* Ipſe & per Prophetas cum dicit, *qui loquebar in Prophetis ecce adſum.* Ipſe etiam per Apoſtolos, cum dicat Paulus, *an experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus.*] Scriptura ergo à capite ad calcem, Chriſtum ſpirat, Chriſtum continet, Chriſtum vbique loquitur, quod eſt, Chriſtum eſſe ſcripturæ α & ω. Illuſtrauit hanc interpretationem Hieronymus Prado, commentario Iſagogico in Ezech. ſect. 2. qui tota ſectione illud contendit, Chriſtum eſſe ſcopum Prophetarum, & finem in quem lex vniuerſa ab initio ad finem dirigitur. Eóque aptat illud Eccleſiaſtici 43. v. 28. *propter ipſum confirmatus eſt itineris finis, & in ſermone eius compoſita ſunt omnia &c. conſummatio ſermonum ipſe eſt in omnibus.* Confirmatum eſſe in eo itineris finem, idem eſt, ac ſi dixiſſet, omnia quæ facta ſunt temporum ſucceſſu, deſtinata in eum, ſortiuntur fœlicem euentum. Et vt ſemel omnia quæ dicenda erant, vno verbo concludantur, ipſe eſt in omnibus conſummatio ſermonum: id eſt caput, ſumma, & initium omnium, quæ vel per Prophetas & quoſcunque ipſo anteriores, vel per Apoſtolos ſunt annunciata. Hoc quod de Chriſto dixit Siracides, (nam paulo ante dixerat, *& plantauit illum Dominus Ieſus,*) idem eſſe cenſet Pradus, ac illud quod de Chriſto nunc verſamus, Chriſtus eſt α & ω, *principium & finis.* Et eodem modo hunc titulum accepit Ioſephus à Coſta lib. 1. de Chriſto reuelato c. 1. ex eo probans, Chriſtum eſſe ſcopum vniuerſæ ſcripturæ.

### *Germaniſſima notio τῶ α, & ω, Chriſto tributi, quia eſt principium & finis omnium.*

311 Dicántur ſanè hæc omnia non improbabiliter. Senſus tamen quem alij & Patres & Doctores ſuggerunt videtur genuinus. Nimirum ſicut varij apud Photium Cod. 190. in breuiculo libri. Si à variis literis ſunt denominati, ratione ordinis quem in Alphabeto occupat litera, aut alicuius per eam integrè prolatam vel figuratam expreſſi, qua ratione S. Pachomius apud Sozomenum l. 3. cap. 13. vocabat 1. alios ξ, ſic idcirco Chriſtum Deum & hominem, dici α & ω, quia eſt principium & finis omnium creatorum. Audi Prudentium hymno 9. Cathemer. de Deo cominùs docendis prodito mortalibus, ſiue de Chriſto;

*Corde natus ex parentis*
*Ante mundi exordium,*
*A & ω cognominatur,*
*Ipſe fons & clauſula*
*Omnium quæ ſunt fuerunt*
*Quæque poſt futura ſunt.*

En Chriſtum, fontem & clauſulam rerum omnium. Nec agit de Chriſto præcisè vt Deo, ſed de eo, provt Deo ſimul & homine. Nam is eſt, qui ad docendos cominùs mortales proditus

ditus est, vt immediatè ante præmiserat Christus itaq; ex duplici natura cõpactus, est α & ω, id est principium & finis rerum omnium Principium quidem vt causa efficiens, finis verò per modum scopi ac termini subalterni, in quem collimant creata omnia. Quamquam ratio quidem principij efficientis, non dicitur de Christo homine, nisi per communicationem idiomatum. Quo eodem dumtaxat modo enunciari de eo potest, quod sic finis simpliciter vltimus rerum omnium: nisi si ratio finis vltimi, spectetur cum subalternatione, id est provt continet directionem omnium aliorum ad ipsum, non exclusa eius vlteriore directione ad Deum. Sic eum Christus homo, non modo per idiomatum communicationem, sed formaliter & directè, est finis vltimus creatorum omnium. Vnde iunctis duabus illis perfectionibus quas Christus alterutro ex prædictis modis habet, rectè dicitur *α & ω, principium & finis*. Approbant hanc notionem huius tituli Christi, recentiores non pauci, & nominatim Sixtus Senensis l. 2. bibl. *initio*, ac Bellarm. l. 1. de Christo c. 4. *in fine*.

312 Iuxta hanc notionem, Christus ratione diuinæ naturæ, vtramque prærogatiuam binis illis terminalibus elementis expressam obtinet. Est enim secundùm diuinam naturam, & causa efficiens & finalis rerum omnium: ratione autem naturæ humanæ formaliter rem spectando, non est nisi finis omnium: atque adeò non nisi ω. Voluisse hoc videtur Clem. Alexan. 4. strom. verbis illis [Deus quidem cum demonstrari nequeat non efficit scientiam: filius est & sapientia & scientia, & veritas, & quæcumque cum his vllam habent cognationem. Quin etiam habet demonstrationem & vim rationandi Omnes autem spiritus potestates, cum simul res vna factæ fuerint, ad idem conferunt: nempe ad filium. Est autem indefinitus vnaquaque suarum potestatum notione. Quamquam non fit vere vnum vt vnum, neque multa vt partes filius, sed vt omnia vnum, vnde etiam omnia. Est enim idem circulus omnium potestatum, quæ in vnum circumuoluuntur & vniuntur. Et ideo Verbum dictum est α & ω, cuius solius finis fit principium; & rursus desinit in id quod est desuper principium, nusquam distantiam accipiens & dimensionem. Quamobrem & in ipsum, & per ipsum credere, est vnicum fieri scilicet in ipso indiuulse vnitum.]

Nec refragatur Origenes hom. 12. in Num. vbi Christum, *puteum* præfatus, exponit ex eo verba illa, *initiate ei puteum*: sic verò ait [Hic est sensus. *Initium* (ait) *omnium puteum ponite*. Sicut & Apostolus dicit; *Quia ipse est principium, & primogenitus omnis Creaturæ, & in ipso Creata sunt omnia*. Initiate ergo ei puteum, hoc est, initium omnium confitemini esse puteum.] Hæc inquam non absunt prædictis. Nam Origenes ibi statuit Christum initium omnium effectiuum, dumtaxat quoad dona supernaturalia, quæ nobis est promeritus, vt liquet ex proximè antecedentibus.

Attexemus hic etiam Philippus Abbas in moralit. in Can. quærens cur spiritus sanctus librum Canticorum voluerit initium habere à litera O [. Sacramentum (inquit) huic literæ quæ est O, quantæ sit auctoritatis, & dignitatis, ipse dignatus est ostendere, qui eiusdem litteræ nomen sibi imposuit, dicens: [*Ego sum α & ω*] id est principium & finis. Principium, (*inquit*,) sum dans principia existendi omnibus creaturis. Finis sum, id est consummatio; quia omnibus hominibus deficientibus, solus remaneo, quoniam ego sum Deus, & mutabilitati nequaquam subiaceo; vnde Iacobus Apostolus ait: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Quod autem Christus finis sit, id est consummatio, Paulus manifestat, cum dicit: *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti*. Denique si sacramentum huius litteræ, quæ est O, adhuc subtilius indagare voluerimus, in nulla alia littera tantam figuram, non solum totius orbis, verùm etiam ipsius Dei reperiemus. Ex omni enim parte sui rotunda & perfecta inuenitur; sicut orbis huius sæculi à Philosophis in modum sphæræ rotundus describitur. Præterea si secundùm Græca elementa attentiùs inspicimus istam litteram ω, proculdubio inuenimus eam esse trimembrem, id est tria membra habentem. Quid igitur designant tria membra in vnam ω litteram sursum respicientia, nisi tres personas in vnius summæ Trinitatis substantia? Non ergo casu, sed certo diuinitatis mysterio, spiritus Sanctus, exordium huius libri ab ω littera inchoat, quia illum liber iste per omnem textum sui prædicat, qui totum orbem de nihilo creauit, & seipsum vnam esse in Trinitate personam, in Euangelio declarat, dicens: *Ego & pater vnum sumus*. Tria igitur ω Litteræ membra in cœlum respicientia, tres personas (vt prædiximus) declarant in vna Trinitatis substantia. Et benè eiusdem litteræ membra sursum aspiciunt, & quasi de cœlo venientia deorsum litteram vnam faciunt, quia cognitio Sanctæ Trinitatis per Dominum Iesum ad nos descendit, & in vnam sanctam Ecclesiam Catholicam, per fidei vnitatem, sedem sibi collocauit.]

### *Potest α & ω, solam finalem causam significare. Eius Christo tribuendæ, rationes variæ*

313 Quid si tamen vtrumque elementum Græcum, ad eandem causam finalem quis referat, & Christum pronunciet esse ω & ω, sepositâ causa efficiente, tantùm quia est finis rerum omnium? Sanè causa finalis, non malè dici potest α & principium. Nam finis est semper primus in intentione, & à Philosophis numeratur prima causa, quia est primum quod mouet ad operandum. Et quia est postremum in executione aut assecutione, habet etiam rationem extremi. Vnde rectè dici potest primus & nouissimus, principium & finis α & ω. Vt vt sit, & siuè genuinus sensus huius attributi Christi in scripturis quibus proponitur, vtramque il-

lum rerum omnium causam Christo vendicet, siue solam finalem; nos hîc in ea sola hærebimus, quia sola ad modùm superiùs explicatum habet locum in Christo homine, qui est huius tractationis scopus. Esse autem causam effectiuam rerum omnium, non competit Christo nisi nudè provt Deo: quia Christus homo non erat plurimis sæculis ab initio orbis, ad eius vsque aduentum; vnde quæcunque illhuc vsque sunt facta, non potuerunt ab eo efficienter pendere. Itidémque ex quo fuit, certum est, non esse inuehendum physicam rerum creatarum dependentiam ab illo. Contendo tamen valere de finali, etiam quoad res eum tempore antegressas, vel comitatas, aut subsecutas, vel subsecutas, in tota æternitate. Quod est, Christum esse finem secundùm Deum, siue sub Deo, simpliciter dicta.

Finem cum audis dici Christum, nolim id accipias eo modo quo apud S. Ambrosium, Christus finis appellatur serm. 12. in psal. 118. v. 8. Aperit eo loco latinam notionem Græcæ vocis τέλος, quam ait & *finem* & *consummationem* sonare, imo etiam *finem consummationis*. Et cum multiplex sit consummatio, (dicitur enim consummatio operis, & consummatio malitiæ, & consummatio hominis, & consummatio sæculi?) finis autem consummationem quoque terminet, vt habetur ex Apostolo 1. Cor. 15. qui post sæculi consummationem, ait subiungendum ei fore finem sæculi; omnium æque aliarum consummationum, assignari finis potest. Hunc Christum esse, sic exponit ibi S. Ambrosius. [*Mundus in maligno positus est*; vt dixit Ioannes. Ergo & sæculum in maligno est. Mundus plenus peccati. Consummauerat malitiam suam mundus, sicut consummauerat Saül; cuius videns consummatam malitiam Ionathas filius in Dauid prophetam, eidem nunciauit vt declinaret & fugeret. Est ergo consummatio malitiæ, consummatio peccatorum. Venit agnus Dei qui tollit peccata mundi, qui est Christus Iesus. Finis legis, principium & finis, & remissio peccatorum. Hunc finem consummationis, vidit Propheta in spiritu, qui consummatum sæculi aboleret errorem; vidit sanguine eius diuersa omnium peccata mundari. Benè ergo dixit, *Omnis consummationis vidi finem*: hoc est, vidi consummati adulterij remissorem; vidi consummatæ luxuriæ atque lasciuiæ, consummatæ crudelitatis atque sæuitiæ, omnis postremò flagitij per crucem suam delicta donantem. Est etiam consummata virtus, consummata sapientia, consummata iustitia, sed habet finem. Finis omnium virtutum Christus, qui finis est legis ad iustitiam omni credenti. Vides quia finis est fidei? Benè ergo ait, *omnis consummationis vidi finem*.]

Hæc ratio Christum denominandi finem, vera & legitima est: sed non est ea quam quærimus. Quod item dico, de illa alia duplici quam his verbis subministrat S. Gregorius, in præfatione ad psalmum primum pœnitentialem. [Christus finis dicitur, vel quia est consummatio legis & Prophetarum; sicut ipse pendens in cruce testatus est, cum aceto & felle potatus, dixit; *consummatum est*. Vel quia bonorum omnium perfectio est, quia nullum bonum perficitur, nisi quod in summo bono solidatur. Sicut enim nobis non sufficit alios bonos quærere nisi ad eius studeamus agnitionem peruenire; ita eo inuento, nullus iam melior quæritur: Quia omnis creatura, eo sub cuius pedibus à Patre omnia sunt subiecta, inferior inuenitur.] Denique si militer admitto, veram esse, sed ab hoc loco extraneam pronuncio, eam rationem Christum denominandi finem, quam suggerit S. Fulgentius l. 2. ad Trasim. cap. 5. verbis illis. [Finis Christus, quia perpetuus vniuersa concludit, finis Christus, quia ipse perficit inchoata. Finis Christus, quoniam ab ipso habent quædam, (videtur legendum *quæcunque*,) esse cœperunt vt semper sint.

## *Modus proprius, quo Christus omnium creaturarum vera finalis causa; statuitur.*

314 Modus quo Christum finem rerum omnium dictum volo, est ille vulgatus & per se obuius, quo finalizatio vt in scholis loquimur, & pellectio agentis ad efficiendum, alicui tribuitur. Et talem contendo esse Christum, respectu quoruncunque creatorum, Eóque sensu diserte & citra ambages Rupertus lib. 3. de glor. Trin. & processi. Spiritus sancti cap. 20. Christum rerum omnium creatarum finem constituit. Quod probare in primis licet, ex eo quod psalmo 8. Dauid opera manuum Dei, oues, boues, & cætera visibilia vniuersa, subiecta homini tradit: non quidem quod omnia corporea & visibilia subsint hominis dominio, (quid enim iuris homini in cœlos & sydera?) sed quod omnia in hominem tanquam in finem referantur. Quod à Christianis antiquis ex eo Psaltis loco similibúsque scripturis iactatum, bilem concinit Celso hosti Christianorum, vt Origenes refert lib. contra eum 4. [Nobis aiebant Christiani, omnia subiecta sunt; terra, aqua, aër, astra, omnia propter nos creata, vt nobis seruiant.] En in quo prisci Christiani statuerent illam omnium ad hominem subiectionem à Dauide traditam. In ordinatione inquam omnium visibilium ad hominem tanquam ad finem, quam ordinationem, Origenes eo libro fusè confirmat, etiamsi subiectio ad dominium videatur apertè falsa quoad cœlos & sydera. Atqui certum est, si ille psalmus non est de solo Christo, vt fert nonnullorum sententia, tamen quæ de homine iuxta literam eo psalmo 8. dicuntur pertinere ad Christum vel secundùm alium sensum æque literalem, iuxta placitum quod eandem literam duobus sensibus literalibus disparatis fœtam agnoscit; vel saltem secundùm sensum allegoricum à Spiritu sancto intentum. Ita enim apertè habet Apostolus 1. Cor. 15. & Hebr. 2. exponens de Christo, subiectionem illam operum Dei, quam Psaltes simpliciter homini tribuit. Igitur ea subiectio quæ operibus manuum Dei tribuitur respectu hominis, qua videlicet sunt propter ipsum, tri-

buenda

buenda est similiter Christo, in eo altiore & profundiore sensu in quo locus ille, de Spiritus sancti mente, ab Apostolo Christo est accommodatus. Quamuis enim idemmet locus provt Christum respicit, aliam præterea subiectionem ferat quàm finalem solam; tamen vt sensus allegoricus literali per se obuio respondeat, non potest illam subiectionem excludere, quam cortex literæ omnibus visibilibus respectu hominis tribuit. Atque ita necesse est fateri, visibilia omnia Christum tanquam finem respicere, & in scopum illum collimare. Quod si id habent visibilia respectu Christi, dubitare non licet, quin idem sit de inuisibilibus statuendum. Nam quæcunque ratio afferatur confirmans quod Apostolus Christo tribuit quod visibilia, æquè militabùt pro inuisibilibus: & præcellentia quæ homini deerat, nec sinebat quod de visibilibus ad ipsum ordinatis affirmatur ad inuisibilia extendi, non deest Christo respectu quorumcunque inuisibilium: quia licet Christus paulominùs ab Angelis minoratus sit, spectando solam humanitatem secundùm sola naturalia principia & ornamenta, tamen compositum ex ea humanitate compactum, infinities supergreditur quascunque supernaturales substantias.

### *Ordinis gratiæ, finis Christus, ac proinde etiam ordinis naturæ.*

315 Alia probatio veritatis propositæ, seu quod omnia creata ordinentur ad Christum tanquam ad finem, ex eo ducendæ est, quod sine vlla dubitatione, totus ordo gratiæ ordinetur ad Christi gloriam, atque adeò ad Christum tanquam ad finem. Hoc vt perspiciatur, statuendum est ex Tridentino sess. 6. cap. 7. Christi gloriam, esse finem subordinatum & non vltimatum, gratiæ & iustificationis nostræ. Quod quamuis initio, plerisque Tridenti congregatis Doctoribus, creditu difficilè videretur, tamen pluribus & Doctoribus probatum est; tandémque communi Patrum consensu firmatum, vt testatur qui aderat Andreas Vega lib 7. in Conc. cap 20. multa proferens ad huius veritatis stabilitionem. Sed illud maximè eam confirmat, quod Apostolus Ephes. 1. ait, fideles fuisse in Christo signatos *in laudem gloriæ ipsius*. Illud enim *in* sonat causalitatem finalem; vt Ecclesiastici 13. cum dicitur *inuoca Deum in salute tua*. Sensus est, *propter salutem tuam*. Similitérque cum dicitur *ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia*, illud *in ipso* sonat causalitatem finis, & idem valet, ac *propter ipsum*, vt notauit Origenes lib. 6. contra Celsum. Credentes igitur signari, seu iustos fieri, in laudem gloriæ, hoc est in glorioſam laudem Christi; idem est quod propter Christi laudem & gloriam esse iustificatos, tanquam propter finem non vltimatum, siue subordinatum gloriæ Dei, quæ est omnino vltimus finis nulli subiunctus. Et sanè vt ibi Hilarius Diaconus, gloria est Medici si multos curet. Æquè igitur gloria est Christi medici nostri, quod nos spiritualiter sanet, & ab intentionibus nostris eripiat.

Nec tantùm hæc gloria Christi resultat de curatione nostra, sed etiam intenditur à Deo. Quia eo ipso quod Deus Christi humanitatem sibi coniunxit personaliter, vt esset hominibus fons gratiæ & gloriæ æternæ, congruentissimum fuit intendi à Deo, vt Christus quem communicandæ gratiæ & gloriæ participem faciebat, particeps item fieret resultantis inde honoris & laudis: Idqúe planè ferunt plæræque scripturæ, quibus insinuatur quantopere Deus honorem & gloriam Christi curæ habeat. Sic Ioannis 5. dicitur, *Patrem omne iudicium filio dedisse*, (& quidem *quia filius hominis est*) *vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem*. Eam quoque ob causam 2. cor. 4. Apostolus, prædicationem suam vocat *Euangelium gloriæ Christi*. Quod si nos honestè intendimus Christi gloriam, tanquam capitis & Regis nostri, multo magis Deus censendus est eam gloriam intendere, quippe primus autor cuiusque nostri actus boni, quem elicere non possimus nisi dum ipse nobiscum efficeret & intenderet. Itaque gratia noui Testamenti, Christum spectat tanquam finem quod D. Augustinus pulchrè dixit tract. 55. in Ioan. ad illud, *in finem dilexit eos*. Sic enim scribit: [Quid est *in finem*, nisi in Christum. *Finis enim legis Christus*, (ait Apostolus,) *ad iustitiam omni credenti*. Finis perficiens, non interficiens: finis quousque eamus, non vbi pereamus. Sic omninò intelligendum est, *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Ipse est finis noster, in illum est transitus noster: Nam video posse ista verba Euangelica, quodam humano modo etiam sic accipi, tanquam vsque ad mortem Christus dilexerit suos, vt hoc videatur esse, *in finem dilexit eos*. Humana est sententia, non diuina. Neque enim nos hucusque ille dilexit, qui semper & sine fine nos diligit. Absit vt dilectionem morte finierit, qui non est in morte finitus.]

316 Quod si sanctificatio nostra, quia Christum habet autorem, refertur à Deo in Christi gloriam, tanquam in finem non vltimum, æquè eodem referenda est sanctificatio antiquorum. Nam omnes de Christi plenitudine acceperunt, & nemini stilla vnquam gratiæ obtigit, nisi per Christum, eò modo quem exponemus agentes de Christo capite. Vnde quia ceremoniæ omnes antiquæ, & præcepta omnia legalia, ordinabantur ad hominis sanctificationem; non quidem conferendam, (quod non poterant,) sed adumbrandam aut quoquomodo promouendam, excitando hominem ad actus quibus iustitiam fidei comparaterent: factum est, vt sicut sanctificatio ipsa ad Christum referebatur, ita & omnia eam quoquomodo spectantia, æquè referrentur in Christum: qui idcirco ab Apostolo dictus est, *finis legis* Rom. 10. non quod legem soluerit sed quod adimpleuerit, & ad eum tota lex sit directa, iuxta illud S. Hilarij lib. 11. de Trinit. [Si legem Christus, qui finis eius est, non dissoluit, sed adimplet, secundùm quod ait: *Non veni legem soluere, sed implere*: finis non defectio est, sed consummata perfectio. Tendunt enim ad finem omnia: non vt non sint, sed vti in eo ad quod tetenderant, maneant]

maneant.]Eodem sensu Apostolus 1.c orinth 10.dies legis gratiæ in quibus Christus, vocat *fines sæculorũ*, quia vt ibi tradit Caietanus, anteriora omnia sæcula in hunc finem collimant. Hicque est finis, de quo vt ex Hebræis tradit Lyranus Ecclesiastici 36. dicitur, *festina tempus, & memento finis, & enarrent mirabilia tua.* Ad eundem finem respexisse Dauidem psal. 38. cum dixit, *notum fac mihi Domine finem meum*, affirmat S. Ambrosius in eum locum. Ac ne longiùs ab eam, S. Hilarius ad titulum psalmi 54. S. Hieronymus & Theodoretus, ac ex recentioribus Genebrardus, adducens Rabbi Dauidem Kimhi, de Christo accipiunt illum psalmis sex supra quinquaginta adscriptum titulum, *in finem*. Insigniter idem tradit S. Augustinus ad titulum psalmi 55. Et quanquam non me latet, S. Hilarium ad titulum psalmi 52. *in finem* in psalmorum titulis, exponere de statu æternitatis post sæculorum metam; Nyssenum verò tract. 2. in titulos psalmorum cap. 2. exponere de beatitudine homini proposita in laborum præmium; Alios denique aliter eam inscriptionem exponere, de qua varietate videsis Alcazarium in cap. 1. Apocal. v. 8. notat. 8. Tamen pleræque aliorum expositiones, in istam reuoluuntur. Omnia hæc illud efficiunt, totum vetus Testamentum, & gratiam vniuersam antiquorum, quo referebatur omnis ille legis & rituum priscorum apparatus, Christum tanquam finem spectasse.

317 Liquet igitur, & nouum & vetus Testamentum, atque adeò gratiam in quam vtrumque dirigitur, pro fine habere Christum. Quod S. Gregorius hom. 16. in Ezech. perpulchrè expressum docet, verbis illis Prophetæ, *& cubitus vnus, finis vtrumque* Glossa S. Gregorij est. [Vtrorũque dicitur, ac si dicatur vtrumque. Per latitudinem quippe liminis, & longitudinem portæ, vetus ac nouum Testamentum diximus designari. Ad extremum verò additur, quod cubitus vnus sit finis vtrorumque, quia videlicet & Testamentum vetus, vnum nobis mediatorem Dei & hominum nunciauit; & Testamentum nouum, eundem nobis nunciat in æterna claritate venturum, quem iam pro nobis cognouimus incarnatum. Cubitus ergo vnus vtrorumque est, quia & quem lex prædixit, in carne apparuit; & ipse quem nunc Testamentum nouum loquitur, in gloria maiestatis apparebit. Et tunc vtrorumque finis erit, cùm visus in diuinitatis suæ potentia, omnia quæ sunt prædicta compleuerit. Scriptum namque est; *Finis legis Christus, ad iustitiam omnia credenti.* Finis videlicet, non qui consumit, sed qui perficit. Tunc etenim legem perfecit, cum sicut lex prædixerat, incarnatus apparuit. Sed adhuc de eius iudicio multa nouum Testamentum loquitur; adhuc multa de regno illius narrat, quæ nec dùm videmus impleta. Ecce quotidiè Euangelium legitur, ventura prædicantur. Tunc ergo erit & noui Testamenti finis, cum & quæ de se promisit, compleuerit. Finietur verò Testamentum nouum, quia perficietur.] Cum igitur id vnde desumitur vniuscuiusque rei perfectio, sit eius finis; fatendum omnino est, duo Testamenta, (quandoquidem in Christo sortiuntur perfectionem suam, & consequenter gratiam, ad quam proximè ordinantur;) spectare Christum tanquam finem. Quod est dicere, totum ordinem gratiæ puris hominibus collatæ, in Christum tanquam in finem tendere.

### *Concluditur, firmatúrque proposita argumentatio de christo fine proprio rerum omnium.*

318 Hinc eruenda est secunda illa probatio, qua confirmandum assumpseram, Christum esse finem rerum omnium creatarum. Nam ordo gratiæ est superior ordine naturæ, longéque eminentior, vt per se notum est. Nec tantùm est eminentior quomodocunque provt se habet Angelus ad hominem, sed etiam cum subordinatione. Verè enim toties ordo naturæ substernitur ordini gratiæ, eumque pro fine habet. Indeque ortum habet subiunctio terrenorum ac temporalium, ad cœlestia & spiritualia, cum debitus ordo retinetur. Quia igitur totus ordo gratiæ puris hominibus collatæ, Christum spectet vt finem suum proximum, multo magis ordo naturæ, qui ordinem gratiæ proximè spectat, ad Christum quoque, vt finis sui proximi finem, referetur.

Video, hanc rationem provt proposita est, non vrgere nisi pro ordine naturæ corporeæ, qui hominem habet pro fine proximo; tantúmque probare & hominem & omnia visibilia propter hominem condita, habere Christum pro fine; de cæteris tamen rebus naturalibus, id non probare. Nam ordo naturæ ad quem spectant Angeli cum suis naturalibus perfectionibus, iuxta sententiam quæ negat Angelos accepisse à Christo gratiam, non subordinatur ordini gratiæ, quæ puris hominibus per Christum confertur. Item ordo gratiæ Angelorum, constituit seriem diuersam ab eo ordine gratiæ in quo nos sumus: ita vt quamuis gratia sit vtrobique essentialiter eadem, tamen diuersum fontem habeat in Angelo, diuersum in hominibus. Vnde ratio proposita, quæ nititur subordinatione ordinis naturæ ad ordinem gratiæ, & habitudine finali ordinis gratiæ ad Christum, non habet locum quoad Angelos, si à Christo gratiam non hauriunt, vt fert verisimillima sententia de qua infra. Suppleri tamen potest quod ei rationi quoad Angelos deest, dicendo, gratiam Angelorum ad Christum quoque referri, vt ad finem ex diuina institutione, & prouidentissima ordinatione; sin minùs quasi ex natura rei, & ex eo quod Christus sit fons gratiæ Angelorum, (quod de gratia collata hominibus certum est,) at saltem ex diuina institutione, siue ex eo quod Christus sit à Deo constitutus caput super omnem Ecclesiam Angelicam, de qua Christi prærogatiua posteà agemus. Membra autem corporis mystici, ad decus & ministerium ac obsequium capitis diuinitus destinari, atque adeò etiam habere eum pro fine non vltimo, patebit ex infra dicendis de ratione capitis.

Vna

Vna circa hæc omnia non leuis difficultas enascitur, supposita sententia quam de fine Christi Domini supra tradidimus lib.3.nempe quod Christus non sit productus nisi ob salutem nostram, & occasione peccati. Si enim res ita se habuit, quomodò potuit ordo naturæ qui peccato præiacuit, & ordini gratiæ planè præsupponitus est, ad Christum referri tanquam ad finem, quem oportet præconcipi vt ad eum aliquid ordinetur? Verùm hæc difficultas,ex dictis eodem lib.sect.1.c 4. præsertim in solutione sexti argumenti, expedita sufficienter est. Ibi namque ostendimus,qua ratione Christus,etiamsi sola salutis nostræ occasione decretus, & præsupponens ordinem naturæ, potuerit præfigi tanquam finis operum diuinorum anteriùs præsuppositorum: quatenus scilicet Deus, cum occasione peccati deuentũ est ad Christum omnia anteriùs decreta & præconstituta ad eum extrinsecè retulit, actu quasi reflexo: quod abũdè est ad tribuendam Christo rationem finis, respectu eorum. Nam quamuis essent futura, etiamsi Christus non fieret, tamen posito quod futurus sit, ad huius quoque hominis gloriam referuntur,tanquam ad finem extrinsecum, illis ex diuina institutione præfixum.

### *Vsus doctrinæ.*

319 Est itaque Christus Dominus, naturæ totius & gratiæ, atque adeò creatorum omnium finis. Et quia ad finis assecutionem capessenda sunt media, iniicitur nobis necessitas, ineundi itinera quibus ad scopum illum pertingi potest: seruandi inquam Christi leges ac præcepta, quæ sunt veluti viæ queis se adiri voluit. Egregiè in hanc rem philosophatur S.Ambrosius serm. 5. in psal. 118.v.2.Præfatus enim memorari à Psalte eo loco, *viam iustitiarum, viam testimoniorum, viam mandatorum*,subdit [Interrogemus ergo has vias,vt dicatur nobis,*state in viis legis,& interrogate semitas aeternas, & videte quæ via melior, & ambulate in ea.* Cum omnes igitur ambulauerimus vias, veniemus in omnium finem viarum,qui ait; *Ego sum via.* Christus ergo finis viarum. Ipse enim est *finis legis ad iustitiam omni credenti.* Hinc audeo dicere, quia finis iustitiarum Christus,qui est iustitia:finis testimoniorum Christus, de quo dictum est: *Estote mihi testes, & ego testis dicit Dominus,& puer meus quem elegi.*Aduertimus igitur quantum nobis, ambulandum sit, vt veniamus ad Christum. Ambulandum in lege,quia finis legis Christus est.Sine lege ergo non peruenitur ad Christum. Vnde manifestum est quod hæretici qui legem veteris non accipiunt Testamenti, & si dicant quod Christum teneant, tamen non possunt tenere finem,qui initium non tenuerunt: Ipse est Iesus,initium & finis. Oportet igitur vt ambulemus secundùm legem spiritalem, vt veniamus ad legis finem Dominum Iesum. Oportet vt sequamur testimonia,vt peruenire possimus ad magnum testimonium Dominum Iesum. Oportet etiam vt in præceptis Domini ambulemus, vt peruenianus ad magnum præceptum.]

Alium fructum ex doctrina de Christo fine nostro, cruit Gregorius Nyss.lib. de perfecta Christiani forma, vbi tractans quomodò Christus sit *caput anguli*, id referens ad Christum finem nostrum, consummationem in nobis internæ externæque virtutis,eo nomine deposcit, sic philosophatur. [Quod à sapiente architecto, fundamentum fidei & anguli caput nuncupatur, id quoque nobis ad vitam ex virtute instituendam expediet. Sic enim bonarum omnium & administrationum ciuilium,& disciplinarum,& institutorum,tum principium,tum etiam finem esse Dominum dicimus. Nam & spes, quam pro capite accipimus,ad quam rectæ honestæque actiones nostræ omnes tendunt,ille nominatus est à Paulo: & in principio huiusce vitæ ædificij, quod ad ipsum dirigitur,fides in qua vitæ principia tanquam fundamenta iacimus,& quotidianis officiis putas tum cogitationes, tum actiones nostras moderamur. Atque ita, quod vniuersi est caput, nostrum etiam caput efficitur, cum duobus vitæ nostræ,corporis videlicet atque animi mutis per honestatem & puritatem constructis,angulari coniunctione aptè cohæret. Quod si altera pars desit ædificio, vt vel animi puritas conspicuam extrinsecùs honestatem non habeat, vel hæc quæ videtur, animi virtute vacet, eius mancæ inchoatæque vitæ caput non erit Christus,quippè qui duplici angularique fabricæ tantummodò quadrat: (neque enim nisi duo concurrunt parietes, angulus fieri potest.) Quare tunc imponetur ædificio nostro summi angularis fastigij pulchritudo, cum ex vtraque parte,ad rectam virtutis normam duplex vita & recta & constans,& nihil obliqui cuiuque habens,perpendiculo concinnè erit accommodata.]

Cui sic fuerit finis in hac vita Christus, spem habet bonam & firmam,fore illi Christum in altera vita finem, qualem his verbis exprimit Iulianus Toletanus lib.3. prognost. cap.vltimo. [Finis noster Christus, perficiens nos,ipse erit refectio & laudatio nostra, quem in sæcula sæculorum laudabimus & sine fine laudantes amabimus. Ibi erit, (vt ait Doctor Sanctissimus Augustinus,) verè maximum Sabbatum, operibus, cuius finis non erit vespera, sed Dominicus dies, vel octauus, qui Christi resurrectione paratus est. Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus,amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Numquid alius est noster finis, nisi peruenire ad regnum, cuius nullus est finis?]

## CAPVT II.

### *Christus primogenitus omnis creaturæ.*

320 APostolvs Coloss.1.illustrissimum elogium Christo contexturus, gratias agit. *Deo Patri qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine : qui eripuit nos de potestate tenebrarum,& transtulit in regnum filij dilectionis suæ;in quo habemus redemptionem per sanguinem eius,remissionem peccatorum:qui est imago Dei inuisibilis : primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes,siue principatus,siue potestates:omnia per ipsum, & in ipso creata sunt : & ipse est ante omnes,& omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ,qui est principium,primogenitus ex mortuis : vt sit ipse in omnibus primatum tenens.* In tam illustri Christi elogio, nonnulla saltem de Christo homine affirmari,non est dubium. Nam ipse est quem Pater caput corporis Ecclesiæ constituit, & primatum in omnibus tenere voluit. An verò omnia eodem elogio proposita æquè in Christum hominem cadant,nominatimque ille titulus quem excutiendum proponimus, & in quo dimissis in præsentia cæteris, hærendum est, nempe *primogenitus omnis creaturæ*, non consentiunt DD.ac Patres.

### *Christum dictum primogenitum quâ Deum, qui censuerint.*

321 Perspicuè S.Hilarius lib.8. de Trin. tractans adductum Apostoli locum, inter ea quæ in illo ad Christum provt Deum pertinere docet,hunc titulum reponit, *primogenitus omnis creaturæ.*[ Primogenitus itaque (inquit) omnis creaturæ est,quia in ipso omnia creata sunt. Et ne quod in ipso omnia creata sunt,non ad ipsum quisquam auderet referre, ait : *Omnia per ipsum,& in ipso condita sunt, & ipse est ante omnes,& omnia ipsi constant.* Omnia itaque ipsi constant qui ante omnia est, & in quo omnia sunt.Et hæc quidem ad exordia pertinent creaturarum. Cæterùm ob dispensationem corporis nostri, ait : *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est initium,primogenitus ex mortuis,vt fieret in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipsum omnia reconciliari in eum.* Reddidit Apostolus, spiritualibus Sacramentum corporationis. Nam qui imago Dei inuisibilis est, ipse est caput corporis Ecclesiæ : Et qui primogenitus omnis creaturæ est, idem initium, primogenitus ex mortuis est,vt in omnibus teneat primatum, dum nobis incorporalis est, qui Dei imago est : dum qui primogenitus creaturæ est, idem primogenitus ad æternitatem est:vt cui spiritualia debent, in primogenito creata quod maneant, & ei humana debeant, quod in primogenito ex mortuis renascantur æterna. Ipse est enim initium, qui cum Filius sit, imago Dei est. Primogenitus quoque omnis creaturæ est,continens in se vniuersalis exordium. Et rursum ipse caput corporis Ecclesiæ est,& primogenitus ex mortuis,vt in omnibus teneat ipse primatum.] Non dissimiliter in psalmum 2. disertè pronunciat Christum dici primogenitum omnis creaturæ, quatenus Deum omnium creatorem.

Timuit ergo vbi non erat timor, Isidorus Peluſiota lib. 3. epist. 31. eam expositionem tradens,cum subtimuit notandum seob eam, nouitatis pulcherrimè autem illam interpretationem ex Grammaticis legibus eruit in hunc modum [ ὁ πρωτότοκος *primogenitus*, si secunda syllaba acuatur, eum qui primus natus est, significat. Si autem penultima, eum qui primum genuit. Atque id vobis præsertim,quos Homeri lectio delectat,compertum & exploratum est. πρωτοτεκοῦσα enim ea, quæ primùm peperit ab ipso dicta est. Probabile itaque,immò necessarium fuerit, animaduertere, huiusmodi quodam sensu, hîc quoque diuinum Paulum vsum fuisse, cum Christum *omnis creaturæ primogenitum* dixit. Hoc quippe vocabulo, non eum primum ex omnibus rebus conditis creatum esse docet; (absit,) quippè qui splendorem gloriæ, & paternæ substantiæ characterem,ipsum appellet: verùm eum res conditas primò peperisse;hoc est effecisse : ita vt (tertia syllaba acuto accentu notata)-πρωτογόνος non πρωτογενὴς id est *primogignens*, non *primogenitus*; πρωτοκτίστης non πρωτόκτιστος id est *primò creans*,non *primò creatus.*] Confirmat postmodùm hanc interpretationem, ex ipso Pauli contextu. [Postquam enim dixit, *primogenitus omnis creaturæ*, mox hæc verba subiunxit, *quoniam in ipso creata sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra.* Quamobrem si dixit, *post eum creata sunt*, qui secundùm aduersarium pronuncietis, causam haud dico. Si autem *in ipso*, (etenim in creatore rerum omnium, procreatio & conseruatio est. Quod quidem etiam alio loco explanans, dixit *in ipso enim viuimus, & mouemur,& sumus*,) sine controuersia,(vt opinor, nostra est victoria. Quod si ea etiam quæ sequuntur narrauero, luculentius adhuc trophæum erit. Ait enim, *& ipse est ante omnia.*Non dixit,*ipse factus est ante omnia*;sed,*est ante omnia.Et omnia in ipso constituta sunt.*Non dixit *cuius ipso*,nec *post eum creata sunt.*

Alio sensu hunc titulum Christo quatenus Verbo vendicat Nazianz. orat. 1. Christum enim provt Verbum vocat *primogenitum ante res conditas*, vt sensus sit, Christum ante omnem creaturam esse *genitum*, non autem, vt illæ, *creatum.* Idem habet Ambrosius lib. 1. de fide cap. 4. Et hac ratione, Christus homo non est primogenitus omnis creaturæ, nisi per communicationem idiomatum.

Cadit

*Cadit aptiùs in Christum, quâ hominem Deum.*

322 Nihilominus alij meliùs, nomen *primogeniti omnis creaturæ*, ad Christum hominem & Verbum carne vestitum pertinere, sunt arbitrati. Vt omittam recentiores, Iustinianum 1. Ioan. 3. v. 5. num. 9. & Benzonium in psal. 86. cap. 3. sic Pelagius Goloss. 1. & pulchrè S. Cyrillus lib. de Incarn. vnigeniti cap. 26. [ Nuncupatus est & primogenitus & vnigenitus. Sed si quis vim ipsam ( scrutati voluerit dictionum, primogenitus est qui est inter fratres plurimos, primogenitus: Vnigenitus verò vt vnigenitus, non iam primogenitus, nec inter plurimos fratres: Et est ipse & hoc, & illud. Et quomodò ? Ergo secundùm aliud & aliud. Primogenitus enim vt inter plurimos fratres propter humanitatem: vnigenitus porrò idem, vt solus, ex Patre natus & Deo.]

Explicatissimè idem habet Nyssenus lib. de perfecta Christiani hominis forma hunc in modum. [ Cum hæc nomina in eodem conuenire, coniungique nequeant, quòd fieri non possit, vt idem & vnigenitus & primogenitus nominetur; in scriptura autem de verbo illo, quod erat in principio dicatur, vnigenitus Deus, & rursus apud Paulum, primogenitus omnis creaturæ: veritatis iudicio sic oportet hæc omnia separare, & distinguere diligenter, vt vnigenitum intelligamus id Verbum quod est ante sæcula: omnis autem creaturæ in Christo factæ, verbum carnem factum esse primogenitum. Quod si quo modo ille & primogenitus ex mortuis, & primogenitus in multis fratribus intelligatur didicerimus; simul etiam quo modo sit creaturæ primogenitus, cognoscemus. Est igitur ex mortuis primogenitus, aut primitiæ dormientium factus, vt omni carni ad resurrectionem iter aperiret. Cúmque nos qui natura eramus filij iræ, cœlesti generatione per aquam & spiritum filios lucis, & diei filios esset effecturus, eiusmodi generatione in Iordanis flumine, Dux ipse præcessit, vt ad naturæ nostræ primitias spiritus, gratiam attraheret: id est, vt omnes ex spiritali regeneratione ad vitam generatos fratres, ipse per aquam & spiritum antegenitus constitueret. Ad eundem modum creaturæ in Christo generatæ, ipsum primogenitum cogitantes ab opinione pia minimè recesserimus. Quoniam igitur vetus creatura ingressa est per peccatum & inutilis reddita necessariò perditorum subiuit viam; noua vitæ creatura, quæ per regenerationem & resurrectionem ex mortuis constituitur, cuius princeps auctorque vitæ, primogenitus est, & appellatur. ] Caue existimes, voluisse Nyssenum, accessionem gratiæ factam Christo esse, cum à Ioanne baptizatus est. Vult enim duntaxat Symbolis regenerationis nostræ initiatum fuisse Christum. Quo pacto, quæcunque eiusmodi Patrum loca exponenda esse, docet Facundius l. 9. pro tribus capitulis c. 5.

323 Pereleganter Origenes hom. 16. in Iosue, cum monstraret quo mystico sensu Iosue in scriptura dictus sit *senex & prouectæ dierum*, addit. [ Verùm quoniam instituimus quæ de Iesu dicuntur, etiam & ad Dominum & Saluatorem nostrum referre, quis ita presbyter dicitur, ante quem nemo est? Igitur tametsi sunt qui dicantur in scripturis presbyteri, vel seniores, vel Pontifices; tamen Dominus Iesus sicut in pontificibus pontificum princeps est, & sicut in pastoribus princeps pastorum est, ita & in presbyteris vel senioribus princeps presbyterorum putandus est, & in Episcopis princeps Episcoporum, & omne quodcunque honorabile nomen est, primum in hoc, & principem esse credendum est Saluatorem, quia ipse est omnium caput.] Diligenter denique & planè, esse Christum primogenitum omnis creaturæ in humana natura, ostendit Fulgentius lib. de decem Arrianorum obiectionibus ad 3. [ Quod autem ( inquit ) eum *primogenitum totius creaturæ*, dicit Apostolus, creatura vtique intelligitur reparata, non condita; creatura filiorum Dei, qua ex seruis eius facti sunt fratres eius, qui *nos* secundùm Apostoli dictum, *non confunditur fratres vocare.* ] Addensat in hanc rem multas scripturas, tum concludit. [ Audimus Christum habentem fratres, audimus semen Abrahæ, audimus per mortem eum qui habebat mortis imperium, destruentem; audimus tentatum, audimus passum, & dubitamus Christum primogenitum totius creaturæ, secundùm Incarnationis professionem mysterium ? cum denuò Beatus Apostolus, in quo eum primogenitum debemus accipere, testimonio suæ prædicationis ostendat; *Scimus* ( inquiens, ) *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his, qui secundùm propositum vocati sunt: nam quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Qui ergo secundùm Deitatem semper vnigenitus fuit sine fratribus, factus est secundùm hominem primogenitus in multis fratribus. ] Tradit idipsum de Christo vt homine omnis creaturæ primogenito, Concilium Tolet. 11. in professione fidei.

*Binæ rationes idoneæ, exponendæ, Christi Dei hominis primogenituram.*

324 Vides, hos Patres Christum, *primogenitum omnis creaturæ* nominare, prout hominem: nec aliam ob causam, quàm quia est locus sanctificationis nostræ, vt est apud Ieremiam, & quia nos participes illius sumus quoad sanctitatem & gratiam, quam nos voluntariè geniti verbo veritatis, & initium aliquod creaturæ eius, participamus de eius plenitudine; regenerati vt pulchrè attigit S. Fulgentius lib. de Incarnat. & grat. Christi cap. 20. per generationem aliquatenus proportionalem ei qua ipse & ab æterno de patris substantia, & in tempore per vnionem hypostaticam, à patre genitus est. Restringit porrò hæc explicatio nomen *omnis creaturæ* ad hominem. Soli quippe homines inter creaturas sublunares, per Christum homi-

nem regenerantur, eumque ad modum prædictum habent primogenitum. Sed hoc non est præter vsum scripturæ, vt S. Gregorius obseruauit hom. 29. in Euang. & pulchrè Origenes hom. 2. in diuers. sic Scribens. [Tertius mundus est, qui ratione medietatis, & superiorem spiritalium, & inferiorem corporalium in seipso copulat, & de duobus vnum facit. & in homine solo intelligitur, in quo omnis creatura adunatur. Corpore enim constat & anima, corpus de hoc mundo, & anima de altero mundo colligens, vnum facit ornatum & corpus. Quæ de compagine vna conglobantur, omnem mundanum hominis conficiunt ornatum; ideóque homo dicitur *omnis creatura*. Omnis namque creatura in ipso velut in officina quadam conflatur. Hinc & ipse Dominus prædicaturis Discipulis præcepit; *prædicate Euangelium omni creaturæ.*] Et inferius hoc planè sensu accipit titulum Christi in quo versamur, sic dicens. [Verbum Incarnatum Dominus noster Iesus Christus, plenitudinem gratiæ secundùm humanitatem accepit, quoniam caput est Ecclesiæ, & primogenitus est creaturæ vniuersæ; hoc est totius vniuersaliter humanitatis[, quæ in ipso, & per ipsum, sanata & restituta est.]

325 Non pauci tamen ex iis qui Christum primogenitum omnis creaturæ interpretantur ratione naturæ assumptæ, accommodatiùs ad præsens institutum philosophantur. Non enim in hpius tituli explicatione, respiciunt ad oleum illud lætitiæ quo Christus præ participibus suis inunctus est, sed Christum vocant *primogenitum omnis creaturæ*, quia honore prælatus est omnibus creaturis, & constitutus hæres vniuersorum. Notum enim est, quæ & quantæ sint primogenitorum prærogatiuæ, vt latissimè prosequitur Tiraq. in præfatione Operis de iure primogenit. & alij quos citat Pineda l. 2. de Salom. cap. 1. num. 2. Itaque Christus est primogenitus omnis creaturæ, quia omnes honore præcedit. Ita apertè habet creditus Anselmus Colos. 1. qui post multa in eam sententiam, quibus tradit. Christum in susceptra humanitate dici *primogenitum*, subdit. [primogenitus ergo dicitur omnis creaturæ, quia sicut primogenitus omnium fratrum, primatum dignitatis obtinet inter omnes fratres, sic humanitas Christi primatum dignitatis obtinet inter omnes creaturas, vt sedeat cum principibus & solium gloriæ teneat.] Pelagius breuiter idem tradit ad eundem locum, sic scribens. [Dicitur Christus primogenitus secundùm assumpti hominis formam, non tempore, sed honore: iuxta illud, *filius meus primogenitus Israël.*] Theodoretus item quamuis ex interprete paulo obscuriùs loquatur, videaturque ad eos accedere, qui Christum primogenitum omnis creaturæ ratione generationis æternæ dictum censent; tamen reuera quantum ex probationibus quas adhibet, & toto commentarij ad hunc locum decursu colligitur, *primogenitum* Christum ratione primi honoris Christo delati, dictum existimat: quod confirmat ex eo quod Apostolus, Sanctorum cœtum appellet *Ecclesiam primitiuorum* siue *primogenitorum*. [Non quod omnes, primi naturâ soluerint matrum vteros, sed quia maior honor primogenitis lege tribuebatur, eorum præstantiam & honorem significauit per hanc appellationem.] Verba sunt ipsius Theodoreti, apud quem verba illa ex interprete ad initium commentarij in hunc locum. [Est ergo primogenitus creaturæ, non quod sororem habeat creaturam, sed quod ante omnem creaturam sit genitus,] incommodè videntur exprimere autoris mentem. Sonant enim potiùs interpretationem huius tituli, de Christo secundùm naturam diuinam spectato. Itaque postrema verba sic potiùs efferenda fuerant. [Sed quod genitus, (is inquam qui filius est, etiam quod generationem temporalem;) ante omnem creaturam sit; supple *constitutus*, & honore prælatus vt moris est præferri cæteris liberis primogenitos. Addi potest ad roborandam interpretationem tituli in quo versamur, illud psalmi 88. *& ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ.* Quæ verba iuxta literæ extimum corticem, de Salomone dicuntur, qui non erat primogenitus Dauidis: & tamen dicitur à Deo *primogenitus*, id est excelsus præ Regibus terræ. Similiter ergo Christus primogenitus est omnis creaturæ, quia tori creaturarum vniuersitati, est prælatus honore ac dignitate.

### *Tertia eundem titulum explicandi ratio, ex S. Ambrosio.*

326 Vtrauis propositarum interpretationum admittatur, perinde est ad rem nostram. Tertiam addo non omnino literæ incongruentem, & quod à S. Ambrosio sit tradita, non aspernandam. Sic habet lib. 1. Hexaëm. cap. 4. [Ipse Christus est primogenitus omnis creaturæ, siue quia ante omnem creaturam, siue quia sanctus, quia primogeniti sancti sunt, vt primogenitus Israël: non quia ante omnes, sed quia sanctior cæteris: Sanctus autem Dominus supra omnem creaturam, & secundùm corporis susceptionem, quin solus sine peccato, solus sine vanitate. Omnis autem creatura, subiecta vanitati est.] Nimirum primogeniti apud Hebræos sancti erant, tum consecratione, tum debito. Itaque non abhorret ab vsu scripturæ, vt sanctus dicatur primogenitus, & sanctus præ omnibus, primogenitus omnium. Non est quidè omnis primogenitus sanctus: sed tamen omnis sanctus, est primogenitus. De quo perelegantèr & copiosè differit idem S. Ambrosius lib. 2. de Cain c. 2. & epist. 14. quæ est ad Irenæum. Christus ergo est primogenitus omnis creaturæ, id est sanctus domino & in se sanctus præ omnibus creaturis, ac nominatim præ participibus.

Quod alij primogenitum in natura humana Christum statuunt, quia est primum intentione opus Dei, & in primo rationis signo editus est ante omnes colles, id est priusquàm de vlla quantumuis sublimi creatura edenda agitaret Deus consilium; hoc inquam nobis iuxta principia l. 3. dicta, probari non potest. Vidimus enim Christum non esse decretum, nisi

nisi occasione peccati; atque adeò totum naturæ ordinem, & aliqua ex parte ordinem gratiæ, in priori rationis signo esse decretum: postea verò concluso per peccatum ordine diuinitùs constitutæ, succeßisse remedium, per Christi aduentum tunc præfinitum. Quare sistendum est in alterutro priorum duorum modorum explicandi hunc titulum.

### *Vsus doctrinæ.*

Vsus doctrinæ esse debet, immensa quædam æstimatio dignitatis Christi Domini, tanquam apicis creaturarum omnium. Apud Proclum in Chrestomathia, descriptus habetur ritus Daphnephoriorum, quem possit quis ad Christum aptare hac ex causa. Gestabatur oleagineum lignum lauris ornatum, & exornatum variis floribus. In apice ænea sphæra imposita erat, ex qua alia grandiuscula subiecta, tum minor plurimæ dependebant. Medio ligno purpureæ coronæ aptabantur, minores superioribus trecentæ & 65. numero. Suprema sphæra iuxta Proclum, Solem & Apollinem, proxima lunam, globuli astra & stellas, coronæ cursum annuum significant. Comitabantur Daphnephorum, Chori virginum. Hæc summatim de eo ritu ex Proclo. Quæ sic licet accommodare: In ordine quoque creato, sed nominatim in supernaturali, Christus summum verticem occupat, ei subest immediatè Deipara, quam cœlestes ordines beatorum spirituum consequuntur. Apostoli & Martyres, & omnes qui in temporum cursu peruenerunt ad regnum, perficiunt sertum hoc decoris. Comitantur illuc aliquando peruenturi, qui hic viuunt puri & nitentes.

## CAPVT III.

### *Christus, Dominus omnium, hæres Vniuersorum.*

327 DOMINIVM aliud est proprietatis, aliud iurisdictionis. Hoc quia erga subiecta duntaxat ratione pollentia exercetur, infra videbimus quale nam fuerit in Christo. Nùc dominium proprietatis, quod æquè in omnia potest cadere, consideremus. Potest autem dominium proprietatis in Christo distingui duplex; nempe vnum naturale, siue fundatum in titulo humano, alterum supernaturale.

### *Dominium proprietatis humanum, tenue in Christo.*

Primum dominium in Christo, ad valdè pauca extensum est; Tantum abest vt sic illud quo Christus est Dominus omnium. Est quidem de fide definitum à Ioanne 22. Extrau. *cum inter nonnullos*, & Extra. *qui quorundam*, Christum habuisse aliquando alicuius rei dominium, saltem simul cum collegio Apostolico spectatum. Semper enim Pontifex de dominio illo agens, Christum & Apostolos iungit; nec agit de dominio Christi ante baptismum quia tunc Christus erat quasi filius nondum emancipatus, ideóque nihil habens proprium: sed tantum agit de Christi dominio post baptismum, cum iam instituerat collegium Apostolicum: & pro eo tempore, definit fuisse in Christo & Apostolis, rei alicuius dominium humanum, quale passim habent cæteri homines: idque negare, docet esse contra fidem; & patet ex loculis quos Iudas prædatus, dicitur *fur*; quo pacto non appellaretur, nisi loculos expliando, peccasset contra iustitiam, & violasset dominium Christi, vel eius simul & Apostolici collegij in talia bona. De hoc igitur non licet salua fide dubitare. Quinetiam nonnulli volunt, Christum in aliqua prædicti temporis parte, seorsim ab Apostolis spectatum, vt infirmis benignè condescenderet, habuisse sibi aliquid proprio & peculiari dominio: Idque de loculorum dominio affirmat Iustinia. disp. 1. in Paulum cap. 4. à num. 25. Tamen saltem in alia aliqua prædicti temporis parte, certum est Christum nihil priuatim habuisse, sed ad summum in communi: vt ex eo constat, quod Matth. 8. profitetur se pauperiorem vulpibus foueas habentibus, & volucribus cœli, nido non destitutis. Et sunt qui addant, pro aliqua parte eiusdem temporis, Christum nullius prorsus rei, at ne in communi quidem habuisse dominium. Ita enim censent Miranda t. 1. Manual. Prælat. quæst. 11. art. 3. Azor. tom. 1. l. 12. cap. vltimo q. 12. Vasq. tract. de reddit. Eccles. cap. 1. §. 1. num. 5. Quamuis autem hoc incertum esse dicat Suares t. 2. 3. p. d. 28. s. 2. & impugnari validè videatur, ex eo quod vestes quas Christus semper habuit, nullius alterius fuerunt quàm Christi saltem simul cum collegio Apostolico eas in communi possidentis: Nihilominus per se liquet, etiamsi hoc qualecumque dominium Christo, aut cum Apostolis communiter, aut ipsi soli & priuatim concedatur, longè augustius esse quàm dominium aliud, quod in Christo agnosci potest.

### *Supernaturale in omnia, qui repudient,*

328 Hoc est secundum dominium proprietatis, quod *supernaturale* vocabam, quia fundatur in supernaturali titulo, quamuis spectato obiecto qua ex parte temporalia complectitur, dici possit *temporale*, vt & *spirituale* qua ex parte substantias & formas spirituales comprehendit. Nihil enim est infra Deum, quod ambitu huius dominij non comprehendatur, & Christi non sit, etiam directè. Huiusmodi amplissimum & multis creaturarum finibus coercitum dominium proprietatis, Christo vendicant scripturæ, ac Patres, suffragante ratione. Delibabo selectiora quædam, præter alia quæ in hanc rem producunt recentiores, qui huic sententiæ de Christi dominio proprietatis in res

omnes, astipulantur: vt Nauarrus in cap. *nouit.* de iudiciis, notat. 3. num. 64. Toletus in cap. 13. Ioan. ad illud, *sciens qui omnia dedit ei Pater in manus*, & ibi Cannot. 17. *in fine.* Iustinian. Hebr. 8. & Prolego. in Paulum disp. 1. c. 4. num. 25. Lorinus in psal. 8. v. 9. *in fine*, Alphonsus Mendoza relect. de dominio Christi à num. 13. Salaz. in cap. 8. Prouerb. à num. 105. Præpositus 3. p. quæst. 22. dub. 2. Refragante tamen Vasque 3. p. d. 87. c. 6. qui dominium hoc Christi supernaturale, depressius diuino, & superius humano fundato in titulo merè temporali, pertinensque ad omnia reata, putat commentitium, & pugnans cum dominiis humanis, quæ nemo diffitetur aut diffiteri potest. Et videri etiam potest, pugnare cum Christi paupertate, tam decantata in scripturis & apud DD.

### *Admittitur, probatúrque ex Scripturis.*

329 Nihilominùs dominium quod Christo assignabam, agnoscunt scripturæ non vno loco. Eóque fortassis respiciebat is qui Petrum Blesensem damnauit blasphemiæ, eo quod Christum dixisset, factum esse pro nobis pauperem, vt ipse Blesensis refert in Inuectiua contra deprauatorem operum suorum. Quæ quidem inepta prorsus est censura; cum scriptura ipsa loquatur eo modo quo Blesensis. Tamen non potuit alium colorem habere qui eam censuram tulit, quàm quod in variis scripturis prodatur Christi dominium, quo videtur paupertas excludi. Inprimis ergo S. Petrus Act. 10. hoc Christi dominium videtur tradere verbis illis. *Verbum misit Deus filiis Israël, annuncians pacem per Iesum Christum, hic est omnium Dominus.* Video id posse accipi de dominio iurisdictionis. Videtúrque eum locum sic accepisse Nyssenus orat. 11. (imo 12.) contra Eunom. verbis illis. [Deus etsi serui formam induit, non ipse seruus efficitur, sed ad dominationem & regnum extollit quod subiicitur, Dominum & Christum faciens, quod humile & humanum est.] Idem habet Cyrillus Hieros. catech. 10. Dicit quidam ex Apostolis &c. *Sermonem misit Euangelizans per Iesum Christum: Hic est omnium, Dominus.* Quando autem dicit, *omnium*, nullam dominij partem excipit. Siue enim Angeli, siue Archangeli, siue Principatus, siue quidpiam eiusmodi rebus creatis ab Apostolis nominatum; omnia sunt dominio filij subiecta. Angelorum est Dominus, sicut habes in Euangeliis; *Tunc recessit ab illo Diabolus, & Angeli accesserunt, & ministrabant ipsi*; quod est officium seruitutis. Cum ex virgine nasci debebat: ministrabat tunc Gabriel; propriam dignitatem esse reputans, ipsi ministrare.] Alia loca addit quæ solum dominium Iurisdictionis sonant.

330 Posset igitur locus Petri, non de dominio proprietatis, sed de solo dominio iurisdictionis seu regno accipi. Sed cum scriptura non distinguat, nec nos distinguere debemus. Quinetiam vox *domini* potiùs sonat dominium proprietatis. Et quæ rationes, Christo arrogant dominium vniuersale iurisdictionis, eædem dominium quoque proprietatis vendicant, vt mox videbimus. Itaque non videtur negandum, quin princeps Apostolorum, Christum denominans *omnium Dominum*, signatum voluerit vniuersale dominium proprietatis, quod Christo concedimus. Idem tradit Paulus Hebr. 2. accommodans Christo illud psalmi 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.* Quæ item tradit 1. Corinth. 15. verbis illis. *Omnia subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia.* Nihil luculentius aut expressius, in hanc rem, desiderari videtur posse. Præterea verò idem Apostolus Hebr. 1. agens de filio nobis loquente in Patris nomine, atque adeò homine, ait, *quem constituit hæredem vniuersorum* κληρόνομον describens Hebraismo admodùm frequenti, possessionem ac dominium omnium. Nec omittendum est illud ex cap. 13. Ioan. *omnia dedit ei Pater in manus.* Non me latet, aliquos Patres hæc verba ita accipere, vt sensus sit, Deum commisisse Christo totum negotium salutis ac redemptionis nostræ. Ita S. Chrysostomus hom. 69. in Ioannem, & Origenes tomo 32. in idem Euangelium, ac Theophilactus: consentiuntque Toletus, & Maldonatus ad locum prolatum. Existimo tamen adhærendum potiùs aliis, qui verba proposita, de vniuersali ac pleno in omnia Christo dominio interpretantur: inter quos est S. Augustinus tract. 55. in Ioannem, S. Cyrillus lib. 9. in idem Euangelium cap. 3. S. Gregor. 3. moral. c. 12. Theodorus Hereadeotes ac Mopsuestenus ad locum citatum. Et eorum aliqui rectè confirmant suam hanc interpretationem, ex scopo Euangelistæ, qui narraturus Christi Domini summam demissionem in extrema cœna, ne Christus ex abiectione voluntaria ad lauandos discipulorum pedes, cuipiam vilescceret; præfatur cum quamuis esset hæres vniuersorum, & planè omnium Dominus; tamen mox abiturum ad Patrem, vt testatam magis relinqueret tam necessariam mortalibus humilitatis doctrinam, voluisse discipulorum pedes lauare.

### *Suffragium SS. Patrum.*

331 Habemus pro veritate in qua versamur, non modò scripturas allegatas, sed etiam Patres qui eas in sensum propositum sunt interpretati, quibus addo nonnullos alios. Inprimis verò S. Bernardum lib. 3. de consid. cap. 1. sic affantem Papam Eugenium, cum dixisset Apostolos, constitutos esse principes super omnem terram. [Eis tu successisti in hæreditatem. Ita tu hæres, & orbis hæreditas. At quatenus hæc portio te contingit, aut contigerit illos, id sobria considerationi pensandum. Non enim per omnem vt reor modum, sed sanè quadamtenus (vt mihi videtur,) dispensatio tibi super illum credita est, non data possessio. Si pergis vsurpare & hanc, contradicit tibi qui dicit; *meus est orbis terræ, & plenitudo eius.* Non tu ille, de quo Propheta; *& erit omnis terra possessio eius.*

Christus

Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & meritò redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum est; *postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ?* Possessionem & dominium cede huic; tu curam illius habe.] Locus est expressissimus & citra expensionem vllam manifestissimus. Idem S. Bernardus serm. 2. de Ascens. ex Christi operibus confirmat Christum fuisse vniuersorum Dominum, talémque ab omnibus creaturis agnitum docet. [Terra enim (inquit) cognouit dominum, quia ad vocem virtutis eius, cum clamasset magna voce, *Lazare veni foras*, mortuum reddidit. Cognouit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius, ita vt Apostoli cum putarent phantasma esse. Cognouit infernus, cuius ipse portas æreas, & vectes ferreos confregit, vbi & ligauit illum insatiabilem homicidam qui vocatur *Diabolus & Satanas*. Profectò qui mortuos suscitauit, leprosos mundauit, cœcos illuminauit claudos firmauit, & omnes exsufflauit infirmitates, Dominus omnium fuit; & eadem manus qua fecerat, quæ defecerant reficiebat. Sic & qui in ore piscis, cum ipso pisce stateram inueniri prædixit, patet procul dubio quia maris, & omnium quæ in mari mouentur, Dominus fuit. Qui verò traduxit æreas potestates, & affixit eas cruci suæ, claret quia super infernales officinas, potestatem accepit.]

S. Anastasius Sinaita, initio libri septimi (imò octaui, nam vitiosa est inscriptio in omnibus quas vidi editionibus,) explicatissimè & pulcherrimè tradit, quomodò Christus sit Dominus. Obseruátque per septemdecim prima Geneseos capita, (iuxta diuisionem capitum quam sequebatur,) quandiù sermo fuit de prima mundi molitione, Deum simplici nomine *Dei*, fuisse designatum. Ex quo autem ventum est ad iteratam narrationem molitionis diuinæ, in typum instaurationis rerum per Christum faciendæ, illicò Mosem non vltra nominasse *Deum* simplici nomine *Dei*, sed vocasse *Dominum Deum*. [Nam quod de humanæ naturæ ab eo susceptione accipiatur hoc nomen, *Dominus*, audi Dauid dicentem; *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & apparuit nobis*. Et rursus, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, nempe post susceptam carnem. Sedere enim est proprium corporum. Vnde & Gabriel è cœlo hanc deduxit appellationem, dicens glorioßimæ Deiparæ; *Aue gratia plena, Dominus tecum*. Et Gabrielis coangeli, dicunt pastoribus qui erant in Bethleem, *Natus est vobis Christus Dominus in ciuitate Dauid*. Cum quibus Elizabet, vt præclara par Angelis: Angeli mater, dixit pari Angelis, & quæ erat vel Angelus vel Archangelus, & etiam supra Angelos Dei matri. *Et vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me!* Paulus autem id quod Christi Domini erat corporeum, nominat Dominum. *Non*, (inquit,) *Dominum gloriæ crucifixissent*. Et in descensu ad inferos, & in assumptione ad cœlos Dominum fortem, & potentem, & Dominum exercituum, Christum Angeli appellarunt.] En Christum, iudice Anastasio, absolutè & simpliciter Dominum, & antonomasticè sic denominatum, ex quo carne vestitus est Deus S. tamen Athanasius orat. contra Sabellij Gregales, pleraſque Scripturas addensat, quibus probet *dominum* in scripturis, de Verbo non de Christo dici. Vt vt sit, apertè à nobis stat Anastasius.

S. Gregorius hom. 8. in Euang. exponens cur Christus peregrè sit natus non domi parentum, sic habet. [Qui non in parentum domo, sed in via nascitur, vt profectò ostenderet, quia per humanitatem suam quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur. Alienum videlicet non secundùm potestatem dico, sed secundùm naturam. Nam de potestate eius scriptum est; *In propria venit*. In natura etenim sua, ante tempora natus est; in nostra, venit ex tempore. Qui ergo æternus permanens temporalis appatuit, alienum est vbi descendit.] Fatetur S. Gregorius, Christum secundùm humanam naturam nudam, natum esse in alieno: potestatem tamen Christi in omnia, ex quo venit, perspicuè agnoscit: rationémque optimam huius veritatis continent eius verba, quam propositum ac euolutum venio.

### *Ad idem, ratio valida ex vnione.*

342 Rationem ergo huius in Christo dominij proprietatis, ex eo inprimis licet eruere, quod Christus in propria venit tanquam filius familias, non vt extraneus. Quo etiam facit, quod Apostolus Christum vocauit *hæredem vniuersorum*. Vox enim *hæredis*, quæ vt plurimum, siue seclusis impedimentis per accidens, vt sterilitate, ingratitudine, scelere, cadit in eum qui est filius, insinuat, Christum titulo filiationis naturalis factum esse Dominum omnium. Nec refert quod vox Græca Κληρόνομος quæ apud Apostolum legitur, significet potiùs *fortitum*, quam eum quem *hæredem* passim vocamus. Hæc enim possessio, & hoc dominium vocari debet *sors*, spectata prima radice ex qua habetur. Quamuis enim supposito quod Christus sit productus, deberetur ei huiusmodi dominium; tamen vt produceretur, & humanitas Verbo vniretur, mera sors fuit per comparationem ad Christum; quia ei obtigit absque meritis. Eaque ratione, iustificatio quoque nostra appellatur *sors*, vt D. Augustinus notauit in psal. 34. Christus ergo sorte factus est filius. Ex quo tamen filius est, verè est dominus vniuersorum, & Patris hæres. Quadrat cum hac ratione perbellè, quod Psaltes de Christo ait psal. 67. *Ascendit super occasum, dominus nomen illi*. Eum enim ascensum super occasum, aliud non esse, quàm Verbi Incarnationem, scitè in hunc modum tradit Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 248. respondens Dracontio Presbytero. [Quæris quonam pacto, cum Deus *oriens* appelletur, ac *lumen inaccessum sit*, super occasum tamen ascenderit. Respondeo; *oriens* vocatur diuinitas expers, quæ sempiternum lumen est. *Ascensus* autem *super occasum*, est humanæ paupertatis, communio ac Societas, quæ occasus est, ac noctis similis

similis, si cum superno splendore comparetur. Incomparabiles enim hæ duæ res erant, priusquàm eas artifex in se ipso copulasset.] Ex eo ergo duarum naturarum nexu, vnde extitit Christus filius Dei naturalis, effectum est, vt *Dominus nomen sic illi.* Vt omnia inquam quæ Patris sunt, dominio proprietatis eius subiaceant. Nam si filius, & hæres per Deum. Et cum respectu Dei qui est pater immortalis, hæreditas non possit adiri à filio post patris mortem, necesse est vt cum primùm filius est in statu, paternæ hæreditatis dominium obtinendis, (in quo statu semper fuit Christus, etiamsi adhuc viator,) hæreditatem illicò adeat, sitque eius Dominus.

### *Exprimitur per repensas Deo homini ob nos pauperato, diuitias.*

343 Hoc ipsum voluerunt non pauci Patres, qui Christum dixerunt iure factum esse Dominum omnium, quia *cum dives esset*, vt Apostolus ad Corinthios dixit, *propter nos egenus factus est.* Ea namque paupertas Christi, si de prima & principaliore agamus, alia non fuit, quàm nostræ carnis assumptio. Sic Nazianzenus orat. 38. Christum, cum dives esset, factum egenum, interpretatur assumpsisse carnem, quæ egestas ipsa est. Vbi Nicetas, carnem dici paupertatem obseruat, quia tam multis eget ad sui conseruationem. Quod Elias ad orationem 10. *ferè in fine* rectè prosequitur. Rursus Theologus orat. 10. n. 88. S. Basilium laudat, quod paupertatem coleret in victu facilè parabili memor Christi, qui carnis paupertatem nostra causa subiit, vt nos ipsius diuinitate locupletemur. Ex eodem S. Cyrillus in calce anathematismorum, allegat egregium hunc locum, decerptum è commentariis in epist. ad Philipp. quæ non extant. [ *Hoc sapiatur quod & in Christo Iesu, qui cum esset in forma serui, non est rapinam arbitratus æqualem se esse Deo, sed seipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Quid paupertius sub Deo figura serui? Quid humilius sub rege omnium, quàm venire in communionem pauperis nostræ naturæ? Qui rex regnantium & Dominus Dominantium, serui formam induitur, subditus fit potestatem gerentibus. Dominus creaturæ, in speluncam diuertit. Qui vniuersum palmo concludit, non inuenit locum in diuersorio, sed in præsepio brutorum reclinatur. Mundus & immaculatus, humanæ naturæ susçipit sordes, & omni paupertate nostra perfunctus, vsque ad mortis finem peruenit. Videtis voluntariæ paupertatis mensuram.]

S. Ambrosius in psal. 40. v. 1. [Beatus ergo qui intelligit super Christi inopiam & paupertatem: qui propter nos pauper factus est, cum dives esset. Dives in regno, pauper in carne, quia susçepit hanc pauperem carnem. Pauperes enim facti sumus nimis, qui virtutum exuuias pretiosas fraude serpentis amisimus, excluſi de paradiso, eiecti de patria in exilium relegati, ipso quoque nudati corporis integumento, quod anteà virtutum septa munibant, posteà delicta nudarunt. Si ergo egenus & pauper in carne, vtique egenus & pauper in carnis istius passione. Non ergo in diuitiis suis, sed in nostra passus est paupertate. Ideóque non plenitudo diuinitatis, quæ in illo corporaliter habitat, vt scriptura testatur, sed caro passa est.] Habet alia in eam rem plurima.

344 Chrysostomus hom. 17. in 2. Cor. tractans illud Pauli, *scitote gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui cum dives esset, egenus propter nos factus est*, potentem adhortationem quæ inde Apostolus Corinthios impellit ad promptè & largè erogandam eleemosinam, sic glossat. [Considerate animo expendite & cogitate, gratiam Dei, & ne obiter præter curratis illam, sed benè coniecteris illius magnitudinem, quanta sit & qualis, & nullis rebus vestris parcetis. Ille gloriam euacuauit, non vt vos diuitiis illius, sed paupertate ditesceretis; Si non credis quod paupertas diuitias facit, cogita Dominum tuum, & non vltra dubitabis. Nisi enim ille factus esset pauper, tu non factus esses dives. Nam hoc mirabile est, quòd paupertas opulentas fecit diuitias. Diuitias autem hoc loco dicit, scientiam pietatis, peccatorum purificationem, Iustitiam, Sanctimoniam, & innumera bona quæ nobis exhibuit, & exhibiturus est; maximè cùm omnia per paupertatem factus sit nobis. Qua paupertate? quia assumpsit carnem, & factus est homo, & passus est ea quæ passus,] quod illustrat S. Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli cap. 1. Et copiosè in psalmum 101. in titulo, post latè descriptas Christi diuitias. [Meruendum est, (inquit,) ne tantis diuitiis nostra paupertas faciat iniuriam. Quære adhuc tamen, ne ipse sit pauper iste, quoniam verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Respice & illam vocem, *ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Attende ancillam istam castam, & virginem, & matrem. Ibi enim accepit paupertatem nostram, vbi serui formam indutus est, semetipsum exinaniens, ne diuitias eius expauescerес, & ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Ibi accepit, inquam, formam serui. Ibi nostram indutus est paupertatem, ibi se pauperauit, ibi nos ditauit.]

Vigilius lib. 4. contra Eutychem, cum retulisset hæc aduersarij verba [confitemur filium hominis infantem, & si quid aliud voluntariæ paupertatis est proprium,] subdit. [Quæ est enim eius paupertas, nisi naturæ infirmitas, quàm id quod ait Apostolus, *qui cum dives esset, pauper factus est.*] & S. Gregorius ad titulum psalmi 5. pœnit. qui est *oratio pauperis*, sic scribit. [Quis est iste pauper, cuius in hoc Psalmo notatur oratio, nisi ille de quo ait Apostolus; *Qui cum esset dives, pauper pro nobis factus est?* &c.] Idem breuiùs habet 18. mor. c. 19. exponens illud, *eos quos oblitus est pes egentis hominis.*

Luculentissimè Fulgentius lib. contra sermonem Fastid. cap. 13. [Factus est habitu seruus, sed Dominus rerum omnium naturaliter esse non destitit. Et factus est secundùm carnem pauper: nihilominus tamen secundùm diuinitatem ditissimus mansit. Hinc est quod Beatus Apostolus, Christianos asserit pauper-

tate

tate ditatos, dicens : *Nostis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia propter nos egenus factus est, cum esset dives, vt illius paupertate vos diuites essetis.* Nos autem diuites sua paupertate nullatenus faceret, si pauper factus, naturalis diuinitatis in se diuitias non haberet. ] Idem obiter habet S. Cyrillus lib. 2. Pentab. c. 3. Sed & inter posteriores Richardus à S. Laurentio, eum locum psalmi 48. *simul in vnum dives & pauper*, de Christo diuite simul & paupere non semel accipit. Nam diuitias, nomen Dei Verbi quod in Christo fuit mundum reconcilians sibi, apertè præfert. Paupertas verò ei qui carnem nostram assumpserit, incomperta esse non poterit. Ita ille lib. 1. de laud. Deipa. ferè initio, & eiusdem libri cap. 5. §. *aliter distingui*, & aliquoties alibi.

### *Affines, vel idemmet tituli dominij prædicti, aliunde illustrati.*

346 Qui ergo Patres, Christum meritò ditatum, & dominio rerum omnium donatum dicunt, qu a pauper factus erat, de hac præsertim paupertate locuti videntur, atque ita reuoluuntur in propositam dominij Christi rationem ex filiatione naturali huius hominis ad Deum, consequente hypostaticam vnionem. Nec abhorret ab eo fundamento seu titulo dominij Christi in res omnes, quod Apocal. 5. legitur, *dignus est agnus, accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem.* Vox Græca quam interpres noster vertit *diuinitatem*, sonat *diuitias* πλοῦτον, quo pacto legunt plerique Græci codices quos abs se visos testatur ibi Ribera : consentiúntque latini quidam, vt Primasius, & Tychonius. Nec abnuit Ribera quin per librarij festinationem, loco vocis *diuitias*, potuerit primò poni *diuinitas*: quæ postea vox, vt sensus cohæreret, & Grammatica indemnis esset, mutata sit in *diuinitatem*. Ea autem lectio egregiè confirmat quod dicebamus de Christo facto Domino, quia pauper factus erat. Iustissimum quippe fuit, tantæ paupertati ob salutem nostram & Dei gloriam susceptæ, rependi immensas diuitias, non modò spirituales, sed etiam temporales, fundatas in supernaturali titulo, & contentas eo dominio proprietatis rerum omnium, quod Christo nunc vendicamus.

347 Fortassis autem licebit eam quoque fortitudinem, cuius mentio est in citato loco Apoc. de huiusmodi diuitiis ac dominio proprietatis exponere. Opes enim quarum dominio quis potitur, sunt robur & sanguis Domini vt in opere de martyrio p. 1. c. 5. tradere memini. Christus autem infirmus pauper factus carnis susceptione, debuit fortitudinem ac opes diuinas susciperе, & dominari omnium planè rerum creatarum. Audiendus in hanc rem Anastasius Sinaïta, sub initium libri 7. ( imo 8. ) in Hexaëmeron postquàm multis probasset, nomen *domini*, ex vsu scripturarum cadere non aliquando in humanitatem, aliquando in diuinitatem, aliquando in vtrumque vt fabulatur Nestorius apud S. Cyrillum lib. 4. pentab. cap. 6. sed tantùm in Deum post humanizationem. [ Si vis (inquit Anastasius ; ) etiam causam propter quam Deus nominatus est *Dominus* post carnis susceptionem, ego id tibi confidenter interpretabor, diuinarum Scripturarum, & Sacrorum eorum interpretum habens suffragium. Celeberrimus ergo & rerum diuinarum mysta Apostolicus Dionysius, dicit in Sapientissima sua Theologia, quod Deus Græcè dicitur θεὸς ex eo quòd omnia θεωρεῖ id est *contemplatur & aspicit* ; Dominus autem, nempe κύριος, ex eo quòd κυριεύει id est *dictione habeat ac dominetur*, κύρος enim dicitur *potentia ac dominatio*, vt ἄκυρον dicitur, *quod est ociosum & non habet robur ac potestatem, sed vacuum & inane redditur.* Rectè ergo aptéque & conuenienter, in suo aduentu ad hominis quando carnem susceptit, & in terra visus est Deus Verbum, tunc etiam appellatus est *Dominus.* Nam antea quidem nominabatur θεὸς. vt qui esset mundi θεωρίτης, id est *contemplator & inspector.* Quando autem, cum per carnem aduenisset, tyrannum inimicum nostrum percussit; quando mortem morte affecit; quando nos à Dæmonum manu auulsit ; quando docuit impios Dei cognitionem; quando gentes à Patre accepit in hæreditatem ; quando possedit fines terræ; quando dominatus est à mari vsque ad mare ; & à fluuiis vsque ad fines orbis terræ, tunc *Dominus* est appellatus, vt qui nostri dominaretur, in quos antea dominatum obtinebat Diabolus. Idque Dauid apertè prophetans, ei dixit ; *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra ?* Et quoniam *ab ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.* Et *excelsus super omnes gentes Dominus Iesus.* Et *Dominus regnauit, decorem indutus est* carnis. Induit Dominus hominem, crucis fortitudinem propter ipsum qui erat infirmus, *& præcinxit se.* ] Habes Christum dominio rerum omnium donatum esse, & vt talem agnitum, ac denominatum fuisse, ratione assumptæ humanitatis, in qua executus est omnia illa opera quæ recensuit Anastasius.

Nisi quis malit, alium in illis operibus titulum dominij Christi agnoscere, fundatum in redemptione quam operatus est per carnem susceptam. Eo ipso enim quod homo est à Christo emptus pretio, factus est Christi mancipium atque possessio, simúlque omnia quæ hominis sunt, in Christi dominium cesserunt. Seruus enim ( per se loquendo, ) quidquid habet, Domino habet, cum ne ipse quidem suus sit, sed Domini. Cùm igitur hominis sint omnia visibilia, fatendum est, ea vna cum homine cui Christus iure redemptionis dominatur, subiacere Christi dominio. Hac tamen ratione dominium Christi non comprehendit res planè omnes. Non enim Angelus, & quæ ad eos attinent, quia Angeli non sunt redempti, nec eo titulo cesserunt in Christi dominium. Quanquam posset non improbabiliter dici, quamuis titulo redemptionis, solus homo & quæ ad hominem spectant venerit in Christi dominium; tamen eo ipso opere quo redemptionem consummauit, passione inquam & morte sua, promeruisse Christum, vt Pater tantæ erga se

beneuolentiæ argumentum, compensaret dominio vniuersali rerum omnium creatarum: ita vt redemptio non quidem formaliter provt redemptio captiuorum, sed provt opus Deo acceptissimum, fuerit Christo occasio, comparandi dominium in res omnes: titulus autem eiusdem dominij, fuerit Patris donatio, tantas filij perpessiones, eiusmodi præmio compensantis.

### *Dominium Christi prædictum, non colliditur cum humanis dominiis, & quale sit.*

347 Ex his igitur, dominium proprietatis Christi Domini in res omnes videri potest sufficienter probatum atque fundatum, prolato eiusdem non vno titulo idoneo atque legitimo. Vt tamen inconcussa stet talis dominij assertio, occurrendum est duobus incommodis quæ aduersùs illud proposita sunt superiùs. Ex hoc enim dominio Christi, timebatur dominiis particularibus humanis, ac etiam paupertati Christi Domini. Verùm malè ab hoc dominio, timetur dominij humanis particularibus. Hoc enim dominium Christi de quo agimus, fuit quasi dominium altum. Vnde sicut diuinum dominium, quia est ordinis superioris, compossibile est cum dominiis inferioribus; ita & Christi dominium. Potest quoque adduci exemplum humanum dominationis Regiæ, quæ probè cohæret cum subalternis dominationibus, plerunque eundem actum respicientibus cum dominatione regia. Imo plerunque ob publicas necessitates, dominium illud regium quod *altum* vocant. æquè disponit de rebus, ac ipsi priuati earum Domini. Quod ergo cernitur in dominio iurisdictionis naturalis, comparato ad inferiorem iurisdictionem, itemque in dominio alto, collato cum dominio particulari; cerni quoque potest in dominio proprietatis supernaturali; comparato ad dominium naturale & humanum.

Hinc euertitur quod opponit Vasq. 3.p. d. 87. cap. 6. nempe hoc dominium neque esse excellentiæ, quod est Deo proprium, quippe fundatum in creatione & conseruatione; neque essa vtilitatis, quale est dominium particulare humanum: quia hoc genere dominij, nihil potest duobus subiacere in solidum, cum non possit æquè referri in vtriusque vtilitatem; ac proinde concludit Vasques, hoc dominium esse commentitium. Sed hæc argumentatio euertitur ex dictis. Nam facilè dicere possumus, dominium Christi reduci ad diuinum dominium excellentiæ, cum sequatur ex filiatione naturali, & communicatione diuinitatis, Christo facta. Quamuis enim hoc dominium Christi, sit inferius diuino, & verè creatum, ac partum in tempore, tamen respondet diuino, estque quouis dominio humano superius: quia seruat proportionem cum titulo ex quo enascitur, qui sanè sublimior & eminentior est quocunque titulo humani dominij. Gratis autem Aduersarius, omnem titulum dominij à dominio vtilitatis distincti, censet esse creationem & conseruationem. Alios enim præterea idoneos titulos protulimus, quibus istud Christi dominium sublimius quouis humano dominio, niti possit. Facilè item admittere possumus, hoc Christi dominium esse dominium vtilitatis ad sensum Aduersarij, qui vocibus hac in parte gratis abutitur: cum dominium vtilitatis, siue dominium vtile, longè aliud sit à perfecto & pleno dominio proprietatis de quo agimus, vt constat ex 2. 2. Nihil ergo obstat, quominùs hoc dominium Christi, vocemus dominium vtilitatis, quia ratione eius Christus, potest provt libuerit fructus rei percipere, déque ea disponere tradendo illam alteri, eamve destruendo: quamuis quamdiù de illis fructibus non disponit, témve non destruit, perstet sub dominio eius qui titulo humano sortitus est eius dominium. Quæ est ratio qua Aduersarius cohæsionem diuini dominij supremi cum dominiis particularibus humanis sufficienter à se monstratam putat: æquè autem (vt vides,) hîc locum habet, ad cohæsionem huius dominij Christi, & dominij priuatorum hominum demonstrandam. Itaque primum illud caput difficultatum, contra supernaturale dominium proprietatis Christo à nobis tributum, euanescit.

### *An cohæreat cum Christi paupertate. De eâ, plusculà.*

348 Altera difficultatum acies qua hoc dominium Christi impeditur, continetur testatissima in Euangeliis & Patribus paupertate Christi, quam fuisse altissimam paupertatem statuit Med. C. de eleemos. q. 8. *ad 4. quæsitum*. Et voto firmatam fuisse, censet Suares t. 2. 3. p. d. 28. s. 1. & l. 3. de voto cap. 1. n. 4. Quod tametsi non sit certum quoad voti accessionem, tamen quoad paupertatis exercitium, est extra dubium. Constat enim ex Euangeliis, Christum egentem vixisse, & vili ac plebeio victu & vestitu contentum, carnis curam non fecisse diuitum more qui induuntur purpura & bysso, & epulantur quotidiè splendidè. De vestitu dictum est cum de Christi humilitate, ibique ostensum, vestem Christi inconsutilem summè sanctam, vt latè prosequitur Card. Vigerius toto tract. de instrumentis Dominicæ Passionis, fuisse vestem paupertinæ plebis Galileæ: & minor Bulengerium qui l. de vestibus Pontif. c. 1. primùm agnoscit eam vestem fuisse vulgarem & simplicem, postea addere fuisse pretiosam, argumento ducto ex eo quod eam scrare milites noluerint, vt vni integra cederet. Verùm id factum ab eis est, quia ea tunica erat inconsutilis, cuius discessæ fragmenta fuissent inutilia, non autem ob pretiositatem, quæ potiùs ad diuidendum pellexisset.

Similiter in calceorum genere, illud elegit Christus, quod erat omnium abiectissimum. Imo quod egestatem ampliorem præfert, non pauci nudipedem. Item fuisse Christum contendunt, vt Pet. Dam. opus. 12. c. 15. *in fine*, sic scribens. [Nunquid & ipse Dominus prouidere sibi calceamenta non potuit, cuius Gentilis perfidia, sola inter se vestimenta diuisit? Nam si ei minimè calceamenta deessent, de

de illis etiam Sacræ historiæ series non taceret.] Idem tradunt S. Bonauent. t. 1. Opusc. epistola de hoc argumento, Catharinus l. 2. contra Caietanum in animaduers. ad cap. 1. Marci, Abulensis in c. 3. Matth. q. 68. quibus ex parte assentitur Maldonius, latè de hac re disserens ad c. 19. Palæoti de Sacra Sindone, *ferè initio*. Et quanquam verisimilius sentiunt, qui Christum communem vitam iustissimis de causis professum, (vt Suares disp. illa 28. s. 3. latè prosequitur, non nudipedem quod à communi vita abhorret, sed calceatum fuisse pronunciant, vt cum S. Augustino serm. 42. de Sanctis, aliisque permultis Patribus quos proferunt censent Suarij ibid. *sub finem*, Toletus in c. 1. Ioan. annot. 65. Iansen. c. 35. Concor. Ribera fusè Ioan. 1. ad illud, *vt soluam eius corrigiam*, Iustinian. disp. 1. in Paulum c. 4. n. 18. Bonac. de Incar. disp 3. q. 2. p. 6. n. 2. & Balduinus lib. de calceo c. 26. Tamen in calceorum genere, elegit Christus quod erat vilissimum; nempe soleos siue sandalia, quæ magnam pedis partem intectam relinquerent, vt nudæ necessitati vtcumque satisfaceret, & paupertatem simul exerceret, cuius vbique occasiones captabat.

349 Denique Christus, in vniuersa vitæ & corporis curandi ratione, paupertatem adamauit; at ne tardus ad eius amorem prodendum videretur, ab ipsis cunabulis tantum paupertatis affectum exhibuit, vt meritò S. Anselmus in speculo Euang. sermonis cap. 4. alloquens Christum, dicat. [Et tu Domine vniuersorum, qui nullam habens indigentiam, inter ipsa natiuitatis initia, non horruisti abiectissimæ paupertatis degustare incommoda. Vt enim ait Scriptura, *tibi* cum nascereris, *non erat locus in diuersorio*, neque cunabula, quæ teneritudinem tuam exciperent habuisti; sed tu in vili præsepio sordentis stabuli; tu, qui terram palmo concludis, inuolutus panniculis, redimatus es, & hoc ipsum à brutis animalibus mater tua mutuo accepit.] Et conuersus ex tantæ paupertatis consideratione ad mortales; insaniis falsis, (imo vt S. Maximus pace Psaltis, eius verba corrigit) insaniis veris miserè delusos, & lutum contra se densum aggerentes, exclamat. [Consolamini, consolamini, qui in sordibus paupertatis enutrimini: quia vobiscum est Deus in paupertate. Non cubat in deliciis splendidi cubilis; nec enim inuenitur in terra suauiter viuentium. Quid vltra gloriaris ô dives, in re lutea, in volutabro lecti picti & delicati, cum Rex Regum, suo recubitu stramenta pauperum honestare maluerit.]

Petrus Cluniac. l. 1. Epist. 20. paupertatem religiosam Giselberto commendans, [Pauper ille fuit (inquit) non habens vbi caput reclinaret, nec is per quem mundus factus est, mundum ingrediens, propriam domum in qua nascereretur inuenit, sed reclinauit eum mater in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Pauper ille fuit qui de censu Regibus reddendo consultus, cum nihil apud hominem vnde illum posset reddere inuenisset, ad inexhaustos Deitatis thesauros se contulit, & quod de domestica arca non potuit de ore piscis, hamo Petri Apostoli persoluit. Pauper fuit, qui cum panis esset Angelorum, pane sæpè reficiebatur Publicanorum. Pauper ille fuit, quem nunquam seges propria pauit, nunquam vitis ab eo culta potauit, nunquam gregis sui vellus protexit, nunquam pecunia quæ vel ex innumeris miraculis congregari potuisset, ditauit, qui nec cœnaculum vbi vltimum Pascha iam passurus, cum discipulis manducaret habuit, sed à Patre familias mutuauit, dicens, *vbi est diuersorium vbi Pascha cum discipulis meis manducem?*] Insigniter planè de Christo (vt ait) *paupertato*, disputat S. Hilarius in psal. 39. ad illud, *cogneui quia faciet Dominus iudicium inopis*. Locus est ex pleniore S. Hilarij editione petendus. Breuiter in calce psalmi 69. ad illud *ego verò egenus & pauper sum*, vbi negans hæc Dauidi, (quippe Regi,) quadrare, ait esse Christi vocem: qui vt nos ditescceremus, pauperem se præstitit, cui ne ad supremam quidem cœnam, nisi quæsita, & aliena domus fuerit. Illud item psalmi 40. *beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, Theodoretus ibi pulcherrimè de Christo exponit, itémque S. Ambrosius.

350 Hæc de Christi paupertate quasi personali. Nam illa quidem paupertas qua se in omnibus pauperibus fecit, admirabilissima est, & à Saluiano l. 4. ad Eccles. *à medio*, optimè suscipitur. Non est tamen huius loci. Elegantissimè tamen ex ea infert S. Ambrosius lib. de Tobia c. 4. non esse quod diuites metuant fœnerare pauperibus. Attexo loci mellitissimi partem, quia orsus à paupertate capitis, desinit in personalem de qua agimus. [Nolite (inquit,) iam inuidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quod hominem subtrahiam vobis debitorem? Dominum prouideo, Christum subrogo, illum demonstro qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur, ille scribit quicquid egenus acceperit. Euangelium eius cautio est. Ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dat fidem. Quid dubitatis dare? Si quis vobis Diues huius sæculi offeratur, qui fidè promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est vobis Dominus cœli, & conditor mundi huius: & adhuc deliberatis, quem ditiorem quæratis fideiussorem? Sed allegatis. Quare pauper factus est, cum diues esset? Vidistis ergo quia fides eius diues est, fides eius idonea est. Pauper factus est, cum pro nobis soluerit, & adhuc paupertas ipsa non decipit. Nos enim diuites fecit, quos pauperes putabatis. Dicit enim Apostolus; *pauper factus est, cum diues esset, vt illius inopia vos ditaremini*. Bona inopia, quæ largitur diuitias. Nolite ergo paupertatem timere, vt sitis diuites.] En ergo Christum & in pauperibus pauperem, & personaliter quoque egenum.

* * *

*Num Christus non pauper modò, sed etiam mendicus fuerit.*

351 Quid quod non pauperem modò, sed & mendicum fuisse Christum, & mendicato comparasse tenuem illam sustentationem qua victitabat, graues autores prodiderunt? Imo Valdensis lib. 4. doctr. cap. 3. & 4. & Catharinus admodùm fusè lib. 2. contra Caiet. in notis ad cap. 5. Matthæi, contendunt Ecclesiam definiuisse de fide, mendicitatem Christi contra Gulielmum de S. Amore: diserteque asserit Catharinus, Christum non modò fuisse statu mendicum, quod multi Patres tradunt, versantes illud psalmi 39. *ego autem mendicus sum & pauper*, apertéque Nazianz. orat. 41. *sub finem*, sed etiam de facto mendicasse. Refragantur tamen Castro v. *mendicitas*, Ioan. Med. C. de eleemos. quæst. 8. *ad 5. quæsitum*, Caietanus Matth. 5. & latè Palacius Ioan. 4. enarrat. 1. *sub finem*. Non esse sanè ex fide certam Christi siue mendicitatem siue mendicationem, extra controuersiam statuo. Nihil enim reuera profertur, quod eam definitionem suadeat. Item non mendicasse Christum ante prædicationis tempus, quicquid comminiscantur Nouatores, reiecti à Suare t. 2. 3. p. d. 17. s. 3. exploratum dico. Nisi fortè per triduum illud quo duodenis à parentibus abfuit, vt meditatur Aëlredus sermone de Dominica infra octauam Epiphaniæ, (qui perperam S. Bernardo tribuitur,) sic enim habet. [Per illud triduum autem, inuenerunt eum in templo. Per illud itaque, vbi eras bone Iesu, quis cibum aut potum ministrauit? quis detraxit calceamenta? quis membra puerilia vnguentis fouit, & balneis? Scio certè quia sicut tua voluntate, nostram sumpsisti infirmitatem; ita cum velles, propriam ostendisti virtutem: & ita cum velles iis obsequiis non eguisti. Vbi ergo eras bone Iesu? De his omnibus æstimare, vel coniicere, velopinari libet aliquid: affirmare temerè, nihil licet. Quid dicam Deus meus an vt per omnia nostræ conformareris paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi vnus è turba pauperum, stipem per ostia mendicabas? Quis dabit me bucellarum illarum sic mendicatarum participem fieri, vel saltem diuini illius edulij reliquiis saginari.]

Extra illud quoque triduum, initio iam Euangelij cursu, mendicasse aliquando Christum, piè asseritur, & consentaneè ad paupertatis exercitationem tanto exemplo commendandam. Fauétque quod psalmo 108. Iudas interprete S. Petro Actorum 1. dicitur *persecutus hominem inopem & mendicum*; nempe Christum. Itemque quod 2. Corinth. 8. Christus *cum dives esset* dicitur *factus egenus*. Verbum Græcum ἐπτώχευσε propriissimè sic vertitur, *mendicus factus est*. Dixit quidem Armacanus Christum non potuisse esse mendicum, quia erat inexhæredabilis dominij proprietatis quod Adam innocens habuit. Alius autem quidam Anglus apud Gersonem p. 3. serm. de Natiu. Virg. consider. 1. blasphemiæ damnauit Christi mendicitatem, eo quod Christus haberet multis titulis ius petendi, quod Doctor ille censebat cum mendicitate pugnare. Sed omnes huiusmodi rationes sunt apertè inanes. Quare admitto piè credi, Christum mendicasse.

*Vrgetur ex dictis difficultas mota, circa dominij & paupertatis in Christo cohæsionem.*

352 Exclamarim hic iure cum S. Ambrosio præfatione in psalm. 35. difficultatem quam in consensione plenissimi dominij & paupertatis cerni diximus, præsentiens. [Veni Paule, interpretare qua ratione Dominus cæli atque terrarum se pauperem dixerit, quæ sit ista paupertas. Tu certè illum diuitem dixisti. Quomodò idem dives & pauper est, audiamus testimonium Pauli; *scitis* (inquit) *gratiam Domini nostri Iesu Christi, quia propter vos pauper factus est, cum dives esset, vt vos eius inopia ditaremini.*] Nec minùs concinnè Augustinus ad titulum psalmi 101. [sic ipse est (ait de Christo) quomodò pauper. Nam quomodò dives, quis non videt? Vnde enim homines sunt diuites? Puto auro, argento, familia, terra; sed omnia per ipsum facta sunt. Quid ergo ille ditius? Per quem factæ sunt diuitiæ, illæ etiam quæ non sunt veræ diuitiæ? Per illum enim & illæ veræ diuitiæ, ingenium, memoria, mores, vita ipsius corporis, sanitas, census, conformatióque membrorum. Etenim cum hæc salua sunt, & pauperes diuites sunt per illum, & illæ maiores diuitiæ, fides, pietas, iustitia, charitas, castitas, mores boni. Nemo enim & has habet, nisi per eum qui iustificat impium. Ecce quàm dives. Quis enim magis dives, qui habet quod vult alio faciente, an qui facit quod vult, & alio habente? Puto quod ditior ille qui fecit quod habes: quia quod ille habet, tu non habes. Ecce quàm dives in hoc tam diuite, vnde agniturus sumus hæc verba? *Cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Vnde illæ, huccine illæ tantæ diuitiæ peruenerunt? Multum illud excelsum, multum hoc abiectum. Quid faciemus? Quemadmodum illa ima, illis summis contemperabimus? Nimis ad inuicem longè sunt.] Tandem S. Bernardus serm. 3. de resurrect. *initio*. [Septempliciter occupauit nos lepra superbiæ, in proprietate possessionum in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, similiter & in corde. Prima est lepra domus, qua diuites esse volumus in hoc sæculo; sed ab ista mundamur, si immergimur in Iordane, id est in Christi descensu, qno propter nos pauper factus est. Qui benè mergitur hîc, quando quæret diuitias huiusmodi. Et verè magna abusio & magna nimis, & dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus maiestatis, & Dominus Sabaoth, voluit pauper fieri.]

Sanè dissidente paupertatem Christi, & & dominium quale proposuimus affirmat Valentia 3. p. d. 1. q. 22. p. 6. versic. *probatur igitur*. Itaque indirectum duntaxat dominium in res omnes Christo concedit, quatenus ad finem

finem ſupremæ ſpiritualis poteſtatis qua pollebat', neceſſarium eſſe potuit. At dominium directum, quale conceſſimus, negat poſſe cum paupertate Chriſti in Scripturis teſtatiſſima, fœderari, cum notio *pauperis* excludat dominium. Confirmari poteſt ea opinio, quia Ioan. 22. Extrau. *cum inter nonnullos*, & Extrau. *quia quorundam*, definit Chriſtum habuiſſe interdum dominium aliquarum rerum. Non igitur omnium, cum ibi doceat Chriſtum fuiſſe exemplar paupertatis. Nimirum venerat Chriſtus adiuuare pauperem de inopia, vt piiſſimè illud pſalmi 106. accepit Nyſſ. tract. 1. in pſal. c. 8.

*Reſolutio, & cohæſionis declaratio.*

353 Statuendum nihilominus eſt, paupertatem non excludere quodcunque dominium: atque adeò Chriſtum etiamſi pauperem, meritò dici, habuiſſe dominium rerum omnium: Quia paupertas rectè cohæret cum dominio, quando poteſtas vtendi eſt ligata. Qua ratione olim tempore Valentiniani Imperatoris, religioſi omnes retento dominio bonorum, vouebant paupertatem, vt rectè confirmat Vaſques t. 2. d. 165. c. 6. & Baſilius Poncius quodlib. 3. Scholaſt. c. 9. Hodiéque in Societate noſtra, Scholaſtici approbati, per vota ſimplicia quæ emittunt, conſtituuntur ſubſtantialiter religioſi, vt Gregor. XIII. definiuit: & tamen retinent ad tempus bonorum ſuorum dominium, ſed ligatum; ita vt non poſſint de bonis illis diſponere, niſi adnutum Præſidum, quod cohærere cum religioſa paupertate, probatum fusè eſt 2. 2. & latè confirmant Ribad. l. de inſtit. Societ. cap. 18. Nauar. comment. 1. de regular. membro 19. Rodericus in qq. regular. t. 1. q. 1. art. 4. Vaſq. t. 1. d. 165. c. 6. & Suares tract. 10. de relig. l. 4. c. 4. Quidni igitur potuerit quoque Chriſtus Dominus, & dominium verum omnium obtinere, & tamen pauper eſſe, quià dominium quo potiebatur, habebat legatum, ſiue interpoſito voto, vt fert pia ſententia ſuperiùs propoſita, ſiue per propoſitum abſtinendi vſu talis dominij. Quod propoſitum in Chriſto Domino, ſatis ſuperque eſſe poterat ad firmitatem abſtinentiæ prædictæ qualem nos per vota quærimus. Neque enim par fuit, Chriſtum recedente à voluntate perfectioris vitæ ſemel concepta, etiamſi id poſſet abſque peccato. Itaque abſtinentia ab vſu dominij, tali quæpiam vinculo aut voti, aut propoſiti, firmata; ſatis fuit ad paupertatem: præſertim quia Deus non tam attendit dominium & poteſtatem in actu primo, quàm exercitium eius aut vſum, qui æquè impeditur per prædictam paupertatis profeſſionem, ac ſi dominium abiiceretur. Simile eſt, cum coniugati retenta mutua poteſtate in corpora, vouent continentiam. Retinent enim poteſtatem vtendi coniugio, ita vt ſi poſt votum commiſcerentur, non eſſent adulteri, nec delinquerent contra iuſtitiam: & tamen quia poteſtas illa eſt ligata per votum, nec poſſunt abſque ſcelere reuocare illam ad vſum, ſalua eſt continentia, & abſtinentia eorum; nec minùs perfecta, quàm ſit eorum qui poſt pudicitiæ naufragium, intra vel extra matrimonium, vouent continentiam abſque ſuperſtite coniugij vinculo. Similiter ergo Chriſtus, pauper eſſe potuit ob ligatum ſponte dominij vſum; & ſimul dominio illo potiri; dominio inquam non otio ex titulo temporali, (qualem circa perpauca & interdum dumtaxat habuit, vt rectè ſanxit Ioan: 22.) ſed ſupernaturali in vnione hypoſtatica fundato, atque perpetuo: quod non temerat paupertatem Chriſti. Eiuſque imitatione Religioſi quibus id indulſit Eccleſia, poſſunt dominium ligatum cum paupertate fœderare, nec erit illorum paupertas coram Deo minùs meritoria, & in genere virtutis, (quidquid ſit per ordinem ad ciuiles quoſdam effectus,) minùs perfecta quàm eorum qui dominium non retinent. Quamuis autem admitteremus, paupertatem non vſus tantùm, ſed & dominij excluſiuam, eſſe in nobis perfectiorem paupertate cohærente cum dominio; tamen in Chriſto non ita eſſet, vt recte vidit Mol. tr. 2. de Iuſt. diſp. 28. *ferè in fine*: quia in Chriſto, nihil timendum fuit à voluntatis mutabilitate, quæ in nobis ſuperſtite poteſtate ac dominio, ſuſpicionem inſtabilitatis poteſt facere.

354 Eſt igitur Chriſtus, ditiſſimus ſimul ob dominium rerum omnium, atque pauperrimus, ob eiuſdem dominij voluntariam impeditionem. [ Quis enim verè diues (vt cum S. Ambroſio dicam, in apologia Dauid c. 5.) niſi Dominus noſter Ieſus, qui de ſe ait, vt hodie lectum eſt, *quod homo quidam cum diues eſſet, abiit in regionem longinquam, accipere regnum & reuerti.* Et verè diues erat? Maieſtatis ſuæ opibus, & diuinitatis propriæ plenitudine, cui Angeli, & Archangeli, virtutes, & poteſtates, & principatus throni, & dominationes, Cherubin, & Seraphin, indefeſſo obſequio ſeruiebant. Sed tamen cum diues eſſet, reliquit nonaginta & nouem in montibus oues, & vnam ouem quæ lapſa remanſerat, requiſiuit.] Id eſt, factus ſimul eſt pauperrimus, vt eius opibus ditaremur. Idem de benedict. Patriarch. c. 9. tractans illud, *Aſer pinguis panis eius*, ſic habet. [ *Aſer* interpretatione ſignificat *diuitias*. Quis igitur diues, niſi vbi altitudo diuitiarum eſt, ſapientior, & ſcientia? Quis diues, niſi Dominus Ieſus, qui abundat ſemper, & nunquam deficit? Pauper venit in hunc mundum & omnibus abundauit, Vniuerſos repleuit. Quantus eſt in diuitiis, qui paupertate ſua omnes diuites fecit. Sed pauper propter nos, diues cum Patre. Pauper ille, vt nos ab inopia vindicaret, ſicut Apoſtolus docet, dicens: *quia propter vos pauper factus eſt, cum diues eſſet, vt illius inopia vos ditaremini.* Cuius inopia ditat, ſanat imbria, fames ſatiat, mors viuificat, ſepultura reſuſcitat.]

355 Nec iniuria (tametſi alio ſenſu) dixetit quis de Chriſto, quod Diogenes referente Clemente Alexandrino lib. 7. ſtrom. c. 3. aiebat de diuitibus huius ſæculi, quos ſacræ literæ, vt aduertit S. Ambroſius l. de Nabuthe c. 14. & 15. verè pauperes eſſe docent, & ad ſummum *viros diuitiarum*, qui ſcilicet habeantur à diuitiis, non diuitias habeant ipſi.

Quo item modo pronunciauit de eis Seneca lib. de vita beata c. 22. Huiusmodi igitur diuites, Diogenes supra scutram plerumque sapiens, vocabat μεγαλοπτώχους, id est *diuites egenos*. Nomen quod istis probrosum est, quia quoad eos è fœda ad res fluxas astrictione ducitur, Christo est perhonorificum, quo diues simul & egentissimus esse voluit. Illud, quia etiam in humanitate, Dei filius erat; hoc quia dominium quo potiebatur, lubens ac volens legauit. Itaque ad eum pietatis sensum iure hinc excitarim Lectorem, qui Theodosium Ancyronum mouit orat. de Natiu. Saluat. in Conc. Ephesino, & Rupertus l. 7. in Genes. c. 30. qui considerat, hanc Christi paupertatem peperisse ingentes diuitias quibus Ecclesia Dei ditata est per Christianos Principes, & alios passim fideles; quibus iucundissimum fuit, opes suas Christo rependere in sponsa sua. Notum ex Thoma Stapletonij Romæ Christianæ magnitudine, notum ex Thoma Bosij l. 22. de signis cap. 4. num. 50. quantoperè excreuerint diuitiæ Ecclesiasticorum. Nec pauca in eam rem præfero, in opere cui titulus, Mala bonorum Ecclesiasticorum. Hæc omnia, è fodinis paupertatis Christi sunt eruta.

### *Præcellentiæ prædicti dominij Christi ac primùm eius extensio.*

356 Attingenda superest huius Christi dominij excellentia; quæ tanta est, vt in Scripturis, *solus Dominus* nominetur. Vt apud Iudam, *solum dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes*. Et Apocal. 17. ac 19. dicitur *Dominus Dominorum*. Eodemque Glossa 2. Petri 2. ad illud *dominatorem contemnunt*, refert; quod Christus in abstracto nominetur *dominatio*. Censet enim eo loquendi modo, significari dominij Christi præcellentiam supra alia quæuis dominia: quam petere licet, vel penes obiectiuam extensionem dominij, vel penes cætera dominij adiuncta; putà durationem, & stabilitatem; in quibus omnibus facilè esset proportione monstrare præcellentiam dominij Christi supra humana quæuis dominia: sicut monstrata suo loco est præcellentia diuini dominij, supra creata quæcunque dominia. Vide quæ in eam rem fusè dixi in Naturali Theolog. dist. 7. q. 3. art. 4.

Extensio quidem obiectiua, tanta est, vt nihil Deo & Christo inferius, ei subducatur. *Nihil* enim *dimisit Deus non subiectum ei*, ait Apostolus & Euangelista. *Omnia dedit ei Pater in manus*. Rursúsque Paulus *quem constituit hæredem vniuersorum*. Hinc ortum videtur, vt absolutè, Christus dicatur *Dominus*. Sicut enim quia regimen Christi est extensum ad omnia, idcirco Christus dicitur *Rex* absque addito, vt dicemus infra cum Chrysostomo in psal. 44. Ita quia dominium Christi protenditur in omnia planè creata. Deo & Christo inferiora nullo excepto, Christus absolutè dicitur *Dominus*: contra quàm vulgares domini, qui tantum cum determinatione certorum obiectorum dicuntur Domini, manifesto restrictionis dominij argumento. Fortassis autem huc referre liceat, quod Orig. hom. 1. in Ezech. affirmat; Ezechielem etiam ipso nomine, Christi figuram gessisse. [Interpretatur quippè (inquit,) Ezechiel, imperium Dei. Imperium autem Dei nullum est, nisi Christus Iesus.] Quorsum vocaret Origenes, Christum imperium Dei, nisi quia censuit adeò latè patere Christi regnum, ac diuinum imperium, quod ad omnia; Christo inferiora diffundi liquet.

### *Eiusdem tituli nobilissimi.*

357 Iam titulus dominij, in Christo est sublimissimus & eminentissimus. Nam & est vnio hypostatica, quæ est in vertice supernaturalitatis, & donatio Dei, & redemptio hominum. Videri potest Spiritus sanctus eos omnes titulos complexus, in eo nomine quod inde voluit hirco illi qui occidebatur dimisso compare. Nomen quippe vituli qui pro peccatis populi mactabatur erat, *Dominus*: vt benè notat S. Cyrillus l. 9. in Iulia. ad. t. 2. duos illos hircos, ad duas Christi naturas, & Incarnationis mysterium adaptans. Idcirco ergo hircus qui occidebatur, dictus est *Dominus*, quia Christus vi aduentus sui ad necem pro nobis subeundam, & vi prærogatiuarum quas consequenter ad eum aduentum habuit; factus est Dominus omnium & hæres vniuersorum. Pertinent ad eas prærogatiuas prædicti tituli, qui omnes iustissimi sunt & nobilissimi, eorúmque ratione cessat in hoc dominio, quod de vulgaribus dominiis fert antiquum effatum, [omnis diues, aut est iniquus, vt iniqui hæres.] Quia scilicet ordinatius modus comparandi dominium proprietatis inter homines, continet iniustitiam: saltem ex parte eorum per quos primùm radicatus & confertus est alicubi dominij titulus. Et idcirco etiam Christus ipse vocauit diuitias, *mammona iniquitatis*, indicans viam ordinariam qua comparantur. At omnes tituli prædicti, sunt innocentissimi, & à cuiusquam iniuria libertimi. Et sicut Christus non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, ita neque omnium dominari, & omnia sibi pleno iure habere subiecta.

358 Quia verò saltem vnus ex titulis propositis est Christo coæuus, nempe filiatio naturalis consequens vnionem hypostaticam collatam Christo à primo puncto sui esse; idcirco dominium Christi non est sicut cætera humana; quæ vel tardè adueniunt, putà post patris obitum, ob finitatem dominiorum naturalium & humanorum, quæ non se compatiuntur; aut post labores quibus sint comparata; vel certè si ab initio aliquem benè fortunatum sint assectata; tamen defectu libertatis & rationis, quæ sunt dominij exerciti fundamenta, perinde se habuerunt, ac si prorsus defuissent. At Christi dominium, fuit perfectum à primo concepti Christi momento. Quamuis enim vocetur ab Apostolo *hæreditas vniuersorum*, tamen est hæreditas patris cui nullus succedit, quia est immortalis & æternus. Vnde eius filius, ex quo capax est potiúdæ hæreditatis; (Christus autem

autem semper fuit capax, ) debet hæreditatem adire. Atque ita hoc dominium non advenit Christo procedente tempore, sed ab ortu suo in vtero: id est à conceptu. Nam iam ex tunc inerat Christo vnio hypostatica, quæ est titulus primarius huius dominij. Addit Toletus in cap. 1. Lucæ annot. 89. titulum quoque redemptionis, iam tunc fundasse hoc Christi dominium; eo quod Christus iam ab eo momento obtulerit se Patri in redemptionem pro multis, idque Pater ex tunc acceptarit. Verùm cum hoc dominium non consequatur ex voluntate redimendi acceptata, sed ex redemptione consummata; quæ dilata est vsque ad Christi mortem; præstat exortum huius tituli, cousque differre. Quod si dicamus hoc dominium datum esse Christo ab initio, vt compensaretur paupertas pro nobis ab eo suscepta. Hæc quidem si agatur de primaria paupertate, eadem est cum susceptione humanitatis, atque ita hic titulus dominij Christi idem est cum titulo vnionis hypostaticæ. Si autem ageretur de paupertate communiter dicta, is posset esse titulus distinctus. Sed non video in quo possit fundari, nisi si coniungatur cum vnione, aut potius cum redemptione cuius est veluti adiunctum. Et sic habebit multo magis locum in Christo, quàm in Mose, quod Philo l. 1. de vita Mosis de eo dixit. [Quoniam auaritiæ renunciauerat, & diuitiis honoratis apud homines perfectas maximásque diuitias, pro his ei Deus reddit; hoc est vt tantundem posset, quantum terra, & mare, ac flumina, elementáque cætera, & quæ ex his sunt condita, (fecit eum suæ potentiæ participem, totum mundum ei subdens tanquam hæreditarium:) quamobrem singula elementa obediebant vt Domino, ad iussum eius suas vires mutantia. Nec mirum, quandoquidem iuxta prouerbiũ, amicorum omnia sunt communia: amicus autem Dei Propheta dicitur. Vnde consequitur, vt diuinæ possessionis vsum habeat. Nam Deus nullius eget, cum possideat omnia. Bonus autem vir nihil propriè possidet, nec seipsum quidem: verùm de thesauris Dei, quantum potest accipit, & meritò, cum mundi ciuis sit: ideò nullam priuatim in orbe habet patriam; quippe qui hæreditatem habet, non vnam quampiam regionem, sed mundum vniuersum.]

### *Stabilitas inconcussa.*

359 Stabilitas denique dominij Christi, est planè singularis. Nullus enim finis erit huius dominij. Imo de nulla caducitate periclitatur, vnde dominiis quibusuis humanis semper est timendũ. Inprimis quia in imagine pertranſit homo, id est sicut vmbra, quæ est corporis imago, & hoc secundùm hoc, vt dixit Ecclesiasticus cap. 34. vnde fit vt homo thezaurizans ignoret sæpè cui congreget, res partas, id est vt Augustinus perpendit, quæ homo summo cum dolore & connixu qualis est parientium adipiscitur. Deinde quia plerumque superstite ipso homine, dilabuntur fluxa hæc bona propter mutabilitatem tituli, vnde dominia nostra exoriuntur, & casuum quibus obnoxia sunt varietatem immensam. Basilius hom. quod non sit adhærendum rebus sæcularibus, insigniter id versat, his præter cætera. [Nam si quidam infinitam vim auri in hac vita aliqui coaceruant; idcirco perpetuo illis aurum hoc proprium manet. Sed vel à viuentibus adhuc, licet vndique obligatum ad potentiores transfluens aufugit; aut in mortis iam articulo constitutos deserit, nec vult vna cum possessoribus suis emigrare. Sed isti quidem ab eo qui animas violenter à misera hac carne separat, ad necessariam compulsi emigrationem ad pecunias crebrò respectant, & quos à prima ætate sudores illorum gratia tulerunt deplorant. Diuitiæ verò illorum manibus inhiant istis colligendi tantùm labore & auaritiæ crimine inflicto. Neque si terræ quispiam innumera possideat iugera domos magnificas, omnis generis animantium greges, & omnem acquirat inter homines potentatum, perpetuò istis fruetur: sed modico quidem tempore ab ipsis nominatus, aliis iterum opulentiã suam cedit, ipse exigua tellure conditus. Sæpènumerò autem & antequàm sepeliatur, & antequàm bonis cedat, videbit illas in manus veniſse aliorum; idque forsan inimicorum quoque. Aut ignoramus quàm multi agri, quàm multæ ædes, gentes & vrbes, adhuc illis viuentibus à quibus olim possidebantur, aliorum dominorum nomina induerunt.] Vetus obseruatio est, quam perpulchrè prosequitur Asterius homil. de Oeconom. iniquitatis, adeo instabilia esse nostratia dominia, vt si cuiuscunque agri glebæ singulæ, cum singulis dominiis agri conferantur, multo plures competiendum sit præcessisse dominos quàm sint glebæ in eo agro quantumuis patente & expasso. Sapienter id indicarunt, qui nummum (quod est metrum dominiorum & rerum sub dominia proprietatis cadentium,) voluere efformari rotundum. Nempe vt philosophatur Hebræus Commentarius sententiarum Bensyræ circa 10. vt intelligeremus rotam fortunæ versare dominia nostratia, & rem quæ nunc penes vnum est, mox ad alium tranſituram. Id quod etiam à D. Augustino notatum memini. Fusè de hac vertigine & instabilitate nostratium dominiorum proprietatis, disſero in Morali dist. 1. q. 3. art. 4. à n. 129. Nihil horum circa Christi dominium locum habet, vt patet ex dictis de firmissimo & fundatissimo eius titulo.

### *Vsus doctrinæ.*

360 Commodum in hac clausula est S. Chrysostomi monitum, oratione de Calendis. [Intuere in cœlum, terram, mare, aërem, in genera animantium, ac varietatem Stirpium in naturam hominum vniuersam; considera Angelos Archangelos superiores potestates, reputa hæc in Domini tui ditione esse. Haud fieri potest vt Domini tam locupletis præsertim si propitium habeat dominium pauper quispiam seruus sit. Curandum tamen omni ope esse ei qui se Christi seruum dicere voluerit vt dignè eo nomine viuat, nec in eo sit cur confundatur eum habere seruum præ-

clarè

clarè docet idem Chrysostomus hom. 25. in ad Hebr. immediatè ante partem mortalem.

Quod vero in hanc rem potentius incentiuum, quàm quod vsus dominij tam sublimis, támque perfecti ferè Christo defuit, vt dictum est; cum Christus etiam sumptus cum Collegio Apostolico, pauciſſimarum rerum & perexiguarum dominium exprompserit, & ampliſſimum illud quo potiebatur supernaturale dominium, voto aut proposito ligauerit, vt præmisi. Quod ea tamen quorum penes se tenuem vsum esse voluit, præluxit sæculi diuitibus, vt de iniquo mammona facerent sibi amicos; cum ipse ex reculis illis quæ apud Iudam infidum procuratorem asseruabantur, egenis decidi suam portionem identidem iuberet; Quod indicant voces illæ Apostolorum, qui exeunte è cœna extrema, proditore, ad illud Christi verbum, *quod facis, fac citiùs*, imaginati sunt, iussisse Christum Iudæ, egenis aliquid daret: nempe quod ita consueuisset, eáque ex causa habuisse Christum loculos, Chrysostomus in Ioann. hom. 71. notauit. Itaque potest esse hæc illecebra non exigua, ad largitatem. Affine est quod S. Hilarius in psal. 14. *in fine*, vsurarium commonet exemplo Christi, qui se exhausit propter inopes, vt abstineat crudelitate erga inopes.



SECTIO

# SECTIO QVARTA
## DE CHRISTI TITVLIS
### Per ordinem ad creaturas quascunque intellectu præditas, Angelos videlicet & homines.

361 TITVLI Christi de quibus proximè actum est, constituebantur per ordinem ad omnes planè res creatas. Qui sequuntur, sunt angustiores, spectantque sola subiecta ratione prædita; nempe Angelos & homines. Nonnulla enim Christi attributa sunt vtrisque communia; nimirum titulus Regis, qui multiplex in scriptura proponitur. Nam & absolutè *Rex* dicitur, & *Rex gloriæ*, *Rex virtutum*, *Rex super Sion montem sanctum Dei*, *Princeps pacis*. Item titulus *Legislatoris*, & *Iudicis* qui sunt veluti frutices Regiæ potestatis. Item titulus *Capitis*, & *primogeniti in multis fratribus*. Hæc omnia Christi attributa, vt ex dicendis patebit, Angelos communiter ac homines respiciunt; ideóque meritò præmittuntur iis quæ homines solos spectant. Quamuis autem Origenes tomo 1. in Ioan explicans Christi titulos, contendat, titulum Regis hominum & Angelorum, cadere in eum vt Deus est, quòd probat ex psal. 71. initio, tamen quæ dicemus, euincent Christum etiam in natura humana Regem esse: nec id reuera negat Origenes, quamuis eum titulum principaliùs Verbo Dei competere rectè statuat.

## CAPVT I.

*Christus magnus Dominus, Rex magnus super omnes Deos, Rex gentium, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Rex cœli & terræ.*

COMMODE' post tractatum proximè Christi dominium proprietatis, delabimur ad dominium Iurisdictionis. Habent enim ea dominia connexionem, vt ex ipso dominij nomine liquet: tametsi seiungenda fuerunt, quia sub eodem nomine, differunt essentiali ratione. Aliud quippè est esse Dominum dominio proprietatis, aliud verò habere dominium iurisdictionis, siue regnum & principatum. Arrianæ quidem perfidiæ effatum fuit, referente S. Ambrosio epistola ad Marcellinam de tradendis Basilicis (est numero 33.) *Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa.* Hoc tamen æquitas omnis repellit, vt latè prosequuntur Ribad. lib. 2. de Princ. cap. 9. & Molanus lib. 4. de fide hæret. seruanda cap. 13. Imo Ethnicis ipsis id fuisse compertum, docent illa Senecæ lib. 7. de benefic. cap. 5. [Sub optimo Rege, omnia Rex imperio possidet, singuli dominio.] Et mox cap. 6. [Cæsar omnia habet, filius eius priuata tantùm ac sua. Et vniuersa ita imperio eius sunt, in patrimonio propria; quid eius sit, quid non sit, sine diminutione imperij quæritur. Nam id quoque, quod tanquam alienum abiudicatur, aliter illius est:] nempe imperio tantùm, non etiam viritim, vt paulò ante dixerat, siue dominio proprietatis. Eadem apud Platonem legere est lib. 1. de Repub. Aliud igitur est, Christum fuisse Dominum rerum omnium dominio proprietatis, aliud verò esse Regem vniuersalem, siue habere in omnes dominium iurisdictionis; quod & arctiùs est dominio proprietatis, cum non complectatur destituta intellectu, & alterius formæ dominium est quàm dominium proprietatis, vt per se liquet, & traditur plenius eum de dominio 2. 2.

*Dimissa, regna Christi mystica, & quod ex titulo hæreditatis Dauidicæ, inuehunt aliqui.*

362 Regnum itaque Christi nunc tractaturus, sepono in primis regnum illud Christi, quod in plerisque scripturis memoratum esse, rectè notat Bellarminus in recognit. lib. 5. de Pontif. cap. 4. nempe regnum gloriæ, quod in perfecta corporis & animæ beatitudine situm est: vnde sequitur libertas ab omni creaturarum subiectione, quod est regnum Dei in quod latro petebat admitti. Eodem pertinet illud Lucæ 22. *non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Nec non quod Lucæ 19. Christus de passione sua agens per quam abiturus erat accipere possessionem gloriæ vndequaque consummatæ, adhibet parabolam viri nobilis, qui abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reuerti. Hoc item sensu, Transfiguratio quia fuit adumbratio perfectæ gloriæ Christi, dicta aliquoties est regnum. Nam Marci 9. cum Christus dixisset, *sunt de hic stantibus qui non gustabant mortem, donec videant regnum Dei in virtute veniens*, paulò post describitur Transfiguratio. Sunt alia quàmplurima loca quæ B. Cyprianus lib. 2. ad Quirinum c. 26. & 28. & Bellarminus supra coaceruant, ad hoc regnum Christi pertinentia. Sed hoc regnum quod Christo cum electis omnibus commune erit in gloriâ, nunc non moramur intenti duntaxat in regnum, quod Christo etiamnum viatori, tribui potuit.

Seponendum item est regnum, siue humano titulo innixum, & cum eo apparatu sensibili ac potentia externa, quæ Reges sæculi exornat. Hunc enim terrenum principatum, ad quem Iudæi Messiam suum prouehendum arbitrabantur, ac etiam nunc arbitrantur, Christus non habuit; nec secundùm regulas æternæ sapientiæ fortia in infirmitate confundentis, habere debuit. Et ita ferunt innumeræ scripturæ, quas vrgent, qui illud Christi regnum quod animales Iudæi animo conceperant, porenter euertunt. Valdensis latè lib. 2. doctr. cap. 76. & 77. Augustinus Anconit. quæst. 1. de potest. Eccles. art. 9. Adamus in c. 9. Esaiæ, Finius in flagello Iudæorum l. 5. cap. 1. & 15. Ex Patribus Tertullianus lib. contra Iudæos. Eusebius lib. 7. de demonstr. Ambrosius l. 3. in Lucam ad illud, *dabit ei Dominus sedem Dauid*, & S. Hieronymus in c. 22. Ierem. qui rectè ostendit, non pugnare cum Luca Ieremiam, Etiamsi Lucas tradat dandum Christo regnum Dauidis Patris eius: Ieremias autem denuncier, neminem vltra de Dauidis familia regnaturum in Israël, post Iechonium, vel Sedeciam patruum eius. Machabæi enim non fuerunt Reges, sed tantùm duces & Iudices; nec fuere de tribu Iuda nisi per lineam fœmineam. Regnum ergo Dauidis exciſum in Iechonia est, nec Christus quem Matthæi 1. docemur ortum ex Iechonia, eo titulo humano fuit Rex Iudæorum; non modò de facto, sed ne de iure quidem: quicquid latè è contra pro tali iure Christi ad regnum illud, disputet Baptista Pozal. 2. elucid. Deip. tract. 11. c. 3.

363 Quod autem regnum Dauidis tribuendum Christo Angelus denunciabat, pertinet ad regnum spirituale in Ierusalem mysticam. Egregiè planè id tradit S. Bernardus hom. 4. super *missus est*, enodans citatum Lucæ locum, *dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris sui.* Proposita enim in contrarium difficultate, ex verbis Christi, negantis regnum suum esse de hoc mundo; itémque ex eo quod indignum sit, Christo sedenti super Cherubin promittere solium Dauid in terrena Ierusalem, respondet. [ Sed nouimus quandam aliam Hierusalem ab ea quæ nunc est in qua regnauit Dauid, significatam, multo ista nobiliorem, multo ditiorem. Hanc igitur puto hîc fuisse significatam: illo videlicet vsu loquendi quo sæpè reperis in scripturis, significans poni pro significato. Tunc sanè dedit illi Deus sedem Dauid patris eius, quando constitutus est rex ab eo super Sion montem Sanctum eius. Sed hîc Prophera de quo regno dixerit expressiùs aperuisse videtur, in eo quod non *in Sion* posuit sed *super Sion*. Nam ideò super Sion fortassis dictum est, quia in Sion quidem regnauit Dauid, super Sion verò regnum est illius de quo dictum est ad Dauid *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: de quo etiam dictũ est per alium Prophetam, *super solium Dauid, & super regnum eius sedebit.* Vides quia vbique reperis *super*: *super Sion*, *super sedem*; *super solium*, *super regnum*. Dabit ergo ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius, non typicam, sed veram: non temporalem, sed æternam: non terrenam, sed cœlestem: quæ idcircò vt iam dictum est, memoratur fuisse Dauid, quia hæc in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem. ]

*Arctata disputatio, ad regnum Christi, ex obiecto temporale, & spirituale.*

364 His ita constitutis, duplex Christi hominis regnum tractandum est: ad quæ duo membra facilè reuocabitur multiplicitas illa principatuum quam in Christo distinguit Anast. Sinaita lib. 4. Hexaëm. aptans Christo quod de principatu solis facti in potestatem diei, habet Psalres, & Moses Genes. 1. [Attende (inquit Anastasius) quemadmodùm non dixerit *in principatum*, sed *in principatu*. Multos enim habet principatus sol Iustitiæ, multas potestates. Est enim princeps pacis, est princeps aut Dominus potestatum, est Rex Regum, est princeps & Dominus dominantium, est Rex gloriæ. Vnum habuit principatum lumen quod illuminat omnem hominem ante aduentum super terram, ante sæcula: hoc est cum eo est fine principio. Ita enim intelligimus illud *In principio erat Verbum* In patre. Non enim in principio sæculi, sed in principio genitore erat Verbum & Verbum erat apud Deum. Quando enim apparuit & exortus est in principatus diei sui aduentus, multos habuit principatus Nam

postquàm

postquàm imperauit cœlestibus, imperauit etiam terrestribus, accipiens infirma in suam hæreditatem, & possessionem suam finis terræ: & dominatus à mari ad mare, & fuit dux salutis nostræ, & fuit principium baptismatis, & principium incorruptionis ex mortuis, & principium vt Deus habitet in homine. Sic enim intelleximus Christum primogenitum in multis fratribus nostris, in quibus Deus per seipsum inhabitauit. Habet alium quoque principatum, seu principium hic cœlestis sol Christus. Ipse enim primus incæpit, & viam nobis ad patrem munit, ac parauit, sublato sursum homine. Per hos ergo & huiusmodi principatus seu principia, intellige magnum esse luminare, in principatus seu principia Dei, qui illuminatur à sole, qui dit sub intelligentiam, per duodecim h[illegible], neimpe discipulos & Apostolos.]

Ego hos omnes Christi principatus, ad duo regna reuoco, quorum vnum temporale est, alterum spirituale. Temporale appello, quod ex obiecto tale est, quia scilicet temporalia omnia complectitur: quamuis neque sit temporale ratione tituli, neque ratione durationis, vel instabilitatis. Titulus namque illius est spiritualis, & eminentissimè supernaturalis: nimirum hypostatica vnio, vel paterna donatio, compensans supernaturalia Christi merita, aut hominum redemptio. Duratio autem & firmitas, eiusmodi est, vt de caducitate non periclitetur. Quia tamen obiectum eius sunt res naturales, æquè potest denominari temporale regnum, ac regna humana: quæ cum ex aliis capitibus, tum etiam ex isto, dicuntur regna temporalia.

### *Primum, qui diffiteantur.*

365 Hoc in regna omnia & prouincias, imò in Reges quoque ipsos, & in omnes homines ac Angelos, cunctaque iurisdictionis capacia protensum, Christi regnum, de quo agendum primo loco suscipio, non omnes admittunt. Negant enim illud esse Christo tribuendum, Vald. lib. 2. doctr. à cap. 76. Victor. relect 1. de potest. Eccles. quæst. penult. à n. 15. Sotus l. 4. de Iust. q. 4. art. 1. Medina 3 p. q. 59. art. 4. Thyræus l. de apparit. ad Iudic. c. 23. num. 6. Canisius, Salmeron, Maldonatus, Barradius, Pererius, Viegas, Castro, Valentia, quorum loca signat Franc. Mendoza 1. Reg. c. 2. annot. 15. sect. 3. num. 3. sequiturque Bonac. disp. 2. de Incar. q. 21. p. 2. Argumentum præcipuum huius sententiæ, dicitur ex Christi pauperrate à regno & regni opibus adeò seiuncta: vt expressum videtur illis Christi verbis Ioan. 18. *regnum meum non est de hoc mundo.* Itémque ex eo quod Christus Lucæ 12. rogatus iudicem agere in hæreditate diuisione de qua lis erat, respondit; *homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos?* Quod responsum, videtur apertè excludere regnum Christi de quo agimus. Astipulantur ad ea loca plurimi Patres, & alij quos magno numero appendit Bellarminus in recognitione libri 5. de Pontif. cap. 4. negantes Christo regnum ciuile in orbem, ciusue partem aliquam. Et sanè si Christus huiusmodi regnum habuisset, alij illico desiissent Reges esse. Et nunc, nulli quoque essent Reges. Christus enim præterquàm quod est Rex in æternum, provt tamen visibiliter abest, transfudisset ad suum nunc in terris Vicarium regiam suam potestatem ciuilem: quod licet Iurisconsulti quidem aliquando censuerint, est tamen sine dubio falsum, vt benè contra eos probat Bellarminus lib. 5. de Pontif. c. 2. 3. & 4. & Suares lib. 3. contra Iacobum cap. 5. Circa hanc totam controuersiam, anceps hæsit Corduba l. 1. q. 57. dub. 1.

### *Astruitur humana & diuina autoritate.*

366 Statuendum nihilominus est, Christum Dominum habuisse dominium iurisdictionis vniuersalissimum, quo omnibus omnino regnis ius dicere[illegible], & ipsos etiam Angelos gubernare potuisset, si ita tulisset eius voluntas. Ita iam olim egregiè tradidit Bertrandus Card. Episcopus Eduensis lib. de origine & vsu iurisdictionum quæst. 3. *sub finem.* Ex recentioribus autem, ita præter cæteros asserit Rostensis art. 25. contra Lutherum, Alfonsus Mendoza relect. de regno Christi à n. 13. Molina tract. 2. de Iust. disp. 28. concl. 5. Suares 3. p. d. 48. s. 2. Vasq. ibid. disp. 87. cap. 2. Ragusa tomo 2. disp. 2. Præpositus 3. p. q. 22. dub. 2 Salaz. in c. 8. Prouerb. à n. 100. Iustin. 1. Petri 2. v. 25. à n. 27. Magalianus in Cantic. magnum Mosis sect. 3. annot. 3. Franc. Mendoza, 1. Reg. c. 2. annot. 15. sect. 3. à n. 22. aliique optimæ notæ DD. quibus planè consentit Sanderus lib. 1. visib. Monarch. c. 2. tametsi hoc Christi dominium, quia non fundatur in titulo humano, vocat *spirituale*: & commodiùs vocasset *supernaturale*, tametsi ex obiecto sit temporale.

Qua ratione plerique ex iis qui huic Christi regno videntur aduersati, conciliantur. Negant enim dominium Christi ciuile & temporale, intelligentes regnum sæculare, & fundatum in titulo humano, ac coniunctum cum externo apparatu & pompa regia: quale regnum nequaquam Christo vendicamus, sed longè sublimius; expers quidem externæ pompæ, sed tamen directum in omnia planè mundi regna & imperia; atque adeò supernaturale quidem quoad titulum, sed tamen temporale ex obiecto: quale autores in contrarium prolati inficiati fortè non essent, si eis distinctè propositum fuisset, provt illud nunc expressimus. Sanè Bellarminus qui l. 5. de Pontif. c. 4. temporale quoduis regnum abrogat Christo, recognoscens caput illud, fatetur cum Caietano in c. 1. ad Hebræos, fuisse in Christo dominium temporale directum supernaturale, & expers externi apparatus, quale duntaxat nunc Christo damus. Nec id se negasse citato loco, ait; tantùm autem negasse dominium iurisdictionis humano titulo nixum, & cum eo apparatu & pompa coniunctum, quam in sæcularibus regnis habere solet. Quod ergo Bellarminus motâ postea distinctiùs lite, de hoc Christi regno apertè prodidit, æquè fortassis prodidissent alij si-

militer locuti, si se dedisset occasio, & controuersia fuisset distinctè proposita. Alij verò ex iisdem autoribus qui regno huic Christi Domini aduersari videntur, negarunt duntaxat, Christum assumpsisse vsum eius, & exercitium iurisdictionis ei respondens. Quod perspicuum est ex eo quod Suarez qui loco proximè allegato tam perspicuè huic regno patrocinatur, tamen lib. 3. contra Iacobum c. 5. num. 15. cap. 17. allegato eo quem proximè dixi loco suo, ne quis immemoriam causetur; negat Christo iurisdictionem regiam à spirituali distinctam: intelligens vsum iurisdictionis, & exercitium regiæ huius potestatis. Idem ergo sentire & intelligere potuerunt plerique alij, negantes Christo regiam iurisdictionem in vniuersum orbem: hoc est non potestatem in actu primo, sed vsum & exercitium eius.

367 Vt vt verò senserint hi vel illi autores, sententia cui adhæsi, mihi videtur consentanea plerisque scripturis, potestatem regiam vniuersalem Christo tribuentibus. Sic enim Apocal. 19. Christus dicitur *Rex regum & Dominus dominantium*. Et Matth. 28. Christus ipse, ait datam sibi esse omnem potestatem in cœlo & in terra. Vox *omnem*, significat & dominium proprietatis, & dominium iurisdictionis: nec indirectum tantùm, sed etiam directum. Alioqui non esset Christo data omnis potestas. Absque huiusmodi item iurisdictione, Christus non esset constitutus hæres vniuersorum, quandoquidem flos illius hæreditatis in vniuersa, est regnum vniuersale, & imperium (vt sic dicam) œcumenicum. Item Ioannis 17. Christus alloquens patrem ait; *dedisti ei* (de se loquitur,) *potestatem omnis carnis*. Alia loca adducit in hunc modum Isid. Pelus. lib. 4. epist. 166. [Ipse (inquit Paulus,) qui cum Patre pari potestate regnat, quique rerum supra mundanarum habenas tractat, & terrestria quò vult flectit, homo factus est; & Imperatoriis armis in acie stetit: vt & illa ornaret, & victoriam hominum generi compararet, & noxios Dæmones in fugam verteret, & ipsorum ducem magnum quiddam spirantem destitueret, & infinitis donis gratiæ impleret Ecclesiam. Rex (inquit Paulus,) militiæ principatum gessit, non autem dux militiæ, Regia est dignitate decoratus: Rex suam ipsius dignitatem sub forma serui occultauit, non autem miles dignitatem Regis ipse sibi arrogauit. Rex erat qui legem ferebat, non autem miles legislationem aggredi ausus. Illud enim *ego verò dico vobis*, Regi conuenit. Illud quoque; *volo, mundus esto*, Imperatoris est proprium dicere illud, *fiat tibi sicut vis*, eius est qui absolutam habet potestatem. Illud, *tace, obmutesce*, Domini est: quæque sunt cætera de genere isto.]

### *Firmatur ratione, expositis eius titulis.*

368 Accedit optima ratio, quam pro vniuersali dominio proprietatis, supra ex Apostoli textu eruimus. Christum enim, cum sit filius naturalis, oportuit esse hæredem vniuersorum. Atque filium Dei naturalem, æquè decuit ius in regna omnia & imperia, & potestas statuendi in eis, ac de eis quicquid luberet. Facitque id permultum ad intelligendam depressionem immensam Christi Domini, qui cum omnibus esset superior, & Regum quoque ipsorum Rex, nostri causa nouissimus factus est. Quo decore humilitatem Christi spoliant, quo hoc illi regnum abrogant. Indicauit, imo expressit hunc regni Christi titulum, Gregor. Nyssenus orat. 4. (verùs 5.) contra Eunom. verbis illis circa illud Petri Actorum 2. *eum Dominum & Christum fecit*. [Apostolus non Domini existentiam quæ antecessit sæcula, per Verbum *fecit*, repræsentat, sed humilis ad excelsum mutationem per dexteram Dei factam. Quin etiam per hoc verbum, pietatis mysterium declaratur. Qui enim dixit, *quod dextera Dei exaltatus*, manifestè ineffabilem mysterij dispensationem euoluit: Quod dextra Dei omnium quæ sunt est effectrix, quæ quidem est Dominus per quem omnia condita sunt, & sine quo nihil eorum quæ sunt subsistit. Hæc vnitum secum hominem, ad propriam celsitudinem per temperationem extulit: quod quidem est ipsa secundùm naturam, etiam illum faciens. Est autem ipsum, Dominus & Rex. Christus enim Rex nominatur, hæc etiam illum effecit, vt enim in altissimo factus, super exaltatus est; sic etiam alia omnia factus est; in immortali immortalis, in luce, lux. In incorruptibili, incorruptibilis. In inuisibili inuisibilis. In Christo, Christus. In Domino, Dominus. Nam in corporalibus temperationibus cum pars altera, multa mensura exuberat, quæ minor est transformari solet in eam partem quæ prævalet, hoc etiam in mystico sermone planè per vocem Petri docemur, quod humilitas eius qui ex infirmitate crucifixus est, ipsa autem infirmitas carnem declarat sicut de Domino audiuimus. Hoc autem per temperationem cum infinito & interminato non manfit in propriis mensuris & proprietatibus, sed dextra Dei sublime elatum est; atque serui loco Dominus factus est; & pro subdito Christus Rex; próque humili altissimus; & pro homine, Deus.]

Æquè liceat pro hoc Christi dominio astruendo, alios titulos vrgere, quos iam protulimus pro dominio proprietatis; nempe donationem Patris ad pensandam abiectionem tantam dilectissimi filij, & quoad homines redemptionem eorum. Firmat hos titulos ex Patribus Toletus in c. 1. Lucæ annot. 89. Sed eos iusto minutiùs concidit. Numerat enim quinque titulos regni Christi; nempe primò vnionem hypostaticam, secundò redemptionem hominum, tertiò ius hæreditatis, quartò ius donationis, quintò ius meriti. Verùm primus & tertius titulus non fuerunt secernendi, cùm vterque sit vnicus titulus filiationis naturalis. Quartus item & quintus titulus, videntur vnus & idem, quamuis plerumque apud Patres & Doctores, consentaneè ad varias scripturas, tituli regni Christi variis illis modis exprimantur. Itaque tituli quos protulimus, videntur sufficientes, & ex eis

eis optimè confirmatur veritas regni Christi. Nam sicut dominium iurisdictionis humanæ, posito conueniente titulo, illico enascitur; ita & dominium istud iurisdictionis temporalis, resultare debuit positis prædictis eius titulis: qui sicut sunt fontes aliarum Christi prærogatiuarum, ita & Regium quoque decus conciliare Christo debuerunt. Non enim tam eximium tamque splendidum decus quantum est potestatis regiæ, vt expositum est cum de obseruantia; vel indignum Christo fuit, vel ei negari debuit, cum sit reuera ingens perfectio. [Omnem dignitatem, regni nomen denotat] ait Gregor. Nyss. l. de Trinit. *in fine* probans Christum esse Regem.

### *Christus ad regnum factus.*

369 Quod si sola naturalis dotium aximarum prærogatiua, aliquas iure oræ aliorum Reges creat, vt autor est A otetes; non dubium quin Christus præ o omnes Reges caudices sunt, & ad agendum ineptissimi, Rex præcipuo iure haberi de at. Et fuit sanè Christus dominus ad reum veluti factus. Omnes enim dotes quas æstantissimi regiarum prærogatiuarum ornatores Synesius, Dio, Prusæus, aliique in Rege deposcunt, illustrissimè in Christo micuerunt. Reuocantur dotes illæ ad tr capita, intellectum prudentia excultu voluntatem bene in subditos affectam, & potentiam ad tuendos suos, repellendosque hostes, & proborum remunerationem condignam, malorumque vltionem præstandam. Quod aliter dicitur, exigi in optimo Rege caput, cor, & manus. Absque Regis prudentia, omnia in regno pessum irent. Absque potentia, Rex enervis & inutilis. Ideò Ægyptij in sphynge humanam & leoninam formam nectebant, necessariam prudentis & potentiæ copulationem in principe insinuantes, vt Synesius autor est oratione de regno. Nexus verò prudentiæ & roboris in Principe, ederet in apertam subditorum perniciem, nisi paternus animus & voluntas benevola erga subditos, in Principe viueret. Ha conserciones in humanis Regibus perraræ, & ægrè sunt eximiæ. Nam cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ. Affectus rem plerumque deprauatur, aut à subditorum duritie inflectitur, nec semper subest Regibus quod voluerint posse. In solo Christo, omnes hæ dotes splendent luculentissimè. Nam quid in eo ad prudentiam & sapientiam desideres. Vix seipsos regere norunt alij. Qui autem seipsum nescit regere, quomodò aliis regendis par esse queat, vt Dio Prusæus orat. 62. rectè disputat? Hic euus notari in Christo non potest. Quid verò adiici vel cogitatione queat, ad propensissimam voluntatem in suos, ipsa vita pretiosissimæ abiectione testatam? Quid ad potentiam, cui nihil obsistere, nihil subduci, eamue declinare & renitentem potest? Infirmas quidem eius voluntariè assumpta, concutientibus Iudæis imposuit. Sed quod infirmum est Dei fortius est hominibus, idque reuecto Christo ad cœlum perspicuum fuit, cum omnes Christo cesserunt. Quod eo manus Mosis portento expressum notant S. Ambrosius l. 1. offic. cap. 14. & S. Cyrillus in scholiis de Incarn. vnigeniti cap. 15. ac Petrus Dam. serm. de S. Columba, cum educta est è sinu manus Mosis leprosa, & infirma visa est: reducta verò in sinum, vegeta & sana apparuit. Erat ergo Christus omnibus optimi Regis dotibus exornatus, & factus ad regendum.

### *Depulsa nonnulla in contrarium*

370 Vt autem hæc veritas plenè stabiliatur, occurrendum est duplici incommodo quod in contrarium obtendi potest, & superiùs vidimus opponi. Vnum est Christi paupertas, & regni carentia, quam ipsiusmet Christi testificatione compertam habemus, cum dixerit; regnum suum non esse de hoc mundo; & negauerit se constitutum iudicem ad diuidendam inter litigantes hæreditatem. Verùm regia potestas de qua agimus, non pugnauit cum Christi paupertate: quia vi huius potestatis, nihil possedit dominio, sed tantum imperio, vt superiùs loquebamur. Opes enim quæ regiam magnificentiam assectari solent in sæculo, per accidens se habent ad dominium Iurisdictionis, quo Regia potestas constituitur. Vnde olim plerique, in Iurisdictionibus regiis amplissimis, perrenui censu. Itaque cum dominium proprietatis non officere Christi paupertati sit demonstratum, opes autem quas Reges possident, spectent ad illud dominium, non autem ad dominium Iurisdictionis, constitutiuum Regiæ potestatis, non est quod à Christi potestate regia, timeatur illius paupertati. Christus verò paupertatem suam profitens, nunquam se Regem negauit. Dixit quidem se non esse Regem de hoc mundo, non tamen negauit se in hoc mundo verè & potestate Regem esse, vt optimè distinguit Sanderus l. 2. de visib. Monarch. c. 1. & l. 1. de claue Dauid c. 7. vbi diligenter attenta seriè contextus, eum locum versat. Imo diserte idem habet S. Bernardus serm. 1. de Epiph. [*Egredimini* (inquit), *& videte Regem Salomonem*, Nam vbique Rex est. Licet enim regnum suum non sit de hoc mundo, tamen Rex est, etiam in hoc mundo. Interrogatus siquidem, *ergo Rex es tu? Ego* (inquit), *in hoc natus sum & in hoc veni in mundum.* Præterquam quòd Christus respondebat ad mentem Pilati interrogantis, qui quærebat an Christus, qualiscunque exteriùs appareret, obtenderet titulum aliquem humanum & caducum ad Iudeæ regnum: vel per populi seditionem, illud captaret. Ita enim sæpè Iudæi ad conflandam Christo inuidiam calumniati erant. Similiter quod Christus interrogauerit, à quo esset constitutus Iudex in causa diuidendæ hæreditatis, non probat Christum caruisse sufficiente ad actum illum potestate, si libuisset: sed tantùm probat, Christum spiritualibus intentum, refugisse tractare temporalia; eáque interrogatione declinasse negotium, fini ob quem venerat

minùs consentiens, vt personæ Deo Sacræ, quas in rebus Patris cœlestis esse oportet, haberent quod imitarentur, nec se implicarent negotiis sæcularibus. Videndus plenè de hoc loco Sanderus l. 1. de clauo Dauid cap. 8.

371 Æquè ineffi caciter aduersus Christi regnum vrgebantur Patres, qui reuera aliud nolunt, quàm quod diximus: defuisse scilicet Christo titulum regni caduci, & apparatum regium externum, qualem Iudæi in suo Messia expectabant, & cuius defectu Christum despiciebant auersum ab eo Christum experti: quamuis malignè ad conflandam ei inuidiam apud Pilatum, (vt sunt sæculares Principes, eorúmque ministri in huiusmodi rebus suspiciosissimi affectationem regni impingerent Christo. Hoc igitur dumtaxat negant Patres, non autem legitimum regni titulum, aut verum Christi regnum quale exhibuimus.

Alterum quòd aduersùs Christi regnum intorquebatur, erat incompatibilitas regni Christi cum regnis sæcularibus. Sed hunc esse vanum timorem, Ecclesia vsurpato sedulij carmine iam olim professa est, sic canens *non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.* Quamuis enim regnum Christi contineatur directo Iurisdictionis dominio in omnia Iurisdictionis obiecta; tamen vt supra quoque diximus circa dominium proprietatis, hoc regnum est diuersi ordinis à regno sæculari, habétque originem longè diuersam, nec plus excludit regna inferiora & humana, quàm ea excludat regnum Dei, increato titulo, & creationis iuri innixum. Quod si dominatio seu Iurisdictio regia, probè cohæret cum subalterna iurisdictione immediatorum dominiorum & toparcharum; quanto magis iurisdictio Christi cohærebit cum regnis sæcularibus, quibus æquè altior est & eminentior, ac in humanis regia potestas est altior potestate Baronum vel Toparcharum? Hæc cum ita sint, non est probandus modus loquendi quo vtuntur val. 3. p. d. 1. q. 22. p. 6. Salaz. in c. 8. prouerb. n. 102. vocantes, Reges sæculares, *Christi Vicarios.* Sensus quidem horum Doctorum non est illegitimus. Tantum quippe volunt, principes sæculares posse à Christo deiici, si solus regnare vellet. Tamen locutio qua vtuntur, sonat potius Reges sæculares habere à Christo Rege potestatem regiam qua potiuntur: quod verum non est, cum haberent eam titulo humano, & non transfusam à Christi, prout est homo. Præiuerat his Doctoribus, prætensus D. Thomas l. 3. de regim. princ. c. 13. (non esse enim verè D. Thomam libri illius parentem, demonstrasse videtur Bellarm. l. 5. de Rom. Pontif. c. 5. ad vltimum) Docet ergo autor ille, Augustum ex quo Christus natus est, Christi Regis vicarium duntaxat fuisse: & idcirco instinctu diuino vetuisse, ne quis *Domini* appellationem sibi deferret. Verùm Augustus nihil nisi inuidiosi nominis externam speciem ea reiectione auertatus est, de quo plenè Bulengerius l. 1. de Imperatore c. 32. Vices autem Christi egisse dici non potest, cum esset potiùs Tyrannus, & oppressor libertatis Romanæ Reip. qua in re subalterna Christo Iurisdictione potitus dici non potest. Multominus sunt nunc Reges, Vicarij Pontificum Romanorum. Nec tales esse sequeretur, etiamsi Reges essent Christi Vicarij. Non enim omnis Christi potestas, ad Christi Vicarium transmissa est; sed tantùm ea, quæ bono Ecclesiæ regimini ad finem spiritualem necessaria erat; cuiusmodi non fuit potestas regia. In quam rem plura Suarez l. 3. contra Iacobum c. 3.

### *Christus vi huius regni, subductum cuius humano regno.*

372 Fixum igitur esto, Christum fuisse verum Regem orbis vniuersi, titulo altiore quàm sit titulus vllus humanus: eoque nomine indubitata esse debet Christi exemptio à quauis iurisdictione sæculari & creata, vt definiuit Ioan. 22. in Extrau. *Ieter iuxta Apostolum*, cuius meminit Turrecr. lib. 4. summæ de Ecclesia parte 2. cap. 37. contra impios hæreticos Marsilium Patauinum, & Ioannem Iaudunum. Significauit ipse Christus suam hanc exemptionem Matth. 17. responso illo quod Petro dedit, monitus quid ipsi dictum esset à publicanis, quærentibus de non soluto per Christum tributo quod subiectionis nomine pendebatur. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum? A filiis suis an ab alienis?* & respondente Petro accipere ab alienis, subintulit Christus. *ergo liberi sunt filij.* Quasi diceret; si Regum sæcularium filij, exempti sunt à pensitatione tributorum, voluntate & beneficio patris, qui non vult proprios filios ministris tributorum exactoribus subiacere quanto magis ego, qui filius sum Regis Regum, eximar à talis tributi debito, atque adeò etiam à iurisdictione, non voluntate terreni Regis cuius non sum filius, sed voluntate æterni patris, qui est super omnes Reges: nec humanitatem quam in vnitatem personæ cum filio suo adsciuit, vult esse obnoxiam humanis debitis ex iurisdictione humana oriundis? Est enim argumentum à fortiori. Subdit Christus. *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, &c.* aperte significans, se idcirco tantùm velle soluere quod exigebatur, ne scandalum cuiquam ingeneraret: quamuis sibi satis conscius esset naturalis immunitatis. Hunc illius loci sensum attigit Bertrandus Cardinalis l. de origine & vsu iurisdictionum q. 3. *in fine*, & eundem late confirmat Suarez lib. 4. contra Iacobum c. 3. Neque verò suæ isti exemptioni detogauit Christus, cum falsus est, datam in se potestatem Pilato desuper. *Datam* enim intelligit, id est *permissam*, vt sæpè aliàs vsurpatur similis diuina concessio. Vnde potestas sic data, non erat potestas iuris, sed facti solius, vel quod Vasques 1. 2. d. 99. c. 1. affirmat, non erat potestas iurisdictionis, sed vis & facultas nocendi, quam Christus facillimè se declinare potuisse significabat, nisi obstarent Patris consilia, quibus non refragari, fixum habebat.

An

*An etiam maternæ potestati.*

373 An verò hæc Christi exemptio, extendatur quoque ad maternam potestatem, ita vt ne parentibus quidem subesset, nisi subiectione voluntaria, & ad exemplum quamuis absque obligatione non refert ad hunc locum; quia potestas patria non est dominium, neque iurisdictio de qua nunc egimus, & à qua sola Christum exemimus: sed est potestas alterius rationis, nec incompossibilis cum suprema regia potestate, iugi tantùm cuiusuis non domestici, impatiente. Cæterum vt hoc quoque nunc obiter addam, graues DD. æquè Christum domestica hac subiectione liberant, ac subiectione externa iurisdictionem principis respiciente, & ingenuitatem excludente: quamuis fateantur, quod S. Lucas cap. 2. disertè tradit, Christum matri & ab eam marito Ioseph, fuisse de facto, voluntariè & absque obligatione subditum, vt filios doceret non modò reuereri parentes, quod est iuris diuini naturalis, cui Christus quoque fuit obnoxius, sed eis etiam obedire, ad quod non tenebatur. Ita Titus Bostrenus, & Toletus, ac Franciscus Lucas, ad illa verba capitis 2. Lucæ *& erat subditus illis.* Propositus 3. p. q. 20. art. 2. dub. 2. num. 25. Bonac. disp. 2. de Incarn. q. 14. p. 1. num. 11. Præiuisse videtur Nyssenus orat. in illud Apostoli, *tunc & ipse filius subiicitur ei* sub initium. Pugnat tamen pro contrario placito, & Christum patriæ matris potestati subiicit, Salaz. in c. 8. Prouerb. v. 16. à n. 142. adducens SS. Ambrosium, Methodium, Hippolytum, ac Bernardum; quos alterius partis autores facilè explicabunt de voluntaria ad matrem subiectione, & naturali debito reuerentiæ ac cultus, citra obediendi obligationem. Et verè S. Ambrosij mentem ferre perspicuè videntur illa eius verba ex l. 8. in Lucam, ad illud *honora patrem tuum*, postquàm aliqua ad liberos in parentum cultum succedendos præmisit. [Honorabat igitur Ioseph & Mariam Christus, non naturæ debito, sed pietatis officio.] vide quæ in hanc rem totam habet Richardus à S. Laurentio l. 3. pag. 191. de Priuilegio B. V. filio imperandi & quomodo hoc etiam in Patria perseueret.

*Prærogatiuæ huius regni Christi, supra omnia humana.*

374 Sic stabilitæ regiæ Christi potestatis, perfectiones ac prærogatiuæ supra alias quasuis regias iurisdictiones, permultæ sunt; quæ ad certa capita iis consimillima quæ circa dominium proprietatis consideraumus, reduci facilè possint: nempe ad obiectum, titulum, durationem, & stabilitatem: ex quibus omnibus capitibus, tantoperè regiis quibusuis potestatibus præcellit Christi potestas regia, vt iure dixisse videatur Rupertus lib. 7. de victor. verbi Dei cap. 14. tractans illud Sapientiæ 8. *insimulatum imperium tuum portans regna omnia*, (de quibus per bestias Dan. 7. expressis fusè disserit eo libro à cap. 11.) præ Christi regno, esse commentitia & simulata. [Et quid est (inquit) *non simulatum imperium*, nisi imperium verum? quod cum dicitur, vel intelligitur, nonne è contra, hominum imperia simulata esse perhibentur? Verè simulata non vera imperia bestiarum, imperia hominum bestialium; qui tempus, occidendi vt bestiæ potestatem [illegible]uerunt: ad vitam autem nec sibi, nec aliis prodesse potuerunt. Iste omnipotens sermo, insimulatum portat imperium, verum tenet regnum, cuius regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Et iam quidem tale imperium portabat, sed nondum apparuerat. Apparuit factus filius hominis, & quod habebat in forma Dei, insimulatum imperium, accepit in forma serui: secundùm pulcherrimum spectaculum tantæ illius visionis, *& ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum pernenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ, ipsi seruient: potestas eius potestas aterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.*] Notari possunt in hoc Danielis loco, omnes illæ quas proferebam, regni Christi perfectiones.

*Extensio in regna omnia, & Reges.*

375 Ac primùm ea quàm petebam ex obiecti extensione. Omnes enim populi, & tribus, & linguæ, sunt huic Christi regno obnoxiæ. Nec viui duntaxat, sed & mortui vbicunque degant: ac non homines tantùm, sed & Angeli. De Angelis est egregius locus Augustini in psalmum 8. [Quandoquidem (inquit,) & Angeli sunt opera manuum Dei, etiam super Angelos constitutum accipimus Vnigenitum filium, quem minutum paulominus ab Angelis per humilitatem carnalis generationis atque passionis, audimus & credimus. *Omnia* (inquit) *subiecisti sub pedibus eius.* Nihil excepit cum dicit *omnia.* Et ne aliter liceret intelligi; sic Apostolus credi iubet, cum dicit, *excepto eo qui ei subiecit omnia:* & hoc ipso huius psalmi testimonio vtitur ad Hebræos cum ita vult omnia intelligi esse subiecta Domino nostro Iesu Christo, vt nihil exceptum sit. Nec tamen quasi aliquid magnum videtur adiungere, cum dicit, *oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi: volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Videtur enim relictis cœlestibus virtutibus, & potestatibus, & omnibus exercitibus Angelorum, relictis etiam ipsis hominibus, tantùm ei pecora subiecisse. Nisi oues & boues intelligamus animas sanctas, vel innocentiæ fructum dantes vel etiam operantes, vt terra fructificet: id est vt terreni homines, ad spiritalem vberratem regenerentur. Has ergo animas sanctas, non hominum tantùm, sed etiam omnium Angelorum, oportet accipere; si volumus hinc intelligere, omnia esse subiecta Domino nostro Iesu Christo. Nulla enim creatura subiecta non erit, cui primates, (vt ita dicam) spiritus subiiciuntur.]

Nihil

Nihil ergo dimisit Pater, non subiectum Christo Regi. Fusè in hanc sententiam disputat Cyrillus Hierosol. catech. 10. & post multa ex variis scripturis de vniuersalissimo Christi dominio, concludit. [Dominus igitur est filius Dei: Dominus qui natus est in Bethleem Iudæ, sicut Angelus dixit pastoribus, *Euangelizo vobis gaudium magnum quia natus est vobis hodie Christus Dominus in ciuitate Dauid.* De quo alibi dicit quidam ex Apostolis, *sermonem misit euangelisans per Iesum Christum: hic est omnium Dominus.* Quando autem dicit *omnium*, nullam dominij partem excipit. Siue enim Angeli, siue Archangeli, siue Principatus, siue quidpiam eiusmodi, è rebus creatis ab Apostolis nominatum, omnia sunt dominio filij subiecta. Angelorum est Dominus, sicut habes in euangeliis, *tunc receßit ab illo diabolus, & Angeli accesserunt & ministrabant ipsi, quod est officium seruitutis.*]

Reges ipsi sæculares, sunt Christi populus. Ita enim ex Hebræo plerique illud psal. 109. *tecum principium*, vertunt hoc modo, *populus tuus, principes.* & Apocal. 19. *in femore*, id est in humanitate Christi, legitur *Rex Regum & Dominus dominantium.* Quo loco Spiritus sanctus verè in Christum cadere docet, titulum quem Persarum Reges stultè sibi arrogabant: quod pluribus illustrat Pineda Iobi 1. versu 1. num. 17. Expressum id esse in Scripturis, cum Christus dicitur *vnicornis*, docet his verbis Origenes homil. 16. in Num. ad illud *auis fortitudo similis est rhinoceroti.* Ipse legit, *gloria eius tanquam vnicornis*, sic verò illud glossat. [In Scripturis diuinis eorum pro regno positum, sæpè reperimus: sicut & propheta dicit, *quatuor autem cornua, quatuor regna sunt.* Sub nomine itaque vnicornis, in Christo hoc videtur ostendi, quia omne quod est, vnum eius cornu est; hoc est, vnum regnum eius. Omnia enim pater subiecit sub pedibus eius, vsquequo & nouissimus inimicus destruatur mors. Tanquam vnicornis, vnum omnium regnum, tenet Christus.]

### *Inde Christus Rex Regum, & Rex absque addito.*

376 Omnia itaque etiamsi hîc eminentissima, subiacent dominio & iurisdictioni Christi. Quod agnouisse Iudæos refert Melchior Flauius l. de regno Christi c. 3. allegans ex Beressij Rabba, decem à Doctoribus Hebræis statui vniuerso orbi dominatos: primò Deum, secundò Nembrothum, tertiò Iosephum, quartò Salomonem, quintò Nabuchodonosorem, sextò Darium, septimò Cyrum, octauò Alexandrum, nonò Octauianum, decimò Messiam; per quem aiunt regnum rediturum ad Dominum & Regem primum: Hocque aiunt esse, quod Deus de se dixit, *ego sum primus & nouißimus*, Isaiæ 44. Inepta quidem interpretatio, multos Reges vniuersaler falsò proferens. Quoad vniuersale tamen Messiæ regnum, exosculanda. Et hinc maximè sublimitas Regis nostri est cogitanda, quod sit Rex Regum, & subiiantur ei Reges terræ, ac Principes populorum, iuxta promissum Dei Patris, in scripturis innumeris, sed nominatim Isaiæ 45. verbis illis expressum. *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, & dorsa Regum vertam.* Differit insigniter de eo loco D. Aug. orat. de S. hæres. cap. 7. his præter cætera. [Hîc esto & tu Pegane. Audi quid dicat Propheta. Non mihi ego quod volui scripsi. Codex in quo hæc scripta leguntur, in armario Iudæi habetur. Inimicus meus, testis est meus: ab ipso quære, aperi, lege, & crede. *Dorsa* (inquit) *Regum vertam, & glorioſos terræ humiliabo.* Nonne Reges terræ vides, qui ante persequebantur Christianos, nunc integros esse Christianos? nonne vides eos qui humiliabant Ecclesiam, humiles introire in Ecclesiam? nonne ipsos habere defensores, quos ante habuit persecutores. *Ego* (inquit) *ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas cereas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros abſconditos, & arcana secretorum, vt scias quia ego sum Deus.*]

Subiacent itaque Christo tanquam Regi, de Scripturarum sententia, quotquot hic apud homines, audiunt Reges. Non displicet tamen sapiens cogitatio Origenis hom. 6. in Iudic. qui Christum *Regem Regum*, à regno in Christianos omnes, dictum putat. Exponens enim illud Cantici Deboræ, *audite ergo Reges & auribus percipite satrapæ*, sic exponit Reges illos. [Reges appellat eos, qui conuocantur ad audiendum Verbum Dei. Exulta populo Dei, audiens tuæ nobilitatis insignia. Tu vocaris ad audiendum Verbum Dei & non vt plebs sed vt rex vocaris. Tibi enim dictum est, *genus Regale & Sacerdotale, populus in acquisitionem.* Ideò quia vos Reges estis, meritò Rex noster Christus Dominus, Rex dicitur Regum, & Dominus dominantium.] Vnde infert in hunc modum, quantum studium regionum morum, debeat esse Christiano. [Sed sicut exultatis de nobilitatis vestræ titulo, ita discere debetis, quid agendo vnusquisque vestrum fiat Rex. Quod vobis ita breuiter definiam. Regem te omnium esse facit; si regnet Christus in te. Rex namque à regendo dictus est. Si ergo & in te animus regnat, & corpus obtemperat; si concupiscentias carnis sub iugum imperij tui mittas; si viriorum gentes, sobrietatis tuæ frenis arctionibus præmas; meritò Rex diceris, qui te recte agere noueris. Cum ergo talis fueris effectus, digne vt Rex ad audienda diuina verba vocaberis.] Hæc inquam Origenis de nomine *Regis Regum* opinatio, non displicet: dummodò non excludatur, quæ ex vocum cortice obuia est, ipsósque etiam mundi Monarchas, Christo subiicit. Et inde liquet, Christum Dominum citra omnem inuidiam dici posse Regum Maximum, longè fundatiore iure quàm Abrahamum, quem primum, dictum esse Regem Magnum & duplici vsum esse diademate, scribit Herodianus l. 6.

377 Ex tanta regni Christi extensione, fit vt cum alij Reges non denominentur Reges nisi cum restrictione; puta Reges Galliæ, Hispaniæ, &c. Christus tamen simpliciter & absque addito restringente, *Rex* dicatur. Perpendit id pulchrè S. Chrysostomus in psal. 44. ad

ad illud, *Dico ego opera mea Regi.* Non agit Chrysostomus de Regno Dei in se, sed de regno Dei in carne assumpta. Præmiserat enim totum psalmum Christo dicari, & ad eum pertinere. Is ipse igitur est, quem Chrysostomus, quia rex est vniuersorum, censet simpliciter & absque addito, dictum esse *Regem* à Dauide. Inde item S. Paulinus epist. 39. Christum à Cæsare & quocunque terreno Rege secernit [quod non quicunque terrenus Rex, totius terræ Dominus est. Christus autem, totius mundi Dominus & Rex est, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et ipse est Rex Regum, & Dominus Dominantium, & in terris, & in mari, & in abyssis, omnia quæ vult facit.] Pertinet quoque ad hanc regni Christi præcellentiam ex obiecti extensione petita, quod cum cæterorum Principum in subditos potestas sit valdè mutila; (neque enim subditos habent seruos aut mancipia;) Christus omni nexu deuinctas sibi habeat puras quascunque creaturas; déque eis prout libuerit possit disponere. Agnouit id Centurio ille qui Christo agnouit subesse morbos, æquè ac sibi milites.

## *Tituli eiusdem Regiæ Christi potestatis, præcellentissimi.*

378 Iam titulus regni Christi in citato superiùs Danielis loco, profertur patris donatio, quæ duplex potest intelligi: Nempe primò ipsius in se regiæ potestatis, immediatè collatæ ob merita, & pactam hominum redemptionem. Quem regni Christi titulum, immeritò negat Præpositus 3.p.q.19. n.33. Agnoscit autem disertè S. Bernardus, inde se valdè Solatus, vt habet in eius vita Gulielmus Abbas lib.1. cap. 12. Intelligi secundò potest ea regni donatio, facta in radice sua, nempe in hypostaticâ vnione, quæ fuit donum patris. Neque enim alio titulo Christi humanitas accepit vnionem cum Verbo, quàm quia Patri placuit eam donare. Donatio autem vnionis, quia infert filiationem naturalem, fuit mediatè & radicaliter donatio vniuersalissimæ regiæ potestatis, debitæ filio naturali.

Hæc recognoscenti mihi, venit in manus Interpres recentior, ingeniosus æquè ac eruditus, qui suo antiloq.6. in Cant. s.112. n.115. nouam & peculiarem in Christo regiam potestatem post resurrectionem agnoscens, expressam à Christo verbis illis Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, illius titulum statuit esse liberam & vltroneam hominum Christum sibi in regem diligentium, addictionem. Præter dominium namque diuinum, à creatura independens, quod Deus exercet in & irrationalia & inanimata, datur alterum quod Deo aduenit, dependenter à creatura: cuiusmodi est oblatio spontanea per vota, aut nexum religiosum, aut per susceptionem Christianæ fidei, cui adiungitur obligatio spontè susceptæ, parendi mandatis Christi. Hunc nouum regni titulum, Christus ante resurrectionem non habuit; accepit autem mox à resurrectione & ascensione sua, per gentium & multorum Iudæorum conuersionem. Nam quod mox efficiendum est, habetur plerumque pro iam facto, vt ex variis scripturis demonstrat Sanctius in cap.9. Amos n.5. Et arctat quidem Autor cum quo agimus, dominium ex hoc titulo procreatum, ad rationalia, quia sola pollent arbitrio libero, quo se Deo mancipent. Tamen facilè esse intelligere, per hominis subiectionem, cætera quoque homine inferiora mancipari eidem, cui homo addicitur.

Nam est nunc animus hunc dominij iurisdictionis in Christo nouum titulum conuellere: eumque traditum iampridem video à Cabassila in explicat. liturg. cap. 40. qui interpretatur de eo illud psalmi 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem.* Hunc igitur nouum titulum, hoc loco impugnare non sum sollicitus. Ex iis enim quæ infra dicemus circa titulos spiritualis regni Christi, patebit sitne verè hic numerandus inter titulos huius regni. Sed quamuis gratis detur, eum titulum esse idoneum; displicet tamen quod censeatur per eum fundari potestas de qua Matth. 28. Nam si ibi Christus, non de potestate danda sibi per humanæ voluntatis diuinitùs præuentæ spontaneam collationem; sed de potestate data à patre, apertè agit: cum non modò de potestate in terram data agat, sed etiam de potestate data in cœlum, quæ hominum concessione non erat obuentura. Præterquàmquod non omnes homines erant Christ daturi potestatem in seipsos, cum plerique essent non conuertendi? & tamen Christus omnem potestatem se accepisse in terram profitetur. Nec rectè potestas postea danda ab hominibus, dici potuisset iam data; quo pacto loquitur Christus. Subiectio enim maximæ hominum partis ad Christi dominatum, non erat illicò futura; sed vsque ad finem mundi sensim perficienda. Tunc autem duntaxat fert vsus, vt aliquando res facta dicatur, cum per breui est facienda; quod in re de qua agimus, locum non habet. Quare hic titulus dominij, annumeretur sanè cum aliis, sed vt inadæquatus duntaxat, alibique fundatus, quàm in scripturis propositis.

379 Quantoperè verò omnes hi tituli regni Christi antecellant humanis quibusuis titulis regnorum, non est quod exponam. Omnes quippe tituli humani, vel ex voluntate subditorum, qui regi ab aliquo eiusque posteris censenserunt; vel ex iure belli, aut ex tyrannide & iniusta oppressione alienæ libertatis, ortum habuerunt. At Christus, vnicum, nec nisi inadæquatum dominij sui titulum, habet ex hominum sponte se ei subiicientium collatione: quam aspernari facilè potuisset, & homines aliis sibi titulis independentibus ab humano arbitrio addictos habere velle, nisi summa eius humanitas hanc quoque gratiam nobis elargiri dignum duxisset. Hoc igitur minuto titulo, cuius anceps iustitia & veritas est, prætermisso; Christus partem sui iuris regij, ex patris immediata donatione habet: quo titulo quid potest magis innoxium, aut iustius esse, cum Deus in cuius manu sunt omnium potestates & omnium iura regnorum, possit de eis tanquam de re sua, citra vllius iustas querelas disponere, eaque in quem libuerit pro potestate conferre? Partem verò alteram titulorum regni sui, habet Christus ab ipsa natura: quatenus eo ipso quòd

talem naturam à Patre accepit, consequens est vt omnium dominetur, & plenissimam ac vniuersalissimam iurisdictionem in omnes obtineat. Notauit hanc regni Christi supra humana præcellentiam, S. Chrysostomus ad illud psalmi 109. *Tecum principium*, quæ verba sic glossat. [ Quid est *tecum principatus* ? In te ( inquit ) est principatus, qui non posteà accessit, sed in te est perpetuò. Quod etiam Esaias similiter significans, dicebat; *cuius principatus super humerum eius*, hoc est in ipso & substantia eius, in natura eius. Quod quidem non inest in regibus. Principatus enim eorum est in multitudine exercitus. Quod non erat in Apostolis. Nam ipsorum quoque principatus, fuit operatione eis importata extrinsecùs. Ipse autem habuit principatum in naturâ, & in substantia: vt qui non eum acceperit postea quàm fuit genitus, nec extrinsecùs importatum aut aduentitium possederit, sed quod ita sit genitus. Et ideò de regno quoque inrerrogatus, dicebat; *ego ad hoc natus sum. & ad hoc veni.*

Profecit haud dubiè ex Chrysostomo Cantacusenus Apolog. 1. contra Saracenos *sub medium*, vbi eundem Psaltis locum de Christi Dei & hominis regno exponens, sic habet. [ Non est humanarum virium, vt penes aliquem sit principatus illius sed Dei est. Omnes enim homines, tantumodò, extrinsecùs ad ipsos delatum imperium possident. Nam tam Ptinceps quàm Rex aliquis, sæpè priuatus sine imperio nascitur, & licet paternum administret imperium, nihilominus tamen in hoc quod ante non habebat, ceu paternus hæres succedit, vel propria virtute & egregiis factis regnum acquirit, vel iniustus in alios alterius regnum violenter eripit, & hoc modo etiam ille alterius regnum quo ante carebat, occupat, sed alius ab his modus regnum acquirendi non est; ingenitam verò sibi & inseparabilem à se potestatem homo non habet præter hanc solam, qua in affectus proprios & liberos ex se genitos vtitur: quam solam in homine videre licet. In Deum autem hoc quod modò dictum est, non competit. Quapropter & Esaias de Christo vaticinatus inquit, *cuius principatus super humerum illius*: id est, naturalis erit & ab illo inseparabilis. Dauid etiam in alio Psalmo sic dicit. *Regnum tuum regnum sæculorum omnium & dominium in omnes generationes generationum.* Quod idem in præsenti loco dicit; *penes te est principatus in die potentiæ tuæ.*] Hæc est inunctio Christi in Regem, ex vnguento virgulti vitæ, vt est apud Clementem Romanum lib. 1. recognitionum ( pag. 12. ) & epist. 3.

### *Initium eiusdem regni, à primo vitæ Christi momento. Stabilitas, perpetua.*

380 Hinc habetur, regnum Christi non aduenisse ille pocedente tempore, sed à primo momento conceptionis. Nam ex eo puncto habuit Christus vnionem hypostaticam, quæ est regni Christi fundamentum. Et ita asseruit (vt vidisti,) S. Chrysostomus, & significant alij proximè adducti. Non igitur satis prouexit inchoationem regni Christi prætensus D. Thom. l. 3. de regim. princ. q. c. 14. cum dixit, regnum Christi incepisse à prima die natiuitatis: agitque apertè non de natiuitate in vtero, siue de conceptione, sed de natiuitate ex vtero, in qua vult incepisse Christi regnum, quod liquet ex dictis verum non esse. Nec valent argumenta, ex quibus patere ait hoc exordium regni Christi; nempe quod eo die Angeli Christo ministrauerint, annunciantes natiuitatem eius: & quod per illud tempus, venerint Magi, scisciantes vbi esset, qui non factus ab hominibus, sed natus erat Rex Iudæorum. Hæc inquam argumenta, nullomodo conficiunt id ad quod assumuntur. Quamuis enim producantur ea die ministrasse Angeli Christo, & Magi nomine omnium orbis prouinciarum, vt scite commentatur Rupertus lib. 2. in Matth. & idem Petrus Babyon, ( falsò dictus Anselmus, ) venerint sub idem tempus Christum Regem agnoscere, & demissè venerari; priùs tamen Rex erat, cique etiamnum in vteri virginei throno sedenti, astabant trementes Angeli, veluti sexaginta illi fortes veri qui Salomonis lectulum ambiebant. De quo loco alibi. Multo tardiùs regnum hoc atque dominium Christi, videri poterit distulisse Petrus Damiani serm. de S. Michaële, exponens visionem Isaiæ, qua Dominum sedentem conspexit. Sic enim scribit [ Filius Dei, triginta & tribus annis seruus fuit, non Dominus: Minister, non magister; vilis, non glorioſus: & licet dixerit discipulis, *vos vocatis me magister & Domine, & benè dicitis*; *sum etenim.* Et, *ego sum lux mundi*: pauci tamen verborum altitudinem nouerunt, Phariſæis inuidentibus, Iudæis non credentibus, & illum arguentibus præsumptionis. Sed postquàm resurrexit à mortuis & in triumphali sede receptus est, imperatoria decreta propalata sunt orbi, fixitque crucixus, in totam mundi latitudinem, suæ dominationis insigne. Iam maiestatiuis nominibus circunfunditur, ille pauper & vnicus; & seruilium nominum vilitate dimota, Rex Regum, & Dominus Dominantium, multa luce præfulgurat. ] Itaque videtur Damiani, hoc Christi dominium, ad tempus resurrectionis, vel etiam ascensionis, differre. Potest tamen facilè exponi, non de regni possessione, aut iure ad illud, sed de manifestatione vtriusque.

381 Stabilitas & verò etiam perpetuitas regni Christi, de qua in postremis verbis ex Daniele propositis, æquè certa est, & à caducitate immunis, ac perpetuitas titulorum in quibus fundatur. Idque Sanctus Chrysostomus in psalm. 109. significatum verbis illis Psaltis, *tecum principium*, siue *tecum principatus.* Præfatus enim significari verbis illis dominium Christi, ac regnum, competere illi à natura, subdit. [ Non hæc autem solùm quæ dicta sunt significat illud *tecum principatus*: sed etiam alia: vtpotè non esse eius principatum in alio, sed eum esse perpetuum & immortalem. Homines enim is vel viuentes sæpè deserit: & si non viuentes, certè omnisò mortuos. Imo verò quod maius est, ne dum viuunt quidem, est cum eis; sed vt iam dixi, in exer

exercitibus & satellitibus ac corporis custodibus, in magna vi pecuniæ, mœnibus, & aliis omnibus. In Deo autem, non modò non ita est, sed in ipso est, & perpetuò. Et quemadmodum fieri non potest, vt non sit eius substantia, ita etiam vt non sit regnum.]

Iam monui, agere ibi Chrysostomum, non de Deo nudè sumpto, sed de Deo carne vestito: & quamuis Christi substantiam desinere non sit absolutè impossibile, est tamen impossibile ex diuini decreti suppositione: ad quam respiciens S. Chrysostomus, dixit ita esse impossibile desinere regnum Christi, sicut impossibile est desinere Christi substantiam, in qua regnum Christi fundatur. Hanc regni Christi prærogatiuam priori nexam, attigit optimè Theodorus Mopsuestenus apud Facundum lib. 9. cap. 1. tractans enim illud psalmi 44. *procede & regna*, sic scribit. [Quoniam quidem priùs ait; *Regna*, postea autem memoratus est inimicorum perditionem, & reliquorum subiectionem, ne aliquis existimet nuper ei accessisse regnum vel certè posse eum denuò priuari eadem potestate, post hæc infert; *sedes tua Deus in sæculum sæculi*, hoc est, consequenter quidem interimentur inimici. Reliqui verò omnes subiicientur, quoniam quidem non subintromissum habes regnum, sed ex sempiterno, omnium regnas, & in æternum regnas, & regnum tuum manet in æternum.]

Non est ergo regnum Christi, quale Regum temporalium: in quo rata fortunæ, & infirmitas ac caducitas summa, locum habent, vt dictum est in Mor. dist. 1. num. 146. & 151. & paucis attigit S. Basil. hom. de non adhærendo rebus secularibus, dicens compertissimum esse [quomodò qui olim serui fuerunt, ad principatus Thronum ascenderint: ac rursus aliquando Domini ac heri vocati, cum subditis ad seruiendum præsto esse soliti fuerint, & suos ipsorum seruos venerati sint, rebus vt in taxillorum circumuolutionibus fieri solet, repentè mutatis.] Nimirum Deus, vt est apud Iobum cap. 12. balteum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. Apud Bencaminum Tudelensem in Ierem. Calipha Bagdad, semel in anno prodit, gestans super cidarim splendidissimam, nigrum sudarium, quo sæculi huius verecundiam, (vt Iudæus ille loquitur,) profitetur; factis, dicens, hic regnis splendor, obtenebrabitur: & in die saltem mortis, nigrescet. Ex nullo capite timenda est regni Christi caducitas. Et idcirco vt notat S. Cyrillus lib. 12. de adorat. mithra Sacerdotalis, quæ ob appressam fronti laminam auream, Symbolum erat regni, videbatur nunquam de capite Aaronis deponi, iuxta præscriptum Exodi 28.

### *Exercitium regiæ huius potestatis, nullum in Christo viatore.*

382 Nec plura de eo Christi regno quod ex obiecto potest *temporale* appellari, quodque Christus habuit semper quasi in theca reconditum, dum hic nobiscum viueret. Non enim assentior Toleto in cap. 1. Lucæ annot. 89. affirmanti, Christum quandoque hac regia potestate vsum, cum etiamnum viator esset; vt cum Lucæ 8. legioni Dæmonum, porcorum gregem dedidit: & cum Lucæ 22. asinam & pullum ad se adduci iussit, præmonitis discipulis, vt si quis soluentes remoraretur, dicerent; *Dominus his opus habet*: nec non Ioan. 2. (in quo exemplo in hanc rem vsurpando præiuit Toleto Bertrandus Cardinalis lib. de orig. iurisdictionum quæst. 3. *sub finem*:) cum per potentiam omnino insignem, effuso ære nummulariorum, & mensis subuersis, mercaturam in templo exercentes expulit. Ad hæc cum ficum exsiccauit Marci 2. & cum adulteram liberauit à pœna legis Mosaicæ Ioan. 8. cum toties admisit regias acclamationes; & militibus sub passionem præcepit, ne cui suorum vim afferrent; sed liberos abire permitterent. Hæc sunt regiæ potestatis Christi exercitia per Christi vitam, quæ Toletus annumerat. Sed nihil horum ad Regiam Christi potestatem directam (de qua hactenus,) est referendum. Possunt enim commodè exponi per potestatem regiam spiritualem, de qua proximè agemus. Vt taceam aliquos, inter quos est Valentia 3. p. d. 1. q. 22. p. 6. ad 4. referre hæc omnia in potestatem increatam. Et quidam etiam sunt, qui ista absque regia potestate à Christo per specialem instinctum patrata, censuerunt: vt à Prophetis qui priuati homines erant, non rarò factum in similibus. Ita ex apertè tradit Vasq. 3. p. d. 87. n. 38. Mihi tamen, quod dixi, videtur commodissimum.

Nego autem expromptam vnquam fuisse à Christo viatore regiam hanc potestatem, ex obiecto temporalem: quia Christus non venit ministrari sed ministrare; nec imperare ciuiliter, & iurisdictionem exercere cum eo apparatu qui sæculi Regibus est solemnis; sed humilitatis & subiectionis exemplo prælucere. Pleniùs in eam rem disserit autor operis de regem. princ. inscripti S. Thomæ lib. 3. cap. 14. & 15. Idipsum verò significare volebat Christus, cum dixit Lucæ 17. *regnum Dei non venit cum obseruatione*. Ibi enim *regnum Dei*, pro ipso *Rege Messia* sumitur, vt responsio Christi quadret Iudæorum interrogationi, qui quæsierant quandonam venturus esset ille ab ipsis tantoperè expectatus Rex Messias. Respondit ergo Christus aduentum Regis illius, malè concipi similem aduentui Regis terrestris, qui cum certa temporis obseruatione expectatus aduenit, & excipitur intra vrbes suas, ius dicturus & dispositurus omnia pro libito. Hoc de regno suo negat Christus eo Lucæ loco, quem hæretici peruersè detorquent ad errorem de Ecclesia inuisibili fusiùs explosi à Suare lib. 1. contra Iacobum c. 8. à num. 16. Itaque seipsum designans, & regni Dei nomine nuncupans, addit; *regnum Dei intra vos est*. Ego inquam qui sum regnum Dei, medius vestrum sto, quem vos nescitis, vnde non veni cum obseruatione, & pompa. Quinquam non me latet, aliò eum locum a Cassiano flecti collat. 1. cap. 13. *sub initium*: vbi rursus *in fine*, de alio triplici præter Christum, in Scripturis memorato regno cœlorum. Nouem insuper nationes eiusdem vocis, ex aliquibus Scripturis eruit Melchior Flauius lib. de regno Christi c. 5.

*Vsus Doctrinæ.*

383 In hac meta, duplex vsus huius doctrinæ obiter legendus est. Primus quo per sanctam superbiam efferamur, quod tantum Dominum habeamus, ac tanti Regis domestici & aulici simus. Mirabatur Epitectus apud Arrianum lib. 1. cap. 3. & lib. 3. cap. vltimo, non se continere hominem, cum à Cæsare inter domesticos annumeratur. Nobis omni iure magni Spiritus sunt assumendi, cum perspicimus, Dominum cuius famuli, Regem esse Regum, eiusque populum esse principes. Non dissimulat S. Athanas. orat. de Ascens. se quadam sancta magnanimitate efferri, cum audiret hominem de sanguine suo, in cœlo regnare. Idem & nos sapiamus, Christum etiamnum viatorem, in cœlo & in terra Regem fuisse agroscentes. Est etiam quod in hac meta, gratiam Domini nostri Iesu Christi cum Apostolo demiremur, qui cum Rex esset vniuersalis Angelorum & hominum, iure sibi tot titulis parto, vti noluit; nec quod nos passim facimus, affectauit regnare & præesse aliis, id quod factus erat, sed subesse quæsiuit. Itaque de regiæ huius potestatis Christi, deque conueniente regni administratione, cum Christus ea perpetuò abstinuerit, nihil hoc loco. Possumus tamen ac etiam debemus, hinc assurgere, ad dignitatem operum ac perpessionum Christi contemplandam ac suspiciendam. Quo enim sublimior est Christi dignitas, (& est sublimissima, cum Rex regum sit, & Dominus dominantium,) eo nobiliores sunt eius actiones. Sed præsertim hanc ob causam, maiorem excitare debet commiserationem, cum nobis obuersatur patiens, & violenta morte occumbens. Conradinus Federici Barberossæ nepos, à Carolo Andegauensi ex fuga retractus, anno 1268. & cum Federico Austriaco Neapoli per carnificem publicè cæsus est. Ad eum nuncium, orbis vniuersus obstupuit: Ipseque Conradinus, Carolo quod caput regium letho addiceret, immanitatem exprobrauit. Petrus etiam Rex Aragonum, in eundem Carolum, hoc conuitij spiculum torsit. *Tu es Nerone Neronior, & Saracenis crudelior*; Quod Saraceni quoque Reges captiuos vererentur, & litri exactione contenti, superstites dimittant, vt factum S. Ludouico Carolo fratri. Mariam Stuartem Scotiæ Reginam, Elizabethæ Anglicæ perfidissima crudelitate carnificinæ suppositam, seculum proximum inhorruit. Adeò omnibus persuasum est, & Regiam personam, etiam in calamitate, debere esse venerabilem, & liberam vexatione. Quis igitur sensus noster esse debet, cum Regem cœlorum ac Dominum, Regem regum, ea à famulis ingratissimis passam audimus, quæ irrogata facinorosissimis, commiserationem excitarent?

## CAPVT II.

*Christus constitutus Rex à Deo, super Sion montem sanctum eius.*

PRæter regnum Christi ex obiecto temporale, de quo hactenus, aliud in eo regnum distinguebamus, quod Spirituale est ex obiecto, nec reuera differt à supremo Pontificatu, quod attinet ad potestatem regendi animas in ordine ad finem Spiritualem & salutem suam.

*Christus solus, vi eiusdem tituli, Rex & Pontifex.*

Quamuis autem in temporibus & secularibus Regibus, potestas Pontifici, siue regnum Spirituale, non iungitur cum temporali vi eiusdem tituli; in Christo tamen vt diserte notauit S. Chrysostomus orat. de vno Legislatore, res aliter habet. [Hæc quidem res (inquit) seditioni inter Iudæos occasionem præbebat, ira vt noua & inusitata inter se quæstione contenderent: Cum enim Apostoli Seruatorem, & Regem, & Sacerdotem, & Prophetam prædicarent; Iudæi inter se contendebant, allatis in medium quæ in lege ipsorum præscripta fuerunt oraculis, & testimoniis. Alia dicebant, tribus Regni, & alia Sacerdotij leuitica quidem Sacerdotij, tribus verò Iuda Regni. Si igitur Christus Rex, ergo non Sacerdos: sin verò Sacerdos, ergo non Rex aduersus quos Paulus agens, omni oratione ad euertendam hanc ipsorum opinionem comparata, ait: num igitur Christus, secundùm Sacerdotij vestri ordinem & institutionem resurrexit? Apud vos quidem Regnum & Sacerdotium distincta sunt. In Christo vtrumque coniunctum esset copulatum. Tu enim, aiunt sacræ litteræ, *Sacerdotes in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Adiungatur S. Bernardus epist. 243. verbis illis. [Nec dulciùs, nec Amabiliùs, sed nec arctius omnino, Regnum sacerdotiumque coniungi seu complantari in inuicem potuerunt, quàm vt in persona domini, ambo hæc pariter conuenirent; vt potè qui factus est nobis ex vtraque tribu secundùm carnem, summus & Sacerdos & Rex. Facundus idem optimè tradit lib. 12. pro tribus capitulis cap. 3. [Cogitare (inquit de Marciano Imperatore,) & nosse facillimè potuit, Christi solius esse regnum cum sacerdotio simul habere: quoniam & si quidam Reges, in eius venturi figuram sacerdotio functi sunt: tamen cum manifesta lux veniret in mundum, vmbras, remouens futurorum, nulli alteri dedit, quod sibi singulare seruauit: sed in diuersos dona sua distribuens, sic quæ propria sunt sacerdotij Regibus interdixit, quo circa quemadmodùm vir sapiens, non profanum iudicaret hoc velle videri, quod solus est Christus?

385 Audin' quo loco antiqui Christiani haberent monstrosam diadematis regij ac thiaræ pontificiæ consociationem, multiplicium abominandorum incestuum concursu procreatam superiore seculo? Nec meliùs de eiusmodi

eiusmodi monstro pronunciauit S. Maximus in collatione cum principibus in secretario, referendus cap. de Christo Pontifice *initio.* Item Felix 3. Epistol. 1. ad Zenonem Imperat. Et Theodorus studita Catech. 127. Taceo recentiores qui in illud erroris portentum, arma potentia Deo strinxerunt. Hosium toto l. 2. Antibrentij, Sanderum l. 2. visib. monar. toto & l. 5. de claue Dauid cap. 2. & seqq. Ribad. splendidè l. 1. de principe à cap. 19. Stapletonium l. 5. de principis à cap. 17. Suarem l. 3. contra Iacobum à cap. 6. Bellarminum l. 3. de verbo Dei à cap. 7. & lib. 1. de Pontif. cap. 7. & in Apologia contra Iacobum cap. 3. aliósque recentiores benè multos. Rem paucis confecit Gelasius Papa in tomo de vinculo anathematis post medium. [Fuerint hæc (inquit) ante aduentum Christi vt quidam figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter Reges existerẽt & pariter sacerdotes: quod sanctum Melchisedec fuisse, Sacra prodit historia quod in suis quoque Diabolus imitatus est, vt potè qui semper quæ diuino cultui conuenirent, sibimet tyrannico spiritu vendicare contendit vt pagani Imperatores, iidem & maximi Pontifices dicerentur. Sed cum ad verum ventum est eundem Regem atque Pontificem, vltra sibi nec imperator Pontificis nomen imposuit, nec Pontifex Regale fastigium vendicauit. Quamuis enim membra ipsius, id est veri Regis atque Pontificis secundùm participationem naturæ, magnificè vtrumque in Sacra generositate sumpsisse dicantur, vt simul Regale genus & sacerdotale subsistant: attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret dispensatione magnifica temperans sit actionibus propriis dignitatibusque distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus intercipi, vt Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontificis pro temporalium cursu rerum, imperialibus dispositionibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus. Et ideò militans Deo minimè se negociis sæcularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur qui esset negociis secularibus implicitus, vt & modestia vtriusq; ordinis curaretur, ne extolleretur vtroq; suffultus; & competens qualitatibus actionum, specialis professio aptaretur. Iulianus Apostata epistola ad Arsacium Ethnicismi Pontificem, quam descripsit Nicephorus l. 10. hist. cap 22. insigniter monstrauit, quàm non sit seculari potestati ius vllum in Sacra; & quomodo in templo quilibet Magistratus sit priuatus. In solo igitur Christo, vi eiusdem tituli, iunguntur regia potestas temporalis ex obiecto, de qua proximè & spiritualis, de qua nunc seorsim agendum.

*In puris hominibus, Regia & Pontificia, potestas, & ex diuersis tantùm titulis.*

386 Semper, *vi eiusdem tituli*, vt occurram alteri errori, quos osores Ecclesiasticæ maiestatis, vellent potestatem quamcunque temporalem negari Clericis: quasi sicut nunc diximus Laicis non competere iurisdictionem Sacram ita nec debeat competere clericis iurisdictio temporalis. Etverè clericis quâ clericis non competit iurisdictio temporalis, vt notum est. Sicut tamen nihil vetat, ei qui temporale regnum vno titulo obtineat, competere alio titulo Pontificiam potestatem; (qua ratione Henricus Lusitanus, superiore seculo, post Sebastiani nepotis mortem, cum esset Archiepiscopus Ebornensis, alio titulo habuit vt simul esset Rex Lusitaniæ:) ita nihil vetat, ei qui vno titulo, potestate spirituali potiatur, aduenire alio titulo temporalem dominationem & iurisdictionem. Eáque ratione plerique Præsules, cum essent ad sacerdotium vocati à Deo tanquam Aaron, iunxerunt cidari Pontificiæ coronam temporalem v.g. S. Cyrillus teste Socrate l. 7. hist cap. 7. temporalem principatum vrbis Alexandrinæ sanè pinguissimum, pretio comparauit; vt deinceps, esset Præsulum Alexandrinorum. Romani item Pontifices piissime largitate multorum Principum, varias dinastias, ac etiam regna obtinuerunt, quanta enumerat Thomas Stapletonius l. de magnitudine Romanæ Ecclesiæ, & Bosius l. 17. de signis Ecclesiæ cap. 3. & 4. Alios Præsules temporalibus potestatibus potientes, enumerat latè Choppinus l. 2. de Sacra politia cap. 1. à num. 7. De plerisque ad septentrionem Præsulibus, titulo donationis, aut emptionis magnos principatus adeptis, notius est quàm vt moueri oporteat. Nec id malè aut iniustè factum, latè contra Caluini grunnitus confirmat Bellarm. l. 5. de Rom. Pontif. c. 9. & 10. Illud igitur dumtaxat negamus Præsulibus Ecclesiasticis. quod eodem titulo, Sacram & humanam præfecturam, siue Regiam siuè inferiorem, sortiantur. Sicut viceuersa, illud vtrum negamus Principibus secularibus ac Regibus, quod eodem titulo quo sunt Principes Regesque seculares, Ecclesiastico quoque principatu fungi possint: quamuis diuersis titulis, cohærere possint iurisdictiones illæ in puris hominibus. In solo Christo, Regia & Pontificia iurisdictio vi eiusdem tituli, summa & plenissima cernitur: ita vt cum mons Sion esset bicollis & biiugus & cuius vno in colle arx Regia, in altero templum contineretur; Christus solus, qui filius naturalis, vtrobique regnaret, & regia ex obiecto temporali ac spirituali potestate frueretur. Ex. posita ergo potestate ex obiecto temporali, ad spirituale regnum progredimur. Et quia Christus vsum & exercitium regiæ suæ ciuilis potestatis suspensam voluit; & hanc solam regiam potestatem exercuit; iungemus cum tractatione huius regiæ potestatis, omnes Christi denominationes petitas à felici regimine subditorum. His enim perfectio regiæ huius spiritualis potestatis exprimitur, ac proinde diuelli ab ea non possunt.

*Spiritualis Regia potestas, siue summus Pontificatus in Christo, cum regno vniuersi ex eodem titulo cohærens, astruitur.*

187 Non est autem quod cui videatur, hoc Christi attributum ad sectionem sequentem fuisse potiùs referendum; eo quod hoc regnum spirituale quod est Ecclesia, coalescat ex solis hominibus. Nam quamuis frequentiùs *Ecclesiæ* vox, solam militantem designet, nec directè nisi homines cõplentatur; tamen vt benè vidit Stapletonius l. 1. de principiis fidei c. 2. ex vsu quoque scripturarum & Patrum, spirituale regnum Christi quod est Ecclesia, non concluditur terarum ambitu, sed cœlos quoque & Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, comprehendit. Hoc enim est illud regnum Dei, de quo Matth. 13. tollenda dicuntur omnia scandala. Hæc illa gloriosa Ecclesia non habens maculam neque rugam, vt D. etiam Augustinus agnouit lib. 2. retract. cap. 18. & S. Hieronym. cap. 31. Ierem. Quod siquis Angelos ab hoc regno excludendos putet, quia non sunt ex genere nostro; at excludere saltem non poterit, quatenus nobis iuuandis, & ad fœlicem regni huius sortem peruehendis, destinati sunt. Omnes enim administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Et hoc nominatim titulo subsunt regi Christo. Qua eadem ratione, Angeli satanæ, ipseque satanas, ad hoc regnum pertinent, Christoque subsunt tanquam carnifices, qui in omni regno, ad purgationem bonorum & malorum excidium, sunt necessarij. Sanè S. Chrysostomus hom. 3. de patientia Iob; Dæmones, Christi & Apostolorum veluti iudicum carnifices, habet itaque rectè titulus Regis Spiritualis, tanquam ductus ex ordine ab Angelos simul & homines, tractandus in hac attributorum Christi classe, proponitur.

Christum esse spiritualem Regem in Ecclesia, tam multis tamque expressis vtriusque testamentis locis proditum est, vt pigeat quædam appendere. Collegit omnino multa Iosephus à Costa lib. 4. de Christo reuel. cap. 4. sed præter cætera illustrissimus est locus ex c. 9. Isaiæ, vbi de Christo dicitur; *super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt corroboret illud.* Ad quem locum videtur allusum ab Angelo Lucæ 1. cum de Christo prædixit; *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et ex loco Isaiæ manifestum videtur, in loco Lucæ *sedem* siue *solium*, non posse accipi pro templo Dauid, à Salomone in imagine extructo, vt interpretatur Villalp. tit. 2. part. 2. lib. 1. Isagogico cap 10. Id enim est *sedes* apud Lucam, quod *solium* apud Isaiam. At neque solium, neque etiam propriè loquendo sedes Dauid, de templo per filium eius constructo, dici potest. Sedes ergo Dauid, est regnum Dauidis. Cum autem constet Christum non sedisse in sede Dauid regnando ciuiliter & seculariter in regno Iudico, vt à Dauide factum erat; (circa quod Iudæi semper impingunt, vt latè tractant mastyges eorum superiore capite annotati, *non multum ab initio*, & impegisse quoque ad eum lapidem hæreticos, autor est Athanasius ad finem sermonis de Deipara); fatendum est, & verba esse accipienda de regia potestate spirituali, quam Christus qui de domo Dauid erat, exercuit in Ecclesia, constitutus à Patre Rex super Sion montem sanctum eius: id est super Hierusalem mysticam, vt habetur Psalmo 2. ad quem locum S. Hilarius, nemini fas esse vult de hoc Christi regno dubitare. [Nescio (inquit), an Christum Regem esse ambigere sit tutum, latrone hoc ipso in crucis passione profitente: *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Sed non sufficit confessio latronis, Regem ipsum profitentis. Testantur etiam adoraturi magi, cum interrogant, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum.* Testatur & Pilatus interrogans, *tu es Rex Iudæorum?* Profitetur & Dominus, respondens, *tu dixisti.* Non negat interrogatus, nec gloriatur humiliandus ad mortem, cum non sit nisi ex responsione confessio ita neque se prætulit professionis autorem, neque interrogata cognitionis veritatem inuidit.]

388 Nec hoc Christi regnum, excludit è terris idem S. Hilarius, eumue cœlo solo concludit, cum mox subdit. [Hic ergo Rex super Sion montem sanctum Dei constitutus est, præceptum domini annuncians, non super illum vtique terrenæ ciuitatis montem; complorat scilicet & homicidæ, & parricidæ Hierusalem: sed Hierusalem eius quæ in cœlis est; quæ matet est nostra, quæ ciuitas Regis magni est; cuius vt existimo, hodieque incolæ sunt in passione domini resurgentes.] Hæc inquam non pertinent ad excludendum è terris spirituale regnum Christi, sed tantùm ad ablegandum seculare regnum super Hierusalem, quale Iudæi comminiscuntur. Spiritualis autem regni Christi portio, ad quam suspiramus, cœlos fecere iam occupat. Portio altera in terris adhuc iactatur, & idcirco S. Hilarius à portione parte, denominauit Christum regem cælestis Hierusalem, non exclusa tamen mystica Hierusalem militante adhuc in terris: idque continenter tradit S. Hilarius, declarans præceptum quod Rex Christus super Sion constitutus annunciat & prædicat. Ostendit enim dirigi ad populos adhuc in terra degentes, qui proinde regno Christi subiacebant.

Regnum igitur Dauidis quod in Iechonia excisum fuerat, non est in Christo instauratum, vt Iudæi falsò & frustra expectabant: sed eatenus suscitatum est regnum domus Dauid, quatenus ea familia, in Christo qui ex ea oriundus erat, denuo facta est regia. Accepit enim regnum spirituale longè sublimius & illustrius illo terreno regno quod in Dauide possederat. Sicque impletum est quod varij Prophetæ de instaurando in Christo regno Dauidis prædixerant. Vt Ieremias cap. 23. *Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Item Ezech. cap. 21. *Aufer cidarim, tolle coronam &c. donec veniat cuius est iudicium, & tradam ei.* Vbi deiectio Dauidici principatus, & instauratio in Christo prænunciatur. Sed perspicuè Amos vltimo. *In illa die suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas*

*aperturæ murorum eius, & quæ diruerant instaurabo.* Non est sensus, illudmet numero regnum è quo familia Dauid exciderat, restituendum fore per Christum in eandem familiam. Id enim factum non est, ac proinde non fuit prædictum. Sed sensus est, familiam Dauid per Christum recepisse potestatem regiam; non quidem illammet è qua exciderat, sed aliam longè altiorem nempe hanc spiritualem, quæ vndecunque sublimior & diffusior fuit carnali illa regia potestate, qua Dauid petitus fuerat, è qua Iechonias exciderat. Quod si instes, verba Angeli de Christo plus ferre videri, cum dicat Angelus, dandam Christo sedem Dauid Patris eius; respondendum est, verba Angeli eundem quoque sensum facere; nec aliud illis subiacuisse quàm quod Deus esset daturus Christo regnum, æquè ac Dauidi dederat; & quidem in illammet regionem in qua Dauid regnauerat, ac etiam longè vlterius diffusum, & longè diuersæ rationis. Quanquam non incommodè Caietanus Lucæ 1. *sedem Dauid*, interpretatur, non quam ipse Dauid tenuerat, sed toties promissam Dauidi pro posteritate sua: quod est regnum spirituale œcumenicum, in quo versamur.

### *Quomodò id Christi regnum, non de hoc mundo.*

389 Hoc est regnum illud, quod Christus negabat esse de hoc mundo: non quod in hoc mundo non sit, sed quod non sit ex eo. Nam & originem alibunde habet quàm ex hominum voluntate, quæ est ordinaria origo secularium regnorum, vt Suares latè prosequitur lib. 3. contra Iacobum cap. 1. & seqq. & habet pro obiecto, personas quæ vi instituti sui non debent de hoc mundo esse, & conformiter ad leges mundi viuere, & cum sit regnum spirituale, non est eiusdem rationis cum regnis temporalibus, habetque finem alium, & planè aliam gubernationis formam; nec eius subditi, mundo & principi huius mundi, vltra seruiunt. Ita Christi verba proposita exposuit S. Augustinus tract. 115. in Ioan. his præter cætera, cum inducit Christum, his verbis Pilatum & Iudæos hortantem, vt deponant vanum metum, quo percellebantur ob vulgatam regni Christi famam, [Audite Iudæi & gentes: Audi circuncisio, audi præputium, audite omnia regna terrena; Non impedio dominationem vestram in hoc mundo. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille maior, cum Christus natus nunciaretur, expauit; & tot infantes vt ad eum mors perueniret, occidit; timendo magis quàm irascendo crudelior. *Regnum* (inquit) *meum non est de hoc mundo.* Quid vultis ampliùs? venite ad regnum quod non est de hoc mundo: venite credendo, & nolite sæuire metuendo.] Nimirum quia regnum quod non est origine humanum, aliud proscopo habet quàm regimen politicum: vnde probè cohæret cum regno sæculari, metam externam politiam spectante. Addit ex sua mente Augustinus. [Dicit quidem Propheta de Deo Patre, *ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*: Sed Sion illa, & mons ille, non est de hoc mundo. Quod est enim eius regnum, nisi credentes in eum, quibus dicit, *de mundo non estis, sicut & ego non sum de mundo*, quamuis eos esse vellet in mundo. Propter quod de illis dixit ad Patrem *non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Vnde & hîc non ait: *regnum meum non est: in hoc mundo*: *Sed non est de hoc mundo.* Et cum hoc probaret dicens, *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis*: non ait, *nunc autem regnum meum non est hîc*: Sed *non est hinc*: Hîc est enim regnum eius, vsque ad finem sæculi, habens inter se commixta zizania vsque ad messem, messis enim finis est sæculi, quando messores venient, id est Angeli & colligent de regno eius omnia scandala. Quod vtique non fieret, si regnum eius non esset hîc. Sed tamen non est hinc: quia peregrinantur in mundo.] Est ergo hoc regnum verè in hoc mundo, non excluſis cœlis: est autem spirituale, non temporale, ideoque dicitur non esse de hoc mundo.

### *Eidem regno obiecta, directè & indirectè.*

390 Voco hanc potestatem regiam spiritualem, ab obiecto in quod directè & per se fertur. Neque attento fine in quem collimet, dicit habitudinem ad temporalia, sed spectato suo primario intento, quod est dirigere animas in vitam æternam, destinetur solis spiritualibus, docendo, remittendo peccata, leges sanctas de variis actibus ad salutem pertinentibus figendo, aliaque huiusmodi præstando: quæ est materia directa huius regiæ potestatis, æquè ac directio in politicam tranquillitatem & pacem mundanam, est finis per se intentus regiæ potestatis sæcularis, quæ propterea actibus ad eum finem proportionalis occupatur. Et ita quidem, vt eos fines transgredi non possit, quia nullæ sunt aliæ res in quas posset falcem immittere præter spirituales: has autem subiungere fini politico, & per ordinem ad eum aptare velle, nefas esset. Itaque potestas regia politica, planè sistit intra finem prædictum politicæ tranquillitatis, quam vt assequatur aut retineat, non potest vsurpare tractationem functionum spiritualium. Viceuersa verò Christi Regis nostri potestas regia spiritualis, ita distinebatur spiritualibus functionibus prædictis, vt quia res temporales debent deseruire spiritualibus, non è contrario; potestque contingere vt aliquando spiritualis potestatis finis deposcat talem & non aliam rerum temporalium administrationem, posset per huius finis sui occasionem, in temporalia præter primarium intentum suum, & tanquam in extraneam materiam intendere, deque eis disponere prout necessitas spiritualis finis tulisset. Nisi enim regia Christi potestas spiritualis id habuisset, non fuisset in suo ordine plena & perfecta; quia non potuisset, de temporalibus fini spirituali cui inseruire debent officientibus, disponere: vel ad illius finis bonum, & potestatis spiritualis debitum exercitium, ea assumere. Existimo autem, plerosque Christi Regis, actus quos Christus exercuit in res temporales alieni iuris, ex hac regia potestate fuisse profectos. Vt ficus arefactionem, immissionem Dæmonum

in

in porcos asinæ & pulli vsurpationem non petito dominorum assensu. Quod enim Tolerus in c. 1. Lucæ annot. 89. censet hos fuisse actus dominij proprietatis supernaturalis, aut iurisdictionis regiæ directè temporalis ex obiecto, non placet: quia ea dominia in Christo fuisse ligata, aut voto, aut proposito abstinendi eorum exercitio, confirmatum supra ex Christi paupertate & humilitate. Vnde vt diceremus actus prædictos à tali aliqua potestate esse profectos adhibenda esset dispensatio paterna, cuius nullum extat fundamentum. Commodiùs ergo dicitur, Christum actus illos elicuisse in ordine ad finem spiritualis potestatis, seu in ordine ad animarum salutem, quæ deposcebat, vt Christus iis argumentis probaret se Messiam & Dei filium: atque adeò verius est, omnes illos actus fuisse solius regiæ potestatis spiritualis, prout à Christo indirectè ad temporalia extendebatur. Et ita Sanderus l. 1. de claue Dauid c. 9.

### *Fundamenta eius seu tituli, & quando inde progerminarit.*

391 Titulus huius regni Christi, idem est qui cæterorum Christi dominiorum, cum proprietatis, tum iurisdictionis: nempe & vnionis hypostaticæ, & donationis paternæ, & redemptionis humanæ. Primus titulus est Christo coæuus, cum pertineat ad ipsam Christi substantiam. Christus (inquit) Cyrillus catech. 10. Dominus verè existens non successione, vel prosperitate aliqua dominationem accipiens, sed naturâ, dominationis habens dignitatem] Secundum titulum prout est immediatè ipsius regni, non autem vnionis regnum fundantis, differendum censeo ad punctum resurrectionis Christi domini, in quo Pater filio redeunti dixit, vt postularet gentes hæreditatem suam, & possessionem suam terminos terræ, vt dicitur psalmo 2. qui totus est de Christi regno in generatione noua Christi, hoc est interprete S. Petro Actorum 1. ex resurrectione collato: in qua idcirco Cabasilas in Liturg. cap. 40. ait Christum factum esse nostrum Dominum. Et tunc quoque exortus est titulus redemptionis. Nam quamuis redemptio hominum consummata fuisset per Christi mortem; tamen quia tunc Christus non erat, regnum in homines & Angelos quod debet supposito perfecto conuenire, non habuit locum vsque ad punctum conferræ denuò cũ corpore animæ Christi; in quo Pater filio dilectionis suæ quem à morte & inferis redeuntem recuperabat; filio verè prodigo, qui in gratiam patris, & ad hominum salutem, vniuersam substantiam suam ad extremam vsque sanguinis guttam exhauserat; affectu humanis vocibus inexplicabili, gratulatus vitam & victoriam contulit & nouis his titulis meriti & redemptionis humanæ consummatæ, plenum ius & dominium spirituale in vniuersam Ecclesiam, quo priùs ex sola vnione hypostatica potiebatur. Tunc sanè cadit in Christum bellissima illa gratulatio Dauidis psalmo 44. quam de hoc Christi regno interpretatur Iulius Firmicus l. de error. profanarum relig. c. 24. *Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna.* Fuit enim verè tunc temporis, rediuiui Christi specie digna imperio, digna regno. Tunc illi iure dictum est, quod regnaturus esset, *propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam*: ob tantum inquam studium veritatis, siue sanctimoniæ in hominibus plantandæ, tantam mansuetudinem in perferendis atrocissimis iniuriis, tantum iustitiæ amorem in satisfactione iusta Patri cum suo exitio exhibenda. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hanc ergo ob causam, spirituali regno in omnes Christi participes, donatus tunc est Christus Dominus.

### *Illustratur, collatione cum vite resorescente.*

392 Tunc Christus vitis vera, post hybernos rigores, & putationem, & tiduanas angustias refloruit, & extendit palmites suos vsque ad mane: quod iuuat exponere verbis Vigilij in disp Nicena cum Arrio. Probat ibi primum, Christum esse vitem, ad hunc modum. [Duo genera vinearum solet commemorare scriptura; vnam quidem bonam, fructuosam, hilarem, lætificantémque cor hominis. Nimirum dominum Iesum Christum, alteram verò Diabolum, rabiem venenumque distillantem, vt scriptum est, *vitij eorum ex sodomis est & palmes eorum ex Gomorra: vua eorum, furor aspidum insanabilis.* Quin & populus nomine *vitis* appellatur, & iusti subinde *vineæ* nuncupantur. Simpliciter autem & absolutè & distinctim, *Ego sum vitis illa vera*, de se dixit Seruator: Ne ex communione vocabuli, adnumeraretur prædictis vitibus, vel cum Diabolo, vel cum vitæ translata ex Ægypto, & plantata vt faceret fructum vuæ, & spinas fecit. Ac propterea de se cum appendice locutus est, *ego sum vitis illa vera*; cuius fructus vita est, gaudium, pax, dilectio, iustitia, fides, sinceritas, cognitio, religio, sanctitas, grauitas, humanitas, mansuetudo, continentia, aliáque similia. Et post nonnulla. Vitis sub hiemem florens, fructificoque relinquitur contra incursus hyemis, crudelissimo assultu frigoris folia nonnulla rabefacientis, quæ per imbecillitatem caduca à summo cacumine humi delabuntur: Sed tamen per id tempus, etiamnum viris palmites suos retinens, hyemis violentiæ non cædit: Et quamquam nonnulli ex palmitibus diuturnitate immensi frigoris lædantur, vitis tamen suo in statu permanens, cum sanis adhuc palmitibus hyemem transmittat, hybernáque ærumnas euadit. Cæterum cum vel attigerit, (hæc est nouum annum,) iam illa se putat ad Regnum peruenisse. Sed agricola de repente superueniens, cultrum illi inducit principio diligenter circunspectans omnes palmites, incipit læsa ab hyeme amputare; deinde etiam sana à tertio quoque aut quarto oculo rescindere. Vitis autem ita nudata, & icta ferro, sublimis consilit, & in cælum respiciens ad triduum lacrimatur, nactæ dein-

de

de consolationem ex diuina prouidentia omissis lachrimis; derepentè, ingenti numero, copiisque palmitum refondescit, talisque apparet qualis anteà fuit, vel potiùs speciosior.] Tum subdit numerum ingentem discipulorum quasi palmitem illi antè adhæ fisse; atque vt experimentum de tot sectatoribus caperetur, cœpere hyberni venti, summa cacumina perflere, multisque proinde frondium instar exatescentibus, euenit, vt non pauci è vitali ista vitè exciderint Adhibet longam apodosim cuius clausula est. [Suspendentes eum fixerunt in cruce, non aliter quàm vitem in pedamento. Ille autem relictus solus, in cruce, quasi binos & ternos duntaxat palmites retinens, manus in transuersum expandit; capite, pectore, & pedibus, in rectum protensis percursus præter cæteros ictus, etiam hasta, lacrymabatur suo sacratissimo sanguine, quasi scatebris fontium. Post triduum verò resurrexit, nihil diminutus, progerminansque sibi post resurrectionem ingentem numerum discipulorum multo maiorem quàm antea: nec in Iudæa solùm, sed & vsque ad mare palmites suos extendit, operuitque montes vmbra eius, & propagines eius cedros Dei.] Hoc planè est dicere, Christum in resurrectione, super vniuersum terram adeptum esse potestatem.

### *Variæ scripturæ, circa punctum constitutum exortus regni Christi, è propositis titulis.*

393 Tunc planè celebratam Christi Regis inaugurationem solemnem, iunctisque acclamationibus, & festo hominum rediuiuorum ac beatarum animarum & cœlestis totius quæ tunc aderat Ecclesiæ plausu, coronationem Christi factam, meritò dicere possumus. Eam namque, ad diem vsque ascensionis non fuisse dilatam, docet quod Christus ipse ante Ascensionem, dixit, datam sibi esse omnem potestatem in cœlo & in terra. Ex quo loco, sic argumentatur Athanas. ad calcem sermonis de Deip. [Genitus ex Virgine, consummatis omnibus quæ ad negotium mortis & crucis pertinebant, post resurrectionem ad suos, aiebat, *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ecce iam inde regnare incœpit, & prædicatur Christianorum Rex, quemadmodum in exordio precum suarum se inuicem adhortantes, atque in cœtum conuocantes clamare solent, *venite adoremus, & procidamus coram Christo Rege nostro.* Et illud itidem, *is qui venturus est, in magno suo & illustri aduentu permanebit regnans in æternum, & regni eius non erit finis.*] Quanquam in die Ascensionis, qui fuit dies triumphi, & ingressus solemnis tanti regis in regiam, sedes ad dexterem Patris Christo concessa est, non sine celeumate, & exultatione noua, quam ita describit Iulius Firmius loco citato cap. 25. vt de collato tunc sceptro & regia potestate, videatur eam accipere: sed hoc anteriùs contigisse, monstratum est.

Præclarè de Christi ad hoc regnum inauguratione in resurrectione, disserit Gregorius Nyssenus otat. 5. de resurr. *sub finem*, expendens in eam rem versiculum primum Psalmi 91. [Cum Propheta Dauid (inquit,) decentis status constitutionem, mortis solutionem, & quondam seruorum libertatem consideraret, exclamat & enunciat, *Dominus regnauit decorem indutus est.* Qualem cedo decorem induit? Perpetuam integritatem atque immortalitatem, Apostolorum cœtum, Ecclesiæ coronam. Non ampliùs Iudas prodit, non ampliùs Caiphas minitatur, non ampliùs Herodes ad puerorum cædem armatur, non iudicat ampliùs Pilatus, neque ampliùs Israëlitæ, ipso potiuntur. Enim verò quod fragile & caducum erat, factum & incorruptum. Ideoque Psalmographus ait, *parata est sedes tua ex tunc, à sæculo tu es.*] Insignia sunt, quæ in eum Dauidis locum hoc sensu acceptum, tradunt Prosper 2. part. de prædict. cap. 3. & Cabasilas in expositione Liturgiæ cap. 18.

394 Consentit ex parte, & aliter quoque eundem Psaltis locum ad hoc Christi regnum in resurrectione partum accommodat, S. Epiphanius hær. 69. Sic scribens num. 64. Etenim dixit, *Dominus regnauit decorem indutus est*, subinde illud adiicit *induit Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Vbi primum indumentum ex Maria sumptum, posterius vbi a mortuis excitatus est, accepisse demonstrat: Est enim scriptura teste, primogenitus ex mortuis: Propterea secundum hunc vestitum accuratiùs firmiusque communit his verbis: *Induit Dominus virtutem & precinxit s-.* Quemadmodùm enim qui lumbos suos præcingit, vestem ad illam corporis partem diligentiùs adstringit, vt ad corpus suum arctiùs adhæreat; ita Christus primùm decorem induisse, propter incarnationem dicitur: post ea verò virtutem, cum videlicet à mortuis surrexit: Ita vt non iam ad cruciatus ferendos, aut verbera, vel crucis supplicium humana illa natura distendat, vt de eo testatur Apostolus; *surrexit iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Ob id (inquit) *præcinxit se*; Cum nimirum carnem suam cum diuinitate sociauit: idque in vnam singularemque personam: In spiritum diuinum, pariter & corporeum: in vnum quidam spiritale, perfectum quod dissolui vltra nequeat.] Ex his præsertim postremis verbis, facilè est perspicere, quæ S. Epiphanius de incarnatione commentatur, ad illa verba *decorem indutus est*, non pertinere ad primam incarnationis effectionem in vtero Deiparæ: sed ad nouum exórtum eiusdem carnis viuæ & animatæ, Verbo in resurrectione sociatæ (nam caro absolutè, vnita semper Verbo mansit,) siue compositi totalis, quod primùm in Deiparæ viscribus conditum, denuo vestitum est in resurrectione. Et sanè tunc Verbum vestitum est, non modò mysticum decorem humanitatis tam multa de Deo decora patefacientis; sed etiam physicam & realem: cum Christi humanitas fuerit tunc speciosissima & fortissima, regnoque & imperio dignissima à primo resurrectionis puncto: in quo proinde celebrata est regni huius inauguratio.

### *Adolescens secundus in resurrectione Christus, iuxta Ecclesiasticum c. 4.*

395 Planè tunc Christus, innotuit is esse, quem sapiens Ecclesiastici 4. *adolescentem secundum* nominat, iuxta Origenem & Victorinum apud sanctum Hieronymum ibi; qui non obscure astipulatur iisdem: & apertè Ialonius

ac Olympiodorus, sed omnium disertissimè S. Ambrosius lib.de instit.Virg.c.12.locus sapientis,dignissimus est expensione. Præmiserat v.13. *melior est puer pauper & sapiens, Rege sene & stulto, qui nescit prauidere in posterum; quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno, inopia consumatur.* Subdit à versu 15. *Vidi cunctos viuentes qui ambulant sub Sole, cum adolescente secundo qui consurget pro eo infinitus est numerus populi omnium.* In versu priore, nomen *pueri*, non designat pusillæ omnino ætatis hominem,qui vix infantiam excesserit. Quomodò enim qui eiusmodi est,sapiens diceretur?Itaque *puer* ibi,idem sonat ac *iuuenem.* Nam & vox *Ieled* quam hîc interpres per *puerum* expressit c. 11. ab eodem interprete est per *adolescentem ac iuuenem* verbis illis. *Lætare iuuenis in adolescentia tua,& in bono sit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ.* Quod eodem modo passim dicimus tres pueros formati immissos; qui iuuenes perfecti erant erant. Ad literam ergo sensus illius sententiæ esse videtur, sapientiùs plerunque se gerere Regem iuuenem, qui inconstantiam fortunæ, etiam in rerum humanarum apicibus ponat sibi ob oculos, cum Reges deiici, & in carcere conclusas, sustolli ad regnum contingat. Id enim non considerare, eaque caducitate potestatis tumorem non ponere, magnæ est improuidentiæ ac stultitiæ,quam metitò in Rege sene culpat sapiens. Inde verò ad aliam Regis stulti improuidentiam conuertit sermonem,versu posteriore:additque; vt contingat non deiici Regem senem, tamen frequentissimè accidere, vt omnes ad Orientem solem obuertantur, & iuuenem qui pro eo regnaturus est, impensiùs colant, superstite etiamnum sene Rege.

396 Huic literali sensui, mysticum inædificarunt Patres. Regem enim senem,sed stultum; Satanam intelligunt,cuius dominatus, ab initio mundi ad Christum vsque protractus est. Ipse quippe est *mors* illa, de qua [Rom. 5. *regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem:* seu quandiu lex Mosis duraut. Qua item ratione S. Augustinus in psal.48.ad illud *mors depascet eos*,mortem interpretatur [Diabolum, pastorem hædorum, inferni stabulo conclusorum.Insipientiam planè suam prodidit Rex esse senex, cum infirmitatem [Christi non vidit eo spectare, vt nos roboraremur, & pro esse seu fortitudine nobis collata, assumpsit carnem & infirmitatem,iuxta præclaram eiusdem S. Augustini ratiocinationem tract. 15. in Ioan. ad illud *fatigatus ex itinere*; Euæ & Adamo, nostram ex Christo infirmo facto procreationem, componens. Quò hac infirmitas venderet,non considerans Satan, Rex senex & stultus, fecit diuitias & non in iudicio; in dimidio dierum suorum derelinquet eas. Hoc ergo Rege sene, sed stulto, Christus puer, pauper, & sapiens, longè fuit laudabilior. [Rectè puer (ait S. Ambros. *in fine* epistolæ ad Clericos, *est epistola* 17. versans hunc locum;) quoniam puer natus est. Et verè optimus puer, cui dictum est à patre Deo; *magnum tibi est vocari puerum meum.* Sapiens quoque vt Euangelium docet; quia *proficiebat ætate & Sapientia,* (conuenienter etiam pauper, quia cum dites esset pauper factus est,vt nos sua inopia ditaret] De eodem egregiè cap.illo 12. [Hic est iuuenis secundus, vt dicit Ecclesiastis, *vidi vniuersos qui viuunt, qui ambulant sub Sole cum puero secundo. Quis resurget pro eo?* Quis enim pro Christo resurget, cum ille pro omnibus resurrexerit, & in illo omnes resurrexerint, cum spem resurrectionis acceperint. De Christo autem dictum liquet, quando aduertis congruere istum locum cum vel prophetia Iacob qui ait de Iuda; *quis suscitabit eum?* Non vtique alter, quia ipse se suscitauit, sicut ipse ait *solute templum hoc,& in triduo resuscitabo illud*: Hoc *autem dicebat de templo corporu sui.* Illud quoque verè Christo conuenit soli,quod addidit; *non est finis omni populo eius*: quia populus Christi innumerabilis,finem non habet;cui fides resurrectionis æternæ, perpetuæ vitæ acquisiit ætatem secundùm carnem itaque, & *iuuenem* dictum & cadere vel resurgere dubium non est.Denique & illud attexuit, *quia optimus puer pauper, & sapiens.* Pauper enim factus est, cum dines esset.] Adhibet (vt vides,) S. Ambrosius, interrogationis notam, quæ in vulgata editione desideratur: nec legit, *qui resurget* sed *quis resurget?* Censens allusum à sapiente ad benedictionem Iuda, quam similibus verbis conceptam late quoque Christo rediuiuo aptat l. de benedict. Patriarch. c.4. In puncto itaque resurrectionis, Christus resurgens pro omnibus, & pro quo nemo resurgit, iuxta S.Ambrosium & alios Patres adductos,est adolescens ille secundus,Regi seni & stulto substitutus,cuius populus infinitus est.Duo illa verba *adolescens secundus,* sunt suauissima.

397 Verè adolescens Christus in resurrectione, sumpto *adolescentis* nomine, non prout apud Philonem in Cosmop. Macrobium, Gellium, & alios pro tertio ætatis gradu supra infantiam & pueritiam constituto; sed prout idem sonat quod *iuuenem.*Non confundi in Scripturis *adolescentem* cum *iuuene* & *adolescentiam* cum *iuuentute* S. Gregorius hom.2. in Ezech. rectè obseruauit,ex illo Ecclesiastis 11. *Lætare iuuenis in adolescentia tua.* Quomodò enim iuuenem ab adolescentiæ vitiis, vel adolescentem à vitiis iuuentutis auocaret, nisi ibi idem sonaret *iuuenis & adolescens?* Adolescens itaque Christus,id est iuuenis. Quo nomine vegetam & robustam optimèque constitutam & florentem corporis constitutionem,passim intelligunt. Ipsique etiã Medicorum Reges,Hippocrates lib.6.de morbis popular.& ad eum locum Galenus, vocant *fulgorem adolescentiæ*, luculentum illum corporis florentis habitum,quem Ecclesiastes cap.12.vocauit *lumen*,hortatus iuuenem vt Dei meminisset *in diebus iuuentutis suæ, antequàm tenebrescat Sol, & lumen.* Illud inquam faciei candidæ & rubicundæ lumen, de quo Iob cap. 29. alebat, *lux vultus mei non cadebat in terram.* Sanè psal. 109. vbi Christi rediuiui status & potentia describitur,auctore S.Petro Act.2.vbi nos legimus, *ex vtero ante luciferum genui te*; Aquila, Symmachus, & Theodotiõ, consentanee ad Hebræum textum verterunt, *tibi ros adolescentiæ tuæ.* Rorem profert propheta tanquam idoneum Symbolum resurrectionis, quia benigno rigatu fouet plantas, ac germinare facit. Vnde Isaiæ 26. Deum alloquens Propheta, solatur se de piorum anastasi à Deo facienda, non resurgentibus impiis in iudicio. *Viuent mortui tui* (inquit,)

(inquit,) *interfecti mei resurgent; quia ros lucis, ros tuus, & terram Gigantum detrahes in ruinam.* Rore lucis, seu vitæ, suos perfundit Deus quo reuiniscent, & pro innata rori facultate subuehentur in altum. Nam roris vis, non modò est viuifica, sed etiam vt S. Paulini vocem vsurpem, *altipeta*, ob raritatem & tenuitatem. Vnde si ouum vacuatum repleat quis rore, & imæ lanceæ ad solem locatæ accommodet, subuehitur ouum ad summam vsque lanceam. Hoc itaque rore viuifico, & altipeto, perfusus est Christus resurgens; vt meritò notum illum psaltes vocarit *rorem adolescentiæ Christi.*

398. Agit de eadem adolescentia Christi, sapiens prouerb. 30. proponens tria difficilia sibi, & quartum quod penitùs ignorare se profitetur. *Viam Aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* Quo loco, tametsi ad literam designetur incertum adolescentiæ, non minus imperuiũ præsentationi humanę, quàm viæ aquilæ, & nauis, & serpentis supra petram nudam; (Quàm multi enim qui in tenera ætate putabantur futuri Abeles, grandiores facti, transformantur in Cainos:) Tamen plerique Patrum, mysteria vitæ Christi primaria, designari ibi arbitrantur. Anastasius quidem quæst. 43. S. Ambrosius lib. de Salom. *fere toto*, Beda & Lyranus ibi, *viam viri in adolescentia*, interpretantur conceptionem Christi; qui vir circumiit in vtero adolescentulæ. *Viam* verò *nauis in medio mari*, exponunt conuersationem Christi nobiscum, eiusque prædicationem. Sicut *viam colubri super petram*, volunt esse viam Christi crucifixi, per sepulchrum clausum; cum redux à mortuis, notas nobis fecit vias vitæ. Tandem *Aquilæ viam in cœlo*, aiunt esse notam Ascensionis Christi. Accommodatè tamen ad rem præsentem Isid. Pelus. lib. 1 epist. 416. *Viam Aquilæ volantis*, accipit de æterna Verbi generatione, de qua Iob *semitam ignorauit auis. Viam colubri super petram*, interpretatur de Incarnatione, qua coluber siue humanitas, immotæ rupi Deitatis, per Verbum adiunctus est. *Nauis viam in mari medio*, aptat ad ascensum Christi in Patrum carcerem. Tandem *viam* viri in adolescentia ait esse Christi resurrectionem, qua Christus verè adolescens agilis, vigens, ac florens apparuit; non vltrà mortalis, nec dandus in manus impiorum: sed purissimus ac nitẽtissimus, vt propterea iuuencaruffa sine vitio, & iugum nunquam passa, vt Philosophatur S. Augustinus quæst. 35. in Num. extra castra mactata, combureretur cum stercore suo, (omni inquam ignominia, in splendorem ignis & gloriam, commutata;) resurgentis Christi typus expressissimus fieret. Eadémque perpulchrè Blesf. serm. 46. *initio*, accommodat illud, *stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua.* Angelus enim testamenti Christus, ante in cruce prostratus, ante crucem redeuntis stetit, & in manu sua ac potestate deinceps habuit corpus suum, potestati impiorum subductum; quia Christo rediuiuo, mors vltra non dominabitur. Hic est ille Daniel, puer iunior siue adolescens, Græcè νεανίσκος qui Draconem interfecit, porrecta ei atque permissa massa ex pice & adipe: quæ duo binas Christi naturas optimè designant, (vt Eucher. hom. 11. de Pasch. rectè philosophatur;) vnde disruptiora vteri Satanæ, & dolores inferni per vomitum soluti, de quo egregiè Sanctus Chrysostomus hom. 24. & 38. in 1. Cor.

399. Quomodò autem Christus in resurrectione fuerit *adolescens secundus*, multipliciter exponi potest; suppositio, Ecclesiastem non vocare Christum *secundum*, ratione diuinitatis vt plenè prosequitur S. Ambros. l. de instit. virg. c. 10. quia quamvis ordine originis Verbum sit secundum; non tamen ratione dignitatis, vel durationis: quia quoad hæc omnes diuinæ personæ sunt æquè primæ. Quæ causa est, cur plerumque in scripturis, Pater Filio, & vterque Spiritui sancto postponatur, ex variis exemplis docet ibid. S. Ambrosius dicitur ergo Christus *secundus*, ratione humanæ naturæ resurgentis. Nam ratione eius Apostolus 1. Cor. 15. ait de Christo resurgente, *primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Præmiserat enim immediatè ante, collationem grani cum corporibus rediuiuis, quibus primum & secundum hominem expressos docuerat; allegata scriptura illa, *factus est primus homo in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem* subditque, *primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*: vbi manifestè liquet consideranti texturam capitis, *spiritum viuificantem*, dici corpus hominis secundi, siue Christi, rediuiuum; plerisque spirituum prærogatiuis potiens, & dans vitam mundo. Ac proinde propter suum hunc statum, Christus resurgens, sicut ab Apostolo ita à Sapiente dici potuit *homo secundus*: quia eodem florent statu corporis resurrexit, quo Adam formatus fuerat, vt iisdem lineis quibus perierat, salus humana repararetur.

Hæc non dicuntur improbabiliter. Congruentiùs tamen ad sapientis locum, & acoluthiam capitis philosophabimur, si dicamus, Christum rediuiuum dici *adolescentem secundum*, quia successit Regi stulto. *Secundus* enim sæpè pro successione accipitur, iuxta illud Ecclesiastis 4. *vnus est, & secundum non habet.* Et meritò *secundus* Christus, quia in eo tristia & passiones, præcesserunt posteriores glorias, vt dixit Apostolus epistola 1. cap. 1. At *res secundæ* ex Augustino 13. Trinitat. capite 15. & Bernardo sermone habito in Concilio Generali (pag. 1395.) latinis dicuntur res prosperæ, quia excipiunt aduersa antegressa. Ex quo Dei vsu Origenes hom. 1. & 12. in Ierem. obseruat fieri, vt semper in Scripturis præmittantur tristia, & subiiciantur prospera ac læta. Igitur Christus priùs attritus passione, factus à Deo iusto remuneratore in resurrectione Rex super Sion montem Sanctum eius, exturbato Tyranno sine ac stulto, qui nesciuit prouidere in posterum; prodidit se *adolescentem secundum*, & verè Regem Ecclesiæ.

*Vnitate Imperij Romani, seruitum diffusioni Christi, vt & mundi durationc.*

400 Quamuis autem lex Christiana non sit solemniter promulgata nisi in Pentecoste, atque adeò post Ascensionem Christi Domini, nec ante diem sub obligatione esset; (esto, iam à puncto mortis Christi; lex antiqua fuisset antiquata;) tamen Christi spirituale regnum iam ante cœperat in Apostolis, aliisque omnibus fidelibus, qui tunc viuebant vel cum explicita Christi fide, vel cum implicita. In eos enim regnauit Christus hoc spirituali regno. Et quamuis tunc præ posterioribus temporibus, essent perpauci, qui spirituali regno Christi subderentur; nihilominus constitutum iam erat & Christo traditum Ecclesiæ regnum; quod vt dilataretur commodiùs, prouisa diuinitùs est vnitas Romani imperij: vt optimè notarunt S. Leo serm. 1. de SS. Petro & Paulo. Prosper lib. 2. de vocat gent. cap. 16. Et mellitissimè Eucherius in paræn. ad Valeria. quem vt tanta regni Christi præcellentia cui omnia alia regna seruiunt, innotescat, placet attexere. Ita habet num 23.] Per fidem homini salutem dedit, statuitque vt id quàm facillimum factu esset, per quod spem orbi terræ, ac vitam mortalibus propagaret. Et vt ad ista descendam, illa aliquando externa omnia, id est nationes & regna, putasne ob aliud indictionem cessisse Romanam, & ob aliud magnam partem generis humani in vnum transisse populum, nisi vt faciliùs, tanquam medicamentum per corpus vnum; ita per vnam gentem fides infusa penetraret: vt capiti ingesta, velociter se per membra diffunderet. Alioquin non ita cucurrisset inter crebras & discrepantes ritibus linguisque gentes; nec tam longè per nouorum semper gradiuum obiecta transisset: Deniq; beatus Paulus, per hunc eundem populum disterminans fidem, scribit se ab Hierosolymis vsque ad illicum, Euangelio Christi cuncta replesseri. Quando autem istud inter nationes, aut multitudine innumeras, aut immanitate barbras extitisset? Indè est, quod nunc terra à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari, Christum resonat: quod ad vitam omnia mundi latera concurrunt, dum fidem Thrax, fidem Libris, fidem Syrus, fidem receptat Hispanus. Magnum ergo ex hoc diuinæ pietatis argumentum est, quod sub Cæsare Octauio, cum vtique Romana possessio serticem tenuit, tunc se Deus terris dedit. Itaque vt tua apud te proferam, cum ab ortu regni huius, centesimus & octogesimus quintus fere supra millesimum vertatur annus; quidquid vel sub illa primùm dominatione regum vetusta, vel sub illa deinde gemina administratione Consulum, Romano floresit Imperio; omnia Christi aduentui præparata, diffundendæ fidei prouisa, potest si quis idoneus est, assector ostendere.] Concinit Prudentius hymno 4. peristeph. à versu 415. sic alloquens Deum.

*O factor orbis, & poli,*
*Atque autor horum mœnium*
*Qui sceptra Romæ in vertice*
*Rerum locasti, sanciens*
*Mundum quirinali togæ*
*Seruire, & armis cedere;*
*Vt discrepantum gentium*
*Mores, & obseruantiam,*
*Linguasque, & ingenia, & sacra*
*Vnis donares legibus.*
*En omne sub regnum Remi*
*Mortale concessit genus,*
*Idem loquuntur dissoni*
*Ritus tot ipsum sentiunt.*
*Hoc destinatum quo magis*
*Ius Christiani nominis*
*Quodcunque terrarum patet,*
*Vno illigares vinculo.*

401 Sic igitur prolusum est dilatando Christi regno, & debilitibus principiis inchoato. Postea verò magis ac magis auctum est, augeturque etiamnum in dies, & ad finem vsque sæculi amplificabitur, nouis subinde populis ac gentibus ad fidem Christi, & subeundum eius iugum aggregatis: ita vt tum demum desiturum sit sæculum, cum desierit alicubi de nouo insonare posse regnum Christi, nullaque superierit natio aut regio, in qua disseminata non fuerit doctrina Euangelica, nouos subditos adducens Christo. Vnde intelligimus, quò referatur mundi duratio, & quæ intra eam fiunt, fientve omnia; nempe ad deductionem eorum qui hæreditatem capiunt salutis, quia autem absque fide impossibile est placere Deo, prouidè Christus non priùs mundo finem & sæculorum series clausulam apponi volet, quàm fidei tuba vbiuis insonuerit; vt audiant quorum corda Deus aperuerit, & incredulí sint inexcusabiles. Qua eadem ex causa, vt fides Christi vbique gentium commodissimè disseminaretur, & omnem terram exiret citiùs sonus annunciantium aduenisse Deum in terras, prouisa est initio eius vnitas Romani imperij vt supra ex S. Leone, Eucherio, ac Prospero, & Prudentio obseruabam; Hoc si spectarent *magnæ illæ mentes*, interprete S. Basilio in cap. 10. Esaiæ, illi inquam terræ ac terrenis affixi, qui præ temporalibus æterna calcat, & ei quam proposi tam habent paucorum dierum excelsitati; post habent maiestatem regni Christi, aut etiam eius salutem & conseruationem; næ illi, finem mediis non postponerent; absurditate longè pernicisiore, quàm qua boues post aratrum ab incondito agricola iungerentur. Sed ad rem.

Quod dixi de mundi clausula, tunc apponenda cum regnum Christi fuerit vniuerso orbe prædicatum, certum est ex multis scripturis. Idque signum secundi aduentus Christi, maximè omnium videri certum debere, affirmat S. Augustinus epist. 78. & 80. nec non D. Thomas in 4. disp. 43. quæst. 1. art. 1. & ex illis A costa lib. 1. de tempor. nouiss. cap. 16. adducens & vrgens illud Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Quæ verba tametsi à S. Hilario can. 25. in Matth. & Chrysostomo homil. 76. in Matth. accipiuntur de consummatione vrbis Hierosolymitanæ per Vespasianum & Titum; tamen præcipuè ac propriè intelligi debent de orbis vniuersi consummatione, & præuia ad eam prædicatione per totum mundum; vt rectè interpretati sunt Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Prosper, Damas.

Damascenus, & Autor imperfecti, quos appendit superiùs à Costa. Et alios quoque in eam rem graues Doctores, annumerat Suares tit. 2. 3. part. disp. 56. sect. 1. Quare dura voluuntur sæcula, & quousque finiantur lux & tenebræ, spirituale hoc regnum Christi non est planè pacificum: quia non omnes inimici sunt deleti, plerisque adhuc lumini rebellibus; aliis etiamsi fidelibus, tamen quoad mores Satanam nondum ligatum, & necdum carcere pressum, in ruinam suam sequentibus, aduersus edicta Regis optimi Christi. Sicut tamen nemo idcirco negauerit, nunc esse in Ecclesia regnum Christi spirituale, ita initio ante factas tot regnorum sæcularium & principatuum ac imperiorum accessiones ad Christi imperium, erat verè regnum Christi: sed limitibus angustioribus circumscriptum, præsertim ante Pentecostem.

### *Decora, regni Christi spiritualis, ac primùm obiectiua extensio.*

402 Prærogatiuæ regni huius aliis Christi dominiis communes, ducta ex obiectiua extensione, & fundamento seu titulo, ex duratione, & stabilitate, sunt admodùm protritæ. Delibabo de singulis selectiora quædam. Obiectiua extentio tanta est, vt ad eam non Angeli modò, iuxta dicta initio, sed omnes planè gentes, & populi, ac imperia pertineant: sin minùs de facto, quibusdam nondum edomitis, vt de iure. Inde enim est, quod nullo in regno, claudi possint fores, adeuntibus ad illud Euangelicis concionatoribus: falsque est, eam repullam armis vlcisci, vt dicitur cum de fide. Ortum quoque hinc habet, obligatio omnibus iniecta ad audiendam Christianam doctrinam, eiusq; sacra capessendæ. Quas obligationes non iniiciebat lex Mosaica, quia Mosis præfectura varius quàm regnum, non potiebatur iis finibus extensionis, quibus regnum Christi etiam spectato solo iure. Ab hoc regno nulli glorioſi nulli quantumuis sublimes, sunt exempti. Omnes subiici filio voluit Pater omnes grauissimè contestatus est Dauid Psalm. 2. vt intelligerent, & erudirentur, setuientes huic Regi cum gaudio, & exultantes ei cum tremore, condientes scilicet ac temperantes gaudium de tanti Principis fœlicissimo dominatu, metu excidendi à tanta fœlicitate, in tam multis hostium agminibus, tantaque eorum cum superbia, tum obfirmatione in nequitia. Hos diuites dandas esse Christo pro obiectione mortis & sepulturæ, prædixerat Esaias. *Erunt Reges nutritij tui*, aiebat ad Christi Ecclesiam, hoc est ad Christi regnum, Esaias cap. 49. *& Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Hoc quotidie videmus, frementibus & rabientibus licet maiestatis Christi osoribus, Christum in suo Vicario honorantibus Regibus, & ad pedum oscula, & verrendam humum quam calcant, admitti pro beneficio ducentibus. Consulendus qui de osculo pedum Pontificis iustum volumen edidit, Iosephus Valentius, & Genebrad. anno Christi 44. ac in fine sæculi terrij. Hoc tot Imperatores & Reges, stratorum officio Pontificibus eadem ex causa functi, vel equitantibus pedites, & equi frena aperto capite tenentes, præstiterunt. Notum quid Luitprandus Rex Longobardorum, & Pepinus Rex Francorum; hic Zachariæ, ille Stephano honoris detulerint. Videsis Stapletonium lib. 2. de magnit. Rom. Ecclesiæ cap. 4. & Bosium lib. 2. de signis cap. 4. & 5. sic sibi Christus Reges subiecit; sic hanc veluti hederaceam speciem, aut cucurbitæ vmbraculum, vermis hic antelucanus arrosit: & quod stupore plenum est, absque strepitu & armis. Imo resistentes & ferro ac igne armatos, inermis attriuit.

403 Omnes præterea nationes, quantumuis indomabiles externis armis, quantumuis mitti sub iugum nescias, Christus Rex, regno suo aut iam adiunxit, aut adiungit in dies: semperque adiungere & subigere perget, ad orbis vsque extremum finem. Significatum id ad Esaiæ cap. 45. perillustri loco quem latè versat Cassianus lib. 4. de Incarn. à cap. 9. sic autem habet. *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabain, viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt; post te ambulabunt vincti manicis pergent, & te adorabunt, tecum deprecabuntur; quoniam in te est Deus, & non est præter te Deus. Tu es enim Deus noster, & nesciebamus, Deus Israël, saluator.* His verbis hanc præter cæteras glossam adhibet. Cassianus supra cap. 11. [In his diuersarum nationum vocabulis, aduentum ereditrarum gentium significari nomini dubium est. Transisse autem ad Christum gentes, negare non vales? vtpotè quæ nomine Christianitatis indepto, non fide tantùm ad Dominum Iesum Christum, sed etiam ipso nomine transierunt. Qua cum idem quod sicut vocentur, factum est quod erat fidei opus, nominis Sacramentum. *Ad te* (inquit) *transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt vincti manicis pergent.* Sicut sunt vincula correctionis, ita sunt vincula Charitatis: secundùm quod ait Dominus *attraxi eos in vinculis Charitatis*; quibus qui alligantur gaudent catenis suis.]

Agnoscent ergo omnes hæ gentes ditissimæ, opulentissimæ, nobilissimæ, fortissimæ; agnoscent inquam Christum Deum & Regem suum, eique adorabundæ subdentur: nec sine gaudio de tanta subiectione. Et huius Israëlis, Christus Saluator, appellari Rex & Princeps non aspernabitur. Quo pacto S. Augustinus tract. 51. in Ioan. accepit verba illa turbarum de Christo, *benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël.* Nomine quippe *Israëlis*, omnes credentes & fide contuentes Deum, ex mente Spiritus sancti sunt ibi significatis astipulante Apostolo Romanorum 9. Sicut nomine *Iudæorum* teste Apostolo, non ij tantùm qui in manifesto sunt Iudæi appellæ, sed & qui interiùs Iudæi sunt, & circumcisi animo, designantur: vt pleniùs prosequitur S. Augustinus Psal. 75. *initio* Cæteroqui enim non magnum fuisset Christo, nominari Regem Israël.

Hanc obiectiuam extensionem regni Christi, celebrant infinitæ præterea scripturæ. Mentiti quidem aliquando sunt Donatistæ, finibus Africæ conclusum esse Christi regnum. Sed tot eos machinis Scripturarum appetiit, & euertit funditùs S. Augustinus, priore parte tomi 7. passim; & frequentissimè in tractatibus ad populum, & in expositione psalmorum, ac pulchrè l. de pastor. c. 15. & seqq. at superuacuum videa-

tur, quicquam in particulari notare, nisi id vnum quo omnia continentur ; nempe regnum hoc, œcumenicum & vniuersale esse, omniáque planè comprehendere ; quanta nulla vnquam fuit regni vllius vel imperij protensio : vt meritò de Romano imperio quod constat fuisse amplissimum & latissimè fusum, dixerit Prosper carmine de ingratis, minùs occupasse & tenuisse armis & temporali potestate, quàm religione teneat spirituale Christi regnum, cuius regia, Romæ locata. Videsis de hac amplitudine & extensione plenè disputantes Thomam Stapletonium lib. 1. de magnit. Rom. Eccles. cap. 3. & 4. & Bosium in opere de signis. Titulum *Regis Regum* Christo in scripturis tributum, de hoc regno accipit Orig. hom. 12. in Num. tractans illud de *puteo*, quem Christum esse exposuerat; *foderunt illum Principes, exiderunt Reges.* Hoc quippe Reges, ait esse quorum Christus Rex dicitur, præsertim quidem Apostolos, insuper etiam omnes fideles.

### *Sapientes sæculi, aduersùs Christi regnum frustrà comiti, tandem subacti, & quidem per Idiotas.*

404 Spectat verò ad præcellentiam regni Christi ex parte obiecti, quod non modò diffusissimum est multitudine ac numero diuitum, & potentum secundùm carnem: sed etiam Sapientum dissertissimum : tametsi doctrina Christi naturalem rationem adeò superat, vt carneis oculis eam contuenti, stultitia videatur. Sed in hoc elucet vis & potentia Regis nostri, quod oculare potest hebetes visus, & ad contuendam veritatem tametsi abditam, externa specie despicabili, lynceos reddere. Sanè pereruditi viri & omni scientiarum humanarum genere excultissimi, in Christianæ Ecclesiæ exagitationem, libris conscriptis incubuerunt ; sed irrito nisu. Egregiè de more id suspicit S. Chrysostomus lib. de S. Babyla contra Gentiles. [ Philosophi (inquit) ingeniosi, item Rhetores, opinionem multam cum apud plerosque haberent; illi seueritatis, hi eloquentiæ, gesta aduersùs nos pugna, ita ridiculi euasere, vt visi fuerint nihil prorsùs à nugantibus pueris discrepare. Ex tot enim gentibus, ex tot populis, non sapientem aliquem non insipientem, non virum, non mulierem; sed ne puerulum quidem, à sententia suadendo deducere potuerunt : quin potiùs tantus risus ex his quæ illi contra nos conscripsere exortus est, vt vel eorum libri iam olim exoleuerint. Ex quibus etiam complures, simulátque editi fuere, funditùs deperierunt. Sicubi autem saluus aliquis comperiatur, hunc penes christianos saluum inuenies. Tantùm abest, vt ab illorum in nos insidiis, detrimentum aliquod reformidemus. Sic irridemus multiplices eosdemque superuacaneos, illorum aduersum nos conatus. Neque enim si adamantina atque immortalia nobis corpora inessent, scorpios, serpentes, ignem, manibus constringentes ; timeremus: quinimo & huius rei periculum vulgo ostentantes, faceremus eadem ratione. Ne ipsi quidem posteaquàm animas nostras fidémque in nobis tantam stabiliuit Christus, hostium nostrorum venenis petiti, timemus. Nam si nobis imperatum est super serpentes ac scorpios, super omnem item Diaboli tyrannidem ambulare; multo magis super lumbricos, & scarabeos. Horum enim librorum ab aduersariis religionis nostræ conscriptorum nocumentum, tali interuallo dissidet, si eos compares cum mali illius in nos dæmonis insidiis.]

405 Non irrito duntaxat nisu sapientes sæculi in Ecclesiam sunt bacchati, sed etiam absorpti sunt iuncti Petræ, vt S. Augustinus pulchrè philosophatur in psal. 149. Quàm multi inde philosophi, vt verè sapientes euaderent, stulti secundùm sæculum facti, Christum Regem venerati sunt, eique colla submiserunt? Testes Dionysius Areopagita, Iustinus, Gregorius Neocas, Arnobius. Et ij quidem per quos primùm plantata est Ecclesia, rudes erant & illiterati: Quid prouidentissimè factum fuisse, Origenes annotauit lib. 1. contra Celsum, *non procul à fine*, & egregiè lib. 3. *fere in fine*, vbi quod oratione huiusmodi incompta mutati sint homines, & ex pessimis facti sint probi, sic suspicit. [ Nec mirum composita & ornata Philosophorum facundia motos, mutasse vitam quos iam diximus. Cum verò consideramus sermones (vt Celso videtur) idioticos, haud secus quidem ac incantationes, plenos efficacia, & agminatum retrahentes multitudinem à luxu ad honestatem, ad æquitatem ab iniustitia, à timiditate ad tantam constantiam, vt amore pietatis etiam mortem nihili faciant; an non meritò demirabimur tantam potentiam ? Namque doctrina eorum qui primi laborauerunt in constituendis Ecclesiis ipsaque prædicatio, habuit quidem suadebam, at non quidem sicut professores sapientiæ Platonicæ, aut alterius hominis, nihil supra humanam naturam habentis ; sed fuit Apostolorum Iesu persuasio, data diuinitùs per fidem inspiratam efficax. Quapropter celerrimè cucurrit eorum prædicatio vel Dei potiùs ipsorum ministerio transformans multos natura peccatores, & assuetudine ; quos nemo hominum mutasset pœnis quantislibet. At Verbum Dei recudit eos formatos iuxta voluntatem suam.]

Egregiè de adhibitis à Deo idiotis ad orbem eruditendum, Chrysostomus hom. 3. in 1. Cor. [ Quando inquit Græci accusauerint discipulos, tanquam literarum ignaros & imperitos, nos plus quàm illi ipsos accusamus. Neque dicat quispiam, quod sapiens & doctus erat Paulus, sed eos qui apud illos sunt magni, & in admiratione habiti, extollentes propter sapientiam eos qui sunt apud nos, dicamus fuisse rudes, & imperitos. Non parum enim in hac quoque parte eos deiiciemus ita enim erit præclara de eis victoria. Hæc autem dixi, quoniam audiui quendam Christianum, cum Græco ridiculè differentem, & vtrumque in ea quæ inter ipsos extitit concertatione, sua infirmantem ac conuellentem. Quæ enim oportebat dicere Christianum, ea dicebat Græcus : & quæ Græcum erat dicere consentaneum, ea afferebat Christianus. Nam cum esset quæstio de Paulo & Platone ; Græcus quidem conabatur ostendere Paulum esse rudem & imperitum : Christianus autem ob simplicitatem, studebat probare Paulum esse Platone doctiorem, & disertiorem. Ita autem Græcus esset victoriam consecutus, si hæc vincetet oratio.

tatio. Nam si Platone doctior & eloquentior esset Paulus, consentaneum esset multos contradicere; quod non gratia superasset, sed eloquentia. Quamobrem faciebat pro Græco quod dicebatur a Christiano. Faciebat autem pro Christiano, quod dicebatur à Græco. Nam si imperitus erat Paulus, vicit autem Platonem, præclara (sicut dixi,) fuit victoria. Arreptis enim omnibus illius discipulis, persuasit, & eos ad se adduxit, vnde fuit perspicuum, quod non humanæ sapientiæ fuerit prædicatio, sed Dei gratiæ. Ne hæc ergo nobis accidant, & irrideamur, cum Græcis disputantes, quando nobis cum illis fuerit certandum; tanquam indoctos accusemus Apostolos. Ipsa enim accusatio, est encomium. Et quando dixerint agrestes fuisse Apostolos, nos addamus & dicamus, eos fuisse imperitos, & illiteratos, & pauperes, vilesque, & abiectos, & insipientes, & obscuros. Non sunt hæc in Apostolos maledicta, sed eorum gloria: quod cum essent huiusmodi, toto terrarum orbe fuerint clariores. Isti enim rudes, & agrestes, & imperiti, expugnarunt sapientes, & potentes, & Tyrannos, & qui gloriabantur diuitiis, & gloria, & omnibus externis, perinde ac si non essent viri.]

406 In eandem sententiam optimè item S. Augustinus in psal. 65. ad v. 1. agens de Nathanaele. [Hinc æstimatur doctus ille in lege fuisse, quia non est electus inter discipulos, ab illo qui stulta mundi prius elegit, cum tantum ei perhibuerit testimonium Dominus dicens, *ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Elegit ergo Dominus postea & oratores, sed illi superbirent si non prius eligeret piscatores. Elegit diuites, sed dicerent merito diuitiarum suarum se electos esse, nisi primò elegisset pauperes. Elegit Imperatores postea; sed melius est vt Romanus cum venerit Imperator deposito diademate ploret ad memoriam piscatoris, quàm vt piscator ploret ad memoriam Imperatoris, *Infirma enim mundi elegit Deus vt confundat fortia, & ignobilia mundi elegit, & ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, vt ea quæ sunt euacuarentur.* Et quid sequitur? quid ait? concluſit Apostolus, *vt non glorietur coram Deo omnis caro.*]

Prædicatores igitur & satores Euangelij, rustici erant, & illiterati supra omnes. Qui verò adiungebantur Christi regno, Sapientissimi plerumque & liberaliter eruditissimi erant. Hoc verò est per asini mandibulam contundere Philisteos, vt disserit Rupertus in Iudices cap. 19. & Beda in 1. ad Cor. 1. describens Augustinum in fragmento sermonis de quinquages. resurrect. Domini.

407 Insigniter hanc per Christum in sæculi sapientibus mutationem, suspicit S. Paulinus epistola 29. quæ est prima ad Aprum, agens de huius ex Causidico & Iudice sæculari, ad Christum traductione, concluditque in hunc modum. [Quare si quid humani sapiunt, ij qui inficiantur animo, quem figura præferunt hominem, admirentur in te & laudent Deum, & hanc beatissimam immutationem mentis ac vitæ tuæ, non existiment errorem stultitiæ tuæ, sed Sapientiæ Dei esse virtutem intelligant. Quanto enim prudentiorem te cæteris, & doctiorem fuisse meminerunt, tanto euidentior iis esse debet, operatio potentiæ Dei: quia prudentem à sententiæ suæ cursu, vel statu non potest flectere nisi summa ipsa sapientia, quod est Christus Deus virtutum virtus, & mens mentium, Dominus maiestatis, brachium excelsum: in quo dispersi superbi, (vt scriptum est,) à mente cordis ipsorum, depositi potentes de sede, & exaltati humiles; quo brachio, id est Christo, esurientes implentur bonis, & inanes dimittuntur diuites. Quod & in te cernimus agi. Respice enim in temetipsum, & hæc vtraque quæ deiicit aut extollit Deus, in te eodem inuenies. Destructus es à superbo, assumptus in humilem; depositus ab iniqua potentiæ sede, vt in pacis atque iustitiæ solio locaretis. Inanitus es à diuite, vt diteris in paupere, & ab illa superuacuæ distentionis saturitate vacuatus es, vt veris piæ paupertatis bonis, implearis esuriens iustitiam: vbi nunc tu ille es aliquando terribilis, vel pro tribunalibus aduocatus, vel in tribunalibus Iudex? Vbi tua illa cervix, tunc verius (vt nunc de te mentitus es) tauri pinguis? quomodò facta est docilis ac tenuis in iugo Christi, & quo conuersus ingemuisti, & beneplacitum est in te Deo, sicut super vitulum nouellum? Deposita cervice tauri, fractus es in mansuetudine bouis illius qui agnouit possessorem suum. Beati oculi eorum qui hæc in te Dei mirabilia conspiciunt.]

408 Posterioribus verò sæculis, quantæ eruditorum (non dicam centuriæ & pauci manipuli, sed myriades in hoc Christi regno velut astra micantissima nomen ignorantiæ depulerunt? Prostant innumeri, apud eos qui iusta volumina de Scriptoribus Ecclesiasticis ediderunt, sacrosve apparatus: quibus etiamsi spissis voluminibus, vix quartam Doctorum partem constat comprehensam. [Qui ergo eruditis (inquit Chrysostomus hom. 3. in 1. Cor.) non opus habuit ab initio, si posteà accepit dilectos, non fecit tanquam indigens, sed tanquam non discernens, nec vllam ponens differentiam. Quomodò enim non egebat Sophistis ad ea rectè gerenda quæ volebat, ita nec posteà inuentos, propterea expulit.]

An de his sapientibus, an de perfectis virtutum præstantia, an de vtrisque accipiendum est quod Balaam de Christo prophetans, dixit, interprete Origene hom. 17. in Num. [Ipse est (ait de Christo Origenes, sub finem homiliæ citatæ,) de quo dicit, *Exibit homo de semine eius, & dominabitur gentibus multis, & exaltabitur Gog regnum eius, & crescet regnum eius. Deus deduxit eum ex Ægypto, sicut gloria vnicornis.* Quid est autem quod ait, *exaltabitur Gog, Regnum eius.* Gog super tecta interpretatur, & in loco isto non pro gentis alicuius nomine, (vt putant) positum est, sed vt in aliis nonnullis, ipse sermo Hebræus non interpretatus relictus est. Et ob hoc quasi de gente aliqua dictum videtur. Est ergo sermonis consequentia talis, *& exaltabitur super tecta regnum eius, & crescet regnum eius.* Exaltari autem super tecta, de perfectione credentium dicitur. Crescere autem, ad multitudines refertur. In iis ergo qui perfecti sunt, super tecta exaltatur regnum Christi, id est super eos etiam qui in supernis sunt, & in superioribus

perioribus habitant. Sunt enim fortassis aliqui etiam in cœlestibus, à quibus plus proficiant & altius exaltentur ij qui in regno Christi sunt. Et ideò etiam credo, ipse Saluator dicebat, *qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo*: monens vt ij qui ad excelsam perfectionem venerunt; non iterum ad mundi huius, qui nunc *domus* appellatur, humilia & abiecta descendant. Sed & illud quod ait, *quod audistis in aurem, super tecta prædicate*, ad hoc nihilominus respicit. Sic ergo exaltatur super Gog regnum eius, & crescit regnum eius. Crescit enim dum multiplicantur Ecclesiæ, & fidelium numerus augetur, & in tantum creſcit regnum Christi, vsquequo ponat pater inimicos eius sub pedibus eius; Sed & nouissimum inimicum destruat, mortem.]

Non est omittenda in eadem obiectiua regni Christi præcellentia, quæ in aliis regnis ægrè cernitur, subiectio iudiciorum & voluntatum. Plerique omnes populi, regibus suis, exteriùs quidem obediunt, aut metu impendentium malorum si iugum detrectent, aut docti diligere trituram. Vt autem consensio iudiciorum interueniat, & quod regi mandanti visum, est subditis arrideat, eorumque iudiciis comprobetur, est infrequentissimum. Vt verò oderint dum metuunt, & gementes frendentesque excipiant onera imposita, tam testatum est experimentis multiplicibus sæculorum omnium, vt non sit probatione opus. Regnum Christi sicut spirituale dicitur, & est; ita non externa duntaxat obseruatione contentum, ad arcem animorum; intellectum inquam & voluntatem peruadit. Et facultates omni humana potentia insuperabiles, ipsique Satanæ per vim inaccessas, ad salubrem deditionem, non tam adigit, quàm suauissimè, etiamsi fortissimè pertrahit. Dicendum hac de re infra vberiùs, tractando humanorum cordium aurigationem per Christum. Quod item ad hoc punctum de obiecto pertinet; nempe de licita extensione huius regiæ potestatis Christi ad temporalia, cum potestates regiæ sæculares solis temporalibus distineantur, nec vnquam possint per se ipsas tractare spiritualia, iam tractatum est superiùs in fronte capitis.

### *Cautio circa extensionem, de qua hactenùs.*

409 Sic se habet extensio obiectiua regni Christi. Duntaxat cauendum est vnicuique nostrum, ne per abusum libertatis diuinitùs induictæ, excutiamus tantum principem, dicamusque cum refractariis illis, *nolumus hunc regnare super nos*, Regem nobis potiùs statuentes Satanam. [Et puto (dicam enim cum Origene homil. 12. in Numer.) quod non debeas mirari, quod cum dixerim Regem: cum audias & iam ipsum Dominum & Saluatorem nostrum, in Euangeliis de eo dicentem, *Ecce nunc venit princeps huius mundi, & in me non inuenit quicquam.* Et iterum *ecce nunc princeps huius mundi mittetur foras.* Si ergo totius mundi princeps esse in Euangeliis dicitur, non debet absurdum videri, si Seon Regi Amorrheorum, vel etiam aliis quibuslibet gentium Regibus, comparetur. Princeps autem dicitur mundi, non quia creauerit mundum; sed quia multi sunt in hoc mundo peccatores. Peccati autem quia ipse princeps est, ideò etiam mundi princeps appellatus est. In iis videlicet qui nondum relinquentes mundum, conuertuntur ad Patrem. Secundùm hoc enim etiam illud dicitur, quia *omnis mundus in maligno positus est.* Quid enim nobis prodest dicere, quia princeps noster Christus est, si rebus & operibus arguamur, quia Diabolus principatum tenet in nobis? Aut non palam est, sub quo principe agat impudicus, incestus & iniustus? Nunquid potest huiusmodi homo dicere, quia sub Christo positus, hæc ago, etiamsi sub Christi nomine censeri videatur? In quo Christus principatum gerit, nulla ibi immunditia, nulla iniquitas admittitur; nec habere aliquem locum potest iniusta cupiditas.] Eiusmodi igitur famus, si non frustra de Christi principatu gloriari, eiusque regnum extensiuè non imminutum, sed illibatum ac integrum, volumus.

### *Aliud decus spiritualis regni Christi, penes titulos.*

410 Venio ad prærogatiuam huius regni Christi, penes titulum; quæ est hoc loco planè eximia. Nam alia regna, miseria & infœlicitate, quâ subditorum sub iugum missorum, quâ militum regi & in re operam nauantium, in regem potestatem ferè veniunt: vt propterea Theophilactus orat. de cruce, affatus Imperatorem dixerit; [Cogita purpuram alienum esse bonum, & sanguine manans: eam enim milites tibi circundant.] De Christi regno alia planè est ratio. Originem enim habuit ex ipsa Christi constitutione, per vnionem humanitatis ad Verbum, factam in eum finem, vt homines per Christi directionem vitam haberent, & abundantiùs haberent. Et idcircò regia Aaronis corona, vocabatur *Sanctificatio*: audi S. Cyrillum lib. 11. de ador. [Facies laminam auream puram, & celabis in ea celatura sigilli *Sanctificatio Domini*, & imponesillud in hyacinto torta; & erit super mythram ante faciem mythræ. Et erit in fronte Aaron; & portabit Aaron peccata sanctorum, quæcunque sanctificauerint filij Israel, omni, domus} sanctorum ipsorum. Et erit in fronte Aaron perpetuò acceptabile ipsis coram Domino. Ex hyacintho, igitur mythra. Lamina verò aurea est. Illa autem celatura atque descriptio in ea exarata, ipsum Christi mysterium erat: & eius in mundum hunc missionis euidens prædictio. *Sanctificatio* (ait) *Domino*; non sanctificatum se esse à Deo & Patre perspicuè dicit manuel? Igitur cum se à Patre, & Deo sanctificatum esse filius dicit, sed tanquam electum esse mystumque significat. *Sanctificatio* igitur *Domini* (inquit): id est, in hunc mundum legatio ac nuntio sed ad regnum tamen & gloriam: Sic enim conferebat ipsum Aaron, dum in eius fronte aureum circulum ponit. Vniuersorum autem Dominus est atque Rex Christus, & secundùm naturam & secundum participationem

regnum

regnum accipit quod ad humanum habitum pertinet, licet iam inde ab initio, eiusdem cum Deo & Patre confessus particeps esset, & simul cum eo, Dominus omnium ac moderator iam verò intelligo, quænam modo mythram ex hyacintho habuerit, cui insigne regni præclarum inesset; lamina inquam aurea. Est autem hyacinthus, cœli signum. Recordare igitur Christi dicentis, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Neque enim Christus, Rex terrenus sed cælestis est, vniuersamque creaturam sub pedibus habet.] Satis de præcellentia primi tituli regni Christi.

Accessit Patris donatio, cuius voluntas iustitia ipsa est, & vis ex redemptione, quo nullum æquius, ac denique ipsorum subditorum lubentissima concessio. Acceptarunt enim Christi regnum, séque ei subicij, non consenserunt modò, sed etiam quamuis alij tituli deessent, vltrò se illud subituros, professi sunt. Hæc tamen concessio & professio, non est reuera titulus huius regiæ potestatis: quia est supernaturalis, nec potest ab hominibus dimanare, vt Suarez de Ecclesiastica potestate rectè demonstrat lib. 4. de leg. cap. 2. num. 10. Quanto minùs ergo potestas Christi regia, cuius potestas Ecclesiastica non est nisi frutex permodicus, aut quasi stillicidium? Ob prædictam originem, & finem quem origo illa & titulus respicit, tanta sunt Ecclesiasticæ potestatis in Christi ministris & dispensatoribus vigentis elogia, vt Gelas. cap. *duo sunt* dist. 99. Pontificam potestatem regiæ præstare dicat, æque ac aurum plumbo. Innoc. autem cap. *solitæ* de maiorit. & obedientia, eam esse asserat solem præ luna. Vt taceam infinita quæ in hunc rem habent Chrysostomus ser. 15. in 2. Cor. *in morali*, & hom. 4. & 5. de verbis Esaiæ, aliique apud Suares 4. de leg. c. 4. & apud Petrum Gregorium lib. 15. Syntag. c. 1. nec non apud Mauclerium p. 4. de Monarchia lib. 1. c. 2. Quid ergo de Christi regia potestate spirituali, quæ fons est totius spiritualis Ecclesiasticæ potestatis, præ quauis regia temporali potestate prænunciabimus?

### *Duratio eximia eiusdem regni.*

411 Iam duratio huius regni Christi, à primo puncto conceptionis, per totam æternitatem, quàm latè patet, protenditur. Neque enim Christus, etiamsi nunc à terris absit, regnare in Ecclesia desinit. Et habet quidem sub præfectos singulos Episcopos, & Generalem locum tenentem suum, in toto terrarum orbe, humanum Pontificem: Ipse tamen solus, est Rex spiritualis in hoc regno: cæteri sunt ministri, & dispensatores mysteriorum vt 1. Cor. 4. pronunciauit Apostolus. Vnde regnaturum Christum in domo Iacob in æternum, & regni eius non fore finem, pronunciauit Gabriel. Quam alibi infinities *regnum*, hìc *domum* nominari voluit Spiritus sanctus; cum ob Analogiam multiplicem domus & Ecclesiæ latè ac sigillatim expressam à S. Bernardo serm. 46. in Cant. & alter etiam à Sandero lib. 1. de claue Dauid cap. 1. tum ob morales rationes quas prosequitur. Toletus in c. 1. Lucæ annot. 90. apud quem etiam latè exponitur cur hæc domus, dicatur potiùs *domus Iacob*, quàm Isaaci, aut Abrahæ.

In hac igitur domo, & in hoc regno, Christus Rex in æternum regnabit; ita vt ne post multorum quidem circulos sæculorum, regnum Christi sit finiendum vt blasphemat Origenes, latè & Scripturis & ratione confossus à Theophilo Alexandrino lib. 2. Pasch. Nec in fine mundi, vt in Marcello Anerano latè carpit Eusebius, præsertim lib. 3. à cap. 15. Et humanorum quidem regnorum ac principatuum? eæ sunt vicissitudines & caducitates, vt vni vel altori monarchiæ, stetisse per aliquot sæcula, inter magnos turbines & fluctuationes quibus ferè superfunt quassata atque contrita, pro miraculo habeatur. Imperij sanè Romani per breuem periodum Stapletonius lib. 1. de magnit. Roman. Ecclesiæ cap 5. exhibet. Anteriora regna æstuariis scitè confert Philo lib. de Dei immutabil. & lib. de somniis, & lib. de Ioseph. Solum regnum Christi, ad finem vsque sæculorum; tantumne? etiam ad totam æternitatis protensionem est duratione diffundendum. Pertinet huc mysterium de *Mem clauso*, quo præsignatam regni Christi æternitatem ab Esaia cap. 9. verbis illis quæ vulgatus vertit, *multiplicabitur eius imperium.* grauissimi DD. tradiderunt, quos appendit Pineda l. 5. de Salom. c. 4. n. 4.

412 Nec Apostolus 1 Cor. 15. finiendum cum orbe, Christi regnum, significare voluit cum dixit. *Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt: Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat inimicos sub pedibus eius. Nouissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autem dicat omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* Non inquam his verbis Apostolus, euacuandum in sæculi fine regnum Christi significare voluit. Illud enim *donec*, vt S. Chrysostom. in psal. 109. rectè obseruat, versans hunc Apostoli locum, & alium similem ex psalmo prædicto, & S. Ambrosius in Institut. Virg. cap. 5. nec non Cyrillus Hierosol. catech. 15. *sub finem*, ac denique Eusebius lib. 3. contra Marcellum cap. 14. nequaquam sonat desitionem regni Christi, postquàm inimicos plenè subiecerit, regnúmque suum plenè pacauerit: sed tantùm sonat, quod regnabit quousque subiecerit inimicos suos: non excluſa tamen prærogatiue regni ad vlteriora tempora. Essèque illum productæ particulæ vsum in Scripturis non nouum, liquet ex S. Hieronymo Matth. 1. ad illud *donec peperit.* Versat hunc locum, & regno Christi perpetuo non officere, contra quendam Galatam eo abutentem, hoc est Marcellum Ancyranum, demonstrat Cyrillus Hierosol. catech. 15. *sub finem.* Videndus item S. Ambrosius 5. de fide cap. 6. Sed plenè Eusebius lib. 3. contra Marcellum à cap. 15. & optimè Gregorius Nyssenus integro in eum locum libello, occasione Arrianorum, subiectione per Paulum ibi Christo tributa, abutentium ad Verbi diuini potentialitatem & finitatem inuehendam. Verum quippè illius sensum quem prodit, ex serie ductum alia omnia ferre, nec veritati vlli Catholicæ officere, mõstrat Nyssenus.

Summa est, Apostolum eo loco propositum habere, persuadere Corinthiis veritatem futurae resurrectionis; in qua non nutabant, sed planè increduli erant, quamuis reliquam Christianam doctrinam combibissent. Hunc errorem vt reuinceret Apostolus, admirabilem variorum seminum vim proponit, cuius interuentu Deus iis quae non sunt esse praebuit, voluntate sua vsus pro eiusmodi rerum materia. Indè autem inferri voluit Apostolus, quanto magis possit Deus quae praefuerint reformare; & reuocare ad esse, quorum vtraque pars supersit incolumis. Consequenter ad haec, Apostolus proposita mortis origine ex Adamo in vniuersum humanum genus, proponit originem vitae ex Christo: indeque etiam confirmat resurrectionem; vt quemadmodum Christus vitae autor, solutis inferni doloribus notas sibi à Patre factas vitae vias triuit; ita & nos eas Christo auspice simus inituri. Inde ad Christi de morte & peccato triumphum qui resurrectionem consequetur, excurrit ad finem capitis manifestè prodens quid anterioribus verbis quae difficultatem facere diximus, propositum habuisset; nempe ostendere victoriam quam cum resurrectione corporum obtinebimus per Christum, aduersus mortem & mortis stimulum post saeculi finem. Est autem ea victoria; nihil aliud quàm plena abolitio cuiusuis mali: Deo omne vitium quod veluti rubigo adnatum fuerat creaturis rationalibus abstergente, & creaturas suas refingente ac renouante ad primordialem statum quem acceperant à creatore, priusquàm à Satana & prauis affectibus interpelarentur ac inuerterentur. Eam detersionem admistae nobis scoriae & impuritatis, in Christo primùm exhibuit Deus, à quo procul fuit omne vitium, omnisque labes. Hic homo quia peccato caruit, morte quoque carere debuit: tametsi eam voluntariè admisit, vt illam hebetaret, ac vim eius retunderet; quod & fecit, & experimento suo firmauit resurgens. Has naturae nostrae primitias, imitabuntur ea in parte, quotquot ad earum puritatem & elongationem à scelere anhelabunt in hac vita, vt malo ac peccato mortis autore, ita & morte in eis deleta. Quod eximiè assequuntur illustriores sancti: caeteri item qua proportione se abalienant à culpa, eo magis adaugent ius suum ad veram vitam, aptantque se vt Deo subdantur, quem nullo relicto peccato, eius item propaginem, (mortem inquam,) deleturum, & pro ea in homines plenè regnaturum, deposcit ratio, & diuina oracula docent. Omni ergo extranea potestate abolita, nec vltra homini dominante aut peccato, aut morte, Deus plenè potietur regno in nos, & massa vniuersa generis nostri, contemperata consperfioni ex nobis delibatae, nempe Christo; pura prorsus & expurgata sine macula & ruga erit; quod est eam, & Christum, qui cum nobis vnum corpus mysticum facit, subiici Deo. Vnde consequitur, vt Deus fiat omnia in omnibus, sitque cuilibet omnia quae nomine boni venire possunt: quod ante depulsum plenè malum, contingere non potest, cum par non sit Deum in malo esse. Hic est prolixus, sed egregius & Apostoli literae cohaerens Nysseni discursus, quem obsignat haec clausula. [Quando ergo bonum per omnia peruaserit, tunc totum Christi corpus viuificae subiicietur potestati: & sic huius corporis subiectio, dicitur esse ipsius filij.] Astrigerat perpaucis eandem expositionem S. Athanasius *sub finem.* libri de Incarnatione Christi, & Origenes hom. 2. in Psalmum 36. è recentioribus verò fusè eum versant Thyraq. lib. de appar. Christi ad iudic cap. 13. à n. 22. & Ruis disp. 50. de Trinit. sect. 8. Vnde liquet, subiectionem Christi de quo Apostolus loquitur, regno eius in aeternum duraturo non derogare: vt neque eidem officeret personalis subiectio Christi, vt dicam cum de Christo triumphatore.

### *Stabilitas eiusdem, inconcussa, & à motibus firmior.*

413 Demum stabilitas regni Christi, non intercisa, & nunquam abrumpenda regni Christi serie, continetur. Superat omnem admirationem haec stabilitas. Ethnicismum, omnium Imperatorum, ac regum infinitorum, ipsiusque Satanae astu, & artibus & potentia nixum; inoliti item abusus longaeuitate radicatum, nihilominus euulsum esse, & exstirpatum esse videmus. Quod si aliquandiu, post compressionem nonnullam, caput denuò extulit; mox tamen constat planè contritum & stirpitùs eradicatum esse, nec habuisse vltra spem. Haereses complures, regum saecularium ac Principum per Satanae emissarios in fraudem actorum, seuerissimis legibus, & omni carnificum ingenio in tormentis, stare ad horam sunt vitae mox tamen defluxerunt: quodque mirabilius est, & Paganismus, & haereses, sponte, & cum quietè agere finerentur, emarcuerunt: quamuis has Satan post Christi aetatem multo plures excitarit, quàm in antiquo Testamento. Causas vestigat Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 90. E contrario verò regnum Christi, inter tot turbines & procellas, agitari potuit, quasi & mergi non potuit. Obseruat egregiè diuinum hac in parte consilium Origenes, agens de Philosophicis doctrinis, collatis cum Christiana fide, *initio primi contra Celsum*, & S. Chrysostomus orat. de S. Eustathio. [Deus quidem (inquit Chrysostomus,) veram suam & Apostolicam fidem, in multis oppugnari permittit: haereses autem atque paganismum, secura tranquillitate perfrui finit. Quid ita? vt illorum quidem infirmitatem discas, quae cum minimè diuexentur, sponte destruuntur: fidei verò virtutem agnoscas, quae dum oppugnatur, eorum opera qui se illi opponunt, augetur.]

Confirmat id fusè expenso testimonio Apostoli 2. Cor. 12. qui profitetur datum sibi stimulum carnis Angelum Satanae, nec licuisse sibi eum precibus excutere, dante Deo responsum, virtutem in infirmitate perfici. Eum enim stimulum carni Apostoli datum, negat Chrysostomus fuisse infirmitatem corporis, vt aliquos refert interpretatos; sed Angelum Satanae; ait fuisse aduersarios regni Christi, & fidei per Apostolorum disseminatae: à quibus stimulus carni Pauli, id est vexatio, persecutiones, & afflictiones inferebantur Deo, per huiusmodi colaphizationem probante Apostolum, vt virtus in tali infirmitate perficeretur, & Christi regis victoria esset luculentior, qui tor-

adue-

aduersariorum machinas, per adeò debilia in speciem instrumenta, redderet cassas. Concludit inde S. Chrysostomus paulo post. ] Vides ideircò Deum permittere, Angelos Satanæ seruos suos premere, sed virgis cæsi, vexati, innumera mala perpessis, eos à quibus hæc inferebantur, potuerint pro pero successu deuincere.]

### *Summa præcipuorum in Ecclesiam motuum, ex Theodoreto.*

414 Verissimè à Chrysostomo obseruatum, in tot bellis, totque tumultibus, diuinum consilium in Christi spirituale regnum, iis motibus quibus euertendum putabatur, multo firmiùs esse stabilitum, euentus docuit ab initio nascentis Ecclesiæ, & constituti huius Christi regni. Nihil enim non sunt moliti Iudæi, nihil per annos trecentos ferro & igne armati Imperatores, nihil postea Saraceni & Agareni, nihil domestici rebelles hæretici, vt hoc Christi regnum conuellerent; sed irrito semper conatu, & cassis nisibus, breuiculum persecutionum aduersus leges & regnum Christi in vno Romano imperio excitatarum, & quàm irritæ cecidérint, legere licet apud Theodoretum lib. 9. contra Græcos, his ex parte verbis. [ Legum quas nostri piscatores ac publicani, quasque sutor tentoriorum tulerunt ac promulgarunt; non Caius, non Claudius, dissoluere potuerunt. Nec qui eis Nero successit. Narrat deinde persecutorum omnium de potentissimis hostibus victorias Historiamque persecutionum ordine exponit pueris, mulieribusque Ecclesias, incenderunt: quodque magis indignum est, in ipso salutiferæ Passionis die, quo & Passionis & Resurrectionis memoriã celebramus, omnes Christianorũ Eccl. in Rom. Imperij finibus destruxerunt. Lapidum illi quidem structuras compagesque demoliti, in Christianorum verò pias animas potestate nulla vsi quo autem aduersum Christianos Apostatæ Iuliani temporibus audacissimè gesta, norunt omnes etiam. Cæterum sit tot numero Imperatores (inquit) tantaque dominatione orbem regentes, contusis barbarorum animis, clari bellicis victoriis atque illustres, manualium tamen artificum, rudiumque hominum & paupertimorum mulierumque lana & tela victum sibi quærentium, potentes minimè fuerunt. Quanquam aduersus eos machinamentis omnibus vsi fuerint. Quid autem grandiores natu viros dico, ac mulieres, cum ne adolescentes quidem, prima literarum elementa perdoctos, à Dei cultu nostrique Saluatoris, summouere potuerint? Itaque Corybantium more capita præ furore iactantes inciti rabie, technisque, ac veteramentis vsi quàm plurimis, piscatorum leges non dissoluerunt quidem, sed multo validiores eas oppugnando reddiderunt: planeque persimiles inuenti sunt, qui flammam quidem restringuere concupiscunt; oleum verò fatui instillantes, ardentiorem illam efficiunt. Etenim hi quoque contra pietatem bello suscepto, piæ veritatis robur, manifestius declararunt. ] Addit paulò post, de simili euentu Persicorum in Ecclesia turbinum sed antiqua illa dimittamus.

415 His ipsis diebus quibus hæc scribimus, æui nostri Alaricus, è sua Gotthea & Aquilone, vnde omne malum pandi solemnissimum iam olim fuit, torrentis instar rapidissimi exundans; cum vastatis intra paucos menses populosissimis prouinciis, Religioni æquè ac humano Principatui infestus, excidium Italiæ & orbis vertici illaturus ab Ecclesiæ perduellibus iactaretur; nec Honorius subitæ tot populorum ac vrbium defectioni posset obsistere; dum Lutheri sui vindicem proditores germanissimi, certatim in vrbes suas excluso Principe legitimo auocant; dum è vicina Gebenna prostrati in Gallia Caluini, anastasis proxima insonat, & ob affinitatem cum Luthero, ac communem à Romana Ecclesia abiunctionem, speratur vnà cum labante Luthero, restituendus in sortem pristinam Caluinus: hos inquam dum Sisaræ ante victoriam triumphos canunt pellices eius, vigil de cœlo succidi arborem mandauit, & obtrito equorum vngulis cadauere, animam ad æterna incendia detrusit. Vt extra dubium esset, Deum regno Christi sui inuigilantem, ferre ad tempus vexationem eius aliquam, vt qui probati sunt manifesti fiant: non deesse tamen opulatorem in tempore, nec posse humano vllo nisu, aut etiam coniuratis Orci aciebus, euerti regnum Christi datum à Patre; nouo & inusitato munitionis genere, à Christo ipso munitum; non turribus, muris, fossis, propugnaculis, sed duobus solùm nudis verbis, quæ toti huic regno protensione vlteriore quàm sit Sinensium murorum, pro muris & munimentis quibusuis sunt, eruntque semper, vt Eusebius breuiter attigit lib. 1. præcp. cap. 3.

### *Vnde tanta firmitas, regni Christi spiritualis.*

416 [ Et quæ tandem illa sunt verba, (inquit S. Chrysostomus cuius hæc est commentatio serm. 12. tomi 5. Græcol. qui est *in inscriptionem actuum Apostolorum*) illa inquam verba quæ tantam vim obtinent? *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Hic murus est, hoc septum, hoc munimentum, hoc portus & refugium. Tu verò quàm inexpugnabilis sit hic murus, inde perpende. Neque animi hominum tantùm insidias aduersus eam dixit non prævalituras, sed nec ipsas inferni machinas. *Portæ enim*, (inquit,) *inferi, non prævalebunt aduersùs eam.* Non dixit, *in illam non irruent, sed aduersùs eam non prævalebunt.* Siquidem irruent illæ quidem, sed illam minimè superabunt. Sed quid tandem ille est, *portæ inferi*? Porta vrbis, est aditus in vrbem. Itaque porta inferi, est periculum quod ad inferos tendit. Quod igitur ait, est eiusmodi: licet irruant & impetum faciant tanta pericula, vt ad ipsum nos præcipites agant infernum, Ecclesia manet immota. Poterat ille quidem non permittere, vt vlla mala experiremur. Cur ergo permisit? Quod multò maius sit quàm tentationes prohibere, si dum aduenire tentationes sinit, nihil tamen ex earum incursu mali nos ferre permittat. Ideircò omnes accidere tentationes sinit, vt probatiorem illam redderet: Siquidem tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem. Atque vt maiori cum excessu virtutem uam ostendat, ex ipsis eam portis eripit

eripit mortis. Propterea tempestatem siuit excitari, at mergi cimbam minimè sinit. Sic gubernatorem quoque laudamus, non cum secundis ventis nauigatur, neque cum à puppi flantibus auris incolumem nauem seruat: sed cum mari procellis agitato, ac fluctibus effereescentibus, ac tempestate commota, suam artem aduersùs impetum ventorum opponit, & nauigium ex mediis procellis saluum adducit. Ita fecit & Christus: dum tanquam nauigium in mari, Ecclesiam rursus in mundo ferri permisit; neque fluctus sedauit, sed ex fluctibus eripuit, non mare compescuit, sed nauit communiuit; & cum surgerent vndiquè populi tanquam sæui fluctibus; & maligni spiritus, tanquam aduersi quidem venti in eam irruerent, excitata vndique tempestate, multam attulit Ecclesiæ tranquillitatem: quodque permirum sanè fuit, non modò nauem procella non obruit, sed & procellam cymba sedauit. Nam continuæ persecutiones, non modò Ecclesiã non submerserunt, sed ab Ecclesia sunt sedatæ. Quo tandem pacto, & quorum opera? Huius sententiæ nimirum ita pronuntiatæ, *porta inferi non præualebunt aduersùs eam.* ] Scitè ait, cymbam sedasse tempestatem; significans omnia in huius regni stabilitione esse supra naturam. Hoc verò est ab ipso ducere opes animumque ferro.

417 Reus sim taciti eximij decoris diuinæ virtutis, & pressi Thesauri quem in iisdem Christi verbis detegit idem Chrysostomus, si fessus sat multorum exscriptione, præteream reliqua quæ continenter sic subdit. [ Quid enim aduersùs hanc sententiam non machinati sunt? exercituum delectus habebatur, arma mouebantur, reges armabantur, populi commouebantur, vrbes insurgebant, iudices excandescebant, omne supplicij genus excogitabatur, nullus pœnæ modus omittebatur, ignis, ferrum, dentes ferarum, præcipitia, submersiones, barathrum, equuleus, crux & fornax, & omnia quæ vnquam visa sunt tormenta, in medium proferebantur: ingens minarum agmen, honorum pollicitationes innumeræ, vt illa quidem ratione terrerent, hac verò mollirent, & allicerent. Nullum igitur fraudis, nullum violentiæ genus prætermittebatur. Nam & patres filios prodebant, & filij patres non agnoscebant; mares suorum partuum obliuiscebantur, & naturæ leges, euertebantur. Veruntamen ne sic quidem Ecclesiæ fundamenta concussa sunt. Et quamuis ab eius propinquis bellum indictum esset, non tamen ad mutos vsque ipsius peruenit, propter illud verbum quod sic habuit, *porta inferi non præualebunt aduersùs eam.* Noli enim id spectare, quod verbum erat, sed quod verbum Dei: Siquidem cælum verbo firmauit Deus, & terram verbo super aquas fundauit, & effecit, vt hæc densa grauisque natura, ab illa leui fluxaque sustentaretur, & mare quod à violentis flatibus ventorum vrgetur, quod tot fluctibus ac procellis agitatur, imbecilli vallo arenæ vndique per verbum suum vallauit. Ergo qui cœlum verbo firmauit, qui terram fundauit, qui mare circumuallauit, quid miraris, si Ecclesiam cœlo, terra, marique pretiosiorem rursus hoc verbo muniuit? ]

Hæc verissimè affirmari, non modò ratio, ex diuini verbi firmitate ducta, sed euentus quoque docent. Notum quò recciderint decem duodecimue Cæsarum in Christi regnum conatus; Neronis inquam, Domitiani, Marci Antonini, Seueri, Maximini, Decij, Aureliani, sed omnium rabiosissimè & truculentissimè in illud grassati Diocletiani, post exhaustum Christianorum cladibus Romanum imperium. Firmata per eos est veritas oraculi à Christo editi, *portæ inferi non præualebunt.* Comprobarunt hi omnes, Tertulliani verissimam sententiam; plures effici Christianos, quo plures metuentur, & radicari constabilirique firmiùs regnum Christi, quo vehementioribus persecutionum flabris turbinibusque agitatur. Discere id licet, & maximis progressionibus regni Christi, summis & iniquissimis temporibus, vt disserit late Thomas Bosius lib. 4. de sig. cap. 4. Tantumque abest vt profana hæc regna euerterint regnum Christi, vt potiùs omnia sint à Christi regno contrita; testa, ferrum, æs, argentum, & aurum per lapidem abscissum de monte sine manibus, sunt comminuta. [ Fremebant gentes, ( ait Prosper 2. de vocat. gent. cap. 15. *alias* 5. ) irascebantur populi, sæuiebant Reges, & potestates contradicebant; superstitiones & totius mundi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, ferentibus, populum suum Christus augebat, & per vincula ac supplicia morteque sanctorum, roborabatur fides, vincebat veritas perque vniuersum mundum dominici agri segetis multiplicabatur vberras. Tanta enim desuper præbebatur constantia fidei, fiducia spei, fortitudo tolerantiæ, vt ille ignis dilectionis quem in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus posset extingui: Cum & qui cruciabantur, vehementiùs inardescerent, & qui sæuiebant, eandem quam persequebantur, flammam sæpè conciperent. ]

### *Vt contra motus & turbines, sic etiam contra dolos & malas artes, impertubatum Christi regnum.*

418 Quod si aduersùs leonem sæuientem stetit regnum Christi, non minus forte ac validum aduersùs draconem surrepentem & occultè insidiantem fuit. Vtrumque cõculcauit Christi regnum. Leonem sæuientem, interpretatur S. Augustinus in Psal. 90. sæuitiam Ethnicorum, quæ in martyrum corpora, & Christianorum facultates est exprompta. Draconem verò insidiantem, hæretico furori accommodat. Quotcumque enim Imperatores Arriani, Monothelitæ, Iconoclastæ, reges multo plures, iisdem aut aliis corrupti hæresibus, capita prouinciarum populosissimarum, ferros igne diffundere nixa errores quos combiberant, tametsi ad tempus tranquillitatem regni Christi turbarunt, eiusque veluti serenitatem infuscarunt; tamen regnum Dei conuellere, vt maximè in id conniterentur nunquam potuerunt. Nimirum iurauit Deus Dauidi in sancto suo; illi inquam Dauidi quem tanto post primum illum & typicum Dauidem, regendo regno Dei spondet Ezechiel; illi inquam Dauidi iurauit Deus, *semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Egregiè rursus in hanc sententiam S. Chrysostomus orat, quam habuit cum ageretur de suo exilio, *sub initium,*

*initium* ; quem locum eò libentiùs profero, quod quoties Ecclesia quatitur, ( & quando non quatitur, nunc quoque ? ) potest vsui esse Ecclesiæ rectoribus, vt suos animent, quod in ea occasione fecit his verbis Chrysostomus. [ Christi Ecclesia nihil fortius. Si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est. Tale est enim, velut si cœlo bellum meditetur inferre. Homini si bellum inferas, fortasse vinces, aut fortè vincêris, Ecclesiã vincere nulla vis poterit. Deus est pro Ecclesia, qui est omnibus fortior. Aut æmulamur Dominum ? Numquid fortiores illo sumus ? Deus fundauit hoc, quod labefactare conaris. Aut experiri vis potentiam Domini ? *Ipse est qui respicit super terram, & facit eam tremare. Et iterum qui iubet, & tremor eius solidatur.* Aut non vidisti, trementem ciuitatem tuam quoties stare fecit ? Multò magis Ecclesiam suam trementem, poterit confirmare. Fortior enim Ecclesia multò, quàm terra ; immò & fortior cœlo. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* ] Decuisse porro regnum Christi tot turbinibus & procellis concitatis probatum & firmum apparere, nec euanescere vt cætera ad minimos motus, optimè planè differit homo non bonus, vir non vir, Photium dico, sub extremum epistolæ ad Michaëlem Bulgarorum Regem, quam Henr. Canis. exhibet tit. 5. antiq. lect.

### *Administratio regni Christi, quàm perfecta, & quàm ex ea fœlices subditi.*

419 Circa hoc regnum, quia Christus illud administrauit tractanda restat sapientissima & numeris omnibus perfectissima eius administratio per Christum : vnde habebitur vna omnino insignis quæ supereſt regio Christi potestatis prærogatiua, eidem planè peculiaris ; nempe summa subditorum fœlicitas, & omnibus capitibus penes quæ subditi obnoxij alieno imperio, esse & dici queant fœlices. Est inde quoque intelliguntur, quàm sit optandum & curandam subiacere huic regno. Vt enim Origenes in cap. 5. ad Rom. *in ipso fine*, scribit. [ Non potest fieri, vt sine rege aliquando sit anima, sed hoc prouidendum est, vt Christum regem habeat ; Cuius iugum suaue est, & onus leue ; & non Diabolum, cuius regnum graue est. Iniquitas enim est, quæ sedat super talentum plumbi. Christus autem vbi regnat, ibi superabundat gratia, & iustitia in vita æterna. ] Habebunt præterea reges, in proposito Christi regimine, ideam ad quam se conforment. Quod optimè attigit Iuo epistola 261. quæ est ad Henricum regem Anglorum. [ Sic ( inquit, ) verum possidebitis regnum, si & vos ipsum benè regatis, & subditos vestros, virga iustitiæ ab iniquitate reuocetis. Hæc est enim vera gloria regum, sequi formam summi regis, qui per Psalmistam dicitur, *virga directionis virga regni tui : dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* ]

Hanc regno Christi subditorum fœlicitatem, sic generaliter & vniuersè comprehensam, exponam propositis & expensis variis denominationibus Christi Regis, petitis ex ea fœlicitate per regni administrationem conciliata integratáque ex bonis omnibus, & exclusione malorum quorumcunque. Malum autem subditis arcenda, vt fœlicitatem consequi dicantur in subiectione, sunt oppressiones, cum internæ, dum à liene (vt ille vocabat ) per fas & nefas exsuguntur ; vel ab harpis & vulturibus ministrorum nomen præferentibus fœdè lacerantur : tum externæ, ab hostibus quos arcere bonum & nauum Principem necesse est. Quam in rem ad manus semper habere militem, & locis opportunis præsidia, leges prudentiæ præscribunt. In bonis numerantur, ordo debitus & , cum nexu omnium publice corporis membrorum, debita singulorum subordinatio, & in gradu suo ac ordine collocatio. Est enim reipublicæ bonum planè ingens & ad debitam administrationem, ac regni incolumitatem diuturnam, per necessarios, esse in Rep. & regno, ordines & gradus varios, qui omnes quidem inter se nectantur & conspirent ad vnum moderantis omnia Regis nutum, ab eo pendeant, ad illum conformentur vniuersi ; Sed inter se quoque ordinem seruent, & ritè disposita probéque cohærente diuersitate colluceant. Numeratur etiam in bonis, magnificentia & gloria in splendore regiorum ministrorum, & multitudine amplitudineque gradum ad quos per Regem portio aliqua regeminis deriuatur. Denique beatum dixerunt populum, cui sunt in altissima pace vberes opes, atque diuitiæ, quibus cum tranquillitate & securitate, sub Regiæ tutelæ veluti vmbella ac regmine fruitur. Omnia hæc, quibus integrati, partim priuatiue per absessum malorum, partim positiue per bonorum affluxum, fœlicitatem regni per Regis optimi administrationem diximus ; exquisitè concurrunt in regnum hoc spirituale Christi domini : & inde colliguntur varij tituli quibus Christus Rex in scripturis nuncupatus habetur, nempe *Rex virtutum*, *Rex gloriæ*, *Princeps pacis*. Attingo singulos.

### *Vsus doctrinæ.*

Vsum doctrinæ, subiieci superiùs singulis propè punctis, varium ac multiplicem. Præcipui sunt, non linqui animo in Ecclesiæ vexatione per quoscunque turbines, siue ab infidelibus, siue à personatis Catholicis. Stabit enim nihilominus Ecclesia, nec hæ inferi portæ aduersùs eam prævalebunt. Deinde gratulari sibi tantum decus, tamque multiplicem felicitatem, ex subiectione ad tantum Regem, cuius gloria & diuitiæ, ac potentia, certant cum affectu in subditos, & eos iuuandi ac releuandi voluntate.

## CAPVT III.

### *Christus, Rex virtutum.*

420 REx virtutum, & Dominus virtutum, denominatur Christus, de sententia S. Augustini Psalm. 67. & 23. Non sumo tamen *virtutis* Græcè Κραταιος accipi ait inscripturis pro regno & imperio : Non inquam sic nunc sumo hunc titulum ; quia sic Christus *Rex virtutum*, idem esset quod Rex Regum, de quo Christi titulo iam est actum.

*Christus, Rex virtutum, ad literam.*

Quod si his vocibus, *Rex virtutum*, subesset notio quam extremus latinæ vocis cortex præfert, & idcircò aliquibus concinnatoriè potiùs, & ad vulgi plausum, quàm solidè & verè ea Christi attributa interpretantibus placuit, & mysticè locutus attigit Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma, ac homil. 8. in Eccles. sensus esset, Christum Regem choro virtutum præesse, & iisdem veluti domestico satellitio sepiri semper ac cingi; dicere huic vade, & vadit, & alij veni, & venit. Est enim Christus princeps pacis. Exercitus autem pacis, (vt idem Nyssenus hom. 8. in Eccles. pulchrè disserit) sunt virtutes. A quo populari & auditis vocibus obuio sensu, non abhorret quod S. Ambrosius in Apologia Dauid, ad citata absque dubio scripturæ loca alludens, de Deo inquit; [ Deus virtutum est, non criminum. [ Sed pereleganter idem Ambrosius, vt omnia lib. 3. de fide cap. 4. Christum virtutum Regem ac Principem (id enim fert vox principij, qua ibi Christum designatum docet,) nomine primitiarum Dei expressum monstrat. Vias enim illas esse virtutes, & eorum Christum autorem esse ac principem præfatus, sic concludit. [ Christus nobis via est; via autem Domini, viæ rectæ sunt, sicut scriptum est: *vias tuas Domine notas fac mihi.* Via castitas, via fides, via est abstinentia. Est namque via virtutis, est & via iniquitatis: Scriptum est enim; *& vide si est via iniquitatis in me.* Principium itaque nostræ virtutis est Christus. Principium integritatis, qui docuit virgines, non viriles expectare concubitus, sed integritatem mentis & corporis, sancto magis dicare Spiritui, quàm marito. Principium parsimoniæ Christus, qui pauper factus est, cum esset dives. Principium patientiæ Christus, qui cum malediceretur, non maledixit: cum percuteretur, non repercussit: Principium humilitatis Christus, qui formam serui accepit, cum patrem Deum maiestate virtutis æquaret. Ex illo enim accepit virtus vnaquæque principium. Et ideò vt hæc virtutum genera disceremus, filius datus est nobis, cuius principium super humeros eius. Principium illud crux Domini est, principium fortitudinis, quo via sanctis est reserata martyribus, ad sacti certaminis passionem. ] Idem habet lib. 2. interpellat. in Iob cap. 2. *in fine.* Concinnè Origenes homil. 12. in num. collato Satana cum Seon Rege Amorrhæorum, ostensoque Satanam esse, mundi id est peccati ac peccatorum principem, concludit. [ Secundùm hunc itaque modum, rectè & Christus virtutum princeps, & Diabolus malitiæ, ac totius iniquitatis dicetur. ] Et hom. 2. in Psalm. 36. ad illud *& nunc quæ est expectatio mea*; exhibet Christum vt fontem per errorem virtutum omnium nostrarum, atque adeò vt principium & Regem virtutum.

Piè de more S. Bernardus serm. 13. in Cant. *initio*, rectè inferens quàm grati in Christum esse debeamus locus est omni sesamo & melle sapidior. [ Origo fontium ad fluminum omnium, mare est, virtutum & scientiarum, Dominus Iesus Christus. Quis omni Dominus virtutum, nisi ipse est, Rex gloriæ? Sed & iuxta Annæ canticum, idem ipse Deus, scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solùm autem, sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis motibus placet, inde est. Inde scientiæ, inde sapientiæ sermo. Thesauri si quidem sapientiæ & scientiæ, ibi omnes absconditi sunt. Quid? casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria, nonnè riuuli fontis illius sunt? Quod si copiæ aquarum, secretis subterraneisque recursibus inæstimabiliter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus vsusque nostros, iugi & infatigabili erumpant obsequio; Cur non etiam spirituales riui, vt aruæ mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione reddantur? Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad sua principium, cœleste profluuium, quo vberiùs tertæ refundatur. Qualiter inquis? Qualiter dicit Apostolus; *in omnibus gratias agentes.* Quicquid sapientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ deputa, Christo. ]

*Hostis virtutum, hostis Christi.*

421 Et quia Christus est Rex omnium virtutum, & Dei virtus, inde sequitur, omnem quomodolibet violantem virtutem aliquam, inhonorare Christum; de quo pulchrè S. Ambrosius serm. 44. de temp. [ Fortè dicitis (inquit) malum fecerunt Iudæi qui eum lapidare voluerunt, & qui eum crucifixerunt. Scitote & firmiter credite, quia hoc faciunt Christiani hodiè malè viuentes, eo quod tunc Christum vitiis persequuntur. Quid enim est Iesv nisi veritas, & pax, & iustitia? Ergo qui pro falsitate relinquit veritatem, & pro cupiditate dirumpit charitatem, & odit pacem, & pro aliquo præmio occultat iustitiam, nihil aliud facere videtur, quàm lapidare, & crucifigere, & occidere Christum, quia ipsius dona extinguit in seipso. O quàm pauci sunt in tanta multitudine Christianorum qui Iesvm non persequantur, & lapident & occidant? Sed vel illis, quia Iesvs abscondit notitiam suam talibus, & exit de templo cordium eorum, manifestat se amatoribus suis, & habitat in illis, sicut ipse dilectori suo, inferiùs pollicetur, dicens, *Ego & Pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* &c. Oramus ne sitis de illorum numero, qui Iesvm lapidare voluerunt. ]

Præiuerat Origenes tomo 26. in Ioan. tractans illud Christi, *& vos inhonorastis me*, in eos intortum, qui Christum vocarant Samaritanum & Demoniacum ait ergo Origenes. [ Cuicunque spernenti Dei sapientiam dicetur, *vos ignominia me afficitis*: Quandoquidem Christus etiam, est sapientia, atque etiam pax. Quod si quispiam est ex ipso, is pacem etiam cum hominibus omnibus habeat oportet, adeò vt dicat Propheticum illud: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Opus etiam est, vt recipiat pacem Dei, superantem omnem intelligentiam, corque custodientem, & sensus eius, qui eam receperit. Quod si quis bellandi cupidus meideat etiam, incuiusque ac deuoret proximum, sitque etiam plenus perturbationibus, causa seditionis existentis, in suo ipsius animæ principatu, huic etiam dicetur; *vos ignominia me afficitis.*

*officitis*. Christus enim pax nostra est. Rursus quoniam qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem luxque est ille qui dixit, *ego sum lux mundi*; perspicuum est, quòd qui malè agit, ignominia lucem afficiens, ignominia etiam Christum afficiat, auditurus etiam, *& vos ignominia me afficitis*. Et quid opus est in longum protrahere sermonem, explicantem & ostendentem, quinam sint qui à IESV redarguantur, & qui sint qui audiant ab ipso, *vos ignominia me afficitis*, cum manifesti sint ex his quæ explicuimus, & ex his quæ his consequenter coniungi possunt? ]

422 Optimè item hom. 2. in psal. 36. ad illud *subditus esto Domino*, ex amore vel violatione virtutum, colligit subiectionem ad Christum. Præfatus enim velle se perscrutari, quid sit *subditum esse Deo*, addit. [ Dominus noster IESVS Christus, iustitia est. Nemo ergo iniustè agens subiectus est Christo, qui est iustitia. Christus, veritas est. Nemo mendax, Christo subiectus est, qui est veritas, siue cum in rebus, siue cum in doctrina mendacium loquitur. Dominus Iesus Christus, sanctificatio est. Nemo est subiectus sanctificationi, cum pollutus sit, & impurus Dominus Iesus Christus, pax est. Nemo litigiosus & turbulentus, Christo subiectus est; qui est pax. Sed ille subiectus est ei, qui dicit: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Vnde & in alio Psalmo ad animam dicit Propheta; *Verumtamen Deo subdita esto anima mea, quia ab ipso est patientia mea.* ] Et inferiùs. [ Hoc modo teipsum discute. Deus charitas est: Si odium in te non est, non habes quod cõtrarium Deo est. Deus, veritas est, vide ne sit in te mendacium, quod est contrarium veritatis. Si enim est in te mendacium, non Deo subiectus es, sed ei qui est mendacij pater. Et si iniustitia in te est, patri iniustitiæ subiectus es magis quàm Deo, qui iustitia est. Si & reliqua in te deprehenderis vitia, scito te tamdiu non Deo, sed Diabolo esse subiectum. Certum est namque quia fornicationis tempore, spiritui fornicationis sumus subiecti, aduersantes spiritui castitatis. Et tempore iracundiæ, vel furoris, spiritui iræ obedimus, spiritui mansuetudinis resistentes. Propterea ergo videntes, quia omnis vita nostra agonem quendam obedientiæ gerit, siue Christo, siue his qui contrarij sunt Christo conemur per orationis, per eruditionis religiosam institutionem, hoc agere, ne vnquam Diabolo vel malitiæ eius obedire inueniamur, sed omnis actus noster, & omnis sermo, atque omnis cogitatio, inueniatur in subiectione Christi. ]

### *Signa Christi Regis virtutum.*

423 Quando autem Christum virtutum Principem hactenus monstrauimus, signa tanti Regis, ne prætereamus in hymno sacro qui attribuitur S. Ambrosio, estque inter eius hymnos numero 24. post aduentum Christi propositum, additur.

*Aluus tumescit Virginis,*
*Claustra pudoris permanent,*
*Vexilla virtutum micant,*
*Versatur in templo Deus.*

En *micantia*, prodeunte Christo, *virtutum vexilla*; quasi sub hoc Imperatore hæc sint signa sub quibus est merendum. Plerique interpretes, *pennas columbæ deargentatas & posteriora dorsi eius in pallore auri*, de quibus Psalm. 67. ad signa basilica retulerunt S. Bernardus serm. 4. de aduentu ad Christi virtutes refert. Itaque sic statuit. [ Sint, si dormire volumus inter medios cleros, id est duos aduentus, pennæ nostræ deargentatæ: vt illam scilicet virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendant Christus, præsens in carne. In argento siquidem non incongruè intelligitur humanitatis eius, sicut in auro diuinitas. Omnis itaque virtus nostra, tam longè est à vera virtute, quàm longè est ab ea forma. Et omnis penna nostra, ad nihilum valet, si non fuerit deargentata. ] Vides his omnibus firmari, exercitum Christi Domini constare veris virtutibus. Certè Salonius ad illud prouerbiorum, *sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Dei*, Regem illum exponit virum sanctum quemcunque, cuius milites ait esse sacras virtutes. Quanto ergo iustius idem Christo tribuimus? Hac ergo ratione, titulo *Regis virtutum*, significatur, Christum esse virtutum omnium principem, à quo in omnes alios deriuentur virtutes, & in eo sint vt in fonte.

### *Christus, pictura & pictor virtutum.*

424 Plerique Patrum idem sub alio schemate tradunt, dicentes Christum veluti pictorem suas in nobis virtutes pingere profero nonnullos. Inprimis id præclarè prosequitur S. Macarius homil. 30. [ Quemadmodùm icona pingens, attendit imaginem Regis dum pingit; ac si ex aduersa parte sit facies Regis intendens in ipsum pictorem, facilè atquè eleganter ille imaginem ad viuum depingit: Sin verò faciem auertat, pingere nequit; eo quod intentis oculis non intuebatur pingentem: Eodem quoque modo, insignis ille pictor Christus, credentibus ei, & fixis eum oculis semper intuentibus, confestim depingit ad imaginem suam, hominem cœlestem. Ex ipso Spiritu ex substantia ipsius luminis arcani, pingit imaginem cœlestem, & largitur ei præclarum & bonum illius sponsum. Si quis ergo immotis oculis, eum non semper intueatur, spretis omnibus, nequaquam pinget Dominus imaginam eius è suo ipsius lumine. Oportet ergo fixis oculis intueri nos eum qui credimus, & diligimus illum, eique omnibus proiectis attendimus, vt pictam sui ipsius imaginem cœlestem, immittat animis nostris. ]

Chrysostomus hom. 13. in 1. ad Cor. ad illud, *imitatores mei estote*, Paulum à Christo pictore egregiè depictam imaginem, quam citra tempus, sola voluntate effingere cuique liceat, pulcherrimè exhibet his præter cætera. [ Vultis vt tabula in medium adducta, coram vobis describamus Pauli vitæ institutionem? Producatur ergo tabula Imperatoriis imaginibus longè Clarior. Subiectum enim non est conglutinati asseres, neque imposíti sindones; sed subiectum est opus Dei. Anima enim est & corpus. Anima Dei opus, non hominum; & corpus rursus similiter. Hîc plausistis. Sed non est hic tempus plausûs, sed in iis quæ deinceps sequuntur, & plaudendi & æmulandi, est tempus

pus. Interim enim est subiecta communis omnibus materia. Anima enim nihil differt ab anima, quatenus est anima: sed liberum eligendi arbitrium, ostendit differentiam. Quomodo enim corpus nihil differt à corpore quatenus est corpus, sed simile est & Pauli corpus, & corpus multorũ. Pericula autem efficiunt illius corpus præclarius. Ita etiam in anima. Ponatur ergo nobis tabula, Pauli anima. Hæc tabula nuper iacebat fuligine obducta, plena telis aranearũ. Nihil est enim peius blasphemia. Postquàm autem venit qui omnia transformat, ac transmutat, & vidit eam sic esse depictam, non ex ignauia & socordia, sed ex imperitia, & ex eo quod non haberet flores pietatis. (Nam zelum quidem habebat; non aderant autem colores. Non enim habebat zelum secundùm scientiam;) dat ei florem veritatis; hoc est gratiam, & repentè regiam effecit imaginem. Cum enim accepisset colores, & didicisset quæ ignorabat, non expectauit, sed protinùs euasit artifex optimus. Et primùm ostendit caput regium, Christum prædicans. Deinde etiam reliquum corpus, quod est perfectæ vitæ institutio. Atque pictores quidem & statuarij, cum se incluserint, cum magna industria, diligentia & silentio agunt omnia, nemini ostia aperientes. Hæc autem tabula in medio orbis terræ proposita, omnibus aduersantibus, tumultuantibus, sic hanc regiam faciebat imaginem, nec prohibebatur. Et ideò dicebat, *spectaculum facti sumus mundo.* In medio terræ & maris, & cœli, & totius orbis terræ; & mundi tam sensilis, quàm eius qui cadit sub intelligentiam, depingans imaginem] Excurrit mox sigillatim in quarumlibet Pauli partium picturam.

S. Basilius c. 1. Constitut. Monast. *initio*, virtutes in se pingentem exhibet Christum, vt sint nobis veluti archetypa, qua ipsi postea exprimamus, facti nos quoque pictores boni, atque laudabiles. [Omnis actio, (inquit) omnis item sermo Saluatoris nostri Iesu Christi, excolendæ pietatis virtutisque obeundæ regula est. Propter hoc enim etiam humanam naturam suscepit, vt in se velut in tabula quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eámque omnibus nobis, maribus simul ac fœminis ante oculos statutam, vnicuique pro viribus imitandam, seu Archetypon proponeret. Neque enim alia de causa, ille corpus nostrum gerit, nisi vt quoad fieri possit, ad imitanda vitæ ipsius studia nos conformemus.

### *Exprimenda imitatione ea pictura, obuersis in illam oculis.*

425 Iuxta germanum Basilij Gregorium Nyssenum hom. 5. in Eccles. sic intuendo Christi virtutes vt archetypas, efficitur illud à Sapiente commendatum, *sapientis oculi in capite eius.* Sic enim in ea verba scribit. [Cur hæc dicit? Est ne enim vllum omnino animal quod habeat oculos extra caput, seu dixeris aquatile, seu terrestre, seu aëreum? In omnibus enim, oculus reliquo corpori est præpositus, & collocatus est in capite eorum quæ habent caput. Quomodò ergo hic dicit, solius sapientis caput præditum esse oculis? An hoc omninò tacitè significat, quod eorum quæ considerantur in anima, est quædam proportio & conuenientia cum partibus corporis? Et sicut in figura corporis, id quod toti præest, *caput* nominatur: ita etiam in capite, id quod principatum obtinet & primum tenet locum, pro capite intelligitur. Et quomodò pedis basim appellamus *Calcaneum*: ita etiam fuerit basis animæ per quam attingit corporis coalescentiam, vnde immittit in subiectum, sentiendi vim & operationem. Quando ergo perspiciendi & contemplandi vis in anima, occupatur in rebus sensibilibus, in eius calcaneos, oculorum transit natura: per quos aspicit quæ sunt inferiora sublimium speculationem dimittens, contemplationis expers manens penitùs. Sin autem rerum subiecturam cognita vanitate, sustulerit oculos ad suum caput, quod est Christus, sicut interpretatur Paulus, beata censenda fuerit propter acrem oculorum aciem; vt quæ illic habeat oculos, vbi mali non est obscuritas. Magnus ille Paulus, si qui alij sunt sicut ille magni, habebant oculos in capite, & omnes qui viuunt & mouentur & sunt in Christo. Nam sicut fieri non potest, vt si quis sit in luce, videat tenebras; ita non potest fieri, vt qui in Christo habet oculum, ad aliquid vanum eum defigat. Qui ergo habet oculos in capite; (caput autem intelligimus vniuersitatis principium,) habet oculos in omnis virtute. (Christus enim est virtus perfecta; & omni ex parte absoluta:) in veritate, in iustitia, in omni bono. *Sapientis* ergo *oculi, sunt in capite eius. Stultus autem in tenebris ambulat.*

426 Confirmat eundem sensum, & alio adhibito non dissimili ex Iobo, illustrat S. Gregorius 20. mor. c. 3. sed insigniter hom. 2. in Ezech. tractans illud *similitudo hominis in eis.* [Quis (inquit) hoc loco homo describitur, nisi ille de quo scriptum est; *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo?* Hæc itaque animalia, vt surgere ad sanctitatis virtutem valeant, ad huius hominis similitudinem tendunt. Sancta enim non essent, si huius hominis similitudinem non haberent: quia quicquid in eis de visceribus pietatis, quicquid de mansuetudinis Spiritu, quicquid de custodia humilitatis, quicquid de feruore Charitatis est, hoc ab ipso fonte misericordiæ, ab ipsa radice mansuetudinis, ab ipsa virtute iustitiæ, id est à mediatore Dei & hominum, Deo Domino, traxerunt. Huius se hominis similitudinem habere egregius prædicator ostendit dicens; *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; Ad eius nos similitudinem surgere admonet, cum dicit; *primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis: igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem eius qui de cœlo descendit.* Sanctus etenim quisque in tãtum ad similitudinem huius hominis ducitur, in quantum vitam sui Redemptoris imitatur. Nam ab eius mandatis atque operibus discordare, quid est aliud quàm à similitudine longè recedere: rum virtutes omnes Christi egregiè à Prædicatoribus expressas hic & eleganter prosequitur.

Sic

*Sc enadimus imagines, imaginis Dei & hoc quantum.*

427 Vtrumque illud nempe & quod Christus imago sic factus, & quod necessarium sit, cum imitatione exprimendo, nos ipsos virtutum coloribus pingere, prosequitur insigniter Gregorius Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma, exponens quod Apostolus, Christum *imaginem Dei inuisibilis*, appellauit. [ Vt te prorsus ( inquit ) faceret imaginem Dei, ipse qui pro sua erga hominem benevolentia factus est imago Dei inuisibilis, hoc est ad humanæ naturæ mensuram sese demisit, vt nos ad diuinitatis mensuram extollamur. Ea enim fuit negotiatio filij Dei, vt propria forma quam sumpsit, effectus homo, se rursus ad exemplaris pulchritudinis figuram effingeret, vt esset id quod initio fuerat. Proinde vt nos item simus imago inuisibilis Dei, ad propositum nobis exemplar vitæ, nostra viuendi ratio exprimenda est: communitum pacto, vt in carne viuentes, minime viuamus secundùm carnem. Siquidem & princeps illa Dei inuisibilis imago, quæ ad nos per virginitatem appropinquauit, per omnia ad humanæ naturæ similitudinem eatenus tentata est, vt nullum peccati experimentum susceperit. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quemadmodùm igitur, si pingendi artem disceremus, magister aliquam nobis pulcherrimè depictam formam in tabula proponeret, in sua quemque pictura oporteret pulchritudinem imitari, & omnium tabulæ ad propositum pulchritudinis exemplar expolirentur. Sic quoniam suæ quisque vitæ pictor existit, artifex autem huiusce operis voluntas est; Colores verò ad exprimendam imaginem virtutes sunt; non mediocre periculum est, nè à pulchritudinis exemplari, ad turpem ac deformem aliquam pictonam recedat imitatio; & pro Domini forma, effigiem vitij sordidis coloribus adumbremus. Itaque pro nostra vtili, nobis enitendum est, vt virtutum colores puri sint, & scienter petiteque ad excipiendam imaginem commisceantur; vt imaginis imago simus, & quo ad eius fieri potest, imitatione perspicua pulchritudinis exemplum exprimamus, vt faciebat Paulus, qui ex virtute vitam instituens, Christi imitator fuit. Quod si clarius ea sigillatim oratione persequi volumus, quibus imitando imaginem repræsentamus, vnus color est humilitas. *Discite* ( inquit ) *à me quia mitis sum, & humilis corde*, Alter est patientia. Quæ quot modis in imagine inuisibilis Dei conspicitur? ] Amplificat Christi patientiam. Tum concludit. [ Sic alia omnia in principe Dei imagine, licet intueri, ad quam qui respicit, & ad eius similitudinem formam exornat suam, ipse quoque fit Imago Dei inuisibilis, per tolerantiam expressa. ]

428 Egregiè quoque Petrus Cellensis l. de conscientia c. vltimo, omnes virtutum calores ex variis Christi mysteriis petitos, & ad vnum in nobis Christum pingendum à charitate adhibitas, sic repræsentat [ Viui & veri colores Charitatis, non volucrum, non quadrupedum, non stultificas, immò fanaticas imagines imaginis Dei figmento exprimunt, sed conformitatem adoptionis filiorum & gratiæ reparatiuo genere pingendi, per neruos & venas principalium virtutum in anima componunt. Pingit enim dilectio, non stylo ferreo timoris, in vngue adamantino obstinati cordis, sed penicillo volitante ad supereminentem Scientiæ charitatem Christi. Quàm pulchras & quàm decoras nouit depingere formas, dilectio? caput sphæricum & rotundum, sed aurum in statua Charitatis pingit, quia intentionem puram & perfectam facit. columbinos aspectus subiungit per innocentiam; manus tornatiles per eleemosynam, nasum apertum & recurvum per discretionis temperantiam; vbera plena per abundantiam gratiæ; pedes rectos per incessum misericordiæ; corpus totum plenum oculis, per circumspectionem industriæ pingit trinum & vnum Deum in capite; pingit Iesum passum in oculis; pingit librum Euangelij in auribus; pingit flagella in dorso; pingit lanceam in latere; pingit solum corpus extensum, adeò vt ossa dinumerarentur; pingit acetum in potu, fel in gustu; pingit coronam spineam in capite, pingit velatum facie, pingit alapis cæsum, pingit mortuum; pingit Mariæ Magdalenæ in horto apparentem, & confabulantem; pingit cum Apostolis conuescentem; pingit ad Cælos ascendentem; pingit ad dextram Patris residentem & regnantem; pingit ad iudicium manifestè cum potestate magna & maiestate venientem; pingit sinistris terribilem, dextris amabilem. Ecce sculptura, ecce pictura charitatis. Sed vnde illi vel quales sunt colores, quibus immaterialis tam sublimiter animæ depingitur imago? Animaduerte vnde sunt colores, & quanti sint, & affectuosiùs suscipies conformatas imagines verminium siue rubeum habet colorem, in sanguine, nigrum in passione seu in morte, viridem in resurrectione, album in ascensione, terrenum in conuersatione mortali, purpureum in vexatione assidui certaminis, suis cum hominibus, seu cum malignis spiritibus. ]

Sic Christo partim præunte & concomitante, partim veluti in tabella obuersantibus eius virtutibus, efformatur pingiturque in nobis ea cœlestis imago, ad quam pingendam formati sumus. Fœlices qui archetypon aliud scite expresserint. Infœliciissimi è contrario, qui tam exquisiti pictoris imagini, appingunt aliam. Hoc quomodò fiat accipe ex Origene hom. 13. in Genes *ad finem.* [ Intra te est collocata imago Regis cœlestis. Cum enim faceret hominem ex initio Deus, ad imaginem & similitudinem suam fecit eum: & hanc imaginem non extrinsecùs, sed intra eum collocauit. Hæc in te videri non poterat, donec domus tua sordida erat, immunditiis & ruderibus repleta. Iste fons scientiæ intra te erat situs, sed non poterat fluere, quia Phylistim repleuerant eum terra, & fecerant in te imaginem terrani. Sed tu portasti quidem tunc imaginem terreni, nunc verò his auditis, ab illa omni mole & oppressione terrena per verbum Dei purgatus, imaginem cœlestis in te splendescere facito. Hæc ergo Imago est de qua dicebat pater, ad filium, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Filius Dei, est pictor huius imaginis, & quia talis ac tantus est pictor, imago eius obscurari per incuriam potest, deleri per malitiam non potest. Manet enim semper imago Dei in te, licet tu tibi ipse superducas imaginem terreni. Istam picturam tu ubi ipse depingis. Cum enim te libido fuscauerit,

uerit, induxisti vnum colorem terrenum: Si verò & auaritiæ studeas, miscuisti & alium. Sed & cum te ira sanguinem facit, addis nihilominùs & tertium colorem. Superbiæ quoque alius additur fucus, & impietatis alius. Et sic per singulas quásque malitias velut diuersis coloribus Congregatis, hanc imaginem terreni, quam Deus in te non facit, tu tibi ipse depingis. Propterea ergo deprecandus est vobis ille, qui dicit per Prophetam; *Ecce ego deleo sicut nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua:* Et cum deleuerit omnes istos in te colores, qui ex fucis malitiæ sumpti sunt, tunc resplendebit in te imago illa quæ à Deo creata est.] Hoc vt idem est auctor hom. 1. in Genes. in illud *ad imaginem Dei fecit illum*, studeamus comprobari in nobis, enitamur vt Christo primariæ imagini, per virtutum opera euadamus quàm simillimi, simúsque imagines imaginis illius ad quam Deus nos effingi voluit, quæ imago primaria Christus est. Videsis quæ dixi in calce tractationis de Christo Dei facie.

### *Virtutes Regiæ Christi Regis virtutum.*

429 Hinc satis confirmatum manet, Christum dici *Regem virtutum*, quia est princeps & fons, ac origo omnium virtutum, quibus decoramus, easque proinde in se multo magis continet: eóque (vt aiebam) veluti domestico atellitio stipatur. Et quia de Christi virtutibus actum iam est, cum de perfectionibus voluntatibus, hic attiugendum dumtaxat est, quantoperè niteant in eo virtutes Regiæ, labis cuiusuis expertes in regni administratione Dauid psalm. 44. Regis nostri epithalamium concinens, eas enumerat, veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam. Quamuis enim Chrysostomus ibi, existimet sensum potiùs esse, regnandum esse & fortiter agendum Christo, vt has virtutes hominibus conferat; vt veritatem à filiis hominum diminutam plantet in terra; vt mansuetudine efferatos eorum mores commutet; & vt eos iustos faciat in quos tyrannidem exercet iniquitas, quo pacto virtutes à Dauide enumeratæ, non ad Christum Regem, sed ad subditos pertinent. Tamen plurium est ea interpretatio, & cum antecedentibus & consequentibus probè cohærere, quæ virtutes illas in Rege Christo, spectari à Dauide affirmat: veritatem, quæ est *verborum nobilitas* iuxta Synesium oratione de regno, ideóque Regem maximè decet; præsertim si præcesserit promissio, factorum veritate firmanda: Mansuetudinem, id est clementiam sæuitiæ oppositam, ornamentum Regis insigne, ne potestate armatus, lutum sanguine maceratum audiat, fiatque homo homini lupus: Iustitiam denique, non illam dumtaxat quæ vindex est malefactorum & bonorum compensatrix, aut illam alteram priuatam, quæ æqualibus commutationibus & suo cuique iure reddendo distinetur, sed illam quoque perfectam & admirabilem, ac inter virtutes veluti Hesperum aut Luciferum, vt Atistoteles nominauit libro Ethicorum 5. quæ scilicet in omni erga alios operatione, metrum æqui ac recti tenet; nec est vna peculiaris virtus, sed chorus virtutum ad alterum. Inde iustum & bonum virum, passim denominamus, qui nemini noceat; quin potiùs omnibus benefacere, & pro virili commodare paratus est.

Est reuera Christus, hac ratione *Rex virtutum*. Easque in spirituali regno Ecclesiæ maximè prodit. Non enim cecidit de verbis eius in terram. In promissis incorruptissimus, in assertionibus simplicibus tenax semper veritatis apparuit: prænunciauit futura pleraque ab hominum cogitatione & sensibus planè dissita. Quid non comprobauit euentus? Promisit tutelam perpetuam Ecclesiæ suæ, & se illi ad consummationem vsque sæculi affuturum rectorem ac protectorem. Quando defuit? Clementiam in admittendis ad veniam vsque septuagies septies peccatoribus, in horas singulas experimur: quamuis ne eneruetur regiæ directionis vigor, perdatque mellities quos censura cohiberet, exempla interdum statuat omnium, tormenta paucorum. Iustus enim est, & iustitiam, hoc est iusti amantes homines, diligit, beneuolisque oculis contuetur studiosos æquitatis. Ita vt apud Prophetam, inde ducta cognominatione appellatus sit *Dominus iustus noster*. Quod si Regem ac Magistratum sæculatem, Theodoretus orat. 7. de prouid. *pharmacum peccati* iure dixit, quod iniustitiam eliminet, & repressa iniquitate vigentem in regno ac florentem exhibeat iustitiam; multo id iustius citra & supra comparationem omnem, de Christo dicatur, cuius opus est iustitia, & cultus iustitiæ & silentium; (vtique ab iniquitatum clamore) quo pauperes in iustitia iudicat, & arguit in æquitate pro mansuetis terræ.

### *Nulla subditorum, à Rege virtutum, grauamina.*

430 Non est sub hoc Rege, timendum subditis à rapacitate, non iam patris, vel etiam domini, sed cauponis, vt est apud Themistium orat. 5. Non præfectorum, veriùs sanguisugarum, dira auri fame & siti, qui vt de sui temporis Præfecti regiis scribit Sidonius l. 5. epist. 7. [Inuident tunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuscula legatis, portoria quadruplatoribus, prædia prouincialibus, flamonia municipibus, arcariis pondera, mensuras allectis, salaria tabularis, dispositiones numerariis, prætorianis sportulas, ciuitatibus inducias, vectigalia publicanis, reverentiam clericis, originem nobilibus, consessum prioribus, congressum æqualibus, cinctis iura, discinctis priuilegia, Scholas instituendis, mercedes instituentibus, litteras instituris.] Veritim vendunt, quod communiter emerunt; dumque in amplificandum censum tori sunt, prodigi honoris proprii, ac eriam iustitiæ, expilant quos tutari debuerant. Vnde sequitur, quod expostulabat Salvianus lib. 1. de prouid. vt diues potestas, pauperem faciat esse Rempublicam. Non hic visuenit quod in aliis regis potestatibus frequens, imo iuge æuo suo fuisse ait S. Cyprianus epistola 2. vt timeantur, & timeant. Sic enim de illis quos inter honorum insulas regalis aulæ splendore fulgentes, armorum excubantium tutela circumstat. [Maior illis quàm cæteris metus est. Tam ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas, sit licet satellitum manu septus,

septus, & clausus ac protectum latus numeroso stipatore tueatur. Quàm securos non sinit esse subiectos, tam necesse est non sit ipse securus: Ante, ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles. Arridet, vt sæuiat; blanditur vt fallat; illicit vt occidat, extollit vt deprimat. Fenore quodam nocendi, quàm fuerit amplior summa dignitatis & bonorum, tam maior exigitur vsura pœnarum.]

Christus Rex, quia regni sui bonum, non suum commodum captat; & verè diligit suos, & sincerè diligitur à suis. Hic illi vnicus regno scopus propositus, eis benè facere & benè consulere. [Non enim Rex Israël Christus (inquit S. Augustinus tract. 15. in Ioan. ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hosteſque visibiliter debellandos: sed Rex Israël, quod mentes regat, quod in æternum, consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Dei ergo Filius, æqualis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod Rex esse voluit Israël, dignatio est, non promotio; miserationis iudicium est, non potestatis argumentum.] Regem tam beneficum, & multo potiore iure Millychium quàm Graium illum, quis non subditorum & amaret & deperiret potiùs, quàm seruiliter timeret?

### *Qui verè Regi virtutum sint aut non sint subditi, imo eo ipso Imperatores.*

431 Quam optandum, vt in hoc virtutum regno, quod item Christi est, subsimus lubentes ac volentes, potiùs quàm ærumnosissimo regno vitiorum virtutibus oppositorum? Attigit hoc pulchrè Origenes hom. 36. in Lucam, tractans illud Christi Lucæ 17. *regnum Dei intra vos est.* Sic enim scribit. [Non omnibus Saluator dicit, *regnum Dei intra vos est*: Siquidem in peccatoribus regnum peccati est, & absque vlla ambiguitate, aut regnum peccati, aut regnum Dei in corde nostro imperat. Vnde siue quæ facimus, siue quæ loquimur, siue quæ cogitamus, contemplemur attentiùs, & tunc videbimus vtrum Dei imperium regnet in nobis, an imperium delictorum. Quam diuersitatem sciens etiam Apostolus, quosdam commonet, dicens; *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore.* Si quis nostrum desiderat regnum Dei, regnatur ab eo. Si quis auaritiæ ardore cruciatur, regnatur ab auaritia. Porrò qui iniustitiam reginam habet, regnatur ab ea. Qui vanæ gloriæ ambitione sustollitur, regnat ei aura popularis. Qui mœret, qui aliquid reformidat, qui amat, qui desiderat, imperant ei singula, provt perturbationibus variis possidetur. Quæ omnia cognoscentes, & quàm multa sint genera regnorum; surgamus, precemurque Deum, vt auferat à nobis regnum inimici, & possimus sub regno esse Dei omnipotentis; id est sub regno sapientiæ, pacis, iustitiæ, veritatis, quæ cuncta in vnigenito Dei Filio intelliguntur.]

432 Nec verò tam dicendi erimus subesse felicitet, si ita Christo virtutum Regi subsimus, quàm dicendi erimus Imperatores felicissimi, & Reges magnificentissimi esse. Decus enim veri Imperatoris ac Regis, non in eos cadit qui inter mortales potiuntur hoc nomine, sed in eos qui Dei Regis virtutum, in seipsis formam exhibent. Audi Eusebium orat. de laudibus Constantini. [Hic verè imperator appellari poterit, qui animo suo propter Imperatoris virtutes in illo insitas, supremi illius imperij exemplar repræsentat. Qui autem ab his penitùs relegatus sit, quique summum totius vniuersitatis Imperatorem denegarit, neque cœlestem animorum agnouerit procreatorem & parentem, neque debitum decus illi tribuerit, sed turpitudinis labe animum deformarit; regiam mansuetudinem, cum immanis & agrestis belluæ furore; liberalem & honestam animi affectionem, cum lethifero vitiositatis veneno; cum stultitia prudentiam; cum ratione & sapientia temeritatem, rem omnium planè maximè deformem commutarit; ex qua tanquam ex amara stirpe germina pernicioſa ac pestifera nascuntur, vita in omnem intemperantiam effusa, auaritia, cædes, bellum cum Deo, denique impietas: Qui in quam, his se totum dediderit, etiamsi violentia tyrannica imperium occupet, nunquam verè Imperator dici, nuncuparique poterit. Qui enim Monarchæ effigiem gerere potest ille, qui infinitas Dæmonum imagines, adumbratas, & quidem in animo impressas habeat? Quemadmodum Princeps vocari, & rerum summa potiri ille quidem, qui infinitos Dominos, eosque valdè acerbos, suis ipsius ceruicibus imposuerit? Nam seruus est obscœnæ voluptatis; seruus intemperantis & insanæ libidinis cum mulieribus explendæ; Seruus pecuniæ iniustè partæ; Seruus excandescentiæ, & iræ; Seruus timoris & formidinis; Seruus Dæmonum cruentorum; Seruus denique Spirituum animum corrumpentium. Quapropter solus hic noster Constantinus ipsius veritatis testimonio Imperator prædicetur, qui quidem cum Deo summo omnium Imperatore amoris vinculis iunctus est; qui solus liber est; immò verò etiam, qui verè Dominus est, qui nec pecuniarum, nec mulierum cupiditate vincitur, sed voluptatum, etiam quæ sunt secundùm naturam, victor est; Qui excandescentiam & iram expugnat, non autem ab illis expugnatur. Hic reuerà Imperator est.]

E contrariò autem quid infœlicius eo esse potest, qui Christo Rege virtutum abiecto, malit Satanæ & vitiis subesse, ex eoque misero numero esse, qui sub peccato & peccati principe Satana iacet? Hic enim est malignus ille in quo totus mundus positus est, sine *iacet*: Græcè κεῖται videlicet, sicut subditi iacent sub principis velut vmbra, & in eius tutela conquiescunt. Origenes hom. 12. in Num. describit egregiè infœlicitatem eius qui principem virtutum, principe nequitiæ maligno, commutatum velit sic enim præter cætera habet de Satana. [Princeps dicitur mundi, non quia creauerit mundum, sed quia multi sunt in hoc mundo peccatores. Peccati autem quia ipse princeps est, ideò etiam mundi princeps appellatus est: in his videlicet qui nondum relinquentes mundum, conuertuntur ad Patrem. Secundùm hoc enim etiam illud dicitur, quia *omnis mundus in maligno positus est.* Quid enim nobis prodest dicere, quia princeps noster Christus est, si rebus & operibus arguamur, quia Diabolus principatum tenet in nobis. Aut non palam est sub quo principe agat impudicus, incestus, & iniustus? Numquid potest huiusmodi homo dicere, quia sub Christo positus

hæc ago, etiamsi sub Christi nomine censeri videatur? In quo Christus principatum gerit, nulli ibi immunditia, nulla iniquitas admittitur, nec habere aliquem locum potest iniusta cupiditas. Secundùm hunc itaque modum, rectè & Christus *virtutum princeps*, & diabolus *malitiæ ac totius iniquitatis dicetur*.]

*Vsus doctrinæ.*

433 Non vult huius principis subditos, suo regno annumerare, Rex virtutum. [Non quod creationem suam remouens, (ait autor sermonis de ieiunio apud S. Cyprianum) Dæmonum sub iecerit potestati; sed quia in his qui amorem mundi Dei amori præponunt, non dignetur diuinitas sibi facere mansionem: & impossibile sit eos à Deo regi, qui se Diabolo tradidere; quia Christi & Belial nulla est participatio, nec aliqua iustitiæ cum iniquitate potest esse communio. Regnum hoc nó est naturæ, sed malitiæ. Persecutio est, non defensio: & tota huius potestatis virtus, in mortem damnationemque eorum qui sub hoc principe militant, elaborat. Regnum hoc munitur vitiis, ambitur flagitiis; Turres eius sunt crimina, arma quarumcunque turpitudinum molimina. Huius Regis telonarij, sunt pauperum oppressores, tribuni seductores, præfecti iudiciorum peruersores. Cubicularij eius sunt quæstium aduncatores, mercimonij traiectores, ærarij Sacerdotes, nummularij Doctores, conductitij defensores, linguæ subdolæ vel consilij locatores, venales auxiliarij, bilingues causidici, concinnatores mendacij, fabricatores peccati, vestiti mollibus, amicti discoloribus. In domo huius Regis sunt; qui paludamentis talaribus pauimenta verrentes capillis mulieribus se in fœminas transfigurant, & dignitatem virilem non sine naturæ iniuria dehonestant. In hoc regno sunt, quicunque regnum Dei commutant in mendacium; quicunque quasi in taberna vitiorum præcones, venales animas impurissimis Dæmonibus corrumpendas exponunt. Hîc auaras manus cupidi muneribus complicant; hîc genu flexo concupiscentiæ suæ quisque idolum colit, & propriæ libidinis adorat simulachrum.]

## CAPVT IV.

### *Rursus Christus Rex virtutum; id est exercituum Domini, & aciei castrorum ordinatissimæ.*

ATIS de primo illo sensu quo Christus dici potest *Rex virtutum*. Cum quo alium annexum suppeditat Petrus Damiani serm. 28. vocans Christum *autorem virtutum, & ducem spiritualium bellatorum*.

*Rex virtutum, id est bellicosus, & exercituum doctor.*

434 Consentaneè ergo ad genuinum sensum locorum Psaltis, è quibus hanc Christi denominationem petitam vidimus, *Rex virtutum* idem sonat quod *omnipotentem*, ait S. Hieronymus in cap. 2. Zachariæ, siue *fortissimum* atque adeò idipsum sonat *Rex virtutum* in eo sensu vsurpatum, quod olim apud Athenienses Lacedemonicos sonabat nomen *Regis*. Eo quippe nomine, summum militiæ præfectum, aut vniuersi equitatus moderatorem designabant, vt Paschalius ostendit lib. 10. de coronis cap. 13. *Rex* ergo *virtutum*, idem est quod *bellicosus* & exercituum ac castrorum rectioni intentus; cuiusmodi reuera Christus est, si Ecclesia militans spectetur. Vt propterea regnum Dauidis quod iugibus bellis exercitum ferè semper fuit, cum regno Christi in militantem Ecclesiam; regnum verò Salomonis quod fuit pacatissimum, cum regno Christi in Ecclesiam triumphantem rectè conferatur à Petro Damiani, opus. 37. dissert. 1. dub. 10. [Sciendum est (inquit quia per regnum Dauid,) qui tot persecutionibus & ærumnis attritus, tot aduersitatibus & inopiis cum suis commilitonibus est afflictus, hoc præsens sæculum designatur, in quo cum suis membris Christus affligitur, multisque tribulationibus Ecclesia cuncta regalium dignitatum iura transcendit, omnia principalis imperij fastigia superauit; futuræ vitæ denunciat gloriam; in qua Christus verè pacificus, æterna cum suis quiete perfruitur, ac cœlestis conuiuij dapibus solemniter epulatur. Vnus igitur idemque Redemptor noster, & nunc Dauid, & tunc Salomon erit, quia & modò tanquam manu fortis per membra sua contra Diabolum pugnare non desinit; & tunc sopita prorsus omni carnis & Spiritus controuersia, cum corpore suo, quod est Ecclesia, vt reuera pacificus, æterna tranquillitate regnabit. Nunc in electis suis, quasi Dauid calamitatum fascibus premitur persecutionum, ac diuersis aduersitatum pressuris vrgetur, tribulationibus in ærumnis atteritur; postmodùm tanquam Salomon exuberanti diuitiarum immortalium copia potietur. Nunc Dauid à facie Absalon fugiens, decem concubinas in domo relinquit, quas Absalon per incestum turpiter fœdat: quia Redemptor noster, dum eiectus de ciuitate Iudaïca in desertum gentium properat, relinquit in domo legis Iudæos, non viriliter incedentes, sed muliebri conuersatione viuentes.] Indeque erui cur Dauid viuens tolerarit, quos condemnauit moriens. [Quia vnus idemque Redemptor noster, & nunc quasi Dauid reproborum prauitates æquanimiter tolerat, & postmodùm tanquam Salomon, in gloria sua veniens, eos quasi vibrato iudicij sui mucrone, trucidat.] Sed de Regis gloriæ regno, etiam in Ecclesia viatrice, per Salomonicum expresso, infra plenè. Nunc idem regnum bellis turbatum, & proinde Dauidico regno delineatum, consideremus.

Aiebam, sub hac ratione Christum dictum esse *Regem virtutum*, id est *virorum fortissimorum*, & verè *virorum virtutum*, de quibus plenè Origenes hom. 25. in Num. Et idem erit, si Christus dicatur Rex exercituum, & castrorum

aciei ordinatæ. Quibus vocibus duplex eximiam huius regni, per optimi & sapientissimi Regis prouidentiam, bonum continetur. Vnum est ordinis, in tanta varietate personarum & munerum, quanta in exercitu iusto requiritur. Alterum est regni tutela, & munitio aduersùs internos & externos hostes, per militares copias Regis imperia firmantes, & exercitum ad nutus eius paratum.

### *Castrorum acies sub Rege Christo, ordinatissimæ.*

435 Dicendum de vtroque illo bono breuiter, ducto initio ab ordine quem exercitùs nomine insinuari perspicuum est. Exercitus enim veluti anima, est ordo. [ Acies, ( vt est apud Veget. lib. 3. cap. 14. ) si sapienter disponitur, plurimùm iuuat: si imperitè, quamuis optimi bellatores, praua dispositione franguntur. ] Ea dispositio, idem est quod ordo debitus, quem exercitus salutem iure dixeris. Vnde multitudo nimia, quod Xerxes docuit, ruit in certum exitium; quia ægrè ordinari & componi potest. Eaque ex causa Alexander Magnus, vt est in Panegyr. Constantini cum præter Macedonas suos, cunctæ Græciæ, vniuerso Illyrico, innumerabilem delectum posset indicere; nunquam maiores quadraginta millium copias duxit: inhabile regenti ratus, quicquid excideret, & turbam potiùs quàm exercitum. Aptissimè ergo vox *exercitus*, concinnum ordinem exhibet; qui in Ecclesia Dei cernitur, personarum non secus ac in sæculari regno variis gradibus distinctarum, & compositarum. Vnde existit varietas illa, & inæqualitas quam toties Apostolus per variorum corporis membrorum analogiam exhibet. Valafridus Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 31. & vltimo, correspondentiam & proportionem personarum regni & exercitus sæcularis, cum regno & exercitu Ecclesiæ, fusissimè prosequitur. Iuuerit eum audire, sed tantisper accisum. [ Sicut gens Romanorum totius orbis Monarchiam tenuisse fertur, ita Summus Pontifex in sede Romana vicem B. Petri gerens, totius Ecclesiæ apicè sublimatur, &c. Sicut verò summus sæculi principatus non tantum apud Romanos, verùm etiam apud aliarum partium gentes interdum fuit; ita & aliæ Ecclesiæ, dignitati sedis Romanæ consociantur; id est Antiochensis in Asia, Alexandrina in Africa, in concilio enim Nicæno, harum trium priuilegium Ecclesiarum, cæteris omnibus anteferendum ostenditur. Sed potest trium locorum expientia ad vnam dignitatem referri, quia in duobus eorum ipse Petrus sedit: Tertium per Marcum filium suum, suam effecerat sedem. Similiter intelligendum de Principatibus sæculi, quod quamuis ad diuersis orbis partibus per tempora sua fulserint, tamen ad ius Romanum quasi vnum apicem, postremò penè omnes sunt relati. Comparetur ergo Papa Romanus, Augustis & Cæsaribus. Patriarchæ verò Patriciis, qui primi post Cæsares, in imperiis fuisse videntur: Ita & isti qui satis pauci sunt, primi post trium sedium Præsules habentur. Deinde Archiepiscopos qui ipsis Metropolitanis præeminent, Regibus conferamus. Metropolitanos autem Ducibus comparemus: quia sicut Duces, singularum sunt Prouinciarum, ita & illi in singulis Prouinciis singuli ponuntur. Quod Comites vel Præfecti in sæculo, hoc Episcopi cæteri in Ecclesia explent. Sicut Tribuni militibus præerant, ita Abbates Monachis, athletis spiritualibus præesse noscuntur. Quemadmodum sunt in palatiis præceptores vel Comites Palatij, qui sæcularium causas ventilent, ita sunt & illi quos summos Capellares Franci appellant, Clericorum causis prælati. Capellani minores sunt sicut hi quos Vassos Dominicos, Gallica consuetudine nominamus. Porrò sicut Comites quidam missos suos præponunt popularibus qui minores causas determinent, ipsis maiora reseruent; ita quidam Episcopi Coëpiscopos habent, qui in rebus sibi congruentibus quæ iniunguntur, efficiunt. Centuriones vel Vicarij qui per pagos statuti sunt, Presbyteris plebium qui Baptismales Ecclesias tenent, & minoribus Presbyteris præsunt, conferri queunt. Decuriones vel Decani qui sub ipsis Vicariis quædam minora exercent, minoribus Presbyteris titulorum, possunt comparari. Sub ipsis ministris centenariorum, sunt adhuc minores qui collectarij quaterniones, vel Duumviri possunt appellari, quia colligunt populum, & ipso numero ostendunt se Decanis esse minores. Ad horum similitudinem sunt Diaconi & Subdiaconi, Presbyterorum adiutores in verbo, Baptismo, & quotidiano officio. Sunt etiam Archipresbyteri pro Episcopis Canonicorum curam gerentes. Habent & potestates sæculi, consiliarios in domesticis, & liberorum pædagogos suorum, habent procuratores rei familiaris. Similiter in quibusdam Ecclesiis Archidiaconos quos familiæ respicit gubernatio. Sunt in sæcularibus quæstionarij id est qui reos examinant. Sunt in Ecclesia exorcistæ, dæmonum exclusores. Habent aulæ potentium, ianitores. Habet & domus Dei, Ostiarios. Habet mundus veredarios, commentariensis, ludorum exhibitores, carminum pompaticos relatores. Habet Ecclesia Acolytas, Lectores, Cantores, atque Psalmistas. Cæterùm ex vtriusque ordinis coniunctione & dilectione, vna domus Dei construitur, vnum corpus Christi efficitur: Cunctis membris officiorum suorum fructus, mutuæ vtilitati conferentibus. ] Hactenus de correspondentia Ecclesiastici & sæcularis Ordinis Vvalafridus. Ex nomine *Scholæ*; Ecclesiastico ordini cum militaribus aciebus communi, idem illustrat Petrus Faber lib. 2. Agonistici cap. 6.

### *Tutela regni Christi per eas acies, ab hostibus innumeris duce Satana.*

436 Alterum bonum, quod affirmabam prouideri regno suo à Christo, per *virtutes* siue *exercitus ordinatos* quorum Rex dicitur, est tutela ac munitio ab atrocissimis hostibus; qui plurimi semper imminent; cùm in regno ipso, tum extra regnum. Hæc tutela tantùm à feralibus illis hostibus, sed eorumdem etiam euersio atque ruina. Sint interni hostes regni Christi, qui cum fide Catholica quam retinent perduellionis ob excusam charitatem damnantur, plectendi in æternum, ni ante excessum è vita, Regis gratiam mutata mente recuperent. Hi verò quàm innumeri sunt, non in singulis modò Prouinciis Christiani orbis, sed in ciuitatibus,

& pagis singulis. Vtinã ne & domus, hoc hominum furfure scaterent; qui dictis factisque, vt molitionibus internis; exemplo item malo, & regem suum violent ipsi, & alios ad violandum sollicitant; dicentes, *nolumus hunc regnare super nos:* & vt deiecto è regni possessione Christo, regnet peccatum, & peccati auctor Satanas annitentes. Alij Antichristi quos foris in Ecclesiæ regnum machinati maleficium affirmabam, sunt infideles omnes; siue Iudaicis tabulis & nugis vanissimis distenti, siue Mahumetis partiarij, paganiue, & saxis ac lignis accidentes, quales olim innumeri: nec desunt, Ethnicismi superstites alicubi reliquiæ, trunco & lapidi venerationem adhibentes, & in Christianam Ecclesiam ac Christi regnum, igne ac ferro sæuientes: quod Iaponis Monarcha quem *Xogurs* dicunt, crudelissimè hoc ipso tempore præstare pergit. Græcorum sapientum syllogismos aduersùs Christianam veritatem, quos *munitionum* nomine vocauit Apostolus 2. Cor. 10. vt Oecumenius ibi interpretatur, infestum Ecclesiæ bellum diu & pertinaciter gessisse, neminem latet: docentque apertè quæ superant Celti, Iuliani, Porphyrij, & aliorum Ethnicorum. In religionem Christianam librorum plagulæ. Horum Germani sunt Sectarij, quorum populosissima examina superiore sæculo ebulliuerunt, & vniuersam aquilonarem plagam, fædissimè deformarunt. Schismaticos qui nudè schismatici sint, nec in hæresim continentem commigrarint, nullibi extare puto: sic vbi tamen extant, inter illos quos *internos* hostes admiraui, & hos quos *externos* dixi; medij sunt collocandi & inter agmina aduersùs regnum Christi certantia sede donandi.

Omnium huiusmodi nequitiæ ordinum, & filiorum superbiæ, rex & caput implacabili odio in Christi regnum flagrans, ipse est Satanas: qui bellum cum Sanctis Angelis occasione diuini mandati cui subiici respuebat in cœlo inchoatum ab vniuersi initio, deinde in homines Dei imagines per se hosque emissarios suos pertinaciter perpetuabit, & ad finem vsque mundi propagabit odium enim incensissimum quo in Deum flagrat, hanc Deo aduersandi, & quantum facultas suppetit incommodandi opportunitatem, vt effluere non sinat, persuadet Satanæ: inde nomen sortito, quod Deo aduersetur, iuxta illud præclarè scriptum ab Origene lib. 6. contra Celsum. [*Satan* hebræa lingua dictus, & à quibusdam forma magis Græcanica nominatus *Satanas*, interpretatur *aduersarius Dei filij*, qui est iustitia, veritas & sapientia. Sed magis propriè aduersarius est is, qui primus omnium in pace beatè degentium, amissis alis à beatitudine sua excidit. Qui, vt ait Ezechiel, *ambulauit inculpabilis in omnibus viis suis, donec inuenta est iniquitas in eo: & cùm esset quasi quodam sigillo expressa effigies, & corona pulchritudinis in paradiso Dei*, velut saturitate bonorum periit, iuxta verbum illius, qui ad eum dixit mysticè *perditio factus es, & non eris in æternum.*]

437 Præmiserat verò non ita multo ante, de hoc Dei aduersario, à Christianis asserto Celsi calumniam, his eius verbis, [indagaturus ænigmata illa, quorum occasione putat nos deceptos, inducere Satanam, ait veteres illos bellum Deorum ænigmatice tradere, vt Heraclitum cum ita scribit: quod si dicendum est commune quoddam bellum, litemque esse, omniaque progigni ex lite, & reliqua. Vt Pherecidem multò antiquiorem Heraclito, fabulose instruentem aduersas acies, quarum alteri Saturnum ducem præficiat, alteri Ophioneum, variásque prouocationes, & certamina, conditionésque certas scribentem, vt pars altera quæ in Ogenum eiiceretur, habeatur pro deuicta; victrix verò aduersariis pulsis cælum possideat. Porrò ad eandem sententiam pertinere vitanum & Gigantum contra Deos bella mystica: Tum quidquid Ægyptij narrant de Typhone, & Horo ac Osiride. Post ista memorata, nec tamen exposita iuxta meliorem sensum, quàm a nobis intelligantur, conuiciatur nobis, dicens hæc longè aliter se habere quàm nostra commenta de diabolo dæmone: vel, quod ipse putat verius, de impostore homine aduersario.] Has impurissimi calumniatoris gerras, ex interpolatis ac interuersis Sacris historiis ab Ethnicis confignatas, non officere Christianæ veritati de Satana Dei & Christi diuinarum copiarum ductoris aduersario, monstrat consequenter Origenes, in quo nobis non videtur hærendum, cum res sit explorata.

### *Arces singulares regni Christi, & hostes earum.*

438 Hi hostes regni Christi, in vniuersum sumpti. Quia verò regnum Dei intra nos quoque est, & singuli portio sumus spiritualis regni Christi, sicut ingruunt etiam hostes in singulos, & quidem innumeri, vt Laurent. Iustin. lib. de casto connub. cap. 1. latè prosequitur; ita prouisum est à Christo Rege vnicuique, præsidium validum & exercitus, qui singularia quæque castra tueatur & firmet. *Castrum* seu *castellum*, & *arcem*, voco animam vniuscuiusque Christiani quo pacto locutus est S. Bernardus serm. 2. de Assumpt. Nam cum præmisisset, orbem terræ vniuersum esse castellum & atrium fortis armati, addit, & nobis singulis castra sunt singula, quod confirmat inflexo tantisper & in bonum sensum tracto, vulgari tunc prouerbio, *bonum seruat castellum, qui custodierit corpus suum*, optimè vnumquodque horum castrorum munierat Deus, vt meditatur Gerso 4. p. serm. in die Paschæ; de illis Christi verbis, *pax vobis* Hanc confiderationem munitionis *castelli* (vt vocat) & *fortalitij* animæ appellans *pulchram materiam*, quam sic perstringit. [Charitas amorosa, capitanea erat: & locum tenens Dei summi Domini & Imperatoris, quæ super omnia diligebat eum. Et ideò Deus fecit eam Imperatricem & Reginam aliarum virtutum. Sicut traditur ab Apostolo 1. ad Corinth. cap. 3. Seruilis obedientia, erat ancilla; quia qui diligit eum mandata eius obseruat. Sicut habetur, Ioannis decimo quarto, Gregor. in homilia Pentecostes. Charitas operatur magna si est: si renuit operari, charitas non est. Humilitas profundas fecit foueas. Patientia muros & munitiones prouidit: prudentia sapiens fuit custos, prouidentia discernebat munitiones. Timor malè operandi, erat ianitrix quæ diligenter custodiebat quinque portas corporis, & peccatum ipsum proditorem & omnem malum eius comitatum.]

De

De castri item religiosi munitione exquisita diuinitùs facta, egregiè S. Bernardus serm. 3. de Eccl. dedic. *fere per totum*; nominatim verò S. Ambrosius lib. de Noë & Arca cap. 2. explicans trium filiorum Noë collocationem quorum qui pessimus erat Chaam secundo semper loco refertur, obseruat insignem modum quo Deus vniuscuiusque nostrum munitioni prospectum voluerit, [qua ratione (inquit,) malum in medio posuerit, ratio euidens est, quia naturæ bonum omnibus ineſt: nec quasi naufragos in lucem protulit: sed & suffulsit viribus, vt non opprimantur tentamentis, nec tanquam inualidi, succumbant, sed muit & vestit velit quibusdam tegumentis indifferentibus, qua sunt salus, valetudo bona, pulchritudo, impigritia, diuitiæ, generis claritudo; vt ea dote muniti tueantur bonitatem naturæ, & malum illud includant ne possit nocere, & quasi clausum stragulent. Nonne cernimus velut aciem quandam virtutum ordinatam in prælium, vt inferiores in medio sint dextra, læuaque velut in cornibus validiores, per quos tota acies robur accipiat? Vnde & quidam poëta Græcus, ait: κακους δὲ μέσσον ἐλασσεν, hoc est, *malos autem in medium insernit*; Ita ego & natura, quasi bonus Dux imperante Deo quæ nos ad huius mundi prælia generare nouerit, quæ bona habet, primo ordine constituit, quæ officiant secundo, quæ adiuuent, tertiò vt tanquam in medio inclusus hostis, geminatis, quocumque se contulerit, opprimatur viribus; ne singulæ eorum velut æquatis fatigentur præliis, & euadendi de anguſt is naturalibus, ac serpendi latiua facultatem haberet.]

439 Aduersùs ergo hæc singularia castra regni Christi, diuini ùs firmata atque munita, ingruunt hostes multi & validissimi distributi in tres turmas quas fecerunt Chaldæi, vt idem S. Bernardus philosophatur serm. 1. in octaua Paschæ. *Non enim est nobis colluctatio aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, aduersùs mundi rectores, tenebrarum horum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Hoc quid sit, accipe ex Chrysostomo lib. 6. de Sacerdot. cap. vltimo, post descriptam horrifici belli speciem. [Videas (inquit) eo prælio, longè tum maius, tum horribilis, si tibi fortè caliginosissimam illam diaboli aciem conflictumque insanum, oculis istis cernere liceat. Non enim illic aut æs aut ferrum; non equi, non currus, non cerotæ, non ignis, non iacula ista quæ cernimus: verùm alia quædam machinamenta, iis quæ dixi longè terribiliora. Certè aduer ariis istis nequaquam opus est thorace non scuto, neque ensibus, neque hastis. Sed nudus execrandæ illius malitiæ aspectus, talis est, vt humanam animam à corpore ipso dissoluere possit, nisi ea admodùm generosa fuerit, atque adeò antequam à viribus ipsa suis auxilium petat, diuinæ in se clementiæ prouidentiam senserit. Ac sanè si liceret corpore hoc exuto, aut vnà etiam cum ipso corpore, perspicuè, atque intrepidè vniuersam ipsius aciem bellúmque contra nos instructum ipsis oculis contueri, videres vtique non sanguinis torrentes, neque corpora demortua, sed animarum lapsus tam multos, sed vulnera sic grauia, vt tibi statim vniuersa illa pictura, quam modò expressi puerorum delectamenta, & ludicrum potiùs, quàm bellum videri possit.] Et mox. [Si & congressus modum rependere velis, hunc verò longè acriorem, ac magis diuersum comperies. Neque enim quisquam est qui tam multas fraudis, doli, artificij formas norit, quàm multas scelerato ille hostis; qua quidem in parte maior illius vis ac potentia ineſt: Neque inimicitias quis tantas, tamque incredibiles aduersùs hostes sibi infensissimos gerere potest, quantas ille aduersùs human m naturam gerit. Porrò si quis examinet, quanta cum inhumanitate is depugnet; ridiculum certè fuerit homines hoc in loco conferre. Sin iracundissimas ac truculentissimas quasque feras delegerit, quas cum huius furore, atque insania conferas, reuera mansuetissimas, humanissimásque eas à comparatione comperies; tantum ille in animas nostras furorem spirans euomit. Adde quod & pugnæ inter homines gestæ, tempus breue quidem esse solet: qua etiam in temporis breuitate multæ dantur induciæ Nam ex natura sic comparatum videmus, vt noctis superuentus, & iugulandi labor & cibi capiendi tempus, & multa id genus alia, militi respirandi potestatem sic faciant, vt armaturam exuere, tum verò paulum respirare, seque cibo & potu reficere, multisque rebus aliis pristinas vires recuperare, valeat. Aduersus autem Diabolum dimicanti, nunquam licet arma ipsa ponere, somnúmve vllum capere: & præsertim qui perpetuò inuulneratus prælio esse volet. Ex duobus enim necessariò alterum consequitur vt cadat qui ac pereat armis spoliatus, vt aut continenter vigilet, armatúsque stet: siquidem ille continenter cum sua ipsius acie stat, socordias nostras obseruans; ac maius quidem afferens studium ad nostram internecionem, quàm ad nostram ipsi nos salutem afferamus. Postremò vt semel finam, quod à nobis hostis ille minimè cernatur, quodque derepentè atque improuisè nos adoriatur, (quæ res iis qui non assiduè, in excubiis vigilantes fuerint infinitorum malorum causa esse solet, facit nimirum, vt bello hoc ægriùs ac maiore cum negotio quàm illo defungi possis.]

440 Succenturiatas habet tantus hostis, mundi phalanges: & nunc per eas, nunc per se adornat bellum: nunc via aperta, nunc astu & arte idcirco enim & *leo*, & *draco*, in Scripturis dictus legitur; Leo propter impetum; draco propter insidias. Leo apertè irascitur, draco occultè insidiatur (ait Diuus Augustinus homil. 35. ex eo, & præfat. in Psal. 64.) In ipsa via qua ad cœlum renditur, laqueos tendit. quod in hunc modum egregiè aperit Fulgentius epist. 3. cap. 15. [Laqueos non in terrenis rebus, sed in ipsis cælestibus aduersarius tendit, nec à via manifesto seducit errore, sed (sicut ait Propheta) *in via hac qua ambulabam, absconderunt laqueos mihi*, vbi benè ambulantes perspicit in operibus bonis, vbi vehementiùs, & periculosiùs colore simulatæ pacis, occultis repugnat insidiis; & non valens Virginitatem carnis, in carne perderet, Virginitatem Spiritus conatur auferre. Tum subdit eleganter non minus ac fusè quomodo si minùs vnius vitij aggressio succedat, inde capta occasione vitium aliud succenturiatum submittat, & vanitatem ex Virginitate, ex gulæ victoria præsumptionem ex anaritiæ tenacitate superata prodigalitatis insidias Locum consule.

*Intesti*

### *Intestinum bellum.*

441 Quasi autem non ipsi satis esset potentiæ & artis, nec Spiritus nudus tanto tempore ad bellum formatus, tot victoriis elatus, ad carnem infirmam atterendam satis foret, nobis aduersum nos vtitur, ( ait S. Basilius homil. ne temporalibus rebus adhæreamus ) cuius hæc est oratio. [ Plurimùm nos, dilecti, & variis modis veritatis hostis quotidie impugnat. Impugnat autem ita, sicut scitis, vt nostris ipsorum desideriis, iaculorum vice aduersùm nos vtatur, & perpetuò è nobis ipsis vires sumat, quibus nos lædat. Quoniam enim maiorem potentia illius vim Dominus insolubili lege pressit, nec permisit vt vno impetu genus humanum à facie terræ deberet per nostram insipientiam inuidus furtim contra nos victoriam molitur. Et quemadmodùm peruersi quidam, & subdoli homines, quorum studium, & propositum ex aliorum bonis ditescere, eam tamen potentiam non habent vt aperta violentia vtantur, vias insidiosè obsidere solent, aut locum aliquem circa illas aut conuallibus profundis interruptum, aut dumorum densitate obscurum viderint, in illum se se abdunt, & huiusmodi velamento viatorum circumquaque conspectum, ne præuideantur, amoliti, ex improuiso illos adoriuntur, ne quisquam eorum laqueos periculosos videre priùs queat, quàm in illos incidat; ita & Satan infensus nobis, & antiquus hostis mundanarum oblectationum vmbris se se insinuans, quæ periculosè circa huius vitæ viam latronem occulere solent, & latibula præbere insidiatori; inde improuisos nobis perditionis laqueos substernit. ]

Hæc sunt quibus nos, intra nos ipsos abditis, & studiosè obseruatis nos prodit, & domat Satan : nobis ipsis ( vt Basilius aiebat ) vtens aduersus nos ipsos : sicque iuxta Prudentium in fine Phychomachiæ, intra nos, per nos,

*Feruent bella horrida feruent*
*Ossibus, atque inclusa fremit discordibus armis,*
*Non simplex natura hominis: nam viscera limo*
*Effigiata premunt animum contra ille sereno,*
*Editus afflatu, nigrantis corore cordis,*
*Æstuat, & sordes arcta inter vincla recusat.*
*Spiritibus pugnant variis, lux atque tenebræ,*
*Distanteque animat duplex substantia vires.*

En bellum verè intestinum, & hominem aduersùs seipsum armatum, flammas incentoribus dæmonibus suppeditantem; de quibus illa sunt pulchra, sed aliquatenùs mollienda, apud Synesium lib. de Prouidentia. [ Iam cum illi suam imprimis in potestatem redigere volunt, tunc hoc pacto adoriuntur, fieri non potest quàm aliqua in terris animis hominum portio insita sit rationis expers. Hanc qui è vulgo est, palam præ se fert. Sapiens quasi strictim adhærentem. Nemo autem est qui ea sic omnino destitutus, per eam vti congenerem proditione facta, dæmones animal inuadunt. Oppidi enim simile est obsidioni quod tunc geritur, ac quemadmodum carbones ad motis facibus citiùs incandescunt, quoniam ad concipiendum ignem iampridem sunt accommodati, sic Dæmonum natura perturbationibus plena, vel ipsa potiùs viuens & mobilis perturbatio, ad animam accedens, eius affectiones excitat; & ex naturali eiusdem habilitate, actionem elicit sola id admotione perficiens. Nam agenti, id quod patitur, simile semper efficitur; ita cupiditas, ita iracundia, & quæ his affinia sunt mala, à dæmonibus instigantur per congruas sibi partes in animam irrumpentibus, quæ ipsorum aduentum naturali sensu percipiunt; mouenturque ab illis, & quò in animam insurgant robur accipiunt, donec animam aut penitùs subegerint, aut capere se posse desperent. Certamen istud longè grauissimum est. Nullum enim tempus, nullum modum, nullum oppugnandi locum, intentatum relinquunt, vndique machinæ; vndique domestica bella concitantur; donec aut euicerint, aut spem omnem deposuerint. ]

442 Diuine planè in hanc rem Chrysologus serm. 171. prolatis illis Christi verbis, *de corde exeunt cogitationes malæ, adulteria*, &c. Sic enim exclamat. [ Quæ spatia terrarum, quæ magnitudo vrbium, quæ latitudo regionum tantos hostes ferre, tot inimicos capere, tantas substinere prælualet nationes? Quot vitia, quot delicta, quot crimina rapiunt humanos sensus, corda hominum patiuntur, ad vnam ouem genera tota, tota feritas bestiarum, quæ magis eò sæuiunt, quò se explere nequeunt, satiari non possunt vnius captione vorari dente prædonis, qui plus hinc æstuant & tabescunt, quod capere nequeunt, & vorare: Quod ad vnam columbam tot milui, tot aquilæ, vultures tot voraces, tantarum currat congeries auium sordidarum hanc generositatem, hanc multitudinem sensérat Propheta cum caneret; *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Ab intus de corde hominum procedunt*: Tolerabilis est hostis cum muros attetat extrinsecùs, cum foris, postus cedit aliquando conflictu. Cui verò est intus inimicus, cuius aduersarius in ipsis penetralibus iam desæuit, iste se intelligit, & sentit oppressum; Iste se, & captiuum perdit, & deplorat: Iste suus expugnator esse non potest, suus esse non potest liberator; alienum requirit auxilium, quærit alterum defensorem. *Ab intus exeunt de corde.* Nouus est hic ordo bellandi. De homine contra hominem, gentes exeunt bellaturæ, non contentæ in occulto vincere, prosternere in abdito; quasi quæ famam quærant hominis de ruina. ]

Has esse gentes regni peccati, contra animam semper bellantes, pulchrè tradit Origenes hom. 1. in Hierem. *sub finem.* Hic est hostis omnium maximè extimescendus. [ Non est nobis aduersarius, ( ait rectè Cassianus lib. 5. de Instit. cap. 21. ) extrinsecùs formidandus, in nobismetipsis, hostis inclusus est. Intestinum in nobismetipsis quotidie geritur bellum, deuicto eo, omnia quæ forinsecùs sunt reddentur infirma, ac militi Christi vniuersa pacata erunt, & subdita. Non habebimus aduersarium nobis extrinsecùs metuendum, si ea quæ intra nos sunt,

sunt, Spiritui deuicta subdantur. [ Eo autem est formidolosior hic hostis, quod est tã multiplex, nec conteri planè potest, sed tantum domari; mox tamen resumit vires oppressurus animam, ni semper vigilet; ideoque semper bellandum, semperque standum monebat Apostolus ex S. Chrysostomi interpretatione homil. 22. in ad Ephes. Vbi enim noster legit, *& in omnibus perfecti stare*, ipse legit *omnibus confectis*, & sic exponit. *Et omnibus confectis*, hoc est ex passionibus, & desideriis absurdis, & omnibus quæ nos interturbant. Non simpliciter *conficienda* dixit, sed ita planè conficienda, vt non solùm tollantur, sed vt & sublatis omnibus, ipsi firmi persistant. Nam multi istam adepti victoriam, denuò ceciderunt. *Omnibus* (inquit) *confectis*: non isto quidem confecto, illo verò nequaquam. Oportet & post victoriam persistere. Eiecta aliquando sunt mala; verùm nisi stemus, iterum reuirescent. ] Tres Gigantes, in anima cuiusuis aduersus Deum & bonum nostrum bellantes assiduè, ignorantiam, obliuionem bonorum, & socordiam, describit perpulchrè Marcus Eremita lib. de præceptis salutaribus *in fine* & Nicolaus in Eucharistico ad ipsum Marcum. pro transmisso eo libro.

443 Nec desunt infaustæ suppetiæ, & aduentitia agmina vitiorum, quæ operationibus iteratis adnata, sobolescunt infœlicissimè: eoque potentiùs ac fortiùs vrgent hominem quò acerbius est consuetis abstinere, & aduersùs inolitum vsum conniti. Est autem id in huiusmodi hostibus periculosius, quod plerumque amicos simulant: vnde vt pernicioſiùs decipiunt, quia se sub velamine virtutum tegunt, (ait S. Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 35.) fusè id prosequens in variis exemplis singularibus vitiorum, virtutes ementientium. Tum subdit num. 4. [ Aptum exemplum vitiorum, de latronis specie sumitur. Nam sicut ex insidiis latro prodit, seque iter habentibus iungit, fingens se socium, donec decipiat improuisum; & dum subito erupit ad exitium, latro manifestus ostenditur: ita se miscent interdum periculosè virtutibus vitia, quousque omnem boni operis efficaciam in suis vsibus, deceptam se conspiciat vitiis damnabilibus. ]

Hos esse septem illos populos terræ, quos eruendo Israëli permisit Deus, Amb. in Psal. 43. ad illud *afflixisti populos*, & alij Patres annotarunt, & fusè planè declarat Ludouicus fidelis lib. 1. de militia spirituali à cap. 9. ad 16. aptatis singulorum illorum populorum nominibus ac notionibus, ad singula capitalia vitia. Gergeseis videlicet ad superbiam, Amorrhæis ad inuidiam, Hæuæis ad iram, Chananæis ad anaritiam, Etheis ad pigritiam. Gebuseis ad gulam, Pherezæis denique ad luxuriam. Prudentius in Hamattigenia breuiter hæc est complexus his versibus.

*Heu quantis mortale premit genus improbus hostis,*
*Armigeris; quanta ferrata satellite, ductor,*
*Bella gerit, victos ditione triumphat.*
*Surgit in auxilium Chananæus atque agmina densat*
*Cassidе terribilis, setarum pondere mento*
*Concutiens dextramque grauі cum cuspidе quassans.*
*Astlatera de parte figens exercitus ardet*
*Regis Amorrhæi, cum millia Gergeseorum,*
*Effundunt aciem toto volitantia campo.*
*Eminùs hi feriunt, confligunt cominus illi.*
*Ecce Iebusæa, feruent ad prælia turmæ,*
*Aurea tela quibus de sanguine tincta Draconis*
*Mortifero splendore micant, radiantque, micantque*
*Nec non terrificas pilis armare cateruas*
*Te Cethæe iuuat. Sed gens Pherezæa sagittis*
*Insultat virtute pari, sed dispare ferro*
*Postremum cuneum Rex præmouet Heuæorum,*
*Squamosum thoraca gerens de pelle colubri.*
*His subnixa viris scelerum peruersa potestas.*

Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

444 Et habemus quidem pro hac accessione ad hostium vires, consulentem nobis accessionem virtutum: sed longè imparem numero. Idcirco namque quod Cassianus notauit lib. 7. de Instit. cap. 15. in Euangelica parabola vnus cum decem millibus progredi dicitur, aduersùs hostem cum viginti millibus ad se venientem. Ampliot enim vitiorum nos impugnantiam numerus, quàm virtutum pro nobis dimicantium, ferè enim vitia vtrimque mediam virtutem cingunt; & cum indiuisibile & vnicum sit medium, atque adeò etiam quod circa medium versatur; nempe virtus; à medio tamen deflectere (quod facit vitium) innumeris propè modis contingit. Eam vitiorum multitudinem expressam esse à sponsa sic quærente, *filij* multitudinis numero, ob numerositatem, *filij* inquam *matris meæ pugnauerunt contra me* concinnè monstrat Gregorius Nyssenus hom. 2. in Cantic.

Hic est status cuiuslibet hominis, quem Deus iuxta præclaram Richardi Victorini disputationem tract. de statu interio. hominis cap. 14. populis quos intra se continet præfectum voluerat, tamquam Regulum, per liberum arbitrium. Cum autem Regulus iste Imperatoris sui dominium excussisset, sensit rebellantes qui ei subiacere debebant affectuum populos. [ Hinc est (inquit Richardus suprà cap. 17.) quod ille princeps populorum, (liber videlicet animi consensus,) inuenit in regno suo tot contradictiones, tot rebelliones, tot conflictationes, tot disceptationes, secundùm quod cogitationes cogitationibus contradicunt, & affectiones affectionibus resistunt, & contrarij motus contrariis motibus occurrunt, & surgit gens contra gentem, & regnum aduersùs regnum, & insurgunt sæpè boni contra malos, diuiduntur contra semetipsos, & facit Dominus concurrere Ægyptios, contra Ægyptios. Imo quod his omnibus est mirabilius, boni insurgunt contra bonos, & pugnat vir aduersùs fratrem suum, vir contra amicum suum, ciuitas aduersùs ciuitatem, & regnum aduersùs regnum, & vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Ephraïm, Manassem, & Manasses Ephraim, simul ipsi contra Iudam. ] Addit cap. 18. & 19. dę pugna interna vitiorum in vitia, & quod mirabilius est, virtutum quoque ipsarum in virtutes. Monstrat enim quod diuiduntur sæpè boni contra bonos, & insurgunt alij contra alios,

& scinditur regnum Israël in duas partes, & concitant inter se sæpè prælia & seditiones, v. g. quæ apparet & habetur ac dicitur iustitia, (quod est in hanc rem Richardi exemplum) rigida & seuera nimiùm, nisi vult concedi misericordiæ. Hæc quoque aliquando mollior iusto, remittit pœnam quæ infligenda esset, ad inhibendum nequitiæ progressum. Sicque ab ipsis virtutibus, quæ subsidiarnæ homini aduenerant, imminet clades; sitque supra modum peccans peccatum, per rem bonam operans mala.

### *Stupor mortalium, sibi inter tot hostes pacem spondentium.*

345 Hic cum sit hominis interior status, totque vndique illi pertinacissimi ac minites hostes immineant, verissimumque sit quod docet S. Chrysost. hom. 3. in 1. ad Thessal. nimirum esse hic nos in bello perpetuo; incredibilis est stupor magnæ mortalium partis, qui vt est Sapientiæ 14. *in magno viuentes in scientia bello, tot & tam magna mala, pacem appellant*: nec vident, in tot hostium perpetuo fremitu, pacem esse non posse. Et sunt qui inducere in animum possint, fas Christiano esse otiari, aut laborem remittere in pugna semper constituto? [Si bellum est (ait Chrisost. hom. 22. in ad Ephæs. *initio moralis*) si tales sunt instructæ acies, si incorporales principatus, si mundi Domini, si spirituales nequitiæ aduersùs nos sunt, quomodò die quæso, deliciaris? quomodò adeo dissolutus ac discinctus es? quomodò inermes vincere poterimus? Ista quisque sibi singulis diebus dicat, quando per fastum occupatur, quando per concupiscentiam: quando mollem vitam inconsultò ac frustra quærat. Audiat Beatum Paulum dicentem: *non est nobis lucta aduersùs sanguinem & carnem, sed aduersùs principatus, aduersùs potestates.* Grauius ac difficilius hoc bellum est, quàm vllum sensibile vehementior hæc pugna est. Cogita quantum temporis iam duret.]

Sed & Origenes homil. 5. in Iosue. [Transeuntes Iordanem fluuium, ad pugnas & bella transimus. Vis iterum discere quæ nos pugna post baptismum, quæ bella suscipiunt. Noli à me sed ab ipso rursus disce Apostolo Paulo. Ipse te docet, dicens; *Non enim nobis pugna est aduersùs carnem & sanguinem &c.* Intra est prælium quod gesturus es. Intrinsecùs est mala ædificatio quæ subruenda est. Hostis tuus, de tuo corde procedit.]

Tandem S. Bern. serm. 2. de S. Andrea [inter tanta pericula, minùs timorati, minùs exercitati, minùs quàm necesse sit solliciti videmur. Siquidem vnum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat, aut omnino traditos nos hostibus, & nescire; aut si inter hæc conseruamur, ei qui tuetur nos, ingratos nimium inueniri. Quorum vtrumque, quid periculi habeat, satis est manifestum. Propterea obsecro vos, dilectissimi, ipsa nos excitet hostium malitia peruigil, & instantia eorum maligna; qua tam seduli, tam solliciti sunt in nostram perditionem, nos quoque sollicitos faciat, & circumspectos, vt in timore & tremore, nostram ipsorum salutem operemur.]

### *Exercitus Christi aduersus hostes præiactos, conscriptio, ex omni ordine ac sexu.*

446 Aduersùs tot ac tantos, & regno Christi communiter, & singulis quibusque eius castellis ingruentes hostes, Christus, virtutum se regem prodidit, ac vt vocat S. Augustinus orat. de 5. hæresibus cap. 7 *principem exercitus Domini*, cum in seipso, tum in iis quos armauit & eduxit, & quibus combellauit militibus. Sed quod ad ipsum quidem attinet, in præsentia eum dimittemus, quia non bellat nisi hominibus. Itaque infra, cum de Christi titulis hominum dunta-xat respectiuis agemus, cum producemus, specie bellatoris. Nunc eum provt regem virtutum, militares ordines constituentem, disponentem, armantem, educentem videamus: sequentibusq; cum exercitibus qui sunt in cœlo stipatum, vt habetur Apoc. 19. Conscribi primùm, siue ordinare disponi oportere militem, tum armari; primùm quidem interitùs animo ac virtute, deinceps verò foris vtroque armorum genere, nempe ad offendendum & ad defendendum accommodato; tradit perpulchrè S. Chrysost. hom. 13. in ad Ephes. obseruans eum ordinem, ab Apostolo circa spirituales milites obseruatum, quia in spirituali militia non minùs quàm in terrena, est necessarius, Quare & à Christo seruatus est. De conscriptione ergo militum in ordines certos, pauca attexamus. Nec de illis dicamus aciebus, & veluti alijs equestribus cœlestium militum, quos à mundi exordio recentes adhuc & noui operis, certamine gratissimo perfunctos scimus. Angelos beatos dico, quos ductat Christus *magni consilij Angelus & militiæ cœlestis maximus copiarum Domini Imperator*, quo eum nomine appellat Eusebius lib. 4 de demonst. cap. 10. Has namque acies, quod inuisibiles sint, nostrosque effugiant oculos, iuuat dimittere, & in aspectabilium militum, hoc est hominum globis hærere. Insigniter de horum militia Nyssenus homil. 8. in Eccles. & Chrysostomus duplici homilia de spirituali militia. Ordinat eos & armat Christus, & ad sustinendam hostium aggressionem ac fortiter excipiendos impetus; & ad aggrediendum & repellendum.

Nullum à tuis ordinibus militare volentem excludit. [Et nos milites sumus (ait de omnibus Christianis Tertullianus in exhort. ad Castit. cap. 12.) eo quidem maioris disciplinæ, quo & tanti Imperatoris.] Etiam minusculam ætatem, & imbellem ferrum non repellit, vt sublimitas sit virtutis Dei & non ex nobis. Eleganter in hanc rem Chrysost. in calce homiliæ de militia spirituali, verbis illis [Apud Deum, etiam fœmineus militat sexus. Multæ enim sexus fœminei, virili animo militiam spiritualem gerunt. Non pro corporis infirmitate reprobantur, quia interioris hominis virtute viros æquant: Et in agonibus martyriorum, multæ pares, quædam fortiores viris exiterunt, quibusdam virorum à fortiore sexu ignauia muliebri degenerantibus, infirmum corporis sexum virili mente vicerunt, & amissas negantibus viris

obtinue

obtinuerunt coronas, quæ in testimonio virtutis victrices pœnarum, viris labentibus constiterunt. Ex ipsis sunt quæ Angel cum sanctæ virginitatis splendent chorum. Ex ipsis & illæ, quæ gloriosis confessionis præliis & martyriorum triumphis coruscant. Sequebantur & ipsum Dominum in præsentia eius, non solùm viri, sed & mulieres, & ex vtroque sexu comites, sicut scriptura deliquat, & obsequebantur & ministrabant Domino.] Idem optimè quoque Oratione de S. Barlaam post cohortationem ad bellandum fortiter, subdit. [Hæc cum ad viros, tum ad mulieres, à me sunt dicta. Commune siquidem est stadium. Non propter sexus diuersitatem, diuisus est Christi exercitus, sed vnus est cœtus. Possunt & fœminæ loricam induere, ac clypeum opponere telumque iaculari, cum martyrij tempore, tum etiam alio quod fiduciam ingentem requirat. Et quemadmodùm optimus sagittarius, qui rectè collimans à chorda sagittam emiserit, omnem hostium conturbat aciem; sic & Sancti martyres, atque adeò cuncti veritatis bellatores, qui aduersùs insidias diaboli fraudesque depugnant; tanquam a chorda quadam à lingua, verba benè collimantes emittunt, eaque tanquam tela per aërem volantia, cum inuisibiles dæmonum in phalanges inciderint, omnem eorum aciem conturbant] Vtique siue viri sint, siue mulieres.

Pulchrè ad idem Origenes hom. 9. in Iudices Iudithæ ac Deboræ describit victorias; subditque. Sic ergo in illis qui militant veritati sed & qui militant Deo, non corporis, sed animi fortitudo requiritur, quia non iaculis ferreis sed orationum telis victoria quæritur, & fides est quæ in certamine tolerantiam præbet.] Videsis insuper Petrum Damiani serm. 68. latè & perpulchrè id prosequentem. Breuiter S. August. serm. 112. de diuersis cap. 11. Pulchrè quoque Petrus Cluniac. lib. 4. epistol. 21. quæ est ad Heleisam.

447 Nec imbelles igitur mulieres, quo minùs in exercitum suum inscribantur, vult Christus prohiberi. Eamque ipsam ob causam, (quod scitè aduertit Fulgentius epistola ad Probam cap. 5.) fœminas communiter cum viris alloquens Apostolus, vult *omnes occurrere in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum*, Nimirum & fœminas virilem animum præferentes, virile nomen tanquam in signe virtutis, præferre decet. Sicut è contrario molles viros, par est fœminas audire, vt ratiocinatur Origenes hom. 1. in Iosue. Ea ratione *Phryges* ob effœminationem fœmineam, *Phygiarum* appellationem retulerunt. Et è contrario S. Franciscus Iacobam matronam Romanam, propter animi excelsitatem vocabat *Fratrem Iacobum*, vt est apud Pisanum lib. 3. conformit. An non verò dignæ virili nomine vitagines illæ, quæ tantum integritatis corporeæ internæque thesaurum, in vasis fictilibus, circumfrementibus easque vallantibus ferocissimis hostibus, sunt tutatæ? De hac in fœmineo sexu virili omnino fortitudine, sic Chrysostomus homil. 9. de pœnit. [Ne mihi existimaueris, tantillam virginitatis esse magnitudinem talis enim virginitatis est, vt eam potuerit nemo veterum conseruare propterea enim gratia magna, quia quæ tremenda Prophetis fuerat, & veteribus; eadem nunc facilis læuisque existimatur: quæ tunc fuerunt grauissima & necessaria, virginitas mortisque despectus; ea nunc vel teneræ puellæ parui pendunt, grauis etenim erat virginitatis possessio, ita vt hac se nemo religaret. Noé iustus erat & à Deo testimoium accipiens: sed mulieri adhæsit, grauis etenim erat virginitatis prædicatio, quoad flos de Virgine germinaret. Nemo igitur veterum poterat virginitatem tenere. Magnum etenim est corpus frænare. Pinge mihi sermone virginitatis specimen, atque rei magnitudinem disce, quod bellum habet quotidie nullatenùs sedandum, ipso barbarico bello deterius nam barbarorum bellum, vel temporis quietem habet, quo aut paciscuntur, aut ordinant. Et quandoque quidem pugnant quandoque non: Et ordines & tempora sunt. Belli verò in virginem collati, nulla datur quies. Diabolus est enim semper bellum inferens; non temporis obseruationem sciens, non globum in aciem congregans, sed quærens virginem semper nudam inuenire, quo mortale vulnus infligat: neque à bello vnquam virgo cessare potest. Et damnati ad tempus quidem principem cedent, neque patibus molestiis premuntur. Virgo autem quocumque abierit, & iudicem circumagit secum, & inimicum secum portat ad bellum: neque vesperi permittitur respirare, non nocte, non diluculo, non meridie; sed bellat semper, voluptatemque submittit; nuptias in memoriam adducens, quò virtutem excludat, malitiamque in ea generet, pudorem expellat, fornicationem inferat. Exuritur ergo singulis diebus, & horis, fornacis modo succensa, cogita quantus officij labor sit.] Est planè ad id officij exactè exequendum, necessarius animus verè virilis, qualem innumeræ è sexu molliori prodiderunt, corporeæ integritatis propter Deum studiosissimæ eiusque in continuis durissimisque certaminibus, per totam vitam retinentissimæ. An non & illæ viriles, ac masculo animo, proindeque etiam nomine dignæ, quibus tormenta ludus, ignes, rotæ, gladij, leones, pueritia & ludicra terricu lamenta sunt visa?

Matrem castrorum Christianorum, longè faustiorem sparca illa Antonini coniuge Faustina, Deboræ & Iahelistypis expressam, inter Gregarias pugnatrices recensere, religio sit. Eam Chrysost. orat. de vno legislatore, sic exhibet. [Non deest Deo Debora. Non deest Deo Iahel, habemus & nos sanctam virginem & Dei genitricem Mariam, quæ pro nobis intercedit. Si enim quæuis è vulgo mulier victoriam obtinuit, quanto magis Christi mater, hostes veritatis confundit? Hostis ille cum armaretur, arbitrabatur fœminam esse quæ risu & sibilis exciperetur, & Imperatricem fortiter depugnantem sentit. Non existimabat illi monumentum futurum, & ipsi sepultura inuenta est. Mortuam illam existimabat, & ab ipsa interfectus est. Habemus Dominam nostram sanctam Mariam Dei genitricem. Satanam cum Sisara per Iaëlem confesso, (de quo paulo ante plene egerat,

egerat, ) Iaëlem cum Beata Virgine componit.

*Varij in sic conscripto exercitu ordines, & dispositio acierum.*

448 In varios ordines transcribit Christus quos adscribit in militiam suam. Tot status, totidem sunt militares ordines. Sigillatim verò in singulis ferè statibus, variæ acies, legiones, cohortes, manipuli. Religiosos ordines ipsomet militari *ordinum* nomine, præferentes spiritualem militiam, sub totidem immediatis ducibus quot sunt sacrarum illarum familiarum autores, conflare exercitus Christi portionem valdè nobilem, & generositate claram, facile esset demonstrare, nisi eum laborem præripuisset diligens & luculenta Martini Delrij ea de re dissertatio polem. 6. Præuierat autem S. Chrysost. hom. 57. ad populum ac Thomas à Kempis parte 2. serm. 2, Videnda quoque regula Carmelitanorum cap. 12. quæ religiosum describit militis speciem, & Climacus Gradu. 4. initio. Vocari in numeris *summam bellatorum*, notat Origenes ibi homil. 26. Faustus homil. de S. Maximo, monachorum anteà Præfecto, eum tanquam Iosué sic describit. [ Dignus hic cui ille piissimus patet Honoratus, tanquam Moysi primi populi primus princeps, ductandi per desertum Israëlis legem traderet: & quasi fortissimo Iesu Naue pia iura transfunderet, electo vtique ac satis probato; qui sacrum ad promissa cælestia promoueret ac pervrgeret exercitum. Hoc itaque duce, sanctæ Congregationis splendidissima illa die ac nocte columna non defuit; sed semper eos tanquam gemina fidei atque operum lux præcessit. Quantas hic in illo deserto, sicut Iesu legimus Naue, nequitiarum spiritalium exercitatissimus debellator; quantas in conuersorum cordibus gentes peremit? Quantas nationes inuisibilium aduersariorum quæ Israëlem de regno excludere conabantur, extinxit; studens in homine velut in terra sancta, tanquam hostem interficere passiones, ac tanquam Dei populum interficere, ac plantate virtutes; & quasi cultris lapideis, id est fortibus Christi præceptis, concupiscentias reserare, & circumcidere voluptates: & non minùs exemplo, quàm imperio, militum pectus armare atque ad desiderium supernæ hæreditatis accendere. O virum perfecti exercitus idoneum ducem. ! ]

449 Qui inter sacras personas disseminando Euangelio, & propagando Christi regno nauant operam, *equitauit* assimilantur, aut equis Christi. Multus est in ea allegoria S. Gregor. lib. 31. moralium à cap. 21. Tamesi specialiter cap. 12. ex Apocal. 19. *Christi equites*, vocat Martyres, tamen quoscumque prædicatores, nomine *equorum* & *equitum* Christi venire, fusè confirmat posteriore illo loco. Et annuit de primis Euangelij præconibus, hoc est Apostolis agens S. Ambros. serm. 4. in Psal. 118. ad illud *viam mandatorum tuorum cucurri*, sic scribens, [ In hoc campo interioris hominis, currendum nobis est, vt comprehendamus. Scriptum enim est *sic currite vt omnes comprehendatis*. Denique comprehendit, qui ita cucurrit vt diceret, *cursum consummaui*. Cucurrit enim vt bonus equus. Siquidem habet equos suos Christus de quibus ait Propheta, *immisisti in mare equos tuos turbantes aquas multas*; eo quod gentium populos qui mouentur vt aquæ multæ, & excitantur fluctus aquarum multarum, Euangelizando commouerint Apostoli, vt assurgentes à terrenis idolorum ceremonis, in Christum crederent. Et supra ait, *ascendisti in equos tuos, equitatus tuus sanitas*. O bonorũ equorum duodecaiugum mirabile, quibus fræna pacis, habenæ sunt charitatis, constructi inter se concordiæ vinculis, & iugo fidei subiecti, quatuor rotis Euangelij mysterium totius orbis finibus inuehentes, bonum aurigam portantes Dei Verbum, cuius flagello fugatæ sunt illecebræ seculares; exterminatus mundi istius princeps, iustorum cursus est impletus. O rationabilium equorum grande certamen! O mirandum mysterium! tota intra rotam currebat, & non impediebatur. Nouum Testamentum in veteri Testamento erat. Intra illud currebat, per quod annunciabatur. In quatuor partes ibant rotæ, & non conuertebantur retrorsùm, quia spiritus vitæ erat in iis qui currebant. In quatuor partes totius mundi, & sine ostensione currebant, quia bona equorum vita quadrabat. Currebant igitur equi quia non dormiebat qui ascenderat equos. ]

De iisdem equis, ad currum spiritu vitæ agitatum iunctis, & ad pugnam quoque comparatis, præclarè lib. de Naburthe cap. 15. itemque lib. de Isaac cap. 8. Hæ sunt igitur sacrarum personarum veluti classes, & ordines diuersi in Christi exercitu. Secularium item sunt ordines varii. Quidam virginum, alij cœlibum, plurimi coniugatorum, vt videas totam Ecclesiam variis statibus structam & compaginatam aliud nihil esse quàm chorus castrorum præter quos in Sunamite nihil videndum, sacro cantico docemur; aut quod ibidem etiam habetur, *castrorum aciem ordinatam*. Multus in hac parte est Isidorus de Isolanis libro 1. de imperio militantis Ecclesiæ, titulo 1. tota quæstione 3.

450 Spectat etiam ad ordinem exercitus: præscripta progrediendi vel hærendi ratio, quam ab Imperatore nostro in exercitu hoc suo acuratè seruari S. Ambrosius animaduertit serm. 5. in Psal. 118. 75. v. 1. [ Miles (inquit) qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne recedat à signis, sed itineratim ab Imperatore accipit, & custodit illud. Præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectaque via conficit iter, vt inueniat commeantium parata sibi subsidia. Si aliò ambulauerit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non inuenit: quia Imperator iis iubet hæc præparari omnia qui sequuntur, nec dextra nec finistra à præscripto itinere declinant: meritoque non deficit, qui Imperatorem sequitur suum: moderatè enim ambulat quia Imperator non quod sibi vtile, sed quod omnibus possibile considerat. Ideò & statiuas ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto recedit, quieficit die. Et quintus ciuitates, in quibus triduum,

triduum, quatriduum, & plures interponantur dies: Si aquis abundant, commerciis frequentantur. Et ita sine labore iter conficitur, donec ad eam vrbem perueniatur, quæ quasi regalis eligitur; in qua fessis exercitibus requies ministretur. Hanc legem viandi esse præscriptam, Christo ducente, sanctis commeantibus, recognoscas velim.] Declarat id exemplo antiquorum, qui educti ex Ægypto sunt, statuis omnibus mansionibusque descriptis, & columna præunte ac mansiones quiete sua ordinante. Fuisse hanc columnam nubis simul & ignis, typum Christi eleganter ostendit ibi Ambrosius nec non S. Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 28. quos infra producam.

451 Attingenda sequitur, quæ omnium maximè ad ordinem exercitus spectat, dispositio acierum; de ea sic Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 13. [Solent quædam virtutes præire, quædam sequi, quædam opus bonum comitari. Fides semper in procinctu castrorum spiritualium, obstantem aduersarium, cornu impetit: aduocat deinde iuxta latus suum exercitum bonorum operum, quorum circumuallata fortitudine, rumpit, & irrumpit acies aduersantes. Præparat deinde & prudentia cuneum suum, confortat quoque fortitudo brachium suum. Iustitia vallum iacit, & muros subuertit. Temperantia ad dedicationem, turmas congredientium cogit. Ordinantur acies virtutum, & præparantur in clypeis, & lanceis, aduersus castra vitiorum. De Castris virtutum, eiicitur virtus quæ præter ordinem. Virtus igitur non est, si ordinata non est. Quam obrem ad sonitum tubæ Euangelicæ, mouetur castra, & crucis sequuntur vexilla. Intorquent iacula Confessionis, in equis feruntur mortificationis. Quid ad hæc turba vitiorum? Ordine confuso, præceps rapitur ad bellum. Denique confundunt voces, & permiscent ordines, incentiua vitiorum. Rursus lentis gressibus, & inceisu composito procedit ad bellum exercitus virtutum; Quo tamen tardiùs venit, eo instantiùs ferit; *non conuertar* (inquiens) *donec deficiant.*] Annonæ infra meminero, cum de gladio quî cum magna gladio affinitas, vt docet panis subcinericius, denotans gladium Gedeonis Fortassis quia in fortitudine sibi, bellatur non minùs quàm in acie gladij.

### *Stipendia militum, in procinctu ad prælium. Eorundem animi.*

452 Constitutis in procinctu militibus, moxque armandis, & ad præstitutum progrediendi ac hærendi ordinem paratis, stipendium deesse non debet; [ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur] ait S. Ambros. lib. 2. in Lucam; & vt miles eo illice, & potiundarum in anubiarum currha, ad fortiùs validiusque pugnandum animetur. In seculari militia ridiculum est, qua stipendij tenuitate adeatur certa propè mors, cum vt ille in Mostellaria, supra Comicum sapiens ludit, [plagipatidæ fertritibaces viri, trium nummorum causa, subeunt sub falas (id est turres hostium ligneas) vbi aliqui quindenis hostis corpus transfigi solent.] Milites item apud Tacitum 1. Annal. demis in diem assibus, corpus & animam æstimari queruntur. Plura pete ex Lipsio libro 1. elect. cap. 2. Militum Christi stipendium duplex assignari potest; vnum in specie, alterum in re. Primum est gloria, alterum gratia. Certantibus enim, & vt par est bellicam virtutem prodentibus, rependitur gloria. Ideoque Apostolus Ephes. 6. ait, *esse nobis colluctationem contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*: id est (iuxta Chrysostonum ibi, & pulchrè Athanasium hom. noua in S. Pascha) propter cœlestia, propter immortalitatem, & ob Christi præsentiam.

Alterum stipendium militum Christi quod iam nunc appenditur militibus; est Gratia roborans & confirmans propositum ex Dei inspiratione conceptum. Hoc stipendium illud ipsum est, quod Apostolus 2. Corinth. 1. vocat *pignus spiritus* & virtus quam Deus populo suo dat. Est autem tanti momenti, vt vna illius stilla, (quod S. Chrysost. in Psal. 44. ad illud *diffusa est Gratia*, pulcherrimè expendit,) admirabiles omnino effectus ediderit. Non est virtus par, & fortitudo vlla æquanda ei quam militibus suis confert. Declaraturus vtcumque eam Richardus Victorinus in Psalm. 28. ad illud *Dominus virtutem populo suo dabit*, post alia in hanc tem per illustria, subdit. [Audit adhuc aliquid maius de huius Regis militibus. De huius Regis siquidem militia esse dubitandum non est, illos, quorum vnus persequebatur milie, & duo fugarunt decem millia. Virtus mirabilis & prorsus stupenda, vt vnus contra mille, & duo præualeant contra decem millia. Quis tamen ignorat quantam inimicorum stragem efficiat, cum egregius ille huius Regis miles, timor videlicet Domini, sub ducis protectione contra vicinorum exercitum dimicat? Quid cum ei, ille Dei miles præcipuus & & princeps militiæ Dei, videlicet amor adiungitur? Quæ quæso hostium multitudo eorum impetus ferre valebit? *Qui timet Deum* (inquit Scriptura) *nihil negligit.* Ecce qualis præliator timor Dei, qui non solùm neqnitias, sed etiam negligentias omnes, ante se fugare consueuit. Longè tamen eum singularis fortitudinis prærogatiua præcedit ille Dei miles electus in millibus, qui omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Si ergo tantùm præualent vnus vel duo, vt nec eis resistere valeant decem millia; quantum est quæso quod efficere valeat in vnum collecta recta Regis huius militia vniuersa? Mirabilis Rex, qui sic suos magnificare potuit. Amabilis prorsus, qui suos sic magnificare voluit.] Subiicit votum suum vt inter hos Christi Regis milites adscribi detur.

453 Iuuat ad augendos militum animos, tympani ac tubæ sonitus. Tympanum S. Augustin. in Psalm. 43. cant. 1, Christi sacram carnem in crucis ligno extensam interpretatur. Tractans enim quod de Dauide dictum refert, ipse verò ad Christum accommodat, *affectabat & tympanizabat ad ostia ciuitatis*, affectationem illam ait fuisse exprompt onem affectus & compassionem erga nos morientis pro nobis; tum subdit. [Ergo affectauit, quia peruenit vsque ad mortem crucis. Et quoniam qui crucifigitur, in ligno extenditur;

vt autem tympanum fiat ; caro, ideſt corium in ligno extenditur dictum eſt, *& tympanizabat*, id eſt, crucifigebatur, in ligno extendebatur. ] Quod ſi quia tympanum fit de corio exſiccato atque firmato, placeat cum eodem S. Auguſtino in Pſalm. 150. & ſæpè alibi homines mortificationem IESV in corpore ſuo circumferentes intelligere, vt factum etiam eſt à S. Chryſoſtomo homil. de pœnit. contin. & Virginit. & hic quoque tympanorum ſonitus, exempla inquam Sanctorum ſibi & carni mortuorum qui priùs in hac acie ſteterunt, animos haud exiguos faciunt accinctis ad hoc prælium Chriſti militibus. Tubam Heſychius orat. de S. Andrea *initio*, Apoſtolicum ſonum interpretatur. [ Eam tubam vt Chriſtus moliretur, cruce quaſi malleo, Euangelio quaſi incude, quaſi igne ſpiritu, nouo ac veteri Teſtamento quaſi follibus vſus eſt ; ] ait idem Heſychius de vſu huiuſmodi tubæ ad concitationem animorum in militari certamine, pluſcula eo loco tradens, & alia ſuppeditabit Philippus Abbas lib. de ſilentio clerico. cap. 40. & 241. Nec vexillum quod his Chriſti aciebus præfertur, parum confert animorum. Non eſt aliud hoc vexillum, quàm ſignum crucis. Ei certè confixus Chriſtus dicitur ſtare in ſignum populorum, Iſaiæ 11. Nec quicquam in Patribus frequentius, quàm vt Crux vexillum Regis Chriſti audiat, ſub quo ſigno conueniant eius milites. Loca multa ſignat Iuretus ad librum 2. Paulini de vita S. Martini num 35. Neminem autem latere poteſt, quantus ex conſpectu crucis, & pendentis ex ea Chriſti, ardor ingeneretur. Ex his omnibus exiſtunt magni illi præliantium ſub Chriſto militum animi, quos attingebam.

### *Armatura exterior, nulla ; interior exquiſita.*

454 Et eſt tamen huiuſmodi militum armatura, ( ad quam iuxta conſtitutum ex Chryſoſtomo ordinem progredior, ) in ſpeciem leuis ac penè nulla. Non hîc loricæ, non clypei, & ſcuta, non Galeæ, reliquuſque munimentorum apparatus, non ad lædendum & feriendum hoſtem gladij, lanceæ, ſariſſæ, tela, & omne huiuſmodi armorum genus. Pugnatur ſub hoc Rege exercituum ; *ſicut in die Madiam*, vt Iſaias cap. 8. prænunciarat. Hoc quid ſit, & quomodò belliſſimè in Chriſti Regis milites cadat S. Gregorius egregiè expoſuit 30. moral. à cap. 32. Decerpo ex eo quædam. Chriſti in primis cum Gedeone conſortium nominis, perpulchrè monſtrat, quod Gedeon idem ſonet ac *circumiens in vtero* : Chriſtus autem, humanitatem intra virginis vterum, non clauſus, atque adeò *circumiens* aſſumpſerit. Hic Gedeon cum trecentis, ( qui numerus in *Tau*, littera, crucem exhibente continetur, vt confirmat eo loco S. Gregor. notauitque etiam S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 3. & lib. de Noë cap. 33. & Auguſt. quæſt. 27. in Iudices ; ) hoc eſt cum crucigeris, & ſibi ac mundo mortuis pugnat, iis reprobatis & militum albo expunctis, qui ad bibendum curuati fuerant, & genua inflexerant ; opera videlicet ſua diſſoluentes, nec ſtantes rectis operibus, vt quod ore annunciabant proderent opere. Ab iſtis ſelectis militibus, nouo more initum eſt prælium, & nouo aſſumpto genere armaturæ proceſſum aduersùs hoſtem. [ Itum ergo eſt ( inquit S. Gregorius ) ad prælium cum tubis, cum lampadibus, cum lagenis. Inuſitatus iſte ( vt diximus, ) fuit ordo præliandi. Cecinerunt tubis, & ſiniſtris lagenæ tenebantur. Intra lagenas autem ſunt miſſæ lampades, confractis verò lagenis, lampades oſtenſæ ſunt, quarum coruſcante luce, hoſtes territi in fugam vertuntur. Deſignatur itaque in tubis, clamor prædicantium, in lampadibus claritas miraculorum, in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe ſecum dux noſter ad prædicationis prælium duxit, qui deſpecta ſalute corporum, hoſtes ſuos moriendo proſternerent, eorumque gladios non armis, non gladiis, ſed patientia ſuperarent. Armati enim venerunt, ſub duce ſuo ad prælium, martyres noſtri : ſed tubis, ſed lagenis, ſed lampadibus. Qui ſonuerunt tubis, dum prædicant ; confregerunt lagenas, dum ſoluenda in paſſione ſua corpora hoſtilibus gladiis ſupponunt, reſplenduerunt lampadibus, dum poſt ſolutionem corporum miraculis coruſcauerunt. Moxque hoſtes in fugam conuerſi ſunt, quia dum mortuorum martyrum corpora miraculis coruſcare conſpiciunt, loce veritatis fracti, quod impugnauerunt, crediderunt. Cecinerunt ergo tubis, vt lagenæ frangerentur ; lagenæ fractæ ſunt, vt lampades apparerent ; apparuerunt lampades, vt hoſtes in fugam verterentur : id eſt prædicauerunt martyres, donec eorum corpora in morte ſoluerentur ; corpora eorum in morte ſoluta ſunt, vt miraculis coruſcarent ; coruſcauerunt miraculis, vt hoſtes ſuos ex diuina luce proſternerent, quatenus nequaquam Deo erecti reſiſterent, ſed eum ſubditi formidarent. Et notandum quod ſteterunt hoſtes ante lagenas, fugerunt ante lampades ; quia mirum perſecutores ſanctæ Eccleſiæ, fidei prædicationibus adhuc in corpore poſitis reſtiterunt : poſt ſolutionem verò corporum, apparentibus miraculis in fugam verſi ſunt, quia pauore conterriti, à perſecutione fidelium ceſſauerunt. Prædicatione ſcilicet tubarum fractis lagenis corporum, viſis timuerunt, lampadibus miraculorum. ] Addit cap. 34. hos nouos milites, meritò dictos in dextera tubas portare, in ſiniſtra lagenas. Quod enim longè pluris faciamus quæ dexteræ committimus, inſinuatum ea tubarum per dexteras apprehenſione eſt, quàm pluris hi milites Chriſti cauſam principis ſui facerent, quàm corporum ſuorum lagenas, quas ſiniſtra tenebant.

455 Imponit oculis nouum hoc armandi militis Genus. Foris namque inermes, & eo quo vidiſti habitu, Gedeonis noſtri milites prodeunt ſed interna optimè munita & contecta, validiſque armis inſtructa habent. Intuere namque Rex hic exercituum nouorum, armaturæ adhibendæ conſuetum modum, vt ex Petro Damiani infra obſeruabo. Non diſſimiliter igitur armati ſuos voluit, & exercitos ac ſine telis, interiùs tamen omniùs intectos ac ſine telis, interiùs tamen omnem illam armaturam habere iuſſit. Vbi autem illam armaturam habere iuſſit. Vbi autem

diendus inprimis Origenes hom. 1. in Psalm. 36. ad illud *delectare in Domino*, sic differens. [Moris est scripturæ diuinæ, duos homines introducere ἠθοποιΐα, id est similitudine alterius, alterum ex altero nominare; hoc est ea quæ exterioris sunt hominis, compellere etiam in interiorem. Quod autem dico, tale est. Exterior homo corporalis, vescitur cibis corruptibilibus, & sibi aptis. Est autem & cibus quidam interioris hominis, de quo dicitur, *quia in omni verbo Dei, viuit homo.* Est poculum exterioris hominis, est aliud interioris. *Bibimus* enim *de spiritali sequenti petra*; & *bibimus aquam*, quam dicente Iesu, *qui bibet, non sitiet in æternum.* Est & indumentum exterioris hominis, est & interioris hominis indumentum. Et si quidem peccator sit, induit se maledictum sicut vestimentum. Si autem iustus sit audit; *Induite vos Dominum Iesum Christum. Et induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam.* Et quid necesse est narrare per singula, quomodò interior homo exterioris hominis homonymis appellationibus nominetur? Arma exterior homo, & interior habet. Qui secundùm interiorem hominem militat, induitur armis Dei vt possit stare aduersus versutias Diaboli.]

Hanc militum Christi interiorem armaturam, vno verbo exprimi posse sic docet Isidorus Peluſiota lib. 4. epist. 15. [Quia oportebat humanitate atque clementia opificis nostri iterum induere arma virtutis, Deus Verbum in terras venit, nobisque charitatem quasi quandam Angelicam stolam contexuit, in qua vniuersam virtutis armaturam fabricauit. Nam virtutum omnium præclara facinora quæ in specie solent enumerari, vna generalis virtus complexa est, cuius nomen est *charitas*, siue *dilectio.*] Si tamen sigillatim eam militum Christi armaturam notare placeat, adeundus qui eam minutatim & fusè prosequitur Ludouicus fidelis toto libro 3. de militia spirituali. Ego eam repræsento verbis Apostoli Ephes. 6. *state succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu.* Hæc omnis armatura, dempto gladio qui extremo loco profertur, ad munimen & tegmen militis videtur inducta. Percurramus obiter partes eius singulas, si primùm stationem non omiserimus, cuius est prima apud Apostolum mentio.

### *Sigillatim de ea interna armatura ex Apostolo: Præmissa statio indicta ab eo Christi militibus.*

456 *Standum*, primo loco indicit Apostolus: quod per magni referre ad rem bellicam, & maximè in militia commendari, obseruat S. Chrysost. ibi homil. 23. & post Origenem homil. 9. in Iudices monstrat non nisi ab iis qui verè recti sunt, seruari stationem spiritualem, necessariam ad hanc militiam. Proinde non lasciuos, non deliciantes, non pecuniarum amantes, non cuicumque creatæ rei incumbentes, censendos esse *stare.* Qua stationis notione supposita, vniuersale est iussum standi, & in quocumque spirituali prælio æquè valet, quamuis Nyssenus opusculo in illud Pauli *omne peccatum quod fecerit homo* &c. Aliter sumpto *standi* verbo, sic philosopherur, vt non sit vniuersale mandatum. [Sensilium (inquit,) bellorum milites, nunc quidem aduersis frontibus pugnam capessentes, nunc autem fuga vtentes, acies instruunt. Est etiam animarum bellum, quod & resistendo, & fugiendo prudenter geritur. Hoc sciens Paulus qui per vtramque instruendæ acici artificiosam rationem ducit exercitum; nunc quidem præcipit, vt ad pugnam committendam steut fortiter; *State accincti lumbos vestros in veritate*: nunc autem fuga consulit decipere inimicos. *Fugite* (inquiens,) *fornicationem.* Si irruat bellum incredulitatis, vtile est illi resistere. Sed si dolo nobis minetur acies, contra hos aduersarios pulchrum est locare insidias. Tenditur arcus calumniæ; vtile est aduerso fronte congredi cum mendacio. Quando autem iacit telum forma meritricia, honestum est tergum vertere, & aduersum vultum fugere. In oculos enim telum dirigit fornicatio; & oportet meminisse præcepti Imperatoris, *Fugite fornicationem.* Habet enim aliquid magis timendum, quàm alia scelera.] At secundùm notionem standi præmissam, hic quoque *standum*, ideſt non succumbendum, & vera in Deum intentio retinenda.

Vides ergo quàm multi iaceant, qui stare creduntur: præsertim si corporali exercitationi quæ ad modicum prodest, impendant stadij non nihil; sicque stationem se obire putent, ex vetere loquendi more Ecclesiastico, quo *stationis* nomen, (vt apud Tertullianum lib. de orat. cap. 14. Cassianum lib. 5. de instit. cap. 20. & pulchrè apud Ambrosium sermone 25. videre est,) ieiunium ad certam vsque horam productum significat, vt ad caput illud Tertulliani num. 58. censet Pamelius: corrigens quod secùs scripserat ad epist. 41. Sancti Cypriani num. 9. & notans ex Rabano lib. 2. instit. cleric. cap. 18. quod item habet Isidor. 6. Orig. cap. vltimo distinctionem ieiunij à statione fuisse, quod statio esset ieiunium indictum & statutum lege. Ieiunium autem de voluntaria abstinentia diceretur. Annuit de *statione* vsurpata pro ieiunio, Cerda ad idem Tertulliani caput, & in Aduers. cap. 104. num. 15. & cap. 138. num. 3. Et esse sanè ieiunium in spirituali bello quid præcipuum, latè tradit S. Basilius homil. 2. de ieiunio, *initio*, notans hac in parte differentiam militiæ carnalis à spirituali. Aut si aliud est statio Ecclesiastico prisco loquendi more, quàm ieiunium, (vt contendunt Onuphrius lib. de stationibus Vrbis Romæ, *initio*, Abbas pineus lib. 1. Obseruat. Sacr. cap. 16. Petauius ad Epiph. & nutans in priore sua sententia Ludouicus à Cerda in Aduers. sacris cap. 160. num. 16.) nec nisi pars eorum quæ per stationis tempus obibant Christiani, ieiunium erat; non plus etiam stant qui reliquas

quas illas stationis partes obeunt orantes, de Ecclesia non dicedentes, de geniculis adorantes, aliaque externa pietatis officia exercentes, nisi ad corporalem hanc exercitationem, adiungant eam quam Chrysostomus loco allegato, vocat *vehementem & exactam rectitudinem*, qua vult definiri stationem Christiano militi indictam, vt possit stans non deiici, sed malo obsistat; & iustitiæ ac lucis armatura, (de qua agendum sequitur) sit vsui.

*Cingulum, militis Christi.*

457 Est in ea primùm Cingulus, quo militem Christi præcingit Apostolus. Is Huxam vestium tybias impedientium laxitatem, cohibet, firmatque, & roborat lumbos qui sunt in corpore velut carina in naui, & in ædificio fundamentum, vt hic ex medicorum placitis disserit Chrysostomus. Sicque efficitur, vt homo non defigatur humi, sed facilè perstet elatus & sublimis, vt necessarium est ad bellandum. Hi spirituales lumbi cingulo confortandi in Christi milite, aliud non sunt quàm intellectus: nec cingulus aliud quàm veritas, quæ præstat vt stemus, & ad terram non prosternamur. Vnde hoc cingulo destituti Ethnici, & Hæretici omnes, humi volutantur. Ac proinde est hoc peritoneum adversùs externos omnes regni Christi hostes superiùs productos, munimentum. Audi Chrysostomum ad hunc locum. [Qui veritatis doctrinam quærit, ad terram non prosternetur. Quod enim quæ vera non sunt, ex terra sint, ex eo liquet, quod omnes qui extra veritatem sunt, passionibus animi seruiunt, proprias cogitationes suas sequentes. Propterea si sobriè vigilauerimus, non opus habebimus, vt contra Græcorum infidelium sermones doctrina instruamur; quoniam molles illi sunt ac laxi, nihil quod serium sit, nihil quod humanam rationem excedat, de Deo complecti valentes. Non enim sunt *in veritate cincti*. Propterea soluti sunt ipsorum lumbi, receptaculum scilicet genitalium seminum, & cogitationum irrationalium robur: Nihil igitur illis imbecillius. Manichæos verò vides, quomodo & illi omnia ex propriis cogitationibus suis loqui audeant? Non potuit, (inquiunt) mundum Deus absque materia facere. Vnde hoc liquet? Ex humo & terra ista dicunt, & ex humanis rationibus. Quoniam homo (inquiunt,) aliter quicquam facere non potest. Rursus Marcion quid dicat, vide: Non potuit Deus accepta carne manere purus. Vnde istud liquet? Quoniam neque homines, (inquit,) tanquam homines istud possunt. Valentinus quoque ex humo tractos sensus habens, de terra loquitur, vt & Paulus Samosateus. Arius verò quid dicit? Non potuit Deus gignens, sine passione gignere. Vnde hoc audes dicere, ô Ari? Ex nostris, id est humanis rationibus. Vides omnium ex humo tractas cogitationes, depressas, terram spirantes? ] Idem de omnibus Catholicæ veritatis hostibus, regno Christi semper infestis, esto iudicium. Nemo eorum succinctus est mentis lumbos in veritate. Vnde inclinati terram respectant. E contrario ergo Christi militem, succingi veritatis cingulo vt possit stare, nec veritatis hostibus ludibrium debeat, est planè necessarium.

458 Quàm præcincti, quàm terrenis & fluxis negotiis non impediti, quàm tertæ non affixi. Doct. omnes sacri; cum primi illi qui Polytheismo & Ethnicismo obstiterunt, Greg. Neocarien sis, Iustinus, Athanagoras; Tum æui eiusdem aliquot ac posteriorum sæculorum innumeri qui aduersùs hæreses & errores stetere intrepidi, Irenæus, Epiphanius, Athanasius, Ambrosius, Augustinus, & consequenter, omnibus Christianis sæculis innumeris. Nupertimè verò aduersùs extremos orcbi Impetus, quàm plurimi se opponentes pro domo Dei. [Quis enim dubitet (inquit Origenes homil. 26. in Num. *in fine*) quod sancti quippe Patrum, & orationibus nos iuuent, & gestorum suorum confirment atque roborent exemplis? Sed & voluminibus suis per ea quæ nobis ad memoriam scripta reliquerunt, docentes nos & instruentes, quomodò aduersùm inimicas potestates dimicandum sit, & quomodò agonum toleranda certamina? Pugnant ergo pro nobis & ipsi, incedunt primi antè nos armati. Ipsos enim nos habentes ad exemplum, & videntes eorum per Spiritum fortia facta, armamur ad prælium Spirituale, & aduersùs Spiritalia nequitiæ in cœlestibus dimicamus. ] Monet verò specialiter S. Ambrosius serm. 7. non si Clerici, (quos inter, omnes hi Doctores numerabantur,) remissis ac fluentibus sunt tunicis, censendos propterea esse à militia alienos. Habent enim internum cingulum quo constringuntur interna, iuxta Domini monitum, qui lumbos præcingendos monebat. Et aperte de iisdem Clericis idem sine inuolucro sanciebat Apostolus 2. Timoth. 2. vetans, *ne quis militans Deo implicet se negociis secularibus*.

Sed quod miles Christi lumbos succingit veritate videtur, aliter accepit Origenes hom. 5. in Iosué *initio*. [ Nostrum esse cingulum veritas debet, si tamen seruauerimus militiæ, & cinguli Sacramentum. Si enim veritas est cingulum nostrum, quoad Christi militiam cingimur, si quando falsum loquimur, & mendacium de ore nostro procedit, discingimur à militia Christi, & baltheo veritatis exolui mur. Ergo si in veritate sumus, sumus cincti: Si verò in falsitate, discincti. Sed nos imitentur potiùs ista quadraginta millia virorum accinctorum procedentium ad bellum in conspectu Domini, & semper simus in veritate succincti. Sed ne illud quidem otiosè prætereo, quod addidit scriptura, quia *accincti in conspectu Domini*. Non enim sufficit te apud homines videri seruare veritatem. Possibile namque est fallere homines, & veracem videri, sed non ex eo in veritate succinctus es, nisi & in conspectu Domini seruaueris veritatem; id est non solùm quæ voce homines audiunt, sed & ea quæ in corde perspicit Deus; vt nihil sit falsum in lingua, nihil sit in corde fucatum], secundùm quod Propheta dicit de talibus: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt cordibus eorum.* ]

*Militis Christi, Lorica.*

459 Lorica iustitiæ, qua deinde Christi militem munit Apostolus, iuxta Laurentium Iustinianum lib. de interiori conflictu cap. 6. est Prudentia. Et cum hæc sit omnium virtutum rectrix, non planè abhorret quod inquit S. Chrysostomus, hom. 24. nempe iustitiam cuius Lorica munitur Christi miles, esse *vitam omni virtute præditam.* Non enim Apostolus eam duntaxat iustitiam in eo exigit, quæ in alieno iure seruando indemni sita est: sed Catholicam (vt vocat idem Chrysostomus) siue vniuersalem. Nam & hoc ei apud Philosophos nomen est. Cassianus collat. 7. cap. 5. hanc Loricam censet esse charitatem quæ & ipsa virtus est vniuersalis. Hoc ergo munimento circumdari thoracem militis Christi, est pernecessarium. Frustra enim appeteret hostem verbo, aut alia quacumque ratione, qui peteat opprobrio vitæ non ex norma Christiani iuris exactæ. Qui eiusmodi sunt, tametsi fortes operarios, & sæcularibus operibus obeundis ac ferendis exercitos, ac si iubet, magnis ad præliandum naturæ dotibus instructos, habendos esse ad Christi prælium ineptos, & repellendos, admonet S. Gregorius lib. 3. in primum Regum *in fine*, tractans illa verba, *quemcumque videbat Saul virum fortem & aptum ad prælium, eum sociabat sibi.* Præmissa enim notione *aptorum* & *fortium*, subdit de fortibus, sed non aptis bello Christi. [ Quorundam temeritas à Christi bello repellitur, cum apti & fortes, electi memorantur. Nam quidam sciunt cum Diabolo pugnare, & nolunt: Sapientes quidem sunt, vt faciant mala; bona autem facere nesciunt. Hi antiquo hosti seruire volunt, resistere nolunt. Quid enim faciat Doctor, si aptos istos ad prælium sibi societ? Magis tales possunt alios per exempla destruere, quàm ipse per verbum ædificare. Nam & sæpè tales docere audent, & docendi virtutem operando non tenent. Cum loquuntur nobiscum, in hostes struunt; sed per opera subitò in viscera nostra torquétur. Velut proditores quidam exercitus, arma Christianæ doctrinæ induunt, & per exempla subitò paruulos Christi feriunt, quos velle protegere loquendo putamus. Non apti ergo viri fortes repellendi, non sociandi nobis sunt: quia per sapientes reprobos robur nostrum destruitur, non augetur. Qui ergo sunt fortes, & non apti, nisi quos videmus onera sæculi fortiter ferre, & fortitudinem suam in seruitium conditoris transferre nescire? Nam iugum hominum, & magnos sæculi labores fortiter ferunt, sed ad seruitutem Dei accedere, velut infirmi pertimescunt. Quid ergo isti nisi fortes, & non apti sunt, qui sæculi magna faciunt, & Christi agere lenia & blanda non possunt? ] Dictum in hanc rem plenè cum de morali Doctore. Quid ad huiusmodi Loricam iustitiæ, illa propudiosi & inutilis luxus argumenta apud Claudianum lib. 2. de laudibus Stiliconis.

*Quin & Sidonias Chlamydes, & cingula baccis,*
*Aspera, Gemmataque togas virideque Smaragdis,*
*Loricas.*

Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

*Calceamenta.*

460 Sequuntur apud Apostolum *calceamenta in præparationem Euangelij pacis.* Ocreas & vniuersum munimen, intelligit hoc nomine Chrysostomus. Et quia in pedibus signantur affectus, rectè signantur per has voces omnia illa, quibus affectus ab externorum impetu arcemus. Quæ est expeditissima ratio, hominis ad spiritualem militiam aptandi. Nam quamdiu permittuntur incurrere in affectus nostros externæ eorum proritationes, iniicietur certus & grauis obex ad militiam Christianam. Constat ita accipi à S. Augustino lib. 2. qq. Euang. in 33. *præparationem* hanc *Euangelij pacis* per calceatum. Ex eo enim secutum ait, vt non tangantur terrena, sicut fieret si pes nudus esset. Videtur annuere S. Hieronymus epist. 146. tractans quod pater calceamenta prodigo reuerso reddi iubet, verbis illis. [ *Et calceamenta in pedibus eius.* Sponsi quippe (inquit Hieronymus) perdiderat dignitatem, & nudis pedibus Pascha celebrare non poterat. Hæc sunt calceamenta. De quibus Dominus ait: *Et calceati te hyacintho. Et calceamenta in pedibus eius.* Necubi coluber insidians, plantam ingredientis inuaderet, & super scorpiones & serpentes securiùs ambularet, vt præpararetur ad Euangelium pacis, iam non gradiens secundùm carnem, sed secundùm Spiritum; & dictum ei propheticum conueniret: *Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* ] Consentiunt qui de sandaliorum Episcopalium mystica significatione differunt. Est enim iis ad id significandum, subtrer solea integra: supra verò corium fenestratum: qua sursum apertione notatur, non erubescendum Euangelium: munitione verò infernè adhibita, significatur, vitanda pollutio à terrenis. Videsis in eam rem Bedam, Fulbertum, Alcuinum, & alios apud Stephanum Durandum lib. 2. de ritibus cap 9. num 21. & Balduinum lib. de calceo cap. 29.

*Scutum.*

461 Scutum fidei quod deinde adhibet Paulus, ipsam fidem interpretatur Theodoretus. Et est sanè fides munimentum insigne, & protectis super omnem Gloriam. Nihil tamen vetat *scutum fidei* exponere, scutum quod suggerit fides. Suggerit autem non vnum, sed multiplex. Plurima enim sunt quæ fides iuxta Scripturas suppeditat scuta Sapien. 18. & numer. 16. celebratur prolatum ab Aarone *scutum seruitutis eius oratio*, & allegata per thuribulum, & incensum deprecatio. 2. scuto & oratione, per incensum ac carbones thuribuli, sanctissimam Christi humanitatem, & merita pro nobis denotata, legere est apud Originem hom 4. in Esaiam, & Richardum Victorinum in Apocal. cap. 1. Quò recidit *scutum cordis labor Domini*, de quo Threnorum 3. estque (interprete S. Gregorio hom. 22. in Euang.)

Passio Christi. [ Deus ( inquit, ) apparuit in carne, laborauit ex nostra infirmitate. Quem laborem passionis eius, dum incredùli viderunt, eum venerari noluerunt. Quem enim videbant carne mortalem, dedignati sunt credere, immortalem esse diuinitate. Vnde etiam Hieremias ait: *Reddes eis vicem Domine, iuxta opera manuum suarum: dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis eius laborem dedignati sunt; quasi eundem laborem illius pro scuto tenuerunt: vt eò ad se transire eius verba non permitterent, quò eum laborare, vsque ad mortem viderunt. ] Eadem libro 33. moral. cap. 30. Alio ergo sensu quàm impiis Iudæis, Passio Christi est nobis scutum, quatenus illius recordatione tegimur, & munimur, omniaque nequissimi tela ignea extinguimus. Scutum planè non adhorens à Poëtico illo scuto gaudij simul immensi, & tristitiæ acetbissimæ imaginem exhibente, vt est apud Clementem Alexandrinum 5. Strom. cap. 6. ex Iliad. 18. *in fine*, qui moralem eius sensum adhibet, ab eo diuersum quem suggerit Themistius oratione 1. & ab alio item sensu quem habet Maximus Tyrius differt. 37. Vt vt sit, Passionis Christi scutum, his in salutem & lætitiam, illis in luctum & excidium fiet. Scutum verè de cœlo nobis demissum, non vt fabulosa illa ancilia, de quorum religione summa, Lactantius 1. instit. cap. 21. Vnde meritissimò dicitur, *scutum bonæ voluntatis Dei coronans nos.* Vtinam circundari eo liceat in morte, & amplexari fructuosiùs ac potiori iure quàm factam ab Epaminonda, qui vt est apud Trogum lib. 6. moriens delatum ad se clypeum, quo vsus in bellis fuerat, affari postremò & amplexari, ac stringere, quasi de se insigniter meritum voluit. Huic scuto impositus in obitu, cœleste imperium spondere sibi iure possit, non secùs ac Chazari ( vt est apud Constantinum Porphiro genitum, de administ. imperij cap. 38. *in fine*, ) creabant principem, impositione eius in scutum. Quo item modo, Iulianum Apostatam, creatum in Gallia Imperatorem supra retuli ex Ammiano lib. 20. Videsis Pithæum secundo Aduers. cap. 6. Interim dum hîc inter timores, nocturnos versamur, optandum hoc scuto aduersùs eos circumdari; nam super omnem gloriam & armaturam hæc protectio:

## *Galea.*

462 Galea salutis, subiicitur apud Apostolum: quam Hieron. ad hunc Apostoli locum sensuum nostrorum qui omnes sunt in capite, atque adeò cogitationum & consiliorum omnium, incolumitati ac integritati adhiberi, animaduertit. Videturque hæc Galeæ caput obducentis ac munientis interpretatio, plenior: tametsi nec respuo quod S. Basilius hom. 2. de ieiunio, differentiam spiritualis & carnalis armaturæ sigillatim prosecutus, *Galeam salutis* interpretatur spem salutiferam, & præiuit in se Apostolus 1. Thessal. 5. qui Galeam salutis, spem disertè nominat. Quid si etiam sinceritatem doli expertem, dicamus esse hanc salutis Galeam? Sane habent è contrario milites satanæ Orci Galeam à Nazianzeno oratione 3. numer. 62. memoratam ex Poëta, qui illiados E Iouem inducit caliginem quandam Græcis magica arte offundentem, ne ab ipsis perspicerentur, ait Nonnus lib. 1. expositionis fabularum à Theologo tractarum num. 52. longè plurima ex variis de ea Galea Paschalius lib. 10. de coronis cap. 20. Varietiem itaque in omnes se formas immutantem, & duplicitatem animi nulli patentem, eo nomine signat Theologus referens eodem, quod de Gygis annulo est fabulis proditum: At miles Christi, sinceritate & veritate prælata, non timet videri quod est; quia nihil penes se habet erubescendum. Quomodocumque ex prædictis modis Galeam militis Christi accipiamus, nihil ad eam, omnis splendor Galearum seculi, quamtumuis apud varios varius & perillustris: de quo latè suprà Paschalius à cap. 13. ad 21. Galeas renidentes hyacinthis, inter cætera opulentiæ argumenta, recenset Claudianus lib. 2. de laud. Stilic. Sed ea mera inanitas & vanitas plus obiicit discriminis, quàm muniat militem.

## *Gladius.*

Gladium Spiritus, ipsemet Apostolus alienæ interpretationi non permittit, *& Gladium* ( inquit ) *Spiritus quod est Verbum Dei.* Sed cum Verbum Dei, vel sit personale, & subsistens, vel pronuntiatiuum, quæri potest cuinam verbo tribuat Paulus rationem Gladij Spiritus. Sanctus quidem Augustinus in Psal. 7. ad illud *Gladium suum vibrabit* egregiè exhibet Christum specie gladij, cuius diuinitas sit veluti lamella, aut verutum, theca autem sit humanitas. [ Potest ( inquit, ) ipse homo Dominicus, gladius Dei intelligi, bis acutus, id est framea, quem non vibrauit primo aduentu, sed tanquam in vaginas humilitatis abscondit. Vibrabit autem, cum in secundo aduentu veniens iudicare viuos & mortuos, in manifesto splendore claritatis suæ, iustis lomine suo, & terrore impiis coruscabit. Nam in aliis exemplaribus, pro eo quod est, *gladium vibrabit, frameam suam splendificabit*, positum est. Quo verbo conuenientissimè significari arbitror, vltimum Dominicæ claritatis aduentum: quandoquidem ex ipsius persona intelligitur, quod alius Psalmus habet, *libera Domine ab impiis animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* ] Et in Psalm. 44. ad illud *accingere Gladio tuo*, sic illud glossat. [ *Gladium tuum*, quid nisi Verbum tuum? Isto gladio strauit inimicos, illo gladio diuisit filium à patre, filiam à matre, nurum à socru. Legimus hæc Euangelio; *non veni pacem mittere, sed gladium. Et erunt in vna domo, quinque diuisi aduersùm se, duo aduersus tres, & tres aduer duos erunt diuisi*; Id est filius aduersus patrem, filia aduersus matrem, nurus aduersus socrum suam, Diuisio hæc quo gladio facta est, nisi quem Christus attulit? Et reuera fratres, etiam quotidianis exemplis videmus hæc. Placet iuueni alicui Deo seruire, displicet patri; diuisi sunt aduersùm se. Ille promittit terrenam hæreditatem, ille amat cœlestem.

jestem. Aliud iste pollicetur, aliud ille eligit. Non sibi putet pater factam iniuriam, Deus solus illi præfertur, & tamen litigat cum filio volente seruire Deo. Sed fortior est iste gladius spiritalis separans, quàm copulans natura carnalis. Fit hoc, & de filia aduersus matrem, multo magis, & de nura aduersus socrum.] Exponit hæc fusè & subtiliter, de Gentibus & diabolo patre; deque Synagoga socru, & Ecclesia nuru. Tum subdit. [ De potentia huius gladij loquebamur, cum ista diceremus. *Accingere gladium tuum*, sermonem tuum *circa femur tuum potentissime*. Circa femur habens gladium. Quid est *circa femur?* Quid significat *de femore?* Carnem. Vnde illud est, *non deficiet princeps de Iuda, & Dux de femoribus eius?* Nonnè & ipse Abraham, cui promissum erat semen in quo benedicerentur omnes gentes, quando misit seruum suum ad quærendam & ducendam vxorem filio suo, vnde veniret illud semen sanctum, in quo benedicerentur omnes gentes; fide tenens, in illa veluti humilitate seminis esse magnitudinem numinis, id est filium Dei, ventuum ex filiis hominum, per semen Abrahæ; fecit ipsum seruum suum quem mittebat, ita sibi iurare, *pone*, (inquit,) *manum tuam*; ad altare, aut ad Euangelium, aut ad Prophetam, aut ad aliquid sanctum? *Sub femore meo*, (inquit,) *pone manum*, habens fiduciam, nec reuerens turpitudinem; sed intelligens veritatem. Propterea *accingere gladium tuum circa femur potentissime. Potentissime* etiam *circa femur*, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominis.]

463 Præiuerat S. Basilius in Psalm. 44. ad illud *accingere gladio tuo*. [ Putamus sanè (inquit) & hoc ad Dei Verbum tropicè referri, vt carni coniungatur; quod est *efficax magis & penetrabilius omni gladio ancipiti, & perringens vsque ad diuisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque & medullarum, discretor cogitationum & intentionum cordis*. Quoniam femur signum est eius humanæ genealogiæ, *ipsæ* (inquit Scriptura) *egredientes animæ ex femore Iacob*. Vt itaque vita, & via, & panis, & vitis, & vera lux, & aliis eiusmodi sexcentis Dominus noster Iesus Christus nominatur: sic & *gladius diuidens* partem animæ affectibus seruientem, & motus concupiscentiæ mortificans.]

Beda in cap. 18. Sapientiæ, inter fragmenta quæ sunt ad calcem tomi 7. notat hunc esse gladium durum & debellantem, qui omnia morte repleuit, vt Sapiens eo capite tradit. Machatius Christocephalus hom. de crucis Exalt. hunc esse ait gladium sanctum, durum ac fortem, super serpentem, de quo Isaias cap. 27. Rupertus optimè Zachariæ 9. ad illud, *Et ponam te quasi gladium fortium*, monstrat Christum dici *gladium*, idque ex effectibus Euangelicæ prædicationis, ac strage per eam edita, & disiunctionibus coniunctissimorum quam Christus se facturum recepit, benè confirmat. Cui verò ignotum Gedeonis gladium, pane expressum, symbolum fuisse Christi Domini? Quod si Antichristus dicitur *gladius Satanæ*, vt est apud S. Gregorium 34. moral. cap. 4. æquè Christus qui ei contrapositus, est gladius Dei. Est ergo Christum gladium Spiritus, quo miles Christi accingitur, multam in eo stragem editurus, & Dei hostes in ea framea lactè fusurus. Hoc gladio præcincti milites Christi, quanta ediderunt?

464 Passim tamen video, Verbum Dei, quo tamquam gladio militem Christi succingit Apostolus, statui verbum prolatitium; sermones inquam de Deo. Deque eo verbo accipitur quod idem Apostolus describit alibi hunc gladium viuum & efficacem, ac penetrabiliorem omni gladio ancipiti, pertingentem vsque ad diuisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum. Quibus vocibus militem Christi qui Verbum Dei tractat, veluti sacrificum exhibere videtur Apostolus iuxta præclaram Gulielmi Parisiensis de vero Christiano tractatore sententiam lib. de legibus cap. 28. *in fine*. Agens enim de variis sacrifi. iis, actionum quæ claustrales psallendo vigilando, etiam manibus laborando offerunt Deo, subdit. [ In his autem sacrificiis excellit oratio cum partibus suis, cum perfecta fuerit. Excellit inquam quantum ad pinguedinem deuotionis. Doctrina autem & prædicatio excellunt quantum ad fructum. In doctrina enim, & prædicatione sincera, atque deuota, non solùm offeruntur verba, & labor qui in vtrisque sustinetur, sed etiam ipsi auditores qui per eam conuertuntur. Verus enim atque sincerus Doctor, seu prædicator est animalium mundorum sicut legitur Iob. 4. *Concident illum amici, dinident illum negotiatores*. Et Actuum 10. *Occide Petre, & manduca*. Occisor inquam, & mactator in gladio Spiritus, quod est Verbum Dei sicut legitur ad Ephes. 6. & Hierem. 48. *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine*. Et in Psalmo *gladius in labiis eorum*.] Plenè in eandem sententiam differit idem Gulielmus lib. de Rhetor. diuina cap. 51. Nec malè Origenes homil. 26. in Iosue agens de gladiis petrinis, quibus peracta est circumcisio & eorum per Iosue sepultura. [ Sæpè ostendimus, (inquit,) machæram Verbum Dei dictum, quo verbo abscinduntur & purgantur peccata de animis audientium. Hæc ergo virtus verbi diuini, recondita in eo loco cui datur sermo scientiæ, vt opportuno tempore omnia illa quæ per donum Spiritus repleta est verbo sapientiæ, verboque scientiæ, proferat istas machæras in Ecclesia, & circumcidat secundò eos qui secunda indigent circumcisione. Quod autem dicit *Petrinas machæras*, hoc est è saxo cultros, & non è ferro, artificis opere fabricatos; illud ostendit, quod sermo hic Dei, qui circumcidere de animis auditorum immunditias potest, non ex arte Grammatica vel Rhetorica veniens, neque Doctorum malleis edomitus, aut studiorum incudibus elimatus, sed ex illa Petra descendens, quæ de monte sine manibus abscissa est, & orbem terræ compleuit, ac dona Spiritalia credentibus tribuit.] Affine est, quod Rupertus lib. de operibus Trinit. in 4. Regum, circa Psalm. 92. Apostolis Spiritus sancti virtute exacutis, tanquam gladiis præcinctum Christum exhibet. Et quod sanctum Cyprianum tanquam machæram repræsentat Diuus Augustinus serm. 114. de diuersis.

diuersis. Videsis S. Gregorium 20. moral. cap. 28. & 29. Theodoretus item Studita Catech. 46. scitè describit Christiani animum quasi gladium igne fabrefactum, & aqua lachrymarum temperatum. Id quod maximè desideratur in Tractatoribus verbi Dei.

### *Obiter aduersùs commutantes gladium Spiritus, in Lyram.*

465 Non id attendunt vani illi concionatores, quos S. Chrisostomus tomo 5. Græcol. serm. 58. homicidis peiores meritò pronuntiat. Et realem nominatim fuisse Nestorium hæresiarcham, prodit Theodoretus lib. 4. hæret. fabul. *in fine*, qui verbum Dei habent non pro gladio, quo Deus occidat homines in verbis oris sui, non inquam pro gladio Aiod, ambi dextri, perfodientis Regem Madiam vt differit Origenes hom. 4. in Iudices; nec pro dolabra protuberantias exæquante, absscindendo quod extat, & in eam incurrit; sed pro lyra & cythara, & carmine musico, quod dulci suauique sono canitur, vt est apud Ezechielem cap. 33. Quantum hi à vero scopo bellicæ huius functionis abertent, & quantum malum in Ecclesiam inferant, nulla satis oratio explicet. Scopum sanè tractandi in Ecclesia verbi Dei aduersùs hostes animorum, non alium esse liquet, quàm præbere Spiritui sancto occasionem, vt ad pulsum externæ vocis, internam gratiam de silice cordis excudat, immittatque inspirationem sanctam, in nobis sine nobis procreatam. Sic enim de fructu per externam prædicationem quæsito, Philosophatur S. Gregorius homil. 17. in Euang. ad illud *misit eos ante faciem suam*, necnon S. Prosper lib. 2. de vocat gentium à cap. 3. & lib. 1. à cap. 13. Et hac ex causa, Verbum Dei vocatur *gladius sancti Spiritus*, vt differit S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 8. & in Psalm. 36. ad illud *gladium euaginauerunt peccatores*, vbi gladium Spiritus sancti, gladio peccatorum opponit. Pulchrè creditus Athanasius in qq. ad Antiochum ex veteri Testamento qu. 92. expendens illud Psalmi 149. *Exaltationes Dei in faucibus eorum, & glady ancipites in manibus eorum*, quod ad verbi Dei idoneos tractatores accommodat. Ab iis quippe salubriter confodi gladio ancipiti diuini Verbi impios quosque, tum extra tum intra Ecclesiam, docet.

Hunc tractationis verbi Dei vsum, & quæsitum ex eo fructum miserè interuertit, qui velificatus vanitati suæ, aut gratiæ auditorum, non gladium in vitia stringit, nec verbi Dei frameam effundit, salubri vulnere feriturus peccatores: Sed linguis hominum loquitur & Angelorum. Hoc quid sit, accipe ex auctore libri 3. de vita contempl. cap. 14. Apud Prosperum. [*Hominum vel Angelorum linguis*, inanem facundiam quorundam significatam debemus accipere; qui omnia quæcunque voluerint, accuratè quidem, atque eloquenter enuntiant: sed quamuis ornatè, copioseque differant, tamen si docendi officium vanitate placendi magis, quàm consulendi charitate suscipiant, non vt aliquos doceant sed vt se doctos ostendant; nec profectum, sed plausum à suis auditoribus quærant: si totam conscientiæ diligentiam transferant malè dicaces ad linguam, & studiosiùs eloquentiam velint curare; quàm vitam: si supercilio vanæ loquacitatis elati, dicta sua magis cupiunt laudari quàm fieri: nec sint de sanctitate operis, sed de sermonis elocubrati venustate solliciti: Numquid non tales meritò æramento sonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur qui in modum tinnientis æramenti, vel cymbali, præclara magis quæque appetunt sonare, quàm facere: nec erubescunt, à seipsis aliter viuendo, quàm prædicant discrepare: qui vt quoquo modo turpitudinem suæ conuersationis, obnubilant, honesta prædicare non cessant: non vt auditores sui, eorum prædicatione proficiant, sed vt ipsi videantur curare quæ prædicant.] Omnino grauiter ac fusè hanc culpam exagitat Origenes homil. 3. in Ezech. Hi sunt caupones miscentes aquam vino, ait Hieronymus Isaiæ 1. Et vt externæ quoque sapientiæ suffragium huc aduocem, Themist. pater vir Philosophus, referente ipso Themistio orat. 2. de huiusmodi hominum genere statuebat conuenientissimè. Sic enim de eo scribit Themistius. [Non solam indicendo venustatem consectabatur. Sed quemadmodùm dicebat, eos qui in agricultura nihil præter vmbrosarum platanorum, aut cupressorum nemora conserunt; frumento porrò, ac vineis indigent, voluptati magis quàm alimento studere: ita planè qui vnam in dicendo voluptatem persequuntur, idque vnam quærunt, suos vt auditores demulceant, ea verò, quibus alitur animus ac seipso melior efficitur, eloqui neque norunt, neque conantur; illos verò negabat esse Philosophos; vti neque Agricolas alios; sed adulatores nimirum & assentatores, & conditores; ac pro medicis, aut exercitationis magistris, mangones duntaxat, atque ornatores appellabat.] De hac Ecclesiæ peste, qua vix est in Ecclesia malum vulgatius, minusue nostrum, & tamen tetrius & plurium causa damnorum, dicendum iusta de hoc argumento tractatione. Nunc satis sit obiter attigisse, verbum Dei, in spirituali militia bellique hoc, non esse pro lyra adhibendum, sed pro gladio.

### *Buccellatum, Christianæ expeditionis.*

466 Hoc ipsum verbum, est etiam Christi militibus sic armatis, pro cibo. Plenè id prosequitur Origenes homil. 27. in Num. *initio*. [Nec quemquam moueat, (ait S. Bernardus sermone 5. de Assumpt.) quod idem verbum dixerim esse, & cibum, & gladium; quasi impossibile vel absurdum sit. In rebus quidem materialibus, aliud hoc, aliud est illud; & alibi quæritur hoc, alibi illud. In rebus verò spiritualibus, non aliud hoc est, quàm illud: nec alibi quæritur hoc, alibi illud, sed omnia sunt nobis in Deo, & est Deus omnia in nobis. Ecce enim in natura rerum, quid tam diuersum quàm panis & lapis? Et tamen si ad intellectum mysticum referas, vtrumque idem significat. Nam idem Christus est dictus, & panis & lapis; panis scilicet viuus, & lapis quem reprobauerunt ædificantes, & lapis quem reprobauerunt ædificantes.

Vtrumque

Vtrumque quidem est per significationem, licet neutrum sit per proprietatem. [Annona igitur militis Christi, est, cum omne verbum quod procedit de ore Dei, tum maximè Eucharistia: qua idcirco muniri debere pugnaturos tanquam grandium & fortium cibo, sæpè monemur à S. Cypriano & pulchrè epist. 54. & 56. Eius symbolum panes illi, quos transmittebat S. Paulinus epist. 46. de buccellato (vt ait,) Christianæ expeditionis. Est verò buccellatum panis militaris vt habetur ex lib. 1. cap. de erogat. militar. annonæ & ex Spartiano in Pescennio Nigro. Alibi panis militaris dicitur *paxamadium*, vel *paxamades*, aut *paximatium* vt videre est apud Leonem Imperatorem constit. 10. milit. §. 13. & constit. 12. §. 324. & apud Paladium qui in Alacario vocat panem buccellatum, quem in Pauli simplice vocat paxamatem. Hunc in glossis Isidori, panem subcinericium, dictum liquet. Quæ omnia bellissimè cadunt in Christum in Eucharistia qui est panis militaris, muniens ac roborans fideles ad certamina, ex Augustino serm. 13. de sanctis, & tract. 27. in Ioan. ideoque à Satana Mimo vt refert Iustinus Apol. al. 2. sub finem militibus Mythræ dari linitamenta Eucharistiæ institutum est. Insuperque est subcinericius panis, vt docent qui panem Eliæ accommodant Eucharistiæ.

### *Eorundem sic instructorum & cibatorum securitas humilitate firmata.*

467 Instructum armis tegentibus & ferientibus, cibatumque Christi militem, euadere inuulnerabilem monstrat in hunc modum Origenes homil. vnica in librum Regum *sub finem*. [Et nunc dicitur, quia arcus potentium infirmatus est. Si enim tu indutus sis armis Dei, si scuto fidei sis munitus, & galea salutis obtectus, & lorica charitatis, & gladio Spiritus accinctus, arcus contra te potentium, præ munimentis talibus infirmabitur. Si enim iaculatus fuerit aduersùm te vnum aliquod iaculum ignitum, id exceptum fidei scuto continuò restinguitur. Iecit & aliud iaculum; repulsum id quoque à thorace iustitiæ est. Iecit & tertium; & id gladio spiritus detruncatum est. Mittit fortassis & quartum, quod similiter per galeam salutis abiectum est. Cumque per hæc omnia, homo Dei peritus, inuulnerabilis manserit, tunc arcus potentium nequaquam tot directis spiculis infirmabitur.]

Vt tamen sic vndecumque instructus miles Christi, fiat vt dicere cœperam, inuulnerabilis, necesse est, vt ex Apostoli præscripto semper & vbique supplex sit Deo, *per omnem* (inquit) *orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu.* Quibus verbis S. Chrysostomus ibi, hom. 24. quantum à Christo pendeat miles eius, insinuatum vult. Et eumdem locum excutiens S. Augustinus serm. 114. de diuersis, ait nec armari tantùm sufficeret huic militi nisi impetrasset ab ipso à quo fuerat, adiuuari. Verè enim non se habet Deus ad milites suos, sicut terrenus Imperator ad exercitum quem ductat. Ei namque duntaxat spectator, & ad summum incentor adest. Rex autem exercituum Dei Christus, militibus suis ita adest, vt ipsemet in illis prælietur. [Adiuuat certamen nostrum (inquit S. Augustinus serm. 105. de temp. *ad finem*) qui certamen indixit. Non te sic aspectat Deus in agone certantem, vt populus aurigam. Clamare enim nouit, adiuuare non nouit: Coronæ veniam parare potest, vires subministrare non potest. Hic enim non Deus. Et fortè dum spectat, plus laborat sedendo, quàm ille luctando. Deus quando spectat certatores suos, adiuuat eos inuocantes Nam vox Athletæ ipsius est in Psalmo, *Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me.*]

Sunt Christi milites frameæ & gladij in manu Christi, ait idem S. Augustinus serm. 114. de diuersis. Plurimam hæ frameæ stragem faciunt hostium Dei, sed vibratæ. Nam si Christus eos monens & agitans ferietur, iacebunt gladij. Sunt iacula & sagittæ filij excussorum, sed nisi adsit qui intorqueat, Christi hostes indemnes erunt, vnde quod S. Gregorius hom. 5. in Ezech. *ad finem*, fusè prosequitur, in lumine *eunt in similitudinem fulguris coruscantis*, operando grandia, fortia, splendida: sed *reuertuntur, & reuertentia dicunt Deo, adsumus*; agnoscentia à quo habeant quidquid præstiterunt. Laudabile in hostes Dei; & non fuisse pugnam ipsorum, sed Domini. Hanc putarim esse iubilationem illam Græcè ἀλαλαγμὸν, atque clamorem, quo in militum Christi typum, Hebræi, cum sacerdotes tubis clangerent, clamarunt valentissimè. Agit plenè de eo clamore Origenes hom. 7. in Iosue. Qui etiam hom. 16. in Iosue *in fine*, refert ex quodam antiquo, hoc fuisse quod præsignabatur cum filij Israël dicti sunt, *ablingere hostes vt bos herbam*, videlicet orando & apprecando sibi Deum. Quod nobis item vsu venit cum victoriam adipiscimur. Christus ipse eodem interprete Origene hom. 2. in Iudices, id professus est, agens de præcipuis suis militibus, qui vsque ad sanguinem resistunt Satanæ, eiusque administris. Cum enim declarasset Origenes quomodò Christus in aliquibus sit mortuus, in quibus scilicet nihil operatur, quia viuere est agere, in aliis autem viuat; subdit. [A sanctis quæcumque fiunt, Christus ea dicitur operari, sicut & Apostolus dicit; *Omnia possum in eo qui me confortat*, Christo. Sed & ipse Dominus in Euangeliis de hoc distinctionem pulcherrimam dedit, cum dicit: *Quicumque confessus in me fuerit, coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis. Qui autem negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo.* Vidisti quia confitentes, *in semetipso*, dixit *confiteri*: quasi qui ipse in eis viuat & operetur opera vitæ? In iis autem qui negant, non tenuit eandem verbi similitudinem, vt diceret quia *qui negauerit in me, & ego negabo in eum*: Sed *qui negauerit me coram hominibus, & ego negabo eum, coram Patre meo*, vt ostenderet, quia qui negat quidem se, extra ipsum est, qui autem confitetur, in ipso est. [Hoc est dicere, Christum in omnibus suis viribus præliari. Quem esse communem in Scripturis & Patribus loquendi modum, fusè monstraui in Tract. de martyrio

tyrio parte secunda, capit. 3. à numer. 21.

468 Quid si verò Satan, vt est Dei operum Momus, (vt Nyssenus hom. 14. in cant. rectè ostendit,) hac veritate ex tot scripturis deprehensa, fabulam commentus est, cuius meminit Petrus Iarricius, tomo 3. rerum indicarum, cum de Iddo vrbis *Din* in Cambaiæ regione lib. 5. cap. 30. Fabula est, quam dixeris in hanc rem factam. *Maheſſe* numen potentissimum, permissa seruo nequissimo. Cui nomen Zumbana Zumba in res creatas potestate; seruum nequam intra breue tempus, creatarum rerum omnium tyrannum factum, pulsatus earum gemitibus, cum inaudisset, Crangenam filiam virginem, demisit in terras, cum lectissimo puellarum exercitu, quæ omnes Crangena erant, & in quibus omnibus illa pugnabat ad euersionem Tyranni. Pugna ab exercitu Crangenæ, per Crangenam in omnibus bellantem, acerrimè & plena cum strage Tyranni exacta est: & ereptis tyrannide creaturis, Crangena victrix ad cælos est regressa comitante exercitu puellarum, in quibus pugnarat fœlicissimè. Perspicuum esse existimo, occasionem confingendæ huius fabulæ, ex Christiana veritate quam tractamus, petitam esse. Quod enim Lactantius lib. 1. instit. cap. 11. Athenagoras lib. de resurr. *initio*, aliique obseruarunt, pleræque Poëtarum veterum fabulæ, ex adulteratione sacrarum historiarum sunt fabricatæ. Ex quo autem fides Christiana orbi innotuit, veterator Tartareus, (quod latè apud Iosephum à Costa in Historia noui orbis lib. 5. à cap. 11. videre est,) imitatione Christianarum veritatum multa suis mancipiis commenta obstrusit; vt veritas aliquando patefacta, æquè fabulosa haberetur, ac aniles illæ narrationes, vt Lactantius lib. 7. cap. 22. & Cyrillus Hierosol. Catechesi 15. animaduerterunt. Hanc igitur quam protuli, perspicuum videtur pari arte confictam esse, ad obnubi landam Christianam veritatem, quam proposui de Christo in Christianis militibus pugnante.

Rectè igitur ab vno ex primariis Christi militibus (Apostolum dico,) pronunciatum est 2. Corinth. 10. *in carne ambulantes non secundùm carnem militamus; nam arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum.* Quid sit *tractare arma potentia Deo* exponens Theodoretus, ita id accepit, vt sit sensus, vsus armorum spiritualium, cedere in Dei gloriam, & quasi proficere Deo. Sed meliùs S. Chrisostomus ibi, hom. 21. *potentia Deo arma*, dicta vt significetur, quis per hæc arma militet, eáque agitet & moueat. [Considera (inquit de Paulo,) illius humilitatem, non enim dixit *nos potentes*, sed, *arma nostra potentia Deo:* Non nos illa talia effecimus, sed Deus ipse. Quoniam enim flagellabantur, expellebantur, & innumera patiebantur dura, quæ infirmitatem testabantur; ostendens Dei robur, (inquit,) *sed Deo potentia sunt.* Hoc enim maximè ostendit illius virtutem, quòd per hæc vincat. Et ita licet nos his vestiamur & vtamur, sed ipse est qui per illa militat & operatur.

*Præuisi à Christo semper milites eiusmodi, in necessitatibus; sed maximè in summa, ab Antichristo,*

469 Huiusmodi milites & bellatores, toto sæculorum decursu quibus stetit stabitque Ecclesia, prouidit & prouidebit semper Christus dominus, ad tutelam & defensionem regni sui. Idque anterioribus sæculis experimento probatum est, & patet etiam modò in dies. Nam qua proportione hostis aliquis suboritur, & noua Tartari phalanx emergit, notarunt Nyssenus oratione de S. Basilio *sub initium* Rupertus lib. 7. in Genes. cap. 11. aliique benè multi, solemne esse Deo submittere Ecclesiæ nouas copias auxiliantes & nouos bellatores, bellique duces.

Quò verò acrior & periculosior erit postrema Ecclesiæ impugnatio à postremo Satanæ excreatu, eò Christi prouidentia in hoc genere luculentiùs prodetur. Notauit hoc pulchrè Blesensis serm. 3. *ferè initio* verbis illis. [Ecclesia Dei, est vt castrorum acies ordinata. In acie præliantium præmittuntur fortiores, in fine ordinantur fortissimi, in medio formidolosi & imbecilles. In hunc modum in primitiua Ecclesia fuerunt viri fortes, qui primos impetus huius sæculi sustinuerunt, qui Ecclesiam Dei fundauerunt sanguine suo. In fine erunt fortissimi, quorum erit tanta tribulatio, quod si fieri posset, mouerentur electi. Temporibus verò nostris tenera quædam est & euitata medietas, quæ vix credere sufficit nedum præliari. Prouidebuntur ergo in fine Triarij, atque fortissimi. Quod enim ex innumeris scripturis constat, Illata orbi vniuerso Euangelij (Luce, tempestas vltima, omnium quæ nauem Ecclesiæ agitarint periculosissima & immanissima, sub vltimi diei appulsum excipiet, sub Antichristo Tyranno. Sic nominabitur homo singulariter nequam, Christi velut antagonistes, eique è diametro oppositus, qui non erit quidem caput impiorum omnium, vt quibusdam visum est, (id enim Lucifero potiùs tribuendum, vt docet S. Augustinus lib. 3. de doct. Christ. cap. 37. & pulchrè S. Hilarius in psal. 139. ad illud *caput circuitus eorum.* Tamen vt habet S. Thomas 3. parte q. 8. art. 8. se habebit aliquatenus ad Luciferum, sicut Christus ad Deum. [Sicut enim vnigenitus (ait Theodoretus in epist. diuin. decret. c. de Antichristo.) Dei filius, sanctis quidem Prophetis, & sacris Apostolis, & aliis etiam Sanctis, dimisit dona sancti Spiritus: homo autem factus non particularem aliquam sumptæ naturæ dedit gratiam, sed omnem diuinitatis plenitudinem, vt dixit Apostolus, *visum est ei in ipso habitare*: ita Diabolus aliis quidem hominibus, quoscunque persuasit esse operarios iniquitatis, non omnes immisit species iniquitatis: huic autem ipse totus coniunctus, omnis generis vitiorum & scelerum machinas, per ipsum ostendet.] Seposito ergo influxu quem Christus habet in omnes bonos, non item Antichristus in omnes malos; sicut Christus est primarium & lectissimum Dei organum ad bona omnia, ita nequam ille erit præcipuum instrumentum Satanæ ad omne scelus,

Et

Et quemadmodum est in Christo plenitudo sanctitatis præ omnibus bonis; ita erit in Antichristo plenitudo & vniuersitas iniquitatis, præ omnibus malis, item infra Luciferum, vnde coniectari potest vertex nequitiæ ad quam nequaquam ille pertinget, quem illustri loco Origenis ex lib. 6. contra Celsum, vtcumque adumbro sic enim celsum quædam de Antichristo balbutientem aggreditur. [Quoniam & de Antichristo, (vt vocatur,) quædam Celsus interiicit, nec Danielis, nec Pauli testimoniis de eo perlectis, vel Seruatoris apud Euangelistas de aduentu eius vaticiniis; pauca etiam de his dicenda sunt: quod sicut variæ sunt hominum facies multum inter se dissimiles, ita nec corda eorum sunt similia: vnde apparet maximam in his esse differentiam. Non absurdè igitur duas extremitates (vt ita nominem,) in omnibus esse dixerimus; vnam bonorum, contrariorum alteram: vt boni extremitas intelligatur in eo qui secundùm Iesum est homine, à quo in hominum genus promanauit tanta conuersio, medicina, & profectus in melius: Contrarij verò extremitas, in eo qui est iuxta eum qui Antichristus dicitur. Deus autem qui omnia comprehendit sua præscientia, & vtosque videt, voluit de his per Prophetas significare hominibus: vt qui sermones eorum intelligunt, adhæreant melioribus, fugiantque contraria. Oportebat autem vt alterius extremitatis præstantissimus appellaretur Dei filius propter suam excellentiam; & huic ex diametro aduersus, diceretur filius mali Dæmonis, Satanæ & Diaboli. Et quoniam tunc maximè exuberat malitia, perueniens ad extremum sui fastigium, quando boni specie prætexitur; ideò per nequissimum illum, fiet ei potestas cooperante ipsius patre Diabolo in edendis signis, prodigiis, & falsis virtutibus. Istas enim vulgares magorum præstigias quæ fiunt ope Dæmonum, longè à tergo relinquet ipsius Diaboli cooperatio ad imponendum humano generi.]

### *Antichristus homo singularis, venturus ad mundi metam, omnia vastaturus.*

470 Suppono porro Antichristum esse hominem singularem & venturum sub mundi finem, paulo ante Christi iudicis aduentum, quia ita traditur in innumeris Scripturis, & traditione Patrum, quos proferunt. Hæreseologi innumeri, auertentes à Romano Pontifice æquè insulsissimam atque atrocissimam calumniam Nouatorum, quibus Christi in terris Vicarius, est ille homo peccati, à Paulo descriptus, & tam tetris horridisque notis prænonstratus. Videsis præsertim Bellarminum toto lib. 3. de Rom. Pont. & à cap. 9. Apolog. contra Iacobum. Item Sanderum lib. 9. de visib. Monarch. Maluendam & Lessium de Antichristo; Suarem toto lib. 5. contra Iacobum, & Tomo 2. 3. partis disput. 54. & 55. Coccium tomo 2. lib. 10. art. 3. Valentiam tit. 4. disput. 11. quæst. 2. puncto. 2. Henriquem l. de fine hom. cap. 22. & 23. Iustinianum 1. Ioann. 2. v. 18. à num. 6. Fusissimè, Magalianum in benedictionem Dan. sect. 7. annot. 4. & seq. q. Acostá lib. 2. & 3. de temp. nouissimis & antitheses omnino multas Antichristi ac Romani Pontificis vrgentem Bzouium libi de Romano Pontifice cap. 4. qui alios innumeros adducunt; & ostendunt, tantùm proportione seruata abesse à Christi Vicario Antichristum de quo Paulus prænuntiauit; quantum Christus verus, ab eo quem Sectarij pro Christo habent, desperabundo, ignaro, & culpæ obnoxio. Quod enim dixit Symmachus Papa *initio Apologetici* ad Anastasium, *Imperatorem non esse hæreticis Christum, sed semi-Christum*, Corrigendum est si de nostri æui hæreticis agatur; dicendo potiùs cum S. Irenæo lib. 3. aduers. hæreses cap. 17. & cum S. Augustino 16. contra Faustum cap. 10. & cap. 5. Enchiridij, & sermone 31. de verbis Apostoli & tractatu 3. ac 6. in epist. Ioan. non habere Hæreticos illos Christum verum, qualem regula fidei proponit, sed dumtaxat imaginarium, imo indignissimum Christi nomine, planéque Antichristum.

Sicut autem cum omni detestatione repellendi sunt hi Antichristiani sic transformantes Antichristum Christo iudici præcursurum; ita audiendi non sunt Catholici nonnulli qui Antichristum negant fore vnum singularem hominem, proximè præuium Christo, sed vel censent Mahumetem, vel esse definirè illum Antichristum de quo Scripturæ & Patres tam multa produnt; vel certè esse maximum & studiosissimum conditorem regni illius quod Antichristi dicitur. Ita Ioannes Annius, propendetque eò Cystauæus ad lib. 4. Damasceni de fide cap. 27. Subscribunt Genebrardus & Feuard. ad lib. 5. Irenæi cap. 30. quos meritò impugnat Peretius Opusculo de hoc Argumento in calce disputationum in Apocal. & sufficienter videtur reiici ex proximè subsequente Antichristum aduentu secundo Christi, vt manifestè habet Paulus 2. Thessal 2. & innumeri Patres è quibus in hanc rem fusè argumentatur Suares tomo 2. 3. partis disp. 54. sect. 2. Et lib. illo 5. cap. 2. num. 2. censet Antichristi singularitatem, fide certam esse.

471 Hic igitur homo peccati, sub mundi finem per multos annos præliabitur humana prælia, & ex modicis initiis ad omnium qui vmquam fuerint amplissimum dominatum perueniet, domitis aliis principibus qui Romani Imperij reliquias eò vsque superstites lacerauerint. Quòd manifestè prædixit Dan. cap. 7. agens de 4. bestia, hoc est de Romano Imperio terram vniuersam deuorante, de quo decem eius cornibus, idest decem Regibus Romanum Imperium inter se partituris, humiliandis & conterendis à potentiore vno, qui consurget post eos; idest ab Antichristo. Sic enim accipiendum esse cum locum, S. Hieronymus ibi, confutato Porphirio ostendit his verbis. [Ergo dicamus quod omnes D. D. Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, & & vndecimum surrecturum esse Regem paruulum, qui tres Reges de decem Regibus superaturus sit: id est Ægyptiorum Regem, & Africæ,

Africæ, & Æthiopiæ, sicut in consequentibus manifestiùs dicemus. Quibus interfectis, etiam septem alij Reges victori colla submittent. *Et ecce* (ait,) *oculi quasi oculi hominis, erant in cornu isto*, Ne eum putemus iuxta quorundam opinionem, vel Diabolum esse Dæmonem, sed vnum de hominibus: in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter.]

Ab ea Regum ac Principum cæterorum deiectione, per annos tres & dimidium, furor corporati huius Satanæ, conuertetur ad perdendos sanctos, & Christi regnum euertendum. Triennium enim illud & dimidium quo duraturum Antichristi regnum habet Ioannes in Apocalypsi & Daniel cap. 12. non esse numerandum ab initio dominatus & regni alicuius per Antichristum adepti, vt volunt Ribera Apocalypseos 8. & Bellarm. lib. 3. de Pontif. cap. 8. Sed à fine temporalium bellorum quibus vniuersum orbem temporaliter subegerit, rectè statuunt Rupertus lib. 8. in Apocal. & Acosta lib. 2. de temp. nouiss. cap. 8. Pererius lib. 15. in Dan. *sub medium*; ac Suares lib. 5. contra Iacobum cap. 9. Et tunc *veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt vsque ad illud, eritque tribulatio magna*, qualem non fuisse ab initio mundi neque aliàs vnquam futuram, Christus ipse præmonuit. Tunc dabitur illi bestiæ bellum gerere cum sanctis, & eorum plerosque vincere: *& nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.*

### *Quomodo Ecclesiæ à Christo prouisum, contra Antichristum.*

472 Non deerit tamen Christi prouidentia electis suis. Itaque propter electos breuiabuntur dies illi, & multi ac lecti præsidiarij, sicut aliis retrò ætatibus, quod longa inductione anteriorum & Christianorum temporum probari possat, nisi id demonstrasset Gregorius Nyssenus oratione in Basilium *sub initium*, iam supra laudatus: ita multo magis in hac postrema Ecclesiæ oppugnatione, submittentur à Christo ad regni sui tutelam, & repulsam truculentissimi hostis. In his eminebunt duo viri sanctissimi, Enoch & Elias. Nam Eliam in fine mundi debellaturum aduersùs Antichristum, & concionaturum fidem Christi, indubitatum est ex cap. 4. Malachiæ, & ex cap. 48. Ecclesiastici, & ex Matthæi 17. Idque negare, in tutum planè censeat Ribera Malachiæ 4. num. 11. Sanctius 4. Regum 2. num. 34. Acosta lib. 3. de temp. nouiss. à cap. 6. Suares tomo 2. 3. partis dispur. 55. sect. 1. & 2. & libro de Antichristo cap. 11. & aliquot sequentibus. Maluenda lib. 9. de Antichristo & lib. de Paradiso cap. 87. & 88. Pererius lib. 15. in Daniel. Quiros in cap. 4. Malach. num. 5. Feuard. ad lib. 5. Irenæi cap. 5. num. 3. & Autor qui notationes apposuit editioni Louanienst operum S. Augustini ad lib. 1. de peccat. merit. cap. 3. & ad lib. 2. contra Pelagium & Cœlestium cap. 23. qui multos Patres in eam sententiam adducit. De Enocho res non est adeò certa. Et multi qui de Elia rem certam putant, negant de Enocho, illumque Eliæ socium qui Apocalipseos 11. refertur, aiunt fore Mosem; vt quemadmodum Eliæ assistit in Transfiguratione, ita & eidem adsit in expugnatione immanissimi omnium hostis aduersùs Ecclesiam bellaturi. Ita Maldonatus Matth. 17. post S. Hilarium & Ambrosium, & ibidem Iansenius, itemque Gagnæus Catharinus, & Arboreus quos adducit Thyræus lib. de appar. Thabor. cap. 8. num. 19. Communissima tamen sententia, quæ apertè insinuatur Ecclesiastici 44. agnoscit, socium Eliæ fore Enochum, eamque ex multis Patribus tradit Thyræus ibidem num. 21. Non me latet, quam sollicitè Alcazar. in cap. 11. Apocal. not. 6. laborarit vt omnia præsidia quibus traditio de aduentu Enochi & Eliæ nititur, labefactaret, vt prosopopœias magnæ sapientiæ & sanctitatis sub Eliæ & Mosis personis, ad quas detorquet duos testes cap. illo 11. memoratos, vtcumque fulciat. Sed malumus planæ & expeditæ cæterorum interpretationi adhærere: quamuis inter hos quoque est difficultas aliqua quoad statum merendi sanctorum illorum hominum, quibusdam acriter tuentibus adhuc durare eorum meritum, vt Viega in cap. 11. Apocal. commenta. 5. sect. 4. aliis negantibus vt Suare tom. 2. 3. partis disp. 55. sect. 1. & lib. 12. de gratia cap. 15. anum. 8. qui suspensionem status merendi his sanctis viris in translatione cæptam, postea in fine vitæ, cum reuenient pugnaturi, remouendam fatetur; nec tot labores ipsumque martyrium nihil illis proficiant; Alij verò problematicè vtrumque defendi posse affirmant, vt Pererius lib. 7. in Genes. dispur. de Enoch qu. 5. Sed facile est Deo pro sua sapientia & æquitate, statuere in ea causa; nec debet ob implexitatem eius aliquam, periclitari veritas aduentus & certaminum, ac martyrij sanctissimorum illorum hominum, pro tuenda Ecclesia & regno Christi. Horum necem, excipiet post aliquod spacium, Antichristi exitium, non à S. Michaele, vt senex Petrus Damiani opusculo 59. sed à Christo ipso, spolia opima captante inferendum, vt habet Apostolus 2. Thessal. Etiamsi fabulosum sit, quod in Lactantio fabulositatis meritò damnat Floridus Sabinus 2. subsec. cap. 4. nempe quod Christus in aëre sit cum Antichristo pugnaturus, & ex prælio victoriam reportaturus.

### *Victoria, & raptus regni Dei, per violentiam militum Christi.*

473 Christo ipso Rege exercituum, sic militibus suis compugnante & concertante, minus mirum est, hostes tametsi numerorum multos, astu & vsu bellandi tam idoneos ad nocendum, malignitate autem & obfirmatione propè incredibili, repelli à Christi militibus propè incredibili, repelli à Christi militibus; qui victoriam suam in Christum Dolitibus; qui victoriam suam in Christum Dominum compugnantem referunt quam humillimè; Christum prædicantes, de se autem tacitè, iuxta illud quod in hunc sensum exponit Origenes hom. 12. in Iosue, *reuersurus est vniuersus populus ad Iesum incolumis, & non mutauit quisquam in lingua sua.* Illud potius mirum videri poterit, potentes aduersùs carnem & sanguinem, aduersùs mundi rectores

ctores tenebrarum harum, aduersùs ipsum quodammodo Deum potentes apparere, ipsamque Dei regiam, nouos Alcidas, cœlestibus virtutibus excubias agentibus ac propugnantibus: munitam, aditu propè inaccessam inuadere, penetrare atque diripere.duce Christo Rege exercituum, & annuente Deo qui quod illis hæreditatis titulo, & mera largitate concedere poterat regnum, maluit gratæ eorum violentiæ vt locus esset merito, elargiri. [Talis violentia (ait S. Paulinus epist. 29. adhortans militem secularem vt cœlo militet) Deo grata est. In hanc rapinam, manus tuas verte, quæ crimen non habet, & confert salutem; Et quid tibi militarium stipendiorum curationes cum inuidia violentiæ curare, cum forsitan pro tua honestate, etiam debitorum moderatus exactor sis; cum sine cuiusquam inuidia, & cum Dei gratia, possis esse violentus, vt rapias regnum cœlorum, quod sibi auferri patitur, & gaudet Christus inuadi? quia pro abundantia charitatis & potentiæ suæ, capax est & largiendi quod tener, & quod donauerit, obtinendi.]

474 Gigantomachiam hanc sacram, verbis Richardi Victorini in Psalm. 28. repræsentabo cuius consuli potest oratio paulò quidem longior, sed compensabit descriptionis prolixitatem amœnitas. Sic habet, post exhibitam militum Christi sub tanto Rege fortitudinem, & animos aduersùs hostes omnes regni Christi. [Puto quia hîc est eis opus fortitudine magna mirabilique virtute, antequàm irrumpant firmissimum illud habitaculum quod operatus es Domine, Sanctuarium tuum quod firmauerunt manus tuæ. Est enim firmatum in summis montium, & montes in circuitu eius. Nec nisi duabus tantùm viis, vna hinc, & altera inde adiri potest. Vniuersæ enim viæ Domini misericordia, & veritas. Est autem vtraque via admodùm arcta. Siquidem arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur per eam. Multùm tamen est inter istam, & aliam. Est enim via veritatis, non solùm arcta, verùm etiam multùm ardua. Illa autem planior, sed multo prolixior, & quæ vix toto vitæ termino conficitur. In quibusdam autem, nec ante mundi finem finitur. Ista denique est fortium, illa autem infirmorum. Istam ascendunt viri duntaxat ad bella doctissimi, illam non ascendunt nisi pauperes, infirmi, & mendici. Isti ad vim faciendam, illi ad eleemosynam petendam. Hæc non admittit nisi illos tantùm qui iam profecerunt in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi. Illa recepit pauperes, & debiles, cœlos, & Claudos, vulgusque promiscuum, eorum duntaxat qui faciunt sibi amicos de mammona iniquitatis, vt recipiantur in æterna tabernacula, & vt potè misericordiæ viam tenentes, sint beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. At illa terribilis castrorum acies ordinata virorum fortium, & eorum qui possunt ad bella procedere viam veritatis eligentes, vtpotè vim facturi, arctam illam, & arduam illam quæ ducit ad vitam cum alacritate apprehendunt, & cum summa festinatione per semitam mandatorum de valle lachrymarum ascendunt de virtute in virtutem, quæ retrò sunt obliti, & in interiora extendi, saragunt semper magis magisque sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram; donec vix cum multo labore, tandem aliquando apprehendentes montis verticem perueniant vsque ad ciuitatem munitam. Collecta itaque omni multitudine in summis montium, & secundùm castrorum disciplinam acie ordinata mirabiliter & montibus æternis, cingunt vrbem, & inchoant obsidionem, & in primo quidem congressu ciuium constantiam, telorum iactu emollire nituntur. Assistunt hinc sagittarij, illinc fundibularij. Iaciuntur itaque ab aliis, suspiriorum sagittæ ab imo cordis emissæ, ab aliis ignitæ orationis tedæ accensæ: volant vndique sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Hinc isti in funda, & lapide, illinc illi splendore fulgurantis hastæ suæ dant crebros ictus in gemitibus inenarrabilibus, vniuersis rugientibus à gemitu cordis sui. Nec dubium in tam acri certamine, in tanto talium telorum imbre, quin cœlestes illæ angelicarum virtutum phalanges crebra suscipiant miserationum vulnera; in tantùm vt sauciatorum caterua, necessitate vrgente clamare cogatur, vulnerata charitate ego sum, vt potè pietatis affectibus medullitùs confossa, & passim perforata. Eriguntur præterea machinæ, meditationum, speculationum, contemplationum. Patent iam vrbis interiora: ab alta siquidem illa contemplationis machina, facilè conspiciuntur quæ intrinsecus sunt, vel geruntur: Applicatis denique ad murum machinis, & electorum ex omnibus bellatorum fortium ordinibus intùs dispositis, aggrediuntur communes propugnatores ciuitatis. Sed ne spiculis ex aduerso venientibus, aliqua errorum vulnera suspiciant, induti lorica fidei proteguntur galea spei, tenentes in manibus gladium spiritus, quod est verbum Dei. His igitur è machinis, illis è propugnaculis fortiter dimicantibus, vicissim feriunt & feriuntur, vtrinque vulnerant, & vulnerantur, his compunctionis, illis pietatis vulnera suscipientibus.] &c. quæ allegoricè prosequitur ac concludit. [His & aliis duntaxat qui in eis audaciores sunt irrumpentibus penetralia diuini palatij, vbi & audiunt arcana illa quæ non licet homini loqui; diuiduntur cæteri per vicos & plateas ciuitatis, perscrutantes omnia, penetrantes abdita quæque locorum, & ædium secretiora, nihil intactum prætereuntes, nihil indiscussum relinquentes. Intrant tandem (nullo obstante,) in æterna gazophialazia cælestium thesaurorum, in quibus absconditæ iacet altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Rapit itaque quisque quod potest. Ab alio sermo sapientiæ vendicatur. Huic cedit discretio Spirituum, illi genera linguarum. In hunc itaque modum illæ gazæ spiritualium charismatum, ab aliis & aliis vatia sorte diripiuntur, vt constet quod veritas attestatur, Quia *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*]

### *Antitheſes militum Chriſti, & Satanæ.*

475 Hunc ſibi præliorum finem auſpice Rege virtutum ſpondere poteſt ſtrenuus militiæ ſpiritualis bellator, dum modò perſtet in pugna ad finem vſque, nec ad hoſtem perfidus transfuga defecerit, Regem ſibi non virtutum, ſed criminum, non præficiens. Nam & Satanas regium nomen Deo ſoli debitum, ſibi arrogat. Id quod Gregorius Nyſſenus hom. 14. in cant. ad illud *vt electas libanus*, decernens libanum electum à reprobo, pulchrè his verbis aperuit. [ Propriè, verè, ac primariè, Rex vnus eſt, Rex ille creatorum omnium. Nihilominus etiam mundi Dominus, ille tenebrarum rector, regium ſibi nomen arrogat. Legiones Angelorum ſunt apud verum Regem; & malorum item geniorum legiones apud Imperatorem poteſtatis tenebrarum. Imperia, poteſtates, copiæ, ſubſunt Regi Regum, & Domino Dominatorum; Itidem & alter ille, (quemadmodum Apoſtolus ait,) habet imperia, poteſtates, copias quæ abrogabuntur, cum malo in nihilum redigetur. Sunt enim hæc Apoſtali verba: *cum aboleuerit omne imperium, & omnem poteſtatem, & omnem vim.* Cernit vates ille ſedentem ſublimi ac eleuato in ſolio Regem gloriæ; Itidem ille ſolium ſuum ſupra ſidera ſe collocaturum profitetur; ita vt altiſſimo ſit ſimilis. Habet in ampla domo ſua, Dominus vniuerſi, vaſa electionis: itidem ille vaſa iræ habet, compatata ad interitum. Præterea vitam & pacem per Angelos, dignis ſuppeditat Angelorum Dominus; Etiam ille furorem, & iram, & afflictionem, per ſceleratos Angelos immittit. Et quid opus eſt ſingula commemorare, per quæ aduerſarius ille contra naturam ipſius boni ſeſe erigit?] Nec abſimilis Origenis ſententia eſt homil. 1. in Iſaiam *ipſo initio*, de eodem Rege [ eſt quidem & peccati Rex Apoſtolus ita ſciens ait, *non ergo regnet peccatum in mortali veſtro corpore.* Miſerabilis ille homo, cui peccatum regnat, qui tali ſe tradidit Regi, reſpuens regnum Dei & ſubiiciens ſe voluptati. [ Hunc igitur malitiæ Regem, & altitudinem extollentem ſe (vt Apoſtolus loquitur,) aduerſus ſcientiam Dei, quiſquis prælegerit Deo, ſtipendium à Rege ſuo expectet neceſſe eſt, quale ipſe retulit à vero & legitimo Rege ſuo, à quo nequiter defecit: & quale Chriſtus Rex virtutum, impiis ac tranſfugis quibuſuis reponet. Panopliam verò ſuppeditabit, qualem habet viſio horrenda apud Cantipr. lib. 2. Apum cap. 49. num. 5. [ Si huius Regis exercitum, virtutes faciunt, (ait Nyſſenus lib. de perfecta Chriſtiani forma) qui Dei militiam deſerens, ſe totius malitiæ inuentoris militem, abiecto iuſtitiæ thorace, & omni armatura pacifica, in acie aduerſariorum conſtituet; quomodò hic à veritate alienus, ſub iuſtitiæ Rege collocabitur? Eius enim armaturæ inſigne, planè Regem ipſius indicabit, quippe qui viuendi ratione, tanquam impreſſa armis imagine, ducem oſtendit ſuum. Quare beatus ille qui in diuina malitia conſtitutus ſt, & ordinibus eorum qui in millibus militum numerantur adſcriptus, & contra malitiam virtutibus armatus, quæ in eo qui ipſas induerit, imaginem Regis demonſtrant.]

Quanta verò ſit hæc dignitas & nobilitas, atque adeò è contrario dedecus, militum Satanæ nemo ſatis explicet, nobilitatem ſanè popularem ac terrenam, ferè metiuntur militari gloria vt plenè proſequuntur Tiraq. lib. de nobil. cap. 8. Turruretus lib. 2. de nobilit. gentilit. cap. 2. Zarrabinus lib. 1. de nobilit. cap. 9. & 10. Alciatus lib. de ſing certam. cap. 30. ex antiquo ſane ſtylo, nomine *militis* deſignatur *nobilis*, vt Tiraq. ſupra num. 3. demonſtrat. Rectè proinde S. Chryſoſto. hom. 4. in 2. ad Timoth. ad illud, *labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu*, ſic concludit. [ Quanta verò dignitas eſt, eſſe militem Chriſti. Conſidera terrenos Reges, vt magnum quidam putent, ſub eis militant.]

### *Vſus doctrinæ.*

476 Sed ne vano gloriemur nomine, quodquot hunc titulum ac tantum decus ambimus, ad omnem duritiam aſſuefcendum eſt. [ Vocati ſumus (ait Tertullianus lib. ad Martyr. cap. 3.) ad militiam Dei. Viui, iam tunc, cum in ſacramenti verba reſpondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis: vbi omnis duritia, & imbonitas, vel inſuauitas conſtitit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati iam ediſcunt; In armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem deſiccando. Sudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaueſcant. De vmbra ad ſolem, & ſole ad cœlum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde benedictæ, quodcumque hoc durum eſt ad exercitationem, virtutem animi & corporis deputate.]

Addenda etiam Apoſtoli ſententia citato loco epiſtolæ ad Timoth. *nemo* (inquit) *militans implicat ſe negotiis ſecularibus.* Latinus Interpres vt Pauli ſcopum aperiret, oſtenderetque eum id referre ad Chriſti milites, addidit vocem Deo quæ in Græco codice non habetur, & è pleriſque latinis exemplaribus exulat. Ait ergo Apoſtolus, neminem militantem, ac proinde neque militantem Deo, vitæ parandæ, aut iuste exigendæ negotiis diſtineri: τῷ βίῳ πραγματείαις *negotiis vitæ.* Dixerat nimirum Apoſtolus, *labora vt bonus miles Chriſti*, quid ergo eo nomine agendum eſſet Timotheo, vnio vt S. Chryſoſtomus obſeruat, cuiuis, Chriſti ſe militem profitenti, (quod omnes Chriſtiani, & laici & clerici æquè profitentur) exponit per rationem vitæ militum bonorum, qui non ſunt circa curam corporis & victum ſollicitæ: humi cubant, ferro potiùs quàm panno amiciuntur, edunt & bibunt quando & quomodò poſſunt, negotiationes mercimonia ad opes corrogandas indeque captandas voluptates non exercent, coniugio etiam abſtinebant vt Tertullianus lib. de exhortat. ad caſtit. obſeruat. Idem Chriſti militibus ſeruandum, habeantque vxores ſi laici ſint, velut non habeant. Nec eſt quod longitudo laborum militarium

litarium eos torreat. Diuinè S. Augustinus cant. 2. in Psal. 36. ad illud *vt viam eius volet*; monstrans quanta militum sæculi, & militum Christi, sit in hoc puncto disparitas. [ Non solùm temporalem voluit laborem tuum Deus, sed etiam breuem. Paucorum dierum est tota vita hominis; etiamsi læta datis non miscerentur, quæ plura & longiora sunt certè, quàm dura: & ideò breuiora, & pauciora sunt dura, vt durare possimus. Si ergo per totam vitam suam homo in laboribus, & in ærumnis esset, in doloribus & in tormentis, in carcere & in plagis, in fame & siti, omnibus diebus, horis omnibus, per totam vitam suam, vsque ad ætatem senectutis, pauci dies sunt tota vita hominis: quo labore transacto, veniet regnum æternum, veniet sine fine fœlicitas, veniet æqualitas Angelorum, veniet hæreditas Christi, veniet cohæres Christus. Pro quanto labore, quantam mercedem accipimus? Veterani homines qui laborant in militia, & versantur inter vulnera, 20. annos; incipiunt militare à iuuentute, exeunt senes; vt habeant paucos dies quietos senectutis suæ, quando eos iam ipsa ætas incipit grauare, quos bella non grauant; quanta dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora, quos Soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula? Et non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies quietos illos senectutis, ad quos vtrum perueniant nesciunt. ]

477 Insignem præterea vsum doctrinæ huius capitis subministrat S. Chrysostomus lib. 1. contra Vituperat. vitæ monast. *sub finem.* Nempe attento tam misero statu animæ, sub Satanæ hostis nostri Tyrannide gementis & oppressæ, insigne omnino esse meritum bellatorum, qui auspice & duce Christo conantur eas liberare: & grauissimè peccare qui his bellatoribus obstrepant, vel sunt infensi. Locus est lectu dignissimus; vbi Tyranni in animam grassationes eloquentissimè more suo describens concludit ad extremum. Quænam ergo violenta dominatio, quæ captiuitas, quæ vastitas, quæ seruitus, quænam inseruitutem abductio, quod bellum, quod naufragium, quæ fames aut pestis, quid horum denique his vlla ratione conferri possit, quin videatur esse leuissimum? Quis adeò dirus, quis tam ferus ac ferreus, quis ita brutus atque inhumanus, adeoque sine vllo misericordiæ ac doloris sensu, quin malit eiusmodi animam sic affectam contumeliis, sic vndique probris lacessitam pro virili parte flagitiosa iniuria insanaque contumelia, abducere, liberare, conseruare, quàm sic destitutam negligere, præterire, relinquere? Quod si id esset, vt est profectò immanis animi atque lapidei; vbinam quæso illos statuemus, qui præter id quod eiusmodi negligunt, aliud etiam; & quidem longè deterius scelus admittunt? Eos enim qui parati sunt mediis se periculis constanter obiicere, nec renuunt in ipsum feræ belluæ guttur manus demittere; quinimo & fætorem omnem atque pericula subire, & absorptas iam ac deuoratas animas ex ipsis dæmonum faucibus educant, atque violenter extrahant; non tantùm non laudant, neque amplectuntur, sed impelluntur quoque atque perturbant vndique. ]

478 Obsigno hanc de Christo Rege virtutum tractationem affectibus & voto S. Bernardi hom. 4. super *missus est*, vbi tractans regnum Christi in domo Iacob, hoc est in anima verè Israelitica, & bellante pro Iesu contra Satanam, concludit. [ Quis ex nobis est, qui iuxta interpretationem nominis *Iacob*, supplantet Diabolum de corde suo; luctetur cum vitiis & concupiscentiis suis, vt non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Iesus, & nunc quidem per gratiam, & in æternum per gloriam? Beati in quibus Iesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt, & regni eius non erit finis. O quàm gloriosum est regnum illud, in quo Reges congregati sunt, conuenerunt in vnum; ad laudandum, scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex Regum & Dominus Dominantium. De cuius splendidissima contemplatione, fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum. O si & mei peccatoris meminerit Iesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum. O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo & Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad viuendum scilicet in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, vt laudetur etiam à me, cum hæreditate sua! Veni interim Domine Iesu, auser scandala de regno tuo quod est anima mea, vt regnes tu, ( qui debes, ) in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me sibi sedem; iactantia cupit Dominari mihi; superbia vult mihi esse rex; luxuria dicit, ego regnabo; ambitio, detractio, inuidia, & iracundia, certant in meipso, de me ipso, cuius ego potissimùm esse videar. Ego autem quantum valeo, resisto; renitor quantum iuuor, Dominum meum Iesum reclamo; ipsi me defendo; quia ipsius me iuris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum Dominum teneo, & dico, non habeo regem nisi Dominum Iesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob. ]

Non sic impij, non sic. Habet sanè suos quoque milites Rex superbiæ, & vitiorum omnium Satanas audi Origenem homil. 2. in Psalm. 36. *in fine.* [ Sicut sunt quædam arma Dei in quibus esse dicitur lorica iustitiæ, & gladius Spiritus, & scutum fidei: ita etiam sunt arma Diaboli, quibus indutus est homo peccator. A contrariis igitur intelligamus contraria, & statuamus duos milites armatos, vnum militem Dei, alterum militem Diaboli. Et si quidem miles Dei habet loricam iustitiæ; sine dubio miles Diaboli contrariam huic gerit iniustitiæ loricam. Et si miles Dei in galea salutis coruscat; è contrario peccator qui est miles Diaboli, galea perditionis indutus est. Et si parati sunt pedes militis Christi ad Euangelij cursum & prædicationem; è contrario peccatoris pedes velociter currunt ad effundendum sanguinem: & calceamenta eius, hoc est præparatio, concinnatur ad malum. Habet ergo miles Dei scutum quoddam fidei, habet & miles Diaboli, infidelitatis scutum. Ita ergo est gladius quidam Spi-

ritus sancti, in his qui militant Deo: Est autem & gladius maligni, in his qui militant peccato.] Addit de arcu & sagittis vtrorumque; vt fatendum planè sit, vtrosque proportionali armatura omnigena circundari. Sed militiæ ac belli exitus est planè diuersus, & respondens Regibus, sub quibus obitur militia.

## CAPVT V.

### *Christus Rex Gloriæ.*

479 DIserte Psalm. 23. Coniunctim cum titulo *Domini virtutum*, nuncupatum Christum *Regem gloriæ* legimus. Exsibilandi enim sunt Rabbini quidam apud Iustinum in Dialogo cum Tryphone, qui Ezechiam, alij qui Salomonem, eo loco dictum *Regem gloriæ* volunt: cum tamen non illis, sed soli Christo, eleuatæ sint portæ æternales. Solus ergo Christus, vt Iustinus benè argumentatur est *Rex gloriæ*. Hoc quid sit, & quomodò ad conciliata per eum Spirituali Ecclesiæ regno bona pertineat, scrutandum est.

### *An Christus, Rex gloriæ, ideſt Iudæorum.*

Erit inprimis, qui gloriam cuius Christus in veteri Testamento Rex dicitur, de Iudæis interpretetur: quasi hoc sit quod titulus crucis præferebat, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*. Non enim nouum est, vt in Scripturis *gloria* populum Iudaïcum designet, quem Deus ipse profitetur gloriam sibi fuisse. Et Zachariæ cap. 10. positum ait à Deo *quasi equum gloriæ suæ in bello*: locus verò in eam rem conceptus, esse videtur apud eumdem Zachariam cap. 2. vbi Dominus exercituum, inducitur sic loquens. *Post gloriam misit me ad gentes*. Cum autem inferiùs idem ipse qui loquitur, addat, *cognoscetis quia Dominus exercituum misit me*; manifestum est Dominum exercituum qui loquitur, & Dominum exercituum qui eum misit, esse Filium & Patrem. Id quod præter Hieronymum ibi, deserte habent, qui inde potens argumentum pro Christi diuinitate peti docent, Eusebius lib. 6. de demonst. cap. 16. & Augustinus 22. ciuit. cap. 30. Nam nomen *Domini exercituum*, quod vtrobique adhibetur, est nomen ipsam Dei essentiam designans. Christus ergo ait, se post gloriam missum ad gentes, quod S. Hieronymus, & Rupertus ibi, ac loco notato Eusebius, perinde esse putant, ac si dictum esset, *post gloriam quam apud Patrem ab æterno habui, missus sanè per humanitatis assumptionem ad gentes. Post tantam sublimitatem, à Deo depressus sum, hominum causa*. Minùs tamen quadrare interpretationem, ex eo perspicuum videtur, quod Christus ipse profitetur se non esse ad gentes missum, sed tantùm ad oues domus Israël quæ perierant, Simplicissimè ergo locum Zachariæ accepturi videmur, si dicamus, Christum *post gloriam*, id-est *post gentem Iudaicam*, missum esse ad gentes. Iudæis namque repellentibus verbum Dei; Christus non quidem in persona sua; sed in Apostolis fidem Christi Euangelizantibus, missus est ad gentes. Quod *gloriam* ibi designare dico. Gentem Iudaicam, consentaneum est Apostolo Romanorum 9. profitenti optasse se *anathema esse à Christo pro fratribus suis, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum*. Hocigitur sensu, accipiendo nomen *gloriæ*, pro Iudaico scilicet populo, quem Deus tamquam gloriæ suæ specimem semper habuerat, *Rex gloriæ* idem est, quod Christus (vt titulus crucis prodebat) *Rex Iudæorum*.

### *Num Rex gloriæ Christus, quia dat gloriam.*

480 Interpretatur secundo loco S. Augustinus 1. Trinitatis cap. 12. Regem seu Dominum gloriæ, Christum gloriæ æternæ largitorem, eiusdem quippe est, gratiam & gloriam largiri. Itaque quia gratiam & gloriam dabit Dominus, accipimus à Christo gloriam, & eatenus *Rex* vel *Dominus gloriæ* dicitur. Non commodat tamen præsenti instituto S. August. sic enim scribit. [Secundùm formam serui, ipse est caput corporis Ecclesiæ. Secundùm formam Dei, Dominus est gloriæ. Vnde manifestum est quod ipse glorificet sanctos suos. Quos enim prædestinauit ipsos & vocauit, & quos vocauit ipsos & iustificauit, quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. De illo quippe dictum est, *quod iustificet impium*: De illo dictum est, *quod sitiustus & iustificans*. Si ergo quos iustificauit, ipsos & glorificauit; qui iustificat, ipse & glorificat, qui est, vt dixit, Dominus gloriæ. Secundùm formam tamen serui, satagentibus discipulis de glorificatione sua, respondit: *Sedere ad dextram, vel ad sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*. Quod autem paratum est à patre eius, & ab ipso filio paratum est. Quia ipse & pater vnum sunt. Iam enim ostendimus, hac Trinitate per multos diuinarum locutionum modos, etiam de singulis dici, quod omnium est, propter inseparabilem operationem vnius eiusdemque substantiæ.] Illustrat hoc aliis exemplis; Tum subdit. [Sicut ergo ista, ita & illud quod ait, *sed quibus paratum est à Patre meo*; cum Patre se intelligi voluit, parare sedes gloriæ quibus veller. Sed dicit aliquis. Illic cum de Spiritu sancto loqueretur, ita se missurum ait, vt non negaret Patrem missurum. Et alio loco ita Patrem, vt non negaret se missurum: hic verò aperte ait, *non est meum dare vobis*: atque ita sequutus, à Patre dixit ista præparata. Sed hoc est quod præstrinximus. Secundùm formam serui dictum, vt ita intelligeremus. *Non est meum dare vobis*; ac si diceretur, *non est humanæ potestatis hoc dare*: vt per illud intelligatur hoc dare, per quod Deus, & æqualis est Patri. *Non est*, (inquit,) *meum dare*, id est, *non humana potestate ista do; sed quibus paratum est à Patre meo*. Sed iam tu intellige, quia si omnia quæ habet Pater mea sunt, & hoc vtique meum est, & cum Patre ista paraui. [Videant

cur dixerim, S. Augustinum huic instituto non commodare. Vult enim Christum non provt hominem, quo pacto hìc titulos eius rimamur, sed provt Deum, dici Dominum & Regem gloriæ. Posse tamen de Christo quoque dici, quod vt gratiam, ita & gloriam donet, monstrabimus cum de Christo capite. Itaque saluus est Christo hic titulus, in eo sensu: quem planè consectatus est Enthymius in Psalm. 23. sic scribens. [Rex gloriæ dicitur Christus, & Dominus gloriæ, veluti qui summam assecutus est gloriam, & qui eam aliis præstat; & qui aliorumomnium qui gloriam assecuti sunt, Rex est & Dominus.]

### *Triplex alia incommoda notio Regis gloriæ.*

481 Eadem porrò ex causa, ex qua dixi, notionem Regis gloriæ à Diuo Augustino datam, non esse huius instituti, idem statuendum est de notionibus eiusdem tituli propositis à Gulielmo Parisiensi 2. parte 1. partis de vniuerso cap. 21. *sub finem*; vbi triplicem huius tituli explicationem adhibet sed soli Deo vt Deus est aptat. Prima est, vt Deus dicatur *Rex gloriæ*, quia regnum eius cœleste, est gloria; vbi nihil est nisi gloria, labes nulla, & nullum dedecus, vel imperfectio. Secunda est, *Regem gloriæ*, idem proportione sonare, ac *Regem iustitiæ*. Sicut enim *Regem iustitiæ* elicitur, qui est iustissimus; & vas pulchritudinis & electionis, id est pulcherrimum & electum, ita *Rex gloriæ*, idem est quod *gloriosissimus*: Et cuius regnum vt Gulielmus loquitur, *est in vltimitate gloriæ*, & nihil habens gloria repugnans seu contrarium. Tertiam denique notionem eiusdem tituli, proponit, vt idem sit *Rex gloriæ*, ac *is cuius solius est, & cui tota debetur gloria*. Omnia enim in Dei gloriam cedere, est omnino necessarium. Hæc tametsi Christo accommodari possent, tamen ex mente Gulielmi, non pertinent ad Christum, sed ad creatorem: ideoque sunt hìc dimittenda. Et eodem modo dimittendus est Cassianus, qui lib. 7. de Incarn. cap. 23. *Regem gloriæ* exponit verum Deum.

### *Quarta notio, quia Christus, Rex est per crucem.*

Potest quarto loco videri, Christum dici *Regem gloriæ*, quia per crucem & passionem intrauit in gloriam suam: eo quod *gloria* in Dictionario sacro, dicatur opprobrium, crux, passio, iuxta illud Hieronymi quæst. 9. ad Hedibiam, [gloria Saluatoris, patibulum triumphantis est.] Vt proinde *Rex gloriæ*, idem sit quod *Rex propter passionem, gloria coronatus*; seu *Rex per crucem*, quam Cyrillus Hierosol. cathec. 13. vocat *gloriationem*, idque inferiùs etuit manifestè ex scriptura. [Vis (inquit) nosse apertiùs, quod gloria Christi est crux eius? Audi non me, sed illum dicentem prodiderat Iudas improbus, patremfamilias, nuperque exiens à mensa, & poculum benedictionis bibens, & pro potu salutari sanguinem iusti effundere volens. Qui panes eius comedebat, magnificauit super illum, supplantationem. Paulò ante manus, benedictionem recipiebant, & rursus argento proditionis, mortem conciliauit. Et redargutus, audiuit: *Tu dixisti*; rursusque exiuit. Deinde dixit Iesus, *venit hora & glorificetur filius hominis*. Vides quomodò *gloriam* propriam sciebat esse crucem? Deinde Esaias quidem serra dissectus, non confundebatur: Christus verò pro mundo moriens confundetur? *Nunc glorificabitur* (inquit) *filius hominis*. Non quod priùs non haberet gloriam: glorificatus enim erat gloria ante mundi constitutionem; sed glorificabatur tanquam Deus semper: nunc verò glorificatus est, patientiæ ferens coronam.] Vide an non etiam suffragetur Tertullianus lib. de Corona militis cap. 14. vbi agens de spinea Christi corona, eique repensa regia corona gloriæ, ait inter cætera de Christo. [Fauos post fella gustauit, nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum, proscriptus in crucem; minoratus primò à patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus.]

482 Non abhorret hæc interpretatio *Regis gloriæ*, à titulo quo partum Christo, & spirituale & temporale regnum diximus. Decuit enim gloria & honore coronari eum, cuius inter mortales inglorius fuerat aspectus, propter homines: omnique iure iis dominari, & Rex præesse debuit, quos de teterrima captiuitate & certo exitio redemerat. His item ipsis locis, quibus Christus *Rex gloriæ* dicitur; Dominus fortis, & potens in prælio, (vtique passionis & mortis generosè obitæ) nominatur. An verò id insinuauit princeps Apostolorum; qui epistola 1. cap. 1. memorans Christi exaltationem passioni subiunctam, vocat *posteriores glorias?* quasi hæc sit gloria posterior, connotans priorem, nempe passionis & crucis; quæ verissima Christi gloria fuit. Idem sanè Christiani gregis princeps, inferiùs cap. 4. gratulandum docet iis, qui in nomine Christi exprobrantur, & aliqua passionum eius participatione donantur: *quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius Spiritus, habitat in illis*. Ita quidem princeps & Apostolorum & Christianorum omnium diuino actus Spiritu. Tametsi non est hic sensus multorum nomine tenus Christianorum, qui probrosam sibi censent crucem, & subiectionem, quæ Deum decuit vt scitè pro more dixit Eucherius homil. 3. ad Mon. num. 8. qui gloriam hominis, quam Spiritus sanctus nominat *stercus*, gloriæ quæ ex Deo est, auteponunt. Nec agnoscunt regno se aptari, cum deiiciuntur: & per passionem ac crucem participes fiunt eius gloriæ cuius se Christus Regem prædicari, in scripturis sanctis voluit. Longè alia mens sanctis illis Martyribus, veræ & solidæ gloriæ Christianam notionem edoctis apud Victorem lib. 2. Persecut. Vandal. qui iactati vnus super alium, & præ angustia loci, naturales egestiones stercoris & vrinæ in, spelæo quo concludebantur emittentes, ita vt introeuntes, velut in gurgite luti ad genua vsque mergerentur; educti inde Dominica die, oblita stercoribus vestimenta, faciesque, & capita præferentes, concinebant exultabundi, *gloria hæc est omnibus sanctis eius*.

Haud incongruè, cum quarta illa *Regis gloriæ* notione, nectatur alia quam suggerit S. Ambrosius serm. 15. in Psalm. 118. in explicatione litteræ *Samech*, illi octonario præfixæ: [ Quæ est corona (inquit) qua coronatur Christus, nisi corona gloriæ? Ioseph habuit coronam castitatis, Paulus iustitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum, coronæ sunt. Solus Christus habet coronam gloriæ, qua eum Ecclesia coronauit. In hac corona omnes coronæ sunt; quia gloria, non portio vnius coronæ, sed præmium omnium coronarum est. ] Si corona gloriæ, qua coronatum Christum agnoscit Ambrosius, est corona virtutum omnium; corona autem, regni symbolum & necessarium adiunctum est; non aliud sanè fuerit Christum *Regem gloriæ* dixisse, quàm *Regem virtutum omnium*: quod aiebam nexum esse cum quarta notione Regis gloriæ, iam proposita. Nam Christus patiens, & moriens in cruce, virtutes omnes exquisitissimè & perfectissimè exhibuit.

### *Germana notio, Regis gloriæ Christi, idest Ecclesiæ, regni omnium glorioſißimi; Et vnde eius gloria petenda.*

483 Idem tamen S. Ambrosius eodem loco, tractans illud Thren. 2. *vbi perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ*, coronam gloriæ fore Iudææ præfatus, si in Christum crederet, subdit. [ Quæ est autem corona gloriæ, nisi Ecclesia, quæ caput suum Christum coronat? Quæ iucunditas vniuersæ terræ, nisi domus populi Christiani, aula Sanctorum? de quibus Scriptum est, *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ergo quia corona gloriæ est Ecclesia, ideò dicitur in canticis; *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, in corona qua coronauit eum mater eius, in die sponsalium eius, & in die iucunditatis cordis eius.* ] Per *coronam*, regnum designare, quotidianum est. Sic enim dicimus, id spectare ad coronam Galliæ, aut Hispaniæ, &c. Itaque *corona gloriæ*, est Ecclesia; Idest regnum gloriæ, Christi Regis proprium; ( coronat enim Christum caput suum Ecclesia, vt habet Clemens Alex. 2. Pedagog. cap. 8. ) & Rex gloriæ idemmet Christus, Rex Ecclesiæ, regni omnium glorioſissimi, ac magnificentissimi. [ Quæ est huic loco commodossima notio *Regis gloriæ*. Eo namque deuentum est in tractatione, bonorum regni spiritualis, vestigatorum ex tributis inde Christo titulis, vt magnificentiam ac splendorem regni huius, tradere oporteat: At hæc aptissimè exprimuntur nomine *gloriæ*, quam in regno sæculari, v. g. Salomonis, cuius gloria à Christo ipso celebrata est, ferè petunt à splendore domestico Regis, & regiæ familiæ: hoc est, à regio cultu, qui indumenta regia, & coronam, ac sceptrum, & thronum comprehendit: itemque à multitudine & nobilitate regiorum domesticorum, ministrorumque ac principum proninciarum, & præfectorum, regiæ potestatis cum subordinatione participum: A gazis item & thesauris, ac immensis opibus, & operibus publicis, munificentiam & magnificentiam regiam testantibus. Hæc enim ferè sunt quæ Regina Saba 3. Regum 10. & 2. Paral. 9. ita admirata dicitur in glorioſissimo Salomonis regno, vt non haberet vltra Spiritum. Quantùm tamen vniuersa hæc gloria præcellat in regno spirituali Christi Domini, facillimum est demonstrare: Vnde liquere potest, verè Christum ex hoc maximè capite; nuncupari posse *Regem gloriæ*, Et verò Reginam Saba, typum fuisse Ecclesiæ, demirantis Christi gloriam, fusè omnino prosequitur Eucherius hom. 1. de Natali Ecclesiæ. Sed in argumento propè infinito, delibanda duntaxat erunt selecta quædam; nec alia ferè quàm quæ à Patribus sunt obseruata.

### *Cultus Christi Regius; ac primùm vestitus duplex; vterque magnificentißimus.*

484 Magnificentissimum Christi Regis gloriæ vestitum, expressit sæpè Psaltes: nunc Regem Christum exhibens indutum decorem & fortitudinem, nunc confessionem & decorem, aut lumine amictum sicut vestimento. In variis Scripturis, regium Christi vestimentum duplex tradi, obseruat Rupertus in cap. 14. Apocal. ad illud, *habet in vestimento suo scriptum.* Verba eius sunt. [ Vestimentum huius Regis Christi, aliter atque aliter pro loci diuersitate intelligi debet. Non aliàs sanctam Ecclesiam, siue fidem Catholicam; aliàs sanctam significat Scripturam. Vtrumque ex vno Psalmi versiculo intelligitur, vbi ipse loquitur dicens; *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Nam vestimenta Domini diuisa, significant sacram Scripturam ab hæreticis sæpiùs depraua tam, vt alibi Psalmista: *Quæ perfecisti, destruxerunt.* Vestis eius quæ desuper inconsutilis, & super quam sortem miserunt, designat Ecclesiam, vel fidem Catholicam diuina electione fidelibus datam, quæ à nullo corrumpi potest. Item vestimentum eius Ecclesia intelligitur, cum iterum dicit Psalmus; *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Et est sensus: Spiritus sancti gratia quæ plenariè in Christo capite nostro inhabitat, primùm ex eo descendit in fortes viros Apostolos, qui significantur per barbam Aaron: Et deinde in martyres, cæterosque Ecclesiæ filios; magnos quidem, sed inferiores Apostolis, qui intelliguntur in ora vestimenti, quia post Apostolos in Ecclesia sunt præcipui, cuius fide & virtutibus Christus ipse decoratur, ad modum alicuius qui vestimento pretioso induitur. ] Eodem accommodat polytritam Iosephi tunicam, idem Rupertus lib. 8. in Genes. cap. 20.

485 Priorem sensum, de Scripturis scilicet Christum vestientibus tradiderat ante Rupertum Clemens Alexandrinus 2. Pædagog. cap. 10. verbis illis. [ Exquisitæ vestes, fimbriarum dilatationes, & curiosi figurarum numeri, illiberalem ac sordidam Syrmarum mollitiem indicant. Quod si quis talarem Domini vestem adducit, variegata illa tunica ostendit flores sapientiæ, varias & quæ non

flaccescunt Scripturis, eloquia Domini quæ veritatis splendoribus refulgent. Eiusmodi alia veste Spiritus Dominum per Dauid induit, sic psallens, *Confessionem & decorem induisti eum. Induens lucem sicut vestimentum.* ] Idem habet S. Ambrosius lib. 7. in Lucam, tractans illud capitis 9. *vestimenta autem eius, facta sunt alba sicut nix.* Non aliud autem eo Christi per Scripturas vestitu innuitur, quàm Scripturam vniuersam, cum vererem tum nouam, ad expressionem regni Christi pertinere: vt liceat Christum, pro antiquo vsu, veste picturata non vnam aliquam, sed valdè multas historias exhibente, intueri. Ita enim olim tulisse vsum, & nostri & externi Scriptores prodiderunt. Sic sæpè Clemens Alexandrinus 2. Pædag. cap. 10. ablegari videt variegatas vestes quæ in purpura habent animalia. Et mox, Psalm. 44. deauratam Reginæ vestem dictam vult, quia in ea Iesus splenderet vt aurum. Inuentum id fuisse Babyloniorum, docent illa Silij lib. 14.

*Fulvo certaret vt auro.*
*Vestis spirantes referens sub tegmine vultus.*
*Quos radio calat Babylon.*

At subsecutos Ægyptios, Babyloniis præcelluisse, signi ficat illud Martialis.

*—— Victa est*
*Pectine Niliaco, iam Babylonis acus.*

Nec feminæ duntaxat, sed & viri sic induebantur. Nam Athenæus lib. 1. describens Anthiochi Epiphanis comitatum multorum millium hominum, notat quorumdam paludamenta auro texta & animantium imaginibus picturata. Ammianus item lib. 14. refert longioris fimbriæ tunicas viriles, perspicua lucentes varietate liliorum, effigiatas in species animalium multiformes. Prudentius quoque in hamartig. arguens viros degeneres, ita canit.

*Sed pudet esse viros, quarunt vanissima quæque*
*Quis niteant; Gemina lues, vt robora soluant,*
*Vellere non ouium, sed Eoo ex orbe petitis*
*Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus,*
*Gaudent, & durum scutulis perfungere corpus.*
*Additur ars, vt fila herbis saturata recoctis*
*Includant varias distincto stamine formas.*
*Vt quæque est lanugo ferè mollissima tactu*
*Pectitur, hunc videas lascivas præpete cursu*
*Venantem tunicas, auium quoque versicolorum*
*Indumenta nouis texentem plumea telis.*

Ausonius spurium illum, vereque lupa matre genitum, qui se Romuli & Remi sanguine certum fabulabatur describens, epigram. 25. ait.

*Hos illo Serum veste contexi iubet,*
*Hos calæ argento grani.*

Idem, missam ad se à Gratiano Palmatam vestem in qua Constantius Imperator intextus esset, memorat in Eucharistico ad Gratianum. Nec absurde Rauardus lib. 2. coniectaneorum cap. 6. locum Scæuolæ Iurisconsulti, & S. Ambrosij in Psalm. 38. de pœna eius qui imaginem alterius Imperatoris portarit, accipit de huiusmodi veste picturata, & imaginem Imperatoris præferente. Vix aliquid in hoc genere illustrius veste illa Iustiniani, de qua Corippus lib. 1. num. 14. Nuperus interpres illud Apostoli *sicut portauimus imaginem terreni*, expresso Græco verbo φορέσωμεν quod in vestium propriè cadit, accipit deportanda in hunc modum Christi imagine in vestibus. Idque præstitisse Christianos quosdam, accipe ex sancto Asterio hom. de diuite & Lazaro *initio.* [ Alij item, (inquit,) reperiuntur similis amantes vanitatis, magisque etiam & plenius vitia exercentes, qui ne hic quidem, stultæ solertiæ fines constituerunt, sed inani quodam & superuacuo commento, quod artem pictoriam per stamen atque subtegmen imitatur, omniumque formas animalium in vestibus exprimit, floridà ac sexcentis variegata figuris vestimenta, tum sibi, tum vxoribus ac liberis comparant. Qui ipsi ludunt, etiam alibi nihil vsquam sedulò vel serio facientes, sed per immodicas opes aburentes vita, non vrentes, ipsique Paulo, & diuinis vocibus, non dictis sed factis aduersantes. Nam quæ ille verbis proscripsit, hæc isti mordicùs retinent, & ipsa re faciunt rata. Quandocumque igitur in publicum prodeunt, quasi depicti parietes, ab obuiis aspiciuntur. Quin etiam pueri circumstant, ridentes inter se se, digitisque picturam in vestibus commonstrantes, & ad multum spatij prosequuntur, nec nisi ægrè recedere, & auelli possunt. Videre est illic, leones, pantheras, vrsos, tauros, canes, syluas, saxa, & venatores, & omnia denique circa quæ spectorum industria naturæ æmula versatur. Necesse videlicet erat, vt videtur, patietes non solùm atque domos exornari ac depingi, verùm etiam tunicas, & pallia iis superiecta. Qui autem quæuè de diuitibus illis religiosiores, argumenta textoribus ex historia Euangelica collecta, subministrant: ipsum inquam Christum Dominum nostrum, eum Discipulis omnibus, ac miracula quæque, quemadmodum ibi narrantur. Videbis nuptias Galileæ, & hydrias; paralyticum lectum baiulantem; cæcum qui luto curatur; mulierem quæ sanguinis profluuio, laborabat, fimbriam prehendentem; peccatricem ad pedes Iesu accidentem; ac Lazarum è sepulchro rediuiuum. Et hæc dum faciunt piè se se facere, & vestimenta Deo grata induere arbitrantur. ]

486 Eiusmodi ergo fuisse regium Christi vestimentum, significare videntur qui ei pro veste appingunt Scripturas. Et eodem modo accipi potest quod aiebat Rupertus, Ecclesiam, homines scilicet Christo in vestem circundari. Ita enim sæpè habet Isaias. Hæc esse illa sponsi regis vestimenta, à quibus myrrha & gutta & casia omnes inquam boni odores afflantur, docet S. Augustinus in Psal. 44. sic exponens eum locum. *Odores boni à vestimentis tuis.* [ Vestimenta eius sunt sancti

eius,

eius, electi eius, tota Ecclesia eius, quam sibi sicut vestem exhibet, sine macula & ruga. Propter maculam abluens in sanguine, propter rugam extendens in cruce. Inde bonus odor qui significatur nominatis quibusdam aromatibus. Audi Paulum, illam minimam simbriam de vestimento, quod tetigit mulier in fluxu sanguinis & sanata est. Audi illum dicentem, *Christi bonus odor sumus in omni loco.*] Annuit Ambrosius in cap. 19. Apocal. tradens, Regium Christi vestimentum esse sanctos, quia in operibus sanctorum agnoscitur hunc esse verum Deum qui tales seruos possidet.

Possumus aliud Christi regium vestimentum proferre, ex S. Macario hom. 2. vbi duplex vestimentum describit, alterum regni satanici alterum regni Christi. Vocat indumentum regni tenebrarum, [vestimentum blasphemiæ, diffidentiæ, audaciæ, inanis gloriæ, superbiæ, auaritiæ, & concupiscentiæ, & alia similia regni tenebrarum gestamina, pannosa impura & contaminata. [ E contrario autem indumenta regni lucis arcanæ, ait esse [ indumenta fidei, spei, dilectionis, gaudij, pacis, bonitatis, humanitatis, & cætera omnia indumenta lucis, vitæ, diuina, viuentia, requiei inenarrabilis. [ Quia ergo Christum regem regni sui vestimentis amiciri non est dubium, ne peregrinatas vestis quæ Alexandro Magno data est vitio, in Rege Christo quasi minùs suorum amante, notetur; agnoscendum est Christum illis quæ proposui regiis virtutum omnium vestimentis collucere. Sunt enim in eo splendidissima, & supra quascumque priscorum regum aureas argenteas gemmeas vestes, præclara. Eo quippe est progressa humana dementia, vt auratas Chlamydes imo auro textili sine alia materia contextas vsurparit, vt apud Plinium lib. 33. cap. 3. *sub finem* videre est. Auratas item & gemmatas tunicas Heliogabali, memorat Lampridius. Et eiusmodi fuisse regias vestes Assueri quarum est mentio Esther 15. prodit Iosephus in illius capitis paraphrasi, quam historiæ suæ Iudaicæ intexuit. Videturque hoc fuisse pondus pretiosum Imperatoriæ vestis, à Claudiano in 4. Honorij Consulatu descriptum. Hæc omnia regiarum vestium ornamenta præ iis quæ Christi vestibus ex S. Hilario assignauimus, fordent omnino.

### *Regia Christi corona, prima.*

487 Diadema Christi Regis, siue regiam coronam, accipio pro eodem. Fateor primæuum vsum harum vocum, fuisse distinctum, vt Paschalius lib. 9. de coronis cap. 7. Latè confirmat, & Gretserus tom. 3. de cruc. lib. 1. cap. 5. Vnde Blesensis sermone 19. qui est de Annun. [ Aliud est corona, & aliud est diadema. Corona simplex, est circulus aureus quo vtuntur Reges in minoribus solemnitatibus. Diadema est quasi duplex corona; cum ipsi coronæ, quasi alius circulus gemmis super positus super additur. Ex ipsa enim Græci nominis interpretatione, duplicitatem sonat.] Curopalates quoque lib. de offic. cur Constantinopol. *pag. mihi* 100. [ quod nunc apellatur stemma, id olim nominatum fuit diadema. Id autem erat textile aureum, cum lapillis & margaritis positum ad Imperatoris frontem, & pone reuinctum, cerebrum versus. Quamobrem etiam dicitur *diadema*, quod ex eo paulatim mutatum, effectum est quale videtur hodie, & nominatur *stemma*. Quod autem nunc vocatur *diadema*, id olim militaris Zona dicebatur, honorem indicans quo olim tyranni, Christianos milites primum priuabant, dum eos tortoribus dedebant. [ Cur hæc præmiserim, infra patebit. Nunc (vt dixi) pro eodem accipio *diadema*, atque *coronam*, ex vsu iam pridem recepto.

Hanc coronam, Galeæ Aaronis fuisse præfignatam, docet S. Cyrillus lib. 11. de ador. vbi cum præmisisset, Cydarim quæ erat mythra Pontificia, fuisse symbolum regæ Christi coronæ, subdit. [ *Cydarim quoque & Zonam, ex byssofacies,* (inquit.) Militaris verò habitus Aaron, cingulum & galea. Eiusmodi namque speciem, Cidaris refert: Bellum enim pro nobis Christus gessit in manu occulta, sicut scriptum est: & arcum suum intendit & parauit illum, sagittas suas ardentibus effecit, & dejecit principatus, triumphauit potentias, deturbauit dominationes, & eos qui in terra erant, cum captiui tenerentur, liberauit. Fuisse autem hoc eius bellum non spectabile atque corporeum, neque eiusmodi vt cum carne & sanguine gereretur, indicari videtur per ænigma, in eo quod ex byssо tantùm, quæ subtilis est admodum, confectum est bellicum instrumentum, Cidaris inquam & Zona.]

S. Ambrosius in Instit. Virg. c. 16. affirmat, Deiparam Christo imposuisse hanc coronam. Eóque aptat illud Cantic. 3. *videte Regem Salomonem, in diademate quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Idem ad eum Canticorum locum censent permulti, quos in litterali illius explicatione, adducit & sequitur Delrius. Idem habet S. Bernardus serm. 2. de Epiphan. & Petrus de Tarentasia in cap. 2. epist. ad Hebræos. Audi etiam eumdem Bernardum serm. 70. in Cantic. cum Christum lilio confert. [ Vide quàm competenter veritas lilio comparetur. Si non aduertisti, aduerte de medio floris huius quasi virgulas aureas prodeuntes, & cinctas candidissimo flore pulchrè ac decenter dispositio in Coronam: & agnosce auream in Christo diuinitatem, humanæ Coronatam puritate naturæ; id est, Christum in diademate quo coronauit eum mater sua. Nam in quo coronauit eum Pater suus, lucem inhabitat inaccessibilem, nec posses in eo illud interim adhuc videre.] Pulchrè item Blesensis serm. 19. qui diadema, iuxta propositam ex eo notionem, duplicis coronæ eo nomine expertæ, ait fuisse dona naturalia & supernaturalia quibus Christus in sua conceptione in matris vtero est exornatus.

### *Non est Christi humanitas, sed Ecclesia.*

488 Sed vt non differear, piè ista & probabiliter dici, nec absque allusione ad priscum vsum, quo sponsi coronati prodibant, in argumentum domitæ illuc vsque libidinis, & seruatæ corporeæ integritatis, vt habet S. Chryso

Chrysostomus homil. 9. in primum ad Timotheum: tamen præter difficultatem quam ad eum Canticorum locum mouet S. Gregorius; nimirum quod Christus, humanitate susci-pienda, exinanitus potiùs sit dicendus, quàm gloriosè coronatus: præter eam inquam difficultatem, alia superest instituti nostri propria, quod scilicet Christus non acceperit coronam regni spiritualis ante Resurrectionem. Erat quidem ante Rex, iure & destinatione diuina; tamen publicam & solemnem regni possessionem quæ coronatione capessitur, non iniuit ante resurrectionem, & consummatum morte obita redemptionis nostræ pensum. Tunc vt ad Dauide Psalm. 20. prænuntiatum est, posuit Dominus in capite eius, coronam de lapide pretioso. Tunc vitam quam à Patre per resurrectionem sibi restitui petierat, obtinuit: non temporariam sicut priùs, sed æternam, & cum auctario longitudinis dierum in sæculum sæculi. Tunc denique magna fuit Christi gloria, in perfecta illa corporis salute, collata eidem à Patre, magnoque decore ei collato, & gloria super eum imposita, quoniam datus est in benedictionem in sæculum sæculi.

Nec locus ex Cantico. 3. prolatus, cogit ad Christi coronationem in matris vtero admittendam. Sunt enim benè multæ eiusdem loci interpretationes. Sed illa singularis, quam adhibet Nyssenus hom. 7. in Cantica, matrem Christi censens dictam, *dilectionem Dei*, vt est apud Apostolum. Sic enim scribit, glossans illa sponsæ verba de sponso. [ Intuemini decentissimam in capite Regis coronam, quam mater ipsius ei circumposuit, quemadmodum ille loquitur, *posuisti in caput ipsius coronam de lapide pretioso factam*. Neque quisquam eorum, qui aliquo in oraculis diuinis iudicio valent, de vocabuli vi argumentabitur, quæ pro patre, matris hic fiat mentio, cum vtriusque vocis sensus, idem sit. Nam cum in natura diuina, neque masculus, neque fœmineus sexus existat, (quo enim pacto in Deitate, nobis quiddam eiusmodi venire in mentem possit, cum sexus discrimen ne quidem in nobis hominibus perpetuo duraturum sit, quippè qui id temporis, cum omnes vnum in Christo efficiemur, signa discriminis huius, vnà cum toto veteri homine exuturi simus?) idcircò in naturæ illius ineffabili sindicatione, vox quæuis parem vim obtinet: neque maris, neque fœminæ vocabulo, significationem illius purissimæ naturæ polluente. Propterea in Euangelio quidem, Pater filio nuptias facere dicitur; Vates autem ille Deum compellens, *posuisti* (ait) *in caput ipsius coronam de pretioso lapide factam*: Hæc denique corona, sponso à matre imposita dicitur. Quia verò vnæ tantùm nuptiæ sunt, & vna sponsa, & ab vno corona sponso imponitur; omninò nihil discriminis est, siue quis Dei filium, vnigenum Deum vocet, siue filium dilectionis eius, quemadmodum Paulus loquitur; cum eadem potestas vtroque vocabulo indicata, exornet ipsum.] Quod obiter ait de sexu resurgentium, molliendum est, & exponendum de obliteratione sexuum quoad vsum coniugij, cum homines erunt sicut Angeli Dei: non autem de vera sexuum destructione quoad substantiam. Quoad alia non est absurda interpretatio Nysseni, qui mox addit de Christi corona. [ Est autem corona eius Ecclesia, quæ sponsi caput vnis & animatis, lapidibus vndique circundat. Atque hanc coronam dilectio connexuit. Nam siue quis hoc matri, siue dilectioni tribuat, non aberrabit. Etenim *Deus est dilectio*, quemadmodum Ioannes ait. Atque hæc ex corona, voluptatem eum capere ait sponsa, mirificè gaudentem ornatu illo sponsalitio. Reuera enim lætitia afficitur is qui Ecclesiam coniugem sibi fecit, redimitus illorum virtutibus qui in ea sunt eximij.

### *Symbolum Regiæ Christi coronæ propositæ, corona spinea.*

489 Fuit huius coronæ Regiæ egregium symbolum, corona spinea qua Christus per tempus Passionis coronatus est. Quod optimè attigit S. Maximus serm. 2. de S. Cypriano, cum dixit, coronam Christi spineam quantum in Iudæis fuit, coronam iniuriarum fuisse: reuera autem fuisse Christo virtutum coronam, atque adeò omnis gloriæ. Idem Isidori pelusiotæ verbis aperio lib. 1. epist. 95. [ Quandoquidem (inquit) execrationis illius qua terra post mandatum à nobis violatum mulctata est, seges spina erat; Dominus autem vt omnem in seipso morbum curaret, aduenerat: Idcirco spinea corona, vt victor, redimitus est. Quemadmodum scilicet clari ac celebres victores faciunt, qui hoc ipsum telum aut instrumentum, cuius ope victoriam consecuti sunt, in triumphum gestant. *Confidite*, (inquit,) *ego vici mundum*. Nam qui in humana natura fuit, nec tamen in humanis vitiis fuit, veterem generi nostro pulchritudinem reddidit, ac maledicti & execrationis robur, in ipsa natura deleuit.]

Videtur profecisse ex Clemente Alexandrino 2. Pædagog. cap. 8. *sub finem*; vbi disputans contra Ethnicum vsum tunc vigentem, corollas ex floribus imponendi capiti, non sine admistione superstitionis, vt docemur ex Tertulliano, toto lib. de corona militis; subdit Clemens videri Passioni Christi insultare Christianum, qui audiens Dominum esse spinis coronatum, sustineat habere caput floribus redimitum. Eam potrò Christi coronam, (ait Clemens,) nos propheticè significasse, qui fuimus aliquando infrugiferi, & circa Christum positi fuimus per Ecclesiam cuius ipse est caput. Esse etiam eam coronam typum fidei, & accessus ad verbum per sanguinem spinis cruentantibus elicitum, ab iis qui malè & improuidè contrectauerunt. Itaque cum spinis Christum coronauit Iudaicus populus, tantùm non docuit, nos Christo adiungendos, seque extorrem à gratia futurum. [ Verbum sperauit afficere contumelia: & quem tanquam maleficum crucifixit, tanquam regem coronauit. Qua propter in quem hominem non crediderunt, eum benignum Deum, Dominum agnoscent & iustum. Quem exacerbauerunt, vt se Dominum ostenderet, hoc de eo in altum sublato testati sunt, diadema iustitiæ ei supra omne nomen exaltato tribuentes, per spinam semper florentem. Hoc

diadema est inimicum iis qui insidiantur, iis autem qui in Ecclesia simul versantur amicum, eos circumsepsit ac munit. Hæc corona, flos est eorum qui crediderunt in eum qui est glorificatus; cruentat autem & castigat eos qui non crediderunt. Portò autem hoc quoque signum est rei à Domino benè gestæ, cum ipse suo capite & principali parte corporis omnia mala nostra portauerit, propter quæ pungebamur. Cum ipse enim ab offensionibus & peccatis, & eiusmodi spinis, nos propria passione liberasset, Diabolumque infirmasset & aboleuisset, ouans meritò dixit; *vbi uus ó mors stimulus.* Atque nos quidem uuas ex spinis colligimus, & ficus ex rubis: illi autem confauciantur ac laniantur, ad quos manus extendit; nempe ad populum infidelem, & infrugiferum. ] En quomodò spinæ nostræ, Christum coronarunt: & quod initio dicebamus, Christus gloria coronatus est morte pro nobis obita, & tot in se admissis dolorum & probrorum vndique eum circundantium & coronantium aculeis.

490 Non obscurè Clementem expressit Lactantius 4. instit. cap. 16. Omnia enim Christi tormenta, mysterijs facta fuisse demonstrans, sic de corona scribit. [ Corona spinea capiti eius imposita, id declarabat; fore, vt diuinam sibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur, circumstans in orbem populus. Nos autem qui antè cognitionem Dei fuimus spinæ; id est, iniusti, mali, & nocentes eramus, ignorantes quid esset bonum, & à iustitiæ notione, atque operibus alieni, omnia scelere ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis & sentibus sanctum Dei caput cingimus; quia conuocati ab ipso, & circumfusi vndique ad eum, magistro ac Doctori Deo assistimus, Regemque illum mundi, & omnium viuentium Dominum coronamus. ] Vide an non etiam Cyrillus Hierosol. catech. 13. indidem hæc hauserit. [ Factus est ludibrium illis Dominus, & illuditur Dominus: *viderunt me, & mouerunt capita sua*: Figura tamen fit regni. Illudebant quidem; genuflectebant tamen, induentes purpura: & postea crucifigunt. Milites coronam imposuerunt capiti eius. Quid enim refert etiamsi spineam? Omnis Rex à militibus appellatur: Oportebat & Iesum à militibus typicè crucifigi. Sicut ideò Scriptura in canticis dicit; *exite & videte filiæ Hierusalem in corona qua coronauit ipsum mater eius.* Mysterium erat corona; solutio enim erat peccatorum, dissolutio autem maledictionis. Accepit sententiam Adam; *maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos adferet tibi.* Propterea Iesus accepit spinas, vt soluat hanc maledictionem; & ideò sepultus est in terra, vt maledicta terra, pro maledictione recipiat benedictionem. ]

Pertinet ad eundem sensum, de Christo ad primam suam gloriam reuerso per crucem, quod subdit Clemens de Christo in Passione coronato spinis, vt impleretur quod in descensu Dei ad Mosem per rubum contigerat. Quia enim Deus legislator, atque adeò antiqui populi Rex, in rubo spinoso proditus fuerat, [ postquam Verbum legem ferre, & cum hominibus conuersari desiit, mysticè rursus Dominus corona coronatur; hinc illuc vnde descenderat abiens, veteris descensus, principium instaurans, ac de integro veluti in summam redigens, vt quod primum per rubum Verbum visum fuerat, per spinam rursus assumptum ostenderet, omnia esse vnius potentiæ, cum sit vnus, & Patris qui vnus est, filius; principium & finis seculi. ] Assumptum per spinas Verbum dicit, quia Christus ad gloriam Patris quoad nostram, reductus est per passionem; *recapitulans*, (ita enim vertendum fuit quod Interpres vertit *in summam redigens*;) Recapitulans inquam, idest iuxta phrasim Apostolo familiarem, reducens extrema ad initium, & faciens in fine temporum, aliquid perbellè respondens ei quod in antiquis temporibus fecerat; vt scilicet sicut iam olim legem daturus apparuerat in rubo, ita Christ anam legem proximè stabiliturus, & cum legis antiquæ abrogatione promulgaturus, spinis circundatus appareret.

### *Altera Regia Christi corona.*

491 Vnam Christi coronam regiam protulimus, cnm tamen apud Zachariam cap. 6. numerentur plures. *Sumes*, (ait Dominus Prophetæ,) *aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec Sacerdotis magni, & loqueris ad eum, dicens, hæc ait Dominus exercituum dicens, ecce vir, oriens nomen eius.* Postrema hæc verba, aperte in Christum cadunt, vt S. Hieronymus ac Cyrillus, & ferè Christiani Doctores tradunt; annuitque Chaldæus. Itaque de Christo quoque accipienda sunt quæ proximè antecedunt, eique in typo Iesu filij Iosedec iubebantur apparari coronæ duæ. Planè enim diis fabricari iussas esse, habet textus sacer; Nec sunt audiendi qui ob magnitudinem & pulchritudinem, coronam vnam, numero multitudinis enuntiatam voluerunt, vt alias non semel, cum res magna indicanda est, adhibetur numerus pluralis, etiamsi res sit vnica. Vt cum Scriptura, Deum iudicem maximum, vocat plurali voce *Elohim iudices.* Et cum immanem bestiam vocat *behemoth* voce plurali. Alij æquè repudiandi aiunt dictas coronas duas, eo modo quo Æneid. 1. Æneas inter alia regij cultûs argumenta, mittens vnicam coronam, dicitur misisse duplicem gemmis auroque coronam, idest cuius duplex erat contextus; gemmeus vnus, alter aureus, sed vterque ita compactus, vt vnicam efficeret coronam; quamuis ob mixturam illam duplex dicatur. Hi inquam, ad infrequentiorem loquendi modum sine fundamento detorquent, quod de coronis pluribus fabricandis præscribitur. Iussæ ergo sunt fieri in Christi ornamentum, coronæ plures; ex argento vna, ex auro altera, in duplicis regiæ dignitatis symbolum. Est enim Christus & temporaliter, (sed supernaturali titulo,) & spiritualiter Rex. Siue est Rex, & Sacerdos summus, multo potiore gradu quàm eius typus Melchisedech, qui Rex simul & Sacerdos fuit. At Christus, non vtcumque fuit Sacerdos, sed eminentissimè & regiè: ita vt non mere administrantis sacra, vel Pontificatus vicarium obeuntis,

obeuntis, sed verè Regis sæculorum, & supremi institutoris noui cultus religiosi, partes sustinuerit: Ideóque Cidarim, & coronam regiam sacerdotalem sibi deposcit, præter coronam regiæ eius potestati quæ ex obiecto temporalis est, respondentem, quam hìc non consideramus quia de solo Christi regno Spirituali disserimus.

### *Vtraque Regia Christi corona, Supra omnem comparationem.*

492 Nihil ad hanc Christi coronam, cuiusque splendorem quarum cunque coronarum sæculi Gloria, vtcumque hac in parte insaniuerit aliquando impotens luxuria. In triumpho Pompei, quem meritissimo Plinius lib. 37. c. 2. *triumphum luxuriæ* nominat, Præter alia portentosæ opulentiæ in eo transuecta, vt alueum gemmeum latum pedes tres, longum pedes quatuor; lectos tricliniares aureos tres; lunam auream pondo triginta; vasa abacorum ex auro & gemmis nouem; montem aureum cum ceruis & leonibus ac pomis omnis generis, musæum ex margaritis; & alia planè monstrosa expilationis variarum prouinciarum argumenta, coronæ ex margaritis trignita tres vniuersi pretij sunt productæ. Vario lapidum distinctas igne coronas, celebrat Claudian. lib. 2. de laudibus Stilic. Apud Atheneum lib. 5. corona Ptolomæo posita, ex auri magna mole conflata; vna item aurea corona cubitorum sexdecim, alia bicubitalis altitudinis, referuntur. Nullæ huiusmodi coronæ, ad pretium coronæ Christi quantauis capedine interpositæ accedunt, quod bene expendit Paschalius lib. 10. de coron. c. 12. Imo si benè pensentur, constabit quàm rectè olim, coronæ Regum dictæ sint *Martyria*, referente Procopio in lib. 4. Reg. ad c. 11.

Tantùm satagendum est vnicuique nostrum, vt simus corona Christi idonea. Quod optimè monet his verbis Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma. [ Paulus dicit quoniam *minuisti eum paulò minus ab Angelis propter Crucium mortis.* Maiores enim nostros, in spinæ naturam ob peccatum conuersos, sibi ipse ex mortis dispositione coronam fecit; & spinam in honorem & gloriam faciendo commutauit. Quo circa cum semel mundi peccatum sustulerit, & capiti coronam de spinis acceperit, vt ex honore & gloria coronam contexeret, non paruum periculum est, ne aliquo modo, propter improbam vitam tribuli esse & spinæ deprehendamur. Atque ita in media, Domini corona quæ per communionem corporis eius fit, inserti, vocem illam iustam omnino exaudiamus; *Amice quomodò huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Quomodò te cum esses spina, inter eos qui ad coronam meam ex honore & gloria conficiendam apti sunt, contexuisti? Quæ conuentio Christo ad Belial? Quæ pars fideli cum infideli? Quæ societas luci ad tenebras? Ne quando igitur vita nostra contra nos eiusmodi verbis compelletur, omni studio nobis in eam curant est incumbendum, vt spinosa omnia, tum facta, tum dicta, tum cogitata, ex omni nostra vita conuulsa proiiciamus, vt pura innocentique viuendi ratione, honor & gloria efficiamur, atque vniuersi caput nobismet ipsis vti re pretiosa coronemus.]



### *Crux Regis Christi Sceptrum; Eius Typi, virga Ioseph, Aaronis.*

493 Sceptrum Christi Regis, Psal. 44. dicitur *virga æquitatis & directionis*, hebræa phrasi; Ideſt *virga recta*; quia iustissimè semper & rectissimè exeritur. Psal. 2. dicitur *virga ferrea*, quia est inflexibilis & præferrata vt solent esse pastoribus, quibus pedum præferratum vsui est, cum ad ouium aduersus feras tutelam, tum ad pedi diuturnitatem, & facilem infixionem, cum eo est vtendum. Non enim virga ferrea Messiæ Regis, intelligenda est quæ premat & grauet subditos, vt infra monstrabimus tractantes pacem & felicitatem regni Christi: Sed à metalli illius firmitate, dictum est Sceptrum ferreum, quod firmum est inflexibiliter rectum, ac sanctum. Nisi *virgam ferream* dictam velimus, per comparationem ad hostes, respectu quorum est *virga virtutis*, vt Psal. 109. habetur, Virga namque Christi, virgam humero populi Dei incumbentem, & iugum oneris eius, & sceptrum exactoris eius, superauit, sicut in die Madiam, vt prænunciauit Isaias cap. 9.

Hoc Regis nostri Sceptrum esse Ecclesiam, ait Petrus Damiani lib. 1. Epist 20. Propriè tamen non aliud esse videtur, quàm principatus super humerum eius, ab eodem Isaya celebratus: ideſt iudice Chrysostomo in Psal. 109.) Crux, cuius cornua in manibus Christi. Et esse cornua signum regiæ potentiæ, & symbolum Sceptro genuinum demonstrat Paschalius lib. 10. de coronis c. 4. & 5. fauétque modus loquendi scripturarum, toties cornu regium memorantium. Et quia cornu Ecclesiæ, Micheæ 4. vocatur *cornu ferreum*, facile est quod de virga ferrea Regis Christi dicitur Psal. 2. ad Sceptrum eius referre; quod ferreum dicitur, non ad imperij rigiditatem signandam, sed ad inflexibilitatem à recto, vel ad firmitatem perpetuam: aut allusione facta ad sceptra regum antiquorum quæ erant virgæ præferratæ siue hastæ, vt propterea apud Iustinum lib. 43. iuxta simulacra Deorum, hastæ tanquam eorum sceptra positæ referantur. Sed de ferrea Christi virga, adhuc inferiùs cap. 5.

Præsignabat hanc Christi virgam seu sceptrum, virga illa quam à Iosepho tanquam Ægipti Domino, & vniuersali Protege gestatam docemur ab Apostolo Hebræorum 11. qui fidem Iacobi extollens, ait, bonum senem ductu fidei aduenientem ad ipsum ægrum Iosepho filio, adorasse fastigium virgæ eius. Vbi Apostolus expressit quod septuaginta c. 47. genes dixerunt τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ Vulgata habet, *adoranit Israel Deum, conuersus ad lectuli caput* Aberit dissonantia à gemina interpretatione, Iudicio Ecclesia probata, & grauium multorum Scriptorum tam Latinorum, quam Græcorum suffragiis comprobata, si virgam illam quam conuersus Iacob adorauit accipiamus de sceptro Christi Dei nostri; quem in carne venturum & regnaturum in orbe vniuerso Iacob fide prænouit. Quæ non est mea interpretatio; vel diuinatio, Nam quæ alia fides in ea virgæ Iosephi

ratione, celebrari ab Apostolo potuit. Indeque sufficienter videtur refelli Athanasius qui auctor est quæstionum ad Anthiochum in 38. cum ait, Iacobum non adorasse virgam, sed Iosephum qui eam manu tenebat. At quæ patri causa adorandi ex fide filium, & plusquàm ciuili veneratione, magistratui debita etiam à patre? Itaque rectè Macharius Chrysocephalus orat. de exaltatione sanctæ Crucis, post multa de vero Israële pasto per Christum in vniuersali orbis fame, ita concludit. [Verùm senior ille Israël futura prospiciendi facultate præditus, totius noui huius & diuini Israëlis exemplar fuit. Qua de causa inclinatus quoque adorauit fastigium virgæ eius, prænuncians eam, quæ in toto mundi ambitu instruitur venerandæ crucis adorationem. Hanc enim prædelineabat virga: vnde Prophetica illa vox ad Deum. *Liberasti virga hereditatem tuam*; Et *virga directionis, virga regni tui.*] Latè in hanc rem Leo Castrius in cap. 11. Esaiæ.

494 Non minùs luculentus eiusdem virgæ seu sceptri Christi Domini typus, videri debet virga Aaronis. Nam quandoquidem regnum Christi de quo agimus, & regnum spirituale in Ecclesia, non immeritò sceptrum sacerdotale Aaronis, adiungimus typis sceptri regij summi Regis Spiritualis, ac Pontificis supremi Christi Domini, Id autem visus est innuere Prudentius & Psycomachia *ad finem*, cum sceptrum sapientiæ Dei quæ Christus est, sic describit.

*In manibus Domina sceptrum non arte politum,*
*Sed lignum viuum est, viridi quod stirpe recisum*
*Quamuis nullus alat terreni cespitis humor,*
*Fronde tamen viret incolumi, tum sanguine tinctis*
*Intertexta rosis candentia lilia miscet,*
*Nescia marcenti florem submittere collo.*
*Huius forma fuit sceptri gestamen Aaron,*
*Floriferum, sicco quod germina cortice trudens,*
*Explicuit tenerum spe pubescente decorem,*
*Inque nouos subito viruit virga arida fœtus.*

Ea igitur virga Aaronis, cum substantiæ & compositionis Christi Domini adumbratio fuit, de qua alibi iam actum; tum præsertim sceptri ac regni Christi in vniuersam Ecclesiam per crucem. Quod aperio illustrissimis in hanc rem verbis Prosperi lib. de promiss. parte 2. cap. 10. [Quod floreſcens virga Aaron produxit nuces, nostrum hæc Christum Dominum indicant Sacerdotem; de quo dicit Esaias; *Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* In nuce verò mundum, Ecclesiamque in mundo ostendi, qui piè quærit, intelligit. Ex duabus quippè partibus coniunctis tanquam intra cameram cœli, & spatia terræ velut quatuor partes orbis, intrinsecus cum populis continentur. Tenue quoddam corium habens in medio sui, vt matia diffusa per partes. Ecclesiæ quoque per mysteria hæc in ea sunt, duorum veteris & noui testamentorum operta secretis, quatuor cornua crucis, quibus verbis redimitur, & aquam baptismi in medio sui habens, qua virens semper fructificans floreſcit, huius porri arbor celsa petens, opacis ramis aspersa, per tenues molleſque surculos aut singulas in vnitate, aut binas in duobus præceptis, aut ternas in Trinitatis numero, quaternue connexas in quatuor Euangeliis, gemmarum in modum producens, sui artificis pulchritudinem operaque mira declarat.]

### *Virgam Mosis qui aliò flexerint, & quomodò.*

495 Quod si Aaronis Sacerdotale sceptrum, expressit sceptrum Christi, seu crucem; non minùs perspicuè virga Mosis, unus potestas veluti regia erat, idem regium Christi sceptrum exhibuit. Graues quidem Patres, ea virga aliud sceptrum designari existimarunt, vt Augustinus fragmento 2. populum Dei tunc obiectum mox resumptum. Alij commodiùs, ea virga ipsam Christi humanitatem significatam voluerunt. quæ tanquam sceptrum fuerit, quod diuina Verbi persona tenuerit. Ita pulchrè Gregorius Nyssenus lib. de vita Mosis, agens de virgæ Mosis mutatione. Et S. Ambrosius serm. 3. in Psalm. 118. *ad versum secundum.* Plenius S. Cyrillus lib. de Incarnat. Vnigeniti cap. 14. Relata enim ex cap. 4. Exodi historia virga Mosis quæ in terram proiecta, versa est in colubrum; & mox per extremam caudam aprehensa, resumpta formam virgæ, sic scribit. [Animaduertit in his, naturâ in & veritate filium Dei, tanquam si quædam virga sit Patris. Virga autem insigne est regni. In filio enim habet omnium potestatem. Denique etiam diuinum Dauid, *Thronus tuus,* (inquit,) *Deus in seculum seculi. Et virga æquitatis, virga regni tui.* Sed eam proiecit in terram, id est corpore terreno circumdedit, siue per humanitatem missit in terram. Tunc enim in similitudinem factus est serpentis, malignorum hominum scilicet. Malignitatis autem signum est serpens. Quod autem verum sit, hinc scribitur. Ipse enim Dominus noster Iesus Christus, in imaginem & figuram dispensationis actæ cum carne, pro serpente accipitur æreo quem erexit Moyses. *Et sicut,* (inquit) *Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnes qui credunt in ipsum non pereant, sed habeant vitam æternam.* Quemadmodum enim serpens factus ex ære, salutis erat periclitantibus causa (sanabantur enim in eum respicientes;) eodem modo etiam Dominus noster Iesus Christus, eis qui eum vident quem in similitudine malignorum, eo quod factus sit homo, non ignorant tamen quod Deus sit viuificus; causa est vitæ, & dat posse animalia venenosa vitare, id est contrarias potestates. Id quoque huius rei figura fit, quod Moysis virga alias deuoraret, quas in terram Magi proiecerant. Igitur virga quidem, in terram proiecta est, non tamen serpens remansit; resumpta autem fuit quod erat; nam licet facta sit, (vt ante dixi.) in similitudine nostra Patris virga, id est Filius, per quem habet omnium potestatem: hac tamen impleta dispensatione, reuolauit in cœlum, & fuit iterum tanquam in manu Patris, virga æquitatis ac regni

regni: Sed & enim ad dextram genitoris sui propria maiestate, sedes altissimas obtinens, & cum carne.

496 Similiter Eucherius hom. 3. de Paschate, post multa de tyrannide Satanæ præmissa, subdit. [ Hunc Christus non in sua dignitate, sed in nostra carne superauit: id est vt etiam à nobis eum superari posse monstraret. Hunc inquam per sanctos suos Christus interfecit. Et fortè hic est ille in lege serpens, quem Beati Moysi virga in serpentem versa consumpsit. Quo genere iam tunc euidenter ostendit per virgam, id est Christus Domini regiam potestatem, conterendum esse mortis auctorem. Moyse itaque contra maleficos decertante, modò conuertebatur virga in serpentem, modò serpens in virgam reuertebatur. Quid hoc est? In serpente, personam maledicti hominis, qui crucifigendus maledicebatur agnosce: in virga, sceptrum regiæ dignitatis intellige. Quid est virga in serpentem? Id est, Deus in hominem commutatus. Quid est serpens in virgam? Id est, homo in Deum receptus. Ac si in homine est exinanita diuinitas, vt in Deo glorificaretur humanitas.

Tandem Theophanes Ceramæus, oratione de exaltat. S. Crucis proposita eadem virgæ Mosis in serpentem transformatæ narratione, subdit. [ Intuere igitur hoc loco, eum qui ex Deo secundùm naturam verè filius est, velut quandam Patris virgam esse: Regni verò & potestatis signum virga. Hinc & Dauid; *virga directionis virga regni tui.* At quando illam per naturæ humanæ assumptionem abiecit, & terreno corpore circumdedit, tunc similitudinem iniquitatum nostrarum gessit; iniquitatis enim & malitiæ signum serpens: Et quemadmodùm virga Moysis in colubrum versa, magicas Ægyptiorum Magorum virgas deuorauit; deinde in manus recepta, facta est id quod antea fuerat: Ità etiam Dei & Patris virga, hoc est Filius, per quem omnia regit & gubernat; licet similitudinem nostram gesserit, vt serpentes illos, qui sub intelligentiam cadunt, exterminaret, nè amplius Dij gentium sint Dæmonia; attamen peractis omnibus quæ peragenda erant, in cœlum reuertit, factusque est iterum tanquam in manu Patris virga directionis & regni, in dextra Genitoris etiam carne indutus sedens. ]

497 Hæc est verè virga vigilans, Ieremiæ monstrata, vnà cum lebete, seu olla succensa. Quo duplici symbolo, omnium sors mortalium exhibita est, iuxta S. Augustinum serm. 90. de Temp. peccatorum enim portio est cum Satana, cui lebetis succensi figura optimè respondet. At pars iustorum in Sacramento nucis, idest nuceæ virgæ, arcentis somnum si capiti supponatur, vt auctores sunt S. Cyrillus atque Procopius in cap. 11. Esaiæ. Nihil autem æquè adducit insomniam, & torporem excutit, quàm attenta consideratio speculatoris astantis desuper, & nos diebus omnibus à luce prima in vesperum prospicientis, deque omnibus nostris dictis & factis iudicaturi pro potestate, in tempore opportuno. Potest tamen etiam virga vigilans, Prophetæ inter Ægyptios versato, proposita esse ad exhibendum Christum Deum, ex vsu Ægyptiorum; quem S. Cyrillus lib. 9. in Iulianum tulisse ait, vt Deum describerent specie sceptri, seu virgæ oculatæ, atque adeo vigilantis; eo consilio vt proderent Dei obtutum per omnia peruadentem, regiamque diuinitatem ac potestatem in omnia, (cuius potestatis virga est symbolum familiare;) itemque constantem & nullo pacto labefactibilem diuinæ naturæ in bonis suis perseuerantiam.

Quod varias Scripturas, & typos diuinæ huius virgæ, sub vno conspectu proponit idem S. Cyrillus, ad illud Esaiæ 11. *egredietur virga de radice Iesse*; iuuat eum in hac meth. audire. Sic habet. [ Virgam nominauit Christum, ex radice Iessæ iuxta carnem, & præterea etiam florem, & per virgam, eum regiam dignitatem habere, obliquè subindicari videtur. Nam tessera, & signum regni, virga. Hinc diuinus Dauid ipsi filio dicit; *Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga rectitudinis virga regni tui.* Quin est aliter virga dici potest, quoniam habet omnia, & vt benè illis sit continet ac conseruat, & quod infirmum est, facit consistere: vel etiam quod humana natura sit præditus, quæ tantum non conquassata est, & ærumnis & afflictionibus obruta, & quodammodò inebriata. Cantat igitur Beatus Dauid, communi omnium persona sibi imposita: *virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Confirmat enim iustos Deus, quemadmodùm Scriptum est: & vocatus est voce Prophetarum, *baculus gloriosus, virga magnificentiæ.* Virga etiam aliter, quia bonus pastor est, animam suam ponens pro ouibus. Dictum est igitur ei à quopiam Sanctorum Prophetarum; *Pasce populum tuum in virga, tribum tuam, oues hereditatis tuæ.* Sin autem cui videtur, quia Iudex est, & reddit singulis pro ratione operum suorum, idcircò eum & meritissimò nominari virgam, ritè intelliget. Nam dictum est ei Israële in illum debacchante, & impotenter ad inobedientiam prolapso; *Pasces eos in virga ferrea, & vt vasa figuli comminues eos.* Sic nobis illum Sapientissimi Moysis lex designat. Assumitur enim in typum Christi, etiam virga Aaronis quæ floruit, & in sancta Sanctorum introducta est. Efflorescerunt enim iuglandes. Quid autem causæ sit, & quæ vmbrarum sententia, dicendum est. Quidam enim physiologias, rationesque naturales attingunt, & affirmant virgam ex iuglandibus si capiti alicuius adponatur, vigilantiam naturaliter efficere. Itaque cum Christus, sicuti dicit Beatus Paulus, gratia & beneficio Dei pro omnibus mortem gustaturus esset, & paulisper veluti nictans, tanquam ex somno excitatus esset, iterum & morte conculcata diuinitùs reuixisset, hinc virgæ inglandium comparatur. Hac diuina & intelligibili virga, Moyses operatus est miracula, dum Israëlem seruitute Ægyptiaca eximit, ideoque eam virgam Dei nominauit. Erat quippe ei virga virtutis.

### *Germanior Virgæ Mosis accommodatio, ad crucem, Regis Christi sceptrum.*

498 Hæc à prædictis Patribus, de symbolo Mosaicæ virgæ, luculenter ac splendidè dici non inficior. Sed malo aliorum sententiæ

huic loco insistere, qui virgam pro sceptro vsurpantes, Mosis virgam imaginem fuisse sceptri Christi Regis Ecclesiæ asseruerunt; quos inter Seuerianus Episcopus Gabalorum S. Chrysostomi æqualis, ac æmulus, adductus è Damasceno orat. 3. de Imaginibus *sub finem*, obseruauit virga Mosis & Crucis similitudinem in petræ percussione iterata. Sic enim scribit [Percussit petram Moyses, semel ac bis. Quamobrem semel & bis? si certa fide obsequutus fuisset potentiæ Dei, quid opus fuerat secunda plaga? Quod si absque Dei virtute ferit lapidem, non secunda percussio quicquam potuisset, non decima, ac ne centesima quidem posset fœcunditatem inducere naturæ sterili. Sanè quidem si opus hoc Dei simplex fuisset, nec mysterium subindicasset sanctæ crucis, abundè fuisset semel tangere; sufficisset solus annutus, sat fuisset vel verbum. Cæterum hoc pacto res gesta est, vt præsignaret imaginem Crucis. *Percussit Moses semel & bis*, ait: non habitum ipsum, sed describens ipsam crucis formam: vt & reuerentiam exhiberet symbolo Crucis, ipsa quoque inanimis natura.]

Signatissimè quoque Macarius Crisocephalus orat. de Exalt. Crucis tomo 2. Greteceri præmissis multis de petra mystica à Mose percussa, quam docet fuisse Christum, subdit de virga: [At virga, Crux adumbratur; quam conscendens, in latere vulneratus est, poculúmque salutis miscuit credentibus; Quod prædicens Isaias clamabat: *Scindetur petra, & fluet aqua, & bibet populus meus, dicit Dominus.* Petra igitur Christus, ob causas dictas, & est & appellatur. Virga verò Crux, qua & initio vocati sumus, & perpetuò pascimur, & est & nominatur. Nam per Crucem omnibus beneficia sua impertiuit Saluator. Cuius mysterij gratiam vetus historia typicè explanans; ait; *Percussit Moyses petram semel & iterum*; ne sola materia, sed & forma, Crucem describeret. Si enim virtute Dei, Copia illa aquæ tam grandi miraculo producebatur; quid opus erat altero ictu? At cum virtus Crucis efformanda esset; ea de causa semel & iterum percussit; non quidem eadem figura ictu illato; Sed in speciem Crucis, primo ictu directè librato; secundo, oblique & transuersim. Quod signum petra conspicata, regiamque imaginem sibi impendere contuita; ea quæ supra suam naturam erant, præstitit; & quæ habebat, præbuit. Quocirca Dauid quoque creaturam quasi examinans; *quid est tibi*, (inquit,) *mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Quid accidit vobis? qui vidistis? Qualem vim conspexistis? Qua de causa *montes exultant sicut arietes, & colles sicut agni ouium?* Respondet Creatura his verbis, *à facie Domini, ab apparitione Dei Iacob, qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Faciem Domini, virgam nominat; quia & sceptri & regni eius qui crucifixus est, imaginem ferebat. Non enim solùm ineffabilis œconomiæ, sed & inenarrabilis virtutis opus Crux est, quæ contraria per contraria restituit; & per passionem impatibilitatem concessit; pérque mortem, immortalitatem donauit. Idcirco *virga virtutis* dicitur, quia de Dæmonum cohorte triumphum egit. Vocatur etiam *virga directionis*, quia orbem terrarum ad interitus præcipitium ruentem, reparauit.

499. Consonat S. Augustinus sermone 93. de temp. verbis illis. [Dixit ad Mosem Dominus, *tolle virgam, & percute petram, vt educat populo aquam.* Ecce est petra, & habet aquam. Sed hæc petra nisi percussa fuerit, aquas omninò non habet: percussa verò, fontes producit & flumina, sicut in euangelio legimus, *qui credit in me flumina, de ventre eius fluent aquæ viuæ*, Percussus enim Christus in Cruce, nouí testamenti fontes eduxit. Necesse enim erat, vt ille percuteretur. Nisi enim ille percussus fuisset, & de sacro eius latere sanguis & aqua manasset, vniuersus mundus sitim verbi Dei patiens interisset. Percussit ergo Moyses, virga bis silicem. Quid est hoc fratres. Nec hoc puto esse sine mysterio. Quid est hoc quod non semel, sed bis, virgâ percussa est petra? Ideò secunda vice petra percutitur, quia duo ligna in crucis patibulo eriguntur; quia in vno ligno sacras manus expandit, in alio verò, à capite vsque ad pedes, immaculatum corpus extendit.] Eadem habet q. 35. in Numeros. Et addit sermone 101. de temp. quod hoc Mosis sceptrum esset Crucis Christi præsignificatiuum, per quam omnia in regno spirituali Ecclesiæ gerenda erant; nihil à Mose absque virga perfectum: locus est Pulcherrimus. [Nullum Moyses signum, sine ligni Sacramento peregit. Vt enim signa & prodigia in Ægypto faceret, virgam accepit à Domino, & ad signa quæquè diuinitùs audiebat & dicebatur ei; *Eleua virgam tuam.* Non vtique Deus virgæ auxilio indigebat, sed erigebatur, vt scire possimus quantum esset illud futuri ligni mysterium, cuius fuerat vmbra figuratum, virgæ illius Sacramentum. Fortè si rubrum mare diuidendum est, iubetur Moyses eleuare virgam, & mare cognoscens venturi ligni figuram, mox iter populo pandit insuetum. Si ad aquam amaram venitur, nisi lignum in se susceperit, non dulcescit. Quæ res erat indicio, amaritudinem gentium per lignum Crucis in vsum dulcedinis quandoque esse vertendam. Si autem non habet aquam populus vnde bibat, petra ligno percutitur, & dat per gratiam quod non habuerat per naturam. Si Amalech sæuus hostis occurrit, Iesus, filius Nane, virgam tenere manu videtur & Moyses brachia sua in modum Crucis extendere, ac sic per figuram Crucis, vincitur insuperabilis inimicus.]

Habet ferè hæc & alia permulta in hanc rem Theophanes Ceramæus Orat. de Exalte S. Crucis. Sed illud singulare, quod percussionem quoque maris ad populi traiectum, factam esse ait in crucis modum æquè ac de petræ percussione diximus. [Quid verò (inquit), transitus per mare rubrum, & gemina illa per virgam percussio aquæ, recta quidem in diuisione vndarum, obliqua autem & transuersa in reductione & restitutione aquæ, an non perspicuè manifestabat Crucem & baptisma, per quæ Israëliticus populus conseruatur, & Ægyptius peccatorum exercitus suffocatur.]

Est itaque Crux, sceptrum Christi Regis, aptissimè in virga & Aaronis & Mosis adumbratum. Quis cum hoc sceptro, au-

rea

rea, gemmea, aut ex alia quacumque terrestri materia fabrefacta sceptra componat? Recenset varia apud varios sceptra pretiosa, Alex. Neapol. l. 1. genial. c. 28. *sub finem*, vbi Tiraquellus, ex multis antiquis omnia illustrat. Passim tamen non nisi lignea sceptra legimus, quæ postea artificis manus ære decoro inclusit vt habetur 12. Æneid. Itaque primùm quidem hasta pura, id est nullo munita ferro, cui nomen *Curis*, aut *quiris*; vnde *Quirinus*, & *Quirites*, sceptrum fuit. Ex oleâstro eam virgam fuisse contendit Paschalius lib. 6. de coronis c. 19. Indorum Regum sceptra ex Ebeno, quorundam vt Tarquinij, Eburnea fuisse constat: Sed nihil hæc omnia ad pretiositatem sceptri Christi.

### *Thronus Regius Christi Domini, Ecclesia.*

500 Pars quoque regij cultus in quo hactenus versamur, est thonus ac sedes regia. Eam Christo regi splendidissimam assignat Dauid Psal. 88. Cum illis eam componens, quæ sunt omnium illustrissima. *Thronus eius* (inquit) *sicut Sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Vides splendorem throni Christi, illis adumbratum imaginibus, quæ sunt apud nos micantissimæ. Nam quid lucidius sole, vt habet Ecclesiasticus c. 17. addirque cpa. 43. *altitudinis firmamentum pulchritudo eius, species Cœli in visione gloriæ, sol in aspectu, annuncians in exitu, vas admirabile opus excelsi: magnus Dominus qui fecit illum*, Constat omnem hìc pulchritudinem, cum solis venustate collatam, planè euanescere. Legesis Iulianum tota oratione 4. Et de solis regno ob speciem & pulchritudinem suam, latè differentem Paschalium lib. 6. de coronis c. 14. 15 & 16. Luna similiter pulcherrima est, *crescens mirabiliter in consummatione, vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose*, ait Siracides c. illo 43. & pulcherrima præsertim est luna perfecta, qualis scilicet est, cum tota excipit solis radios, & vndecumque collucet; aut qualis erit in æternum cum lux solis erit septempliciter. Lux autem lunæ, qualis nunc est solis. Tandem pulcherrima & speciosissima est Iris, seu arcus; quem à diuina deputatione ad significationem numquam perdendi generali aquarum eluuione orbis, testem fidelem appellat Dauid. *Vide arcum*, (ait suprà Iesus Sirach) *& benedic eum qui fecit illum; valdè speciosus est in splendore suo: Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ; manus excelsi apparuerunt illum.* His creatæ pulchritudinis speciminibus, thronum Christi, per Psaltem, compositum voluit Spiritus S. vt de summa speciositate throni tanti Regis, constaret nobis quomodo poterat, per signa exquisitissimæ pulchritudinis nobis familiaria. Omnes quippe creatæ pulchritudines, ad Solis, Lunæ perfectæ, & Iridis pulchritudinem indignæ meritò videantur pulchritudinis nomine. Si igitur Christi thronus, eas pulchritudines refert, nec vnam quampiam earum, sed omnes simul, & quidem cum excessu tanto quantum cogitare hìc non possimus; immensam esse eius pulchritudinem fatendum est.

Quis sit hic thronus Christi Regis, tamètsi vatij varia proferre videntur, reipsa tamen non dissentiunt. Siue enim thronum Christi esse dicas, sanctam Ecclesiam; quod tradunt multi; siue animam quamcumque ex Ecclesiæ corpore, sanctam & piam, iuxta illud, *anima iusti sedes est sapientiæ*, siue Deiparam, quæ speciali iure thronus Dei à plerisque Patribus nominatur, & in scripturis quoque insinuatur: quodcumque inquam horum, pro Christi throno statuas, eodem propè recidit; Nam Ecclesia aliud nihil est, quàm fidelium multitudo, cuius pia quælibet anima est membrum viuum, & inter animas pias eminet singularissimo modo Deipara. Quare meritò omnibus prædictis accommodatur prærogatiua throni Christi. Singula sunt breuiter percurrenda.

501 Ecclesiam esse thronum Christi, & sedem eius regiam, de qua Dauid Psal. illo 88. tam splendidè & magnificè pronunciauit, confirmat ibi Genebrardus ex Athanasio, ad calcem sermonis de Deipara, & ex Epiphanio hæresi 29. quibus alios addere possumus. S. Augustinus 13. contra Faustum c. item 13. sedem gloriæ exaltatam, siue solium altitudinis gloriæ, cuius meminit Hieremias c. 17. interpretatur Ecclesiam. Id quod etiam habet Clemens Romanus 6. const. c. 5. Præclarè Rupertus in c. 4. Apocal. illud, *& ecce sedes posita erat in cælo*, interpretatur de Ecclesia, eique accommodat locum ex Psal. 92 [Aperto ostio (inquit) sedes posita conspicitur in cœlo, qua passo Christo, regnum Dei positum, siue dispositum est, vt sedeat Deus in illo, principe huius mundi foras misso. Hæc namque sedes, est Ecclesia, sedes ex tunc parata, in qua Deus sedet & regnat. Vnde Psalmista cum dixisset, *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*; Continuo subiunxit: *Parata sedes tua ex tunc à seculo tu es.* Vbi enim indutus Dominus decorem & fortitudinem, regnauit; id est Virgineam assumens carnem, & mortem resurgendo vincens, vt regnaret super nos, ipse iustitia & vita nostra, regnum destruxit peccati & mortis, ex tunc sedes eius parata, ex tunc sedes; id est Ecclesia, in cœlo posita est. Quomodò posita in cœlo? Translata videlicet de inferno Patriarcharum & Prophetarum Ecclesia, electorúmque omnium quicunque fuerunt à iusto Abel vsque ad vltimum qui tunc migrauit à seculo, collocata erat in cœlo, fruebatur paradiso] Idem ibi tradunt, & Ecclesiam thronum Christi esse agnoscunt, Beda, Ioachimus Abbas, & alij: sed accuratè Alcazarius ad c. illud 4. versu. 2. Notatione 2. Cum throno Salomonis perpulchrè Ecclesiam confert. Philippus Abbas tom. 2. moralit. in Cantica.

### *Iusti singuli, throni Christi, præsertim Apostoli, & maximè Deipara.*

502 Iam verò animam cuiusuis iusti, thronum Christi esse, tradit ad locum citatum Psalmi 88. S. Augustinus verbis illis. [Sedes eius in quibus dominatur, in quibus sedet, in quibus regnat. Si sedes eius & membra eius, quia etiam membra nostra, sedes sunt capitis nostri. Videte quemadmodùm cætera omnia membra nostra caput portant: caput autem ipsum super se non portat aliquid, sed

sed ipsum portatur à cæteris membris nostris, quasi totum corpus hominis sedes sit capitis. Sedes ergo eius, omnes in quibus regnat Deus. ] Et pulchrè in Psalm. 121. tractans illud *sederunt sedes in iudicio*, quæ verba sic glossat. [ Mirum ænigma, mira quæstio, si non intelligatur. Sedes dicit, quos Græci thronos appellant. Thronos Græci sellas dicunt, tanquam honorabiles. Ergo fratres mei, non est mirum, si sedeant homines in sedibus, in sellis; vt autem ipsæ sedes sedeant, quomodò possumus intelligere? Tanquam si dicat aliquis, *sedeant hîc Cathedræ*, aut *sedeant hîc sellæ*. In sella sedetur, in sedibus sedetur, in Cathedris sedetur, non ipsæ sedes sedent. Quid est ergo hoc, *quoniam ibi sederunt sedes in iudicium*? Certè soletis audire Deo dicente, *cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedem meorum*. Latinè autem totum sic dicitur. *Cœlum mihi sedes est*. Qui sunt isti nisi iusti? Qui sunt cœli, nisi iusti? Qui cœlum, ipsi cœli, quia quæ Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ; hæ sunt multæ, vt vna sit. Sic ergo, & iusti. Ita sunt iusti cœlum, vt cœli sint. In ipsis autem sedet Deus, & de ipsis iudicat Deus. Et non sine causa dictum est, *cœli enarrant gloriam Dei*. Apostoli enim facti sunt cœlum. Vndè facti sunt cœlum? Quia iustificati. Quomodò peccator factus est terra, cui dictum est, *terra es & in terram ibis*; sic iustificati, facti sunt cœlum. Portauerunt Deum, & de ipsis Deus coruscabat miracula, tonabat terrores, pluebat consolationes. Erant ergo illi cœlum, & enarrabant gloriam Dei. Nam vt noueritis ipsos dictos cœlum, ibi ait in ipso Psalmo; *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Quæris quorum, & inuenies cœlorum. Si ergo cœlum sedes Dei, ipsi sunt thronus Dei: dictum est alio loco. *Anima iusti thronus sapientiæ*. Magna res, dicta est, thronus sapientiæ anima iusti; id est in anima iusti sedet sapientia, tanquam in sella sua, tanquam in throno suo, & inde iudicat quidquid iudicat. ] Liquet, sapientiam Dei, & Deum iudicantem, cuius thronum iustos statuit Augustinus, non alium esse quàm Christum, cui Pater omne iudicium dedit; seque de Christi sedibus accipere quæ dixerat, ipsemet Augustinus tradit paulò post. Insigniter idipsum prosecutus est Macarius hom. 6. *sub finem*, & S. Bernardus sermone 27. in Cant. Et ex plerisque aliis, plenè Spinellus in opere de Throno Dei cap. 1. num. 6.

Quod si & iusti quique, & specialiter Apostoli, vt ex Augustino audistis, meritò dicuntur throni Christi, non est dubium quin specialissimo iure Regina iustorum Deipara, thronus Christi nuncupetur. Tradit hoc disertè Petrus Blesensis serm. 1. de Assumpt. Optimè omnino Guerricus ser. 1. de Assump. *in fine*, & Petrus Damiani serm. 1. de Natiuit. Deip. & Giselbertus cap. 16. Altercat. componentes Beatam Virginem Respectu Christi noui Salomonis, cum eximio illo throno quem Salomon fabricauit ex ebore, & auro conuestiuit, tamque multipliciter exornauit, vt subdat Scriptor sacer, *non esse factum tale opus in vniuersis regnis*. Minutatim partes & ornamenta singula throni illius regni, adeò suspiciendi, ad dotes & ornamenta Deiparæ accommodat Damiani. Alias Scripturas in quibus Deipara thronus Christi sit dicta, profert Hugo Cardinalis in illud Psal. 88. *Sedes eius sicut Sol*. Vt illud ex cap. 44. Ezechielis, *Princeps ipse sedebit in ea*. Similiter S. Bonauentura in speculo Virginis cap. 8. Virgini Matri aptat illud Isaiæ 16. *Præparabitur in misericordia solium*, (agno dominatori terræ,) *& sedebit super illud*. Latè quoque Philippus Grauæus in Psalm. 88. serm. 19. exponit de Deipara versum illum *sedes eius sicut Sol*, & eum accommodat quæ de throno Salomonis habet Scriptura. Tandem ipsi quoque Rabbini apud Galatinum lib. 7. cap. 18. de Virgine Messiæ parente, dictum volunt. Hieron. 17. *Solium altitudinis gloriæ à principio, locus sanctificationis nostræ*. Et illud ex cap. 1. Ezechielis, *super firmamentum quod erat imminens capiti eorum, aspectus lapidis saphiri, similitudo throni, & super similitudinem throni, quasi aspectus hominis sedentis*. In hac denominatione vendicanda Deiparæ immensus est Spinellus lib. de Throno Dei cap. 2.

### *Splendidissimi quilibet Throni, nihil ad Thronos Christi propositos.*

503 Quemcumque ex his Christi thronis spectare placeat, tidenda profectò videbitur, aurearum quarumcumque, aut argenteearum, vel eburneearum sedium magnificentissimarum, pretiositas aut elegantia de aureo Persarum Regum throno, videndus Brissonius lib. 1. de regno Persarum. Alexandri item alium auseum mirabili arte & forma confectum, è quo Reges Persarum Legatos sæpè audiebant, sub aureis platanis, & aurea vitæ, admissis per vias smaragdis, carbunculis, aliisque gemmis stratas, exhibet ex Philarcho, Athenæus lib. 1. Quæ de Sinensis Regis solio eburneo scribit Pigaffeta lib. 3. Itinerarij cap. 2, vereor vt fidem ægre obtineant. Septuaginta quinque regij palatij cubicula, regio cultu exornata memorat, sed insigniora quatuor quorum primum planè æreum, alterum argenteum, tertium aureum: in quarto quod ex vnionibus & pretiosissimis quibusque lapidibus compactum describit, solium eburneum esse ait, gemmis adeò collucens, vt nocturnas quoque tenebras euincat. Thronum Salomonis, quem Scriptura ipsa præ aliis aliorum Principum ac Regum solijs videtur extollere, describunt per partes & magnificentissimum fuisse demonstrant Interpretes 3. Regum 10. & qui res Salomonis sunt persecuti, nominatim P. Meda lib. 6. cap. 7. & 8. Omnem tamen illam pompam, & materiæ ac formæ pretiositatem, edax tempus obtriuit. Sede Christi in sæculum sæculi, vt est in Psalm. 44 approbante Apostolo Hebræorum 1.

### *Cibi Mensæ Regis Christi, Eucharistia.*

504 Secundùm externum cultum Regis Christi, (de quo hactenus, (proponebam attingendos cibos mensæ eius. Nam & in hoc nominatim puncto, priscum Salomonem huius nostri typum, demiratam esse Reginam Saba, prodit Scriptura. Cibi mensæ Regis nostri,

stri, eiusmodi sunt, vt regnum Dei quod non est esca & potus, maximè doceant, ac summoperè ad eius splendorem & magnificentiam faciant, quia enim de explendis & satiandis spiritibus, non corporibus agitur, nec Christiani sunt vltra caro & fœnum, vt fœno pasci debeant, sed nati ex Spiritu sunt Spiritus, ideoque cibo Spirituali sunt pascendi, vt egregiè ratiocinatur Nyssenus hom. 5. in Cant. *in fine*, idcirco mensam suam, verè mensam potentis, instruit cibo Spirituali duplici; nempe corpore & sanguine suo, ac verbo Dei. Vterque est cibus regius, & sedentibus vt comedant cum principe, perpetuò exhibetur in Christi Ecclesia, tanquam in eius regia. Vterque Spiritibus non corporibus saginandis idoneus. Quod de verbo Dei per se liquet. De cibo autem Eucharistico inde patet, quod Christus Ioannis 6. corpus suum in hac mensa noui Regis exhibendum, vocet *Spiritum & vitam*. Videndus ibi Cyrillus lib. 4. cap. 24. & optimè S. Athanasius serm. in illud *quicumque dixerit verbum*, sub finem. Et Apostolus de hoc ipso cibo agens, vt ex multis Patribus confirmat. Turrianus lib. 1. de Eucharistia cap. 2. ac inuectus in eos qui indignè illum suscipiunt, vocat *Spiritum gratiæ*, Hebræor. 10. verbis illis, quibus sugillat *eum qui Spiritui gratiæ contumeliam fecerit*. Non ait *gratiæ Spiritus*, quod dicendum fuerat, si de accidentaria gratia sermo illi fuisset, sed *Spiritui gratiæ*; eo quod Christus, sub ratione Spiritus in hac mensa præbeatur. Qua etiam ex causa 1. Corinth. 12. dixisse videtur, *omnes in vno Spiritu potati sumus*. Sed & apud Hieremiam quod de cibo hoc Eucharistico accipiunt Origenes homil. 3. in Cant. & 5. Bernardus serm. vnico de Beatæ Virginis Natiuitate, & sermone 48. in Cant. locus idem ille Apostoli *nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu* (ita enim legit S. Chrysostomus tomo 5. sermone 34.) de Eucharistia ad eodem accipitur. Est igitur Eucharistia cibus regius an marum, siue Spirituum, non corporum: indeque scitè Gotfridus Vindoc. serm. 8. colligit causam, cur Christus hunc cibum expletis iam discipulorum corporibus porrexerit. Si enim corporum cibus fuisset, non animorum, non post depulsam corporum famen exhibendus fuisset. Gelasius item lib. de duabus naturis (*in editione pleniore*) paucissimum quid ex hoc cibo gustari ait vt cognoscatur non assumi implendo ventri corpore, sed cibando Spiritui. Cibos igitur mensæ Regis nostri, quibus Spiritus & animæ iustorum reficiuntur, Eucharistiam & verbum Dei accipiamus.

505 Eucharistiam in regno Christi esse cibum & potum, præmonemur verbis illis inter eam instituendam prolatis, *non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum nouum in regno Patris mei*: quibus Christi verbis, fabulatores quidam millenarium corporalis regni Christi, in quo corporaliter cum suis ederet & biberet, superstruxerunt. Hos verò referens S. Hieronymus qu. 2. ad Hedibiam, quæ de vero sensu verborum illorum interrogauerat, responsum dedit in hæc verba. [Iudaicas fabulas repellamus, & ascendamus cum Domino cœnaculum magnum, stratum atque mundatum; & accipiamus ab eo sursum calicem noui testamenti. Ibique cum eo Pascha celebrantes, inebriemur ab eo, vino sobrietatis. Non enim est regnum Dei cibus & potus, sed iustitia, & gaudium, & pax in Spiritu sancto. Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus, ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur: Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus: & quotidie in sacrificiis eius de genimine vitis veræ, & vineæ Sorec, quæ interpretatur electa, rubentia musta calcamus: & nouum ex his vinum bibimus in regno Patris, nequaquam in vetustate litteræ, sed in nouitate Spiritus: Cantantes canticum nouum; quod nemo potest cantare, nisi in regno Ecclesiæ, quod regnum Patris est. Hunc panem & Iacob Patriarcha comedere cupiebat, dicens; *si fuerit Dominus Deus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad operiendum*. Quotquot enim in Christo baptizamur, Christum induimus, & panem comedimus Angelorum, & audimus Dominum prædicantem: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, Patris, vt impleam opus eius*. Faciamus igitur voluntatem eius, qui misit nos, Patris: & impleamus opus eius; & Christus nobiscum bibet in regno Ecclesiæ sanguinem suum.] Astipulantur, & æque eum locum de Eucharistia accipiunt Cyprianus, Chrysostom. Epiphanius, Euthymius, Theophilactus.

Idem Hieronymus perpulchrè epist. 148. exponens vitulum saginatum quem pater ad reditum prodigi filij iussit occidi, sic ait. [Vitulus saginatus, qui ad pœnitentis immolatur salutem, ipse Saluator est cuius quotidie pascimur, cruore potamur: Fidelis mecum lector intelligis, qua pinguedine saturati, in ructum laudis eius erumpimus, dicentes; *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi*: licet quidam superstitiosè magis, quàm verè, non considerantes textum Psalmi ex patris persona arbitrentur hoc intelligi. Quod autem ait *epulemur, quoniam hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus est*, ad eumdem parabolæ superioris pertinet sensum. in qua dicitur; *sic dico vobis, quia gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente*. Et cœperunt epulari. Hoc conuiuium quotidiè celebratur; quotidiè pater filium recipit; semper Christus credentibus immolatur.] Eodem modo vitulum illum saginatum interpretatur S. Ambrosius lib. 7. in Lucam *sub finem*. Hos ipsos cibos mensæ Salomonis quos suspexit Reginæ Saba Ecclesiam præfigurans, Eucher. hom. 1. de natali Ecclesiæ, ait esse Eucharistiam: annuitque D. August. serm. 253. de temp. & Origenes homil. 38. in Lucam *in fine*. Rectè portò hi cibi de rege nostro agendo, dici possunt *cibi mensæ eius*, non enim nobis duntaxat hi cibi in pabulum cesserunt, sed ipse quoque his pastus est, vt dicam infra agens de Christo Sacerdote; videturque colligi ex illo Psaltis, *qui sicut mecum dulces capiebat cibos*.

*Itemque Verbum Dei, & pia opera.*

506 Nihilominus Eusebius lib. 10. de demonst. in 2. demonstratione, eum Psaltis locum, ac etiam illum alium isti genuinum; *qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*, de cibis spiritualium sermonum ex se dulcissimorum est interpretatus: quæ est altera illa mensa quam Rex noster in regia sua perpetuò omnibus patere voluit, & ad quam libentissimè omnes excepit. Non enim patitur in domo sua esse famem & sitim verbi Dei, qualem olim sæpè fuisse, produnt Prophetæ; sed magnam vbertatem vini & olei mystici, idest spiritualium omnium eduliorum atque ciborum à quorum fructu multiplicentur fideles, benignissimè & magnificentissimè prouidit; expetitque supra modum vt omnes operentur non cibum qui petit, sed istum qui permanet in vitam æternam. Hoc est firmamentum in terra in summis montium, cuius fructus in diebus regis nostri super libanum superextollendus prædicitur à Dauide, non sine insigni accremento populorum inde Pastorum, qui florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ. Est hic panis, vinum, lac, & mensa instructissima cibandis fidelibus, vt pulchrè prosequitur Michaël Medina lib. 3. præn. cap. 2.

Nec admittit duntaxat Rex noster ad mensam suam publicè in regia propositam, omnes qui intrare voluerint, sed etiam (quæ eius est humanitas & benignitas,) vltrò ipse adit ad suos, & conuiuari apud illos gaudet, iuxta illud ex cap. 3. Apocal. *Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum & cænabo cum illo.* Nec verò malè instructus venit, & sine symbola, pauperis amici incommodum negligens: sed quod est munifici Principis, etiam cum ad alium diuertit, cibaria mittit in abundantia, ita vt ibi quoque sit mensa regia, & cibi regij. Nam tametsi cibis nostris, hoc est sanctis operationibus vesci videtur reuera tamen operationes illæ sunt dona Dei. Tantùm curandum esse, ne per nos & socordiam nostram frigescant, aut repescant tales cibi, admonet in hunc modum S. Ambrosius serm. 18. in Psalm. 118. ad v. 3. [ Consulo tibi vt eruas à me aurum igne probatum. Hic est Dei zelus, hic est fidei vapor, deuotionis feruor, qui nos velut suauem cibum in Christo remollit & format. Quanta Domini gratia, vt nos in suo ore constitnat, & quasdam meritorum nostrorum epuletur dapes, ac si meremur, deuorer; si nostri cibi suauitatibus delectetur? Beatus quem sapientia deuorauerit, quem virtus hauserit, quem iustitia receperit. Culpa in eo habere non potest portionem, quem absorbuerit remissio peccatorum. Vbi enim error inueniet, quem integritas immaculata susceperit? ]

*Aliæ Regiæ mensæ, ad Christi mensam, mera ieiunitas.*

Ad has regales epulas, ne conferri quidem debeant regiæ quæcumque mensæ; siue pretiositatem & dulcedinem, ac bonum succum ciborum spectes, siu e conuiuantium multitudinem, quantum est ex Regis voluntate, & ciborum apparatorum vbertate; siue quæcumque ad magnificentiam eo in genere faciunt: Salomon sanè ad cuius epularum magnificentiam obstupuisse nominatim Reginam Saba prodit sacer Scriptor, tenuem planè & admodùm vilem annonam sibi & suis habebat. His enim verbis describitur 3. Regum cap. 4. *Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum atque bubulorum, & ouium altilium.* Vbi nulli cibi admodùm exquisiti memorantur, nec numero valdè amplo, sed quos paucæ absumant personæ. At Rex noster, omnes quotquot vlpiam viuunt mortales, pretiosissimis eduliis reficit, si per ipsos non stet. Celeberrima item est, Assueri in regio conuiuio magnificentia, descripta Esther 1. Sed illud conuiuium, si extremos dies excipias, solis seruis domesticis & principibus regni Assueri patebat, nec nisi ad 180. dies prorogabatur. At Regis nostri mensa, omnibus æquè proponitur, nec ad paucos menses, sed per totam seriem seculorum quibus orbis durabit. Luxus denique conuiuiorum quibus apri variis farti altilibus, singulis conuiuis exhibebantur, & alia dabantur cum insaniæ ac stuporatæ vanitatis, tum ingluuiei argumenta, ( quæ vt omittam descripta à Bulengerio lib. 2. de Imper. cap. 32. & Lipsio, passimque aliis res conuiuiales tractantibus, Philo Iudæus lib. de vita contempl. latè describit: ) præter stoliditatem conuiuatorum quam prodebant, vt Philo monet, adiunctum ferè habebat incommodum, quodin conuiuiis celebrioribus describit his verbis idem Philo, priscorum Christianorum conuiuia, cum epulis aliorum componens. [ Vulgus vbi se mero expleuit, ac si non vinum bibisset, sed insaniæ poculum ad rationem penitus profligandam ex animo; offensat & canunt ferocium more in rabiem vertitur: moxque coorti, se inuicem morsibus appetunt, abrodendo nasos, auriculas, digitos, cæteraque partes corporis, vt fabula de Cyclope Vlissisque sociis fidem inueniat, quem Poëta solitum ait mandere frusta humanarum carnium, quem tamen immanitate isti longè superant: nam ille inimicos ratus tractauit hostiliter, isti verò cum familiaribus & amicis, interdum etiam cognatis, communi sali mensæque adhibitis, contra iura hospitalitatis omnia, nihil reueriti sacra libamina quibus conciliari debuissent, sic conflictantur tanquam in arena vel pancratio: laudatam illam contentionem quasi monetam deprauantes in deterius athletis ipsis erumnosiores miserioresque: Reuera enim eos licet appellare miseros; Nam illi athletæ in stadiis Græcorum, interdiu captant spectatorum applausus atque gratiam expectantes artis ac victoriæ præmium, coronam olympiacam: At isti adulterini athletarum Simij, noctu in tenebris ebrij, debaccantesque sine industria, malitiosas artes exercent in aliorum iniuriam atque contumeliam: quos si nemo tanquam præses dirimat, maiore licentia tument in mutuam

tiam perniciem : non minus enim læduntur quàm lædunt, vt mentis impotes præ vino nimio, quod (sicut inquit comicus,) non tam alieno malo bibunt, quàm proprio. Itaque qui modo ad conuiuium venerant amici, & integri, paulò post exeunt inimici, & mulctati membris quibusdam, aut certè horum extremitatibus; moxque alij quærunt sibi aduocatos & iudices; alij petunt à Chirurgis opem, & medicis : qui verò videntur modestiores cæteris, quasi pro mero bibissent succum mandragoræ, incumbunt læuo cubito, & obliquata cervice ructantes inter pocula, stertunt altum, nihil videntes audientéve interim, ac si vnicum gustus sensum haberent, & eum quidem illiberalissimum. ] Hæc spurca & indigna adiuncta conuiuiorum à seculari magnificentia celebratorum. At Christiani, in vtroque Regis nostri epulo, læti bibimus sobriam ebrietatem Spiritus : sed in Eucharistito maximè per quod sanam insaniam inferri, optimè tradit Diuus Augustini. Psal. 33. conc. 1. nec dissimiliter sanam inebrietatem ex eo consequentem exhibent Gergorius Nyssenus hom. 10. in Cant. & Chrysostomus tomo 5. Græcol. serm. 34.

### *Opes, & Gazæ, Regis Christi immensæ; nec caducæ, vt opes Regum cæterorum.*

508 De diuitiis, & opibus, ac gazis Regis nostri, vix est quod hîc aliquid addam, ad ea quæ de Christi perfectionibus disputata sunt in superioribus. Gloria enim & diuitiæ quæ in domo eius sunt, non ad externas opes, autique & argenti; terræ inquam flauæ & albæ aceruos; sed ad Spirituales opes pertinent virtutum & donorum, quorum fuit in Christo sensus amplissimus propéque immensus; Et in domibus quidem temporalium Regum, ostentantur thesauri & gazæ, aurum & argentum multum nimis, gemmæ, & vniones singuli totidem amplis patrimoniis idonei. De immensis Salomonis opibus, extant tractationes Viualdi, Pinedæ, Villalpandi: & multa præterea accumulant Interpretes ad cap. 2. Ecclesiastæ; vbi latè Lorinus. Romanorum Principum opes expilatione prouinciarum omnium congestas, Seneca inducto Demetrio Cynico eas recensente, & despuente, sic exprimit lib. 7. de benefic. cap. 9 [ Volo sub conspectu meo ponere, quæ gentium oculos Regumque perstringunt. Volo intueri pretia sanguinis, animarumque vestrarum. Prima mihi luxuria spolia propone : siue illa vis per ordinem expandere, siue (vt est melius,) in vnum aceruum dare. Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fædissimorum pigerrimorumque animalium, testas in gentibus pretiis empras, in quibus ipsa illa quæ placet varietas, subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur. Video istic mensas, & æstimatum lignum Senatoris censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos, arboris infelicitas torsit. Video istic Chrystallina, quorum accendit fragilitas pretium. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugere debet periculo crescit. Video murrhina pocula. Parum scilicet luxuria magno furit, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinent. Video vniones, non singulos singulis auribus comparatos : iam enim exercitatæ aures, oneri ferendo sunt : iunguntur inter se, & insuper, alij binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. ] Hoc specimen esto, earum quas mortales vocant diuitiarum. Nec illud prætereo, quod vt singulare ac exquisitum, annotatum est. Henricus Imperator Tancredi Siciliæ Regis opibus potitus, centum quinquaginta iumenta gazis & gemmis onusta è Sicilia auexit, vt apud Baronium legimus anno 1194.

Vides quò humanæ opes Regum temporalium conuertantur, & vt prædo vel hostis eas non diriperet, mors tamen earum vsum necessariò adimit : quod egregiè aduertit Dauid Psalm. 48. verbis illis. *Nec timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* In singulis verbis thesauri sapientiæ abduntur. Sed illa maximè sunt perpendenda cum Diuo Chrysostomo ibi. *Gloria domus eius.* [ Non dixit enim; *cum multiplicata fuerit gloria eius*, sed *gloria domus eius.* Hæc enim omnia quæ enumerauit, fontes ambulacra, porticus, & balnea, aurum & argentum, equi, & muli, stragulæ vestes, & indumenta, sunt gloria domus, non hominis qui domum habitat. Hominis enim gloria, est virtus, vnde etiam recedit vnà cum possessore. Manet autem ipsa domus gloria; immò verò ne manet quidem, sed etiam vnà cum domo dissoluitur, nec quidquam ei profuit, qui in ea versabatur; neque enim erat illius. ] Similia egregia ad eumdem locum homilia 7. de pœnitent. *initio.* In thesauris Regis nostri, nihil huiusmodi metuendum fuit. Eiusmodi enim sunt, qui in morte exportentur, cum non sunt temporalium opum, terræ, eiusque minutalium cumuli, sed internarum diuitiarum. Quare non in vnum Mosem cadunt, quæ Philo lib. 1. de vita Mosis, & peculiaria esse censet, Regibus eum annumerans. [ Solus hic, omnium qui vnquam principatum gesserunt, non aurum, non argentum in thesauros condidit, non tributa exegit, non palatia, non latifundia, non greges, non famulitia, non redditus, non alias opes sibi parauit, quam posset habere omnium harum rerum copiam : sed existimans animæ pauperis indicium esse mirari materiales diuitias, has quidem vt cæcas contempsit; illas verò naturales, perspicacesque honorauit, & amauit si quis vnquam alius; in vestitu, victuque quotidiano, nihil præ se ferens fastus tragici, sed simplicitatem, frugalitatemque exercens priuati hominis. Regem autem in his solis agebat, quæ verè sunt regia; vt sunt continentia, fortitudo, sobrietas, solertia, prudentia, scientia, industria, tolerantia, iustitia, voluptatis contemptus, ad virtutem exhortatio, obiurgationes castigationesque peccantium legitimæ, & rectè facientium laudes atque præmia. ]

### *Regis Christi Aula splendidissima.*

508 Comitatum Regis nostri longè amplissimum & splendidissimum, pro tanti Regis dignitate & maiestate, exhibet sæpe Dauid, & apertissimè Ioannes c. 5. Apocal. vbi numerum stipantium agnum cui honor & gloria & potestas data est, ait esse millia millium. Rursúsque c. 7. stantium ante thronum, & in conspectu agni, seruientium & die ac nocte, numerum exhibet propè infinitum ex omnibus Angelis structum, & ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis concinnatum; multitudinem magnam quam dinumerare nemo poterat: describítque eo loco, Ecclesiæ Regis Christi apparatum, & comitatum regium. Et Regum quidem cœterorum comitatus, quo plenior & amplior est, eo maioris indigentiæ est armentum, vt ex variis demonstratum est l. 6. de Virtutibus numero 269. Nec frequentius quicquam est, quàm vt pro numerositate famulitij, abundent scelera. Quid enim aliud est (ait Saluianus l. 3. de prouidentia,) vita curialium, quàm iniquitas? Aulam Chilperici, Sidonius l. 5. Epist. 7. iis pingit coloribus, præ quibus Æthiopes albere videre possint. [Nullum illis (inquit,) genus hominum, ordinum, temporum, cordi est. In foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in conuiuio scurræ, in exactionibus harpyæ, in collocationibus statuæ, in quæstionibus bestiæ, in tractatibus cochleæ, in contractibus trapezitæ: ad intelligendum saxei, ad iudicandum lignei, ad succensendum flammei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias vrsi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri.] Dixi in hanc rem non pauca in Opere de Martyrio parte 1. c. 6. à num. 18. tractans ordinem tertium Martyrum seculi, post Budæum, Calcagninum, Gueuarram, Æneam Syluium. Quæ in eandem sententiam disserit Rodericus Zamorensis, Præsul lib. 1. Speculi c. 4. mitto referre. Christi Regis gloriæ aula, in omni sanctitate & Iustitia degit. Nullo eam aulicorum turpitudines deformant, nulla probra dehonestant.

### *Administri Regis; varii, & insignes.*

510 Sequitur gloria Regis Christi, ex multitudine & dignitate ministrorum siue præfectorum, quibus plenæ potestati regiæ stillicidia, & participationes, ac exiguæ imperij imagines, (vt Themistius orat 17. loquitur) conceduntur. Quo pertinet ea ministrorum Christi & dispensatorum ministeriorum Dei subordinata multiplicitas, quæ ad instar cœlestis Hierarchiæ in terris constituta, vocatur *Ecclesiastica hierarchia*, vt attingit obiter S. Hieron. lib. 2. in Iouin. repellens spurcum, illum excucullatum, qui talem varietatem graduum ritè dispositorum allatrabat, vt meritorum parilitati viam sterneret. E contrario enim S. Hieronymus, ex ordinata illa varietate terrestrium in Dei Ecclesia mansionum, colligit varietatem mansionum cœlestium, hâc præter cætera. [Si non sunt plurimæ mansiones, quomodò & in veteri testamento, & in nouo, alium ordinem Pontifex tenet, alium sacerdotes, alium leuitæ, alium ianitores alium ædituj? Et in volumine Ezechielis vbi futuræ Ecclesiæ & cœlestis Hierusalem ordo describitur, sacerdotes qui peccauerant, degradantur in ædituos, & hostiarios: & cum sint in templo Dei hoc est à dextris, non sunt inter arietes, sed inter minimas oues. In fluuio quoque, qui de templo egreditur, & irrigat falsum mare, & vniuersa viuificat, multæ species piscium describuntur. Quare in regno cœlorum Archangeli sunt, Angeli, Throni, Dominationes, Potestates, Cherubin & Seraphin, & omne nomen quod nominetur non solùm in præsenti sæculo, sed etiam in futuro; Sine causâ diuersitas nominum est, vbi non est diuersitas meritorum. Archangelus vtique aliorum minorum est Angelorum Archangelus, Et Potestates, & Dominationes, habent aliqua, super quæ exercerant potestatem, & in quæ subiecta dominentur. Hoc in cœlis est, hoc in ministerio Dei, ne nos solito more irrideas, atque subsannes, si Imperatores posuerimus, & præfectos, & comites, & tribunos, & centuriones, & manipulos, & reliquum militiæ ordinem.] En quid porcus ille aduersus Ecclesiæ Dei exercitum ex secularis exercitus analogia grumiter, cum debuisset stratos per ordinem lapides Sion, (vt Deus ipse Isaiæ 54. se factum receperat,) mirabilem planè concinnitatem ex ea varietate probè ordinata existentem, demirari: Extare enim ex summis & mediis, actimis ordinibus, vt ex dissimillimarum vocum moderatione concentum, tradit ex Tullij opere de Republica S. Augustinus lib. 2. Ciu. cap. 21. estque multo suauior ex longè concinniore Ecclesiæ ordinatione, quippe diuinitus facta. Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt, vtique anonomasticè & præcellenter.

Huius Ecclesiasticæ hierarchiæ varios ordines, tanquam præfectorum in regno Christi varios gradus, recenset Apostolus 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. collocans in primo ordine Apostolos de quorum primatu & eminentissima dignitate, actum plene tractando electionem Iudæ in Apostolum. Collocat deinde Apostolus gradatim alios pastores & Doctores, prouisos à Deo ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Quas verò Apostolus priore loco vocat *epitulationes*, quasi subsidiarias copias, complecti quoscunque Sacros Prælatorum adiutores, etiamsi ad secularem clerum non spectent tradunt S. Bonau. l. de Paupertate Christi & Caiet. 2 2. q. 188. art. 4. Ac si liuor fascinans abliret, est hæc res adeò perspicua, vt sit quod exhibilentur hodierni mangones antiquæ hæreseos iam olim à Bonifacio Quarto damnatæ, vt videre est apud Petrum Damiani Opusc. 28. *in fine*: eorum nimirum, qui quosuis non Clericos secoculares, sequestrant à Hierarchia, eóque nomine bellum implacabile regularibus indicunt, quod eos Hierarchiam pessundare affirment. Veteratorium hunc Satanæ actum, & malignum artificium, vt Pontificia regularium exemptrix potestas, cassa habeatur; sicque corporis à capite fiat abiunctio, per principis tenebrarum emissarios

emissarios repetitum subinde videmus. Et cum occœptus Petri Damiani æuo motus, tantisper resedisset; submissis postea diuinitùs Sacris BB. Dominici & Franciſci aciebus tanto acriùs inferbuisse per Gulielmum de S. Amore, & Gyraldum de Abbatis Villa, ex præclarissimorum Ecclesiæ luminum SS. Thomæ ac Bonauenturæ aplogiis discimus, nec non è Thomæ Cantipratani l. 2. Apum cap. 10. à num. 20. quo ad tumultuum illorum seriem perspiciendam, habentur non pauca. Iampridem verò compositis Dei benignitate procellis illis, & flustro facto, rectuduit tempestas annis ab hinc vt multùm vigniti, excitata per eos qui quærentes quæ sua sunt; aut non aduertunt, aut negligunt perspicere, per quam rimam Satanas schisma in Ecclesiam tentet inducere, prorepturus ad inuehendam hæresim, schismate (*si liceat*) subinducto. Sed hæc alias.

De concinnitate varietatis ordinum in singulis regni Ecclesiæ statibus Ecclesiasticis, siue secularibus, siue regularibus, ex quibus omnibus dixi integrari Hierarchiam, latè Isolanus in opere de Imperio Ecclesiæ: & nominatim quod attinet ad varietatem in ordinibus monasticis, perpulchrè eam confirmat Petrus Blesensis epist. 97. monstrans apud sponsam Christi nõ esse absurdam varietatem, cum ipsa circumamicta varietatibus describatur: & ea varietas vniformitatis causa sit vt liquet in cithara; in qua ex varietate chordarum, fit vniformis modulatio ad concentum. Etiam inter Angelos, ordinum varietatem esse obseruat, & fuisse olim ex Dei præscripto in lege veteri, quod eos qui ministerio tabernaculi aut templi addicebantur. Varia denique Apostoli loca in eam rem profert, quæ in re apud non indociles rata, mitto adducere.

### *Regij Christi Regis administri, simul Reges sunt.*

511 En ergo quàm numerosus & quàm varius sit, Regis Christi administrorum, Regiisque muneribus Præfectorum numerus. Nec verò deest Regi nostro ex hac parte ornamentum illud quod Rex Assyriorum. Isaiæ 10. iniquè sibi & impotenter arrogabat, dicens, *numquid non principes mei, simul Reges sunt.* Principes inquam Regni Christi, quos ascissit in regiminis partem, (non ex necessitate, vt Reges temporales assumunt præfectos, sed ex benignitate, & ad regni maiestatem ac decorem ampliorem;) simul Reges sunt, eóque nomine donantur Psal. 67. vbi post descriptam columbam deargentatam, siue Ecclesiæ regnum, addit Dauid *dum discernit cœlestis, Reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon.* Commentarius diui Augustini in ea verba, est hoc loco appositissimus. [Ille (inquit) supercœlestis, ille qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia, dum discernit Reges super eam, id est super eandem columbam deargentatam, sequitur enim Apostolus ac dicit; *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos quosdam autem Prophetas, quosdam verò Euangelistas, quosdam autem Pastores & Doctores.* Nam quid est aliud Reges discernere super eam, nisi in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, quandoquidem ipsa est corpus Christi? Dicuntur autem illi Reges, vtique à regendo, & quid magis quàm carnis concupiscentias, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore, ad obediendum desideriis eius, ne exhibeant membra sua arma iniquitatis peccato, Sed exhibeant se Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra sua arma iustititiæ Deo? Sic enim erant Reges primitùs discreti ab alienigenis, quia non erant iugum ducentes cum infidelibus: deinde discreti concorditer inter se munerибus propriis. Non enim omnes Apostoli, aut omnes Prophetæ, aut omnes Doctores, aut omnes dona habent curationum, aut omnes linguis loquuntur, aut omnes interpretantur. Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique provt vult, quem dando, ille supercœlestis discernit Reges super columbam deargentatam.]

Origenes item optimè hom. 12. in Num. [Quod Reges dici possint etiam Apostoli, puto & ex eo facile probari posse, quod de omnibus credentibus dicitur, *Vos autem genus regale, Sacerdotium magnum, gens Sancta.* Si ergo illos dicunt Reges, qui per verbum ipsorum crediderunt, quanto magis ipsi Reges habendi sunt, qui faciunt Reges? Sed & inde facilè colligitur. Si enim Reges à regendo dicuntur, omnes vtique qui Ecclesias Dei regunt, Reges meritò appellabuntur; multo autem rectiùs illi, qui & illos ipsos dictis atque Scriptis suis regunt, à quibus reguntur Ecclesiæ. Et propter hoc meritò Dominus *Rex Regum* dicitur. Nisi enim isti & cæteri qui eos imitantur, Reges fuerint, ille non videbitur Rex Regum. Sed & ipse Apostolus Paulus Corinthiis scribens, & velut per quandam ironiam corripiens eos ait: *Sine nobis regnatis, & vtinam regnetis, vt & nos vobiscum regnemus.* In quo vtique Reges quidem esse debere Corinthios, & semetipsum cum iis regnare velle pronuntiat sed elationem nondum pro merito assumpti honoris incusat. Fodiunt ergo iis omnes puteum istum principes, & excudunt eum Reges gentium. Apostoli enim præcipuè reges sunt gentium, qui gentes ad obedientiam fidei congregarunt, & Christi scientiam omnibus patefecerunt.]

512 Non minùs insigniter ac etiam copiosiùs, regium hoc Apostolorum, atque adeò etiam Apostolicorum virorum, quos Christus Ecclesiæ suæ præfecit, dominium in omnes planè mortales, aperit S. Chrysostomus In psal. 109. ad illud, *dominare in medio inimicorum tuorum*, quæ verba sic glossat. [Non dixit, *vince in medio inimicorum tuorum*, sed, *dominare* vt ostenderet non erigi trophæum fusis in Asia hostibus, Sed ex iussu significari Dominium. Ita enim vincebant Apostoli, Christum in se habentes, omnia facientes tanquam ex imperio. Vnde etiam erat eis omnis domus aperta, & qui credebant, erant quouis seruo obedientiores, facultates suas vendentes, & earum pretia ponentes ad pedes Apostolorum: & nec ad vsum quidem suum audentes aliquid accipere; eósque adeò magni faciebant, vt ne se quidem eis auderent adiungere. Non solùm autem habebant tantum virium in fidelibus, sed etiam in infidelibus. Quodnam enim est, sic quæso, serui indicium? An non id facere, quod iubet eius Dominus? Quod autem signum Domini? An

non ea in seruis perficere quæ velit ? Quinam ergo perfecerunt ea quæ voluerunt in regibus & principibus ? An non Apostoli ? Manifestum est. Reges enim & principes, volebant tenere orbem terræ in impietate. Iubebant enim enim colere Dæmones, contra autem Apostoli. Fiebat autem quod volebant. Quod si mihi dicas carcerem, flagella, & tormenta, dicis mihi maiora dominia. Quomodò, & quanam ratione ? Quod quamuis hæc fierent, fiebat tamen nihilo lociùs, quod volebant. Non enim lege multorum dominorum, sed virtute hoc sibi asciuerunt dominium, quod nullo externo indiget; sed dum omnium petitur insidiis, resplendet. Illos enim dominos, serui paratis insidiis sæpè de medio sustulerunt, quoniam erat imperfectum & imbecillimum dominium, hoc autem non potuerunt extinguere, sed insidias molientes, id longè clarius reddidere.]

Idem vniuersè, & sigillatim, ex Beati Pauli in vniuersum orbem regia planè potestate, demonstrat in hunc modum, subderis, [ Quis fuerit igitur Dominus præclarior, is ne qui in numerabilibus opus habet auxiliis, vt seruos in officio contineat, an qui est liber ab iis omnibus; & eos qui sunt sub suo Dominio pro sua potestate tractat, fert, & agit ? Clarum est hunc esse præclariorem. Domini enim qui hoc obtinent multorum dominium, nisi leges: habeant opitulantes, & eos iuuet quod in ciuitatibus habitant, sæpè cum Dominovitam quoque amiserint, Paulus autem & in solitudinibus, & vbique suum ostendebat Dominium. Vis etiam videre ipsum clatiorem Regibus? Tulit leges per vniuersum orbem terræ; & regum relictis legibus, illius scriptis obtemperabant. Et alioqui illi quidem in corpora, hi verò in animum dominium obtinebant. Quis ita seruus Domino, vel qui sub Regis ditione est, regi cum tanta beneuolentia paruit, vt fideles Paulo, tantùm scribenti literas ? Quis dixerit eorum desiderium, & vehementem pro eo æmulationem, cum vel ipso oculos essent parati effodere? Quis tales vnquam seruos habuit? Quæ omnia Propheta mente agitans, quomodò fideles quidem subiunxerunt, erant autem terribiles infidelibus, eos per vim expellentes, & quomodo Christus per ipsos obtinebat imperium, non dixit solummodo κρίνε, hoc est, *Dominare in medio inimicorum tuorum*, Sed Κατακυρίευε, hoc est, *Dominatum obtine*, vehemens & amplum Dominium significans.]

### *Rex Christus, quos assumit administros, facit idoneos.*

513 Vt taceam in nullo alio regno tantam perfectorum & ministrorum imo Regum subordinatorum multitudinem cerni; ea hìc quoque prærogatiua notanda est, quod Rex noster, quos ad regendum vocat, qualescumque ex se fuerint, idoneos, & regendo pares præstare potest. Id enim est, *niue dealbare Reges in selmon*, vt Augustinus loco allegato exponit. In alii verò Regnis, aut honorum ac numerum n ndinatio viget, & præfecturæ publico præconio tanquàm venales submittuntur, quod à Constantio abrogatum validè celebrat Themistius orat. 17. vel fauore, & mero beneficio principis, ( quicumque tandem sint quos amore suo dignantur ) obtinguntur præfecturæ, magno & ipsorum probro principum, & populorum incommodo, vt idem Themistius prosequitur laudato Artaxerce, qui Soribar sanem quem habebat amicum & charum, cum summam non exiguam argenti, & præfecturam vnam petiuisset, pecunia quidem donatum voluit, præfecturam verò non permisit. [ Pecuniæ enim ( inquit, ) si tantumdem, non ob id indigentior; at verò si improbo præfecturam committam, iniustior ero. ] Rex noster, quemcumque, ac vel si terræ infolsum hominem, puta publicanum, vel rapacem lupum humana specie cuiusmodi Paulus erat, munere aliquo regendi in r g o suo donatum velit, maximè idoneum ad obeundas concreditæ potestatis partes, potest reddere, citra omnem moram atque laborem.

### *Argumenta Magnificentiæ Christi Regis Gloriæ, eximia opera, qua vrbana qua rusticana: præsertim operum Salomonis, Antitypa.*

Extremum Gloriæ Regis cuiusuis argumentum, proferebatur, quod suppeditant eximia opera, vt ædificia, siue ciuitatis siue templi, siue palatij. Talibus enim operibus, supra communem & vulgarem vsum editis, Regum non pauci, Gloriam suam prodiderunt. Scimus mis ædificatione, Niniues, Salomon templi & palatii structura. Non defuerunt etiam, qui hortorum, & vinearum, & cultissimi ruris Gloriam captarent, Cui enim ignotum Alcinoi Regis pometum, à Plinio lib. 19. c. 4. Celebratum, & à Iustino orat. ad gentes prolatis in eam rem Poëtæ carminibus ex 7. Odyss. quibus hortos fælices ad terrestris paradisi imitationem expressos docet ? Æque neminem latet, Midæ Regis rosetum in eius hortis; & lectæ inde rosæ centenariæ, vt est apud Tertullianum l. de coro. militis cap. 14. Et ciuitatis, & templi, & basilicæ, & horti, & vineæ, & ruris cultissimi decora omnia, in vno Regis nostri opere notare facillimum erit. Ecclesiam dico, cum totaliter & adæquate, tum partialiter & inadæquatè spectatam; cui in scripturis non rarò omnia illa nomina tribui videmus: & Christum Regem tanti operis auctorem & exornatorem inde celebrari. Nec mirum videri debet, quod eidem rei tot diuersæ nuncupationes tribuantur: cum frequentissimum sit vt Deum, sic etiam diuina opera, quia vno nomine nostro sunt inadæquabilia, pluribus nominibus denotari; vt qua ratione possimus, varietatem perfectionum in eis abditam, & imparem eis elocutionem quamcumque nostram significemus, vt S. Dyonisius notauit. Iuuat hanc partem gloriæ Regis Christi non præterire, delibando tamen potius, quam accuratè persequendo capita, quorum iusta tractatio in immensum diffundi posset.

Ciuitatis

*Ciuitas à Christo Rege structa, S. Ecclesia.*

514 In primis ergo Ecclesia Psal.47. dicitur *Ciuitas Regis magni*, non modò quia in ea regnat Christus Rex, solus magnus, sed etiam quia eam constructuit, vt ex adiunctis liquet. Cum enim præmisisset Dauid, *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius*; vt constaret de ciuitate sermonem esse, in qua non modò regenda, sed etiam ædificanda, Rex magnus Christus laudabilem nimis se prodidisset, subdit: *Fundatur exultatione vniuersa terra, mons Sion, latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni.* Iudaicum sit, existimare, Dauidem de ciuitate Sion terrena locutum: idque nullo negotio ex reliquo Psalmo confutari potest, cum addatur versu 7. Deum hanc ciuitatem suam fundasse in æternum, quod de terrestri Hierusalem iam pridem funditùs euersa, dicere non licet. Quamuis ergo cortex litteræ spectare videatur ædificationem ciuitatis terrenæ Hierusalem, post Babylonicam cladem, idque Græci quidam Patres in huius Psalmi ex positione tradiderint, tamen sub eo cortice latet medulla; inque ciuitatis hierosolimitanæ figura Spiritus Sanctus ciuitatem Regis magni Christi; Ecclesiam inquam Christianam, delineabat, vt Latinorum Doctorum proceres, Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus docuerunt, benéque è Recentioribus complures, & in his Bosius lib. 4. de signis cap. 6. Et idem à Dauide præstitum psal. 86. latè prosequitur multos ad id patres adducens Benzonius ad eum psalmum cap. 27. Meritò autem Christianæ Ecclesiæ tribui nomen ciuitatis, constabit ex ea ciuitatis, definitione, quam S. Basilius in psal. 45. vt apud peritos receptam profert, hac nimirum; *Ciuitas est congregatio stabilis, legibus administrata*; vnde latè infert cælestê beatorum mansionem esse verè ac propriè ciuitatem, alludens vt videtur, ad illud Clementis in calce lib. 4. Stromat. [Dicunt Stoici quoque, cœlum quidem propriè esse ciuitatem, quæ autem sunt hîc in terra, non vtique esse ciuitates; dici enim, sed non esse. Res enim bona est ciuitas & populus, honestus aliquis cœtus, & multitudo hominum, quæ regitur lege, sicut Verbo Ecclesia; ciuitas quæ non potest circumsideri, nec opprimi tyrannide. In terra diuina voluntas, in terra sicut in cœlo. Huius autem ciuitatis imagines, Poëtæ quoque condunt, scribentes. Hyperborea enim, & Atimaspiæ ciuitates, & campi Elysij, sunt reipubliæ & ciuitatis iustorum instituta. Scimus autem Platonis quoque rempublicam, esse positam in cœlo, vt exemplar.] Quamuis autem iuxta hæc sola cœlestis Hierusalem sit propriè ciuitas, vt D. Basilius supra affirmat, tamen in psal. 59. ad illud *quis deducet me in ciuitatem munitam*, definitionem ciuitatis propositam, Ecclesiæ quoque accommodat, eámque ibi, ciuitatem munitam dici agnoscit. Apud S. Hilarium pulcherrimè in c. 5. Matnæi ad illud, *non potest ciuitas abscondi* nomen ciuitatis de humanitate assumpta dicitur, sed provt in ea omnes nos continemur quod recidit in eam quam protulimus ciuitatis Dei pro Ecclesia vsurpationem. [Ciuitatem (inquit), carnem quam assumpserat, nuncupat; quia vt ciuitas ex varietate ac multitudine consistit cohabitantium, ita in eo per naturam susceptí corporis, quædam vniuersi generis humani congregatio continetur.]

*Est ergo Ecclesia, Ciuitas Dei & regia Christi.*

515 Ciuitatis huius structuram, ex omnibus gentibus tanquam lapidibus communibus, & Christo lapide angulari fundamentario simúlque etiam in summa parietum compage locato, ad omnia nectenda, exhibet pulcherrimè S. Augustinus in psal. 86. vér. 1. Et lapides quidem esse omnes Christianos, benè prosequitur Origenes hom. 9. in Iosue. Christum autem totius huius substructionis fundamentum esse frequenter repetit Apostolus: Et significatum perspicuè est Genes. 4. verbis illis. *Pastor egressus est, lapis Israel*, quæ Christo accommodant Patres tractantes eam benedictionem. Videndus de Christo angulari lapide, plenè ac eruditè differens Villalpandus in Ezech. parte 2. lib. 5. disp 2. cap. 54. & optimè item Benzonius in psal. 86. cap. 11. Quanta autem sanctitatis obligatio vniquique, iniiciatur, ex eo quod Christo fundamento superædificetur; quamquam dedeceat pretiosissimo illi fundamento, & Lapidi Electo, superstruere stipulas, aut fœnum, piè considerauit S. Bruno lib. de nouis cap. 7.

Et in humanis quidem ædificiis, idem non potest esse lapis fundamentarius, & caput anguli. At in ædificio ciuitatis Dei, rectè potest id valere. Audi S. Augustinum in psal. 86. [In ædificiis istis, non potest idem lapis esse in imo, & in summo. Si fuerit in imo, in summo non erit; si in summo fuerit, in imo non erit, angustias enim omnia pene corpora patiuntur, nec vbique esse possunt, nec semper. Diuinitas autem quæ vbique ad eam potest duci similitudo; & totum, potest esse in similitudinibus, quia nihil eorum est in proprietatibus. Numquid Christus est ianua, quemadmodùm videmus ianuas factas à fabro? Non vtique. Et tamen dicit, *ego sum Ianua.*] Adhibet alia exempla quibus id confirmet & illustret magis tum subdit. [Ergo fundamentum, & lapis angularis, ipse est, abimo surgens.] Mox id corrigit subdens. [Si tamen in imo. Etenim origo fundamenti huius, summutatem tenet. Et quemadmodùm fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritalis fabricæ, in summo est. Si ad terram ædificaremus, in imo nobis ponendum erat fundamentum. Quia cœlestis fabrica est, ad cœlos præcessit fundamentum nostrum.]

516 Attexo egregium locum, quo id pleniùs expendit, ex Ierm. 121. de diuersis cap. 8. [Attendat (inquit) Charitas vestra ædificium mirabile. Ædificia quippe ista terrena pondere suo terram premunt, totúsque nutus ponderum in ista structura, magnitudine ad terram nititur; & nisi contineatur, ad inferiora contendit,

contendit, quo pondus adducit. Quia ergo in terra ædificatur, in terra fundamentum præmittitur; vt supra fundamentum securus instruat qui ædificat. Ergo ponit in imo firmissimas moles, vt idoneè possint portare desuper quod imponitur, & pro magnitudine ædificij, magnitudo fundamenti præparatur: in terra tamen, vt dixi, quia & illud quod ædificatur, supra, vtique in terra collocatur. Hierusalem illa nostra peregrina, in cœlo ædificatur. Ideò præcessit fundamentum Christus in cœlum: Vbi enim fundamentum nostrum est, & caput Ecclesiæ: Nam & fundamentum dicitur, & caput; & reuera ita est, quia & caput ædificij fundamentum est, non enim caput est quod finitur, sed vnde incipit sursum versus. Terrenorum ædificiorum culmina subriguntur, caput tamen in terræ soliditate constituunt. Sic & caput Ecclesiæ præcessit in cœlum, & sedet ad dextram Patris. Quomodò operantur homines, vt ad constituendum fundamentum aliquid trahant, quod in imo stabiliant propter securitatem superuenturæ molis in constructionibus fabricæ futuræ: sic per omnia illa quæ contigerunt in Christo, nasci, credere, comprehendi, contumeliam pati, flagellari, crucifigi, occidi, mori, sepeliri; velut attracta est moles ad fundamentum cœleste. Posito ergo in summis fundamento nostro; ædificemur in eo. Audi Apostolum: *fundamentum,* (inquit,) *aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* ] Legesis insuper in Psalm.29. enarratione prima *in fine.* Hoc vocant fundamentum fundamentorum, Rabbini apud Galatinum lib. 3. cap. 21. intelliguntque eo nomine fundamentum perfectissimum. Huic ergo fundamento alia fundamenta Apostolorum & Prophetarum imponuntur, quibus super ædificantur cæteri, & ex omnium coædificatione consurgit ciuitas Dei, de qua dicta sunt gloriosa: quamque Deus, vt ab hostibus vndecumque imminentibus secura esset, munitam voluit.

### *Munita muris, turribus, & arce.*

517 Planè munitam, & muris, & turribus, & arce. [ Murata est enim ciuitas Dei, ( ait S. Ambrosius in Psalm.47. ) ideoque alibi dicit Dominus: *Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos.* Distincta est turribus, de quibus insidiator possit, si appropinquare cœperit, deprehendi. Habet ille exercitus suos quibus animas Dei obsidere consueuit, admouere machinas, vt possit turres expugnare munitas. Sed vos (inquit,) prædicate de turribus. Est enim in turribus Hierusalem, abundantia. Prædicate iustitiam, monete custodiam. Sapientia enim in exitu canitur, & in murorum aliissimis prædicatur. Et alibi iterùm dicit; *in muris tuis constitui custodes, diebus ac noctibus in finem non tacebunt.* ]

Rursus serm.22. & vltimo in Psalm. 118. vltimo, tractans illud Canticorum 8. *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea,* sic scribit de muris & munimentis ciuitatis Dei. [ Murus est anima sancti. Habet & Ecclesia muros suos, quæ iam perfectior dicit; *ego ciuitas munita.* Hic est murus qui habet duodecim portas Apostolicas, per quas populo nationum pater ingressus in Ecclesiam. Sed murus quamuis ambitum totius orbis includat, tunc tamen est munitior, cum receptacula habuerit præparata, in quibus propugnatores vbis, tutum spectandi ac tuendi possint habere subsidium. Sed quia rationalis hæc ciuitas est, & omnis spes eius in Dei verbo est non ferrea, sed argentea ei propugnacula requiruntur, eloquiis cœlestibus magis quàm corporis voluptatibus, hostiles impetus repulsare consueta. ]

Murus est Christus; iuxta S. Gregorium 20. Moralium cap.22. tractantem illud Iobi, *quasi rupto muro & aperta Ianua irruerunt super me, & ad meas miserias deuoluti sunt.* [ Quid hoc loco *muri* nomine, nisi Redemptor humani generis appellatus? De quo pro sanctæ Ecclesiæ ædificatione per Prophetam dicitur; *Ponetur in ea murus, & antemurale.* Ipse enim nobis murus est, qui ad corda nostra pertingere malignorum Spirituum cursum vetat. Qui nostræ quoque fidei, etiam antemurale posuit, quia priusquàm se per carnem ostenderet, prædicatores sui mysterij Prophetas misit. Rectè quippè *antemuralis* nomine vocantur, quia dum subsequentem prædicauerunt Dominum, quasi ante murum steterunt. ]

518 Aliter S. Bernardus serm.5. de Assump. [ Ponitur murus continentiæ, ante murale patientiæ. Surgit autem hoc opus à fundamento fidei, & crescit per dilectionem proximi vsque ad Charitatem Dei, quæ est in superiori tabulato, & in propugnaculis eiusdem muri: quia nimirum nunc perfecta est virtus continentiæ, quando in vnitate fidei cum proximi communiter viuentes, non supplicij metu, vel humanæ laudis appetitu, sed solo diuini amoris obtentu, à peccatis nos continemus. Vel certè ideò charitas Dei, ( qua scilicet nos diligit, ) super murum esse videtur, vt pro continenti suo propugnare significetur, & quia continentia crebris validisque tentatoris ictibus resistere non possit, nisi eius gratia protegatur. Idcirco enim antemurale patientiæ ponitur, ne ad impugnandam continentiam facilis Diabolo pateat accessus. Qui ergo protegente patientia continenter viuunt; ipsi benè cum Apostolo protestantur & dicant; *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Vides quàm solidus sit continentium murus, quos neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua potest separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu.

Turres esse fortes animas, docet S. Ambros. serm.4. in Psalm.118. verbis illis. [ Fortitudinem animæ dicit sapientia; *sicut turris Dauid, cervix tua quæ ædificata est in Thalpio, mille ostia pendent in ea, omnia iacula potentium.* Erecta enim ad Deum ceruix, & iugo Christi habilis, quæ nulla in terrarum illecebras inflexione curuetur, sicut Christi regalis est turris, cui iugum suum Nabuchodonosor non possit imponere. Condidit enim turrim illam Dauid, ille manu fortis, & supra murorum ædificauit excelsa, vt subsidio pariter, & decori sit. Subsidio quia hostem præuidet & repellit. Decori, quia non solùm inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet

supereminet. Ita tamen subsidio vel decori, si habeat in se verbi dogmata velut quædam phalerarum monilia : habeat etiam iacula potentium Prophetarum, quæ aduersùs omnem extollentem se altitudinem, lacertis quibusdam fidei dirigunturi ] Non deest arx sapientiæ, ædificata cum propugnaculis, præcinctaque fossa profundæ humilitatis, vt S. Bernardus Philosophatur serm. 1. de pugna spirituali. Non est igitur quod ciuitatis huius incolæ sic diuinitus communiti, malè sibi metuant ab hostibus, qui circum eam assiduè fremunt. Omnes enim eorum machinæ, ad tam firma propugnacula, irrite cadent.

### *Vici, plateæ, commoda insignia, ciuitatis à Rege Christo, constructæ.*

519 Sunt in hac cælesti ciuitate, domus & palatia, de quibus postea: sunt vici & plateæ. Vicos, Religiosis arctam viam proficientibus, plateas, bonis secularibus confert Richardus Victorinus cap. 2. Cant. ad illud, *per vicos & plateas inquiram, quem diligit anima mea.* Quæcumque verò ad bonam & fœlicem ciuitatem concurrere necesse fuerit, exquisitissimè in istam cadunt. Numerat ea Aristoteles 7. Polit. & Leo Albertus lib. 4. de Arch. cap. 2. reducuntque ad aëris puritatem, quæ ferè pendet ex situ, non in palude, aut loco non perflabili, sed loco edito : facilem vndecumque appulsum, & fluminis præter fluentis decursum. Nihil horum in ciuitate Dei desideratur. Nam & supra montem est posita, & commodum ad eam accessum prodit iugis affluxus populorum, imitantium sese ad eam, atque dicentium; *venite, ascendamus in montem Domini.* Denique eam fluminis impetus lætificat. Audi S. Ambrosium in Psalm. 45. [ De corpore Domini flumen exiuit, quando de latere eius aqua fluxit & sanguis, quo lætificauit animas vniuersorum, quia illo flumine lauit peccatum totius mundi. Est & fluuius qui de Eden exit, & circuit vniuersam terram, verbum Dei quo paradisus intelligibilis irrigatur, & omnis anima vocatur ad gratiam Christi, dicente ipso Dei Verbo; *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Cui ego dedero aquam, flumina de ventre eius fluent aqua viuæ.* Ex illo enim vnico Dei Verbo, quatuor fluuiorum prudentiæ, & fortitudinis, temperantiæ quoque & iustitiæ, fluenta manarunt. *Alij enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij fides in eodem Spiritu; alij gratia curationum in vno Spiritu; alij operatio virtutum: hæc enim operatur omnia vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Hi sunt impetus fluminis, cum se in gratiam ministeriorum operationis atque virtutis, spontanea diuisione transfundit. His igitur fluminis supernimeatibus, ciuitas illa in qua Deus inhabitat, irrigatur. ] Insinuat tantam huius vtbis fœlicitatem, nomen quod à Rege suo est consecuta. Fuit enim trinomia, vt obseruat D. Hieronymus epist. 17. Nam primùm quidem dicta est *Iabus*; ideſt *conculcata*, cum subesset Iæbusæis, & dæmoniorum ac vitiorum conculcationi pateret. Tum regnante in ea per fidem Christo, dicta est *Salem*, ideſt *pax in virtute eius, & abundantia intra turres.* Ea tamen pax non est omnino aperta. Subsequetur ergo in cœlo, *visio pacis* tuntque dicatur *Hierusalem.*

### *Anima quæque iusta, & specialiter Deipara, ciuitas Christi.*

520 Nec verò vniuersalis tantùm Ecclesia, est ciuitas Dei, sed & partialis: atque adeò cuiuslibet iusti anima, vt latè prosequitur Innocentius III. serm. 2. de communi Apostolorum. Audi etiam auctorem libri de Spiritu & anima, perperam Diuo Augustino tributi, cum sit cuiusdam Cisterciensis vt D. Thomas tradit. sic habet cap. 37. [ Nobilis creatura est anima. Ciuitas namque Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt, quod ad imaginem & similitudinem Dei facta est. Hæc ciuitas, Hierusalem meritò appellanda est, quia ad fruendum visione illius summæ pacis quæ fecit vtraque vnum, creata est. Mens eius paradisus est, in qua cum cœlestia meditatur, quasi in paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi patris familias est anima, per vnitatem morum; sponsa Christi per dilectionem; templum Spiritus sancti per sanctificationem; ciuitas regis æterni per pacem & concordiam ciuium. Et quia nulla est ciuitas absque populo, disposuit in ea conditor noster, populum triplicis gradus, id est sapienter ad consulendum, milites ad propugnandum, artifices ad ministrandum. Ciues huius ciuitatis, sunt naturales & ingeniti animæ vigores tanquam indigenæ, quorum distincti sunt gradus, quia alij superiores, alij medij. Superiores quidem sunt intellectuales sensus, medij rationales, infimi animales. Quorum differentia hæc est; Animalis siue sensualis, appetit sensibilia, siue visibilia; Rationalis discernit & discretionis oculo aspernatur ea. Intellectualis perrahit ad diuina. Intellectuales igitur sensus, sunt tanquam animæ consiliarij, dicentes ei, *Deum time, & mandata eius obserua: propter hoc enim est omnis homo.* Rationales sunt tanquam milites, qui hostes concupiscentiarum impugnant per arma iustitiæ. Animales seu sensuales, sunt tanquam rustici & artifices, qui corporalibus rudimentis insistunt, & corpori necessaria ministrant. ] Specialiter, B. Virginem esse ciuitatem insignem fusissimè prosequitur Richardus à S. Laurentio lib. 11. de ea, vbi minutissimè omnia ad ciuitatem pertinentia, siue quoad structuram, siue quoad ornamenta, siue quoad rectionem, ei accommodat. Similiter Deiparam, esse ciuitatem insignem, ex multis Patribus docent Benzonius in Psalm. 86. cap. 19. & Spinellus cap. 5. num. 25.

### *Nulla comparatio aliarum Regiarum ciuitatum.*

521 Quæcumque ex propositis Dei ciuitatibus attendatur, non est talis ciuitas ædificata in vniuersis regnis. Romam indigetarunt mundi miraculum; mundi compendium, arcem nationum ac Regum, cui par est nihil, & nihil secundum. Cum sole manus dispergentem, quæ nihil in terris complectitur altius, cuius nec spatium visus nec corda decorem, nec laudem vox vlla capit; communem orbis patriam; aliisque gloriosis titulis honestatur,

quos congestos videre licet apud Lipsium lib. 1. de magnit. Romana cap. 2. De sua Babylone gloriabundus iactauit Nabuchodonosor, *nonne hæc est Babilon magna, quam ego ædificaui in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in Gloria decoris mei?* Niniuem prouinciam vetiùs quàm vrbem, scriptura ipsa describit gloriosissimam, & omni ex parte Megalopolim. Aduersùs has & alias quascumque celeberrimas ciuitates, idem iuris esse dixerim fortunæ ideſt mutabilitati, quod aduersùs homines, vt est apud Senecam Epist. 91. qui vt cladem Lugdunensi vrbi inexpectato incendio illatam leniret, adiunxit. [ Omnium istarum ciuitatum, quas nunc magnificas, ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. Non vides quemadmodùm in Achaia clarissimarum vrbium iam fundamenta consumpta sunt, nec quidquam exstet, ex quo appareat illas saltem fuisse? Non tantùm manufacta labuntur, non tantùm humana arte atque industria posita versit diesque iuga montium diffluunt, totæ desedere regiones. Operta sunt fluctibus, quæ procul à conspectu maris stabant: vastauit ignis colles, per quos elucebat; erosit & quondam altissimos vertices solatia nauigantium, ac speculas, ad humilem arenam deduxit. Ipsius naturæ opera vexantur: & ideò æquo animo ferre debemus vrbium excidia. Casura omnia exstant; omnibus exitus manet: siue interna vi flatúque præcluso, violenti pondus sub quo tenentur, excusserint; siue terrentium in abdito vis obstantia effregerit; siue flammarum violentia compaginem soli ruperit; siue vetustas à qua nihil tutum est, expugnauerit minutatim; siue grauitas cœli eiecerit populos, & situs deserta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias, longum est: hoc vnum scio, omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt, inter peritura viuimus. ] Nihil hic supra fidem aut per amplificationem dictum videri debet. Romæ quantum de pristina maiestate decesserit, quamque multis partialibus funeribus subiacuerit, vt loquar cum Antonino, docent rudera. Cecidit Babilon; Niniuem exclusis hominibus, latibulum omnis generis bestiis præbuisse tradit S. Hieronymus lib. 5. in Esaiam cap. 13. Sola Dei ciuitas, fundata est in æternum. Nam & Dei ædificatio est, vt ratiocinatur Zeno Veronensis serm. in psal. 126. caducitatem ciuitatum ab hominibus ædificatarum contestatus.

### *Templi à Christo constructi, & Salomonici, de magnificentia contentio.*

522 Est insuper magnificentissimum templum Ecclesia, quomodocumque spectata, & quidem viuum. Idolis enim, (quippè inanimatis), templa inanimata congruebant. Deo autem viuo & vero, templa debentur viua, ait pulchrè S. Zeno serm. de spirituali ædificatione domus Dei. Hoc templum, Christi Regis à quo exædificatum est, Gloriam contestatur. Quod autem nullum vsquam templum exæquarit magnificentia Salomonicum, non erit quod in Ecclesiæ templo magnificentissimo exhibendo, typum alium vel adumbrationem quæramus, quàm templum illud quod vt Prosper egregiè notauit lib. contra Collat. cap. 25 magno mysterio structum est, non à Dauide qui id ardentissimè optabat, sed à Salomone filio Dauidis, vt per filium hominis significaretur filius Dei & hominis, & quidem ex Dauide oriundus, eique promissus: & per templum dissolubile, indicaretur tabernaculum incorruptibile, ad cuius condendam Imaginem, & voluntas Dauid probata est, & opus in eum translatum est, cuius persona magis eidem imagini congruebat. Nec promissum Dauidi factum, de ædificando per Filium eius templo Domini, propriè & per se primò pertinebat ad templum illud materiale, quod à Salomone, carnali Dauidis filio ædificatum est, vt censet S. Ambrosius Apologia Dauid. Verùm ibi quoque templum non corporale, non materiale promittitur; (neque enim Deus in manu factis habitat. Sed templum est Sancta Ecclesia: quæ vtique non humana, sed cœlesti virtute fundatur. Non est autem quod in hac Ecclesiæ & Salomonici templi contentione facienda, diligentiam probemus: Esset enim res immensæ operæ, & accuratè tradita à Beda, toto libro de templo Salomonis, nec non à S. Brunone de laudibus Ecclesiæ cap. 4. & à Gisleberto cap. 16. Alterc. Item ac Eucherio 3. Regum 7. & ab Angelomo ibi c 9 Hugone Victorino in Allegoriis 3. Regum pleneque ibidem ab aliis antiquis, ac inter recentiores à Ribera lib. 1. de templo à c. 19. ad 25. & à Villapando tomo 2. parte 2. lib. 1. Isago. c. 10. Quare pauca quædam generatim attingere, satis ad rem præsentem erit

Malunt quidem S. Chrysostomus in Psal. 14. ad illud *quis habitabit in tabernaculo tuo.* Et S. Gregorius ad finem psalmi 50. templum Salomonicum quod stabile & in monte fuit, fuisse potiùs typum cælestis Ecclesiæ quàm militatis. Hanc enim expressam potiùs aiunt per tabernaculum, quod mobile erat & peregrinantibus (cuiusmodi nos sumus), accommodatum. Tamen dempta instabilitate, & magnitudine minore, ac longè etiam minore magnificentia tabernaculi, quibus à templo discrepabat; in cæteris vtrumque ad eandem ideam Mosi primùm propositam, & seruata quantum fieri potuit proportione vtriusque, (vt notat Ribera lib. 1. de templo cap. 7.) constructum est; ita vt tabernaculum, quod dixit Philo lib. 3. de vita Mosis *initio*, aliud non fuerit, quàm templum ambulatorium. Proindéque salua manet quoad reliqua templi Salomonici, & Ecclesia à Christo constructæ, analogia: quam solam nunc placet attendere, dimissa analogia ipsius-met Christi & tabernaculi fœderis, quæ instituitur ab Anasthasio Sinaita lib. 4. de rectæ fidei dogmat. siue Oratione de Christi passione & impassibilitate *ferè in fine.*

### *Circunstantiæ ædificationis vtriusque templi, librata.*

523 Ac primùm area in qua ædificatum est templum Salomonis, optimè refert Ecclesiam vt notauit Angelomus extremo libro 2. Regum post Bedam cap. 5. de templo & S. Hieronymum Epist. 17 *sub initium* quia in Ecclesia Dei pretioso Christi sanguine coëmpta, erectum est à verò Dauide altare fidei, quo excitato, confestim pesti impietatis quæ vbique grassabatur

sabatur, cessauit. Et quidem grassata est pestis à manè vsque ad horam praudij : hoc est, vt S. Cyrillus lib. 3. de adorat tractans locum illum 2. Regum cap. 24. interpretatur, à primis seculi temporibus, ad tempus vsque Sanctæ illius ac mysticæ mensæ, in quâ pane illo cælitùs dato atque vitali vescimur. Bellè autem quadrat in aream, ratio quam ibidem subiicit S. Cyrillus, cur Ecclesia dicatur area : nempe quod in ea terantur spicæ, vt iis expurgatis, & palea seposita, ac per ventilabrum cuius Baptista Lucæ 3. meminit, plenè purgatum trìticum inferatur in horreum Dei. In ea area ædificatum est à Salomone, vero Rege pacifico, templum Dei per annos septem. Quo nomine, totum labentium seculorum tempus signatur. Initium autem ædificandi, factum est anno 4. Regis Salomonis mense 2. & finitum eiusdem Regis anno 11. mense 8. Inchoato enim 4. anno prædicationis Christi, fundata est Ecclesia, post peractum Pascha, quod primo mense celebrabatur. Quamquam plerique Iudæorum, immundi super anima, idest ex contactu mortui, quia Christo necem intulerant, cum non celebrassent mense primo Paschа, nec in verum Dei agnum credidissent, celebrarunt Paschа mense 2. iuxta legem latam Numerorum 9. Ideſt, crediderunt in Christum in Pentecoste : sicque ædificari cæpta est Ecclesia, & finita anno 8. Salomonis, & 8. mense : quia octaua Clausulam mundi designat, vt Beda notat lib. de Templo c. 17. vnde & pro octaua multi inscribuntur psalmi. Ædificatum porrò est templum, non à solis Iudæis, sicut tabernaculum quod typus erat Synagogæ, vt Beda ibidem ait c. 5. sed à Iudæis simul & Gentibus : Tyriis scilicet, Sidoniis, & aliis, à Salomone aduocatis : quia Dei Ecclesia sub Hebræis magistris, ad Gentes diffusa est, aliter quàm Synagoga, quæ Iudææ finibus mansit conclusa Quo etiam spectat quod area in qua ædificatur templum, non Hebræi hominis erat, sed Iebusæi. Eratque ille ipse locus, in quo Abraham filium Immolaturus processit : quia vt est apud Apostolum 2. Corinth. 4. habemus eundem Spiritum fidei cum antiquis Patribus; eadem cum illis Et credit & loquitur Ecclesia. Situs templi erat ad Orientem, vt plena lux per Ecclesiam à Christo iustitiæ & veritatis sole excipienda proderetur.

### *Correspondentia variarum vtriusque templi partium.*

514 Iam partes templi variæ, diuersos Ecclesiæ ordines notant, iuxta S. Hieronymum lib. 2. contra Iouinianum : vbi ex variis templi mansiunculis, & exteriore ac interiore atrio ; nec non vestibulis & Sancto, & Sanctis, Sanctorum, (quæ diuersæ erat templi partes, aliæ aliis Sanctiores & venerabiliores,) colligit esse varios meritorum ordines in Ecclesia. Beda lib. de templo cap. 7. tres ordines cellarum circum domum Sacram, interpretatur ordines coniugatorum, continentium, & virginum. Rupertus in tertium Regum, tres ordines in iisdem domumculis expressos, censuit esse tres ordines qui apud Ezechielem c. 4. nominibus trium Sanctissimorum hominum ; Iobi Noë, & Danielis notantur : Ideſt, ordinem sanctè Deo seruientium in coniugio, cuiusmodi fuit Iob : ordinem Prælatorum atque Doctorum, qui sicut Noë arcam Dei in fluctibus regunt ; Et denique ordinem conteplationi addictorum, qui verè sunt viri desideriorum, sicut Daniel. Non multùm hinc abest Petrus Blesensis serm. 2. agens de variis Trinitatibus, cuius hæc est oratio. [ Sacerdos noster secundùm ordinem Melchisedech, in Ecclesia sua, tres saluandorum ordines ordinauit ; Coniugatos, continentes, prælatos : tres scilicet viros, quos videt Ezeciel in spiritu saluandos. Noë, Daniel, & Iob, qui nihilominus etiam præcesserunt caput prius quàm prodiret ad ortum. Ex hastili enim candelabri, tres hinc progrediebantur calami, & tres inde ; Hi tres sunt in domo summi patris familias, ministrantes secundùm ordinem vicis suæ. Primus in mola, secundus in lecto, tertius in agro. Ecce quomodò Deus per Trinitates omnia dispensat in cœlo, & in terra, vt non minùs verè, quàm eleganter dictum sit, *numero Deus impare gaudet.*] Idem Beda lib. citato c. 16. præmisso ex Cassiodoro in Pandectis ad psalmos, triplici ordine porticuum & atriorum templi, quorum ordinum vnum cum Pontifex in Sancta Sanctorum ingrediebatur & Sacerdotes ritè expiati templo continerentur, occupabant Sacerdotes non expiati, Leuitæ & cantores ; alter verò Iudæis Loricis expiatis addictus erat : tertius denique gentibus & omnibus promiscuè patebat ; hoc inquam triplici atriorum ordine distincto in templo, Beda, per eam ordinum varietatem varios hìc Ecclesiæ status signatos agnoscit : Perfectos nimirum in atrio Sacerdotum, & carnales in atrio exteriore ; qui fide, spe, & charitate contenti altiora non quærant ; atrium gentium iis addicere possumus qui destituti charitate & extorres à Deo, per orationem tamen & implorationem nummis, accedere ad Deum satagunt. Itaque vniuersos Ecclesiæ militantis status & ordines, illæ quas dicebam Salomonici templi partes adumbrabant. Quæ verò reliqua ex eo erant, beatos cælites, qui vnum cum Ecclesia militante perfectum corpus, & vnum consummatum Dei templum efficiunt ; ipsumque inprimis Christum, qui verè Sanctum Sanctorum est, & totius Ecclesiæ caput ac vertex, præsignabant. Sic manifestè impletum vides operéque perfectum, quod Prosper parte 2. de prædict. cap. 27. in templi Salomonici ad Ecclesiam aptatione tradidit : [Quia Deus non in manu-factis templis habitat, Rex noster, vera pax Christus Dominus ex lapidibus viuis Domum struens Spiritalem, fidelium corda suorum, non tantùm singula templa in singulis, sed vnum ex omnibus templum fecit.

### *Fideles quique, Christi templa ; & quanta inde Sanctitudinis necessitas.*

515 Singula in singulis templa, ex quibus vnum totale templum existat, constructa à Christo ait Prosper, alludens ad illud Apostoli *templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Esseque hoc templum veriùs templum Dei, longeque perfectius, quàm sint omnia terreno opere constructa docet egregiè Origenes hom. 20. in Lucam. Partes huius templi, proportionales partibus materialium templorum, accuratè exhibet

hibet Hugo Victorinus serm. 2. de Eccles. Dedic. Ex loco portò Apostoli proximè adducto, S. Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli, magnam necessitatem cuiuis iniicit, mundandi & integrum seruandi seipsum, quod templum dirutum & sordens non inhabitet Deus. Idem potenter serm. 16. de verbis Apostoli, argumentatur aduersùs eos qui peccata quæ corpore admittuntur, negabant à Deo magni fieri, quod templum Dei sit anima non caro, quæ potiùs in Scripturis *fœnum* dicitur. [ Infœlix interpretatio, ( inquit ) punienda cogitatio. Fœnum dictum est caro, quia moritur, sed quod ad tempus moritur, vide vt non resurgat, cum crimine. Vis nosse apertam inde sententiam? *Nescitis*, ( inquit idem Apostolus, ) *quia corpora vestra templum in vobis sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo?* Contemnis corporale peccatum, contemnas quod peccas in templum; Ipsum corpus tuum, templum in te est Spiritus Dei. Iam vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modò autem tu ipse es templum Dei, templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, & in ruinam vertaris. *Nescitis*, ( inquit, ) *quia corpora vestra*, ( & hoc de fornicatione loquebatur Apostolus, ne contemnerent corporalia peccata, ) *templum in vobis sunt Spiritus sancti quem habetis à Deo?* Et *non estis vestri; empti enim estis pretio magno.* Si contemnis seruum tuum, considera pretium tuum. ] Vide ibidem serm. 18. & serm. 52. de temp. Copiosè & fortiter idem argumentum vrget Chrysostomus homil. 18. in primam ad Corint. ad illud, *portate Deum in corpore vestro.* Tertullianus breuissimè idem argumentum tetigit lib. de cultu fœm. cap. 1. [ Omnes templum sumus Dei, illato in nos, & consecrato Spiritu sancto. Eius templi editua & autistes, pudicitia est, quæ nihil immundum nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. ] Sanè luculenter S. Chrysostomus hom. 26. in ad Rom. *immediatè ante partem moralem*, violatores Charitatis maximi sceleris reos agit, ob violatum in proximo Dei templum. [ Si enim Ecclesiam suffodere graue est & sceleatum, multo magis si hoc templo spiritali fiat. Augustior quippè est homo, magisque venerandus, quàm Ecclesia. Non enim propter parietes mortuus est Christus, sed propter ista Spiritus sancti templa. ] Omnes alios peccatores, tanquam sacrilegos violatores templi Dei, reos similiter agit immani celeris Gul. Paris. tractatu de Sacrament. pœnitent. cap. 21.

### *Aræ, statuæ, templa, Christianorum, iuxta Origenem, pij quique.*

526 Sed quod singulos fideles, pro singulis templis Christi Regis manu constructis, haberi volebam cum Prospero, posset illustrari expensione plurium huiusmodi singularium templorum. Quàm enim Augustum Dei templum, sanctissima Deipara? quod latissimè prosequitur Richardus à S. Laurentio lib. 10. de ea, *à pag. 622.* Sancti denique omnes singulares, templa Deo sacra fuerunt; & hoc esse templum verum quod Deus quærit, affirmat Seneca apud Lactantium lib. 6. cap. 25. Tradit idipsum Origenes planè luculenter lib. 8. contra Celsum; vbi cum obiecisset Celsus, Christianos auersari templa, & aras, ac statuas Deorum, vt ea seu tessera, occulti fœderis fidem sancirent, respondet. [ Pro aris, nobis esse mentem suam cuique, ex qua sursum feruntur verè ac intelligibiliter suaueolentes suffitus, preces è pura conscientia; quapropter dicitur apud Ioannem in Apocalypsi: *suffitus autem sunt orationes sanctorum*; Et in hymnis Dauidis, *fiat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.* ] De statuis verò, sic respondet Origenes. [ Simulachra Deo dicanda, sunt, non fabrorum opera, sed à verbo Dei dedolata, formataque in nobis; videlicet virtutes ad imitationem primogeniti totius creaturæ, in quo sunt iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis, sapientiæ, pietatis, cæterarumque virtutum exempla. Hæ sunt statuæ Deo dicatæ, in animis iustitiam iuxta præceptum Dei, & fortitudinem, & pietatem, reliquasque virtutes exercentium, quibus decentet honorari credimus omnium huiusmodi statuarum archetypum primum, imaginem inuisibilis Dei, Deum vnigenitum. Quin & hi qui exuti veterem hominem cum operibus eius, induti sunt nouum qui renouatur in agnitionem iuxta sui conditoris imaginem, recepta hac imagine, simulacra in se ipsis faciunt qualibus delectatur Deus Optimus Maximus. Et quemadmodùm inter simulacrorum artifices, quorundam vsque ad miraculum excellunt opera, vt verbi gratia Phidiæ, aut Polycleti, aut inter Pictores Zeuxis & Apellis; aliorum minùs bona sunt, ac rursus aliorum deteriora; in summa plurimum interest inter apparatum statuarum & imaginum: ad eundem modum sunt qui faciant simulachra Dei rerum omnium Domini egregia, per absolutissimam scientiam, ad quæ collatus nullius pretij videri possit Phidiæ, Iupiter Olympius, si spectes pulchrè repræsentatam Dei conditoris imaginem. Sed in tota creatura nemini hoc contigit fœliciùs & excellentiùs quàm Seruatori nostro, cuius vox est hæc; *Pater in me est.* Vnus quisque tamen qui eam imitatur pro viribus, simulachrum est iuxta conditoris imaginem, quod absoluitur, dum quis imitatur eum puro corde intuens. In summa omnes Christiani conantur, dedicare aras & statuas quales diximus, non sensu & anima vacuas, nec lurconibus Dæmonibus animarum seductoribus infestas, sed Dei Spiritu inhabitatas, propter virtutes quas diximus, & conditoris imaginem agnoscente suum domicilium, sic etiam Christi Spiritus insidet suis, vt ita loquar conformibus.

Tandem de templis sic statuit post aliqua conformiter omnino ad ea quæ ex S. Augustino aliisque præmisimus. [ Quod si etiam templa templis conferenda sunt, vt discant Celsi fautores non obstare nos, quominùs templa condantur conuenientia iam dictis aris & statuis; cauere tamen ne omnis vitæ largitori templa struamus exanima: audiat qui vult, nostram doctrinam quod corpora nostra templum Dei sunt, & quod si quis per intemperantiam, aut per peccatum aliud corrumpit templum Dei, is peribit vt in verum templum verè impius; omnium

omnium autem huius generis templorum longè præstantissimum erat sacrum illud & purum corpus Seruatoris nostri Iesu : qui sciens posse quidem ab initio insidias strui templo quod in se erat, hanc tamen sceleratam voluntatem insidiatorum non præualituram contra ædificatricem eius templi Deitatem, ait ad ipsos : *Soluite templum hoc, & ego intra triduum excitabo illud, hoc autem dicebat de templo sui corporis.* ] Et post nonnulla, [ Sicut fit de istis vulgaribus templis prophanis vt suum quæque ciuitas iactet apud alias ; & vehementer sibi placeat, si contingat habere præstantius, velut arguens aliorum populorum in hac parte negligentiam, qui se superari sinerint : sic obiicientibus nobis quod non colamus numen in templis sensu carentibus, nos vicissim nostra templa ostentamus : & docemus eos, modò non ipsi quoque more suorum Deorum sensu careant, quod nullo pacto conferri debeant, vel nostra simulachra cum simulachris gentium, vel altaria nostra suffitusque cum ipsorum cruentis aris & nidoribus : ac ne templa quidem nobis probata, cum sensu carentibus templis insensatorum hominum, quibus ne in mentem quidem venit, quid sentiendum sit de Deo, & de eius statuis, templis, altaribus. ]

## *Iidem, lapides viui, coædificati, & quales lapides.*

527 Sic porrò singuli templa sumus, vt ad vniuersale ex omnibus existens templum ( quod aiebam cum Prospero esse Ecclesiam, ) singuli se habeant vt lapides coædificandi, vt loquitur Apostolus Ephes. 2. Et idem habetur 1. Pet. 2. & Isaiæ 14. ac 54. quæ loca sic illustrat Origenes lib. 8. contra Celsum. [ Vnusquisque conspirantium in veram pietatem per verbum Dei, lapis est pretiosus insertus structuræ templi Dei ; quemadmodùm Petrus dicit ; *Vos autem ædificati estis lapides viui, & domus Spiritualis in Sacerdotium sanctum offerre Spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Et Paulus ; *ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu Domino nostro*, huc pertinet etiam illud Esaiæ oraculum mysticum, alloquentis cœlestem illam Hierusalem in hanc sententiam ; *Præparo tibi carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua, Saphirum, & propugnacula tua Iaspidem, & portas tuas lapides Chrystallinos, & mœnia tua lapides lectissimos, & omnes filios à Deo doctos : & in multa pace filij tui, & ædificaberis in iustitia.* Sunt igitur quidam iustorum, lapis carbunculis, alij saphirus, alij iaspis, alij chrystallus, & sic omne genus electorum pretiosorumque lapidum, iusti sunt. ]

In *coædificandi* porrò voce, quam adhibet Apostolus citato capite, cum ait, *& ipsi vt lapides viui coædificamini*, vt acutissimè deprehendit S. Augustinus serm. 13. de verbis Apostoli, cap. 12. & diuinæ gratiæ ad iustificationem necessitas, & liberi arbitrij cum gratia cooperatio, insinuata egregiè est. Tractans enim Augustinus illud Christi, *sine me nihil poteritis facere*, subdit. [ Iam nunc cum auditis, *quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei*, nolite vos demittere. Neque enim templum suum sic de vobis ædificat Deus, quasi de lapidibus qui non habent motum suum : leuantur ab structore, ponunturque. Non sic sunt lapides viui ; *Et vos tanquam lapides viui coædificamini in templum Dei.* Ducimini sed currite, & vos ducimini, sed sequimini ; quia cum sequuti fueritis, verum erit illud quia sine illo nihil facere potestis. Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. ] En quomodò lapides qui ædificantur in templum Dei ; & à Spiritu Dei aguntur, & tamen non se habent vt quid materiale, sed præeunte Deo, ipsi quoque se agunt & mouent, adiuuante semper & cooperante Deo per Christi sui merita. Quod pulcherrimè expressit Antiochus hom. 1. *initio*, cum crucem qua Christi pro nobis merita maximè continentur, describit tanquam admirabilem machinam, funibus Spiritus sancti applicitis, sustollentem lapides viuos in ædificium Dei. Verba eius sunt. [ Quisquis perfectè credit, lapis est templi Dei, lapis est solerti apparatu læuigatus, & exæquatus in substructionem Dei Patris ; lapis in sublime euectus machina quapiam admirabili Iesu Christi, quæ crux eius est ; præsidio adiutus funiculi, qui Spiritus sanctus est : Fides hominis, prædux viæ est : Charitas, ipsa via est, ad Deum vsque subuehens hominem. Qui eiusmodi est, Theophorus fit, siue Christophorus ; templum insuper Dei & sanctorum sedulus lustrator locorum, nulla non sui parte per obseruationem mandatorum Iesu Christi perpolitus & adornatus. ]

528 Idem habet Methodius, fragmento de vtilitate crucis, *in fine*, apud Gretserum Tomo 2. de Cruce : præiuerat S. Ignatius epist. ad Ephes. dicens. [ Christianos, vt lapides viuos, subuehi sursum per Christum pro nobis crucifixum, fide subductos à terra, elatos charitate, perpendiculo vsos Spiritu sancto. ] D. Augustinus non dissimiliter serm. 121. de diuersis cap. 7. actiones Christi quibus operatus est salutem nostram in medio terræ, vocat machinas huius ædificij, sic scribens. [ Architectus ædificat per machinas transituras domum mansuram. Nam in isto tam magno & amplo quod videmus ædificio, cum instrueretur, machinæ fuerunt, quæ hìc modò non sunt ; quia quod per eas ædificabatur, iam perfectum stat. Sic ergo fratres, ædificabant aliquid in fide Christiana, & perfecta sunt quædam machinamenta temporalia Dominus enim noster Iesus Christus, quod resurrexit transactum est, neque enim adhuc resurgit : & quod ascendit in cœlum, transactum est ; neque enim adhuc ascendit. Quod autem in illa vita est, vbi iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur, quod viuit in æternum, etiam ipsa in illo natura humana quam susciperc, & in qua nasci, & in qua mori, & sepeliri dignatus est ; hoc ædificatum est, hoc semper manet. Machinæ autem per quas ædificatum est, transierunt. Non enim semper in vtero virginali concipitur, aut semper de Maria Virgine nascitur Christus, aut semper comprehenditur, aut semper iudicatur, flagellatur, crucifigitur, sepelitur. Omnia hæc machinæ deputantur, vt ædificaretur, per has machinas, illud quod manet in æternum. ] His igitur machinis, subuehuntur lapides ad ædificium templi Dei.

Dolatos porrò hos lapides atque perfectos,

prius quàm ædificio templi Dei inferantur, ideſt pœnitentiæ ac mortificationis inſtrumentis expoſitos, ſuſtolli neceſſe eſt. Non in hoc templo, Dei valet quod de Salomonico dicitur 3.Regum 6. *malleus, & Securis, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* Nimirum quod ad priſcum illud templum attinet, quia vt Scriptura immediatè ante præmittit, domus cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt. Non placet ſubtilitas ſingularis Martini de Roa lib.2.Singul.cap. 3. Cui præiuit Genebr. in Pſalmum 17. verſu 38. quod non ſit auditus in templo malleus ferreus, quia omnia inſtrumenta illius temporis erant ærea. At hoc pugnat apertè cum ratione quam Scriptura adhibet, cur malleus tundens petras, & ferramentum non ſint audita in templo: nempe quia lapides tam apti ac dolati afferebantur. Præter quàm quòd, malleus æreus eſt verè malleus. Vnde ſi malleus æreus auditus fuiſſet in templo cum ædificaretur, verum eſſet dicere, malleum auditum ibi fuiſſe, contra Scripturæ aſſertionem. Ideirco ergo, (vt contra ludicras quorundam Rabbinorum imaginationes diſſerit Pineda lib.5.de Salom. cap. 5.num. 92.) lapides tunſionibus nouis none gebant, vt in ædificium templi diſponerentur, quia expoliti priùs erant. Quod Angelomus 3.Regum 6. Potho lib.3. de ſtatu Domus Dei *initio.* S. Greg. 3.parte Paſtor.admoinit.14. S. Ambroſius lib. 2.in Luc. cap. 31. Bleſenſis in cap.42. Iob. & paſſim alij, referunt ad cœleſtem Hieruſalem, vbi ceſſat dolor & gemitus quæ prima abierunt. Beda tamen lib.de templo cap. 4. ad præſentis templi Dei ædificium refert, vt nos fecimus. Ibi ergo dolati & perfecti lapides à cæmentario quem trulla operantem vidit Propheta ſuis coaptantur locis, & Chriſto fundamento fundamentorum (vt cum S. Auguſtin. in pſal.86.ſupra loquebamur) ſuperſtructi creſcunt in templum Sanctum in Domino: cuius conſtructio & perfecta eſt ab initio æui Chriſtiani, & ſemper durabit quamdiu mundus ſuperſtes erit. Potens omnino adhortatio, vt ſic conſtruantur in templum Dei habetur S. Bernardum ſerm.2.de Eccleſ.dedicat.

### *Encænia, & illata in vtrumque templum proportionalia ornamenta.*

529 Conſtructum plenè Templum, dedicauit Salomon, & illatis in illud Sacris omnibus tabernaculi vaſis & ornamentis, arca præſertim & candelabro ſeptemplici, ſanctificauit, ex indéque in eo eſt Sacrificatum; ſicque dirutum eſt & abiectum tabernaculum antiquum, quod ſteterat illucuſque. Omnia hæc longè verius & ſublimiùs in templo per Chriſtum conſtructo, videre licet. Nam dedicationem quidem Eccleſiæ, celebrauit ſummus Pontifex Chriſtus, demiſſo in eam Spiritu Sancto, qui eſt interna eius Sanctitas, longè potior extrinſeca quauis Sanctitate, cuius ſolius capax erat antiquum templum. In ſingulari verò, quoties ſingulatem aliquem lapidem ad hoc ædificium adiungit, ipſa adiunctione conſecrat & dedicat Deo, vt benè attigit Gul.Pariſ. tract. de Sacramentis in genere cap. 2. Quomodò tamen ipſa adiunctio, omnes ritus ſacros quibus templa hodie conſecrantur myſticè contineat, pulchre proſequitur Petrus Bleſenſis ſerm. 36.& eleganter Gul. Pariſ.lib. de legibus cap. 29.& vltimo, nec non S. Bernardus ſerm.1. de dedicat. Eccleſiæ, Hugo victorinus lib. 1. de Sacramentis per decem prima capita, & Patrum ac Tractatorum plerique, exponentes Ceremonias Eccleſiaſticæ conſecrationis, quos defloruit Durantius lib. 1. de ritibus cap. 24.à num.8. Fulbertum Carnotenſem egregiè in eo argumento verſatum, laudat Petrus Damiani ſerm.69.& fusè quoque integro ſermone idem proſecutus eſt Iuo Carnotenſis.

Iam verò illatio ornamentorum antiqui templi in Dei Eccleſiam, his paucis verbis comprehenſa eſt invitaS Pachomij cap.30.ex eius ſententia. [Tabernaculum veteris Teſtamenti, & Sancta Sanctorum, ad nouos referebat populos, ad circumciſionem ſcilicet atque præputium, dicens quod exterius tabernaculum figuram gereret prioris populi Iudæorum, interius autem quod eſt Sancta Sanctorum, vocationem præſignaret omnium gentium, quæ & Sacratioris aditus meruiſſet acceſſum, & maiorum myſteriorum particeps extitiſſet. Pro hoſtiis enim animalium, & pro arca in qua erat manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti: pro thuribulo quoque, & menſa, & candelabro, in propitiatorio, Deus verbum nobis in ſua incarnatione clementer apparuit, & illuminauit nos lumine ſuæ præſentiæ, noſtrorúmque factus eſt propitiatio peccatorum, & pro manna, Corpus proprium largitus eſt ad edendum.]

530 Perſpicua hæc erunt, ſi attendamus, in antiquo templo hæc fuiſſe decora: In oraculo quidem aream, propitiatorio contectam, & in ea tabulas lapideas, itémque vel in ea, vel cum ea, aut iuxta eam, (pro variis modis conciliandi diſſidentia in ſpeciem loca ex tertio Regum 8.& ad Hebræ. 9.) virgam habentem manna. In ſecunda verò templi parte, ſiue extra oraculum, erat paries ſeparans, & velum: ad meridiánum, ſiue dexteram, candelabrum. Ad ſiniſtram verò, ſiue ad aquilonarem partem Sancti, erat menſa propoſitionis, & circum eam aliæ menſæ ad excipienda varia vaſa, vt habetur 2.Paralip.cap.4.& 5. In medio autem erat aureum altare thymiamatis. Nec enim quod aliqui hoc altare inferunt oraculo, eſt reuera probandum, vt rectè ſtatuit Beda lib. de templo cap. 12. Abulenſis in cap. 30. Exodi q. 6.& lib. 5.Regum cap.6.q. 16. Ribera lib. 2. de templo cap. 8. num. 7. videtúrque conceptis verbis traditum Exodi 40. tandem in atrio Sacerdotum erant columnæ duæ Iachin & Booz, mare æneum, labráque ærea fuſilia, ſiue luteres baſibus operoſiſſimis impoſiti, & altare holocauſtorum, ſic dictum à digniore ablatione, quauis aliæ quoque victimæ in eo offerrentur. Ad horum principalium ornamentorum templi cumulatum vſum, minutiora vaſa pertinebant, vt lebetes, forcipes, fuſcinulæ, ad altare holocauſti: acetabula, phialæ, thuribula, Cyathi, ad menſam propoſitionis: & ſic de cæteris acceſſionibus vaſorum, ſtatuendum eſt cum Ribera ſupra cap. 25. Hæc enim excutere hoc loco, non eſt huius inſtituti ſed tantùm monſtrare, nullum horum templi Salomonici ornamento-

rum

tum templo Christi deesse quod variè perficiunt varij, & plenè Beda lib. de templo, post Origenem in Exodum & Leuiticum, & aliis plerisque locis, ac S. Cyrillum in opere de adoratione, & Glaphyris, Hesychium, Badulphum, & Procopium in Leuiticum à quibus aliisque Patribus spiritu mysteria loquentibus, petendam esse harum rerum enodationem, & veram ad res Christianas accomodationem, rectè monuit eam iniens Greg. Nyssenus, in opere de vita Mosis. Neque tamen recentiores qui hæc acuratè pertractarint omittemus annotare; Sed ne in argumento immenso infiniti simus, indicare vtrosque sufficiet.

### *Arca vtrobique.*

Aream habet templum Christi Christum ipsum, ait S. Gregorius hom. vltima in Ezechielem, & latè ac pulchrè S. Cyrillus 4. in Ioan. cap. 28. Optimè item Petrus Cellensis lib. 1. de expositione tabernaculi & Giselbertus cap. 9. altercat. Vel Deiparam vt ait Gregorius Thaum. orat. 1. de Annunc. & præclarè S. Maximus apud Ambrosium serm. 25. de Sanctis. Ipsam Ecclesiam esse arcam Sanctificationis quatuor circulos, quatuor sacris Euangeliis; vertes verò de lignis Sethim iisdem circulis, insertos, ad arcam portandam, Sacris Doctoribus respondere, eleganter & fusè prosequitur Petrus Damiani serm. 14. Ex Beda ac S. Gregorio, eandem expositionem pulchrè refert Cellensis in fine expositionis mysticæ tabernaculi. Aliam in rem minutè concisam, adducit Sandæus in Theol. Symbol. lib. 6. commentar. 3. exercitat. 5. Animam Christianam cum arca conferre, facilè est ex iis quæ disserit Cassianus collatione 14. c. 10. Scio Riberam lib. 2. de templo cap. 3. & lib. 1. cap. 20. num. 6. ex Apostolo contendere, arcam significare cœlum. Verùm Apostolus Hebræor. 9. (quem locum adducit Ribera) id tantum affirmat de oraculo, siue Sancto Sanctorum: at Christus in terra degens, in cælo erat per gloriam: Et ibidem quoque degunt iam ex hac vita Sancti, quorum conuersatio est in cælis. Itaque rectè constitutum videtur, de arca templi Christiani.]

Est etiam in eo propitiatorium. Hoc de Christo interpretatur Apostolus Roman. 3. verbis illis, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Vocem illam *propitiationem*, adhibuit interpres pro græca voce ἱλαστήριον quam idem Apostolus Hebræ. 9. & semper 70. adhibent, cum propitiatorium volunt exprimere. Ribera Christum esse propitiatorio denotatum, latè explicat lib. 2. de templo c. 5. & optimè Isidorus Pelus. lib. 4. Epist. 73. Itémque Petrus Cellensis lib. 1. de tabern. Cherubin super propitiatorium, sunt duo testamenta, vel Angeli administratorij Spiritus, & vnum templum cum hominibus conflantes. Ita Ribera lib. 2. cap. 7. & latè Alcazar in cap. 4. Apocal. Ver. 7. Notat. 9. iuxta Giselbertum cap. 16. Alterationis, sunt corda Sanctorum, plena sapientiæ Dei.

### *Item reliqua templi supellex.*

531 Tabulas legis arca conclusas, manifestè habet Dei Ecclesia; non iam lapideas, sed carneas, vt Apostolus dixit, ad exprimendam earum mollitudinem, præ duritie legis antiquæ. Virgam Aaronis arcæ item immissam, in potestate Ecclesiastica retineri, docet benè Turrianus lib. 1. de Hierarch. Ordinat. c. 21. Deniquevrna in qua reconditur manna, est Deipara iuxta Amedeum Lausanensem, hom. 1. de Deip. *in fine*: vel Eucharistia qua alimur in deserto hoc peregrinantes, iuxta Riberam lib. 2. de templo cap. 3. num. 13.

Velum & paries seiungens ab oraculo, sunt obstacula & remoræ beatitudinis, quamdiu hic exulamus, Ribera fusè libro 1. cap. 21.

Candelabrum septemplex egregiè à variis Patribus exponitur. Cyrillo Alexandrino est Christus lib. 4. in Ioan. cap. 28. itemque Ruperto lib. 4. in Exod. cap. 8. & Giselberto cap. 9. altercat. At iuxta Anastasium Nyssenum q. 58. in Scrip. est Deipara. Nam de ea exponit candelabrum de quo Zacharias, quod templi candelabrum referebat. Iuxta Riberam lib. 2. cap. 13. significat fontem lucis spiritualis, siue Doctrinæ Ecclesiasticæ & Sacræ. Doctores varij apud Alcazarium in caput 1. Apocal. vers. 12. Notat. 10. aiunt candelabrum significasse Sanctitatem Ecclesiæ, & viros in ea virtutibus splendentes.

Mensa iuxta S. Cyrillum, est typus corporis Christi. Ita ille lib. 4. in Ioannem cap. 28. De corpore Christi in Eucharistia id accipiunt Hieron. in cap. 1. Malach. Cyrillus catech. 4. Mystag. Damascenus 4. fidei cap. 14. Et ipse Cyrillus 13. de adorat. Eadem mensa, iuxta Alcazarium in cap. 1. Apocalips. v. 12. notat. 12. multos ad id Patres proferentem, significat doctrinam Ecclesiæ. Iuxta Riberam lib. 2. cap. 11. designat viros operibus misericordiæ deditos, qui aliis pascendis & subleuandis, lubentes exponunt esse.

Altare thymiamatis, denotat spirituales qui sunt in Ecclesia, Beda lib. de templo c. 12. Ribera l. 2. c. 9.

Columnas duas, Alcazarius in cap. 3. Apocal. parte 2. vers. 12. Notat. 1. Ecclesiæ Sanctitatem & doctrinam significare voluit. Ribera lib. 2. cap. 15. exponit de fortitudine Sanctorum, vt prosperis & aduersis.

Mare æneum, notat Sacramentum pœnitentiæ, ex S. Gregorio hom. 17. in Euang. Iuxta Bedam lib. de templo cap. 19. signat Baptismum.

Luteres idem sonant quod mare æneum, sed cum accessione vbertatis gratiæ, & copiosæ redemptionis apud Deum nostrum.

Altare holocaustorum, Riberæ lib. 2. cap. 21. designat pœnitentes, ex corde puros offerentes Deo vitulos labiorum suorum Turrianus lib. 1. de Eucharistia cap 22. ex Apostolo & Dionysio, monstrat altare significasse ipsum Christum. Sacrificia quæ in hoc altari offerebantur, significabant principaliter quidem Sacrificium Christi, vt holocaustum vituli, de quo ita latè Origenes hom. 1. in Leuit. & Ribera lib. 4. de templo cap. 3. à num. 3. secundariò verò Sacrificia Martyrum cruentorum, ex

Ribera

Ribera lib.4. cap.3. à num.9. Hostia pacifica minùs perfectos signat, ex Radulpho lib. 2. in Leuit. cap.1. Hostia pro peccato, sacrificium Christi. Iuge sacrificium, oblationem Christi in cruce, perpetuatam in Eucharistia ex Ribera lib.4.cap.9.

Vasa sacra minutiora, fereque accessiones principalium vasorum, iuxta Bedam lib.2. de tabernaculo cap. 11. denotant diuersas fidelium personas: vel certè multifarias ipsorum actiones, siue cogitationes in famulatum sui conditoris dispositas: Item Sacramenta Ecclesiæ, vt de Phialis quæ victimarum sanguinem excipiebant, sentit Ribera lib. 2. cap. 23. Vel orationes sanctorum, vt de thymiamateriis & phialis plenis odoramentorum, habet Ioannes in Apocalypsi.

### *Maior gloria templi Christiani, quàm Salomonici.*

532 Hactenus obiter & in transitu, de ornamentis antiqui templi in Ecclesiam Christianam illatis. Sicut ergo in tabernaculum, ex quo post templi constructionem illata sunt ornamenta eius in templum, amisit pristinum decus suum, nec fuit vltra domus Dei, ita Synagoga ex quo spoliata est suis illis ornamentis, facta eorum translatione in Christianum Dei templum, desiit esse sacra. Ideò enim lex antiqua confertur tabernaculo: lex autem gratiæ, templo Salomonico, vtinter varias tabernaculi & templi mysticas significationes quas enumerat, attigit S. Chrysostomus in Psalm. 14. Liquere porrò ex dictis potest, tanto auctiorem esse templi Christiani gloriam quàm templi Salomonici, quanto Spiritus præstat corpori, & cœlestia terrenis. Nam & Apostolus, quæ ad templum antiquum spectabant, terrena; quæ verò ad Ecclesiam Christianam, cœlestia pronunciat in epist. ad Hebræ. Quamquam ne si in corporeis quidem & externis ornamentis sistamus, concesserit Christiana Ecclesia templo Salomonico: quod vnicum erat pro tota gente Hebræa. At si Gazas & diuitias per Christiana templa variis locis dispersas quis collegerit, non dubium quin mole sua templum Salomonicum oppressuræ viderentur. Nec desunt insignia ædificia sacra, mole & magnificentia cum prisco templo certantia: qualia sunt nonnulla ex iis quæ annotarunt qui magnificas Christianas ædes collegerunt, vt Ioannes Stephanus Durantius lib. 1. de ritibus cap.2. num. 4. Stapletonius lib. 2. de magnit. Romanæ Ecclesiæ cap. 12. Bosius lib.11. de signis cap.3. Sed præter cæteros in hanc rem legendus Procopius, describens ædificia Iustiniani. Hunc ferunt, ædificato, vel potiùs instaurato magnificentissimè templo S. Sophiæ, Salomonem effingi cutasse specie admirabundi; tanquam qui non æquatus modò in templi fabrica ab ipso Iustiniano, sed & superatus esset. Sed ablandiebatur sibi Iustinianus. Nam & mole & opibus, longè vicit Salomonicum templum, ædem S. Sophiæ. Salomonico autem, superius innumeris partibus est, templum à Christo constructum. Quanto magis eidem cedunt alia quæcunque anteriora, quæ nidi aut tuguriola videbantur? Multo ergo magis abstinendum est, facienda contentione templorum quorumuis cæterorum, cum templo Christi.

### *Dolor de vastatione & profanatione templi Christi.*

533 Quàm dolendum, sic constructum, sic ornatum Dei templum; quâ in Regnis & Prouinciis integris per hæresim aut infidelitatem; quâ in particularium animabus per lethalem culpam, profanari, vastari, ac dirui. Sed de cladibus huiusmodi, præsertim regnorum & Prouinciarum, alibi gemendum est. Hîc obiter dicendum est, cum Origene tractatu 24. in Matthæ. ad illud *non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur*, verè destrui templa Dei in animabus piis constructa, sed non destrui vno modo. [ Sicut illud templum ( inquit Origenes, ) non vi simul est dirutum, sed paulatim tempore procedenti; Ita & omnis homo qui suscipit in se verbum Dei, templum est. Et si quidem post peccatum, non ad plenum decidit à verbo Dei, sed adhuc saluat ex parte vestigia fidei, & religionis in se mandatorum Dei, templum est ex parte destructum, & ex parte consistens. Qui autem postquàm peccauerit, curam sui non habet, sed semper à fide decurrit, & à vita quæ est secundùm Euangelium, paulatim minuitur, donec ad plenum recedat à Deo viuenti: hic est templum in quo non relinquitur lapis dogmatis, super lapidem mandatorum Dei, qui non destruatur. Nos ergo prospicere nobis debemus, vt omnis ædificatio pietatis, in nobis integra perseueret, vt & lapidibus salutarium dogmatum adornati, & donis bonorum operum decorati, capiamus in nobis Dei virtutem & gloriam, & Christum qui est verbum & sapientia Dei. ] Præclarè item S. Chrysost. hom.74. in Matth. Stomachatus de profanitate Iudæorum, qui foris mundabantur, interiùs verò erant sepulchra, subdit. [ Sed Pharisæos quidem ac Scribas tales fuisse, quamuis graue sit, non tamen ita malum videtur. Sicut & penitus intolerabile est, vt nos qui templa Dei per gratiam effecti estis, sepulchra rursus fœtulentissima facti esse videamini. Extremæ certè id ego duco miseriæ. Nam vbi Christus habitat, vbi Spiritus sanctus operatus est, in quo tot mysteria peracta sunt, id sepulchrum facies? Quo fletu, quibus lachrymis, quo planctu id persequendum est, cum membra Christi ad immundissimum sepulchrum transformaueris. Cogita quo modo natus sit, quibus dignus factus, quem amictum acceperit, quo pacto templum constituturus es quod diruit aliunde non potest, quo pacto ornatus es, non auro, neque gemmis, sed Spiritu qui omnium rerum pretiosissimus est. ]

Flagrabat zelo seruandi in se hanc Dei domum, seu templum, integrum & nitens ac ornatum, Dauid Psalm. 118. Nam vbi nos habemus in vulgata, *tabescere me fecit zelus meus*, S. Hilarius & S. Ambrosius, legunt *tabescere me fecit zelus domus tuæ*, hoc est, mei ipsius, ne habitationem te indignam me efficerem. Verba S. Ambrosij, sunt digna annotatu.

Non

[Non solùm locum Ecclesiæ zelare debemus sed hanc quoque interiorem in nobis domum Dei, ne sit domus negotiationis, aut spelunca latronum. Si enim lucra quæstus pecuniæ, & emolumenta aucupemur, domum negotiationis fecimus. Si inuadamus alienas possessiones, fines viduæ vel minorum, fecimus speluncam latronum. Veniat ergo Verbum Dei, & de hac domo pro iiciat fures, direptores, caupones, vt mundum sit cor tuum, pectus tuum.] Hoc erat de quo grauiter expostulabat S. Basilius hom. de Ebrietate *in fine*, quæstus Christianos qui per inhabitantem Spiritum Sanctum erant templa Dei, factos Templa Idolorum per sua scelera. Templa sibi dicata Sancta esse iubet Deus: at numquid de parietibus cura est Deo, ait Bernardus serm. 3. de Ecclesiæ dedicatione.

### *Domus Regia, à Christo Rege gloriæ, structa, Ecclesia.*

534 Prodidit se insuper Christus Dominus Regem gloriæ, supra quoscumque glorioſſimos Reges, qui hoc decus ex Basilicæ seu palatii regij amplissimi & magnificantissimi constructione captarunt. Idque non minùs quàm circa ædem Sacram, seu templum procliue sit præstare; siue Ecclesiam vniuersam à Christo constructam, siue domos spirituales particulares vniuscuiusque inquam iusti animam attendamus. Sunt enim duæ illæ basilicæ Dei, ac regiæ domus, in Scripturis celebres & à Patribus sæpe descriptæ. Ecclesia enim domus Dei est, quam decet sanctitudo, vt Psaltes dixit. Et vniuscuiusque itē iusti pectus, domus est spiritualis, vt S. Petrus docuit. Et vtriusque huius palatii diuini constructor & ornator, est Rex gloriæ Christus Dominus. Sed dicamus pauca distinctius, recisis innumeris, ne vastiores iusto simus, in protrito hoc argumento, dum declarandum suscipimus ex tam multis capitibus maiestate Regis gloriæ.

Ecclesiam vniuersam regio palatio collatam in Canticis cap. 1. & quidem vnico versiculo, Sanctus Bernardus sermone 46. in Cantica egregiè docuit. Versiculus est iste. *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum Cedrina, laquearia nostra cypressina.* Quibus paucis verbis, notat comprehensum omnem Ecclesiæ statum; auctoritatem scilicet Prælatorum, Cleri decus, populi disciplinam, monachorum quietem: atque adeò Ecclesiam planè vniuersam, Adscribo quæ præmiserat ad horum illustrationem & confirmationem S. Bernardus. [In Ecclesia quidem, lectum in quo quiescitur, Claustra existimo esse & monasteria, in quibus quietè à curis viuitur seculi & sollicitudinis vitæ. Atque is lectus, floridus demonstratur, cum exemplis & institutis Patrum tanquam quibusdam benè olentibus respersa floribus, fratrum conuersatio & vita refulget. Porrò domos populares, conuentus intellige Christianorum, quos hi qui in sublimitate positi sunt Christiani, vtique vtriusque ordinis principes, quasi tigna parietes, iustis impositis legibus fortiter stringunt, nè sua quisque lege vel voluntate, viuentes, tanquam parietes inclinati, & maceriæ depulsæ, dissideant à semet ipsis, & sic omnis structura ædificij corruens, dissipetur. Laquearia verò quæ à tignis firmiter pendent, & domos insigniter ornant, puto benè institutiCleri mansuetos & disciplinatos mores, ritéque administrata officia designare. Quomodò namque stabunt ordines Clericorum, & administrationes eorum, si non principium tanquam tignorum beneficio & munificentia sustententur; & protegantur potentia? Quod autem tigna cedrina, & cypressina laquearia describuntur, natura absque dubio habet in speciebus lignorum quod congruat præfatis ordinibus. Et cedrus quidem quia imputribile est nec non & odoriferum altæque proceritatis lignum, satis indicat quales oporteat assumi viros in vices tignorum. Ergo validos & constantes necesse est esse, eos qui super alios ordinantur, nec non & longanimes in spe, atque ad superna mentis verticem attollentes; qui etiam bonum fidei suæ & conuersationis vbique odorem spargentes, dicere cum Apostolo possint; *Christi enim bonus odor sumus Deo in omni loco.* Cypressus item boni æquè odoris, & imputribile similiter lignum, incorruptæ vitæ & fidei, etiam quamuis de Clero debere esse demonstrat, vt meritò decori domus, ac laquearium ornatui deputetur. Scriptum est enim, *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Vbi sanè & sanctimoniæ decus, & indefecientis gratiæ expressa perseuerantia est. Oportet ergo virum qui ad ornamentum & decorem assumitur domus, bonis ornatum moribus esse: & quamuis semper ipse sit intus, bonum tamen testimonium habere, & ab his qui foris sunt. Sunt & alia in natura lignorum horum, competentia his quæ spiritualiter disseruntur, Sed breuitatis causa prætereo.] Expressam esse verbis illis Regiam Dei, docet ad eundem locum S. Greg. nisi quod partes domus, tigna inquam, laquearia, & lectulum siue conclaue recubitorium, paulo aliter accipit.

Audiendus verò insuper est S. Chrysostomus hom. 10. in ad Ephes. sic describens Ecclesiam, domum Dei. [Nihil aliud est Ecclesia, quàm ex nostris animabus constructa domus. Non est autem ipsa domus eiusdem honoris in omnibus, sed lapidum ex quibus est perfecta; quidam quidem splendidi sunt & illustres; quidam verò minoris gloriæ, & obscuriores. Est autem hic melius multo videre, quam multi sint qui auri locum ac dignitatem obtinentes, tectum exornent; quomodò alij eum repræsentent ornatum qui est à monumentis. Videre est etiam hìc, multos columnarum instar stare. Nouit enim Ecclesia & homines vocare columnas, non virtute ac robore duntaxat, sed & venustate quadam, quam ex deauratis capitibus habent, plurimum ornatus exhibentes. Videre est hìc & multitudinem, vt pletumque est interstitium, & capax septorum ac ambituum latitudo. Plurima enim illa Ecclesiæ multitudo, in ordine est eorum lapidum è quibus construuntur. Immò ad illustriorum aliquanto imaginem transeundum est. Ipsa Ecclesia non ex his lapidibus ædificata est, sed ex auro & argento, lapidibúsque pretiosis, & plurimum vbique aurum in illa dispersum conspicitur.] Pulchrè Porrò Origenes hom. 14. in Genes. *sub initium*, Ecclesiam domus siue Basilicæ, Synagogam verò tabernaculi specie descriptam censet, ob huius temporariam

durationem; illius verò perpetuam & immobiliter fixam ſtabilitatem. Diſputat plenè ac latè de hac modo Dei Potho prumienſis lib. 2. de ſtatu domus Dei, Breuius, nec malè Sanderus lib. 1. de Claue Dauid cap. 1. conferens Eccleſiam cum domo.

### *Domus ſpirituales particulares, iuſtorum animæ.*

535 Iuſti vniuſcuiuſque animam, eſſe domum ſpiritualem, ratum eſt ex innumeris ſcripturis. De neceſſariis eidem conſtruendæ impenſis, de fundamento fidei, parietibus ſpei, & tecto Charitatis, diſſerit breuiter Theodotus Studia, ſerm. 45. Catech. & Auguſt. ſerm. 14. ex additis è Cartuſia. Latè Potho lib. 1. de ſtatu domus Dei. Quomodo Deo locus detur ad ædificandam in nobis ſimilem domum, tradit Origines hom. 24. in Ioſue, *in fine*. [Sed quoniam (inquit) ad Dominum & Saluatorem noſtrum, ea quæ de Ieſu ſcribuntur, referre conſueuimus; fortaſſis etiam noſter omnis hic populus, dat partem aliquam meo Domino Ieſu, & velut locum quendam habitationi eius hibuit. Sed ne iniurioſum eſſe videatur quod dicitur, requiramus quomodò ei damus, nos ſerui eius habitationis locum. Ego ſi poſſem bonus fieri, darem locum filio Dei in me, & & acceptum locum à me in anima mea. Dominus Ieſus ædificaret eum, & adornaret, & faceret in eo muros inexpugnabiles, & turres excelſas, & ædificaret in me manſionem (ſi mereter) dignam ſe & patre. Et ita adornaret animam meam, & capacem eam ſuæ ſapientiæ & ſcientiæ, & totius Sanctitatis efficeret, in tantum vt etiam faceret Deum Patrem ſecum intrare, & in ea facere manſionem, & cænare etiam apud talem animam, cibos quos ipſe donaret.]

Eſt hoc palatium, capaciſſimum & ſibi à Deo exædificatum, veréque caſtellum habitare tanto & tali opifice dignum. Sanè frequens eſt, vt cor humanum ſpecie, caſtelli ſiue, arcis palateriæ cuiuſmodi ſunt habitationes Regum ac Principum exhibeatur à nonnullis Patribus. Imo ipſa corporea cordis compactio id præfert apertiſſimè diſertéque Theodoretus ſerm. 3. de prouid. materialem cordis ſtructuram expendens arcis ſpeciem in corde obſeruat. Eodémque recidit, quod Gregor. Nyſſenus lib. de hom. opif. cap. 30. deſcribit cor, [Inſtar munita domus, omni ex parte comprehenſum aptiſſimè, & circumdatum ab oſſibus duriſſimis. Nam à tergo eſt ſpina dorſi, quam vtraque parte tutam ſcapulæ reddunt; latus autem vtrumque coſtæ complexæ, quod interea medio loco continetur, ne quid aduerſi patiatur efficiunt. Parte denique antica, pectus, & binæ clauiculæ cor muniunt, vt hoc modo tutum vndique foret]. Alterum munimentum vndecumque cordi appotitum, vt contingit Regiis domibus, gemino circumdatis ſepimento, eſt pericardium, cuius fundo immiſſa aqua, ſpeciem exhiber foſſæ muralis. Nec deeſt ductariæ publicæ pons, vt conſtat ex Epiglortide, nunc depreſſa ad cibi & potus tranſuectionem, nunc data ad aëris in cor tranſmiſſionem. Præſidia huic arci tutandæ & ſeruandæ impoſita, Philo lib. de Sacerdotum honoribus, ait eſſe affectus appetitus iraſcibilis, in corde ſtaabulantis. Itaque nihil cordi deeſt, quominus ſpeciem arcis palatinæ, & regij caſtelli repræſentet. Id quod D. Bernardus ſerm. 5. de Aſſumpt. pulchrè proſequitur, verſans illa Lucæ verba *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum*. Eiuſdem eſt illa admiratio lib. de interiori domo cap. 63. quod cor noſtrum, adeò exile vt vix poſſit bucceam vnam ſuppeditare accipitri, omnia tamen in eo natent; Tanta eſt eius capacitas. Omnia ibi ſunt (ait S. Macharius hom. 43. Sed pulchrè Origenes hom. 11. in Lucam, his verbis. [Magnum eſt cor hominis, & ſpacioſum, & capax; ſi tamen mundum fuerit. Vis eius magnitudinem, latitudinémque cognoſcere! Vide quantam diuinorum ſenſuum magnitudinem capiat. Ipſe ait; *Dedit mihi eorum quæ ſunt notitiam, rationem mundi ſcire, & opera elementorum, principium & finem & medietatem Seculorum, temporum varietates, & tranſlationem menſium, annorum circulos, & ſiderum ſedes, naturas animalium, & furores beſtiarum, Spirituum violentias, & cogitationes hominum, diuerſitates arborum & vim radicum.* Vides non paruum eſſe cor hominis, quod tanta capiat. Neque in corporis quantitate, ſed fortitudine eius intellige, quæ tantam ſcientiam Capiat veritatis. Vt autem & ſimplices quoſque quotidianis exemplis ad credendum adducam, quod grande ſit cor hominis, videamus. Quaſcumque vrbes tranſiuimus, habemus illas in animo, & qualitates, & ſitus platearum, murorúmque & ædificiorum, in corde noſtro verſantur. Viam quam ingreſſi ſumus, in memoriæ picturæ deſcriptione retinemus; mare quod naugamus, tacita cogitatione amplectimur. Non eſt paruum (vt dixi), cor hominis, quod poſſit tanta capere.]

Quid quod Deo quoque ipſi, eſt in eo ſpitium ad inmabulandum. Meritò id ſuſpiciunt S. Greg. Nyſſ. hom. 2. in Cant. *ſub finem*, & S. Ambroſ. ſerm. 10. in pſal. 118. ad 8. & probant ex loco Leuitici 26. allegato per Apoſtolum 2. Corinth. 6. quo Deus profitetur ſe inhabitaturum & inambulaturum in nobis. Tale ferè cor Apoſtoli Pauli exhibet Chriſoſt. hom. 32. in ad Rom. *in Mor.* [Cordis (inquit) illius puluerem videre vellem; quod ſi quis totius orbis cor dixerit, innumerorumque bonorum fontem, & principium & elementum primarium noſtræ ſalutis, certè non errauerit. Hinc enim ſpiritus vitæ in omnia ſuppeditatus eſt, membriſque Chriſti datus, non per arterias emiſſus, ſed per bonorum voluntatem ac propoſitum. Cor iſtud adeò fuit latum, vt in ſe ſuſceperit & integras vrbes, & populos, & gentes. *Cor eius meum*, (inquit) *dilatatum eſt*. Verumtamen vt vt latum fuerit, tamen ſæpenumero occupauit & preſſit illud quæ ipſum dilatabat dilectio. *Ex multa quippe tribulatione*, (inquit,) *& anxietate Cordis Scripſi vobis*. Et diſſolutum etiam vellem videre cor iſtud, erga vnumquemque percuntium accenſum & ignitum, ſecundò parturiens filiorum abortus, Deum videns (*mundi enim corde Deum videbunt* inquit,) hoſtiam factum, (*hoſtia ſiquidem Deo eſt*, inquit, *Spiritus contritus*): Cœlis ipſis ſublimius, oculo latus

latius, radiis solatibus exilaratius, igne ferentius, Adamante solidius, fluuios emittens (*fluuij siquidem fluent ex ventre eius,* (inquit,) *aquæ viuæ.*) vbi erat fons exiliens, & rigans, non terræ superficiem, sed animas hominum; vnde non solùm fluuij, sed & fontes lachrymarum, noctes atque dies emanarunt. Cor inquam quod nouam vitã, non hãc nostrãvixit. *viuo ego* (inquit,) *iam non ego, vivit verò in me Christus.* Cor itaque Christi erat, cor Pauli, tabulàque Spiritus Sancti atque charitatis volumen. ] Comparatio eiusdem cordis cum propitiatorio ac cælo, extat apud eundem Chrisostomum hom. 13. in primam ad Corinth. ad illud *Imitatores mei estote.* Cum mari ac cœlo, idem Pauli cor componit homil. 55. in Acta, *in morali*

### *Inuasioi, & expilatio earundem spiritualium domorum, per Satanam; Instauratio verò & exornatio per Christum*

536 Hoc palatium pro multiplicitate iustorum multiplex, sibi (vt aiebam,) à Deo exadificatum, à tyranno & iurato hoste Dei inuasum, & fermirutum, conspurcatumque, Christus Dominus instaurari desiderat, ac exornari. Audi S. Macarium hom. 19. [ Cum cor infinitam profunditatem habeat, ibi sunt triclinia cubicula, fores, vestibula, ministeria multa & exitus; Ibi est officina iustitiæ, atque iniustitiæ: ibi mors ibique vita: ibi bona negotiatio & contraria. Quemadmodùm si palatium sit amplum quod deseratur, & omnis generis graueolentia repleatur, ac cadaueribus multis: sic quoque. Cor palatium Christi est, abundat omnimoda impuritate, & plurimus turbis prauorum spirituum. Oportet igitur id restaurari, & reædificari, ac præparari promptuaria & cubicula. Illic enim rex Christus cum Angelis, & Spiritibus Sanctis veniet vt ibi requiescat, habitet, & inambulet, atque collocet regnum suum. ]

Eam sui palatij instaurationem & reædificationem in magnificentissimam & Deo dignam domum, verè Basilicam, Christus ipse molitus est atque perficit: multo dignius Deo quàm Philo, vtpote Iudæus lib. de Cherubim, tametsi in id multum annisus, depingere cogitatione potuerit, sic scribens præter cætera de Deo inhabitante domos has luteas. [ Quoniam inuisibiliter subit has nostras animas, paremus ibi locum ita vt decet futurum Dei habitaculum; Quod nisi fecerimus, clam migrabit in aliam domum, quæ videbitur ædificata melius. Si enim quoties Reges excipiendi sunt magnificentiùs excolimus ædes proprias, nihil negligendo quod ad ornatum pertineat, sed omnia benignè ac liberaliter adhibemus, vt hospitium quàm iucundissimum respondeat dignitati hospitis; Regi Regum & huius vniuersi mundi rectori Deo, comitatis atque humanitatis causa dignato suam Creaturam inuisere, & à summo cœlo ad terram, vt generi humano beneficia sua conferret degresso, qualem tandem domum oportet instrui? Absit enim lapideam, ligneámve, quod vel dictu nefas est. Nam etiamsi tota terra aurum aut si quid auro pretiosius repentè fieret, móxque per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, ædésque Sacras impenderetur, ne scabellum quidem eius pedibus posset fieri. Dignum tamen eo domicilium anima est modò sit idonea. Ergo quia domum in terris animam inuisibilem inuisibilis Dei dicimus, rectè legitimèque loquimur; quæ vt fiat firma & ornatissima, fundamenta eius iaciantur, generosa indoles & institutio, quibus virtutes honestæque actiones superstruantur. Eius ædificij prima ornamenta sunto, præexercitamentorum ad encyclopædiam pertinentium tractatio. Nam bonam indolem sequitur sedulitas, & memoria: institutionem verò discendi facilitas & attentio, quasi quædam radices arboris à qua mites fructus in futurum expectantur, sine quibus absolui mentem est impossibile. Cæterum ex virtutibus, earúmque actionibus munimentum firmum atque securum accedit ædificio: vt quicquid animam ab honestate dimouere, alienareque conatur, nihil contra tantam munitionem valeat efficere. A disciplinis autem encyclicis, pendet totus ornatus animæ, quæ sunt quasi quædam dealbationes, picturæ, tabellæ, marmoratæ incrustationes, quibus non parietes solùm, sed & pauimenta ornantur, & id genus alia, nihil ad firmitatem conferentia, sed tantùm ad delectationem inhabitantiũ. Eodem modo & encyclopædia, totam animalem domum illustrat ornamentis variis. Grammatica quidem, dum Poëtarum Scuratur carmina & priscorum gesta consectatur in historiis. Geometria verò proportione æqualitatem afferens, & quicquid in nobis enorme immodicum, inconcinnum est, per rhythmos, mensuras, modulósque musicæ ciuilis recurans. Rhetorica autem verborũ grauitatem examinans, & quibusvis rebus eloquutionem accommodans, pronunciationemque, ac vim monendorum affectuum, Præterea laudationes, cæteras voluptates quas fæcunda sonoráque lingua solet adhibens. Tali domo instructa apud mortale genus, benè sperandum est terrestris omnibus, expectandúmque forè, vt in eam descendat Deus. ]

537 Vides lector, quàm magnificentiùs ac digniùs aptauerit ei in nobis domum Christus Dominus, per cognitionem & virtutes altioris longè ordinis, quàm quas hic Apella somniauit Deum dicere. [ In rebus (inquit S. Macarius) visui parentibus, si ad domum quandam inhabitandam Princeps se accingat ac paret, quæ sordibus quibusdam contractis impura sit: præparatur illa, ac vario ornatus genere instruitur effusis aromatibus; quanto maiori, domus animæ in qua Dominus requiescit, ornatu indiget, vt illam ingredi possit & ibi resquiere, is qui reprehensione nulla nec macula, nec labe, seu næuo notari potest. In huiusmodi corde, tum Deus, tum vniuersa cœlestis Ecclesia requiescit. ] Præsertim verò placet Deo in domo sua, humilitatis ornamentum, vt his verbis docet S. Augustinus in psal. 92. ad illud *Paratasedes.* [quæ est sedes Dei? Vbi sedet Deus? In Sanctis suis. Vis esse sedes Dei? Para locum in corde tuo vt sedeat. Quæ est sedes Dei nisi vbi habitat Deus? Vbi habitat Deus, nisi in templo suo? Quid est templum eius? Nunquid parietibus instruitur? Absit. Mundus ipse est fortè templum ipsius, quia valde magnus est, & digna res quæ capiat Dominum? Nec capit eum à quo factus est. Et vbi capitur? In anima quieta,

fratres. Certè magnus est Deus. Fortibus grauis est, at infirmis leuis est. Quos dixit fortes? Superbos, qui quasi habent præsumptionem virium suarum. Nam infirmitas illa in humilitate, maior fortitudo est. Audi Apostol. dicentem. *Quando infirmor, tunc potens sum.* Hoc est quod commendauit Euang. quia Dominus præcinctus est fortitudine, quando humilitatẽ docebat. Ergo ipsa est sedes Dei, quæ apertè alio loco in Propheta dicitur, *super quem requiescet Spiritus meus*: id est vbi requiesceret Spiritus Dei, nisi in sede Dei? Audi quomodò describat istam sedem. Fortè auditurus eras marmoratam domum amplam, spatiosam atriorum magnitudine, & fulgore tectorum. Audi quid sibi paret Deus, *super quem requiescet Spiritus meus? Super humilem, & quietum, & timentem verba mea.* Ecce humilis esto, & quietus, vt in te habitet Deus. Altus est Deus, non in te habitat si altus esse volueris. Certè altus vis esse, vt habitet in te Deus; humilis esto & tremens verba eius, & ibi habitat. Non trimet trementem domum, quia ipse illam firmat. ] Non plura vniuersè de Spiritualibus Dei domibus, partialibus vt sic dicam.

### *Sigillatim de domo Incarnatæ Sapientiæ, atque Deiparæ.*

538 Eminet inter omnes huiusmodi singulares domos, magna domus quam ædificauit sibi sapientia excisis columnis septem. Hæc est sanctissima Christi humanitas, in qua Deus habitauit tamquam in natura, quam sibi vniendo, fecit suam. Describit fusè magnam hanc domum, Potho lib. de magna domo sapientiæ, *per totum*; septem columnas, interpretatus septiformen Spiritus sancti plenitudinem, domus verò ædificationem factam absque malleo, securi, & ferramento, compactionem Christi esse docet, à Christo ipso provt Deo, & à Spiritu sancto, secluſa virili opera perfectam. Addit, fidem Deiparæ iecisse huius domus fundamentum. Erectos autem esse sursum parietes, cum Christus ætate & sapientia profecit. Summum autem fastigium fuisse domui impositum, Christo facto sicut passere solitario in tecto per Ascensionem. Post domus huius ædificationem, attingit exornationem ab anno Christi 30. eductis & palam expositis diuinis Christi charismatibus. Tandem dedicationem de qua in Psalmi 29. titulo, celebratam monstrat in Resurrectione. Quæ omnia eleganter & plenè apud Pothonem tradita, quia nimis multa sunt, ibi legantur. Fenestram domus Raab, vnde dependit vitta coccinea signum salutis, ad hanc incarnati Verbi domum scitè accommodat Origenes hom. 3. in Iosue. Vide etiam S. Bernardum serm. de parabola nuptiarum vbi Christum confert fenestræ, quia ex pariete & vacuo constat, perque eum videntur bona Dei. Omnes pios, fenestris vitreis scitè depictis concinnè confert Hugo Victorinus serm. 18. Institut. Monast.

Secundùm Christum, Deipara, domus est Dei & Christi Regis Basilica, quam ædificauit sibi sapientia. Vt enim optimè de hac domo Regis nostri disserit Richardus à Sancto Laurentio lib. 10. de Deipara, sapientia, [ Prius ædificauerat Angelis cœlum, & hoc est domus gloriæ Lucæ 2. gloria in altissimis Deo: Dæmonibus & damnatis hominibus infernum; est hæc domus iustitiæ; hominibus lapsis mundum, qui est carcer miseriæ Genesis 3. Emisit Dominus Adam de paradiso vt operaretur terram de qua sumptus est. Idem tamen carcer, patria est bestiarum. Pisces etiam posuerat in aquis, aues in aëre, stellas in firmamento, qui autem prius hospitatus fuerat cætera, nunc proprio sibi intendit hospitio, ideò dicitur; *Sapientia ædificauit sibi domum.* Et numquid tantum sibi? verè domum sibi soli, in qua solus habitaret; sed tamen Angelis data est in restaurationem; hominibus & naturæ nostræ in reparationem; inferiori creaturæ in liberationem; sibi in matrem; Dæmonibus in hostem; detentis in limbo, in ereptionem. ] Disserit in sequentibus plenissimè de materia, forma, & ornatu huius domus, idem Richardus, quem adeat studiosus decorum tantæ Matris. Hoc verè opus grande est, non enim homini præparatum habitatio sed Deo. Domus huius septem columnas; tres scilicet Cardinales, & quatuor Theologicas virtutes, exhibet pulchrè S. Bernardus serm. 9. de paruis.

### *Item sigillatim, de Religiosi domo.*

539 Inter singulares item domos, quas Rex gloriæ Christus in regno Ecclesiæ suæ struxit ab initio, & constituere pergit in dies, grata admodùm ei est huius religiosi hominis; in quam rem non habeo quod apiùs proponam, quam quod laudatus proximè Richardus à S. Laurentio lib. 10. de Deipara, egregiè tradit his verbis. [ Religio domus Sapientiæ, de qua domo dicitur, *Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo*, Psal. 61. Item *Domum tuam decet sanctitudo.* Psalm. 92. Item *eligi abiectus esse in domo Dei* Psalm. 83. Fundamentum huius domus paupertas. Quandiu enim immobiliter steterit hoc fundamentum, tamdiu stabit firmiter religio. Sed sicut necesse habet domus corruere, vaccillante fundamento, sic corruit Religio in oculis Dei, quidquid appareat exterius, paupertate fugata. Ideò dixit quidam Sanctus, quod Religio suffocauit matrem suam, id est paupertatem. Vel aliter, scilicet quod diuitiæ suffocauerunt matrem suam, id est religionem: Sed ad nihil aliud student modò multi qui religiosi apparent, nisi vt destruant hoc fundamentum, volentes ædificare sine fundamento, quod est impossibile. Quadratura huius domus, sicut domus religiosa debet esse quasi quadrata, quatuor illa quæ resignanda sunt iis, qui subintrant religionem, vt fiant quadrati, vel quadri, vel quadranguli. Primum carnalia desideria; secundum mundi concupiscibilia, tertium voluntas propria, & quartum carnalium parentum, carnalis amicitia, quia Spiritualiter debent eos diligere, sed non carnaliter. Vel quadratura illa quam docet ipsa sapientia Sapien. 8. *sobrietatem enim & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.* Sobrietatem appellat temperantiam; virtutem verò fortitudinem; prudentiam & iustitiam nomi

nominibus suis. Bona profectò quadratura, qua vtilius nihil est in vita hominibus, quia ipsa vita est in hominibus, vita scilicet non carnis sed Spiritus: vita vtilis & multò vtilior quàm vita carnis. Ostium quo verè intratur, potest dici obedientia, per quam quisquis non introierit, quidquid ei videatur, semper tamen foris est merito, & si sit intus numero. Asseres huius ostij, proprietates obedientiæ. Duo ostilia, obedire in aduersis, & prosperis; superliminare & limen quod est inferius, obedire pro honore Dei, & vtilitate propria. Ferratura, firmum propositum tenendi votum obedientiæ. Incastratura asserum, Charitas fraterna. Ianitor sollicitus, timidus, præcauens quoque sibi; timor Dei, timor mortis, timor iudicij & gehennæ. Clauis eius, assidua recogitatio gehennalium, vbi sunt mallei percutientes parati stultorum corporibus. Paries orientalis, spes æternæ beatitudinis. Occidentalis, timor æternæ damnationes. Meridionalis, temperantia in prosperis; & Aquilonaris, patientia in aduersis. Hæc quatuor instar parietum noxia excludunt, nec sua contraria permittunt ingredi, quæ sunt desperatio, præsumptio, superfluitas, & impatientia. Fulcitur hæc domus septem columnis. Primæ duæ, obedientia & reuerentia superioribus; tertia & quarta consilium & auxilium coæqualibus; quinta & sexta correptio & disciplina subiecti: Septima iudicium veræ confessionis ad seipsum. Huius domus ostium, discretio, quæ admittenda, quæ repellenda. Fenestræ, pietas & misericordia, quæ ferunt nos extra ad proximum. Tectum, patientia vel contemplatio, quæ ascendit superiùs. Threnor. 3. *Leuabit se super se.* Profundum, timor: superius spes, latum, dilectio, id est charitas. Longum, perseuerantia in bono, sine qua nemo saluatur.] Hanc domum inuenit sibi passer, prouidente Deo vt absque horreo pascatur. Herodij domus, passeribus & auibus cœli, quomodò sit vsui, videndus Rupertus in vita S. Heriberti cap. 12. benè monstrans hos passeres esse Religiosos. Hi sunt quæ ædificant sibi solitudines, verè Consules terræ vt est apud Iobum, ex S. Gregorij interpretatione. De cœnobio collato cum domo Dei, & qui cœnobitæ sint illius domus lapides, qui tigna & & laquearia, videsis Philippum Abbatem lib. 3. in Cant. cap. 17. Cœnobiticæ item domus partes omnes, mysticè aptat Albertus Magnus lib. de muliere forti cap. 18. §. 1. *à litera T.*

### *Etiam im seculo, tales aliquæ domus.*

540 Ex aliis qui extra clausstrum in seculo sobriè, iustè, ac piè viuunt, nemo est qui non possit artifice Christo, qui id maximè expetit, in Dei domum ædificari, & ad id diuina destinatione quisque deligitur. [Domum Dei Spiritualem, (inquit S. Bernard. serm. 46. in Cant.) seipsum quisque agnoscat, qui tamen iam non in carne ambulet, sed in Spiritu. *Templum enim Dei* (ait,) *Sanctum est, quod estis vos.*] Subtexam hoc loco ad omnes non incommodè, quod idem S. Pater ad suos specialiter, ex hac occasione dixit. [Curate ergo fratres, Spirituali huic ædificio (quod vos estis,) ne fortè cum in superiora proficere cœperit, vacillet & corruat; si tignis fortibus non fuerit subnixum & colligatum: Curate inquam illi ligna dare imputribilia, & immobilia, timorem videlicet Domini illum castum qui permanet in seculum seculi: patientiam, de qua scriptum est; *quia patient a pauperum non peribit in finem*: longanimitatem quoque, quæ sub quouis structuræ pondere inflexibilis perseuerans, in infinita seculi vitæ beatæ protenditur, Saluatore loquente in Euangelio, *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.* Magis autem super omnia charitatem, quæ nunquam excidit: quia *fortis est*, (inquit,) *vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Studere deinde his tignis substernere & alligare ligna alia æquè pretiosa, & pulchra: cui tamen illa ad manum fuerint in opus laquearium ad decorem domus, sermonem scilicet sapientiæ, siue scientiæ, prophetiam, gratiam curationum, interpretationem sermonum, & cætera talia quæ magis noscuntur sanè apta ornatui, quàm necessaria fore saluti; de his præceptum non habeo, consilium autem do. Quoniam quidem istiusmodi ligna, constat & laboriosè quæri, & difficilè inueniri, & periculosè elaborari: (nam & rata ea, præsertim his temporibus terra nostra producere reperitur;) consulo sanè & moneo, non multoperè ista requiri. Magis autem ex lignis aliis laquearia præparari, quæ & siminùs appareant splendida, non minùs tamen valida esse probantur, insuper & faciliùs possidentur & tutiùs.]

### *Nidi, præ his domibus, Regia quæ uis palatia.*

541 Præ his tam magnificis, tam ornatis, Deoque ipso artifice & inhabitatore dignis palatiis, piget vel referre, nedum ad faciendam cum istis contentionem adducere, celebria palatia à quibus Reges aut Principes viri, gloriam magnificentiæ suæ sunt aucupati. Generatim eam magnificentiam sic describit Nyssenus hom. 3. in Eccles. [Voluptas cogit hominem præterire fines vsus. Perinde enim ac si non quæreret quod est vsui corpori, sed oculis procuraret oblectationem & delicias, dolore propemodùm afficitur, quòd cœlum in suo tecto non fecerit, nec ipsos Solis radios in eo possit fabricare. Quamobrem vndique quidem dilatat ædificiorum circumscriptam amplitudinem, & ædium ambitum, tanquam aliquem alium orbem sibi construens. Extendit autem parietes in maximam longitudinem. Variat autem internarum habitationum extructionibus, internorum habitaculorum apparatui mutuam ex se & per se inter se præbens victatem. Deinde Lacædemonius, & Thessalus, & Caristius lapis explicatur, & ferro ad incrustationes Nili, & Numeniæ metalla quæruntur. Quinetiam ad hæc efficienda, petra quoque lydia assumitur, quæ marmoris candori purpureum vbi accidit, inserens colorem, auidos oblectat oculos, multis formis figurisque præditam in albo depingens coloris suffusionem. Quàm multum in hæc confertur studium? Quot sunt figuræ, & quàm multa artificia; cum alij qui-

dem aqua & ferro materias secent; alij verò hominum manibus noctu diuque laborantium efficiant dissectionem? Nec hæc quidem sufficiunt iis qui in vanum ornatum laborem conferunt: sed & viui puritas venenis inquinatur, & variè tingitur, vt ad excogitatæ inuentionis luxum & delicias, ex eo quoque aliquid adiungatur. Quomodò autem narrari possent tectorum opera superuacanea, in quibus ligna quæ fiunt ex cedris, artis subtilitate ita rursus conuertuntur, vt putentur arbores ex cælaturis ramos, folia, & fructus producentes. Taceo aurum quod in aëreas membranas dissecatur, & in iis vbique illinitur, vt auidos oculos in se conuertant. Ebur autem quod adsciscitur ad vestibulorum & atriorum superfluos ornatus, & quod eorum cælaturis illinitur aurum, aut quod clauis elicitur argentum & quæ sunt eiusmodi, quis dixerit? Domorum pauimenta quæ variis coloribus? Vt etiam eorum pedes in splendore lapidum luxurient, & in eiusmodi domorum multitudine, nimis ambitiosam magnificentiam, quarum non vitæ vsus necessariam facit constructionem, sed cupiditas per eos qui sunt amentes procedens, earum inuenit importunitatem. Nam ex domibus alias quidem oportet esse paratas ad cursum, alias ad deambulandum, alias ad ingressum, alias ad vestibulum, alias quæ portis sint impositæ. Neque enim satis esse putant ad scopum portas & vestibula, & amplum quod est intra portas spatium, nisi ingredientibus eiusmodi quid priùs occurat, quod statim ingredientem videndo possit stupefacere. His accedunt lauacra quæ vsum præbent simul cum magnificentia, in silentium abundantia totis fluuiis irrigantia, & quæ ante ea sita sunt gymnasia, eaque variis marmoribus splendidè & affabrè ad ornatum constructa, & vndique circa ædes porticus Thessalis & Ægineticis innixæ columnis, & æs in statuis, quod in mille species effingitur, nempè in quodcunque curiosi & superuacanei operis desiderium fundit materiam, & quæ sunt ex marmore simulachra, & quæ in tabulis picturæ, per quas etiam fornicantur oculis arte aperiente per imitationem, ea quæ aspici nequeunt, & quæcunque licet videre in iis quæ sunt eiusmodi affabrè facta ad admirationem & pulchritudinem. ] Satin' de mortalium falsis in hoc genere insaniis generatim?

542 Pleraque in eam rem, sigillatim, variis omnino locis prostant. De Romanis palatiis magnificentissimis adeundus Suetonius in Nerone cap. 31. & Lipsi. 3. Admirand. à cap. 4. quibus addendum quod de Romano palatio Regis Magalbini narrat (an fabulatur.) Beniaminus Tudelensis *pag.* 20. *Itinerarij*. Galbinum, vel Galienum, esse quem Magalbinum Beniaminus dixit, suspicatur Arias interpres. In eo vno palatio, trecenta ac sexaginta palatiola, ex numero dierum anni abs se visa scribit. Ambitus vniuersus palatij, tribus millibus passuum protendebatur. Intra illud visebantur ossium acerui, ex pugna intra palatij ambitum commissa, qua mortalium ad centum millia ceciderant. Idem Hebræus palatiuum nouum Emmanuelis abs se visum memorat pag. 30. cuius muri & columnæ, argento auroque obductæ, solium ex auro & gemmis, & eidem æquali corona aurea superne de catenis pendente obtectum: tota domus tot distincta lucissimis gemmis, vt noctu nullo admoto lumine splendesceret. De Regia Persarum, aurea, testis Dio orat. 2. de Regno, & alij apud Brissonium lib. 1. de Regno Persarum pag. 66. Magnificentissimam Salomonis regiam, Villalp. fusè tomo 2. & Pineda lib. 5. de rebus Salom. cap. 5. aliique exhibent.

Sic fatui mortales, ab ædificiis plerumque & molibus immensis. Gloriam quærentes, infamiam sibi potiùs conciliant. Qua ratione accipit S. Chrysostomus illud Psalm. 48. *auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum*; quæ postrema verba sic vertit & exponit. [ *A gloria sua exturbati sunt.* Quod maximè desiderabant, propter quod omnia faciebant, & nihil non moliebantur, nempè vt post mortem, magnam sibi pararent gloriam, per pecunias, per ædificia, per sepulchra, per nomina inscripta in sepulchris, ab eo (inquit,) excident, quod eos maxima molestia afficiebat dum viuerent, & hæc scirent. Talia enim ædificia, sunt accusationes mortuorum. Nam & si corpus terra tegatur, lapides tamen vocem emittunt, eorum crudelitatem & impudentiam quotidiè accusantes, communes eos hostes proclamantes, eos qui prætereunt, vt eos diris & maledictis, prosequantur & accusent, inuitantes. Quænam est ergo hæc gloria, accusatorem relinquere non tacentem, sed solo aspectu ora omnium aperientem, & apud omnes qui vident, & accedunt, eos qui ædificarunt grauissimè increpantem? Quidnam potest cum hac confetri stultitia? Quando ea faciunt de quibus puniuntur, pro quibus ignominia afficiuntur, pro quibus accusantur, propter quæ etiam post mortem; à multis effodiuntur: ex quibus execrationes, reprehensiones, & crimina innumerabilia in eos intenduntur, tam ab eis iniuria affecti sunt, quàm qui non affecti sunt. ] Quamuis autem daremus hæc magnificentiæ insana ostenta nunquam probo verti, quæ tamen ea est magnificentia, cum hæc omnia vt de Regiis domibus materialibus dixit S. Chrysost. homil. 2. in ad Colossens. ad illud, *primogenitus vniuersæ creaturæ*, nihil sint aliud, quàm nidi ex luto & festucis compacti, nihilque ab hirundinum domunculis discrepent? formicarum opera sunt, vt idem ait serm. de vanitate vitæ & homil. 15. in primam ad Timoth. *in morali*. Dei domus ab artifice Christo extructa Spiritualis est & viua, ideoque supra omnem comparationem est pretiosior & dignior. In dies autem à Latomo eius exornatur studiosiùs, & dignius Deo, vt Nyssenum hom. 3. in Ecclesiastem, perelegantèr prosequi memini.

### *Malignitas diruentium, aut profanantium, tam sacras Christi domos.*

543 Quàm ergo ingratus diuinæ beneficentiæ, qui domum Dei lupanar, aut gurgustium, vel sterquilinium commutat? qui domum Dei, facit domum negotiationis, imo mea facit scelera multa? quàm luctuosum est

domum

domum Dei incendio conflagrare cum tot opibus & thesauris? [ Adestis sæpè numero (aiebat Chrysostomus hom. 10. in ad Ephes.) magnarum ædium incendio: videtis quomodò ad cœlum vsque fumus ascendat, & dum nemo malum extincturus prodit, sed quisque quæ sua sunt spectat, ignis ille magna vi cuncta depascatur. Et circumstetit plerumque ciuitas tota, circumsteterunt verò spectatores tantùm, non opitulatores, aut adiutores. Et videre est istic quàm nihil faciant omnes quotquot circum incendium adstant, sed quisque illorum extensa manu, recenter aduentanti vel locum ostendat, vel flammam è floribus indesinenter exilientem, vel trabes detectas vel vniuersum culminum ambitum denuisum ad terramque ruentem. Sunt autem plurimi audacium, inque pericula seipsos proiicientium, qui quàm proximè ad ædificia illa ardentia ausi sunt accedere, non vt manus illis porrigerent, malumque extinguerent, sed vt iucundiùs haberent spectaculum, & vt è vicino cuncta diligenter spectare possent, quæ foris positos, anteà plerumque latuerant. Si verò splendidis istud & magnis contigerit ædibus, miserabile videtur esse spectaculum, & multis lachrymis dignum, & est reuera miserandum spectaculum, videre columnarum capita in puluerem redacta, plures etiam ex illis in frusta comminutas: has quidem igne vastatas, illas verò etiam eorum manibus sæpenumerò qui ædificauerant, impulsas ac demolitas, ne latiùs reliqua depascerétur incendium. Videre est hìc & monumenta, quæ multo ornatu, imposito tecto stabant, iam sublato culmine in lucem detecta, multoque dedecore in patulo prostantia. Opes verò quæ nitus erant reconditæ, quis enarrabit? Vestes videlicet deauratas, vasaque argentea, & locum illum quo non facilè herus ipse cum coniuge sua ingrediebatur, vbi multorum erat vestimentorum, aromatum, lapidumque pretiosorum repositorium. Hic omnia in vnam pyram conflantur, & balnearij, & stercorarij, & serui fugitiui, & quotquot intùs sunt. Omnia in his ædibus iam nihil aliud sunt quàm aqua infusa, ignis, lutum, & fumus, cinis & semiusta ligna. Sed quamobrem hanc imaginem adeò fusè extendi? Nolo simpliciter domus alicuius incendium describere. Quæ enim mihi esset illius cura? Sed Ecclesiæ mala oculis vestris, quantum licuerit, subiicere volo. Non enim aliter illa reuera quàm velut incendium, aut fulmen quoddam cælitùs delapsum, ita in ipsum Ecclesiæ culmen deuenerunt: & tamen neminem excitant, sed paternis ædibus incensis, profundo quodam & insensibili pressi somno, altum dorminus omnes. Quem enim hic ignis, quasque columnas in Ecclesia stantes non corripuit? ] Subdit hunc ignem esse superbiam, & vanam gloriam; sed sunt & alij ignes qui iuxta Apostolum, Dei aduersarios consumunt, idest omnia vitia.

### *Rusticana Salomonis veri opera, magnificentiam eius prodentia.*

544 Attingenda restat ea Regis gloriæ magnificentia, de qua abs se in rusticano opere prodita, non siluit Salomon Ecclesiastis 2. Inter cætera enim quæ ibi recenset, regiæ suæ magnificentiæ argumenta, *Magnificaui* (inquit) *opera mea, ædificaui mihi domos & plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & conseui omnis generis arboribus, & extraxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium.* Addit de armentis, & gregibus ouium. Quibus verbis partes omnes culturæ complexus est. Nomine quippe vinearum, iuxta receptam in Scriptura phrasim, non nudum vinetum, sed vt in plerisque regionibus assolet, campum vineis intersitum designauit: ita scilicet vt inter duos quosuis ordines, interponatur agri pars, ad frumentationem. Neque verò est in re agraria, vel hortensi, aut pastoritia curanda, quod regiam maiestatem dedecoret: vt intelligitur ex his quæ Themistius orat. 2. de paterna agricol tione disserit; & ex multo pluribus quæ adsensat Tiraq. in opere de Nobilit. cap. 32. Hortos ergo, pomaria, vineas, agros, piscinas, ouilia, & armenta, nec non aluearia Regis nostri, attingamus: sed obiter, nec fetè nisi indicatis iis, quæ immensum peterent, si iusta tractatio vel mediocriter diligens adhiberetur.

### *Ecclesia, hortus Spiritus.*

Hortum describpturus amœnissimum priscus autor lib. 2. veter. epigram. sic eum exhibet.

*Hortus salubres corpori prabet cibos,*
*Variosque cultus sapè cultori refert:*
*Olus suaue, multiplex horti genus,*
*Uuas nitentes, atque fœtus arborum.*
*Non desit hortus & voluptas maxima,*
*Multisque mixta commodis iucunditas.*
*Aquæ strepentis vitreus lambit liquor,*
*Sulcoque ductus irrigat riuus sata;*
*Flores nitescunt discolore gramine,*
*Pinguntque terras gemmeis honoribus:*
*Apes susurro murmurant gratæ leui,*
*Cum summa florum, vel nouos rores legunt.*
*Fœcunda vitis, coniuges vlmos granat,*
*Textasque inumbrat pampinis arundine:*
*Opaca prabent arbores vmbracula,*
*Prohibentque densis feruidum solem comis.*
*Aues canoros garrulæ fundunt sonos,*
*Et semper aures cantibus mulcent suis:*
*Oblectat hortus, aduocat, pascit, tenet,*
*Animoque mœsto demit angores graues*
*Membris vigorem reddit, & visum capit,*
*Refert labori pleniorem gratiam,*
*Tribuit colenti multiforme gaudium.*

Nec aliter hortum Vltrogothonis Reginæ, Childeberti Regis manu consitum, exhibet Venantius Fortun. lib. 5. poëmatum. Talem hortum esse Ecclesiam, ac multo etiam amœniorem, quæ subiiciam perspicuum efficient.

545 Horto ergo frequenter Ecclesia comparatur, quæ diuersorum habet poma meritorum, floresque virtutum, ait S. Ambros. lib. 10. in Lucam, exponens Christi in horto sepulturam. Rursusque lib. de bono mortis cap. 5. censet ex his scripturæ locis, Platonem & alios Ethnicos, commentos esse hortos

Iouis.

Iouis. [ Anima ( inquit ) ingreditur in hortos, & inueniens illico sponsum sedentem & disputantem cum amicis, ait; *Quisedes in hortis vocem tuam insinua mihi.* Mihi ( inquit ) non amicis. *Fuge frater meus.* Hortatur vt fugiat sponsus, quia iam sequi potest etiam ipsa terrena fugientem. Dicit vt similis sit damulæ, quæ euadit de retibus. Vult enim & ipsa fugere, & euolare supra mundum: Hinc hortum illum sibi plato composuit, quem Iouis hortum alibi, alibi hortum mentis appellauit. Iouem enim & Deum, & mentem totius mundi dixit. In hunc introisse animam, quam venerem nuncupat, vt se abundantia & diuitiis horti repleret, in quo repletus potu iaceret, purum qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eo quod anima Deo adhærens, in hortum mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diuersarum virtutum, floresque sermonum. Qui autem ignorat, quod ex paradiso illo quem legimus in Genesi, habentem lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali, & ligna cætera, abundantiam virtutum putauerit transferendam, & in hortum mentis esse plantandam? Quem in Canticis Canticorum, Salomon hortum animæ significauit, vel ipsam animam. Sic enim scriptum est; *Hortus clausus, soror mea sponsa, hortus clausus fons signatus, transmissiones tuæ paradisus.* Et infra ait anima; *Exurge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & defluant unguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum.* Quanto hoc pulchrius, quod anima ornata virtutum floribus hortus sit, vel in se Paradisum habeat germinantem? In quem hortum inuitat Verbum Dei descendere; vt animâ illa verbi imbre cœlestis, & eius copiis irrigata fructificet. ] Est ergo Ecclesia, hortus Domini. [ Christus Rex ille cœlestis, ( verba sunt S. Macarij homil. 28. ) ac verus agricola, veniens ad desolatam per vitium humanitatem, assumpto corpore, ac pro instrumento crucem portando; excoluit animam desertam, ex eaque decerpsit spinas, & tribulos prauorum Spirituum, & zizania peccati euulsit; atque fœnum omne peccatorum eius, igni combussit: cumque sic exercuisset illam ligno crucis, plantauit in ea pulcherrimum hortum Spiritus, omnis generis suauissimum & gratissimum fructum, Deo velut Domino producentem. ] Idem Deus Christus, vt est apud Chrysologum serm. 98. *sub finem.* [ Misit in hortum suum, sponsam: Huius horti sæpè meminit in Canticis Canticorum, dicendo; *Hortus clausus.* Hortus est Euangelij vomere, orbe toto diffusa cultura, clausus, stimulis disciplinæ, ab omni pessimo gramine Apostolico labore grauatus, fidelium plantariis, liliis virginum, rosis Martyrum, Confessorum viriditate amænus, fragrans floribus sempiternis.

*Flores, horti Ecclesiæ, & aromata.*

546 Distinctionis propositæ florum huius horti, meminerunt sæpè alij Patres. S. August. serm. 37. de diuersis cap. 3. habet hortus ille dominicus, non solùm rosas Martyrum, sed & lilia Virginum, & coniugatorum hederas, violasque viduarum. Hieronymus epist. 27. martyres rosis & violis, virgines liliis componit. S. Cyprianus epist. 9. Rosarum nomine, Martyres; quosuis pios liliorum appellatione donat, gratulans Ecclesiæ quod antea in operibus Patrum candida, postea facta sit in Martyrum cruore purpurea; sicque eius floribus, nec rosæ nec lilia desint. Concinnè more suo S. Ambrosius lib. 7. in Lucam, ad illud, *considerate lilia agri*, cum Angelos dixisset esse verè istius mundi flores, quod eorum claritatibus mundus ornetur & bonum odorem sanctificationis aspirent, subdit de horto Ecclesiæ, in quo Confessorum violæ, lilia Virginum, Rosæ Martyrum sunt, & Martyres idcirco cum rosis conferri notat; [ sunt enim spinæ Rosarum, quia tormenta sunt Martyrum. ] Flores omnes Christiani, iuxta S. Zenonem serm. 1. de Paschate; [ Fons ( inquit ) ver sacrum, cuius diuite ex alueo, fauonio non vento, sed Spiritu sancto generante odorem diuinum, Ecclesiæ flores clarissimi, & dulces nostri funduntur infantes. ]

Omnes hos flores horti Christiani, plantationem Christi esse, docet pulcherrimè S. Ambrosius serm. 6. in Psalm. 118. ad versum 3. sic glossans locum ex Cant. 2. [ *Hyems præterijt, imber abijt, discessit sibi, flores sunt in terra.* Ante aduentum Christi, hyems erat venit Christus, fecit æstatem. Tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum: passus est Christus, & omnia cœperunt nouæ gratiæ fœcundari germinibus. Imber abiit luxuriæ profluentis, & nubila tetris orta flagitiis, æstiua iam puræ conscientiæ serenitate laxantur. Ideò non euadunt, quorum fuga hyems sit, quia non sequuntur Domini passionem, non tollunt crucem suam, & Christum sequuntur. Imber impedit flores; at nunc flores videntur in terra. Boni flores Apostoli, qui diuersorum Scriptorum atque operum suorum, fuderunt odorem. ] Pulchrè idem Nyssenus hom. 5. in Cant. [ Cum venisset ( inquit ) qui ver in nostris animis indidit ac procreauit, qui cum malus ventus mare aliquando excitasset, & ventos increpauit, & dixit mari, tace, compescere, & ad serenitatem & tranquillitatem tedacta sunt omnia; & rursus incipit nostra natura propriis ornari floribus. Vita autem nostræ flores, virtutes, nunc quidem florem, suum autem fructum præbent suo tempore. Propterea dicit; *hyems abiit, se recepit. Flores visi sunt in terra, tempus putationis aduenit.* Vides ( inquit, ) pratum florens virtutibus? Vides temperantiam? hoc est splendidum, & summè olens lilium. Vides pudorem, rosam? Vides violam, Christi bonum odorem: ] Nimirum vernante Christo eius flore, succido in Passione, per Resurrectionem reflorescente, hortus Ecclesiæ grata illi amænitate ex tot florum varietate, distinctus est & exornatus. Inter eos Paulus *mundi lilium, & Ecclesiæ pulcherrima rosa*, ( vt loquitur Adrianus I. epist. ad Episcopos Hispaniæ; [ Flos erat Paulus ait S. Ambrosius serm. 5. in Psalmum 118. versu 1. qui dicebat, *bonus odor Christi sumus Deo.* Et verè flos, qui poterat noua & vetera de sui cordis proferre thesauro. Pulchrè etiam lilium dicitur Ecclesia. Sicut enim lilium fulget, ita etiam splendent opera Sanctorum

Sanctorum pulcherrimè etiam dictum est lilium conuallium, quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc lilium in medio spinarum; hoc inter Iudæos & hæreticos, hoc inter solicitudines huius seculi, quæ mentem hominis, animumque compungunt. Possumus etiam aliter accipere, quia sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes conuentus, Ecclesia Dei refulget.] Ipsemet S. Ambrosius, Iudice Pelagio apud S. Augustinum lib. 1. de nuptiis cap. vltimo, [Scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit.]

547 Nec oculi duntaxat grata illa colorum varietate pascuntur: Odor quoque inde afflatur suauissimus, quo totus hortus verè flagrat. Sudant ibidem balsama, & omnis generis aromatum plantæ, è quibus flante austro fluit cœlestis fragrantiæ vbertas. Ideò sponsa (vt commentatur Nyssenus hom. 10. in Cantica.) [Accersit spiritum meridianum qui est calidus, & semper lucidus, quem nominat Austrum, per quem fluit torrens deliciarum, dicens; *& veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata mea*: adeò vt violento spiritu, sicut audimus factum fuisse in cœnaculo discipuli, plantas inspirans animatas moueat Dei plantationem ad aromatum productionem, & efficiat vt per os fluat odorifera prophetia, & salutaria fidei dogmata, per omne genus linguæ effundens citra impedimentum, bonum odorem documentorum. Sic centum viginti Discipuli, qui plantantur in domo Dei, flatu huius Austri, quæ per linguas traditur doctrinam, fecerunt efflorere. Propterea ergo huic Austro dicit sponsa; *perfla ortum meum*; quandoquidem horto fuit mater, à voce sponsi qui ipsam fecit, sicut idem continet fontem. Quamobrem vult suum hortum, nempe Ecclesiam, quæ scatet arboribus animatis etiam perflari, vt ex eis fluant aromata. Nam Propheta quidem dicit, *flabit Spiritus eius, & fluent aquæ.* Sponsa autem regijs ornata diuitijs, mutat fluenta ad maiorem amplitudinem & magnificentiam, faciens aromatum fluuios effluentes, per vim Spiritus ex arboribus horti. Quo fit, vt per hoc discamus veteris Testamenti à nouo differentiam, quoniam communis quidem fluuius propheticus, impletus fuit aquis; Euangelicus autem aromatibus. Talis fluuius aromatum ex horto Ecclesiæ fluens per spiritum, erat magnus Paulus, cuius fluentum erat Christi bonus odor. Talis alius fuit Ioannes, Lucas, Mathæus, Marcus, & alij omnes, irrigantes plantas horti sponsæ, qui perspirati lucido Austro meridiano, facti sunt fontes aromatum, scatere facientes bonum odorem Euangelij.] Est huic horto, (vt vides ex proximo loco, & confirmat Chrysostomus hom. in Entropium) pro fauonio, Spiritus Sancti aura; pro sepe autem spinosa vallante, diuina prouidentia, vt idem Chrisostomus admonet.

### *Pia quæque anima, hortus Domini.*

548 Sed quod non Ecclesiam modò vniuersam, sed sigillatim quoque piam quamque animam, hortum Domini esse Ambrosio attingebam, declaro ex eodem vberiùs lib. 1. de Virginibus. Cum enim Christum vt florem descripsisset, Sactæ virgini subdit. [Scrutare diligentiùs tam bonum florem, nec vbique eam in pectoris tui conualle reperies: humilibus enim frequenter inhalatur. Amat generari in hortis, in quibus eum Susanna dum deambularet inuenit, mori priùs violati parata. Qui sint autem horti, ipse demonstrat dicens; *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*: eo quod in hortis huiusmodi, impressam signaculis imaginem Dei; synceri fontis vnda resplendeat, ne volutabris spiritalium bestiarum, sparso cœno fluenta turbentur. Huic ille murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortus furibus inaccessus, vitem redolet, fragrat oleam, rosam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescat. Hic est odor quem Iacob Patriarcha fragrauit quando meruit audire; *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Nam licet plenus omnibus ferè fructibus, Patriarchæ Sancti fuerit ager; ille tamen fruges maiore virtutis labore generauit, hic flores.] Pulchrè item Guerricus serm. ad excitandam psallendi deuotionem. [Hei mihi quàm citò defecerunt dies mei, quàm citò sicut fœnum arui: qui quamdiu fuit in horto cum illo, sicut Paradisus Dei virui & florui. Cum illo hortus voluptatis, sine illo locus horroris & vastæ solitudinis. Existimo enim qui in hortum illius intrat, quod & ipse hortus fiat; sitque anima illius velut hortus irriguus, vt & sponsus in laudem eius dicat *Hortus conclusus soror mea sponsa.* An non sunt hortus, in quibus sit quod ipse hortulanus loquitur, plantationi quàm plantauit pater suus? *audite me* (inquit) *diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. Quasi libanus odorem suauitatis habete. Florete flores quasi lilium, date odorem, & frondete in gratiam.* O Domine Iesu verus hortulanus, operare in nobis quod exigis à nobis. Nam sine te nihil possumus facere. Tu enim verus es hortulanus; idem Creator qui cultor vel custos horti tui, qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das. Errabas Maria, quæ eum æstimabas hortulanum illius horti pauperis & exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est totius mundi, hortulanus est cœli, hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat & rigat, donec incremento consummato, transplantet eam in terra viuentium.] Agnoscit id ipsum Gulielmus Paris. tractatu de Sacramento Baptismi cap. 3. notans, quod quia anima cum Deo coniungitur, [hortus domini, hortus voluptatis, & paradisus deliciarum eadem significatione, qua priùs erat desertum & solitudo Infernalis, efficitur: meritò signum crucis quod est veluti formido, & expauentaculum voluerum & bestarum Infernalium in eo erigitur.]

Distingui etiam in huiusmodi horto possunt variæ areolæ, & flores varij. Tres Patres in expositione cap. 4. cant. ad illud, *hortus conclusus soror mea*, restringunt hunc hortum ad inferiorem animæ partem, ibique & externos & internos flores secernendos esse animaduertunt. Eiusdem horti clausuram, S. Gregorius in cap. 4. Cant. ita exposuit. [Vnaquæque anima sancta, etiam hortus conclusus esse intelligitur: quia dum virtutes nutrit, flores gignit, & dum virtutum exhilaratione se reficit, fructus quos ge-

nuerat,eadem custodit. Conclusus enim hortus esse dicitur: quia dum bona sua, intentione vitæ æternæ abscondit; dum humanas laudes omnino contemnit; ipsa bona intentione se circumsepit nè ad interiora rapienda, hostis antiquus irrumpere possit.]

*Deiparæ, hortus conclusus.*

549 Nolo singularium huiusmodi hortorum enumeratione & expressione, producere orationem. Illum tamen specialem voluptatis hortum præterire nefas fuerit, quem toties hoc nomine Scripturæ, interpretibus plerisque Patribus adumbrarunt; Beatam dico Mariam, hortum verè conclusum. Audi Excebertum Abbatem, in deprecatione. [Hortus conclusus tu es Dei genitrix, ad quem deflorandum, manus peccatoris nunquam introiuit. Tu Sanctorum areola aromatum, à cœlesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas: Inter quos pulcherrimos flores tres miramur in te ô excellentissima. Hi sunt quorum odore suauissimo totam domum Domini reples, ô Maria viola humilitatis, lilium Castitatis, rosa Charitatis. Meritò de Dei areola flos ille speciosus præ filiis paradisi electus est, super quem requieuit Spiritus Domini.]

Nec minus piè ac verè Alanus de Insulis in cap. 4. Cant. sic enim scribit de Deipara horto concluso. [*Hortus* in quo non rosæ patientiæ nec lilia virginitatis desunt; in quo rosa Dominici corporis & sanguinis, in quo lilium castitatis. *Conclusus*, quia vtrobique clausus, studio bonæ intentionis, & consideratione rationis, *Hortus conclusus soror mea sponsa*, quia vallo charitatis signatus, nè irrumpere possit malignus. *Conclusus* quia Angelorum custodia circunseptus. *Soror mea* per dilectionem, *sponsa* per naturarum vnionem; *hortus conclusus* hìc ideò repetitur, vt perfectio Virginis in actione & contemplatione notetur, vel in duplici virginitatis specie: Conuenit horto, vt sit æqualis, septus, satus, distinctus, rectus, & vber. æqualis, vt rigetur, septus, vt seruetur; satus, vt fructificet; distinctus, vt delectet; rectus, vt capiat aërem; vber, vt pæbeat copiam. Et tu Virgo Dei genitrix, fuisti vber hortus copia plenitudinis.] Hæc vt est apud Bernardum Tract. de Passione dom. cap. 17. verè de se dicere potuit. [Tota floreo, nullius floris expers, quia nulla virtute careo, cum tota speciosa sim, & macula non sit in me. Habeo lilium castitatis, quia prima votum conseruandæ virginitatis voui Domino. Habeo rosam Charitatis, quià si non vtique adeò dilexissem Dominum, vnde mihi tanta fiducia, vnde mihi tanta audacia, vt nouum aliquid puellula, tenera, & verecunda, & adhuc sub patentum iure & præceptis legis constituta, inchoarem? Sed vt verum fatear, audacem faciebat amor, coëgit rosa ardens seruilem timorem deuorans, vt faceret nouum votum, & singulare lilium, vt possem quandoque dicere dilecto meo; Candida sum & rubicunda, sicut & tu candidus & rubicundus. Habeo & alios quoscumque flores, sed nullum horum tanta dignitatis prærolatiua respexit in me Dominus, vt florem viogæ meæ.]

Quomodò verò hic hortus, florem lectissimum sine sarculo defodiente, & manu hominis seminante, protulerit; dictum alibi ex S. Augustinos serm. 2. de temp. quam exscripsit S. Bern. serm. 47. in Cant. apud quem Auctor Tractatus de Pass. dom. cap. 46. addit de nexus floris & fructus in hoc horto, contra quàm semper alibi visuenit. Qualis verò flos Christus? Fuit Christus lilium, vt ipse prodit de se Cant. 1. fuit rosa; Optimè id tradunt Innoc. III. & Alex. III. cum de rosa aurea. Alia profero l. 3. sect. 3. c. 12. Pleniss imè de hoc horto Richardus à Sancto laurentio toto l. 12. de laudibus Deiparæ. S. Ephrem in magni Basilij laudatione, *initio*, præter flores lectissimorum titulorum queis illum afficit, vocat [collem variis ornatum floribus mystici roscti, cuius odor in ipsum cœlum redolet ac spirat.] Hæc quanto iustiùs ac veriùs de Sanctissima Deipara, dicere licuit?

*Religio, hortus nucum.*

550 Quod verò tres Patres apud Theodoretum, exponentes illud ex cap. 8. Cant. *qui habitas in hortis*, hortum manu Christi constitum, statuant quoque Cœnobium rel giosum, iuuat id confirmare verbis Sancti Basilij (sitamen ipse auctor habetur enim ea lucubratio apud Petrum Damiani Opusc. 11. cap. 19.) homilia de laudibus Eremi *initio*. *Eremum* enim pro cœnobio & vitæ monasticæ sede, apctè vsurpat. [Eremus (inquit) est paradisus deliciarum (id est hortus amænissimus & florulentus, vt sequentia monstrant, ) vbi tanquam redolentium species pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum. Sic fragrantia, spirant odoramenta virtutum. Ibi siquidem rosæ charitatis, igneo rubore flammescunt. Ibi lilia castitatis, nitueo candore candescunt: cum etiam humilitatis violæ dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha perfectæ mortificationis, non solùm carnis, sed quod gloriosius est, propriæ voluntatis, exundat, & thus assiduæ orationis indesinente remanat, & igne diuini amoris suauitet ardet. Et cur quæque singula commemorem, quandoquidem omnia illic diuersarum virtutum germina, diuersis venusta coloribus rutilantur; & perpetuæ viriditatis gratia, incomparabiliter vernant.] Itaque non tantùm Religiosi in hortis habitant vt disserit Guerricus serm. ad excitandam deuotionem inter psallendum, sed etiam horti sunt. Consulant qui in hanc rem plura volunt, recentiores plerosque Cantici canticorum Tractatores. Hunc esse hortum nucum ac amaritudinem pœnitentiæ, ait Honorius in cap. 6. Cant. Itaque quadrat belle in huiusmodi animam à seculo extorrem, quod S. Ambrosius lib. de Isaac cap. 8. circa illum nucum annotat, dicens [Anima sponsi amore vocata, ait; *Hortum nucis discendi videre in natiuitate terrena*. Vbi enim est Ecclesia, nisi vbi virga, & gratia floret sacerdotalis? Ibi est frequenter, vt in amaritudinibus & tentationibus probetur. Per nucem amaritudines intelligimus, per torrentem tentationes, sed tamen tolerabiles, quia scriptum est; *Torrentem pertransiuit anima nostra*. Itaque descendit in locum amaritudinis, vbi floret vitis & malorum granatorum specie diuersus, & multiplex

multiplex fructus, qui velut vno tegmine, totius corporis fide & charitate munitur.]

*Ad Christi hortos, cæteri saltus & tesqua. Florum ineptes caducitas.*

551 Nulli tales horti ab vllo consiti, vel exculti, Horti Adonidis, tesqua præ his videri possint. Est quidem cælum quasi hortus, tot floribus quot astris distinctus, vt pulcherrimè tradit S. Ambros. 4. Hexam. c. 2. verbis illis. [Per luna Stellarúmque fulgorem, cœlum velut quibusdam floribus coronatum, ita ignitis luminaribus micat, vt Paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarum viuis monilibus renidere &c. Et ideò à plerisque ornamentum cœli est nuncupatum eo quod sit stellarum monile pretiosum.] Concinit S. Chrysostomus hom. 10. ad Pop. qui aërem quoque, hortum censet. [Inferiùs pratum, (Græca vox, λειμὼν Locum florigerum atque adeò hortum sonat:) superiùs, pratum. Et enim in terra pratum, & in cælo pratum syderum varij flores; inferiùs rosæ, superiùs Iris.] Basilius item Seleuciæ Orat. 1. [Astrorum in cœlo infigit lumina, & firmamentum luminosis floribus conserit eorum in gratiam & vsum conducentibus, qui in terris agunt. Insuper mundi pauimentum pratis benè florentibus variauit.] Astra igitur luminosi flores sed marce scibiles. Nam ex Eclipsibus & obnubilationibus veluti afferuntur, & decident tandem aliquando.

En alios flores promptiùs & perfectiùs marcentes, in horto terreno. Nec enim ratione eorum tantùm qui passim fores dicuntur, hortus est mundus; Sed & ratione hominum. Quippè & homines, flores sunt horti mundani. [Matrimonij flores (inquit Clemens Alex. 2. pædagogi cap. 8.) amborum coniugum liberi, quos carnalium pratorum diuinus colligit agricola.] At quanta florum huius horti caducitas? Audi S. Basilium, hom. 5. in Hexaëmeron. [Primùm vt herbam fœni conspexeris atque florem, in mentem tibi veniat humanæ naturæ; ac sapientis Esaiæ imaginans similitudinem in memoria habeto, *Omnis caro*, dicentis, *vt fœnum est omnisque gloria hominis, veluti fani flos est*. Breuitas enim temporariæ istius ac diciduæ vitæ, oblectamentúmque prosperitatis humanæ, atque hilaritas, exiguo tempore persistens accommodatissimam est apud Prophetam similitudinem sortita. Hodie florulentus corpore, propter delicias obesus, & florente colore præditus, ob ætatis viriditatem efflorescentem lasciuiens, vehemens, impetu intolerabilis, nec quoquam secum consistens: cras idem ipsemet miserabilis, aut tempore marcidus, aut morbo forsan dissolutus, senioque confectus. Et quispiam ob amplitudinem patrimonij, illustris ac suspiciendus, & adulatorum hominum Copia & satellitum circa ipsum versatur, septúsque est fictis amicis qui gratiam ipsius venantur: magna quoque caterua sanguine propinquorum, & ipsa simulata stipatus: innumera denique sequitur illum eorum hominum multitudo, qui partim alimoniæ emerendæ gratia comitantur, aut propter alios vsus ei adsunt; quos abiens domo se éque recipiens domum secum trahens, intidiosus est occurrentibus. Adde diuitiis si volueris, & ciuilem aliquam potestatem, vel etiam honores ex Regibus, curam & administrationem gentium, Imperatorium munus exercitus ductandi, præconem præitantem, & anteambulonem, ipsius qui exerta voce reboët, feruligeros lictores qui vel ipso progressu terrorem accerrimum incutiant subditis imperio, plagas ingerant, & iterogent facultatũ publicationes, abreptiones carceres; è quibus intolerabilis subditorum metu, emergit atq; accumulatur. Quid post hæc quæso? Noxvna febris, aut certè pleuritis, siue peripneumonia, abreptum hunc è medio hominum cœtu abit secum abducens hominem omni prorsus quæ eundem circumstabat scœna spolians in vestigio ac nudans. Splendor ille maiestatis & gloriæ ad insomnij imaginem momento disparuit. Quare per hoc Prophetæ oraculum, gloriæ humanæ similitudo ad debilissimum florem appositè videtur accommodata.]

552 Excripsit Basilium, & florulenta sua oratione, idem amœnissimè tradidit S. Ambrosius lib. 3. Hexam. cap. 7. Nec aliter ferè S. Greg. 11 moral. cap. 27. [Tendamus (inquit) oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis: & ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in fœno est. Vnde benè per Psalmistam dicitur, *Homo sicut fœnum dies eius, & sicut flos agri, ita florebit*. Esaias quoque ait; *omnis caro fœnum: & sicut flos agri*. Homo etenim moris procedit ex occulto: & subitò apparet in publico: qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Carnis nos viriditas ostendit: Sed ariditas pulueris ab aspectibus retrahit. Quasi flos apparuimus qui non eramus, quasi flos aresciimus qui temporaliter apparebamus.] Hieremias eodem actus Spiritus quo Iob insinuans humanæ cuiusuis venustatis in mundano hoc horto celerem defluxum, aiebat, *date florem Moab, quia florens egredietur, & ciuitates eius desertæ erunt, & inhabitabiles*. Itaque rectè Chrysostomus hom. 1. in 2. ad Corinth.: à flore faciei muliebris auertens iuuenilem oculum; [Illud cogita (inquit), id quod cernitur nihil aliud esse quàm phlegma & sanguinem, & alimenti putrefacti humorem. Exhilarat, inquis, floris aspectus. At nihilo magis quàm flores è terra nascentes: quamquam & hi putrescunt marcescúntque. Proinde nec hic attende flori, sed animo interiùs penetra & cogitatione, detracta formosa illa pellicula curiosius inspice quæ sub ea latent. Nam & aqua intercute laborantium corpus relucet ac splendet, nec superficies quicquam habet mali: Sed dum cogitamus tumorem intus repostum, perculsi non possumus amare tales. Sed liquidus est oculus & acer, pulchrè porrecta supercilia, nigræ pupillæ, placida ceruix, purus & serenus aspectus. At vide rursum, hoc nihil aliud esse, quàm neruos ac venas, hymenes & arterias. Tu verò mihi cogita formosum istum oculum ægrotantem, senescentem, ac præ dolore marcidum, præ ira tumentem, quam deformis, quàm celeriter pereat, citiusque quàm scriptura deleatur. Ab istis abducito mentem ad veram formam.] Idest ad veros animi flores: hoc est virtutes. Cœtera enim, sunt non amaranthi & flores perpetui, sed hemerocalli, cum Apostolorum ergo Principe 1. Epist. cap. 1, concludendum

*omnis gloria eius*; hominis & mundi & rei cuiusuis mundanæ, quantumuis in huius mundi horto speciosa eniteat, *tanquam flos fœni. Exarcuit fœnum, & flos eius decidit*, & iuxta prouerbium Africanum à D. Augustino vsurpatum, lib. 2. contra Liber. petit. cap. 72. *flos, cinis*. In Christi, horto, flores æternum vernant; eoque semper amœniores aspectui, & odoratui fragrantiores, quo magis prouehuntur ætate, suntque annosiores.

### *Paradisus Christi, frugiferis omnis generis plantis consitus.*

553 Pomaria, siue paradisum, à Rege Christo consitum, describit in hunc modum S. Gregorius in cap. 4. Cant. tractans illum locum eiusdem capitis, *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. Quid emittit sancta Ecclesia, nisi cum sanctis operibus sancta verba, quibus filios gignit & nutrit? Quorum dum alios vsque ad martyrium perducit, alios in sancta conuersatione erudit, hos sanguine martyrij rubentes ad æternam patriam transmittit, illos verò in sanctis operibus viuentes, proximis in exemplum sanctitatis tradit, quid aliud quàm mala punica, & pomorum fructus emittit? Mala punica enim, sub rubeo cortice multitudinem granorum continent. Fructus verò pomorum, in se refectionis dulcedinem habent. Sic sic martyres, dum sub igne tribulationis laborant, dum pro Christo sanguinem exteriùs fundere non dubitant, multitudinem virtutum interiùs sibi congregant in mente. Sancti etiam quique, qui in pace Ecclesiæ viuunt, fructus pomorum gerunt: quia dum sancta opera faciunt, proximis exempla tribuunt, quorum exhibitione, se, qui volunt reficiunt. Quotquot enim sunt in Ecclesia sancti, siue igne passionis ardent, siue in pace Ecclesiæ quiescentes succrescant, sanctarum virtutum odorem, tanquam paradisum suauitatis & deliciarum, constituere in se, dum viuunt, non cessant. Cuius paradisi vbertatem Scriptura demonstrat, dum sub voce sponsi, per arbustorum nomina quasque virtutes designat, dicens: *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis*. Quid enim per has diuersas aromatum species designatur, nisi sanctarum virtutum odor, & profectus qui in sanctis habetur? Ex his quippè speciebus regalia vnguenta conficiuntur; ex his corporum sanitates inueniuntur. Benè igitur virtutes animarum designant, quibus & confectis, & bonus odor opinionis egreditur, & ægri animabus competens sanitas reparatur.] Pulchrè item Optatus in Leuit. lib. 2. *ante medium*. [ Nec illud prætereo, quod ore tuo, & sensu nostro, Ecclesiam paradisum, esse dixisti: quæ res sine dubio vera est. In quo horto Deus plantat arbusculas. Et tamen Deo diuitias suas denegatis, cuius hortum in angustias cogitis, dum vobis solis immeritò omnia vendicatis. Vndique plantationes Dei sunt diuersa semina, per diuersa præcepta. Iusti, continentes, misericordes, & virgines, spiritalia sunt semina: harum rerum arbusculas in paradisum Deus plantat. Concedite Deo, vt hortus eius sit longè lateque diffusus. ]

554 Hunc suum paradisum variis plantis perpetuò exornat prouidus colonus, euulsis non bonis plantationibus vt Origenes homil. 13. in Iosue, pulchrè aduertit. [ Primum opus (inquit) verbi Dei, est eradicare præcedentia mala, spinas ac tribulos vitiorum. Dum enim istæ malæ radices occupatam detinent terram, non potest semina bona & sancta suscipere. Necessarium ergo, & primum hoc opus verbi Dei est, plantam eradicare peccati, & omnem plantam quam non plantauit Pater cœlestis euellere, ignique consumere. Secundi iam operis est plantare: Quid est quod plantat Deus? Moyses dicit, quia paradisum plantauit Deus, & quotidie plantat in animabus credentium. In anima enim de qua excidit iram, mansuetudinem plantat; & de qua excidit superbiam, plantat humilitatem; & de qua eradicat lasciuiam, pudicitiam plantat; & de qua extirpat ignorantiam, inserit scientiam. Non tibi videtur talis esse plantatio quam plantat Deus, magis quàm insensibilium terrenorumque lignorum. ] Et hom. vnica in lib. Regum *initio*; præfatus, Deum nunc quoque vt in mundi exordio plantare paradisum, subdit. [ Deus ergo plantat, & est quædam propria Dei agricultura; & necesse est quod ager ille quem Deus colit & plantat, non vnam habeat arborum speciem, sed tanquam rus diuitis & potentis agricolæ, omnium sit virgultorum genere refertum. Quomodò autem omnia habeantur in agro Dei, consideremus ex huius terræ agris quos homines colunt. Numquid in agro suo paterfamilias agricola, totum vineas habet, aut totum ficus, aut totum mala, vel palmas? Sed qui diligens & industrius est colonus, ex his omnibus agrum consitum habet, & refertum. ]

Sed optimè hom. 16. in Leuit. [ Habemus arbores intra nos siue bonas, siue malas: & quæ bonæ sunt, fructus malos afferre non possunt, sicut quæ malæ sunt, fructus non afferunt bonos. Vis tibi & arborum ipsarum quæ intra nos sunt vocabula, & appellationes expediam? Non est ficus, neque malus, neque vitis; sed vna arbor iustitia vocatur, alia prudentia, alia fortitudo, alia temperantia nominatur. Et si vis maiorem adhuc arborum multitudinem, disce, quibus fortassis dignius putabitur constitus, etiam paradisus Dei. Est enim ibi arbor pietatis, est & alia arbor sapientiæ, est & alia disciplinæ, est & alia scientiæ boni & mali. Super omnia verò est & arbor vitæ. Non tibi videtur magis quod Pater, cœlestis agricola, huiusmodi arbores in anima tua excolat, & huiusmodi plantaria in tua mente constituat? Sic ergo dicit Saluator.: *Non potest arbor mala, bonos fructus facere, neque bona fructus malos facere*. Hoc est quod docet. Arbor pudicitiæ bona est, non potest afferre fructus impudicitiæ. Arbor iustitiæ bona est, & afferre fructus iniustitiæ non potest. Sic & è contrario, si habens malè arboris radicem in tua mente plantatam, bonos reddere non potest fructus. Si enim sit in te radix malitiæ, fructus non dabit bonos. Si sit intra cor tuum stultitiæ planta, nunquam proferet sapientiæ florem. Si iniustitiæ, si iniquitatis arbor sit, nunquam huiusmodi ligna gaudere bonis fructibus possunt. Si ergo seruemus mandata Dei, susceptæ pluuiæ verbi Dei, de quæ superiùs

periùs diximus, etiam arbores quæ in campis animæ nostræ, & cordis nostri latitudine plantatæ sunt, lætum & bonæ suauitatis afferent fructum. Vis autem tibi de Scripturis ostendam, arbores vel ligna appellari has singulas quasque virtutes, quas superius memorauimus? Adhibeo testem sapientissimum Salomonem, dicentem de sapientia; *lignum vitæ est*, (inquit) *omnibus qui amplectuntur eam.* Si ergo sapientia lignum vitæ est, sine dubio & aliud lignum est prudentiæ, & aliud scientiæ, & aliud iustitiæ. Neque enim consequenter dicitur, ex omnibus virtutibus solam sapientiam meruisse, quæ lignum vitæ dicatur, cæteras autem virtutes nequaquam similis sortis suscepisse vocabula, ligna ergo campi dabunt fructum suum. Hoc credo de se sentiebat, & Beatus Dauid, cum dicebat; *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Ex quo manifestè ostendit, lignum oliuæ, iustum & sanctum hominem dici. ]

Inter cæteras paradisi illius arbores, palmæ florentes non desunt. Iusti enim vt palmæ florent, plantati in domo Domini in atriis domus Dei nostri. Hoc quid sit, ex Nysseno accipe orat de Thaumaturgo. [ Protinus ab initio ostendit qualis in ætate perfecta futurus esset. Ac quemadmodùm germina generosa, cum à primo incremento in directos ramos excrescunt, per præsentem pulchritudinem agricolis futurum decorem præmonstrant, eodem modo etiam ille, quando cæteris propter ignorantiam erroribus obnoxius, & lubricus est animus ad res vanas & inutiles, iuuentute facilè plerumque prolabente: tunc per primam vitæ instituti electionem, ostendit in sese, verum esse illud verbum Dauidis dicentis, *Iustus vt palma florebit.* Sola enim nimirum hæc arbor, perfecta crassitudine cacuminis, à terra surgit & excrescit. Cum proceritatis incrementum progrediatur, nullam in latitudinem à tempore accipit accessionem. Sic etiam ille, à primo germine floruit, & electione vitæ institutæ, protinus perfectus, & eminentibus frondibus consurgens & excrescens. ]

### *Christus ipse, paradisi sui arbor primaria.*

555 Quàm iucundum, tot in hoc pomario, siue paradiso, plantationes, bonas atque frugiferas omnes, animaduertere? Et quamuis [ad Christum, saltus est, omne quod dixeris,] vt rectè pronuntiauit Origenes hom. 2. in Cant. & optimè quoque Philippus Abbas lib. 2. in Cant cap. 21. tractans illud, *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*, tamen aliæ quoque in Christi pomario sunt, bonæ in se ac frugiferæ plantæ. [ Bona Angelorum plantatio (ait S. Ambrosius,) bona sanctorum: Sancti enim sub ficu & vite ducuntur in illo pacis futuræ tempore, in quibus typus est Angelorum. Ergo paradisus est plurima ligna habens, sed ligna fructifera, ligna plena succi, atque virtutis, de quibus dictum est; *Exultabunt omnia ligna syluarum.* Ligna semper florentia viriditate meritorum, sicut illud lignum quod plantatum est secùs decursus aquarum, cuius folium non defluet, quia totus in eo fructus exuberat. ] Agnoscit Ambrosius, Christum esse huius paradisi ac pomarij primariam arborem, vereque lignum plantatum secùs decursus aquarum. Breuiter idem habet Clemens Alexand. lib. 5. stromatum. Idipsum pleniùs & dilucidiùs sic tradidit S. Chrysost. in Psalm. 1. [ Ipse est etiam lignum quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod pater absque vllo intercessore, ferax, frugiferum, bellè germinans, alticomum, frondosumque progenuit. Hoc lignum sponsa desiderans, dicit in Cantico canticorum, *dixi ascendam in palmam, & tenebo ramos eius:* Palmam quidem ipsum vocans, propter carnis turpitudinem, infra: fertiliratem autem diuinitatis, supra. Huius ligni esum cum recusasset Adam, in contrarium incidit. Nos autem nunc mysticè comedentes, transgressionem ex ipso exterminamus: lignum enim vitæ est Christus, lignum mortis Diabolus. Hic enim hominem expellit ex paradiso: ille verò latronem ducit in paradisum. Ramos enim habet Apostolos; fructus eos qui salui fiunt: foliorum comam, orationes: radicem baptismum: Agricolam, patrem, qui ipsum & supra, & infra, absque intercessore peperit. Vis etiam videre eius fructum, quem dedit in tempore suo? Vide eum crucifixum, & latus eius compunctum, ex quo sanguis & aqua scaturiit, sanguis quidem ad repræsentandum martyrium, aquam verò in signum baptismi. Quoniam enim compunctum latus, Adam supplantauit, necessariò punctus quoque latus, eum regenerauit. Humidum lignum vnum deiecit: lignum autem siccum, mundum rursus erexit. Esus illius mortem peperit: esus huius, vitam fecit rursus germinare. De illo enim dictum est, *non comedite ex illo*; de hoc autem; *gustate & videte quod benignus est Dominus.* Speciosus est vt malum: suauis est vt vinum, fructifer vt olea: multa habet tegmenta, sicut malum punicum: fructu abundans, vt palma; maturus vt botrus: gustate & videte. Fructus crucis floruit in Patriarchis, germinauit in Prophetis, dedit odorem in aduentu, maturuit in passione, comeditur post resurrectionem. Gustate ergo & videte, quàm sit suauis, quàm solidus, quam maturus, quàm floridus, quàm omni specie ac decore plenus. ]

### *Aliæ ibidem arbores, & Christi circa eas labor.*

556 Qualis item arbor Deipara, fructum præfertim vitæ baiulans? Eleganter de ea Autor sermonis de Natiuitate Christi apud Cyprianum. [ Vltro (inquit) maturus ab arbore baiula fructus, elapsus est, nec oportuit vellicari quod sponte prodibat. ] Conformantur his plantis primariis, quantum licet; cæteræ vulgares huius paradisi arbores; & rigatæ aquis in vitam æternam salientibus, satagunt ferre fructum in tempore suo. De his arboribus plenè ac concinnè Hugo Victorinus in Monasticis Institut. serm. 6.

Eas inoculantem Christum agricolam, omnique studio excolentem exhibet pulcherrimè Anastasius Sinaita lib. 8. Hexaëm *sub finem.* Audi & illum lib. 7. *ferè in fine.* [ Sequentes Theologæ oratorem Gregorium, qui dixit, Adam esse agricolam plantarum immortalium & diuinarum notionum in paradiso, ascendamus à litera quæ occidit, ad spiritum qui viuificat.

Semper enim sacra litera simul ascendit cum ascendentibus. Et exoriri fecit Dominus Deus adhuc ex terra omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum. Hoc conuenit diligenter quærere quid sit *ortus*, qui Græcè est ἀνατολὴ & quid *exortus* qui est ἐξανατολὴ in iis quæ è terra fiunt & nascuntur. Dicitur quidem *oriens*, nempè ἀνατέλλον quod statim primò apparet: *Exortum* autem, nempè ἐξανατέλλον quod cum emarcuerit, & exsiccatum fuerit, rursus exoritur secundo ordine, per aquam & agriculturæ diligentiam & industriam. Quamobrem dilucidè admodùm & appositè, dictum est Propheticè de Ecclesia, *exordiri fecit adhuc Dominus Deus è terra, omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum.* Nam orta quidem est in initio Ecclesia, quando facta fuit viridis, & benè germinans, densaque habens suas arbores; exsiccata autem fuit ab æstu maligni Solis, qui transfiguratur in Angelum lucis, cum in eam per os sibilasset serpens, & eam exsiccasset per idololatriam. Cum ergo venisset cælestis fluuius Deus Verbum, & eam irrigasset per aquam & fluuium, exorta est, & rursum germinauit; & iterum viuificauit ratione prædita eius ligna; de quibus dictum est, *& exordiri fecit adhuc Dominus Deus è terra*; hoc est postquàm mortua & exsiccata esset, adhuc secundo ordine rursus germinauit ratione prædita Christi terra, omne lignum pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum. In quibus lignis, non dicit Scriptura fœnum, non paleam, non virgultum, non herbam, non lignam pulchrum ad videndum, & bonum ad comedendum. Et lignum infertile, & fœnum, & stipula, & palea excinditur, & in ignem mittitur. Sed nihil est eiusmodi in his lignis, sed dicit in iis omnia pulchra ad videndum, omnia bona ad comedendum, omnia benè germinantia, omnia à Deo pullulantia. Non enim iussu exorta sunt è terra, sed ipse Deus, ipsemet opifex, complantatus & concorporalis & eorum cognatus factus, è terra genitus tanquam propria membra ea fecit germinare è terra.] Addit alia benè multa in hanc sententiam. De riuulis intelligibilibus & fluentis Spiritus sancti ad rigandas omnes prædictas arbores, benè S. Cyrillus lib. 4. in Esaiam, *sub initium.*

### *Paradisi eiusdem poma, & gratus auium concentus.*

557 Poma ex hoc paradiso, sunt sancti Martyres ait D. Augustinus Psalm. 78. ad illud *in pomorum custodiam.* Et æquè idem dici potest de Sanctis omnibus. Ipse Christus pomum est eximium. Egregiè S. Ambros. serm. 5. in Psalm. 118. v. 1. [Huiusmodi pomum, odorem gratum habet, vt cæterorum pomorum fragrantiam vincat. Christus ergo affixus ad lignum, sicut malum pendens in arbore, bonum odorem, mundanæ fundebat redemptionis, quæ peccati grauis deterfit fœtorem, & vnguentum positus vitale effudit. *Tanquam malum,* (inquit,) *in lignis sylua, ita consobrinus meus in mediofiliorum*, eo quod super Prophetas & Apostolos intima corda hominum, verborum suauitate mulcebat. Sed non solùm odor, verumetiam cibus, suauis in malo est. Ergo cibus suauis, est Christus.] Et infra. [Constitue mihi aliquos ex circumcisione credentes, in lege doctos, obseruantiæ solicitæ viros, & nunc Euangelij agnitione illuminatos, spiritali saginatos gratia: Dicit in his Ecclesia qui videt Christum, quæ sponsum recipit, quæ cibo eius pascitur; *in vmbra eius concupini & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis.* Qui fructus eius dulcis, nisi Prædicatio Dominicæ Passionis, vt ipse ait: *Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris?* Qui enim dulciot fructus potest esse in faucibus nostris, quàm remissio peccatorum? Et benè flos est Ecclesia, quæ fructum annunciat, hoc est Dominum Iesum Christum de quo dictum est Mariæ; *benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui,* Ergo vbi gustauit fructum suauitatis impatiens ad perfectiora festinat dicens; *introducite me in domum vini, constituite me in dilectionem, confirmate me in vnguentis, stipate me in malis: quia vulnerata charitatis ego sum.*] Tandem infra [vulnerata est Ecclesia, sed vulnere charitatis. Vulnus enim est quod Christus excepit, sed vnguentum est quod effudit: Pomum est quod pependit. Hoc pomum gustauit Ecclesia, & ait: *Et fructus eius, dulcis in faucibus meis.* Et vt scias quia pomum est Dominus, legisti supra; *tanquam malus in lignis sylua, ita consobrinus meus.* Nos quoque vulnus fatemur, cum prædicamus Christum Crucifixum; sed bonus odor sumus Deo, quia Crux Christi Iudæis scandalum, Græcis stultitia, nobis autem virtus Dei atque sapientia est.] Scitè verò Nyssenus, ad Christi constitutionem ex carne & sanguine, nomen poni Christo tributum accommodat hom. 4. in Cant.

Nec qui suprà modum amœnas paradisi delicias, canorarum auium garritus, deest in Ecclesiæ paradiso. Concinnè enim Damascenus 4. fidei cap. 18. hortum seu paradisum pulcherrimum scripturarum in Ecclesia constitum describens, hortatur ad illum subeundum, quem vocat suauissimum, dulcissimum, venustissimum, omnigenis intellectualium volucrum cantibus circumsonantem. Quam verò canora auis Dionysius Areopagita *volucris cœli*, nomenclatore Chrysostomo hom. de pseudo-prophetis, quia velut Manucodiata, quam idcirco *auem paradisi* nominauit, numquam humi repit? Refert Chrysostomum & approbat, Anastasius Bibliothecarius epist. ad Carolum Caluum, qui eam homiliam vocat *vltimum sermonum S. Chrysostomi.* Quàm item suauis modulatus Basilij, quem Nyssenus frater orat, de S. Ephrem *auream doctrinæ lyscinam* appositissimè nominauit. Hic voces turturis audiuntur, quia Ecclesia inuenit sibi nidum. Ecclesia enim domus est castitatis, ait S. Ambrosius serm. 6. in Psalmum 118. v. 3. Quid *regia & vocalissima cicada* Paulus? vt loquitur Daniel Monachus in vita S. Climaci *initio.* Pij denique omnes, sunt aues canoræ. Quod enim Abraham Genes. 15. aues non diuisit, sed tantùm animalia S. Augustinus serm. 54. ad significandam indiuisibilem piorum omnium cum Deo & inter seipsos coniunctionem referens, benè monstrat, eos esse aues. Itaque vniuersali Ecclesiæ, ad rationem veri perfectique paradisi, & pomarij amœnissimi, deest omnino nihil.

Paradisi

### *Paradisus mysticus in pia quauis anima, & claustro.*

558 In pia item quauis anima sigillatim, pomarium omnis generis frugiferis plâtis consitum agnoscunt sæpe Patres. Macarius de periculis vastationis animæ differens, hom. 43. pulchrè id tradit.[Perinde ac si sit hortus (inquit) arboribus fructiferis, & aliis fragrantibus plantis, consitus, atque per omnia benè excultus & exornatus, munitus quoque exiguo pariete, pro vallo qui conseruet eum; Contingat verò fluuium rapidum illic transcurrere, licet modicum aquæ allidat parieti, Corrumpit fundamentum sumptáque reductione paulatim dissoluit fundamentum, atque irruens effringit & exstirpat omnes plantas, vniuersam culturam delet sterilem reddit: sic quoque Se habet cor hominis. Possidet cogitationes honestas: appropinquarit verò cordi perpetuo fluuij vitiorum volentes illud deiicere, atque in suam partem protrahere.] Agnoscit aperte Macarius, animam quamcunque piam esse paradisum mysticum. Idem habet Gisselbertus in Altercat. cap. 5. [Animam (inquit) fructu iustitiæ floridam, die Paradisum, quæ semen diuinitùs acceptum multiplicat, dum virtutem virtuti accumulat. Subdit de gemino piorum Paradiso, cœlesti & terreno, insignia. Et alia ex eodem, in eam rem, paulo post dabo.

Specialiter Beatam Virginem, Paradisi amœnissimi specie exhibet Amedeus Lausan. hom. 7. verbis illis. [Mariæ præsentia, gratam venis temperiem exhibebat, & quo fauens se verteret, Paradisus erat. *Emissione tua* ait sponsus, *Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus: Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani. Myrrha & aloës cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.* Habet quippè Paradisus gloriosæ virginis mala punica in varietate virtutum, fructus pomorum in perfectione operum. Habet & cyprum cum nardo, illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam, ob sobriam ebrietatem sensuum, & suaue fragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lætitiæ, fistula expoliationis carnis, cinnamomum suauitatis cum vniuersis lignis Libani, per quæ virtutum vniuersitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis, & aloës incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effusis in oratione ab illo vnguento, quod consistens in capite, descendit in barbam, barbam Aarom, non illius veteris & significantis, sed noui & significatis Descenditque in oram vestimenti eius, quod est Ecclesia; ipsi verò Aaroni, iuxta Paulum exhibita sine macula & ruga. His ergo tantisque bonis exuberans sponsa, sponsi mater vnica, suauis, & charissima in deliciis vt fons hortorum rationabilium, & puteus aquarum viuentium & viuificantium, quæ fluunt impetu de Libano, à monte Sion vsque ad circumfusas quasque & exteras nationes, pacis flumina, & gratiarum emanationes cælica infusione deriuabat.]

De Paradiso Claustrali ita Petrus Damiani serm. de S. Nicolao. [verè Claustrum est Paradisus. Hic prata virentia Scripturarum, præterfluens lachrymarum vndositas, quam de purissimis affectibus amor ille cœlestis eliquat. Hic sunt arbores erectissimæ choris Sanctorum, nullâque est quæ non multa fructus gaudeat vbertate.] Sed in vita seculari pleræque eiusmodi sunt Paradisi: cœtus inquam varij proborum. Quod si interdum in eo solo arido & macro arbores tenuantur, non omittit bonus Agricola Christus, iuxta illum de Euangelio villicum, simi ac stercoris cophinum inicere: qua se ratione solabatur, verè pius, verè humilis in oculis suis S. Paulinus Epist. 3. ad Aprum. [Potens est enim (inquit) ipse Dominus qui interpellat pro peccatis nostris, & qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sint facere, & de nobis egenis & aridis arborem fructuosam & animam inanem, adipe verbi sui tanquam cophino stercoris opinare. Quia Scriptum est; *De ipsius gratia pinguescent fines deserti.* Cophinus autem hic stercoris, qui de sterili fertilem arborem facit, specialiter mihi videtur humilitas spiritalis, qua contribulantes cor nostrum pœnitudine præteritæ vanitatis, euacuamus inania, & succum virtutis accipimus; qua qui operibus iustitiæ steriles eramus, reddimur fructuosi.]

### *Terrestris olim Paradisi, expressio in Ecclesia.*

559 Non vulgaris duntaxat cuiusuis Paradisi, sed illius amœnissimi quem plantauerat Deus ab initio, speciem & expressam imaginem, in Ecclesia agnoscunt grauissimi Patres; aliquos id insinuantes, iam protuli. Sed suppetunt qui id tradant disertissimè. S. Augustinus 13. ciuit. cap. 21. [Possunt hæc etiam omnia in Ecclesia intelligi, vt ea melius accipiamus tanquam Prophetica indicia præcedentia futurorum, Paradisum scilicet ipsum Ecclesiam, sicut de illa legitur in Cantico Canticorum: quatuor autem paradisi flumina, quatuor Euangelia: ligna fructifera, Sanctos: fructus autem eorum lignum vitæ Sanctum Sanctorum, vtique Christum: lignum scientiæ boni & mali, proprium voluntatis arbitrium.]

Nyssenus Orat. 3. de Resur.] Tunc vnus morti locum introeúdi dedit, per vnum etiam nunc contra, vita introducitur. Tunc per mortem vita excidimus: nunc per gloriam, ligno vitæ appropinquamus. Tunc propter inobedientiam, ex Paradiso expulsi sumus. nunc per fidem in Paradisum admittimur. Rursus fructus vitæ, ad delicias nobis propositus est ad arbitrium. Rursus fons Paradisi quadripartitò diductus per Euangelicos amnes vniuersæ faciei Ecclesiæ potum præbet, adeò vt etiam sulci animarum nostrarum inebrientur, quos is semen tem sermonis facit, aratro doctrinæ proscidit, ac multiplicantur germina fructúsque virtutis.]

Autor sermonis de ablut. pedum apud Cyprianum *ferè initio.* [Ornata & honorata est Ecclesia quasi Paradisus, in amplitudinis suæ vmbilico, fontem continens gratiæ singularis; flumina creans in vitam æternam salientia; viuam habens originem & decursum perennem: hinc egredientia quatuor Euangelij flumina per vniuersum mundum secum regenerationis euehunt

hunt lauacrum , & de abdito & secretissimo Spiritus Sancti munere , huius gratiæ liquor emanat , sic lauans quos parentalis labes infecerat,vt nec actualis, nec originalis macula aliqua sui post ablutionem illam vestigia derelinquat.]

Plenè & concinnè Anastasius Sinaita. Qui lib.9.Hexam.*sub initium*, Christum agricolam, omne genus studij & rusticæ operæ , suo huic Paradiso impendentem , Egregiè describit his præter cætera [ Licet videre hunc secundum Adam,nempè Christum , apertè operantem arbores ratione præditas,& eas quidem quæ sunt immundæ,mundantem. Quibus etiam dicebat; *volo mundare*, siccas autem humectantem. Ex quibus erat etiam illa arbor , quæ aridam suam habebat manum tanquam ramum. Ad quam exclamauit bonus hortulanus ; *extende manum tuã adDei operationẽ*.Sic etiam tãqã vita,etiam morte affectos viros mortificauit. Ex quibus erat mortua & arida arbor Lazarus,lachrymæ aqua irrigata,& quæ statim germinauit ex terra. Supernaturaliter autem scit quoque hic agricola Iesus, inoculare , vt qui instar hortulani luto & aqua inoculans eum qui erat cœcus ab ortu , vt qui esset lux de lumine , cæci oculis visum reddiderit. Quod si etiam ipsum velis videre irrigantorem, audi eum dicentem; *Si quis sitit,veniat ad me & bibat*. Sic enim sedens ad puteum pulchra illa vitæ , nempe Samaritana irrigata , eam reddidit fertilem.]

560 Nolo Giselbertum omittere ,] qui in Altercat.Synagogæ & Ecclesiæ,(cum de argumentis ex Euangelio ) cap. 19. tres Paradisos secernens , accommodatissimè ad rem præsentem Philosophatur,his verbis.[An ignoras tres esse Paradisos,primum terrestrem,floribundum in primordiis seculorum plantatum ; & omni iucunditate amænum , cuius incola protoplastus : secundum Ecclesiam Sanctorum , quem fundauit & inhabitat secundus Adam cœlestis , id est Christus ; tertium etiam cœlestem, quod est regnum Dei & vita æterna,inuisibilis, Sanctorum Patria ? In primo Paradiso lignum vitæ est , arbor materialis : in secundo lignum vitæ,humanitas Saluatoris:in tertio lignũ vitæ est sapientia Dei fons vitæ,verbum Dei & origo boni. Et lignum vitæ quidem quod erat in Paradiso terrestri , tantummodò vitam corporalem sine defectu dare potuit : lignum verò vitæ quod Christus est , in carne & sanguine suo vitam æternam promittit & habuit. Hoc est verè lignum vitæ,verbum Patris in excelsis, sapientia Dei quæ in cordibus Sanctorum tanquam in Paradiso inuisibili,per timorem seminatur, per gratiam rigatur , per dolorem moritur,per fidem radicatur , per deuotionem germinat,per compunctionem oritur , per desiderium crescit,per charitatem conualescit , viret per spem, frondet per circumspectionem , ramos expandit & floret per disciplinam, fructificat per vitutem , per patientiam matureſcit, per mortem carpitur , cibat per contemplationem. Et hoc semen & lignum vitæ cum floribus & fructibus suis. Porrò fons ascendebat de terra , irrigans vniuersam superficiem terræ, qui exinde diuiditur in quatuor capita ; Magnum planè tam in ligno Paradisi quàm in fonte mysterium. Igitur Paradisus Ecclesia est, agnum habens in se , & genus etiam electum, regale Sacerdotium : fons Paradisi Christus:ligna voluptatis, Sancti sunt, diuino charismate, spiritualibusque disciplinis deliciosi:aquæ quibus irrigantur hæc ligna , mundationes sunt Sanctæ Charitatis,&emanationes Spiritus Sancti , qui sic illos suaui dulcedine implenit , vt rectè dicantur ligna voluptatis propter eminentiam diuinæ suauitatis : Verùm duos aduerte rationalis creaturæ esse Paradisos , vnum scilicet societatem Sanctorum Angelorum ,& alium Ecclesiam electorum hominum ; & horum vtriusque de quo loquimur,terrestrem Paradisum, imaginem vel similitudinem. Etenim sicut in istollignum vitæ plantatum est , & lignum per quod mors in troiuit in mundum ; sic in cœlo , contra auctorem vitæ Deum Diabolus , causa mortis extitit:sic nihilominus in genere humano lignum vitæ Christus,& contrarium eius lignum mortis Antichristus erit , qui iam dudum per membra sua mysterium operatur iniquitatis, Item sicut de hoc terreno paradiso fons ascendebat irrigans vniuersam superficiem terræ omnémque terram reddit aptam frugibus alendis:sic & de illo cœlesti Paradiso, fons manare dignatus est, id est gratia Spiritus Sancti, tanta copia rigans massam humani generis , vt cum Sanctorum & electorum omnium cedris, oliuis,aut vineis,vitæ quoque lignum,id est Christum Deum & hominem, fecerit de terra nasci Virgineæ carnis.Circa quæ fluenta , Scripturarum fontem in quatuor capita diuisit , quæ Propheta in quatuor animalium diuersas facies distinguit,scilicet hominis,vituli, leonis, aquilæ volantis,Non enim solummodò quatuor Euangelia , sed & omnis Scripturta diuinitùs inspirata , certam habet intentionis suæ hanc quadrifidam faciem,vt eundemDominum nostrum, ostendat mansuetum nobis, vt verè hominem, fortem contra Diabolum , vt leonem ; id est, Deum omnipotentem ; immolatum pro nobis vt vitulum electum, & saginatum ; resurrexisse & in cœlum ascendisse, vt volantem aquilam. Itaque fons ille in quatuor capita diuisus , vniuersam irrigat terram, & sicut iecur in corpore animalis , quod dicunt Physici fontem sanguinis cunctis venis sanguinem ministrat , vitámque animantis hoc ministerio retentat ; sic ille fons Paradisi, vniuersam terram per venas occultas vegetat,& in multos redundat fontes & flumina. Sed eorum omnium ista sunt capita, id est principalia flumina,Geon,Phison,Tigris, & Euphrates. Hunc igitur terrenum Paradisum , ad exemplum cœlestis Paradisi fuisse, conditum,attende;in quo quasi ligna pulcherrima angelicæ fortitudines fuere , lignum vitæ Deusipse , cuius felices Angeli beata semper visione fruuntur.]Legendus in hanc rem, idem Autor,eiusdem operis cap.1.& 5.

*Item in Sanctis singulis,*

561 Notant plerisque, antiqui illius Paradisi & animæ cuiusuis piæ analogiam , in non paucis sub Christo agricola. Sed nominatim Sanctissimam Deiparam , cum illo Paradiso componit imo anteponit Theodotus Ancyranus Orat.de Natiuit. Saluat.quæ habetur Tom. 6. Concilij Ephesini editionis Peltani appen-

dice

dice 5. c 2. [O virgo(inquit), quæ ipsum vicisti deliciarum Paradisum: Ille namque sine semine omne plantationum genus protulit, ex Virgine terra exortis plantationibus. Hæc autem Virgo illa terra melior est. Non enim pomorum protulit arborem, Sed virgam Iessæ, fructum saluatorem hominibus afferentem, & illa terra virgo erat, & ista virgo:sed illius quidem arborem nasci præcepit Deus; huius autem Virginis, ipse Creator, secundùm carnem factus est germen:Neque illa terra ante arboris frondes susscepit; neque hæc ex partu virginitatem læsit. Virgo Paradiso glorioſior facta est: Ille enim Dei cultura factus est; hæc autem secundùm carnem Deum coluit eligentem hominis copulari naturæ ] De aliis Sanctis cum Paradiso terrestri collatis,in hunc modum loquitur Theodorus Studita serm. 41.catech.[Hi sunt Dei in Edene pomarium,non materialis stirpibus, sed Spiritus tanqam fructibus pictum & ornatum vbi fragrat vitalis odor,vbi serpens non vulnus intulit, sed accepit, non exegit, sed vt par erat proscriptus est.]

### *Vtrobique fons vitæ.*

562 Est hic quoque fons vitæ Christus Dominus, vt obseruat & fusissimè prosequitur S.Ambrosius lib. de Paradiso cap. 3. quadrifictam fontis illius diuisionem, & fluenta quatuor primatiarum virtutum inde dimanantia per vniuersas animæ partes, latè persecutus. Breuiùs & optimè in Psal.45. verbis illis. [ De corpore Domini flumen exiuit, quando de latere eius aqua fluxit & sanguis, quo lætificauit animas vniuersorum; quia illo flumine lauit peccatum totius mundi. Est & fluuius qui de Eden exit, & circuit vniuersam terram,verbum Dei quo paradisus intelligibilis irrigatur, & omnis anima vocatur ad gratiam Christi, dicente ipso Dei verbo; *si quis sitit, veniat ad me & bibat. Cui ego dedero aquam, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ex illo enim vnico Dei Verbo quatuor fluuiorum, prudentiæ, & Fortitudinis,Temperantiæ quoque & Iustitiæ, fluenta manarunt. Alij enim per spiritum datur sermo sapientiæ,alij,fides in eodem spiritu; alij gratia curationum in vno spiritu, alij operatio virtutum. Hæc enim operatur omnia vnus atque idem spiritus, diuidens singulis provt vult.Hi sunt impetus fluminis, cum se in gratiam ministeriorum operationis atque virtutis,spontaneæ diuisione transfundit. His igitur fluminis superni meatibus, ciuitas illa in qua Deus inhabitat, irrigatur; & sanctificatur altissimi tabernaculum, omnis omnia quæ inhabitatur à Christo.]Egregie item, fontem vitæ è Paradiso manantem, infert singulis Sanctis tanquam Paradisis quibus Christus insidet S.Bernardus, serm. 2. de Natiuit. Dom. qui est de fontibus saluatoris.[Paradisum(inquit,) habemus multo meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt. &c; In quo tres quidem fontes iam inuenimus, quarum quæramus. Habemus de fonte misericordiæ ad diluendas culpas,aquas remissionis: habemus de fonte sapientiæ ad potandum sitim nostram, aquas discretionis: habemus de fonte gratiæ ad irrigandas, plantas bonorum operum, aquas deuotionis. Quæramus ad decoquendos cibos,aquas feruentes, aquas æmulationis. Hæ nimirum condiunt & decoquunt affectiones nostras,& ebulliunt de fonte Charitatis.] Insigniter & latè idem versat Drogo libro nuper edito de creatione & redemptione primis hominis,*sub medium*, legendus quoque in hanc rem Petrus Cellensis lib. de Pantibus cap. 12. Non extant Sermones de Paradisi fluminibus Christo aptatis, quos per totum tempus sacri aduentus abesse habitos,ait Petrus Damiani,Serm.11. *in fine.* De Christo fluuio, videndus præterea Origenes hom.13.in Esech. *sub finem.*

### *Mundana quæuis pomaria, nihil ad Christiana.*

563 Non fuerunt eiusmodi corruptibiliũ fructuum Pomaria, qualia iactarunt plerique v.g. Alcinoi,Hesperidum,Regum Persarum à Brissonio lib.1. de Regno Persarum *à pag.* 70. latè ex variis descripta;nominatimque Sardianum, quod Cyri ipsius manu excultum & consitum, Xenophon auctor est in Oeconomico,& Ælianus lib.1.de animal.cap.59. Quid in his omnibus non euanidum,& subitò victum, ac marcens? Sed neque in pomariis intelligibilibus, cuiusmodi in seculo sunt, arbores sunt frugiferæ fructibus honoris & honestatis;sed poma earum qualia Pentapolitana ad leuem contactum cinerescentia,vt loquitur Tertul. cap. 40. Apol.Et carmine de Sodoma;

*Semiperempta etiam si qua illic iugera, latas*
*Autumni conantur opes, facilè optima sese*
*Permittunt oculis pyra persica, & omnia mala,*
*Donec carpuntur; nam protinus indice tactu*
*Soluitur in cinerem, fit vana fauilla que pomum.*

In eandem rem Audi Chrysostomum hom. 8.in 1.ad Thessal. [ Peregrinatus est ne igitur quispiam vestrum aliquando in palæstina?Puto sane. Quid ergo?Testes mihi sitis, vos qui loca illa vidistis, ad eos qui illic non fuerunt. Supra Ascalonem enim est Gazam,in ipso Iordanis fluminis termino, est regio quædam magna & fertilis; Immò erat.Iam enim non est. Ista igitur cum instar paradisi esset, (*vidit enim Loth,*(inquit) *omnem regionem circa Iordanem, & erat irrigua,sicut paradisus Dei*) : Ista igitur quæ adeò erat florida, vt cum quibusuis aliis regionibus decertaret,Paradisumque Dei abundantia sua exprimeret, quibusuis solitudinibus ac desertis nunc desolatior est, & stant ibi arbores fructum habentes.Fructus autem ille, iræ Dei monimentum est. Stant enim mala punica, (& arbores dico,& fructus,) Splendidum quidem aspectum habentia, & ignoranti multam spem præbentia;si verò in manus illa sumpserit,mox perfracta,fructum quidem nullum, pulueris autem & cineris plurimùm, intus reconditum exhibent.]

En qualia poma,mundani pomarij. Arbores ibidem infrugiferæ & agrestes, saltui non pomario conuenientes. Plerique salices frugiferæ,

dæ, vt Nyssenus Orat. de Meletio expostulat. Et quamquam eam ipsam ob causam, Methodius apud Phocium Cod. 237. ait, Scripturam vbique per salicem adumbrare virginitatem, quia flos salicum, si in aqua decoctus sumatur, libidinem extinguit, & sterilem reddit, vnde & Homerus Odiss. κ. ὀλεσικάρπους *frugiperdas* nominat salices: tamen plerique Patrum ad illud Psaltis, *in salicibus in medio eius*, non in bonam partem interpretantur salices. Non paucæ ibidem aliæ arbores venenatæ, quales illæ de quibus dicitur, *venite, mittamus lignum in panem eius*. Eiusmodi apud Plinium lib. 16. cap. 10. Taxus plurimarum, vel vmbra noxia, quales illæ apud Plinium lib. 17. cap. 12. Nec desunt ferales Bubonum voces, & ominosi modi. In Christi Paradiso, omnia sona & sancta, & ne folium quidem arborum eius defluit. Nam si quæ est arbor inutilis, post multam patientiam, iubetur excindi. [Perfidia hominum pertinaciũ (inquit S. Ambros. lib. 7. in Luc.) Synagogam inutilem fecit, & ideò quasi sterilis iubetur excidi. Quod de Iudæis dictum, omnibus cauendum arbitror; & nobis maximè ne fœcundum Ecclesiæ locum, vacui meritis occupemus, qui quasi malogranata benedicti, fructus ferre debemus internos, fructus pudoris, fructus coniunctionis, fructus mutuę charitatis & amoris, sub vno vtero Ecclesiæ matris inclusi, ne aura noceat, ne grando decutiat, ne æstus cupiditatis exurat, ne humoris imber elidat.]

Concludamus cum Chrysostomo serm. de animatione Adæ *in ipso fine*. [ Gratias agamus Deo, qui cum vnum Paradisum amiserimus, innumeros Paradisos per vniuersum orbem terrarum plantarit. Gratias agamus Deo qui cum Paradisum propter præuaricationem perdiderimus, in regnum cœlorum vocati sumus per gratiam Domini nostri Iesu Christi.] Ab hoc Paradiso transferet suos Christus, ad Paradisum omnibus meliorem, & *Paradisum Paradisorum*, ait Iulianus Tolet. lib. 2. Prognost. cap. 2.

### *Ecclesia, Christi vinea.*

564 Vinea Christi, Ecclesia est, consentaneè ad loca plurima Scripturarum, quibus prisca Ecclesia dicitur *vinea Dei*. Sic enim diserte Isaias cap. 5. *Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est*. Et Ieremias cap. 2. *Ego plantaui te, vineam electam, omne semen verum*. Et Psalm. 79. *Vineam de Ægypto transtulisti*. Vbi plenè de eius trâsplantatione & suffossione. Astipalatur Christus ipse in Euangelio, non semel. Eumque hoc nominatim ex capite, quod vineam plantarit, cum Noëmo collatum legimus apud Augustinum 16. Ciuitatis cap. 2. & serm. 153. de tempore. Causas autem collatæ cum vinea Ecclesiæ, persequitur Hieron. Pradus in c. 15. Ezech. inde petens eas, quod vinea sæpè non tam pro vineto sumatur, quàm pro portione electa hæreditatis: at Ecclesia est hortus deliciarum Christi, nec hortus ad nudas delicias, sed etiam ad quæstum. Qua ratione, vinea medium quid est inter fundum qui vndè deseruit, quæstui; & hortum qui nudæ amœnitati destinatur. Ita ferè Pradus. Malim spectare obiectam quidem & despectam speciem vineæ, si exteriora tantùm attendantur, & tamen feracitatem maximam succi pretio sissimi, quo nihil vegetius, nihil ad animum acuendum viréque firmandas accommodatius. Nam vineæ quidem feracitatem, nemo ignorat, & Scripturæ, sæpè produnt vt cum Psal. 127. mulier fœcunda viti abundanti confertur. Et cum Sapientia Eccles. 24. ait se fructificasse quasi vitem. Notatque Plinius lib. 14. cap. 4. ex Catone, vineam quamdam olim, ex iugeribus singulis denos musti culeos proferre solitam, efficaci exemplo vt Plinius monet, [ non matia plus temerata conferre mercatori, non in rubrum littus Indicúmve merces petitas, quàm sedulum ruris latem.] Vini verò efficacia atque potentia, Celebratur apud Esdram & experimẽto est testatissima. Itaque meritò Christi Ecclesia cum vinea confertur frequentissimè. Eóque spectauit Isaias cap. 5. cum dixit propheticè, *cantabo dilecto meo* Christo scilicet Ecclesiæ vinitori, *canticum Patruelis mei vineæ suæ*. Canticum quod cognatus meus Moses Deuter. 32. vineæ fœcenerat. *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei*: idest in loco pinguissimo, & feracissimo.

Subdit de circundata sepimento lapideo vinea, & omni genere prouidentiæ eidem adhibito: nominatímque de structo in ea torculari. Quod quid sit, exposuit S. Augustinus ad titulum Psalm. 8. his verbis, [ Torcularia possumus accipere Ecclesias; eadem ratione qua & aream intelligimus Ecclesiam. Quia siue in area, siue in torculari, nihil aliud agitur, nisi vt fructus ab integumentis purgentur, quæ necessaria erant & vt nascerentur, & vt crescerent, atque ad maturitatem vel messis, vel vindemię peruenirent. His ergo vel integumentis vel sustentaculis, id est paleis, in area frumenta, & vinaciis in torcularibus vina exuuntur. Sicut in Ecclesiis, à multitudine secularium hominum, quæ simul cum bonis congregatur, quibus vt nascerentur & apti fierent verbo diuino, necessaria erat illa multitudo, id agitur, vt spiritali amore per operationem ministrorum Dei, separentur. Agitur enim nunc, vt non loco, sed affectu interim separentur boni à malis quamuis simul in Ecclesiis quantum attinet ad corporalem præsentiam conuersentur. Aliud autem erit tempus, quo vel frumenta in horrea, vel vpia in cellas segregentur. *Frumenta* (inquit,) *recondet in horreis, paleas autem comburet igni inextinguibili*. Eadem res in alia similitudine sic intelligi potest, vina rèconder in apothecis, vinacia verò pecoribus proiiciet: vt ventres pecorum, pro pœnis gehennarum per similitudinem intelligere liceat.] Adhibet alias eiusdem torcularis mystici notiones duas, sed hæc videtur potior.

565 Sed de omni cura huic vineæ cœlitùs impensa, luculenter S. Ambrosius lib. 9. in Luc. ad cap. 20. [Vinea, (inquit,) typus noster est quod populus de vitis æternæ radice fundatus, supereminet terris: ac solũ vile prætexens, nunc gemmante flore pubescit, nunc circumfusa viriditate vestitur, nunc mite iugum suscipit, nunc maturioribus brachiis quasi sarmentis fœcundæ vitis adoleuerit. Agricola quippe, omnipotens Pater; vitis est Christus: at verò nos palmites: qui nisi fructum feramus in Christo, cultoris æterni falce succidimur. Rectè igitur vinea, Christi populus nominatur, vel quod

Crucis

Crucis in fronte prætexat indicium; vel quod fructus eius postrema anni legatur ætate; vel quod omnibus vt ordinibus vinearum, ita pauperibus, atque diuitibus, humilibus atque potentibus, seruis ac Dominis in Ecclesia Dei æqua dimensio, nulla discretio sit. Vt vitis maritatur arboribus, ita corpus animæ, anima quoque corpori coniugatur: vt vinea dum iugatur, erigitur: & recisa non minuitur, sed augetur: ita sancta plebs, dum ligatur exuitur: dum humiliatur, attolitur: dum reciditur: coronatur: Quin etiã vt tener surculus veteri abscissus ex arbore, in alterius fœtu radicis inseritur: ita populus hic S. surculi veteris cicatricibus enodatis in nouo illo crucis ligno, tanquam gremio piæ parentis, fotus inolescit. Spirituque Sanctus sicut in altas demissus terrarum scrobes, ita in hoc carcereum corpus infusus, aquæ salutaris irriguo, diluit quicquid est fœtidum, membrorúmque nostrorum habitus in cœlestem erigit disciplinam. Hanc vineam diligens agricola, fodere rigare, tondere consueuit: eruderatisque terrenæ molis aggeribus, operta corporis nostri, nunc sole torrere, nunc imbre perfundere, stirpate agrum solitus, ne à sentibus gemma lædatur, ne luxuriet vmbra foliorum, verborúmque infructuosa lactantia virtutibus obumbrando, maturitatem indolis naturalis impediat. Sed absit, vt huic vineæ quicquam timeamus aduersi, quam peruigil custodia Domini Saluatoris aduersùs omnes nequitiæ secularis illecebras, muro vitæ vallauit æternæ, extendens palmites eius vsque ad mare.] Verùm de Ecclesia Christi vinea, plenè S. Bernardus, serm. 30. in Cant.

### *Vites & botri varij vineæ prædictæ.*

566 Insignes pleraque eius vineæ vites, & eximios botros, Libri sacri sæpè celebrant. Præter Christum, quem botro collatum alibi damus, & benè Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 30. ac S. Paulinus Epistol. 3. *sub finem*; cum vite autem eum confert Isidorus Pelus. libr. 1. Epistol. 166. Deipara vineæ huius eximia vitis fuit, vel etiam partialis vinea; sed Sorech, vinea electa, de quo Augustinus plenè serm. 100. de tempore, Christum describens specie botri illius, quem è vineto terræ promissionis decerptum, duo in vecte gestabant; quos ad duo Testamenta accommodat. Beatam autem Deiparam ei vineæ confert, vnde Christus vua decerptus est. Quem etiam typum optimè exposuit S. Maximus hom. 1. de S. Cypriano. [Benedicta tu, (exclamat S. Germ. Constantinopolitanus Orat. de Natiuit. Deiparæ.) mystica atque à Deo consita vitis, quæ in vocandis Ecclesiis sarmentum nascens, & igneum botrum nobis incorruptionis germinans.] Damascenus Orat. 2. de Assumpt. vocat Deiparam, [minimè rigatam immortalitatis vuæ vineam] Et inferiùs. [Ex ea, vitæ vuam collegimus.] Ex recentioribus, hanc Deiparæ vineam plenè describit Delrius in floridis Marianis Panegir. 5. & 6.

Sancti Martyres, eodem proportione loco & numero sunt. Quod S. Zeno Veronensis, elegantissimè de more prosequitur serm. in Psal. 79. Describit ibi primo concinnissimè omnem curam materiali, vineæ impendendam in hæc verba, [Vt optimè sæpè recolitis, mensura seruata amputatur, in surculum, palmes in scrobem dimittitur, vt animatus ibidem genitalis humor, manente semper secum substantia nutriatur; auxiliare illi necessario iungitur lignum, cuius tutela defensus sese sustollat. At vbi adoleuerit in vitem perfectam, ad iugúmque peruenerit, eius omnes crines luxurioti tunduntur: pura materia tabulatis infertur, non adstringitur, ne à ligno quo portatur, vel cuius adminiculo, vel ducatu in vberes fructus longiùs inuitata producitur, vi aliqua separetur. Tum solenniter plorans, clementer imbre suo rorat: conceptáque musti felicibus lachrymis fluenta denuntiat. Statim oculis apertis, Folia radiata procedunt: quibus subiecti, ac se commendantes sequaces fructus arrident: quos Solis ardores pluuiæ, ventique, exercendo prouehunt, ad maturitatémque perducunt. At vbi vindemiæ venerit tempus, decore dissipato passim vua detrahitur, in torculárique, operariorum pedibus subiecta calcatur: prælo premitur: duabúsque tabulis vehementer vrgetur, donec omnis dulcedo medullitùs exugatur: sicque pretiosum fluentum à suis calcatoribus, & bibitur, & patris familias cellis vinariis infertur, vt meliùs veteraſcendo reddatur.] Hactenus expositio curæ circa vineam. Sequitur Apodosis.

567 [Quantum spiritualiter medio critas nostra conicere potest, computatus ad mensuram palmas, competens intelligitur legitimo examinis numero examinatus. Scrobem, fontem sactum debemus accipere: qui verò Sacramento homines suscipit mortuos, & inspiratos aqua cœlesti, mox efficit viuos. Lignum auxiliare, quo tenditur vel portatur, crucis est Dominicæ signum: sine quo viuere, immortalitatemque comprehendere, in toto, non potest Christianus. Quod tabulatis infertur, cælestis viæ vitæque altitudo monstratur. Ligaturis adstringitur, cum renuncians seculo, sponsione facta spiritaliter sacris interrogationibus obligatur. Luxurioti crines falce tunduntur, id est omninò peccata baptismate, Spiritúsque sancti vigore amputantur. Plorat feliciter vitis purgata materia. De homine loto feliciùs manant doctrinæ cœlestis diuina fluenta. Ruptis oculis, id est, spiritualiter patefactis, præcedentibus foliis, fructus sequela sese cõmendat. Similiter Christianus monitis diuinis præcinentibus obsecundando, in quibus æternæ fructus est vitæ, & defenditur pariter, & nutritur. Ad iugum peruenit, cum prærogata omni facultate pauperibus, crucem suam portans, consummata omni iustitia expeditior sequitur Christum. Vi tempestatis, solis atque imbris, ad maturitatem cogitur. Et iustus tentationibus crebris, magnis, ac variis, perducitur ad coronam. At vbi vindemiæ venerit tempus; id est, persecutionis dies, passim vuæ diripiuntur; id est incõsideratè Sanctis omnibus, violenta infertur manus. Ad torculat cõportantur, id est ad supplicij locum deducuntur. Ab operariis ibidem conculcantur, hoc est summa cum contumelia à persecutoribus illusi iugulantur. Succus earum in vltimo præli pondere, duabúsque tabulis exsiccatur. Similiter iudicij die à Christo secundùm tabulas legis, confessorum sanguinis vindicta vsque ad vltimum quadrantem exigitur. Calcatores de eodem musto bibunt: & persecutores sæpè

credentes in Christum, calicem pretiosum quem paulò ante calcando fuderant, gustant; aliqui etiam bibunt. Mustum patris familias cellæ reconditur, vt pretiosius transfretatione reddatur: & Martyr, Dominicæ habitationis in recondita assumitur: vt ibidem ex homine in Angelum transfusus, æternæ vitæ beatitudine glorietur.]

Astipulatur Nilus Orat. 2. de Ascens. apud Photium cap. 276. [E radice (inquit) palmites enati sunt, quæ verè dixit; *Ego vici mundum, ego sum vitis, vos verò palmites*, Stephanus tanquam ramus ab Ecclesia excisus est, & alius palmes Martyrum pullulauit. Iacobus & Petrus amputati sunt; alius rursum Martyr enascitur: quo exciso, alium rursus vberem palmitem radix protulit. Vindemiâ decerptus est Paulus, & alius racemus martyrio maturescens Thomas, & vndique radix vindemiáque fructum tulit vberiorem, & germen durabilius, quàm qui vindemiarunt. Etenim qui exscindebant paulatim arescentes extincti sunt. Ecclesia verò fructibus omni tempore onusta, fines terræ suis plantis comprehendit.]

Sunt & alij præterea botri. Nam racemum ornatum diuinæ vitis S. Basilium nominat S. Ephrem in eius encomio. Imo generaliter omnes pios eo nomine donat S. Greg. 16. Moral. cap. 25. ad illud *qui calcatis torcularibus sitiunt*, [Omnes (inquit) qui Sanctam Ecclesiam persequuntur, quid aliud quàm torcular calcant? Quod diuina agi dispositione permittitur, vt animarum botri, in spirituale vinum defluant, quæ carne corruptibili exutæ ad regna cælestia velut in apothecam currant. Nam iniusti dum iustos deprimunt, quasi botros sub pedibus mittunt; compressi autem botri, ad superni conuiuij satietatem exuberant, qui priùs quasi in huius aëris libertate pendebant. Vnde Dauid Propheta sanctæ Ecclesiæ afflictionem conpiciens, Psalmum pro torcularibus scribit.] Deerant in antiqua vinea huiusmodi racemi, au perrari erant. Vndè ille gemitus Micheæ c. 7. *veh mihi quia factus sum qui colligit in autumno racemos vindemiæ; non est botrus ad comedendum, Præcoquas ficus desiderauit anima mea; periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.*

## *Anima quæuis pia, vinea Christi.*

568 Est item Christi vinea, quælibet fidelis anima: quod plenè versat. Philippus Abbas tomo 3. moralit. in Cant. Breuiùs lib. 1. in Cant. cap. 22. [Vinea (inquit) potest rectè quæuis anima nuncupari, quarum alteri altera quadam videtur similitudine comparari: quia sicut in multis videlicet pampino, botro, palmite, constare vinea seu vitis inuenitur, sic & multis anima viribus aut virtutibus insignitur.] Idem plenissimè & admodum minutè prosequitur Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Deip. partic. 6. cum de arboribus & plantis horti concluſi. Idem multis prosequitur Nyssenus hom. 2. in Cant. ad illud, *vineam meam non custodiui.* His verò præter cætera. Huius vineæ fructus, est puritas. Hic est splendidus, pulchérque & præclarus ille botrus, qui præ se fert formam Solis, & castitate dulces reddit sensus animæ; Capreolus vineæ, est cum vita æterna coniunctio & connexio. Excrescentes palmites, sunt virtutum celsitudines, quæ ascendunt vsque ad altitudines Angelorum. Folia autem quæ germinarunt, & quæ quieto Spiritu pulchrè in ramis quatiuntur, sunt multiplex diuinarum virtutum ornatus, quæ simul germinent cum Spiritu.]

Plenius eius Germanus, hom. 2. Hexaëm. sic scribens. [Christus non cessat vbique vitibus nostras animas comparare. *Vinea namque facta est dilecto*, dicit, *in cornu, pinguiin loco.* Et *vineam seui & sepem circumposui.* Animas humanas planè vineam dicit, circumdedit septo, tum ea securitate tutelá ve, quæ ex præceptis resultat, tum ipsa custodia Angelorum. *Immittet enim se*, aut medium constituet *Angelus Domini, in circuitu metuentium eum.* Deinde quasi valla, siue pertica & statumina, nobis dedit, positis in Ecclesia primùm Apostolis, secundò Prophetis, tertio Doctoribus. Exemplis præterea veterum hominum, beatorumque, seruos nostros in sublime erexerit: neque permisit in humum nos esse deiectos, ac dignos esse qui conculcemur. Vult etiam nos quasi clauiculis siue capreolis quibusdam, amplexibus charitatis proximis inniti, ac adhærere, & in ipsis etiam conquiescere, vt iugi affectu sursum versus feramur, & quasi scansiles arbustiuæ vites, nos ipsos adæquemus sublimium fastigiis arborum. Quin & à nobis expescit, vt dum defodimur, sustineamus. Sanè anima tantisper defoditur, dum se tenacibus exuit mundi curis, quæ cordibus grauissimè sunt oneri. Itaque qui carnalem hunc posuit amorem, qui pecuniarum à se excussit auiditatem, qui suspiriis prosequendæ mundialis gloriolæ affectationem delpuendam prorsus duxit, & aspernabilem; is sanè inani onere terrenæ istius prudentiæ abiecto, veluti defossus respirauit.]

Origenes multis idem tradit tract. 19. in Math. sed pulchrè ac breuiter hom. 1. in Psal. 36. ad illud *olera herbarunt ciò decident*, vbi sic disserit.] Puto ergo quod etiam in nostris cordibus qui credimus Saluatori, sit aliqua vinea plantata, sicut dixit; *Vinea facta est dilecto, in cornu, in loco vberi.* Sed & ad illos dictum est quibus sermo Dei factus est primùm quia *ego plantaui te vineam totam fœtacem.* Est ergo in nobis vinea quædam ex qua fructum scientiæ qui lætificat cor hominis, per donum sapientiæ premimus in torcularibus Scripturarum, cum perfectiùs & latiùs diuina legis mysteria contuemur. Sed proficientibus nobis in his studiis, & Israelitico oculo ad oculum Spiritalem tendentibus, venit Achab, iniquus & impius: Achab vineæ nostræ, & aduersùm optima studia hæc sapientiæ inuidiam concitat, tumultum commouet, dolos & factiones per Iezabel, hoc est per carnalem sapientiam instruit, & vult excidi vineam illam spiritualis intelligentiæ, & plantari olera; id est vt quæ legimus, carnaliter intelligamus; sicut olera enim omnis gloria carnis est. Vt impleatur in nobis illud quod culpat Apostolus, dicens ad Galatas, *Sic insensati estis, vt cum Spiritu cœperitis, nunc carne perficiamini?* Quod autem in anima sancta sint vineæ, & agri à Domino benedicti, audi etiam Isaac ad filium suum Iacob dicentem; *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.* Melius ergo est, vineam

vineam nos colere in anima nostra & torcular fodere Scripturarum, & vindemiare botros, & premere vinum de vinea, Sorec, vt nos dicamus ad Dominum, *quia poculum tuum inebriant, quàm præclarum est.* [ Videndus insuper Ambrosius b. Hexaëm cap. 12. & libro 9. in Luc. ac Bernard. sermone 60. in Cant. Vites huius vineæ, agricola Christus circuncidit & putat, vt fructum plus afferant, ait Athanasius in disput. Nycæna contra Arrium.

### *Dolor de Christi vinea, malè culturæ respondente.*

569. Quàm verò dolendum, tantum Christi studium, siue circa vineam vniuersalem, siue particularem priuati cuiuspiam, male cadere, esseque locum expostulationi illi diuinæ apud Esaiam, *quid vltra debui facere vineæ meæ & non feci? Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Proh ingrati animi teterrimam stelitatem! [ Quoniam igitur nos sumus Israël, (ait S. Maximus Serm. 2. de S. Cypriano) vinea Domini sumus, videamus diligenter ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis vua, sed fellis: ne dicatur nobis quod Iudæis dictum est per Prophetam. *Sustinui vt faceret vuam, fecit autem spinas; & non iustitiam, sed clamorem.* Quam dura conditio, vt postessio quæ Domino suo suauitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit, hoc est cum Iudæi Saluatorem deberent tota fidei deuotione suscipere, spinarum eum coronauerint passione. Quæ corona quidem, quantum in Iudæis est, erat iniuriarum contumelia: quantum in Domino, erat corona virtutum. Compungunt ergo Iudæi Dominum, dum coronant, compungunt dum crucifigunt. Vnde ait Scriptura sancta; *Videbunt in quem compunxerunt.* Igitur fratres, videte ne, & nobis dicatur; *Sustinui vt faceret vuam, fecit autem spinas,* Hoc est ne spinas quas Domino Iudæi cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus & compungamus eum non asperitate sensuum, sed operum prauitate. Sunt enim spinæ cordis, quæ verbum Dei etiam vulnerare consueuerunt, de quibus meminit in Euangelio Saluator dicens, seminantis semen cecedisse inter spinas, & creuisse eas, ac suffocasse quod satum est. Quæ autem spinæ sint, ipse prosequitur, dicens, vtique sollicitudines esse mundanas, quæ cum crescunt in corde hominis, mandata in eo Saluatoris suffocant. Quis enim vnquam sollicitus de mundo, potuit benè sollicitus esse de Christo: Quis dum lucris domûs suæ prouidet, vtilitatibus Ecclesiæ potuit prouidere? vnde ait Apostolus, *qui sine vxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodò placeat Deo: qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat vxori.* Ergo fratres, videte ne vinea vestra non vuas, sed spinas faciat; ne vindemia vestra, non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit & pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum.]

570 [ Opus proinde sit, (concludit suprà S. Basilius,) iuxta prouerbij allusionem, vt ne viram hanc nostram sinamus sarmentis noxiis syluescere & luxuriari, id est, ne quid in obeundis vitæ huius nostræ muniis, per ostentationem designemus, ne laudem venemur, captemusve ab istis externæ conuersationis hominibus; magis verò admitamur, fructuosi vt simus, ac interim piam quandam ostentationem operum nostrum, vero illi agricolæ siue vinitori asseruemus. ] Optimè etiam in cap. 1. Esaiæ verbis illis. [ Iam quando vniuscuiusque anima confertur vineæ, vti in Psalm; *Vxor tua sicut vitis abundans;* Ait & Dominus; *Ego vitis, vos palmites;* Verendum nobis, ne quando nos anteuertant apprehendere istæ comminationes, non redditis fructibus quos conueniebat rependere. Forsan enim & hoc quidem tabernaculum, corpus est quod inhabitat Spiritus sanctus. *Num nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Vinea enim anima est, à qua reposcitur copiosa vbertas fructuum, planè digna primigenia plantatione & agricolatione Dei. Verè enim plantata est, ad imaginem veri Dei creata: per vices autem ac sensim, multiformi prouidentia colitur sui conditoris, qui fructus vberes proferentem expurgat, vt cumulatiores edat fructus. Si enim nos addixerimus parandæ munditiæ vitæ, ad expurgandas animæ perturbationes, Deus ipse suppetias feret, complectens studiosam alacritatem perfectorum, ad consectandam bonitatem festinantium. Sanè quemadmodùm putatur vitis quæ prohibetur per pampinorum superfluitatem, ne vberes fructus proferat: Sic & anima circuncidens & amputans consuetum studium circa res euanidas ac futiles, vim omnem suam dispensat & exercet ad bonorum operum fructificationem, ne fortè in mundo hoc ostentationis & iactantiæ præcupido, inutili materia syluescat & eluxuriet, omnémque suam facultatem exhauriat, perinde atque vinea circa folia, clauiculos & capreolos (quæ figura sunt mundi,) occupata. Anima insuper circumfoditur, quò liberiùs cuncta adiacentia sibi vindicet ad propriam alimoniam, & ita probè se adornat ad excipiendam multiplicem doctrinam Spiritus sancti. Quemadmodùm enim vitis per fodicationem non expirans, facilè euanescit, neque capax fit vtilitatis quæ illi prouenisset ex infusione aquæ, propter densitatem terræ ei adiacentis: pari ratione anima minùs ritè se componens circa hæc corporalia, quorum oppressa pondere, ne respirare quidem potest, sed permanet infæcunda, referta graui onere materialium, quo fit vt anima nullum ex se proferens fructum, nullius iam sit particeps cœlestis auxilij. Porrò ab anima infœcunda, ille quidem Spiritus sanctus se submouet ac retrocedit. Maceriæ interim siue sepes concidunt, nempè Angelorum subsidia. Ad hæc peregrini ac barbari obiter transeuntes, in nos ituunt, nimirum potestates illæ effectrices peccatorum quæ admittuntur per superfluam scientiam; simul & vitiosæ affectiones & à ratione prorsus abhorrentes, sese volutantes in putido fœtore, suis instar in volutabrum irruentis, quæ præoccuparant eam animam, eandem, corrumpunt. Tunc apud talem animam, impletur illud; *Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea.*]

571 Cauendum ne vua nostra sit vua fellis, & borri amarissimi: quippe de eo decerpti vineto cui Dominus maledixit, & vibratis iræ suæ fulminibus vastitatem intulit. Multas tales

vineas Deo inuisas, recenset & exponit ad hanc mentem S.Basilius in c.16. Esaiæ,quibus illud Deus iure obiicit; *quomodò conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?* Manetem Cyrillus Hyerosol. catech. 16. ait euasisse in summum perditionis botrum. Dies Iudicij, cuiusmodi vinea, & vitis,ac botrus quique fuerit, manifestabit. Benè Gregorius Archiepiscopus Tauromenitanus orat.in anni principium, [Quemadmodùm ille mensis; apud nos primus est, qui apud Hebræos septimus, ambóque in eundem ista conueniunt: ita etiam corruptionem idem frugibus affert, & vindemiam auspicatur. Non aliter ac sempiternum illud æuum generationis, atque interitus finis est, & vindemiæ spiritualis initium. Nos enim in futura vita velut quoddam torcular expectat. Atque vt generoso, pulcherrimóque racemo in torcular impositio, suaue mustum, & odoratum effluit; cui ætas posteà gratiam ac fragrantiam affert. Sin è carioris vel acerbis vuis liquor exprimitur, in vappam degenerat, nec idoneum potui est;sed acescit, & fœtorem contrahit,aut aliter vitiatum vermibus scatet; Sic in resurrectione corporum, vbi racemorum instar actiones nostræ in probatorium illum ignem tanquam in torcular immissæ fuerint, de cuiusque prouentu & agricolatione constabit.]

### *Nihil celebres aliæ vineæ, ad Christi vineam.*

Liquet de Christi vineæ præstantia. Quæ vulgò dicuntur vineæ, quantumuis exultæ,& feraces, & vini generosissimi fertiles, Cretricæ Lesbiæ,Falernæ, Masticæ,Cypriæ,quid ad electam Domini vineam, eiusque feracitatem, & fructus optimos cum culturæ vinitoris respondet?Auream Regis Persarum vitem, trûco tamis,pampinis,auream, cuius racemi ex lapillis pretiosissimis;de qua plenè Brissonius l. 1. de Rege Persarum pag.69.Pithui itè vitem auream apud Herodotum l.7. Ex eadem quoque materia vitem Atistobuli, Iosepho celebratam 14. Antiq. c.15. argumenta potiùs monstrosæ nouitatis constat fuisse, quàm solidæ ac veræ magnificentiæ. Quare non est quod de vlla vinea, cum vinea Christi quomodolibet componenda,aut iure æquiparanda, simus ancipites.

### *Ager Christi, nouale.*

572 Agrum Ecclesiæ, Christus colonus optimus (sic enim apud Ieremiam c.14. denominatur, suffragante Isaia c.28.à v.24.) excoluit studiosissimè. Erat hic ager ante Christũ, qualis apud Isaiam c.7. describitur verbis illis. *Omnis locus vbi fuerint mille vites mille argenteis* (ideſt quæuis fertilissima vinea, cuius singulæ vites fructum annum totidem argenteorum ferant) *in spinas & in vepres erunt; Cum sagittis & arcu ingredientur illuc; vepres enim & spinæ in vniuersa terra.* Hæc non de spinis & agro materiali,sed de intelligibili spineto accipienda esse,docet ibi S.Cyrillus. Tale quod enim erat orbis terrarum ante aduentum Christi; nominatímque Iudæa cui Chrysologus serm. 164. eam ob causam accommodat rubetum in quo Moses ignem innoxium conspexit. Et Ambrosius serm. 73. hunc ait esse, agrum qui expectatus vt faceret fructum idoneum,fecit spinas,vt est Isaiæ 5.iuxta 70. Et dixerat sanè de Iudæis Michæas c.7. *qui optimus in eis quæsi palmirus,& qui rectus, quasi spina de sepe.* Verùm si lumen quod in mundo erat, tenebræ fuerunt, ipsæ tenebræ quantæ fuerint? Si inquam Iudæa, quæ veri Dei notitia non destituebatur,tot vitiis & sceleribus abundauit, vt non ager domino suo commodus; sed senticetum & spinetum sit meritò denominata, cuiusmodi fuisse existimabimus reliquum mundum? Spinæ hîc imo rhamni idolatriæ,omnia repleuerant. Spinas enim idola dixisse Ieremiam c. 4. cum dixit, *nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas*, pulchetrimè tradidit in Catena S. Chrysost. Succreuerant item vbique spinæ illæ vitiorum, ad quas euellendas sic hortabatur S. Ambrosius serm. 56. [Producamus de spinis nostris rosas, hoc est de peccatis iustitiam, de seueritate misericordiam, de auaritia largitatem. Istæ enim spinæ sunt corporis nostri, quæ præfocant animam, de quibus ait Scriptura; *Spinas & tribulos tibi germinabit terra.* Germinat enim mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione compungit. Generat mihi tribulos, cum me diuitiarum secularium cupiditate discruciat. Spina enim Christiano, auaritiæ suæ radix est. Spina viro bono, honoris ambitio est. Videntur enim specie apud suos grata esse, sed lædunt.] Spinæ istæ, florent & virent initio, sed vbi rhamnum intellexerit, pungunt, ait ad eum psalmi locum S. Augustinus.

Hunc igitur agrum, Christus colonus optimus, nouale fecit, cruce enim sua vius pro aratro, (vt est apud S. Macarium hom.28. & apud Maximum hom. 2. de passione & cruce Domini, nec non apud Cassianum collat.1. c.22.) Apostolos autem æternitatis satores, vt loquitur S. Hilarius can.5. in Matth. adhibens ad proscindendam hoc aratro terram, (nam idcirco vt S. Macarius hom. illa 28. obseruat, binos eos tamquam ad iugum copulauit,) feracissimum effecit agrum, è quo olim non nisi mutila germina, tribuli scilicet & spinæ scelerum procreabantur. Secundùm Apostolos, alij quoque laborauerunt in hoc agro. Audi de S. Antonio Aldelmum lib. de laude Virginitatis c. 14. [Antonius cælestis aratri stiuarius, & Euangelici seminis sator,à quo primitus per Ægyptum fertilis Cœnobiorum seges germinauit, vnde postmodùm Memphitica tellus quam Nilus reciprocis fœcundat fluentis, millenos animarum manipulos in fructiferis Ecclesiæ noualibus pullulantes protulit, quos Angelici messores (cum figura mundi in ictu & atomo euanuerit, & enormia creaturarum elementa in meliùs commutata claruerint,) sequestratis loliorum fasciculis in inexhausta cœlestis regni horrea cateruatim aduectabunt.]

### *Eius consummatio in combustionem.*

573 Quod autem consummatio terræ reprobæ, sit in combustionem, vt est apud Apostolum; quod inquam extremum remedium ad conciliandam agro inutili fertilitatem, sit ignis immissio, neque hoc remedium præter-

missit

missit colonus Christus, idcirco professus se ignem venisse mittere. [Et quid est (inquit Chrysologus serm. 164.) quod tantum verbis spargit ignis? quod tanta & talia inflammat & dilatat incendia, dicendo; *Ignem veni mittere in terram*? Quid est? Ager quoties longa incuria sylvescit, & toto luxuriæ agrestis sordescit horrore, peritissimi cultoris vtique semper aperitur & purgatur incendio: ac studio benigno cultor ignis apponitur, vt exustis sentibus reueletur prima facies campi, præstetur agricolæ libertas, fiat facilis via vomeri, sit germinis ferax sterilis diu terra, & longa ac mœsta otia læto lætissima iam repenset in fructu. Ergo vbi Iudaicus cespes continuo aratro legis & iugi cultu effectus ad inopiam, non respondit germini, non labori; sed pro tritico lolium reddidit, protulit pro viribus spinas; Christus ad sata gentium diuini cultus conuertit industriam: ac diu oppressa dumis nationum cupiens noualia purgare, ignem mittit primùm maximus magister in terram, & quicquid naturalis squale fecerat luxus, quicquid arefecerat brumalis rigor, artifici depurgat & consumit incendio: quatenus sola longo exhausta ieiunio, ipso suo cinere saginata pinguescerent, & post diuturnam duritiem tenera redderentur & mollia: ac sic Euangelico aptata cultro, semini redderentur commoda; & fælici sulco iam redderent trigesimum, sexagesimum, ac centesimum fructum, sed sic ipse cultus, non est nouus agricolæ veteri & cœlesti. Nam legem pandere, gratiam serere, ignis semper opere consuevit. Daturus legem, ignem præmisit in rubo: sed diuinum rubus portauit, non concepit incendium, iam tunc aculeis malitiæ plenum & ingratum culturæ legis populum præfigurans. Et nunc in arua gentium cum destinaret Apostolos, sic eos igneo imbre perfudit, & ignis consedit super eos, vt possent humecta siccare, sicca, infundere, decoquere cruda, frigida calefacere, accendere extincta, comburere noxia; & in opere diuerso, vno atque eodem igne, ad cælestem copiam tota percolere deserta terrarum.] Optimè idem tradit S. Chrysost. serm. 2. de Pentec. Tomo, Græcol. & Anastasius Sinaita lib. 11. Hexaëm. *in fine*, sæpéque S. Macarius.

Hunc ignem in agrum suum immisit Christus in die Pentecostes Túncque impleri contigit, quod Isaias c. 10. prænunciarat *erit lumen Israel in igne & sanctus eius in flamma, & succendetur & deuorabitur spina eius, in die vna.* Nam de Spiritu sancto eum locum accepit S. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto capite 16.

Vt ignem prouidit Christus, ita & nubes fœcundantes quas Origenes interpretatur diuini verbi disseminatores hom. 5. in Ieremiam. Qui item de pluuiæ agros mysticos fœcundantis effusione, plenè disserit hom. 16. in Leuiticum. Optimè S. Cyrillus in cap. 45. Esaiæ ad illud *& nubes pluant iustum*, & S. Ambrosius Lucæ 21. ad illud, *venientem in nubibus.* Non displicet S. Gregorio, ea aquarum agrum Ecclesiæ fœcundantium interpretatio: sed illam cumulat alia. Sic enim scribit 11. Moral. cap. 6. tractans illud. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, Si miserit eas, subuertent terram.* [Si *aqua* scientia prædicationis accipitur, sicut scriptum est; *aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ*, cum aqua continetur, cuncta siccantur: quia si scientia Prædicatorum subtrahitur, eorum qui virides cere in spe æterna poterant, corda protinus arefiunt, vt in desperata siccitate remaneant, dum fugitiua diligentes, nesciunt sperare mansura. Sin verò *aqua* nomine, sancti Spiritus gratia designatur, sicut veritatis voce in Euangelio dicitur; *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viua*, vbi statim Euangelista subiunxit, *hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum*; Congruus in his sermonibus intellectus patet, quibus ait; *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur*: quia si Sancti spiritus gratia ab audientis mente subtrahitur, arescit protinus intellectus, qui iam per spem viridescere in audiente videbatur. Quod autem non *aquam*, sed *aquas* memorat, pluralitatis appellatione, ad septiformem donorum spiritalium gratiam recurrit: quia quasi tot aquis vnusquisque infunditur, quot donis repletur.]

### *Fimus ad eiusdem fœcundationem.*

574 Sed neque fimi ingestionem, omittit ad agrum suum oblimandum Christus. Hic fimus Iudice Origene homil. 2. in Leuit. est humilitas carnis assumptæ per Verbum. Iudice autem S. Augustin. in psal. 140. mors est sanctorum Martyrum. Sic enim scribit. [Quid factum est de mortibus Sanctorum? *Sicut crassitudo terra dirupta est super terram, dissipata sunt iuxta infernum ossa nostra.* Quid est, *crassitudo terra, dirupta est super terram*? Nouimus crassitudinem terræ, contemptibilia quæque esse: quæ sunt quasi contemptibilia hominibus, fœcundant terram. Nam dictum est, & in quodam psalmo, iacuisse mortes sanctorum, & non fuit qui sepeliret. Sed illæ omnes mortes, factæ sunt crassitudo terræ. Quomodò accipit terra quandam pinguedinem de rebus contemptibilibus & abiectis, sic ex eo quod contempsit hic mundus, accepit crassitudinem terræ, vt inde seges Ecclesiæ feraciùs pullularet. Iam nostis fratres, quia contemptibilia terræ huius, de quibus pinguescit terra, nec appellare volo, nec dicere decet. Talis est quædam sagina terræ, & quædam pinguedo: & contemptibile est hominibus, & quasi sordidum est, abiicitur, sed quid fecit hic, vt iam & ipsius verbis vtar? *De terra erexit inopem, & de stercore exaltauit pauperem, vt collocaret eum cum principibus, cum &c.* Prostratus est enim in terra, tanquam pinguedo terræ, diruptus est super terram, sicut iacuit ille Lazarus vlcerosus, sed tamen ab Angelis sublatus est in sinum Abrahæ. *Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius*, sicut contemptibilis est seculo, ita pretiosa est agricolæ. Nouit enim ibi vtilitatem & vberem succum, & nouit quid affectet, & quid eligat, vnde seges fertilis surgat. Sed contemnit eam iste mundus. *Nescitis quia contemptibilia mundi elegit Deus & ea quæ non sunt, tanquam quæ sint, vt ea quæ sunt euacuarentur?* De stercore erectus Petrus, Paulus, & cum occiderentur, contemnebantur. Modò iam saginata inde terra, exurgente segete Ecclesiæ, ecce quod est nobile & præcipuum in mundo Imperator venit Romam:

Romam : quò festinat ? Ad templum Imperatoris, an ad memoriam Piscatoris ? Sicut enim crassitudo terræ dirupta est super terram, dissipata sunt iuxta infernum ossa nostra.]

Aliter simum Euangelicum quo Ecclesia fœcundatur, accipit S. Ambrosius l. 7. in Lucam. Sic enim scribit. [Nouit excolere, qui nouit vitia deprehendere. Pollicetur dura cordis eorum, Apostolicis ligonibus esse fodienda, vt longo incultu situm mentis obductum, sermo bis acutus inuertat, & corde prosciſſo excitet sensum aerio spiramine tam vigentem, ne radicē Sapientiæ terratum aceruus obruat, & abscondat. Cophinum quoque stercoris, dicit esse mittendum. Magna profectò vis stercoris, quæ tanta est, vt de infœcundis fœcunda, de arentibus vitentia, de sterilibus faciat fructuosa. In quo sedit Iob cum tentaretur, & vincī nequiuit. Et Paulus æstimat stercora, vt Christum lucrifaciat. Denique cum ante Iob plurima perdidisset, posteaquàm sedit in stercore, non habuit quod Diabolus posset auferre. Bona ergo terra quæ foditur, bonum stercus quod mittitur. Denique Dominus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem, Itaque per intellectus exercitium spiritalis, & humilitatis affectum, etiam Iudæos, in Euangelium Christi cultor ille bonus, fore existimat fructuosos.] Pœnitentiæ actus, simum & stercus agri Ecclesiæ, exponit S. Augustinus, omninò pulchrè serm. 151. de tempore, & obiter Nazianzenus orat. 40. De singulis spiritualis agriculturæ instrumentis distinctè & pulchrè Hugo Victorinus serm. 16. ex centum, & optimè quoque S. Bernardus serm. de SS. Petro & Paulo.

### *Seminatio, fertilitas, cura colonorum excitata.*

575 Sic aptato agro, iniectum est semen diuinum, Christus ipse. In quam rem elegantissimè disserit S. Ambrosius in psal. 43. ad illud, *& in gentibus dispersisti nos*, his præter cætera, quibus & Christum, & proportione aliqua Apostolos : *semen sanctum* fuisse, docet, quo fœcundatus est ager Ecclesiæ. [ Vt Dominus Iesus Christus, sicut granum cecidit in terram & mortuus est vt multum fructum afferret ; ita etiam dispersi sunt Apostoli sancti, vt bonum inter gentes semen afferrent, quo ad eorum similitudinem fructus gentium pullularet. Denique scriptura hoc dicit, dixisse Dominum, quia *propterea vos misi, vt vos eatis, & fructum pluremum afferatis, & fructus vester maneat.* Factus est ergo Dominus sicut semen, secundùm quod dictum est ad Abraham, *& semini tuo, quod est Christus.* Semen ergo omnium, Christus. Et ideò se cadere passus est & spargi, vt conforme corpori suo transfiguraret corpus humilitatis nostræ. Hoc ergo semen salutare omnibus hominibus pullulauit, & ex illo ad eius imaginem figurati quasi semina Apostoli sancti, missi sunt per diuersa atque dispersi, vt in agrum Ecclesiæ gentes congregaræ, diuersis fructibus refulgerent toto orbe terrarum. Istæ ergo dispersiones dicuntur : sicut etiam in posterioribus idem Dauid dicit; *ædificans Hierusalem Dominus & dispersiones Israël congregans.* Dispersi sunt enim vt nouos fructus facerent, & posteà veluti triticum notum, Ecclesiæ horreis inucherentur.] De planè multiplici in hunc agrum iacto semine à tam variis seminatoribus, & quàm malè periturus sit, si pereat in eo tantùm semen, tantusque seminantium labor, concinnè & fusè S. Bernardus serm. de S. Benedicto.

576 [ Huius agri fertilitas non est vbique eadem & par. In aliis enim fert fructum tricesimum, in aliis sexagesimum, in nonnullis centesimum. Sic perfectio diuersa in variis Ecclesiæ statibus, & pro maioti perfectione maior meritorum seges, designatur ab ipsomet Christo. Radix prima totius huius diuersitatis, est bona Christi voluntas, siue Spiritus sanctus varie communicatus. Pulchrè hoc docet Cæsarius dialogo 1. his præter cætera. [ Sanctus Spiritus cum sit vnus, vnius formæ & eiusdem modi, vnúsque substantiæ, indiuisus & absque defectu, vnicuique diuidit gratiam sicut vult. Vtique in plantis fieri solet, vt quamdiù quidem hyemis asperitas prævalet, infrugiferæ maneant; postquàm verò pluuiis rigatæ sole foueantur, renascuntur, & germinant: sic & mortalium animæ, quamdiù quidem hyeme vitiorum detinentur, difficiles & omnis communionis expertes mores erga proximos ostendentes, mortuæ & infrugiferæ sunt. Quum autem diuinam Spiritus pluuiam per doctrinam institutionis susceperint, & turpitudinem quæ est ex vitiositate, abstersérint, multisque affectibus obnoxium, corporeæ molis vestimentum deposuerint; mox in eis susceitatur ratio, & quasi renascuntur per diuinam figationem & calorem spiritus, & fructum ferunt, secundùm Domini sermonem, alius quidem trigesimum, alius verò sexagesimum, alius verò centesimum. Nam alij quidem ad sapientiam accommodant linguam, alij ad vaticinium, alij ad Dæmonum expulsionem, alij ad declarationem rerum diuinarum. Alium ad sobriè viuendum instruit, alium ad misericordiam, alium ad temperantiam confirmat, alium ad Martyrium vngit & excitat ; ac diuersus in alio esse videtur, cum ipse non sit alius, quemadmodùm eximius ille & mentis vi præstans scribit Apostolus. *Vnicuique* ( inquit ) *datur declaratio Spiritus provt expedit. Nam alij quidem per spiritum datur oratio sapientiæ, alij verò oratio scientiæ, secundum eundem spiritum ; alij fides in eodem Spiritu; alij prodigiorum effectiones; alij vaticinatio ; alij diiudicationes spirituum ; alij genera linguarum. Sed omnia hæc efficit vnus ille & idem spiritus, dispertiens peculiariter vnicuique, sicuti vult.*]

Quod autem nunc post tantum laborem succrescant denuò spinæ ac tribuli in hoc agro, sic eos ad quos attinet compellat S. Augustinus Orat. de quinque hæresibus cap. 6. *initio*, cum præmisisset nonnulla de spinosis germinibus in Ecclesiæ agro enatis. [ Tales fructus, deserta germinat terra. Agricolas non accuso, sed quæro. Vbi mihi estis ô boni Agricolæ? Quid agitis? Quare vacatis ? Videris quo malo ista plena sit terra ? Hinc spinæ hinc tribuli, hinc fœnum surgit. Spinas incendite, tribulos eradicate, fœnum secate, noua semina spargite, non vos terreat hyems: & si abundat iniquitas, vestra tamen feruear charitas. Serite hyeme quod metatis æstate. ] Satis de Ecclesia,

ago-

agro Christi Quam allegoriam Cæsarius Dialogo 4. Interrogatione 192. præter cæteros hactenùs adductos, insigniter est prosecutus. Sed quod eius diffusior sit oratio, & iam plus satis per hunc Ecclesiæ agrum expatiati videamur, legi apud eum poterit.

### *Pia item quæuis anima, ager Christi. Multiplex eius cultura.*

577 Anima item quælibet pia, ager est Christi, in quo per socordiam & negligentiam villici, spinæ & vrticæ omnia repleuerant, vt interpretatur S. Greg. 20. Moral. cap. 22. illud prouerb. 24. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Non omitto Augustinum tract. de 4. feria cap. 2. [Et tu vnaquæque anima quæ accedis ad Christum, terra es spinosa & arida. Vnde probamus, quia talis es: Recole illam sententiam quam in primis parentibus accepisti, & inuenies quid inde traxisti. *Spinas* (inquit), *& tribulos pariet tibi.* An respondebis, non te esse terram spinosam? Si spinas non haberes, capiti creatori tui coronam spineam non imponeres. Quia ergo & tu talis es, spinarum multitudine, id est peccatorum, prægrauata es.] Et serm. 59. de Verbis Dom. *in tio.* [Colimus Deum, & colit nos Deus. Sed non sic Deum colimus, vt eum meliorem faciamus. Colimus enim Deum adorando non arando. Ille autem colit nos tanquam agricola agrum. Quod ergo nos ille colit, meliores nos reddit, quia & agricola agrum colendo facit meliorem, & ipsum fructum in nobis quærit, vt eum colamus. Cultura ipsius est in nos quod non cessat verbo suo extirpare semina mala de cordibus nostris, aperire cor nostrum tanquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, expectare fructum pietatis. Cum enim istam culturam sic acceperimus in cor nostrum vt eum bene colamus, non existimus ingrati agricolæ nostro, sed fructum reddimus quo gaudeat. Et fructus noster non illum ditiorem facit, sed nos beatiores.]

Hunc agrum quomodò excolat Christus, & quàm iterato labore tandem eum promoueat ad lætas fruges fundendas, eximiè docet S. Macarius hom. 26. his verbis. [In rebus quæ oculis subiacent, terra vt plurimùm ex se ipsa profert spinas: colonus autem fodit, exercet diligenter, ac seminat, spinæ tamen vel non satæ pullulant & multiplicantur: (postquam enim transgressus est, dictum est Adamo: *Tribulos & spinas producet tibi terra:*) Denuò Colonus exercet terram, effodit spinas; quæ nihilominus adhuc multiplicantur. Accipe hoc spiritualiter. Nam post transgressionem terra cordis produxit spinas, & tribulos: excolit homo, elaborat, adhuc tamen spinæ prauorum spirituum enascuntur. Deinde sanctus ille Spiritus, suppetias fert imbecillitati humanæ, & Dominus mittit in terram cordis semen cœleste, atque excolit eam: quo semine iacto, adhuc tribuli & spinæ pullulant. Denuò ipse Dominus, ac homo, exercent terram animæ, & septem mali Spiritus ac spinæ exoriuntur illic, & repullulant, donec aduenias æstas, & abundet gratia, ac desiccentur ab æstu solis, spinæ enatæ.]

*Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi*

De eadem multiplici & indefessa agri nostri per Christum colonum cultura, his præter cætera S. Augustinus Tractatu illo de 4. feria. cap. 2. [Ideò tibi talis cultura impenditur, propterea crucis ligno exararis, propterea cœlesti pluuia præpararis, vt cum fæcunda effecta fueris, non gratuleris de tuis quæ nulla sunt meritis, sed reddens bonos fructus, Christi prædices gratiam: vis nosse qualis tibi adhibeatur cultura, qualis te desuper profundat gratia? Ecce agnosce. Christi cruce exararis, quando eius signo in fronte signaris; eius sanguine rigaris, quando in morte ipsius baptizaris.] Item ieiunio exarari, sæpiúsque vexari, & exerceri vt feracior euadat hic ager, notatur apud Ambrosium serm. 36. sed eleganter apud Chrysologum serm. 51. Ieiunium est singulare sanctitatis aratrum, colit corda, eradicat crimina, euellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, copiam nutrit, parat innocentiæ messem.] Addit tamen serm. 42. adaquandum esse agrum, aqua lachrymarum pauperum id quod lacè astruit S. Chrysostomus hom. 14. in 2. ad Timoth. *in morali* in seminationis & eleemosinæ analogiam plenè excurrens.

578 Nec deesse debet extirpatio malorum germinum, audi Eucherium hom. 8. ad Monachos num. 1. [Si quando terræ operarius & ruris cultor agrum suum seminibus præparat, non sibi sufficere putat, rudem campum vomere proscidisse, & assiduo aratro duras edomuisse glebas, ac sulcis frequentibus confecisse; sed insuper studet agrum illum infœcundis germinibus emundare, noxiis euacuare ruderibus spinarum, stirpium fomites excussa radice conuellere, sciens terram suam sine purgatione mali germinis, boni feracem esse non posse: ad se dictum putans illud, quod ad spiritalem agricolam pertinet, *nouate vobis noualia, & nolite serere super spinas.* Ita & nos qui Dei agricultura effecti sumus, qui spem fructuum nostrorum non terræ credimus, sed cœlo repositam: non nobis sufficere putemus terram corporis nostri vigiliarum exercitiis edomare, vel ieiuniorum labore conficere, sed in primis mentem extirpatione vitiorum mundare conèmur, circuncidere mores, excidere passiones, eradicare superbiam, plantare humilitatem, effodere iram, fundare patientiam, amputare inuidiam, inserere beneuolentiam, & huiuscemodi virtutibus agrum cordis, quasi quibusdam bonæ frugis fœcundare seminibus. Cæterùm si caro conteritur, & anima non fructificat, simile est ac si arari campus non desinat, & nunquam tamen messis appareat.]

Adhibenda item stercoratio, ait S. Ambros. lib. 2. de pœnit. c. 1. quod prudens agricola irato Domino aduersùs ficulneam exscindendam sollicitè perfecit, immisso stercoris cophimo.] Stercoremus ergo & nos, (ait ibidem S. Ambrosius) agrum hunc quem possidemus, & imitemur laboriosos agricolas, quos non pudet fimo pingui satiare terram, & immundo cinere agrum aspergere, vt fructus vberiores colligant. Et quemadmodùm stercoremus, docet Apostolus dicens; *omnia æstimo vt stercora vt Christum lucrifaciam*, qui per infamiam, & bonam, famam meruit Christo placere. Legerat enim quod Abraham dum se stercus & cinerem fatetur, summa humilitate inuênit Dei

gratiam. Legerat quod Iob in stercore sedens, omnia quæ amiserat recuperauit. Legerat propheratem Dauid, quod Deus de terra suscitat inopem,& de stercore erigit pauperem. Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est,vt vnusquisque crimina sua prodat. Sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit perpetuas,sentes amputat,fructus adolet.] Humilitatem esse hoc stercus, censet Sanctus Paulinus Epist.10.ad Severum, apprecatus sibi cophinum stercoris. [In quo mihi (inquit,)videtur æterna piæ humilitatis vtilitas indicari, quæ sterilem fœcundat animam, ne per vacuam arrogantiæ speciem,sibi iuxta illum Pharisæum placens, velut arbor infelix, frugibus inutili fronde luxuriet. Quàm bonum autem & vtile ad culturam salutis, huiusmodi stercus sit, docemur in Beato Iob; qui postquam sedit in stercore, tentari destitit. Consumpserat enim tentatoris inuidiam,humilitate perfecta, quæ facilius surgere quàm deiici potest. Quia in simo sedens, vnde cadat non habet; sed habet vnde consurgat, per eum qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem, & in stercora redigit superbos.] Aliam huius agri stercorationem, non ita multo post ex S. Bernardo memorabo.

### *Prompta, & immensa agri Christi feracitas.*

579 In his agris laborare Angelos, vt ex eis offerant Deo primitias, tradit perpulchre Orig. hom. 11. in. Numer. De duplici in his agris satione, & respondente sationi messe, pulchrè S.Hilarius in psal.125.*in fine*.Mirabile discrimen horum agrorum ab agris materialibus, obseruat his verbis S. Chrysostomus orat.de cruce. [Agricolæ non simpliciter semina iactant, nisi prius boues iunxerint, & aratrum traxerint & sulcos prosciderint, & spinas euulserint & hinc terræ semina committunt, vt à pluuia, in telluris cauitates deferantur, Tunc terra producit spicam. Attamen expectant agricolæ hyemem,& æstatem,& imbrem de cælo, & tempus messis,& tunc conuehunt in horrea.Sed ego neque boues iungo, neque sulcos facio, neque spinas vello. Hodiè sero; hodie meto; fælicem me qualis qualis terræ agricolam,dicent.]

Qui campi istis sic excultis feraciores? qui dominuo & colono gratiores? Est sanè ager iuxta Tullium, gratitudinis veluti exemplar: Reddit enim cum fœnore beneficium, quod in eum contulit colonus. Leguntúrque in hoc genere planè admiratione digna, cum plerumque ex vno grano iacto, notatum sit extitisse culmos 60. Sed nullibi tanta feracitas, quanta in campo Ecclesiæ, qui in plerisque partibus ad centesimum multiplicat semina iacta, vt vidimus. Hinc existet, Deo agricolæ nostro benè propitio, beata illa messis in horreum Domini recondenda. [Interim credamus (inquit Chrysol. serm.103.)quod crux nostri corporis sit aratrum; fides,semen, sulcus, sepulchrum;resolutio,germen, expectatio, tempus; vt cum ver Dominici aduentus artiserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas, vitalem resurgat in messem, nesciturami iam finem, nesciturami caniciem,non passuram falces, nec flagella sensuram. Quia depositis in morte vetustatis paleis,nouum glorioso corporis consurgit in fructum.]

580 Religiosum præsertim solum, sicut à Deo maximè excolitur, ita fructuum eximiorum feracissimum est: idque si omitteret, esset quod iusto timore corriperetur, cum S. Bernardo serm. 2. de SS. Petro & Paulo. [Ergo dico vobis, (inquit alloquens suos Cistercienses,) si minùs boni inseculariibus inuenerit, maiorem in eis Dominus habiturus est patientiam,quàm in nobis, quibus cælestium consolationum pluuiam voluntariam segregauit, quibus non sæculus Disciplinæ, non paupertatis & vilitatis stercora defuerunt. An non stercora sunt abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Deo nostro? Stercora planè, vilia ad aspectum, sed ad fructum vilia. Non refugiat hanc fœditatem qui fœcunditatem desiderat, siquidem ex deformi stercorum acerno qui portatur in agrum, formosus surget aceruus manipulorum, qui reportabitur ex agro. Propterea non vilescat vobis vilitas preciosa: sed preciosius cunctis thesauris Ægypti, Christi improperium æstimate. Verumtamen terrenum habentibus sterquilinium, ipsa quoque cælestis non deest pluuia; quæ est orationum deuotio, iucunda ruminatio psalmodiæ, dulcis meditatio, consolatio scripturarum. Denique & hæc ipsa pluuia est, quam accipiis per os meum, si quando de flumine cum impetus lætificat Dei ciuitatem, & torrente voluptatis illius,aliqua super vos, dum de eis loquimur, stillicidia stillare contigerit. Sed necesse habeo interdum circumfodere, quandoquidem posuerunt me custodem & cultorem in vineis.Heu qui meam non colui nec custodiui. Necesse habeo tamen, dùm hunc occupo locum, & circumfodere nonnunquam, & apponere stercora. Molestum id quidem, sed dissimulare non audeo, sciens multo amplius securim nocituram quàm sæculum, ignem quam simum.Itaque & arguere,& increpare interdum necesse est:nec ignoro simum esse verbum increpatorium, verbum improperij, & quod si non excusset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem.] S. Augustinus non dissimiliter serm. 35. de verb. Dom. *in ipso fine*. [Magna res fratres, & hæreditas ipsius tumes, & hæreditas nostra est, quia & colimus eum, & colit nos. Nulla est iniuria illi quia colit nos. Quia si nos colimus illum vt Deum nostrum, ille colit nos vt agrum suum. Et vt sciatis quia colit nos, audite eum quem misit nobis; *ego sum*,inquit,*vitis, vos estis palmites, pater meus agricola est*. Ergo colit nos, sed si fructum reddamus,parat horreum. Si autem sub tanto cultode stirpes esse voluerimus, & pro frumento spinas proferimus, nolo dicere quod sequitur, ad gaudium finiamus.]

Specinen agri boni, in quo diuina sementis optime ac fœlicissimè fructum fecit, exhibeo, & abeo, vt hæc sit monitio idem præstandi. S. Ephrem orat.in SS.40. Martyres, ita philosophatur.[Germina & fructus membrorum Martyrum, animas fidelium enutriunt; & frumentum electum Deo euadunt,seminati super eorum stagni:& quæcumque dici possunt ad germinationem opportuna atque vtilia,pie in corporibus suis suscipientes, gelu, frigus atque rigorem,

rigorem, deinde etiam superna virtute calorem, donec spica animæ, ad superna lumina vitæ æternæ deportata est. O amabiles sureuli charitatis atque concordiæ Pauli; quomodò variis distinctam coloribus Lunam obscurarunt? O veri fructus agriculturæ petri; quo pacto rabidam obmutescere fecerunt locustam? O rami sancti plantationis Christi; quo pacto cuncta corruptionis pericula superarunt? Radices egerunt in profunditate charitatis; & sic vehementem fregerunt impetum ventorum. Statuerunt etiam amoris carbones acutos, & bruchiora palo suffixerunt: granum absconderunt in receptaculis spiritus: & serpentem vulneraruntvirga arundinea: ac deinde cuncti pariter salui atque impolluti, ad dignitatem decem agnarum commigrarunt. Ipsi eximiam pulchritudinem cœlestis suæ messis Deo obtulerunt, & Euangelicis sermonibus irrigati, centesimum fructum produxerunt: ideoque etiam Tyrannica demessi falce, manipulos salutis in terram reposuerunt, plaustris verò indè tanquam frumentum, ad latissimum Ecclesiæ aditum vecti sunt, vt psalmodiis fideliter impinguati, misericordiam petentibus tribuant. Quis igitur vnquam vidit tales admirandos manipulos, stillantes sanguinem & coronas?]

### *Quæ Christi piscinæ, & quàm præstantes.*

581 Piscinæ in Christi Ecclesia iuxta Willeramum Abbatem in c. 7. Cantic. sunt Doctores. Sic enim canit exponens illud *oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Interpretans *Hesebon Zonam mœroris.*

*Doctores veri, piscinis assimilandi,*
*In foribus portæ quæ sunt vrbis populosæ,*
*Sic bona prospiciunt, his quos baptismate tingunt,*
*Vt mentes oculi; dantes quoque pocula verbi,*
*Zona mœroris permittunt gaudia cinctis,*
*Vt præsens gemitus det veri gaudia risus;*
*Ante fores vrbis piscinis est locus istis,*
*Nec patet ad vitam veniendo copia cuiquam,*
*Ni par Doctores lauet in baptismate sordes,*
*Atque salutarem verbi bibat inde liquorem.*
*Vrbi Catholicæ stat nomen filia turbæ,*
*Vtpotè cui cives numerosa frequentia plures,*
*Addere non cessat, dum mundi clausula restat.*

Suffragari videtur S. Ephrem Orat. in omnes Martyres. Sic enim de maximo Doctore S. Paulo, habet. [Accipiens sermonem sicut piscis hamum, è profundo sursum tractus, vtiliter excœcatus est; largáque vita Iudaicorum institutorum ac rituum abdicata, exinde secatus est Christum, & in piscinam dulcium fluentorum immissus, respexit ad vocationem suam, ac *Paulus* mutato nomine vocatus, requiem præbuit Christi Discipulis, & prædicator secu-



rus, & columna firma fidei effectus, affirmauit semper ipsum esse Christum.]

Mihi non minùs consentanea videtur interpretatio piscinarum, quàm suggerit Petrus Damiani Opusc. 52. c. 2. sic scribens. [Claustrum monasterij, viuarium est animarum. Ibi quippè viuunt pisces, qui iuxta legis edicta pennulas habent; atque vt in corpus Christi transferantur, Israëlitarum mensis delitias præbent. Pisces quippè qui squammarum pennulas habent, dare saltus etiam, super aquas solent. Quid ergo pennatis piscibus, nisi electæ animæ figurantur, quæ profectò solæ, in cœlestis Ecclesiæ corpus transeunt; quia modò virtutum pennulis fultæ, saltus dare per cœleste desiderium sitiunt; vt superna per contemplationem appetant, quamuis in semetipsas iterum ex mortali carne relabantur. Claustrum itaque monasterij, vtrum gurgustium, siue viuarium piscium solummodò, (sicut dictum est,) an etiam *Catabulum* cœlestium pecorum, vel certè *auiarium* volucrum, per spiritalem intelligentiam rectiùs possumus appellare.] Concludit post pauca, & viuarium, siue piscinam, & catabulum & auiarium, dici posse monasterium: quod de viuario, sic confirmat, [Ibi quippe spirituales, (sicut dictum est,) viuunt pisces sacrarum Scripturarum fluentis iugiter innatantes. Nisi enim esset spiritale gurgustium, vbi non terreni, sed cœlestes pisces spiritaliter viuerent; nequaquam Dominus ad Beatum Iob de typica Behemoth pelle dixisset; *Numquid implebis sagenam pelle eius, & gurgustium piscium capite illius.*] S. Bernardus idem præclarè prosequitur serm. 1. de S. Andrea. Quod enim *stagnum* ibi nominat, idem est ac *viuarium*. Profecit ex Bernardo hanc rem Pintus, latè hanc analogiam prosecutus, hom. 29. in Ezech. Sunt igitur piscinæ Regis nostri, cœnobia.

582 Et quadrat sanè perbellè, (si penitiùs rem scrutamur) denominatio piscinæ, in religiosam domum qua concluſi tenentur Ascetæ. Sunt quidem omnes Christiani pisces, vt est apud Tertullianum lib. de Baptismo c. 1. quod confirmat Anastasius Sinaita 5. Hexaëm, quia piscis cum ex vento (vt ait,) & aqua generetur, symbolum est regenerationis Christiani. Eorum piscationem per Apostolos insigniter omnino exhibet Proclus initio homiliæ de S. Andrea. Ex his tamen piscibus aliqui, liberè perambulant semitas maris. Hos S. August. in psal. 8. & S. Greg. 11. moral. c. 2. interpretantur, scrutatores curiosos rerum abditarum, vel [qui inquirunt in profundo huius seculi, temporalia; quæ tanquam semitæ in mari, tam citò euanescunt & intereunt, quàm tursus aqua confunditur, postquàm transeuntibus locum dederit, vel nauibus, vel quibuscumque ambulantibus, aut natantibus. Non enim tantùm, *ambulant semitas maris*, sed *perambulant* dixit; ostendens pertinacissimum studium inania & præterfluentia requirentium.] Optimè tamen pisces maris, aut alioqui liberi, accipi possunt seculares, qui nullis astricti alienis legibus, libere exequuntur quæ volunt, & ire eis quò lubet licet; Et quamquam in hoc ordine possunt esse pisces habentes pennulas, & saltus super aquas dantes, qui immundi non erant; quia vt interpretatur S. Greg. 5. moral. cap. 6. sunt eorum symbolum, qui [in eo

quod imis deseruiunt, aliquando ad superna conscendere, mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum lateant, vt nulla eos amoris summi quasi liberi aëris aura contingat:] Tamen qui in piscina concluduntur, alieno arbitrio patent, longéque magis subsunt humanæ dispositioni. Quia ergo eodem proportione modo se habent ad Deum, qui rebus omnibus sæcularibus abdicatis concluduntur certis claustris propter Deum; aptè cum piscibus piscina concluſis, ipsáque cœnobia piscinis componuntur. Videsis quæ de Religiosorum & piscina analogia, habet creditus Athanasius q. 44. in scriptur. expendens illud, Luc. 24. *partem piscis assi.*

Celebrat Neptunias Istriæ piscinas, Cassiodorus lib. 12. Epist. 12. quæ tamen reuera piscinæ non erant, nisi quales describit lib. 9. Epist. 6. Baianas aquas, [& immissum Auerno stagneum mare, vbi ad voluptatem hominum, vita regitur ostreorum; industriáque mortalium fit, vt res alibi fortuita, ibi semper appareat copiosa. Quantis ibi molibus, marini termini decenter inuasi sunt quantis in visceribus æquoris, terra promota est? Dextra læuáque, greges piscium ludunt. Claudantur alibi industriosis parietibus copiosæ delitiæ, captiui tenantur æquatiles greges. Hìc vbique sub libertate viuaria sunt.] Piscinæ Christi quas memorabam veræ piscinæ sunt, vbi libertas euadendi & expatiandi adempta rationalibus piscibus. Quare nulla vtrarumque est idonea æquatio.

### *Pecora campi, in Ecclesia.*

583 Pecuaria & armenta, oues inquam & boues, ac pecora campi, locum suum habent in regno Christi. S. Gregorius 16. Moral. cap. 22. imperitos vult *Gregum* nominibus designari; & probat ex Cant. 1. vbi sponsa se ignorans, amandatur post vestigia gregum: per boues verò, aut asinos validos, operari os intelligit, siue corporali exercitationi addictos, tanquam Issachares, recubantes inter medios terminos, & supponentes humeros suos ad portandum: siue disseminando Dei verbo; Et spiritualibus ministeriis addictos, quos confert cum bobus. Non multùm quoad boues spirituales dissidet S. Augustinus in psalm. 8. qui sanctos Dei ministros, eo nomine designatos arbitratur, vt nomine *ouium* pios laicos. *Ouis* enim, innocentiæ symbolum est. [Pecora verò campi, addit in psal. illum 8. S. Augustinus, congruentissimè accipiuntur homines, in carnis voluptate gaudentes, vbi nihil arduum, nihil laboriosum ascendunt. Campus est enim etiam lata via, quæ ducit ad interitum, & in campo Abel occiditur. Quarè metuendum est, ne quisque descendens de montibus iustitiæ Dei, (*Iustitia enim*, (inquit,) *tua velut montes Dei*) latitudines & facilitates voluptatis carnalis eligens, à Diabolo trucidetur.]

Continet hæc omnia domus Christi, Ecclesia, vt concludit ibidem S. Augustinus, donec oues ab hœdis segregentur, & in caulas varias secernantur; oues ad vitæ æternæ domicilium; hœdi & pecora campi in infernum, vbi sicut oues ponentur, morte, (infaustissimo vtique pastore seu Satana,) pascente vt Dauid psallit. Interim tamen dum hìc permistim degunt greges, omni prouidentia, & bobus, & ouibus & campi pecoribus prouisum vult, siue ad pabulum, siue ad turelam. Quæ res produci late posset. Sed quod de pastoris titulo inferiùs sit agendum, nunc eam cogitationem non expando; contentus obiter indicasse, diuina quilia, & pecuaria, ac armenta; ad insinuandas diuitias Regis nostri, his symbolis quibus Regum olim plurimorum diuitiæ continebantur. Vere multo magis de Christo Rege, quàm de Abrahamo, ac Iobo, aliisque Regulis dicitur, quod habuerit substantiam multam nimis, in armentis, & gregibus; cum omnes planè, quotquot sunt creaturæ rationales, sint populus eius, & oues pascuæ eius.

### *Vsus doctrinæ de Christo, Rege Gloriæ.*

584 Expressi omni ex parte Regem gloriæ Christum, euicíque manifestè, quocumque tandem modo Reges terræ aliquando glotioli sint visi, infinitis partibus gloriosiorem esse gloriæ Regem, Dominum Iesum. Nunc opportuna huic capiti clausula, adhibenda est, ex Nyssæno libro de perfecta Christiani hominis forma. [Nullius rei vilis, vult esse Dominus, is qui gloriæ Dominus est. Quisquis igitur in lumine tum abscondito, tum manifesto, abhorret ab omni turpitudine & vanitate, etim qui gloriæ non ignominiæ Dominus est, sibi principem constituit.] Quæ verò mentis abalienatio agit innumeros mortales, vt abiecto Rege gloriæ, immensam suis reponente gloriam, truculentissimo Tyranno, sola rependendi supplicia, per summos conscientiæ angores seruitia præeligant? Stupet ad id S. Chrysostomus hom. 4. in ad Ephes. Et ipse Satan id Christo obiicit iactabundus apud S. Cyprianum lib. de Eleemosina *sub finem*. Ne igitur seriò sapiamus, Regi gloriæ subiici præeligamus. Regis huius seruili, imo Tyranni crudelissimi, dominatui ne subdamur. Eius imagines apud nos esse, ne patiamur. Egregiè Origenes hom. 2. in psal. 38. ad illud. *Veruntamen in imagine pertransit homo*, hoc monitum sic tradit. [Multi in hoc mundo, propter imagines malorum Regum, immò potiùs Tyrannorum perierunt pro hoc tantummodò, quod tyrannicæ apud eos imagines deprehensæ sunt: & hoc solùm eis sufficit ad crimen. Perscrutetur ergo nunc se vnusquisque vestrum, & cordis sui arcana recenseat; ac diligenter inquirat, quas ibi imagines gerat. Si inuentus fueris habere ibi formas Diaboli, & imaginem Satanæ, quod tibi erit vitæ refugium? Quis miserebitur tui, cum de intimo conclaui cordis tui, tyrannica imago proferetur? Sin autem vis vt per species tibi huiusmodi imagines designem, audi. Ira imago tyrannica est, auaritia, dolus, superbia, tumor gloriæ secularis, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia. Quas si non citiùs abieceris de domo tua, si non detraxeris, & abraseris à sensibus tuis, omnem fucum pessimæ huius picturæ, & omne figmentum venenati coloris absterseris ipsæ te imagines perire facient.]

CAP.

# CAPVT VI.

## *Christus Princeps Pacis.*

CVM regno gloriæ hactenus expositio, nexus est principatus pacis: Tum quia vterque titulus supremam Christi potestatem præfert; Tum quia, vt videbimus, pax cuius Christus Princeps dicitur, eodem ex parte collineat quo gloria, de cuius regno proximè egimus.

### *Christus an Princeps pacis, ob sublata odia.*

585 Denominatus est Christus, *Princeps pacis*, ab Isaia c. 9. Et quamuis tota Trinitas dici possit *pax nostra* & *pacis nostræ princeps*, tamen saltem per appropriationem, (vt pleraque essentialia omnibus personis communia) huic personæ attribuitur is titulus. Esto, in rigore valere possit quod benè ait, nec tamen nisi Grammaticaliter probat Adamus Persennas serm. 1. de pane Virg. cum sic scribit. [Pax non incongruè Trinitas dicitur, quia hoc nomen *Pax*, constat ex tribus literis, sicut Diuinitas est in tribus personis. Et huius quidem ominis prima litera P. Patrem notat. Quæ sequitur, Filium qui in Apocalypsi loquitur, *Ego sum α & ω principium & finis.* Et in Euangelio *Ego principium qui & loquor vobis.* α enim principium interpretatur. X. duplex consonans, significat Spiritum sanctum, qui est connexio & consonantia amborum.] Addit alia vt monstret Spiritum sanctum aptè eo duplici elemento literario designari. Sit igitur tota Trinitas, pax nostra. Appropriatè tamen verbum carni nostræ iunctum, *pax* dicitur iuxta Michæam c. 5. nempe causaliter, quod idem est, atque autor pacis velut cum Isaia dicebam, *princeps pacis.* Quæ denominatio referri inprimis potest ad Christum, vt auctorem pacis per abolitionem odiorum, & conciliationem nostri cum Deo & Angelis, aliisque hominibus. Qua ratione, Christus *pax* dicitur ab Apostolo Ephes. 2. Et vt cæteras inimicitias præteream, incredibile est quantis odiis vniuersus orbis flagrarit ante Christum. Paucis rem complexus est Eusebius orat. de laudibus Constantini *post medium.* [Gentes (inquit) totius orbis terrarum, tam græcæ, quàm barbaræ, velut vi & potestate Dæmoniaca ad furorem incitatæ, graui & acerbo seditionis morbo conflictatæ fuerunt: adeò vt nusquam humanum genus vel societatem coire, vel ad concordiam reduci posset. Quippè hic illicque ingens totius humanæ naturæ quasi corpus membratim distractum, homines ab hominibus discordia in singulis terræ angulis disiuncti ob varias legum & rerumpublicarum formas inter ipsos ad dissensionem inflammati: quin etiam immanitate efferati crebris inter ipsos seditionibus exarserunt: sic vt perpetuo per totum vitæ spatium mutuas pugnas & bella exercerent: Neque cuiquam integrum ac tutum esset iter aliquo suscipere, nisi armis, sicut inter hostes, euenire solet, se firmè obtexisset. Nam agricolæ in agris & vicis, gladiis cincti incedere, & arma potius quibus munirent sese, quàm instrumenta quibus terram colerent, possidere consueuerunt: Præterea prædas agere, & vicinos subiugare, virtutis loco ducere.]

Has turbas & pacis exterminia, Christus princeps pacis sustulit, pace terris illata, vt in eius exortu cantarunt Angeli. Id quod idem Eusebius sub finem prædictæ orationis egregiè expressit, his verbis. [Illud certè ab eis qui mentem ad studium veritatis adiecerint, non autem vt rebus honestis inuideant, illustre miraculum existimabitur. Nam solùm Dæmonum versutia refutata & repressa est, verum etiam inimicitiæ & pugnæ quæ inter gentes à multis seculis exercebantur prorsus restinctæ. Et rursus tum vnus Deus, & vna eius cognitio omnibus prædicata, tum vnum imperium inter homines stabilitum, tum denique vniuersum humanum genus ad pacem & concordiam traductum: adeò vt omnes inter ipsos, se fratres esse fererentur, suámque ipsorum naturam mutuò agnoscerent. Etenim tanquam liberi ex vno patre, hoc est ex vno Deo; & ex vna matre, hoc est ex vera pietate sati, statim pacem inter se amplexati sunt, retinuerúntque, vt ex illo tempore, orbis terrarum vniuersus, nihil à familia & cognatione optimis legibus & institutis temperata, differret: atque adeò liceret cuique pro arbitratu itet passim facere, & quò libitum erat animo suo, absque difficultate & periculo migrare: & tum eos qui ad Occidentem habitabant, turò indè ad Orientem contendere: tum contra, eos qui versùs Orientem accolebant, inde ad Occidentem, tanquam ad patriam suam proficisci; ità vt cum alia veterum oraculorum responsa, Prophetarum, vaticinationes ferè infinitæ, ad quas hoc loco recensendas non satis supperit otij; tum istæ vel maximè de salutari Dei verbo, expletæ sint. quæ sic de illo prædicant; *Dominabitur à mari vsque ad terminos orbis terrarum.* Et rursus; *oriatur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Et iterum; *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Ista quidem sicut olim prædicabantur de Seruatore, & Hebræorum vocibus ante multa secula prædicabantur; sic nostris iam temporibus, re ipsa expleta cernuntur, veterúmque vaticiniorum testimonia confirmant.] Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma, inde etuit sapientissimam monitionem, ad pacem nobiscum & cum proximis studiosè retinendam.

### *An Princeps pacis, quia Rex Iustitiæ.*

586 Referri item potest nomen *principis pacis*, ad aliam notionem quam probauit Nyssenus inferiùs eodem libro. [Qui voces diuinas (inquit) ad propriam vtilitatem excipiunt, eodem modo animis afficiantur, cum iustitiæ pacísque regem nominari Christum intelligent. Etenim qui ex precandi disciplina obsecrat, vt in se ipsum veniat regnum Domini, cùm enim qui vere est Rex iustitiæ & pacis, Regem esse cognouerit, iustitiam prorsus & pacem in propria vita complectetur, vt in se Rex iustitiæ & pacis regnet. Quod si huius Regis exercitum

virtutes faciunt, ( nam iustitia & pace arbitror virtutes omnes intelligi,)qui Dei militiam deserens,se tanquam malitiæ inuentoris militem, abiecto iustitiæ thorace,& omni armatura pacifica,in acie aduersariorum constituet,quomodò hic à veritate alienus,sub iustitiæ Rege collocabitur ? eius enim armaturæ insigne , planè Regé ipsius indicabit,quippe qui viuédi ratione tanquam impressa armis imagine,ducem ostendat suum. Quare beatus ille qui in diuina militia constitutus est, & ordinibus eorum,qui in millibus millium numerantur , adscriptas , & contra malitiam virtutibus armatus,quæ in eo, qui ipsas induerit , imaginem Regis demonstrant.] Vides, à Nysseno pacis principem ; pro virtutum omnium principe, accipi. *Pacem* pro Iustitia vniuersali,in Scripturis,& vsu Ecclesiæ in crebertima pacis petitione per tempus liturgiæ, vsurpari,docet Cabasilas in liturgiæ explicatione c.12.

### *Vera notio Principis pacis, ex inuecta felicitate,sublatis bellis.*

His notionibus *Principis pacis* , hic insistendum non est , quia hic prosequimur ea Christi Regis decora , quæ in eum à patris regno suo bonis refunduntur , quorum tractata iam sunt nonnulla,& exhibendum supereſt quod à conciliata regno fœlicitate , ducitur. E propositis autem notionibus, prior eadem est cum notione *mediatoris* , inferiùs tractanda , vbi de Christo pace nostra diligenter. Posterior aurem eadem est cum spuria illa ( quantum quidem ad Scripturarum vsum attinet , ) notione *Regis virtutum*,ducta ex complexione virtutum omnium,de quo titulo dictum quantum satis cap. 3. Quare Christum *pacis Principem*,seu *Regem pacis*, (allusione ad Salomonem facta, qui *Rex pacificus* vel *Princeps pacis* dictus est,) appellamus ab vberitate fœlicitatis quam suo Ecclesiæ regno conciliauit. Frequentissimum namque est , vt in Scripturis , nomen *pacis* fœlicitatem sonet. Sic Dauid zelasse se ait super iniquos cum pacem peccatorum videret:ideſt fœlicitatem & rerum omnium copiam. Ita ferre videtur series psalmi;etiamsi non me latet, Nysseno oratione in suam ordinat. *sub medium* , visum esse,displicuisse Dauidi bonorum dissidia,in tanta malorum ad mala consensione & pace, quam Diuus quoque Augustinus notauit 19. ciuitatis cap.12.& Nazianzenus orat.14. num. 3.Sed verus Dauidis loco proposito scopus , is est quem dixi. Alibi idem Dauid,eo ipso sensu, optat fieri pacem in virtute , seu intra muros Hierusalem. Et quæ sit ea pax,declarat , subdens , esse abundantiam intra turres & ambitum eius. Similiter Isaias cap.32.opus Iustitiæ, denuntiat fore pacem;ideſt fœlicitatem omnimodam : & populum Dei sessurum ait in pulchritudine pacis , & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.Et hac ipsa ratione,Salomoni nomen *Salomonis* ideſt Regis pacifici, & Principis pacis fuisse tributum, notauit rectè Abulensis 2.Regum cap. 12.quæst. 26. Neque tamen ab ea notione Principis pacis , excludimus externorum bellorum sub tanto Principe remotionem;Imò maximè confirmamus. Nam quæ posset esse fœlicitas , bello pressis ; cum tam verum quàm *protritum* sit illud Poëtæ, *nulla salus bello* ? Fœlicitas quoque regnorum, maximè ex hoc fonte deriuatur , vt differit Pilemon apud Stobæum serm. 55. Et idcirco vt Salomon verè diceretur,eíséque Princeps pacis, altissima pax regnum eius tenuit. Quod ferunt illa ipsiusmet Salomonis ad Hiramum Tyri Regem 3. Regum 4. *requiem dedit mihi Dominus Deus per circuitum , & non est Satan neque occursus malus.* Ex vtraque igitur illa pace,quæ scilicet continetur & exclusione bellorum populos Dei infestantium , & fœlicitate, silentium illud,(vt Esaias loquitur )consequente , compingenda est integra notio Principis pacis.

### *Nobisne iam nunc Christus, Princeps pacis, per tot bella ?*

587 Hinc factum est , vt nonnulli , Christum quamdiu in hac vita sumus , negauerint esse Principem pacis:sed id voluerint referendum esse ad statum regni cœlestis , in quo pax erit, & Dominus fines Hierusalem pacem ponet. Hìc autem bellis continuis atterimur, & infœlicissimè degimus.Nam &à Satana perpetuò impetimur ; & vt Satanas inducias aliquando concederet , nos ipsi nobismetipsis infesti , iuge bellum aduersùs nos gerimus Concupiscentiæ enim nostræ militant in membris nostris. Potest autem concupiscentia , regno hìc prohiberi, non tolli:idque apertè velle Apostolum , quem dixit *non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, probat. S. Bernardus serm.6.de Aduentu.[Siquidem alio in loco ait, idem Apostolus, *scio* ; (inquit ) *quod non est in me bonum hoc est in carne mea*:Et alibi; *Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huius* ? Sciebat nimirum non prius liberandum se esse à pessima illa radice quæ carni insita est , à lege peccati quæ est in membris nostris, donec & ab ipso corpore solueretur. Vnde & cupiebat dissolui , & cum Christo esse , sciens quod peccatum separans inter nos & Deum, penitus auferri non poterit , donec liberemur à corpore. Audistis de quodam quem Dominus curauit à Dæmonio,quoniam collidens & multùm discerpens eum , Dæmon exiuit ab illo. Itaque dico vobis , genus illud peccati quod toties conturbat nos, ( concupiscentias loquor & desideria mala , ) reprimi quidem debet & potest per gratiam Dei , vt non regnet in nobis , nec demus membra nostra arma iniquitatis peccato, & sic nulla damnatio est his qui sunt in Christo Iesu : sed non eiicitur nisi in morte, quando sic discerpimur vt anima separetur à corpore.]

At ex superstite concupiscentia,bella & lites in nobis. Quod pulcherrimè de inuido in seipsum bellante , déque auaro prosequitur S. Chrysostomus in psal.4.ad illud, *in pace in idipsum*. Idque agnouisse Simeonem,cum professus est se tandem in pace dimitti, tradit S. Cyprianus lib. de mortalit. *ferè initio.* [Probans scilicet atque contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam , tunc tranquillam quietem , quàndo de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus; quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax. illa fida tranquillitas , illa stabilis & firma, & perpetua securitas.

securitas. Cæterum quid aliud in mundo, quàm pugna aduersùs Diabolum quotidie geritur? quàm aduersus iacula eius & tela conflictationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est: Cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique Diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio compressa est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet: Compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hîc inter Diaboli gladios diu stare? Cùm magis concupiscendum sit & optandum, ad Christum, subueniente velociùs morte properare.]

588 S. Augustinus egregiè in psal. 84. tractans illud, *Loquetur pacem in plebem suam*, ait, [Vox ergo Christi, vox ergo Dei pax est, ad pacem vocat. Eia dicit, quicumque nondum estis in pace, amate pacem. Quid enim vobis melius de me inuenire potestis, quàm pacem? Pax quid est? vbi nullum bellum est. Quid est vbi nullum bellum est? vbi nulla contradictio, vbi nihil resistit, nihil aduersum est. Videte si iam ibi sumus, videte si iam non est conflictus cum Diabolo, videte si non omnes sancti & fideles cum principe Dæmoniorum luctantur, cum concupiscentiis suis, quibus illæ suggerit peccata; & non consentiendo quod suggerit, & si non vincunt, tamen pugnant. Nondum est ergo pax, vbi pugna est. Aut date mihi hominem, qui nihil tentationis patitur in carne sua, & possit mihi dicere, quia iam pax est. Nihil quidem tentationis forte patitur in illicitis voluptatibus, saltem suggestiones ipsas patitur vel suggeritur illi quod respuit, vel delectat vnde contineat. Sed ecce iam nihil delectat illicitum, vel contra famem & sitim pugnat quotidie. Quis enim iustus, hinc alienus? Pugnat ergo quotidie fames & sitis, pugnat contra nos lassitudo carnis, pugnat delectatio somni, pugnat oppressio. Vigilare volumus, dormitamus; ieiunare volumus, esurimus & sitimus; stare volumus, defatigamur; quærimus sedere, si & hoc diu facimus, deficimus. Quicquid nobis prouiderimus ad refectionem, illic rursus inueniemus defectionem. Esuris, dicit tibi aliquis: Respondes, esurio. Ponit ante te cibum; ad refectionem posuerat; perseuera in eo quod posuit. Certè reficere te valebas, hoc age semper: hoc agendo in eo quod adhibueras ad refectionem, ibi inuenies lassitudinem. Multum sedendo fatigatus eras, surgis, deambulando lassans, sedere iterum quæris: inueni aliquid mihi vnde te reficias, vbi si perseueraueris iterum non deficias? Qualis est ergo ista pax, quam hîc habent homines tantis resistentibus molestiis, cupiditatibus, indigentiis, lassitudinibus? Non est ista vera, non est perfecta pax.]

Petrus item Damiani opusc. 73. part. 1. dub. 10. hac ex causa affirmat, Salomonis regnum non habere analogiam cum præsenti regno Christi, sed cum futuro. Sic autem ratiocinatur. [Sciendum est, quia per regnum Dauid, qui tot persecutionibus, & ærumnis attritus, tot aduersitatibus, & inopiis, cum suis commilitonibus est afflictus, hoc præsens sæculum designatur, in quo cum suis membris Christus affligitur, multisque tribulationibus Ecclesia laceratur. Regnum verò Salomonis, qui diuitiis, & gloria cuncta regalium dignitatum iura transcendit, omnia principalis imperij fastigia superauit, futuræ vitæ denunciat gloriam, in qua Christus verè pacificus, externa cum suis quiete perfruitur, ac cœlestis conuiuij dapibus solemniter epulatur. Vnus igitur idémque Redemptor noster, & nunc Dauid est, & tunc Salomon erit, quia & modò tanquam manu fortis, per membra sua contra Diabolum pugnare non desinit; & tunc sopita prorsus omni carnis & spiritus controuersia, cum corpore suo quod est Ecclesia, vt reuera pacificus, æterna tranquillitate regnabit. Nunc in electis suis quasi Dauid calamitatum fascibus premitur, per cutionum, ac diuersis aduersitatum pressuris vrgetur, tribulationibus & ærumnis atteritur: postmodùm tanquam Salomon, exuberanti diuitiarum immortalium copia potietur. Nunc Dauid à facie Absalon fugiens, decem Concubinas, in domo relinquit, quas Absalon per incestum turpiter fœdat: quia redemptor noster dum electus de Ciuitate Iudaica in desertum gentium properat, relinquit in domo legis, Iudæos, non viriliter incedentes, sed muliebri conuersatione viuentes.] Et hinc rationem petit idem Damiani, cur Salomon vltus sit in Ioabum & Semei, eósque neci dederit, quamuis pacificus: quia Christus iam regnans, vlciscetur in æternum hostes Patris, quos hîc toleratat paterna clementia. Regnum igitur Christi in hoc sæculo, respondet regno Dauidis impacato atque turbato.

589 Spectat ad hunc locum longa disputatio Gilberti Tornacensis in opere de pace à c. 19. late prosequentis, non esse in terra pacem. Imo ipse Christus professus est, se non venisse pacem mittere sed gladium: *diuidit enim duos in tres, & tres in duos*, vt elicitur Lucæ 12. Idest, animam & corpus dissidio dissidere facit, & tres animæ facultates ad inuicem, vt exponit ibi S. Ambrosius, hâncque esse addit eiurationem prolis nefariæ, per animam ad se reuenientem, & bella incentore Christo serentem cum corpore. [Hinc peccatum manasse proditur, tanquam corpore animáque genitoribus, dum corporis natura tentatur, anima male sana comparitur. Quæ si appetentiam corporis refrænasset, in ipso hortu esset extincta origo peccati, quam velut vitili infusam corporis motu, male fœta anima, etiam sui vigore corrupto, alienis grauis oneribus parturiuit. Etenim ille valentior & fortior sexus, quodam valido impetu velut virilis fertur affectus; hæc molliorem quàm vehementiorem studet tenere rationem. Ex his itaque diuersarum cupiditatum motus inoleuit. Sed vbi in se anima redit, deformis partus pudore conuenta, degeneres abiurat hæredes, abdicans motus, exosa peccatum. Caro quoque grauium laborum defœnerata sorte, & vsura iniuriæ miserabilis fatigata, vbi se cupiditatibus suis quas sibi ipsa generauit, tanquam sentibus mundi doluit esse confixam, veterem hominem festinat exuere;

vt

vt se sibi auferat, nè improuidam parentem, successio peritura destituat. Rursus cupiditatum irrationabilis motus, quasi cuiusdam formæ decore fucato, voluptatis lenociniis illectans, eam sibi tanquam in vsum societatis asciuit. Ita velut quædam corporis, atque animæ nurus voluptas, motui prauæ cupiditatis innubit. Ergo quamdiu mansit, in vna domo, conspirantibus vitiis indiuidua inseparabilisque consensio, nulla videbatur esse diuisio. Vbi verò Christus ignem quo delicta cordis exureret, vel gladium qui significat exertæ aciem potestatis, quo spiritus medullarúmque secreta penetrantur, misit in terras, tunc cato atque anima regenerationis innouata mysteriis, oblita quod erat, incipit esse quod non erat; ac se à veteris vitij, quamuis sibi ante dilecti Societate secernit, & quasi prodigæ copulam posteritatis eliminat, vt diuidantur parentes in filios, dum intemperans motus temperantia corporis abdicatur, & anima declinat consortium culpæ, nec extrariæ illi & foris sumptæ locus remanet voluptati.] Quomodò ergo hìc Christus Princeps pacis, in tanta bellorum per ipsum excitatorum vbertate, apertáque ipsiusmet contestatione quod venerit diuidere & pacem tollere?

### *Vendicatur Christo, iam nunc pacis Principatus; etiam penes belli exclusionem. Pax multiplex.*

590 Nihilominùs esse Christum iam ex hac vita nostra, Salomonem & Principem pacis, conformius est Isaiæ, qui Christo ex quo natus est, tribuit gloriosum illum titulum. Nec est operosum, & bellorum hìc exclusionem aliquam, & fœlicitatis iam ex hac vita in Christi populo participationem monstrare, vnde Christum liceat iam nunc denominare pacis Principem. Ac primùm quod ad pacem pro certaminum exclusione sumptam attinet, consideranda est prostratio inimicorum nostrorum per Christum facta. Eosdem enim Christus hostes debellauit, quos infestos habebamus, iisque sublatis, pacem orbi intulit. Eam in rem S. Chrysostomus in psal. 2. pentadem Regum Christo aduersatam proponit; quorum duo visibiles, Herodes prior, qui pater Archilai, & posterior qui Christo sub mortem insultauit; tres autem inuisibiles, qui non vni personæ Christi, sed nobis primùm, nec illi nisi propter nos infensi erant: nempe Diabolus, mors, & peccatum. Nam Diabolo nomen *Regis super omnes filios superbiæ*, tribuunt Scripturæ: Et desolandum fore regnum eius si diuideretur, Christus ipse est contestatus. Morti quoque Apostolus Roman. 5. Regnum adscripsit, dicens, *regnauit mors ab Adam vsque ad Mosem*. Rursúsque de peccati regno, idem Apostolus testis est locuples, cum adhortatur *vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore*. Hi ergo Reges terræ, iuxta S. Chrysostomum astiterunt aduersùs Dominum & aduersus Christum eius, nostræ salutis negotiatorem & procuratorem indefessum. Sed ab eo subacti atque contriti sunt, de quo particulatim infrà, cum de Christo bellatore atque victore. Sicque nobis pax restituta est per Christum Dominum, rerè quoad nos, principem pacis.

Bello contritis per Christum hostibus; vt pateat, quomodò pax sit per eum inducta, (est enim pax belli pretium, vt scitè dixit Themistius orat. 10. & fusè S. Augustin. 19. ciuitatis cap. 12.) adhibenda est distinctio Richardi Tract. de gemino Paschate *in fine*, multiplicem pacem sic secernentis. [Curramus itaque per pacem ad pacem, per pacem internam ad pacem æternam. Nam est pax quæ est tantùm exteriùs, & est pax quæ est tantùm interiùs, & est pax quæ est simul interiùs, & exteriùs. Prima pertinet ad solã carnem, secunda ad solam mentem, tertia ad mentẽ simul & carnẽ. Primam & secundã in hac vita, numquam tamen simul habere possumus, quas semper in moribus disparibus seorsum videmus. Tertiam in futura tantùm vita speramus, vnde & æternam nominauimus. Primam venit Christus destruere, secundam statuere, tertiam dare, sed in futurum tamen reseruare. De prima dicit; *Non veni mittere pacem in terra, sed gladium*: De secunda & tertia, illud intelligimus, quod & iam supra posuimus; *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis*.]

### *Nostra per Christum pax, iam ex hac vita.*

591 Ex hac multiplicis pacis distinctione, liquet cuius pacis in hac vita conferendæ Princeps sit Christus, & cuius in alia. Nam pacem internam, illam inquam pacem Dei, internam qualem Apostolus iam ex hac vita appetebatur fidelibus, dandum est, posse in hac vita beneficio Christi obtingere. [Perfecta virtus, (ait sanctus Ambrosius libro 2. de Iacob capite 6.) habet quietis tranquillitatem & stabilitatem. Ideò Dominus donum eius perfectionibus reseruauit dicens; *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Perfectorum est enim non facilè mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari suspitione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore rutissimo aduersùm insurgentes fluctus seculorum procellarum, mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus inuexit pacem internam inuehens animis probatorum, vt non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus. Hanc pacem, super omnem mentem esse, Apostolus Doctor asseruit, dicens, *Et pax Dei quæ exuperat omnem mentem, custodiat corda vestra, & sensus in Christo Iesu*. Fructus itaque pacis est, non perturbari in pectore. Denique vita iusti quieta est, iniustus autem inquietudinis, & perturbationis plenus est. Itaque ampliùs suis suspicionibus affligitur impius, quàm alienis plerique verberibus: maroréque vibices vulnerum in eius animo sunt, quàm in eorum corpore, qui ab aliis verberantur].

Splendidè planè ac fusè id confirmat S. Chrysostomus in psal. 4. ad illud, *in pace in idipsum*. Refero partem. [Vide non paruam speciem prouidentiæ, quòd pace fruantur qui sunt Deo dedicati. Pax est enim iis qui legem tuam diligunt, & non est ipsis offendiculum. Nihil enim æquè solet pacem facere, ac Dei cognitio & virtutis possessio, quæ animi perturbationem, internum bellum, domo proculcat eiicit, nec permittit vt homo cum se ipso seditiones agitet.

agitet. Sanè si hac pace non fruatur, etiamsi sit extrinsecùs summa pax, etiamsi nullus eũ hostis inuadat, est omniũ qui viuũt in terra miserrimus. Neque enim Scythæ, nec Thraces, nec Sarmatæ, nec Indi, nec Mauri, nec quæcumque sunt feræ gentes, tam atrox bellum gerunt, quàm improba ac nefaria cogitatio quæ versatur in penetralibus animi, & quæ non castigatur intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens desiderium, & in res quæ ad hanc vitam pertinent affectio. Et meritò. Illud enim est bellum externum; hoc verò est internum prælium. Quod autem quæ intùs nascuntur sunt iis quæ extrinsecùs inuadunt grauiora, & interitum magis creent, hoc licet videre in omnibus. Etenim & ligni naturam, vermis qui est intùs magis corrumpit: & vires & sanitatem corporis, morbi qui intus procreantur, plus lædunt, quàm qui extrinsecùs adueniunt; & ciuitates, non tam externi, quàm interni, & qui sunt eiusdem generis hostes perdunt. Ità etiam animæ, non tam externæ quæ in eam inuadunt machinationes, quàm quæ intus oriuntur ægritudines, perniciem afferunt. Sed si quis timorem Dei habens, hoc bellum perfectè sedauerit, & perturbationes animi composuerit, & varias illas improbarum cogitationum belluas suffocans, non permiserit vt in antris delitescant, is purissima & altissima pace fruetur. Hanc pacem, Christus veniens largitus est. Hanc etiam Paulus precatus est fidelibus, dicens in singulis Epistolis, *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro.* ]

Subdit quàmplurima, vt probet non esse impijs pacem, eósque nullo licet impetente, secum ipsos perpetuò bellare; confligentibus inuicem velut in campo animæ variis affectibus, & perturbationibus, itavt miser homo, vix respirare queat (in quam rem benè quidem Bernard. serm. 6. de Ascens.) tum addit. [ At non is qui est liber ab eiusmodi perturbationibus, hoc modo affectus est: Sed in tranquillo portu sedet, se studijs sapientiæ voluptatibus explens, & nullam eiusmodi molestiam sustinens. Quocirca hac quoque prouidentia fruens Propheta dicebat, *in pace in id ipsum, dormiam & requiescam*, innuens quòd ei, qui hanc non habet pacem, ne communis quidem omnium portus est apertus, sed is quoque obstructus est; nempe quietis & noctis. Huiusmodi enim perturbationes, etiam eam quæ à natura datur securitatem profligant, alia grauiori tyrannide somni tyrannidem omnino deturbantes. Inuidi enim, auari & raptores, hoc bellum vndiquaque circumferentes, & intùs sedentes inimicos habentes, quocumque recesserint, pugnam non possunt effugere. Sed & si domi maneant, & si in lecto iaceant, telorum nubes, & tumultus vndis violentiores, cædes & vociferationes, querelas & eiulationes, & alia multo iis quæ inter hostes accedunt, grauiora sustinent. At non sic iustus, sed & vigilans delectatione fruitur, & nocturno tempore cum magna voluptate somnum capit. ] Hac ex causa, Christus interprete Origene hom. 13. in Ezech. dictus est ab Esaia *Fluuius pacis, declinandus in populum Dei*, Ab Apostolo autem, (vt notat S. Bernardus serm. 27. in Cant.) dictus est, non *pacificus* sed *pax nostra*. Sed & apud Michæam c. 5. de Christo dicitur, *& erit iste pax.*

592 Hæc igitur est iustorum per Christum



pax, quam non temerant internæ rebellantium quandoque affectuum seditiones, cum sit in hominis diuinitùs adiuti & Christi gratia roborati facultate, eas comprimere, sicque æternæ vndecumque altissimæ paci, in altera vita obuenturæ proludere. Motus autem qui tam facilè sectatur, vix est cur nomine *belli* donetur. Is sanè non possit iure dici sustinere bellum, qui potest cum libitum fuerit, pacem inducere, & ad cuius nutum, belli motus tranquillari & residere sit necesse. At hoc habet vnusquisque cum Dei gratia. Quo pacto condiendum est quod ait suprà S. Ambrosius, agens de interna pace, quam per Christum inuecta & dixerat. [ Foris pax aut Imperatoris solicita prouidentia, aut manu militum quæritur, aut bellorum prospero cedit euentu, aut internecione aliqua barbarorum, si in se hostili motu arma conuertunt. In ea pace nulla nostra virtus, sed euentus est. Certè gloria pacis illius ad Imperatorem refertur; istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus. ]

Tradit luculenter, omnem propositam doctrinam Richardus Victorinus, de statu interioris hominis c. 16. Tractans animæ Regnum quod hic homini per Christum redditur. [ Quotidie, (inquit,) Crescit ad bonum, quotidie roboratur contra malum. Crescit ad bonum, ita vt iam in potestate consistens, & habens sub se milites, possit dicere huic, *Vade, & vadit. & alij, veni & venit, & seruo suo, fac hoc, & facit.* Roboratur & æquè contra malum; ita vt iam non regnet peccatum in hoc mortali corpore. Sæpè autem à Deo, vt iam sibi illud dictum credat. *Absque imperio tuo non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.* Et quantum hoc esse putamus, omnes rebelles animæ motus posse reprimere, & ab actu cohibere, quamuis nec dum possit omnes perfectè delere, & regnum suum ad plenam pacem reformare? Quamuis itaque non possit omnes pacis aduersarios extinguere, nec omnium manus, vel pedes truncare, magnum tamen erit, si nulli liceat siue eius imperio manum, vel pedem mouere. Et potest qui huiusmodi est, veraciter psallere; *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Itaque liber ille arbitrij consensus, totius terræ, tot cogitationum, tot affectionum, appetituum, sensuum, Imperator & Dominus, non potest interim omnia scandala de regno suo auferre, nec plenam perpetuámque pacem poterit formare. Sed cum venerit quod perfectum est, & euacuabitur quod ex parte est, cum nouissima destruetur mors in victoriam, tunc proculdubio supra modum multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Tunc demum dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. *In diebus illis saluabitur Iuda & Israël habitabit confidenter, eo quod non sit qui exterreat.*

### *Pax per omnimodam belli exclusionem, alterius vitæ propria.*

593 Hoc est quod secundo loco, ad extricandã difficultatem propositam, ex data superiùs ab eodem Richardo distinctione, obseruandum est; nempè pacem plenam & absolutam omnibus numeris, per totale excidium hostium præ-

dictorum, & omnimodam bellorum exclusionem, à Christo (vt Richardus aiebat,) in alteram vitam seruari: atque adeò Christum non esse pacis Principem, ratione huiusmodi pacis in hac vita collocatæ; sed conferendæ per eum post huius vitæ scamma. Ibi enim Deus tenetur qui *pax dici gaudet*, vt Nazianzenus orat. 12. num. 29. scitè ait. Vtique quia pace in se fruitur altissima, eámque transfundit in eos à quibus possidetur. Ibi cælestes virtutis, perfecti (vt ibidem habet Theologus,) radij luminis illius, quibus nihil tam proprium est, quàm pugnas & diffidia nescire. Ibi omnes filij Dei quia pacifici, summa pace redonati. Inde mors & peccatũ, & vtriusq; incentor, infestissimus pacis hostis Satanas exulat. Quod elegantissimè omninò expressit Nyssenus Tractatu priore in psalmos cap. 8. *sub finem*, tractans illud, *omnis iniquitas oppilabit os suum*. Sic enim eum locum interpretatur. [Quàm beata illa vita, in qua iniquitatis os quasi aliquis cœni fons, in perpetuum obstruetur non ampliùs tetro hoc odore vitam humanam contaminans. Hic est bonorum omnium vertex, & omnis spei caput, finis totius beatitudinis, nimirum vt natura ampliùs non turbetur à malitia; Sed vt omnis iniquitas procul ablegetur, quæ haud alia fuerit, quàm ipse iniquitatis repertor. Hoc enim collectiuum illud vocabulum, *omnis*, significat, obstruetur videlicet os illius, cuius vox initio, hominibus materiam mortis præbuit. Quando igitur sublatum fuerit omne illud quod bono aduersatur, tum nos suscipiet ille status quem nulla oratio explicare potest, qui & sensum & intelligentiam, in sacris literis superare dicitur.] Nimirum pax Dei exuperans omnem sensum, vt est apud Apostolum.

594 Ibi appetitus qui in hac vita impediri regno potest, ac debet, tolli tamen non potest, plenè subiacebit rationi. [Quia enim Deo quidem subdita (ait S. Augustinus 19. ciuit. cap. 22.) in hac tamen conditione mortali, & corpore corruptibili, quod aggranat animam, non perfectè vitiis ratio imperat; ideò necessaria est iustis talis oratio. Nam profectò quamquam imperetur, nequaquam sine conflictu vitiis imperatur, & vtique aliquid subrepit in hoc loco infirmitatis, etiam benè confligenti, siue hostibus talibus victis subditúsque dominanti: vnde si non facili operatione, certè labili locutione, aut volatili cogitatione peccetur. Et ideò quamdiù vitiis imperatur, plena pax non est: quia & illa quæ resistunt, periculoso debellantur prælio: & illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio.] Et mox, post expositam perpetuam hîc necessitatẽ gratiæ, ad resistendũ iugibus, tẽtationibus subdit. [Hîc Itaque in vnoquoq; iustitia est, vt obedienti Deus homini animus corpori, ratio autẽ vitiis etiam repugnãtibus imperet; vel subigendo, vel resistendo: atque vt ab ipso Deo petatur, & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de acceptis bonis, gratiarum actio persoluatur. In illa verò pace finali, quo referenda, & cuius adipiscendæ causa habenda est ista iustitia; quoniam sanatâ immortalitate atque incorruptione naturâ, vitia non habebit: nec vnicuique nostrum vel ab alio, vel à seipso, quicquam repugnabit; non opus erit vt ratio vitiis quæ nulla erunt imperet; Sed imperabit [illegible]is homini, animus corpori: tantáque obediendi ibi erit suauitas & facilitas, quanta viuendi regnandique felicitas; & hoc illic in omnibus hominibus; atque in singulis æternum erit, æternúmque esse certum erit. Et ideò pax beatitudinis huius vel beatitudo pacis huius, summum bonum erit.]

Egregiè item in psal. 84. ad illud, *loquetur pacem in plebem suam*, vbi sic in hanc rem disserit, post exclusam è terra pacem veram & perfectam. [Quæ erit perfecta pax? *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Tunc fiet sermo qui scriptus est, absorpta est mors in victoria. Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors contentio tua?* Vbi enim adhuc mortalitas, quomodò est plena pax? Etenim de morte venit lassitudo ista quam inuenimus in omnibus refectionibus nostris; de morte est, quia corpus mortale portamus, quod quidem mortuum dicit Apostolus, & ante animæ resolutionem. *Corpus quidem* (inquit,) *mortuum est propter peccatum*. Nam si perseueraueris in eo quo te reficis, etiam morieris. Perseuera in multùm manducando, ipsa res te interficiet: perseuera in multùm ieiunando, inde morieris. Sede semper vt nolis surgere: morieris inde. Vigila semper vt nolis dormire, morieris inde. Dormi semper, vt nolis vigilare, morieris inde. Quando autem absorpta fuerit mors in victoria, non erunt ista & erit pax plena & æterna. Erimus in quadam ciuitate fratres; quando de illa loquor finire nolo & maximè quando scandala crebescunt. Quis non desideret illam pacem, vnde amicus nõ exit, quò inimicus non intrat, vbi nullus tentator est, nullus seditiosus, nullus diuidens populum Dei, nullus fatigans Ecclesiam in ministerio Diaboli; quando ipse Princeps ipsorum mittitur in ignem æternum, & hi cum illo quicumque illi consentiunt, & recedere ab eo nolunt? Erit ergo pax purgata in filiis Dei omnibus amantibus, & se videntibus plenos Deo, cum erit Deus omnia in omnibus. Communem panem, spectaculum, habebimus Deum, communem possessionem, habebimus Deum; communem pacem habebimus Deum. Quicquid enim est quod modò nobis dat, ipse nobis erit pro omnibus quæ dat, ipse erit perfecta & plena pax. Hanc loquitur in plebem suam, hanc volebat audire ille qui ait, *audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos.*]

### *Extricata, quæ aduersùs principatum pacis penes sublata bella, iam nunc Christo vendicatum, opponebantur.*

595 Ex hoc quod nunc admitto, de plena & vndecumque absoluta pace solis beatis conferenda, euanescunt quæ superiùs opponebantur aduersùs principatum pacis, iam ex hoc sæculo assignatum Regi Christo. Potest enim iam nunc, etiam ex hoc capite exclusionis bellorum, dominari *Princeps pacis*, ob illam pacem cuius hæc vita capax est; quam suis hîc confert, vt arrham plenissimæ pacis in cuius multitudine suos delectabit, vt Psaltes dixit. Audiendus in hanc rem vniuersam S. Gregorius in psal. vltimum pœnit. ad illud, *Spiritus tuus bonus* [illegible] *deduxit*

*deducet me*, sic scribens. [Qui spiritu Dei illuminantur, in terram rectam deducentur. Ad quam quicunque deducitur, in multitudine pacis delectatur. Hanc pacis multitudinem, Dominus per Prophetam pollicetur dicens; *Dabo illis solatium verum, pacem super pacem.* Super pacem enim quam dilectis suis in hac vita tribuit, in æterna fœlicitate, aliam diuina miseratio dabit, vt iam caro non repugnet spiritui, nec aliqua vllius tentationis subrepat occasio, omnibus iam compositis: vt reformata in melius humana natura, nemo iam cadere, nemo possit peccare. Hæc est pax Christi, quam Apostolis ipse promisit, dicens; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* In quo notandum, quia cum bis eis suam pacem promisit, intelligamus, sanctos Dei quandam in hac vita pacem habere, sed veram perfectámque pacem ibi solummodò inuenturos, vbi eos iam nulla vana mouebit cogitatio, nulla turbabit illusio, cum eripuerit Deus animas eorum de morte, oculos eorum à lachrymis, pedes eorum à lapsu. Hanc pacem Christus solus habuit, quia solus inter mortuos liber, peccati aculeum in corde non sensit. Nos verò quamdiù corruptibili carne premimur, & corporis innectimur nodis, integræ illius perfectæque pacis ignari, vanè conturbamur, irrepentibus nobis terrenarum illecebris cupiditatum, & cogitationibus vanis quæ frequenter quasi facto agmine ex improuiso erumpentes mentem confundunt, atque aliò quàm proposuerimus animum trahunt. Non enim in potestate nostra est cor nostrum. Non ad Deum secundùm voluntatem nostram erigitur, deducitur ad ima, trahitur ad deuia. Si ergo in terram rectam cupimus ingredi, à Spiritu Dei bono, optemus deduci.

### *Princeps pacis Christus, ob illatam subditis fœlicitatem.*

596 Alterum caput penes quod Christum denominari pacis Principem affirmabam, & vbertas bonorum omnium, qua regni sui subditos ditat. Hæc est enim altera *pacis* notio, quam Christi Regis regno obuenturum Dauid psal. 1. prænuntiauit, eo nominatim versiculo. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Verbum *orietur*, si vox Hebræa accuratè reddatur, idem est ac *Germinabit.* Verè enim Christo nouo verè (vt suprà dicebamus,) adueniente è terra nostra, veluti perfusa cœlesti rore; Iustitia, idest virtutum omnium complexio, priùs per peccati hyemem à Diuo Chrysostomo hom. 7. in 2. ad Corinth. *in morali* perbellè repræsentatam, veluti emortua, exoriri & vireſcere super terram cœpit. Eóque spectabat, cœlos votis suis fatigans Isaias, dicens, *rorate cæli desuper & nubes pluent iustum*, veluti imbrem setotinum & percommodum, *Aperiatur terra*, tanquam verno tempore, *& germinet Saluatorem, & Iustitia oriatur simul.* Dauid alibi non dissimiliter vaticinatus Christi aduentum & habitationem gloriæ in terra nostra, addit misericordiam & veritatem obuiaturas sibi, Iustitiam item & pacem osculis satiandas: veritatem de terra exorituram, & iustitiam prospecturam de Cœlo. Adhibet enim præteritum tempus, pro futuro, ad insinuandam certitudinem euentus: quod est in Scriptura frequens, vt notant Tertull. l. 3. in Marcionem c. 5. & S. Augustinus in psal. 3. ad vers. 6. Et l. de agone Christiano cap. 27 ac fusè S. Chrysost. Tomo 5. Græcol. serm. in illud *Pater si possibile est*, Sumi autem in eo planè sensu, hoc loco, verbum præteritum, per se clarum est. Indicari autem defluxum omnium virtutum in terras, vnà cum Christo, docet Interpretum non nemo; etiamsi non sit respuendus alius præterea sensus, quo iustitiæ & misericordiæ consertio, in Christi productione, dicatur à Dauide prænuntiata. Sensum quem dixi, confirmat versiculus sequens, quo asseritur, Domino dante benignitatem, (Christum videlicet suum, qui est ipsa benignitas, & humanitas; vel benignitatem gratiæ Christi;) terram nostram fore fœcundandam, & fructus virtutum omnium emissuram: sícque iustitiam ambulaturam ante Christum, & summæ Regis rectitudini ac sanctitati, coniungendam fore sanctitatem ac Iustitiam populi, omniúmque in eo virtutum splendorem.

Nec abs re Melchisedec quem Apostolus Hebræorum 7. filio Dei assimilatum, eiúsque veram imaginem fuisse agnoscit, dictus est *Rex iustitiæ*; deinde autem & *Rex Salem*, quod est *Rex pacis.* Non modò quia sine patre quoad vnam generationem, & sine matre quoad aliam fuit Christus, & quia vterque Sacerdos incruenti sacrificij, ac ob alia quę Apostolus ibi in vtroque componit, & S. Fulgentius l. 3. ad Trasim c. 6. expendit. sed etiam quia vterque, & iustitiæ, & pacis Rex est. Hoc primum & præcipuum bonorum quæ regno suo inuehet Christus, & penes quod maximè *Princeps pacis* audire poterit. Nam vbi Iustitia (vtique vniuersalis, & omnium virtutum complexio;) vbi inquam iustitia deest, vt S. Augustinus disputat. 4. Ciuitatis c. 4. quid sunt regna nisi latrocinia? Copiosius etiam & grauiter in psal. 84. ad illud, *Iustitia & pax osculatæ sunt*, demonstrat nullibi pacem à iustitia vniuersali, siue à virtutum omnium complexione disiungi: vt proinde qui pacem, hoc est fœlicitatem & abundantiam bonorum, tranquillitati ac bellorum exclusioni nexam habere affectet, iustitiam vniuersalem consectetur necesse sit. [Fac iustitiam (inquit) & habebis pacem: vt osculentur se iustitia & pax, si enim non amaueris iustitiam, pacem non habebis; Amant enim se duo ista, iustitia & pax, & osculantur se; vt qui fecerit iustitiam, inueniat pacem osculantem iustitiam. Duæ amicæ sunt, tu fortè vnam vis, & alteram non facis. Nemo est enim qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines; Vultis pacem? vno ore tibi respondet totum genus humanum, opto, cupio, volo, amo; Ama & iustitiam quia duæ amicæ sunt iustitia & pax; Iustitia & pax ipsæ se osculantur. Si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est desiderare pacem? quiuis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax. Sed fac iustitiam, quia iustitia & pax se osculantur, non litigant. Tu quare litigas cum iustitia? Ecce iustitia dicit tibi, ne fureris & non audis; ne adulteres & non vis audire; non facias alteri quod pati non vis, non dicas alteri, quod & tibi dici non vis; inimicus es, amicæ tuæ. Dicit tibi pax, quid me quæris? Amica sum iustitiæ, quemcunque inuenero inimicum animæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo ve-

nire ad pacem? Fac iustitiam. Ideò alius psalmus dicit tibi, *declina à malo & fac bonum*; hoc est ama iustitiam. Et cum iam declinaueris à malo, & feceris bonum, quære pacem, & persequere eam. Iam enim non diù illam quæres, quia & ipsam occurret tibi vt osculetur iustitiam.]

Quia ergo regnante Christo, regnabit iustitia; & consummatio breuiata, (ipse inquam Christus contractus,) inundabit iustitiam; propterea abundantia pacis, & vberrima summáque fœlicitas, regno Christi obtinget, sub eo pacis Principe fœlicitas inquam, non temporalis qualem dementati Iudæi à Christo Rege expectant; sed supernaturalium bonorum; qualem verbis illis describebat Apostolus, *in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia.* Hic erit fructus summi illius amoris, quo Christus & Iustitiam Iudicibus terræ adeò diligendam, & populum prosecuturus erat. Nam Iustitiam quidem adeò amauit, vt ad eam in terras inducendam ac reducendam, lubens ad cœnum nostrum se demiserit. Creditos verò sibi populos, mundum inquam vniuersum, ita dilexit, vt mortem probrosissimam appetiuerit. Quæ Principi conuenientissima est gloria, in deliciis populo suo est, & ipse populus illius vicissim amores. Vt propterea nomen populi sui faciat suum; non modò quoties in persona sui corporis, tanquam eius caput loquitur, quod est in Scriptura creberrimum, iuxta Tychonij regulam & D. Augustini doctrinam superiùs propositam, tractando innocentiam Christi: sed etiam cum se nominari vult regnum Dei. Nam si regnum Dei est idemmet quod ipsius Christi regnum, & tamen Christus regnum Dei gaudet appellari; liquere profectò potest, quanto affectu, regnum suum, siue subiectum sibi populum prosequatur, qui qui appellationes eius sibi communes velit; & cum posset *Rex* audire, *Regnum* dici non refugiat. Dici autem non rarò Christum, *Regnum Dei*, docent loca illa, *Regnum Dei intra vos est.* Et *peruenit in vos regnum Dei.* Vtrumque enim illum locum, S. Hieronymus Math. 12. & posteriorem S. Chrysostomus hom. 42. in Math. explicant de ipso Christo, qui seipsum appellet *Regnum Dei*: hoc est regnum suum, cum ipsemet, Deus esset. Iniuriam mihi videor amori Christi in regnum suum irrogare, qui illum coniectem ex nominibus, cum potiora amoris argumenta, sint facta. Ea verò tanta támque præclara, & tam varia sunt, ab hoc Rege in regnum suum, vt ne numerando quidem, pares, esse possimus.

### *Omnes Christi subditi, Reges; Tributa quoque, in eorum bonum.*

598 Verbo dicam, quoscumque inter subditos habet, Reges eo ipso constituit: qua fœlicitate non est quo altiùs assurgant humana vota. Reges autem constitui Christi subditos, S. Ambrosius in psal. 47. sic docet, ad illud, *ipsi videntes sic admirati sunt*, quod Dauid de Regibus terræ, in fundatione ciuitatis Dei affirmat. [Boni Reges, qui sui corporis possunt se præbere rectores, ab ipsa Patriarchæ Abrahæ origine & institutione manantes, qui docuit peccatum posse superari. Ideò verus Rex, qui flagitiis esse nescivit obnoxius, in quo culpæ & erroris illecebra regnare non potuit. Vnde & dictum est ad huiusmodi virum à filiis Sethi *Rex à Deo tu es nobis.* Tales ergo Reges terræ, qui carni imperitarent, congregati sunt, vt in vno essent corde, & in vno spiritu: sicut legimus, *quia multitudo credentium, habebat vnam animam & cor vnum: & non erat in his aliqua separatio.*]

Hoc iuxta Richardum Victorinum, Tractatu de statu interioris hominis cap. 15. est imperium illud ac regnum, pro quo obtinêdo Dauid psal. 80. sic precabatur, *da imperium tuum puero tuo.* Hoc est regnum, pro quo in solemni oratione postulamus, dicentes, *adueniat regnum tuum*: Quamuis enim plerique Patres quos accumulat & sequitur Durantus lib. 2. de rit. cap. 48. num. 17. ac Toletus in cap. 11. Lucæ annotat. 7. accipiat eam petitionem de regno cœlesti, tamen vt Suarez lib. 3. de orat. cap. 8. num. 10. obseruat, vtrumque potest eodem verborum tenore postulari. Vnde alij plerique Patres, proponunt sensum quem dixi; eumque maximè confirmat quod S. Greg. Nissenus orat. 3. in Orationem Dom. & in fragm. de Patris & Filij ac Spiritus S. diuinitate, notat hanc petitionem apud Lucam concipi aliis verbis, his nimirum *adueniat spiritus S. tuus super nos, & purificet nos.* Quæ lectio, quamuis apud Lucam nunc non habeatur, tamen quod Nyssenus refert, aperto argumento est, olim plerosque sic accepisse eam petitionem regni Dei in nobis. Per spiritum namque Christi, & eius gratiam, expurgati à vitiis, non regnante vltra in nobis peccato, prouehimur in Reges beneficio Christi: sicque aduenit in nos regnum eius, idest regnum quod beneficio eius nanciscimur vt S. quoque Hieronymus attigit, Dialogo 3. contra Pelagianos.

Verè igitur *Princeps pacis*, & *Rex pacis* Christus, qui quos habet subditos, non opprimit aut exugit, sed ditat & in Reges prouehit. Exigit quidem ab eis tributa quædam, & gratuita dona admittit ab aliis; sed vtraque in bonum potiùs & commodum subditorum, quàm in ipsius Regis emolumenta vertuntur. Distinctionem illam tributorum, & munerum gratuitorum, suggerit S. Dorotheus Doctr. 1. num. 14. Et ea percepta, liquebit quæcumque Christo Regi pendimus, nobis non illi prodesse. [Christi præcepta (inquit S. Dorotheus,) Christianis omnibus data sunt, & omnis Christianus ea obseruare tenetur. Veluti tributa sunt hæc, Regibus debita. Si quis igitur non persoluerit hæc annua tributa Regibus, num pœnam effugiet? Sunt autem in sæculo viri clari, & illustres, qui non modò annua tributa persoluunt Regibus, sed numera etiam ipsis offerunt. Atque hi digni habentur honore magno, magnis donis, authoritate multa. Pari igitur modo Patres nostri, non modò præcepta seruarunt, sed & numera etiam Deo obtulerunt. Munera enim sunt, virginitas, castitas, & rerum omnium nuditas, atque inopia. Hæc enim cum non sint præcepta, dono offeruntur Deo. Neque enim alicubi scriptum inuenitur, *vxorem ne ducas, filios ne procrees.* Neque verò rursus præcepit Christus dicens, *vende omnia quæ habes.*] Hinc ergo patet, tributa & dona nostra, nobis esse. Quid enim Christo

Christo accedit ex mandatorum per nos obseruatione, aut voluntaria cõsiliorum susceptione? Nobis autem supra modum proficit ea præceptorum & consiliorum pensitatio cum, veræ opes nostræ in virtutum exercitatione sitæ sint, omnis autem census virtutum, aut præceptis, aut consiliis contineatur. Quare quod in nullo alio regno creato cerni potest, Christi regnum nulla ratione grauat subditos. Nam alij Reges, vt possint Regiam dignitatem sustinere,& subditis conciliare bona quorum gratia Reges fiunt,egent necessariò opibus magnis:vnde expensas exercitibus, & præsidiariis ministrisque suppeditent; & ad eas opes conferendas, iure astringuntur subditi, quamuis sit verissimum,id absque eorum grauamine non fieri; liquidóque id in Salomone apparuit, cuius tanta maiestas, caro stabat subditis, vt professi sunt post eius mortem Iudæi, in regni aditione Roboamum orantes pro tributorum imminutione, & leuamine iugi grauissimi quod Salomum pater imposuerat, vt esse vnde impensæ in tot sumptus suppeterent. At Christus Rex quid bonorum nostrorum non eget, fœlicitatem nullis remeratam oneribus, conciliat subditis suis;estque proinde verè Rex pacis, & Princeps pacis in suos beneuolentissimus.

### *Regnum Christi,quomodò virga ferrea, si adeò felix & mite.*

599 Vnum est, quod difficultatem posse facere video; nempe quod Dauid psal. 2. vbi Christi regnum accuratè describit,post propositam donationem gentium, in Christi hæreditatem, & terminos terræ in eius possessionem, subdat;*Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.* Quod videtur, austeram & immitem regendi rationem sonare.Nam ferrum signat crudelitatem & asperitatem. Vnde ferrea Eumenidum tecta; & æneum Tartari limen ad ferreum septum, mortísque ferreum cor.& an eum pectus apud Hesiodum in Theogonia. Contritio verò populorum tanquam comminutio eorum per Christi regnum austerum atque immite,quo vastitas subditis, & extrema clades inducatur? Sic enim Isaiæ 30. ad supremum exitium denotandum, dicitur, *comminuetur sicut lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus aut hauriatur parum aquæ defouea.* Nec aliter Hieremias cap.19. *conteres lagunculam,& dices.sic conteram populum istum sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari.* Itaque habemus per regno Christi suauissimo, (quale præferebamus),regnum ferreum quo subditi conterantur.

Non est negandum, quibusdam in locis *virgam ferream* sumi pro austero & seuero imperio. Idémve sonare *contritionem vasis figuli.* Sic enim Apocalip.19.Verbum Dei,dicitur habere gladium ex vtraque parte acutum, vt in ipso percutiat gentes. Additúrque.*Et ipse Reget eas in virga ferrea, & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Quæ verba austerum & seuerum iudicium Christi, in hostes designant, in bestiam inquam, eique obsecutos Reges terræ, missos in stagnum ignis ardentis, carcerisque mulctatos supplicijs,quæ reliquo capite describuntur.Et hoc spectarunt,qui propositis psalmi verbis,& alibi, quoties *virga ferrea* fit mentio, censuerunt significari imperium durum & rigidum, quo conterantur rebelles & inimici;cum in hac vita,tum maximè in iudicio extremo. Ita Victorinus, Aretas,Andreas,Liranus, Ribera,Cornelius Apocal. 2.& ibi Alcasarius notat.7.& in psal.2. Eugubinus. Iansenius, ac ante eos alij:qui notant, eo versiculo psalmi 2. quo regnum Christi dicitur futurum in virga ferrea;idest cum sceptro ferreo, (sicut *in veste alba*; idest *cum alba veste*) verbum Hebræum non sonare *pasces*, seu *Reges*;sed *conteres.* Vnde Diuus Hieronymus vertit,*franges.*Nec multùm absunt ab hoc sensu SS. Hilarius & Augustinus qui rectionem illam populorum, & contritionem per ferream Christi virgam, exponunt de peccati & prauarum cupiditatum euersione in gentibus. Christo subiectis. Ea enim hostilitas & seueritas Christi in peccata, ferreum quid est;& aptè per *contritionem* designari potest. Mihi tamen sensus ille Psaltis non ita arridet: neque enim commodum videtur, ita accipere promissionem Patris ad filium rediuiuum. *Postula à me gentium omnium imperium; & pro eo tanquam pro tibi debito me interpella.* Sic enim sumendum est eo loco verbum *postulandi* vt acutè vidit Petrus Damiani serm. de Resurrect. Dom. *Eas ego gentes subiiciam tibi, túque omnibus imperabis durissimè & seuerissimè.* Humanitatem enim ac clementiam tanti Principis decere videtur, vt imperium mite ac benignum præferat.

600 Duo igitur occurrunt,quibus cum pacifico & miti principatu Christi, virgam eius ferream conciliemus primum est, *virgam ferream*, apud Psaltem non sonare austeritatem regentis,sed laboriosam huius vitę disciplinam, quæ lenitati rectoris non aduersatur. Ita S. Augustinus virgam hanc ferream accepit lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 4. agens de numero quadragenario hominum in Christi genealogia numeratorum. [Numerus iste (inquit,)illud tempus significat, quo & in hoc sæculo & in hac terra regi nos oportet à Christo, secundùm disciplinam laboriosam qua *flagellat Deus*, (vt scriptum est) *omnem filium quem recipit:* De qua dicit Apostolus, *per tribulationem oportere nos intrare in regnum Dei.* Quam significat etiam illa virga ferrea, de qua in psalmo legitur; *Reges eos in virga ferrea.* Cum superiùs dixisset, *ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.*Reguntur enim etiam boni in virga ferrea, de quibus dicitur; *tempus est vt iudicium incipiat à domo Domini. Et si initium à nobis, qualis finis erit eis, qui non credunt Dei Euangelio? Et si iustus vix saluus erit, peccator & impius vbi parebunt?* Ad quos pertinet quod sequitur; *tanquam vas figuli conteres eos.*Reguntur enim boni per hanc disciplinam, mali verò communiuntur; qui tanquam iidem ipsi commemorantur, propter vna atque eadem sacramenta, quæ habent communia mali cum bonis. Quia ergo numerus iste, laboriosi huius temporis Sacramentum est,quo sub disciplina Regis Christi aduersùs Diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum ieiunium,hoc est humiliationem animæ consecrauit,& lex & Prophetæ,per Moysem & Heliam.]

Alterum quod circa illius virgæ ferreæ &

pacifici principatus Christi cohœsionem notandum occurrit, est; alibi quàm in quibusdam locis prænotatis, in quibus de iudicij præsentis aut extremi vindicta, impij & per Christum inferenda agitur; virgam Christi ferream sonare prouidentiam inflexibilem, & Regnum æquissimum ac perpetuum, quo Christus Rex suos subditos hîc in Ecclesia recturus à Dauide prænuntiatur, & pronuntiatur à Ioanne. Ita Bellarminus lib. de SS. Beatitud. c. 18. Proposit. 4. qui expendit verbum Hebræum, quo ibi vtitur Psaltes, & Græcam vocem qua S. Ioannes in Apocalypsi vtitur, sonare *pastionem* & *rectionem pastoralem*, non autem destructionem. Quod argumentum non vrgeo, quia quod ad vocem Hebræam attinet, benè monet Alcazarius supra, *ad 4.* eam pro varietate punctorum nunc *pasces & reges* sonare; nunc *confringes*, seu *conteres*. Vox verò Græca, quamuis rectionem solam significare videatur, tamen quia Ioannes Apocal. 19. vbi de extremis impiorum clade agit, alludere volebat ad locum psalmi 2. in quo 70. eam vsurparunt, vsurpata quoque ab eo est, sed in sensu quem ferre possunt adiuncta illa, *virga ferrea & contritio*: quæ spectatis vocum corticibus, exitium & vastitatem significant. Itaque argumentum illud quo niti dixi Bellarminum, non multùm nobis commodat: sed vrgenda potiùs est ratio quàm tetigimus; quod scilicet absurdum videatur, Patrem misericordiarum, mitissimo filio spondere regnum, quod velit esse asperrimum & durissimum; in quo non parum aduersus decori leges peccaretur. Prosequitur plenissimè hunc sensum versus illius psalmi 2. Martinus de Roa l. 2. Sing. c. 5. & 6. & inflexibilitatem ac soliditatem, siue perpetuitatem regni Christi, Symbolo *virgæ ferreæ* notatam putat: quod non sit regnum Christi vitreum, sicut nostratia, siue humana, de quibus illud scitè dictum, *fortuna vitrea est, cum splendor frangitur.*

601 Addendum tamen censeo, eam totam soliditatem, & inflexibilitatem, ac æquitatem regni Christi expressam per virgam ferream, cedere in subditorum commodum: Quam interpretationem, illustro & locupleto, præclara S. Chrysostomi doctrina, hom. ad Baptizandos, qui *virgam* Christi *ferream*, erga fideles, non erga rebelles exeri; & *contritionem* non *excidium*, sed *reformationem* eorum sonare, sic demostrat. [Istam nobis quassationem (quam dixerat esse reformationem in melius) & mysticam purificationem, obliquo sermone olim Propheta demonstrabat, dicens, *sicut vasa figuli conteres eos.* Nam quia de fidelibus loquitur; superiùs nobis manifestè declaratur, quàm ait; *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Vidisti quemadmodùm Ecclesiam gentium commemorauit, & vbique extentum Christi nominauit imperium. Et propterea ait; *reges eos in virga ferrea*; non graui sed forti: *Sicut vas figuli conteres eos.* Ecce & lauacrum sentitur mysticè. Non enim dixit, *sicut vasa fictilia*: sed *sicut vas figuli.* Et ideò attendamus, & diligentiùs audiamus. Nam confracta vasa fictilia, iam nulla emendatione corriguntur, semel figuram per flammas sortita: vasa autem figuli, non sunt fictilia, sed argilla composita. Inde & si quo fuerint casu peruersa, facilè ad figuram pristinam, artificis reformantur industria. Et ideò quando calamitatem sine remedio dicit; Non *vas figuli*, sed *vas fictile* nominat. Nam quando Propheta monstrabat, Iudæos cum ciuitate suppliciis extremis traditos, & nullum eis remedium promittebat, iussit accipi vas fictile, & ante omnem confringere populum, & dicit, quia ita ciuitas peribit. Quando autem spem eis pollicetur, Prophetam ad figuli vas adduxit: & illi non ostendit vas fictile, sed argillam ei in manibus positam demonstrat artificiis; quæ etsi ceciderit, reformatur tamen. Ideò sequitur, dicens; *si iste figulus* (ait,) *hoc vas lapsum iterum renouat, non multo magis ego vos poteroe lapsos corrigere?*]

Præclarè idipsum tradit idem Chrysostomus, homilia in illud, *Astitit Regina*, vbi sic loquitur. [Accepit puluerem à terra, & fecit hominem ac formauit eum. Venit Diabolus & peruertit eum. Venit ipse & rursus accepit, eumque formauit; conflauit ipsum in baptismate, neque sciuit præterea vt esset latens corpore, sed corpus ipsum fecit, vt esset testaceum. Tradidit lutum igni Spiritus. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.* In aqua, vt reformetur; in igne, vt consolidetur. Ob hoc Propheta olim prænuncians dicebat, *quasi vasa figuli conteres eos.* Non dixit, *quasi testacea*, quæ singuli quique possident. Sunt enim vasa figuli lutea, quæ effingit ille per rotam. Sed *vasa figuli* sunt lutea, nostra autem sunt testacea. Prædicens igitur conflationem nostram per baptisma repetitam, *quasi vasa figuli* (ait) *conteres eos.* Dicit, *reformat, & conflat.* Descendo in fontem baptismatis, & reformatur mea figura, conflatque eam igni Spiritus sancti, & fit testaceum.] Quò ingeniet accommodat vasa fictilia, seruantia thesaurum ex Apostolo. Fauet apertè, quoad contritionem illam, S. Hilarius in psal. 2. Itaque *conteri* à Christo gentes, *vt vasa figuli*, idem est quod refingi instar lutei vasis, nondum excocti: *regi* autem *in virga ferrea*, est in fortitudine regi, vt dicitur Mich. 5. vbi eadem vox Hebræa adhibetur: & vtrobique iustissimum & sanctissimum Christi imperium, subditis commodissimum denotatur: ac proinde difficultas quæ ex illo versu psalmi 2. contra Christi regnum mite, & principatum pacis ei attributum vrgebatur, abit in fumum

### *Vsus doctrinæ, de Christo pacis Principe.*

602 Suspirabant ad hanc pacem per Christum, iam ex hac vita orbi inuehendam, antiqui omnes: quorum illa erat vna vox, *pax erit in terra nostra, cum venerit.* In quam rem S. Bernardus serm. 2. in Cantica, sic disserit. [*Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Ad hoc igitur osculum, sanctus quisque antiqui temporis suspirabat, quod iucunditatem & exultationem thesaurizari super eum, & thesauros omnes sapientiæ, & scientiæ in ipso absconditos præsentirent, cuperentque & ipsi de plenitudine eius accipere.] Fruamur nos ea pace quam pro hac vita, per Christum sumus adepti si per nos non steterit: simulque suspiremus ad eam plenam & perfectam pacem super pacem, quæ in cœlo tantùm, potest obtingere.

Dum hanc pacem præstolamur, exultemus de Regis nostri regno, subactis hostibus tranquillo,

vt

vt hortatur Dauid Psalm. 96. *Dominus* (inquit) *regnauit, exultet terra.* Quem locum sic Glossat Chrysost. hom. de vno legislatore. [Quomodo illud *Dominus regnauit*, accipis? Num quasi recens ad fastigium illud Regiæ dignitatis peruenerit: si enim dixisset; *Dominus regnat*; sempiternam illius Regiam dignitatem notasset. Iam verò dicit, *Dominus regnauit.* Dictum est & ante hac, & iam iterum dicetur; Ante Christi aduentum, ante Euangelij promulgationem, in naturam nostram imperium obtinebat Diabolus, peccatum, mors. Vndénam hoc? Paulus explicat; *Quemadmodum enim regnauit peccatum in mortali nostro corpore, sic etiam gratia regnabit per Christum.* Ecce peccati regnum. Vbinam Diaboli? Auscultа Christum dicentem; *Si Satanas, Satanam expellit, aduersùs seipsum diuisus est: quomodò ergo stabit regnum illius?* Ecce Diaboli regnum. Vbi verò mortis regnum? Audi Paulum disserentem, *Regnauit mors ab Adam vsque ad Mosem, super eos qui non peccauerant.* Cum igitur Diabolica Trias, in sanctam & impollutam, tyrannidem suam exercuisset, scilicet, Diabolus, peccatum, mors; Et Diabolus quidem decipiebat, Peccatum interficiebat, mors verò sepeliebat: Dauid hac triplici tyrannide oppressus, lætum nuntium indicat; monétque vt sese ex seruitutis ergastulo subducant: & regnum Christi, quod prædicabatur, amplectátur: *Dominus regnauit.* Et regnum quidem mortis abolitum est, & peccati potentia imminuta est, & Diaboli potestas fracta est; *Dominus regnauit, exultet terra.* Et merito sanè exultare debuit, quæ quondam in seruitutem redacta, iam liberata est: quæ quondam errauit, iam enim gloria resplendet: quæ quondam in monumentis condita delitescebat, nunc in throno collocata est: quæ quondam omni ignominia oppressa iacebat, nunc omni honore & gloria efficitur.] Conemur præterea, æternæ paci alterius vitæ, pace interna & affectuum nostrorum subactione proludere. Eam sanè à compressis affectibus pacem, à Christo principe pacis, expectare par est. Idque perspexisse videtur eximium illud nascentis Ordinis Prædicatorum decus, Ioannes Vincentius, qui vt est apud Cantipratanum lib. 1. de Apibus cap. 1. n. 7. equum rabiosum mansuefecit, appresso illi ad frontem crucis signo, Inter proferendum hæc verba *miniget te Christus, Princeps pacis.*

Quamquam autem iam ex hac vita, Christus est ad hunc secundum modum *Princeps pacis*, & auctor omnis fœlicitatis; tamen omnis hæc fœlicitas, præ ea quam in altera vita creabit suis, inane quid & ludicrum videri possit. Nam cumulat hic quidem suos Christus plerisque bonis, sed quæ præ bonis alterius vitæ, sint tantùm bona picta: vt fert vox hebræa Psal. 72. v. 7. S. Hieron. in Traditionibus in lib. 2. Regum cap. 2. idem expressit signantissimo verbo, tractans illud, *& nunc retribuet quidem vobis Dominus misericordiam & veritatem.* Nam sic ea verba Glossat. [Misericordiam in præsenti sæculo, veritatem in futuro: quia misericordia quę in præsenti sæculo tribuitur, ad comparationem æternæ misericordiæ, mendacium est.] Et tamen stilla illa misericordiæ bonorum cælestium, quâ Deus hic elargitur, super vitas melior est, vt Dauid dixit. [Qui ergo in via sic pascit, in patria quomodo saginabit;] vt D. Augustinus egregiè dixit Psal. 57. vers. vltimo. Et vt ait Bernardus serm. 47. in Cant. [si sic bonus es Domine sequentibus te, qualis futurus es, consequentibus?] Imo verò si Impij plerique, hìc tot bonis abundant, quamuis æternis ignibus mancipandi si inquam tale fœnum agri, quod hodie est, &, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanta bonorum vbertate ditabit suos in cœlis; vbi solummodò (vt Isaias monuit,) magnificus est Dominus Deus noster? Vrgent egregiè vbertatem bonorum per Christum, cum venerit filius hominis, in regno suo conferendam populo Dei, argumento ducto ex bonis, quibus hìc, & boni quidam & mali plerique abundant, S. Augustinus serm. 1. de diuersis à cap. 3. & S. Ephrem in illud, *attende tibi.*

603 Optimè vbertatem illam bonorum, & pacem plenam rependendam regno suo in cœlis per Christum, expressit S. Bern. serm. 11. in cant. tractans fructum redemptionis nostræ per Christum.] Fructum (inquit,) talem expectamus nostri amoris, qualem ipse, quem amamus promisit, *mensuram* (inquiens) *plenam & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Mensura ista (vt audio,) erit sine mensura; sed velim scire cuius rei futura sit illa mensura, vel potiùs illa immensitas, quæ repromittitur: *oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Dic nobis qui præparas, quid præparas? Credimus, confidimus. Reuera sic promittis, replebimur in bonis domus tuæ. Sed quibus quæso bonis, vel qualibus? Fortè frumento, vino, oleo, auro atque argento, lapidibúsque prætiosis? Sed hæc nouimus, & vidimus; & videmus, & fastidimus. Id quærimus quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcunque est illud. *Erunt* inquit, *omnes docibiles Dei*; Et *ipse erit omnia in omnibus.* Vt audio, plenitudo quam expectamus à Deo, non erit nisi de Deo. Quis verò comprehendat, quàm magna multitudo dulcedinis, in breui isto sermone comprehensa sit? *Erit Deus omnia in omnibus.* Vt de corpore taceam, in anima tria intueor; rationem, voluntatem, & memoriam: & hæc tria ipsam animam esse, quantum cuique horum in præsenti sæculo desit de integritate sua, & perfectione, sentit omnis qui ambulat in spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus? Hinc est quod & ratio sæpissimè in iudiciis fallitur; & voluntas quadraplici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic vanitati, nobilis creatura subiecta est, non volens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ, continuatio æternitatis.]

Ibi verè omnes cum Christo Reges erunt: Quam esse pacis infinitæ & gaudij immensi sementem, accipe ex Chrysologo serm. 144. [Gaudemus fratres, quia qui sibi regnauit, regnaturus est nobis. Gaudeamus quia venit regnaturus in terra, vt nos cum illo regnare possimus in cœlo. Audi Apostolum, *Si compatimur & conregnabimus.* Nobis natus est, nobis vtique regnum venit donaturus: ipso promittente, cum dicit; *venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*

*Vobis.*

*Vobis* dixit, non *mihi*. Veniet vt quibus est gloria de regno, sit de familiaritate fiducia. *Et regni eius non erit finis*. Qui eius aduertum credis, gaude quia regnum sine fine promisit; vbi est sine successore militia, vbi sunt perpetuæ dignitates. Sed quid est quod permansura non ambiunt, qui ambiunt transitura? Quod est, quid est, quod caducos honores auro comparant, & nolunt gratis accipere sempiternos? Fratres hîc parantur officia, hîc decernuntur loca, hîc honores designantur. Hîc qui non de Euangelij fide acceperit codicillos, ibi æternarum insulas non habebit dignitatum.]

## CAPVT VII.

### *Christus, Legislator summus.*

604 CVM hactenus disputatum sit de regia Christi potestate, non possumus de potestate eius legislatiua silere. Hæc enim potestas, est regiæ potestatis velux appendix, & consectarium. Vnde Isaias cum de Christo dixisset cap. 33. *Dominus Rex noster*; subdit, *Dominus legifer noster*. Et Clemens Alexand. 1. stromatum *fere in fine*, ac Celsus apud Origenem lib. 5. *sub medium*, ex Pindaro, addunt, [Lex est Rex omnium mortalium,] Quod ad nexum regiæ & legislatricis potestatis perspiciendum, iuuare potest.

### *Allegata impropria legislatio per sanctum exemplum, Christo licet maximè congruens.*

Non est autem hîc quæstio de Christo legislatore, ad eum improprium modum quo S. Petrus apud Clementem Alexandrium 1. stromatum *ferè in fine*, vocat Christum, *legem, & rationem* Et æquè eodem sensu, vocare poterat legislatorem; quatenus nimirum vitæ eius exempla, sunt norma viuendi, vel certè quatenus eius facta, sunt totidem Dei leges, quibus dirigamur. Sic enim S. Chrysostomus in Psal. 1. illud, *in lege eius meditabitur*, accipit de Christo, sic scribens. [Et quænam est ea lex, nisi Christus qui inenarrabiliter est ex Patre genitus, nec est scriptus in tabulis lapideis? *Ex Sion enim egredietur lex, & verbum Domini ex Hierusalem.* Qui *lex* quidem dicitur, vt qui in se ferat paterna consilia. Verbum autem seu ratio; vt qui à Patre sit inseparabili.]

Pulchrè item Victor Cartennisis lib. de pœnit. cap. 24. [Omne quod Dei filius Dominus Iesus Christus, qui est via veritas & vita locutus est, lex est, & sub exemplo sui fieri docuit, quod nobis in scripto mandauit.] Adde etiam, quia per Christum tanquam per vitæ normam iudicandi sumus. Quam causam denominandi Christum legem, fusè prosequitur Elias ad primam Orat. Nazianzeni. In hunc ipsum sensum Philo *initio libri de Abraham* ordiens tractationem de magnis plerisque viris legis naturæ ac scriptæ, post expensos quinque libros legis scriptæ, ait auspicari se velle à generalibus & quasi exemplaribus legibus. [Hæ sunt (inquit) viriqui rectè ac sine culpa vixerunt, quorum virtutes publicatæ sunt in sacrarum literarum tabulis, non tantùm ad laudem illorum; verùm etiam ad lectores in æmulationem prouocandos. Fuerunt enim illi, animatæ rationalésque leges, duabus de causis venerabiles: altera quoniam ostendunt quod præcepta legis à natura non discrepant: altera; quod hinc liquet, non esse opus magno labore ad exigendam vitam iuxta legum regulam; quando illi prisci antè leges singillatim proditas, non scripto iure vsi, pari felicitate atque felicitate vixerunt. Vt meritò quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse quàm vitarum Patrum commentarios, in quibus eorum dicta factáque narrantur.]

605 Idem lib de vita Mosis, quomodò Principium vita in vtramque partem sit lex subditis, aperit his verbis. [Ne illud quidem ignotum est, quod claros viros imitantur obscuri & ignobiles, sua sponte sequendo, quocunque viderint illos contendere. Itaque si quando Princeps se totum dans voluptatibus, primus ad vitam delicatam deflectit, vniuersa propemodùm subditorum multitudo, ad ventrem, & ea quæ sub ventre sunt, proclinat præter appetitum necessarium: nisi qui naturæ benignitate, animam sortiti sunt insidiatricem sed propitiam. Quod si honestiorem, seuerioremque sectam ille prætulerit intemperantes quoque mutantur ad continentiam, vel metu, vel reuerentia, vt habeantur æmulatores studiorum similium. Nec enim sic insaniunt, vt se præstantionibus anteferant; Et fortasse quia legislator futurus erat, multo ante ipse lex animata, rationalisque factus est per Dei prouidentiam, quæ nescienrem destinabit huic muneri.]

Tandem egregiè quoque, initio libri 2. de vita Mosis. [Regis officium est, iubere quæ oportet fieri, vt vetare à quibus abstineri decet. Cæterum iussio faciendorum, & interdictio cauendorum, propriè ad legem pertinet. Atque ita consequitur, vt Rex, animata lex sit; lex verò, sit Rex iustissimus.] Sed & Gregorius Nyssenus orat. de S. Gregorio Neocæsariensi ait, Alexandrinos cupiuisse cum apud se retinere, vt esset apud eos conditor virtutis, & vitæ legislator.

Hunc modum quo Christus legislator dici potest, hîc non attendimus: quia non est is qui consequitur munus regium, nec est reuera cum potestate præcipiendi, & vi obligandi coniunctus, sed tantùm continetur vitæ sanctitate; & bonis exemplis queis Christus præluxit omnibus: & eatenus, quomodò se quisque gerere in vita debeat, factis monstrauit. At hoc, etiam priuatus quilibet præstare potest, & reuera semper ab aliquibus absque facultate legislatiua præstatur. Quod enim de suo Demetrio aiebat Seneca, prouisum illum à Deo fuisse, ne suo seculo testis deesset; de omnibus æquè seculis valet: instaurare scilicet Deum, vt Iob dixit, in omni æuo testes suos; idest interprete Dion Gregorio sanctos semper viros aliquos prouidere, qui quomodò viuendum sit, factis contestentur, & exemplo præscribant qui agendum, quidue declinandum. Id vnum Christo tribuere, aliud non esset, quàm recti normam & legem impropriam, idest obiectiuam potiùs & exemplorum, quàm potestatem cum obligatione

gatione directiuam, qualem fert nomen *legislatoris* propriè dictum, vendicare Christo Domino.

### *Propriè dictam vim legislatiuam, qui Christo negarint.*

606 Negarunt illi hanc potestatem Sectarij nuperi. Ac primùm Lutherus apud Castrum V. *præceptum.* Hæresi 1. & apud Bellarminum l. 4. de Instit. c. 1. Item Caluinus ab eodem adductus, & à Stapletonio in c. 3. Epistol. ad Rom. Nec non Brentius apud Lensæum l. 9. de libertate Christiana c. 9. Indè enim probat Arentius legum Ecclesiasticarum inanitatem, quod ne ipse quidem Christus, in hunc mundum venerit vt legislator. Apostoli quoque, non vt legislatores sint missi, sed vt ministret dumtaxat. Eos enim misit Christus, provt ipse à Patre missus fuerat, vt ferunt illa eius verba, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: vnde sicut ipse Christus non venerat nisi ad prædicandum, ita & Apostolos mittens, dixit; *Ite & prædicate Euangelium.* Concludit hinc Brentius. [Quare quanto magis Romanus Pontifex, gloriatur se successorem Apostolorum, & Vicarium Christi, tanto minorem habet auctoritatem condendorum nouarum legum.] Sic ille, malam conclusionem, ex detestrimo antecedente inferens: non esse scilicet Christi Vicarios legislatores in Dei Ecclesia, cum ne ipse quidem Christus, fuerit legislator. Rationes ducunt Sectarij ex eo quod gratia per Iesum Christum sit facta, & lex per Mosem data, sit exclusa. Idem quod alioquin non essemus adepti per Christum perfectam libertatem, nisi essemus legibus omnibus exsoluti: nec Euangelium esset quod dicitur, siue *bonum nuntium*; quia adhuc superessent onera legum. Scriptura denique ipsa noua, non esset dicenda, *pactum* vel *fœdus* διαθήκη, siue id vertatur *Testamentum*, siue *institutum*, seu *Lex*, aut *codex legum Christi.*

### *Agnoscunt eam Scripturæ & Patres.*

Contrarium, siue quod Christus verè ac propriè sit legislator, est ex fide certum. Ita enim definiit Tridentina Synodus sess. 6. Can. 21. verbis illis. [Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legislatorem cui obediant, anathema sit.] Sunt in eandem rem Scripturæ expressissimæ, & rationes in elactabiles, quas addensant qui hac in parte veritatem Catholicam tuentur, Castro loco citato, Bellarm. libro illo 4. de Instit. c. 5. A Rua controuersia 6. Scholastica concl. 1. & 2. Suarez 10. de legibus c. 1. & passim Hæresecologi. Ex Scripturis ergo Patrum interpretatione huc aptatis, addensat plurima Iosephus à Costa l. 4. de Christo reuelato c. 2. Sed illud egregium, quod habet Isaias c. 33. Ibi enim apertè agens de christo, ) vt liquet ex textura capitis, & ibi S. Hieronymus ac Cyrillus rectè tradunt, ) vocat eum *legiferum nostrum.* Quid expressius, aut clarius? Neque enim fas est, ad alienum & improprium sensum trahere ac detorquere voces adeò manifestè ferentes quod intendimus: cum in acceptione earum propria, & Christo tributa, nihil sit absurdi: imo aliquid maximè Christum decens.

*Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.*

vt mox dicam. Prætera Ioannis 14. ipse Christus suas aliquas leges agnoscit, cum dicit, *qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me.* Et rursus c. 15. *si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Item Marci vltimo, Christus vale dicens Apostolis, iubet vt doceant omnes gentes, seruare omnia quæcumque mandasset illis.

607 Patrum testimonia adeò densa sunt, quibus Christi præcepta & leges stricte ac propriè dictas agnoscunt, vt superuacaneum censeam velle aliqua specialiter proferre. Tantum appendam parua quædam testimonia, quibus Christi legislatiua potestas cum peculiari emphasi proditur. Eiusmodi est quod Iustinus Dialogo cum Triphone, Christum, *legem postremam & testamentum numquam rescindendum* appellat, his præter cætera. [Sempiterna nobis & vltinia lex, Christus datus est, & testamentum fidele; post quæ non lex vlla, non mandatum, non præceptum sequetur. Annon legisti quæ dicit Esaias? *Audite me, audite me populi mi, & Reges auribus percipite, quod lex egredietur à me, & iudicium meum: ad lucem gentium propinquat celeriter iustitia mea, & egredietur saluare meum, & in brachium meum gentes sperabunt.*] Subdit multa de noua Testamento apud Hieremiam & Isaiam promisso, apertéque sumit Testamentum, pro lege. Tum addit. [Hanc ipsam legem spreuistis vos, & vilipendistis illud nouum Testamentum eius sanctissimum; ac ne nunc quidem accipitis: neque malorum facinorum pœnitentiam agitis, adhuc enim aures vestræ obturatæ sunt, oculi cæcati, cor crassius redditum, sicut exclamat Ieremias: ac ne sic quidem auditis; Præsto est legislator. & non videtis.]

Autor operis de Christi Cardin. operibus, apud Cyprianum sermone de Spiritu sancto, quod de Christo legislatore vltimo, dictum à Iustino est, egregiè confirmat: Idque præsignatum fuisse tabularum priorum confractione, saluis posterioribus, non iam diuina sed humana manu conscriptis, sic exponit. [Hoc digito *Spiritu sancto*, in lapideis tabulis, lex primùm conscripta, quinquagesimo die post egressum Israël de Ægypto, in monte Sina Moysi est commendata: sed populus nequam, & gens duræ ceruicis, à quorum animis terror ille recesserat, quem mons ardens, & flammea iuga, & clangor buccinæ, & lampades coruscæ, & horrenda tonitrua nuper incusserant, in apostasiam conuersi, & de Moysi reditu desperantes, lege diuinitùs missa indigni indicati sunt; quia in oculis eorum, Moyses frangens tabulas, tam verba, quàm instrumenta comminuit & deleuit. Quin etiam sceleris vltione patrata, reuersus in montem ad Dominum, quadraginta diebus ieiunans, & colloquens. tandem obtinuit, vt ipse alias ex saxo ad instar priorum excideret tabulas, in quibus eandem quæ in primis fuerat Scripturam insculperet & formaret. Factúmque & mirabili dispensatione superni iudicij, vt lex quam Sanctus scripserat Spiritus, deleretur: & quam manus humana restituit, in posterum teneretur. Quod ea ratione credi potest sic actum, vt populus prior secundùm carnem ambulans & viuens, diuinis colloquiis, & spiritalibus mandatis ostenderetur indignus; nec posse mentes perfidas sancta percipere, nec intelligere sacramenta, quæ exemplarium tegmine velabantur. Porrò

Testamenti noui quæ Christo euangelizante patuit veritas, verbo Christi prolata, indissolubilis permansit, & solida deinde stabilitatis perpetuæ auctoritate fulcita est; eo quod oblatam gratiam humiles susceperunt, & quod filius inter pauperes Spiritu inuenit sibi domum in qua caput reclinaret. Et meritò reprobatos, visibiles tabulæ inuisibilis Dei indicant contemptores, & ampliori dignos honore Incarnati Verbi credulos auditores, & deuotos venatores.]

608 S. Hilarius in psal. 131. eam legis Christi firmitatem expressam à Dauide censet, cum Ecclesiam Christi vocauit *locum vbi steterunt pedes eius.* [Cum statur (inquit,) vno in loco ex quod decedi non oporteat, constituitur. Vbi verò pedibus statur, illi toto corporis officio insistitur. Lex præteriit, prophetia clausa est, finis eorum Christus est. Demutationis alterius, nullus locus est. In hoc in æternum standum est, vbi iam decursu legis & Prophetarum Dominus insistit. Discurrit quidem per Apostolos prædicatio, quos frequenter per pedes significatos meminimus, sed in Euangeliis consistitur. Illic ergo adorabitur, vbi Domini pedes, id est prædicationes nouissimæ, sine demutationis alicuius transcensione constiterint.] His apertissimè, vnà cum Christi lege, potestas quoque legislatiua stabilitur.

S. Ambrosius serm. 5. in psal. 118. v. 1. multa magnificè de Christo prælocutus, addit. [Oportet vt sequamur testimonia, vt peruenire possimus ad magnum testimonium, Dominum Iesum. Oportet etiam vt in præceptis Domini ambulemus, vt peruéniamus ad magnum præceptum, de quo legisti: *Dictum est antiquis, non occides: ego autem dico vobis*; hoc est, super omne præceptum dico. Itaque non vsurpatoriè dixerim, sed verè: quia sicut sunt sancta sanctorum, ita præceptum est præceptorum.] Siue Christum ipsum, vocet *magnum præceptum*, nempe causaliter; eo modo quo à Iustino vocatus est *Lex*; siue præceptum vocet legem eius, perinde est ad rem præsentem. Est verò Emphasis in voce *præcepti præceptorum*, qua congeminatione Hebræi, quippiam in certo genere exquisitum designant. Sic enim denominant Canticum Canticorum, quod est Canticū excellentissimum; & Mysterium Mysteriorum, quod omnia transcendit mysteria. Similiter ergo præceptum præceptorum, quod est omnium eminentissimum, & lex legum quæ est super omnes leges.

S. Augustinus, ait impudenter negari quod hîc intendimus, ostendens enim 17. ciuitatis cap. 17. psalmum 109. vniuersum de Christo esse, ait inter cætera. [Inimicos poni sub pedibus eius, nondum apparet. Id igitur apparebit in fine. Nunc hoc verè creditur, post videbitur. Verùm hoc quod sequitur, *virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*: ita clarum est, vt non solùm infideliter & infeliciter sed etiam impudenter negetur. Et ipsi quippè fatentur inimici, ex Sion missam fuisse legem Christi, quod Euangelium nos vocamus: & eam virgam virtutis eius agnoscimus. Dominari verò in medio inimicorum suorum, iidem ipsi inter quos dominatur, dentibus suis frendendo, & tabescendo, & nihil aduersùs eum valendo testantur.] Consultò abstineo pluribus testimoniis, quod vbiuis prostent permulta.

### *Firmatur ratione, & vsu ipso Christi, per se, ac suos.*

609 Accedit ratio, quæ ex iactis supra principiis, manifestissima est. Muneri enim regio, verè & propriè accepto, adiuncta necessariò est potestas legislatiua & præceptiua. Per eam namque maximè exercetur iurisdictio, regimenque subditorum, cui curando additur potestas regia. Atqui Christus Dominus, vt apertè monstratura est, habuit regiam potestatem, cùm in vniuersum orbem tum in Ecclesiam. Igitur sortitus quoque est potestatem leges ferendi. Nihil video in hac ratiocinatione, vel infirmum & indigum munimenti, vel obscurum & declarationem postulans. Sicut enim in omnibus regnis manifesta est necessitas & vtilitas legum, ita & in regno Christi, fatendum est leges aliquas fuisse necessarias, vltra naturalem & diuinam veterem; quo nouo regimine instituto, & adunata noua congregatione politica, vt est à Christo factum, necessariæ quoque fuerunt leges nouæ, quibus generatio illa ventura, & populus qui nasceretur quem fecit Dominus, à nouo principe habente potestatem omnis carnis, dirigentur ad finem præstitutum, per media fini illi accommodata, & nouo regimini consentanea. Atque ita videmus, Christum legem tulisse, qua suscipiendi baptismi omnibus qui salui esse velint, necessitatem iniecit, vltra eam necessitatem quæ *medij* dicitur; & paruulos quoque, tametsi legis propriè dictæ incapaces,) reddit inhabiles ad gloriam, ex diuina institutione; distincta à lege. Videmus item Ioannis 6. latum à Christo esse præceptum de Eucharistia. Et Lucæ 22. præceptum de sacrificio incruento ritè celebrando. Alibi item varia ab eo Matrimonium in pristinam formam, renocandum, sunt præscripta: quæ omnia liquidò monstrant, Christum suam illam legislatiuam potestatem agnouisse, regiæ suæ spirituali potestati correspondentem. Quod addo, quia quamuis Christus fuerit quoque Rex supernaturaliter tēporalis, spectato, obiecto, & legislatiuam potestatem ei Regiæ auctoritati nactus: tamen sicut vsu regiæ illius potestatis consultò abstinuit, ita neque vim legislatiuam ei proportionatam exprompsit: quamuis habuisset, potuisset eam exercere, & leges orbi vniuerso, ipsisque populorum principibus quoad temporalia quæque obiecta ponere.

Denique Apostoli vt argumentum aduersariorum retorqueamus, non pollebant nisi tenui participatione potestatis Christi Domini, & tamen leges tulerunt. Nam actorum 15. Apostoli mandant abstinentiam à certis cibis, relaxantes cætera onera. Et Paulus 1. Corinth. 5. vetat conuictum cum iis qui indignè Christiana professione se gererent. Qui etiam alibi, dicitur iussisse custodiri præcepta Apostolorum, & seniorum. Et rursus alibi, comminatur se in virga venturum, nec paciturum, & in promptu habere vlcisci omnem inobedientiam. Ex quibus manifestè habetur, Apostolos ita se agnouisse Christi ministros, & dispensatores mysteriorum Dei, vt tamen simul agnoscerent, se non esse donatos nudo ministerio annuntiandi

tiandi Euangelium; sed insuper sortitos à Christo esse, potestatem iubendi quæ essent ad salutem fidelium necessaria; & castigandi noxios ac inobedientes. Ex qua facultate coactiua, apertè habetur potestas directiua, cuius illa est quasi satellitium. Idem porrò est de viris Apostolicis, quorum legislatiuam potestatem eruditè stabilit Franciscus Turrianus lib. 1. pro Epistolis Pontif. cap. 27. Multo itaque magis Christus Dominus cuius Apostoli & Apostolorum successores locum tenent, filiis natis pro patribus, constitus esse Princeps & legislator super omnem terram. Quod aliqui voluntpræ-nuntiatum Psal. 9. verbis illis, formula optandi expressit pro more Scripturæ, *constitue Domine legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines sunt:* quamuis alij eum locum ad Antichristum potiùs referant, Iudæos Christo rebelles, specie subleuationis oppressorum. Alij & valdè verisimiliter, eum locum referunt ad Constantinum Magnum, Gregis nostri Zoro babebam, vt Theodoretus in historia Relig. S. 1. *in fine* scitè nominauit: vel ad Theodosium, aliosque pios Imperatores, à quibus Christiana Religio legibus communita, Ethnicismus autem legibus coercitus ac euulsus est. Esse igitur Christum regni Ecclesiæ legislatorem presse ac propriè dictum, extra dubium esto.

### *Prima aduersariorum machina, de lege per Mosem data, gratia per Christum facta, euertitur.*

610 Argumenta Aduersariorum, eiusmodi sunt, quæ commiserationem potiùs moueant, quàm difficultatem ingerant. Primum erat, legem datam esse per Mosem, gratiam autem factam esse per Iesum Christum, vt habetur Ioannis 1. Verùm inde determinè infertur, Christum potestate legislatiua caruisse. Non enim conceditur Mosi legislatio, vel potiùs legis promulgatio; Christo autem gratiæ & veritatis effectio, vt remoueatur à Christo potestas legis ferendæ: sed insinuatur quid vtrique peculiare fuerit, non expresso apertè eo quod commune vtrique fuit; nempe legislatione. Quamquam neque hæc propriè loquendo est Mosi tribuenda, vt infrà dicam. Mosi ergo peculiare ac proprium fuit, quod vt Diuus Augustinus tract. 3. in Ioannem rectè expendit, tanquam seruus fidelis in domo Dei, promulgauit datam sibi à Deo legem, gratiæ prorsus sterilem, quantum erat ex vi ipsius legis: multis autem rituum & ceremoniarum teguminibus obuoluentem, quæ aliquando conferenda erant vero Dei populo. At Christus vltra illum ostensionem boni ac mali à lege præstitam, contulit Spiritum vitæ, vt perfici possent, quæ per legem agnoscebantur, vt sæpe Apostolus ad Rom. & Galat. docet. Et hoc est *facere gratiam.* Exhibuit etiam reipsa, quæ per vmbras & figuras à Mose & Prophetis monstrata fuerant, quod est *facere veritatem.* Id vnum de Christo & Mose affirmatur cap. illo 1. Ioannis, & sub aliis verbis aut typis, traditur à plerisque Patribus, discrimina legis Mosaicæ & Christianæ tradentibus. Sed de impletione figurarum legis in Christo, satis supra est dis-

putatum. Nunc iuuat attingere alterum membrum huius loci proprium.

Quoad gratiam ergo per Christum factam, non à Mose vt D. Augustinus cùm alibi frequentissimè, tum accuratè libro de Spiritu & littera prosequitur, optimè obseruat S. Cyrillus Alexandr. lib. 2. de Ador. id expressum esse in rubo, cuius ignis lucebat, sed non ardebat, calorémque emittebat nullum. [Israeli nimirum (ait Cyrillus) tanquam siluestri arbori, ac dulcis Iustitiæ fructus nullos habenti, quod in Ægyptiorum legibus aleretur, Angelorum administratione danda lex erat; quæ illuminandi vim quidem haberet, si spiritaliter intelligeretur, eadémque tamen menti tenebras posset offundere: (habet enim ignis natura, vt efficiat id quoque:) sed tamen cum accipientibus nullam vtilitatem attulerit, nulla ipsius culpa factum est. Verùm quod ij quibus cum agebatur, minimè lumen illud in animum atque in cor ad mitterent. Nam extrinsecùs cum literæ opibus veluti specie quadam luminis abundarent, quod habere se putabant, reuera minimè habebant. Quod igitur circa rubum ignis videbatur quidem, neque tamen arbori illi sensum caloris inferebat, eiusmodi mihi quippiam significare vidétur.]

611 Idem significabat iuxta eundem Cyrillum lib. 3. de adorat. & Damascenum Orat. de Transfig. *sub finem*, quod Moses populum diu circumduxit, atque lassauit per desertum; ad terram tamen promissionis perducere non potuit, sed id præstitit Iosue, qui typus Christi etiam nomine fuit. Nimirum quia lex fatigat & angit hominem, monstrata bono quod faciendum, & malo quod sit declinandum. Sola tamen lex non saluat, quia est gratiæ vacua, eámque facit & confert solus Christus. Concinit egregiè his verbis Augustinus q. 53. in numer. exponens mortem Aaronis ac Mosis, extra terram promissam. [Huius rei mysterium datur intelligi, quia nec sacerdotium quod priùs institutum est, cuius personam gerebat Aaron, nec ipsa lex cuius personam gerebat Moyses, introducunt populum Dei in terram hæreditatis æternæ: sed Iesus in quo typus erat Domini Iesu Christi, id est gratia per fidem. Et Aaron quidem ante defunctus est, quàm Israël in aliquam partem terræ promissionis intraret: Moyse autem adhuc viuente, capta est terra Amorrhæorum atque possessa, sed Iordanem cum eis non est transire permissus. Ex aliqua enim parte, lex obseruatur in fide Christiana. Ibi enim sunt etiam præcepta, quæ hodiéque obseruare iubemur Christiani. Sacerdotium verò illud & sacrificia, nullam partem tenent hodiè fidei Christianæ, nisi quod in vmbris futurorum, acta atque transacta sunt. Cum verò ambolus fratribus id est, Aaron & Moysi dicitur, vt apponantur ad populum suum; manifestum est non esse illos in ira Dei, quæ separat à pace sanctæ societatis æternæ. Vnde manifestatur non solùm officia, sed etiam mortes eorum, signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei.]

Id ipsum ferebat missio serui cum baculo Prophetæ ad puerum iacentem, neque voce tamen consecuta Spiritu: quæ reuenerunt ipso Propheta aduenient, & se iacenti cadaueri applicante. *Si enim data esset lex quæ posset viui-*

*ficare, verè ex lege esset iustitia.* Nunc autem aliter accidit. Disserit in eam rem plenè D. Augustinus l. 4. contra duas Epistolas c. 5. Externum limbum repræsento quo D. Augustinus locum ex c. 3. Prouerb. ex interpret. 70. huc accommodat. [ Ideò lex itam operatur, vt territo atque conuerso ad iustitiam legis implendam, Dei misericordiam gratia largiatur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Dei sapientia, de qua scriptum est, *legem & misericordiam in lingua portat:* legem qua terreat; misericordiam qua subueniat: legem per seruum; misericordiam per seipsum; legem tanquam in baculo, quem misit Helisæus ad filium Viduæ suscitandum, & non resurrexit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, omninò ex lege esset iustitia. Misericordiam verò tanquam in ipso Helisæo, qui figuram Christi gerens, mortuo viuificando, magni sacramenti velut noui Testamenti significatione coniunctus est. ] Elegantissimè idem tradit Prosper. l. de promiss. pane 2. c. 31.

Liquet igitur, quantoperè delirent Sectarij, cum ex eo quod lex per Mosem sit data, & gratia per Christum facta, colligunt Christum nullam tulisse legem. Quasi verò pugnarent subministratio gratiæ ad impletionem legis, cui exsequendæ nullas suppetias conferebat Moises; & legislatio alia. Christus enim & gratiam contulit qua olim qui sub Mosis lege viuebant eam implere poterant, & abrogata lege Moisi eundem vitæ Spiritum vberiùs confert, vt qui Christianis legibus alligantur, eas adimpleant leges quas ipse de nouo tulit. Itaque meritò dicitur fecisse gratiam, quod Moyses nullo modo fecit, etiamsi Christus legem insuper tulerit, quod fuit ei aliquatenus cum Mose commune, in cuius manu lex est ordinata per Angelos: Idest qui legem veterem tulisse visus est, quia eam promulgauit statuente Deo. Vnde nihil habetur contra potestatem legislatiuam Christi Domini.

### *Deiicitur secunda sectariorum machina, ex perfecta Euangelij libertate.*

612 Æquè misera est altera Sectariorum ratiocinatio, ex eo ducta, quod Christus perfectam libertatem contulerit atque adeò leges omnes depulerit. Hoc verò furere aut rabere est, non ratiocinari. Sic enim non modò Christi, sed etiam Dei ipsius legibus exsolueremur in nouo Testamento, induceretúrque immanis euersio omnis honestatis, prætextu libertatis collatæ per Christum: quam fatemur quidem esse perfectam, & ita reipsa vocatur à Iacobo Apostolo; sed negamus esse libertatis perfectæ, & nullis næuis commaculatæ, excutere iugum cuiusuis legis. Quin potiùs tunc maximè perficitur libertas, & ad eum vsum in quem diuinitùs collata est, adhibetur, cum exercetur iuxta præscriptum legum propriè dictarum, ac nominatim legum Christi. Sectariis ergo, cum prætextu libertatis, iugum legum Christi excutere tentant, & Christum legislatiua potestate impudenter spoliant, occinendum est illud S. Petri, *quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.* Et illud Pauli ad Galatas 5. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Erant enim iam tunc exleges quidam, eodem quo nunc isti Spiritu Satanæ impulsi, qui iactantes collatam per Christum libertatem, effrænes in quoduis barathrum ruerent. Itaque eam peruersitatem, & pestilentissimam Christianæ libertatis detortionem, è Christianismo eliminate annisi sunt arietes illi gregis Christiani: quod ad propositum Pauli locum S. Hieronymus egregie expressit, prolata primùm longa interpretatione Origenis ex lib. 10. Strom. quæ reuera nimis mystica est, & aliena à Pauli mente. Aliam verò aptiorem ex mente sua subiicit Diuus Hieronymus. [Dicamus (inquit,) de seruitute legali, ad Euangelij libertatem vocatos ( quibus superiùs dicitur: *state, & nolite rursum iugo seruitutis hærere,*) etiam nunc moneri, vt leue Christi iugum, & delectabilia Euangelij præcepta sectantes, nequaquam putent sibi licere, vt hac ipsa libertate viuendi in occasione carnis vtantur: scilicet vt iuxta carnem viuant, iuxta carnem circumcidantur, sed Spiritu magis stent, Spiritu præputium carnis abscidant, & ad spiritus altiora tendentes, humilitatem literæ derelinquant.] Omnium autem optimam existima, expositionem tertiam, quam mox idem Hieronymus apponit, sic glossans locum illum. [ Dicat quispiam; Si cessaui ô Paule esse sub lege, & de seruitute in libertatem vocatus sum; ergo debeo ita viuere, vt conuenit libertatis nec aliquibus præceptis teneri: sed quodcunque placuerit, & voluntas suggesserit, hoc facere, implere, sectari. Ad quod respondet Apostolus: vocatos quidem nos esse in spiritus libertatem; sed ita vt libertas ipsa, carni non seruiat. Nec putemus quia nobis omnia licent, omnia expedire: Quin potiùs quia serui legis esse cessauimus, facti liberi magis, per charitatem nobis inuicem seruiamus: vtilcinioſæ legis præcepta, vnc dilectionis capitulo concludantur. ]

Non dissimilis locus habetur apud Apostolum Roman. 6. vbi cum dixisset, *non estis sub lege, sed sub gratia,* præsentiens carnalium non istum grunnitus, subdit illicò; *Quid ergò peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.* Subiicitque longam orationem de Christiana libertate quæ est à peccato, & connectitur cum seruitute iustitiæ in sanctificationem. Qua oratione manifestè liquet, mentem Apostoli apertè esse, libertatem Christianam esse libertatem à seruitute peccati & Satanæ, seu fomitis & incentiuis eius, vel gehennæ inflammantis rotam natiuitatis nostræ: Esse item libertatem à seruitute legis Mosaicæ: Optimè autem cohærere cum seruitute, Deo, & Christo legislatori, & legitimæ cuius potestati debita. Nolo cratibem toties recoctam recoquere. Quare abes relegans auidum plurium de hoc argumento lectorem; ad eos qui se Christiana libertate tractatos iustos ediderunt, vt Driedonem, Ferrariensem, Lensæum. Vide etiam Bellarminum l. 4. de Iustific. c. 6.

### *Conteritur machina tertia, ex voce Euangely.*

613 Tertia Sectariorum machina, ad euertendam legislatiuam Christi potestatem, ducebatur ex eo quod Christiana prædicatio denominetur *Euangelium,* siue *nuncium latum, & festiuum* ob excussum iugum legum: quæ notatio falsa esset, si Christus lege aliqua nos deuinxisset.

set. Verùm hæc machina, manet ex proximè dictis euersa. Fateor sanè, Euangelium idem esse quod nuncium bonum, etiamsi interdum quoque sumitur pro mercede boni nuncij. Nam 2. Regum 4. vbi nos habemus *cui oportebat mercedem dare pro nuncio*; septuaginta vertunt *cui oportebat me Euangelia dare*. Ipséque Tullius, ex sensu *Euangelium* vocem vsurpauit lib. 2. ad Atticum epist. 12. sed in eo non est hærendum, simpliciterque admittendum est, nomine *Euangelij*, exprimi prædicationem Christianam, eo quod faustissima nuntiet: non exsolutionem à præceptis quibusuis, qui non esset bonus nuncius, cum nostra valdè interfit subiiacere legitimis præceptis, iisque dirigi & astringi: sed communicationem innumerorum bonorum quorum facti sumus per Christum participes. Complexus rem hanc vniuersam egregiè est S. Chrysostomus hom. 1. in Mathæum, verbis illis. [Non abs re Matthæus; *Euangelium* scriptionem suam vocauit. Siquidem pœnarum sublationem, veniam peccatorum, sanctificationem atque iustitiam, redemptionem, adoptionem etiam filiorum, & cœlorum hæreditatem, & cum Dei filio fraternitatem, omnibus inimicis Dei & in tenebris sedentibus nunciauit. Nam qui possit esse æquale his tam bonis nunciis? Deus in terris, homo in cœlo: facta est omnium vna permixtio, Angeli cum hominibus iungebant choros, homines choris addebantur Angelicis, atque cælestibus aliis, supernisque virtutibus. Erat cernere antiquum repente prælium dissolutum, Deum hominibus reconciliatum, Diabolum verò confusum: Dæmones cum tremore fugientes, mortem peremptam, paradisum apertum, maledictionem remotam, peccatum de medio sublatum, exagitatum errorem, veritatem reuersam, pietatis sermonem vbique seminatum, vbique crescentem, cœlestem conuersationem in terræ regione plantatam, virtutes supernas familiariter nobiscum loquentes, & ad terras sæpè Angelos ventitates; Exque his omnibus, spem firmam & certissimam futurorum. Propterea igitur *Euangelium* ista vocatur historia.]

Optimè item Eusebius lib. 1. de præpar. cap. 1. quem adscribo, quia eximiè quorum bonorum faustum nuncium Euangelio contineatur, expressit. Sic autem habet. [Euangelium dicimus, quod æternorum atque incorruptibilium bonorum quæ certæ suprema & maxima sunt, & antiquissimis prædicta temporibus, nuper verò splendore sui orbem illustrantia, cunctis hominibus annunciat: quod non cæcas caducasque huius seculi diuitias, nec breuem hanc calamitosámque vitam, nec instabilia corporis commoda, sed animarum quæ intellectualis substantiæ sunt, à quibus etiam corporum bona quasi vmbra consequentia dependent, summam propriámque nobis affert felicitatem; cuius quasi caput religio est, non illa gentilis quæ falsa, & ficta, erroríque plena, nomen mentita est: sed hæc nostra, quæ ipsarum rerum veritate, appellationem adinuenit, quam animi ad vnũ solum & verum Deum firmam stabilémque conuersionem, & vitam quæ mandatis eius peragatur, esse asserimus. Qua quidem ex vita, amicitia etiam inter Deum & homines constituitur: Amicitiam verò beatitudo illa vltima, & felicissimus finis consequitur; qui à superioribus dependet; inde gubernatur, ac rursus eò peruenturus est. Quid igitur hac inter Deum & homines amicitia, melius nobis atque beatius excogitari potest? Nonne vitæ, lucis, veritatis, bonorúmque omnium, ipse fons atque largitor est? An non ipse, vt cuncta & sint & viuant, causam in se ipso complectitur? Qua ergo re indigebit, qui eius amicitiam adeptus est? qui rerum omnium creatorem charitate sibi coniunxit? qui patrem atque tutorem illum sibi ascripsit? Non possumus profectò dicere, quin omnia quæ ad animam, quæ ad corpus, quæque ad externa pertineant, optimè beatissimèque is possideat, qui charitate proximus Deo factus, beatissimam eius amicitiam, exacta, exquisitaque religione consecutus est.] Qui de eiusdem nominis notatione, & bonis quæ Christus annuntiauit, plura desiderat, Origenem adeat præfat. in Ioannem. Nobis satis supérque est, ex his paucis quæ protulimus, inanitatem colligere, argumenti ex nomine Euangelij aduersus legislatiuam Christi potestatem petiti.

### *Prosternitur machina vltima, ex voce Testamenti.*

614 Vrgebatur postremo loco vox *testamenti*, quasi non cohæreat cum legislatione & legibus Christi, cum non aliud sonet quàm dispositionem hæreditatis, vel pactum aut fœdus: quorum vtrumque alienum est à vera lege. Admitto, scripturas status Euangelici, æquè ac anteriores canonicas, Testamenti nomine iure insigniri: nec inficior id nominis ab eo modo quo mens alicuius potest testata fieri, in pactis & conuentis, vel in extrema de bonis suis dispositione, eórúmque transcriptione in aliquem, vsui prædicto accommodatum videri. Quod erudite monstrat Serarius in Prolego. Bibl. cap. 25. quæst. 10. & 11. Nimirum quia in Scripturis continentur Dei pacta nobiscum, quibus ipse nos in populum ascisci, nósque vicissim illum in Deum accipimus: cúmque vsum vocis *Testamenti*, amare Scripturas ait D. Augustinus quæst. 94. in Genes. Et indicari proprie voce *Testamenti*, quoties in scripturis adhibetur, notauit S. Hieronymus in qq. in Genes. & in cap. 3. Epistolæ ad Galatas, ex Hebraicæ vocis *berith* notione maximè propria, quæ *pactum* ac *fœdus* propriè designat. At tale Dei pactum, continetur in Scripturis diuinis, vt Deuter. 26. & Leuitici 26. legere licet. Et per proportionem cum priscis scripturis, nouæ quæ non minoribus aut infructuosioribus pactis Dei nobiscum scatent, dictæ ipsæ quoque sunt *Testamentum* quod ex Apostolo Roman. 15. & 2. Corinth. 6. diligenter explicat Iosephus à Costa lib. 1. de Christo reuelato cap. 12. addens c. 13. præter eam ex communi ratione *pacti* denominationem, intercessisse quoque specialem causam denominandi Scripturas diuinas *Testamentum*, nempe quæ ducitur ex adaptione hominum in filiis Dei, & ex dispositione hæreditatis diuinæ in fauorem hominum, tanquam Dei liberorum quam dispositionem, *Testamenti* nomine insigniri, fert vsus humanus, cui Deus ad ingenerandam nobis aliqualem rerum suarum notitiam, se accommodare solet. Continetur autem ea dispositio, in Scripturis.

Itaque meritissimò appellantur nomine *Testamenti*, duas ob causas.

Quod tamen inde eruunt hostes legislatiui è potestatis Christi Domini, nouis scilicet Scripturis non contineri leges vllas; hoc verò est quod admitti posse nego. Nam Apostolus Roman.8. cum dixisset, *si filij & hæredes*; subiungit confestim, *si tamen compatimur, vt & conglorificemur*; satis demonstrans, adoptionem diuinam, & institutionem nostram in Dei hæredes, Testamento Scripturarum consignatam, nisi obseruatione legum Christi. Nec quicquam est frequentiùs, quàm vt quis instituatur hæres, sub conditione exequendi certum præceptum quod eadem Testamenti Scriptura contineatur. Idque etiam circa Testamentum diuinum habere locum, obseruat S. Augustinus q. 7. in Iosue, ad illa verba *Peccauit populus, & transgressus est Testamentum meum quod disposui ad eos.* Ad quem locum, sic D. Augustinus. [Notandum quemadmodùm Testamentum appellet, hoc quod præceperat, vt anathema esset Hierico, & nemo sibi inde aliquid vsurparet.] Quare quæcumque aduersùs legislatiuam Christi potestatem intorta sunt à Sectariis exlegibus, nullo planè loco sunt habenda.

### *Firmatur assertio fidei proposita, de Christo legislatore, excluso Ioanne.*

615 Est igitur Christus legislator. Verè enim tulit legem nouam. Quod tanquam ex fide certum, & apud sanos omnes indubitatum supponi debet: quicquid è contrario censuerint nuperi quidam Sectarij apud Canisium l. de S. Ioanne c.6. qui moti verbis illis Christi Luc.16. *Lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem*, fabulantur S. Ioannem Baptistam, antiquasse legem veterem, & Mosaicos ritus aboleuisse: initium autem nouæ legis dedisse, reserata eius ianua; idest instituto Baptismo. Sicque accipiunt, (verùs detorquent & adulterant,) quædam Patrum loca, quibus Ioannes dicitur fuisse *veteris Testamenti finis, & noui principium.* Verba sunt Cyrilli Hierosolymitani Cathec.3. similiáque illa Tertulliani l.4. in Marcionem c.33. [Ioannes constitutus inter vetera & noua, ad quem desineret Iudaismus, & à quo inciperet Christianismus.] Item illa Paulini Natali 9. S. Felicis.

*Idem Euangelij sacra ianua, metáque legis.*

Addenda & illa Petri Damiani serm.23. *in septimo Baptistæ honore.* [Porrò illud quale est quod in isto baptismate terminatur lex, finem accipit Prophetia, & omnis illa sacrificiorum multitudo propulsatur, & pellitur? Hic incipit & stabilitur nouæ regenerationis perduranda purgatio, & in vnam baptismatis formam, legalium transeunt dispendia figurarum.]

Verùm hi Patres, à mente prædictorum erronum absunt quàm longissimè. Est enim manifesta blasphemia, Ioannem statuere antiquæ legis abrogatorem, & nouæ plantatorem primum. Nec Baptismus quo populos ad se adeuntes abluebat Ioannes, erat reipsa idem cum Christiano Baptismo, qui est legis nouæ ianua: sed vt Iustinus q. 37. ad Orthod. pulcherrimè dixit, Baptismus ille erat dumtaxat præludium, siue manuductio & introductio. Quo pacto loquitur Cyrillus Alexand. l. 2. in Ioannem c. 57. aut Catechismi ad verum Baptismum in Spiritu sancto & igni, vt loquitur Rabanus l.2. de Instit. Cleric. c. 26. plenius hæc de re in Tractatione de Baptismo. Nec statim à Ioannis aduentu aut prædicatione, enerua tam fuisse legem veterem, experientia docuit, cum etiam aliquo tempore post Ioannis mortem, viguerit. Multo minùs per Ioannem plantata est lex noua, cum Ioannes non fuerit lux, quippe qui Baptismo dumtaxat pœnitentiæ præparauit populum, *dicens in eum qui venturus erat vt crederent, hoc est in Iesum.* Dicitur tamen Ioannes principium nouæ legis, & finis antiquæ, quia fuit *complementum legis & omnium Prophetarum*, vt loquitur S. Macarius hom.28. Indicauit enim digito eum quem lex & Prophetæ tanto ante præmonstrarant venturum, ipse verò præsentem, & in medio stantem designauit, vnde Lucas c. illo 16. non dixit *lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem duranerunt*, sed vt eamdem sententiam retulit Matthæus *lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem Prophetauerunt.* Non quod nullus fuerit post Ioannem Prophetiæ locus; id enim falsò asseretur, cum constet, Apocalipsin in perpetuam esse Prophetiam, & quinque Philippi Diaconi filiæ Virgines, Prophetasse prodantur; Agabus quoque nouæ legis Propheta memoretur. Sed quod nullus Propheta de Christo venturo Prophetans, auditus sit ex quo Ioannes plusquàm Propheta in mundum venit, & Christo illustrissimum perhibuit testimonium. [Testatur de Christo, (ait Cyrillus hierosol. catech. 10. *in fine*) Ioannes Baptista, maximus quidem inter Prophetas, Archidux autem noui Testamenti, & quodammodò conglutinans in seipso ambo Testamenta, & nouum & vetus.] Nempe testando quod aduenisset desiderium collium æternorum, & instaret exitus legis veteris, noua mox lege substituenda per Christum. Hoc sensu, S. Augustinus serm. 23. ex 40. nouis, Prophetas appellans *voces*; concludit, Baptistam fuisse omnium vocum signaculum, atque ideò specialiter dictũ *vocem* quia Verbo immediatò præiit. De quo etiam benè Origenes Tomo 5. in Ioan. Ex his Guerricus Abbas serm. 1. de S. Ioanne, summam Baptistæ sanctitatem sic intulit. Æquum erat, vt gratia non mediocri emineret, qui gratiæ tempus à tempore legis, velut medius limes disterminaret.] Idque fortassis, præter sensum iam allatum, spectauit S. Macarius, cum Baptistam vocauit *complementum Prophetarum*; hoc est, sanctitate Prophetas omne anteriores superantem Prophetam; sicut Nazianzenus orat. 28. vt Arrium, insigni accessione malitiæ anteriores hæreticos superasse doceret, nominat illum, *malitiæ complementum.* Cæterum Ioannes tametsi magnus & maximus, fuit, maior tamen eo qui minor est in regno Cœlorum: hoc est Christus, iuxta interpretationem multorum Patrum apud Suarem Tomo 2.3 partis disp.24. s.3. Maior inquam, cum ex aliis capitibus, tum ex hoc nominatim in quo versamur. Non enim fuit legislator, quod decus Christo asseruimus.

### *Christo, nullus similis in legislatoribus, etiam proprie dictis.*

616 Nec qualiscumque Legislator fuit Christus, sed ita vt *nullus sit ei similis in legislatoribus*, vt dicitur Iob. 36. Quod de Christo dictum, agnoscit S. Greg. 27. moral. cap. 1. & ita

ita interpretatur. [Helias Redemptoris nostri aduentum humilem, non humilis conspicit, & cum prophetando prædicat quem elatis moribus impugnat, dicens; *ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislationibus.* Ac si apertè dicat; Qui humilis videbitur in infirmitate, excelsus manet in fortitudine; Paulo hoc etiam attestante, qui ait. *Quia etsi crucifixus & ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei* De quo rectè subiungitur; *nullus & similis in legislat.* Legislator Moyses, Legislator Iosue, legislatores & etiã Prophetę, legislatores cũctos dicere possumus, quos ex lege admonuisse recta populum scimus. Sed huic mediatori, in legislatoribus similis nullus est: quia isti gratuitò vocati ex peccatis ad innocentiam redeunt, & ab his quæ intra semetipsos experti sunt, prædicãdo alios reducunt. Redemptor autem noster, homo sine peccato est, filius sine adoptione. Nec perpetrauit vnquam quod redarguit, & sic mundo ex humanitate loquitur, vt tamen eidem mundo ante secula ex diuinitate dominetur.] Itaque legislatorem accipit S. Gregorius pro quolibet idoneo ad virtutem monitore, cuiusmodi fuerunt SS. Prophetæ, & omnes iam olim serui Dei, etiamsi potestate legislatiua destituti, quibus supra comparationem omnem antecelluit Christus Dominus. Idque sanctus Gregorius confirmat ex capite 3. Cantic. vbi sponsa cum quæsitum sponsum non inuenisset, ait iuuentos abs se vigiles, ideſt ciuitatis Dei custodes, à quibus se vulneratam charitatis spiculo, & ablatum abs se pallium vetustæ conuersationis profitetur; neque tamen nisi his pertransitis, inuenisse sponsum. [Quia visioni eius mens auida, nisi Prophetarum æstimationem, nisi Patriarcharum celsitudinem, nisi cunctorum hominum mensuram transcenderet, eum qui est super homines non inueniret. Transite ergo est vigiles, etiam eos quos miratur anima in eius comparatione postponere. Et tunc is qui quærebatur, cernitur, si homo quidem, sed tamen extra mensuras hominum credatur. Vnde benè nunc dicitur, *Nullus ei similis in legislatoribus.*]

Aliter tamen accipi volo, quod dixi, nullum esse Christo similem in legislatoribus. Sumo enim propriè ac presse *legislatorem*, pro eo qui ex auctoritate qua pollet, fert legem aliquid præscribentem, aut aliquo interdicentem. Verè enim nullus vnquam fuit legislatorum huiusmodi qui cum Christo conferri posset. Idque intelligi facilè potest, imprimis ex ea Christi supra omnes homines qui legislatores vspiam egerunt, eminentia proximè demonstrata ex S. Gregorio. Quia enim lex partus est prudentiæ practicæ, necesse est pro eximia Christi prudentia, vim quoque eius legislatiuam, & leges eius fuisse eximias.

### *Christi, & externorũ Legislatorum collatio, quoad prudentiam, & vim pellectricem.*

617 Et non pauci quidem priscorũ legislatorũ, vt leges suas ritè & sanctè conscriptas mentiretur, frui se numinis cuiuspiam colloquio præse ferebant. Sic Minoem ad Iouis antrum Cretense ventitantem, nouem annorum spatio leges ab eo accepisse, fabulantur Ethnici apud Clementem Alexandrinum lib. 1. strom. cap. 14. Vbi de Lycurgo quoque est mentio, leges suas edocto ab Apolline Pythio, & de Zaleuco Locrensi, qui à Minerua leges accepisse dicebatur. Numam Ægeriæ Deæ colloquiis leges suas adscripsisse, produnt scriptores Romanæ Historiæ. At Legislator de quo agimus, non ipse à Deo quopiam (verius Satana) vt illi, edoctus est leges suas, qui ipsemet Deus est, & Dei vnigenitus. Vnde illa eius potentia ad flectendos mortales omnes, vt legibus suis viuere vellent: quod nullum vnquam prædictorum, & aliorum Legislatorum perficere potuisse, ac nedum quidem Dominos Romanos id assecutos latè prosequitur Theodoretus initio lib. 19. contra Græcos: cum tamen Christus ad Legum suarum professionem omnes adduxerit, & quidem volentes & absque vi. [Nostri illi Piscatores ac Publicani, Sutórque ille noster, cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neque solùm Romanos, quique sub Romano viuunt imperio, sed Scythas quoque: ac Sauromatas, Indos prætera, Æthiopas, Persas, Seras, Hyrcanos, Brittannos, Cimmerios, & Germanos, vtque semel dicatur, omne hominum genus, nationésque omnes, induxerunt crucifixi leges accipere; non armis vsi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Persicæ violentia, sed verborum suasu, ostensâ legum quas prædicabant, vtilitate.]

Addit multa de fortitudine tam multorum in excipienda morte pro Christi legibus; deque stabilitate earumdem aduesùs omnes contra citentium Regum & Imperatorum impetus, quod incredibilem legum Christi firmitatem, eis ab auctore Christo conciliatam demonstrat: dimisso autem prolixo quem ibi texit eam in rem discursu, breuiculum ex calce libri repræsento, quo firmam legum Christi immobilitatem & inconcussam stabilitatem, ob oculos Ethnicis subiicit in hunc modum. [Harum itaque legum, quæso Græci homines robur ac virtutem inspicite. Has enim leges Romani ac Persæ, illorúmque extra ditionem positæ nationes, abolere conati, suam ita quidem imbecillitatem ostenderunt, earum verò legum multo clariorem potentiam reddiderunt. At verò quas Lycurgus leges Solónque tulerunt nullis vnquam vexationibus agitatas fuisse legimus; sed abolitas sponte sua dissolutásque videmus. Neque verò Apollo Pythius, nec Dodonis columba, quas olim leges tulerant, perpetuò conseruarunt. Ad primos enim Romanorum iussus, extinctæ sunt.]

Idem quoque, breuissimè sed efficassissimè vrget illud aliud argumentum quod dicebant de legum Christi sanctitate & vi pellectrice tam multorum, ad mortem quoque pro eis cum gaudio sustinendam. [Age verò (inquit) Græci, nobis ostendite vnum saltem Spartiatam ciuem, qui pro tuendis Lycurgi legibus; vnum Athenienſem qui pro Solonis; Locrenſem, qui pro Zaleuci, Cretenſem, qui pro Minois, subire mortem pertulerit. Nemo autem vestrum id ostendere nobis poterit. At nos contra, vobis ostendimus Piscatorum Sutorisque nostri legibus, virorum multorúmque multa millia, mortem sæuissimam subiisse. Testes autem nobis sunt, testium ipsorum id est Martyrum excitata templa, quibus vrbes quàm plurimæ regionésque exornantur, ac illustriores reddun-

tur:

turmagnáſque indè tum externis, tum indigenis hominibus,emolumenta proueniunt.]

### *Eorumdem comparatio, quoad legum ſanctitatem.*

618 Sed nihil æquè ſanctitatem legum Chriſti atque adeò legiſlatoris æquitatem atque præſtantiam demonſtrat, quàm earum cum legibus quorumuis legiſlatorum externorum comparatio. Adhibet eam comparationem quoad leges Ethnicas, Theodoretus eodem libro. Docet enim quanta eſſet Lycurgi legum Lacædemoniis latarum turpitudo, quibus hoſtium in morem peregrini è finibus Laconum arcebãtur, & introgreſſi pellebantur; nefarius puerorum abuſus probabatur,irruptio in alienũ thorum,libera cuique & arbitraria erat.Per ſe patet quanta eſſet legum huiuſmodi turpitudo,tametſi eas tanquam Pythiacas & auctore Pythio Apolline conſcriptas,admirabantur Græci omnes; ipſéque in primis plato. Cuius leges non minùs ſordere, latè ſub eiuſdem libri finem demonſtrat Theodoretus: Spurcitiam præſertim vrgens,in mandata mulierum nudatione,in promiſcuo vſu mulieris & viri cuiuſcumque; de quo erubeſcentes nonnullos Platonis diſcipulos, Platonem aliter interpretari conatos eſſe, docet: ſed fruſtrà conatos, cum manifeſtiſſimè id Plato edixerit, vt adſcriptis eius verbis confirmat. Eáque ad hoc Platonis, Socrate magiſtro, propudium repellendum adſcribit Saluianus l.7.de prouidentia, hoc elogio tetram illam legum colluuiem exornans. [Omnes penitùs maritos,quantum in ipſo fuit, lenones vxorum ſuarum eſſe fecit:Quantum ad doctrinam ſuam pertinet,lupanar fecit mundo.] Et mox. [Omnes domos ſcortari voluit, & in cunctis habitaculis lupanaria ædificare conatus eſt: proſtare voluit omnes Virgines.] Sed & illa lachrymis vel etiam igne digna, vt Theodoretus ait, quod poſt certam coniugum ætatem, durante licet coniugij vſu, non concipi prolem, vel conceptam abigi, lege ſanxerat Plato. Quod ſi ederetur in lucem, & lethalis poculi vim ſuperaret, præcipiebat exponi abſque alimento, vt pabuli inopia mortem obiret. Iam quod vel relatu fœdum eſt, leges Platonis, pæderaſtiam,ſanctam, & in beatitatis præſentis parte habebant. Circa cædem verò hominum, etiam parentum, & coniugum,ac liberorum,ea iiſdem legibus mandabantur, quæ ſine horripilatione audire nemo poſſit. Partem aliquam huiuſmodi proprorum, alij quoque inter Ethnicos laudatiſſimi legiſlatores, referre debent. Nam fœtentiſſimas illas & omni exſecratione proſequendas in ſolo ſterili ſeminationes, Solon legiſlatorum Græcorum ſapientiſſimus,ratas habuit,Plutarcho teſte in Solone. Ariſtoteles, aborſum inanimati fœtus,& iam natæ prolis expoſitionem, (vt multi quidem exiſtimant) probare viſus eſt l.7. polit. c.16 Zaradas Perſarum legiſlator, matrum, ſororum, filiarúmque connubia fuſdéque commixta,tem ioſtiſſimam arbitrabatur.Lex Chriſti, omnia hæc propudia ſuſtulit ex orbe:vt propterea quod ſcite tradit S.Methodius, l. de caſtitate apud Photium Codice 237. in paraboade qua Iudic.9. Rhamnus quæ caſtitatis typus eſt, legi Euangelicæ reſpondeat, & regnare per eius tempus dicatur. [Rhamnus (inquit) Virginitatem denotat. Rhamnus enim arbor caſta eſt, & fortaſsè ex ſimili quadam cum Virgine natura, ſtirps hæc, ῥάμνος καὶ ἁγνὸς appellatur; Rhamnus quidem propter robur & fortitudinem contra voluptates. Ἁγνὸς verò, quod omni ex parte caſta & pura ſit. Vnde & Heliam ferunt à facie Iezabelis mulieris fugientem, ad rhamnum primùm veniſſe,atque exauditum fuiſſe, cibumque accepiſſe, quia fugientibus ſtimulum carnis, & fœminam, & voluptatem, perfugium & tegumentum, caſtitatis lignum germinauit, quod ab aduentu principiis Virginum Chriſti, regnum in homines obtinuit: hoc enim vnicum, cuius ipſos nunquam pœniteret, poſt Chriſti aduentum arripuerunt hommes, cum ſingulorum aliorum quibus datæ fuerant leges, ante Chriſti aduentum, regnorum habenas à ſe ipſis celeriter excuſſiſſent,& contrario falsóque parere,& ſe ſubiicere maluiſſent.]

Verè agnoſcere poſſumus, cùm ex aliis capitibus,tum ex hoc maximè, impletum per Chriſti legem eſſe, quod prædixerat Hieremias; *Gladius Domini deuorabit ab extremo terra, vſque ad extremum eius; non eſt pax vniuerſæ carni* Quem locum ſic exponit ibi Origenes hom.7. præfatus Chriſtum eſſe qui loquitur, & dicit, *propter me exterminata eſt omnis terra.* [Conſidera(inquit) eam quæ in te eſt, quomodo exterminata ſit terra, & hinc videbis poſt aduentum Ieſu Chriſti, impleta eſſe quæ dicta ſunt mortificatis membris noſtris ſuper terram; cum iam non operetur terra opera ſua, non fiant apud iuſtum ea quibus antea caro fouebatur; non fornicatio, non immundicia, non adulterij luxuria, non Idolorum ſeruitus, non veneficia, Dominus loquitur: *Quid putatis quia veni pacem mittere ſuper terram? Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Verè antequàm deſcenderet, non erat gladius ſuper terram, neque caro concupiſcebat aduersùs Spiritum, neque Spiritus aduersùs carnem. Quando autem venit,& edocti ſumus quæ carnis,quæve ſint Spiritus, & doctrina eius quaſi gladius immiſſus diuiſit carnem,ideſt terram à Spiritu,& exterminauit eam, quia mortificationem Ieſu Chriſti circumferimus in corpore noſtro, & non viuimus vltra iuxta carnem, viuit autem Spiritus; & ſeminamus non in carne, ſed in Spiritu, vt non metamus corruptionem de carne, ſed de ſpiritu vitam æternam.] De nitore ſanctimoniæ legis Chriſti ſatis multa.

### *Item quoad legum Humanitatem.*

619 Inſuper verò præceſſit mititate, & ſplendore humanitatis, quod decus aliis ferè legibus defuit. Addũctus ſuprà Zaradas,referente Theodoreto, mortuorum corpora canibus diſcerpenda voluerib́uſque, porrigere Perſis, quorum erat legiſlator,conſtituit:vt minus mirum ſit, tam fœdè ac barbarè hallucinatis viris ſapientibus, (vt quidem habebantur,) Barbaros leges habuiſſe planè fœdas, & inhumanis barbariſque omninò congruentes. Vt Maſſagetas, legem de mactandis ſenibus comedendiſque. Tibarenos, legem de præcipitandis ab altiſſima rupe,iis qui eſſent ætate prouectiores. Hircanos de canibus paſcendis humanorum cadauerum carnibus. Scythas, de iis infodiendis cum cadauere demortui, quos ille viuus maximè adamauerat

massèt. Hæc & alia anteriorum Christo Ethnicorum legislatorum probra, ex eorum legibus manifesta, monstrant apertissimè quanta legislatoris nostri præ iisdem sanctitas, sapientia, & præcellentia fuerit. Et accedit quod accuratè considerat Origenes lib. 1. contra Celsum *sub medium*, mortalium, his feritatibus & omni genere nequitiæ inquinatissimorum, reuocatio ad honestatem summam, per obseruationem legis Christi. Splendidè quoque in eo argumento versatur Eusebius Orat. de laudibus Constantini Magni, *sub medium*, demonstrans ante promulgatam orbi legem Christi, quanta Idolomaniæ cæcitas orbem occuparet; iis in Deos recentitis, quos turpissimos, ferissimos, impiissimósque fuisse, profitebantur illi ipsi qui colebant. Addit, quanta barbaries mundum propè vniuersum ageret, ad horrendas cædes, etiam propinquorum, specie sacrificij, & Diis litandi humano sanguine. Subdit de infinitis turbis, & implacabilibus orbe toto grassantibus; nec non de impurissimis, & vel sola commemoratione contaminantibus copulationibus, per variorum populorum scita legésque passim vigentibus. Crudelitates denique varias ad Antropophagiam vsque, & parentum mactationem grassantes, refert, & omnia illustrat subiectis exemplis. Concludit autem, promulgatione & obseruatione legis Christi, tam tetram, támque abominandam vniuersi faciem, speciositate Christianæ sanctitatis & humanitatis, summo bono nostro fuisse commutatam.

De Spiritu honestissimo per noui Testamenti ministros communicato, sic scribit S. Chrysost. sub finem homiliæ in Eutropium, & in illud *aßitit Regina*, [Quid Spiritus S. fecerit, vel nunc vide. Inuenit terram adopertam Dæmonibus, & cælum ex ea constituit. Nolim quæ præsentia sunt, cogitetis; sed quæ tum erant ad memoriam reuocetis. Tunc erant lamenta, tunc nullo non loco delubra, omni in loco fumi, nusquam non nidores. Scortationes vbique locorum exercebantur; vbicumque terrarum hostiæ sacrificiáve Gentilium. In quibus non terris debacchabantur Dæmones? Vbique gentium, arx summa à Diabolo consecrata erat. Nulla non regio, palmam tribuebat impudicitiæ.] Euertisse hac omnia Paulum per Christi legem, monstrat consequenter Chrysostomus. De summa honestate præcipuæ & radicalis legis à Christo positæ, quæ est de dilectione insigniter disserit idem Chrysost. hom. 5. in ad Roman. *in morali.*

Quod si posteriorum Christo legislatorum fatuitatem ac turpitudinem, cum sanctitate Christi & sapientia contendere velimus, non est quod in fatuas simul ac probrosas Thalmudistarum, & impias pleraſque Sinarum ac Iaponiorum Christi tempora consecutorum legislatorum, leges ex curramus: cum ex vno Mahumete, qui legislatorum huiusmodi omnium potentissimus visus est, docere liceat, nullam esse luci ad tenebras comparationem. Sunt sanè adeò fœda & spurca, adeò item tetra & horrenda, quæ electum illud Satanæ organum legibus suis mandauit, vt vel relationi parcendum, pudor iubeat. Rectè autem pronuntiasse videtur Guillelmus Paris. lib. de legibus cap. 18. tantas vesanias & nequitias, ab homine vaccino atque porcino inductas, nomen legis per intolerabilem abusum præferre. Qui ibidem & cap 19. *in fine*, cordatiores quosdam Sarracenos refert, inficiatos fuisse, verè esse Mahometi leges, quæ venditantur eius nomine; quod adeò fœdæ & tetræ sint, vt nulli vnquam venire in mentem potuerint, qui mihi cam cerebri retineret. Sed ea verissima potiùs acusatio, aut damnatio, quàm excusatio est Mahumetis; quem leges illas verè conscripsisse, Agareni omnes consentiunt. Et quisquis tandem eas tulerit, perinde nobis est. Nam eas ab aliquo eius Gentis latas, consectantur Agareni, iisdémque reguntur. Manum de tabula moueo, tot tantarúmque horrore, ad primum in eas aditum correptus. Videant qui illius camarinæ fœtorem non refugerint, Cantacusenum in orationibus contra Mahumetem, Cusanum in cribratione Alcorani, Viuen lib. 4. de veritate fidei Christ. Pium II. Epist. ad Morbisanum, Turcorum Principem, Ricoldum & alios, qui extant ad Alcorani calcem.

## *Christi Legislatoris, comparatio cum Moyse, & legum vtriusque contentio.*

620 Verùm huiusmodi legislatores Deo inuisos, & magnam partem vitæ corruptissimæ cum legislatore nostro composuisse, pudore propè tangor. De Mose Hebræorum legislatore, viro sanctissimo, aliter statuendum decernunt Hebræi: eúmque Christo, non componunt modò, sed & præferunt. Hoc argumentum diligenter tractauit Apostolus propè tota Epistola ad Hebræos, multisque ex capitibus, quantum vterque legislator inuicem discrepent, manifestum fecit. Quamquam quod Mosem isti legislatorem numerant, & ita quoque vocant Diodorus Siculus. Et alij Ethnici apud Iustinum, Orat. ad Gentes, decipiuntur apertissimè: nec id admisit Apostolus, qui docet, Mosem nonnisi fidelis famuli in domo Dei partes obeuntem, promulgasse quas à Deo legislatore acceperat leges, non verè earum fuisse autorem. Quod de vniuersa lege veteri affirmandum esse, (quicquid Canus 2. de Locis cap. 18. ad 2. & Salmeron disp. 61. & 62. in Acta secus affirment.) rectè statuit Suarez lib. 9. de legibus cap. 2. à num. 11. & scitè Prosper lib. 1. de promiss. cap. 40. qui Iudæos, non Mosis, sed Dei iura secutos, indeque *Iudæos* dictos affirmat. Cum è contrario Christus, tanquam verè vnigenitus, & excelsior cœli factus, leges suas Ecclesiæ fixerit, non alienas promulgarit. Et fuit tamen Moyses in eo ministerio, & in aliis quibusdam adiunctis, typus Christi; sed valde rudis & inadæquatus, vt benè prosequitur S. Bern. hom. 1. in Oct. Paschæ, verbis illis. [Sanè quod interponit signanter repetens, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine, ad Moysi differentiam arbitror accipiendum: Moyses quidé in aqua venit, à qua & nomen accepit vt Moyses vocaretur. Recolant quibus nota est historia veteris Testamenti, quemadmodùm in Ægypto, dum paruuli omnes Israëlitici germinis necarentur, expositum in aquis Moysem, tulerit filia Pharaonis. Et vide si non manifestè, Christi & in hoc ipso videtur præcessisse figura. Simili nempe cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans, ad eadem con-

uersus est crudelitatis argumenta; sed eodem modo est & ipse delusus. Vtrobique pro vnius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum: vtrobique, qui quærebatur, euadit. Et quomodò Moysem filia Pharaonis, ita Christum quoque Ægyptus (quæ non immerito Pharaonis intelligitur filia,) suscepit conseruandum. Manifestè tamen plusquàm Moyses hic, vtpotè qui venerit non in aqua tantùm, sed in aqua & sanguine. *Aquæ enim multæ, populi multi.* Venit ergo in aqua tantùm, qui congregauit quidem populum, sed populum non redemit. Nam & ipsa quoque de seruitute Ægyptia liberatio, non Moysi, sed agni sanguine facta est, liberandos nos præfigurans à vana nostra conuersatione huius seculi, sanguine agni immaculati Christi Iesu. Hic est verus legifer noster; apud quem copiosa est redemptio. Mortuus est enim, non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui dispersi erãt, congregaret in vnum.] Satis de personis. Ad leges conferendas accedamus.

621 Leges tulit Christus, non typicas, vmbramque dumtaxat habentes, postea futurorum bonorum, & ad nihil perfectum adducentes, planéque exsuccas, & sine peccatorum remissione seruatas: tantùm in baptismatibus, & potibus, & iustitiis carnis sitas: cuiusmodi erant leges Mosis, quas propterea nudam macertam, Deum inter & idola nominat Nazianzenus orat. 40. Non inquam tales leges tulit Christus, sed feraces cœlestis gratiæ, & hominem interiùs mundantes: nec nudè præcipientes, sine submini-stratione vitium ad id necessariarum, (quod est foucam aperire, & vim ad eam refugiendam non suppeditare,) sed munientes hominem ad id præstandum quod dicunt. Vnde fit, vt non sicut olim sub lege Mosis, quod ab Apostolo Roman. 7. notatum est, benéque exponit S. Augustinus l. de Spiritu & littera c. 5. homo accepto mandato, & per illud cognitione peccati, exordescat multo magis, in vetitum, à quo per frænum gratiæ & rationis cœlitus roboratæ, non auertitur: sed illuminante legislatore Christo lumen scientiæ, & vires ad præstanda quæ nouerint communicante, fœliciter dirigatur ad rectarum omnium legum finem, æternam inquam salutem suam, ad quam lex Mosis, etiam cum gratia Dei aliunde adiuncta, non perducebat cum effectu, nondum propalata Sanctorum via, vt disserit Apostolus Hebræorum 9.

Eáque ex causa vt philosophatur Origenes hom. 12. in Exodum, *sub medium*, facies quidem Mosis collustrata diuinitùs est, sed manus visæ leprosæ. [Illud quoque intuere, (inquit) quale sit, quod in lege vultus quidem Moysi glorificatus refertur, licet velamine contegatur: manus autem eius, intra sinum missa, leprosa facta memoratur sicut nix. In quo mihi videtur forma totius legis plenissimè designari. In vultum enim eius, sermo legis, in manu opera designantur. Quia ergo ex operibus legis nullus erat iustificandus, nec aliquem ad perfectum adducere poterat lex, idcircò manus Moysi leprosa fit, & in sinum reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura: Facies verò eius est glorificata, sed velamine tegitur, quia sermo eius habet scientiæ gloriam, sed occultam. Vnde & Prophera dicit; *nisi audieritis occulta, plorabit anima vestra.* Et Dauid dicit: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ, manifestasti mihi.* In lege ergo, Moyses solam faciem habet glorificatam; neque manus eius habent gloriam; immò potiùs & contumeliam.] Propterea etiam, non Moses, sed Iesus populum in terram promissam, cœlestis regni imaginem induxit: vt pulchrè tradit Iustinus in Colloquio cum Tryphone. Compensationes item per illud tempus promissæ, nec differendæ ad nouam vsque legem, erant tantùm temporariæ, & de bonis terræ. Quo egregiè planè S. Augustinus q. 33. in Num. *initio*, refert distinctionem illam cuius mentio est Numerorum 19. [Si ergo (inquit,) *hæc est distinctio legis, quæcunque præcepit Dominus.* Proculdubio magna est ista distinctio. Et rectè intelligitur duo Testamenta distinguere. Eadem quippe sunt in veteri & nouo: ibi obumbrata, hìc reuelata: ibi præfigurata, hìc manifestata. Nam non solùm Sacramenta diuersa sunt, verum etiam promissa ibi videntur temporalia proponi, quibus spiritale præmium occultè significetur: hìc autem manifestissimè spiritalia promittuntur & æterna. Temporalium autem bonorum, atque carnalium, & spiritalium atquè æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quàm passio Domini nostri Iesu Christi; in cuius morte satis constitit, non istam terrenam, transitoriámque fœlicitatem, à Domino Deo pro magno munere sperandam & optandam; quandoquidem in Vnigenito Filio suo, quem tanta illa perpeti voluit, longè aliud à se peti expectarique oportere, apertissima distinctione declarauit.]

Meritò igitur *reprobatio facta est præcedentis mandati, propter eius infirmitatem & inutilitatem*, vt ad Hebræos c. 7. traditur. [In lege (ait Philippus Abbas lib. 1. in Cant. c. 7.) quædam vini austeritas inuenitur, quæ operatur iram, gratiam non largitur; quæ dentem pro dente, oculum pro oculo vult auferri; reperienti ferentem, maxillam alteram non offerre. Lex quidem iubet multa, iubet magna, sed in lucem obscura non producit. Si quid vitale profert, tenaceam paleam superducit, mentes cæcas onerat, ceruices duras aggrauat, & obtunsis gratiæ lenitatem, suauitatem Spiritus non infundit. Lex benè pro meritò dat temporalia vel promittit, delinquentem cruciat, pœnas meritas non remittit; seuerum iudicium, grauem iustitiam operatur, nescit misericordiam, gratis & sine pretio non placatur. Quis talem sugat vuam, & non dentes eius durius obstupescant? Cuius gustus & palatum, non hoc haustu grauius amarescant? Vbi sine misericordia regnat ira, iudicium exercetur, cum dignè misericordia super iram & iudicium exaltetur.] At lex Christi, ex omnibus capitibus pœnas quæ legem infirmatam diximus, commendanda venit. Quod decus in legislatorem Christum refunditur, a quo ipsa tam prouidè & sapienter, tantóque nostro cum fructu est constituta. Et quia lex antiqua erat humilis & abiecta, Christiana verò sublimis & eminens; hæc in monte, illa in valle data est, ex S. Gregorio hom. 11. & 12. in Ezech. Videndus insigniter in hanc rem disserens Saluianus lib. 2. ad Eccles. tractans legis & Euangelij differentias.

Quemad-

*Quomodò lex Mosis, dicta non bona.*

622 Non insimulo probri vllius aut culpæ, legem veterem, vel eius promulgatorem Mosem. Fateor omnia legis præcepta sancta fuisse,& mysterio aliquo fœta: quod diligenter prosequitur Gulielmus Paris. lib.de legibus, per prima septemdecim capita,demonstrans, legem veterem & Mosem, non debere reprehendi. Nec id fecit Apostolus, cùm deprauauit præ lege noua legem Mosis;eámque vitio & reprehensione non carere affirmauit. Sensus enim duntaxat est, non fuisse in lege Mosis ea decora, ob quæ lex noua est longè pluris facienda. Item sensus est, fuisse in lege veteri pleraque aspera & incommoda citra culpam vllam legislatoris,& verum legis ipsius næuum, quæ eam redderent seruatu difficilem; ac si per se spectaretur,impossibilem. Eóque sensu,præcepta Mosaica, apud Prophetam dicuntur *præcepta non bona*, quod ad vitium abutentium libertate, nec eam roborantium & regentium aduocatione Spiritus iam tunc per Christi merita conferendi,si vt par erat,poscerentur, refert Clemens Romanus 6 constit. cap. 21. sic Glossans ea Prophetæ verba, *dedi eis præcepta non bona*. [Illis qui noluerunt videre, neque audire, non quia priuati essent facultate partium animi, sed quia nimia erat eorum peruersitas ac malitia, illis inquam, dedi, præcepta non bona,& iustificationes in quibus non viuent in ipsis. *Non bona* dico, illorum scilicet proposito, (ferrum enim ad vrendum,& scapellum ac medicamenta,inimica sunt non valentibus,) non sunt autem seruata propter eorum contemptum obediendi. Ex quo fit, vt non seruata, mortem eis afferant.] Dici tamen mandata non bona, eo sensu quo Apostolus dixit, *litteram occidere*, grauiter contra Celsum prosequitur Origenes, sub initium libri 7. In se tamen, ea mandata bona erant, sed Christi doctrinis euacuata, provt Apostolum intellexit Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 53. verbis illis. [Euangelium lege multo præstantius est. Lex enim, benignitatem in eos duntaxat, qui eiusdem nationis sunt, concludit: Euangelium autem ad alienas etiam nationes, eam porrigit. Illa item amicos charos habere iubet;hoc vt hostes etiam amemus, monet. Illa quippè vt pueris, leges imponit; hoc autem vt Philosophis, exellentia dogmata præscribit. Atque illud est,quod, vt tibi exponerem postulasti, *legem mandatorum in doctrinis euacuans*. Euacuauit enim non euertendo, sed in sublimiori Philosophia eam includendo. Siquidem adulterij interdictio, sub eo præcepto maximè continetur, quod impudicis oculis mulierem intueri vetet. Atque item non occidere, sub eo includitur quo iracundi prohibemur.] Nihil igitur ex Apostolo allegatur, quod sanctitatem legis à Mose promulgatæ labefactet. Quin potiùs ex Apostolo constet,legem sanctam fuisse, & mandatum iustum & bonum, belléque in legem Mosis cecidisse luculentum illud legis diuinæ elogium, quod Dauid pangit Psal. 18. vbi post descriptam incredibilem cœli speciem, & Solis in cœlo considentis pulchritudinem planè eximiam, contentionem facit nitentissimæ illius pulchritudinis,cum pulchritudine diuinæ legis,quam vocat *immaculatam & conuertentem animas, fidelem,sapientiam præstantem paruulis, rectam, lætificantem corda, lucidam,illuminantem oculos,sanctam, permanentem in seculum seculi, veram in semetipsa iustificatam desiderabilem super aurum & pretiosa quæcumque, ac dulciorem super mel & fauum.*

Hoc splendidissimum diuinæ legis elogium, Iustinus agens cum Tryphone ad solam legem Christi vult pertinere,exclusa Mosaica: reiicitque Iudæos, quod de lege Mosis illud acciperent,sic scribens. [Quo magis persuadeam vos nihil in scripturis intelligere præferam & alium Psalmum Dauidis afflati Sancto Spiritu,vtcunque vos eum ad Salomonem ex illo prognatum, & ipsum Regem vestrum accomodare conemini.Refertur autem & hic ad Christum nostrum Dominum: vos verò verborum similitudine vos ipsos decipitis. Nam cum dicit; *lex Domini est irreprehensibilis*, non illam futuram, sed Mosaicam interpretamini, reclamante Deo, qui nouam legem,nouúmque Testamentũ pollicetur.]Non grauatè dederim, verbas Dauidis ad omnem diuinam legem,naturalem,scriptam, & Euangelicam pertinere. Quod Petrus Damiani serm. de Resurrectione, diligenter persequitur. Sed salua semper esse debet legi Euanlicæ prærogatiua dignitatis, quoad omnia proposita decora.Et vt ait idem Damiani, è tribus illis diuinis legibus,[Prima est immaculata,secunda magis, tertia maximè. Sic & conuertens animas.]

*Lex Christi,præ Mosaica, longè magis conuertens animas.*

623 Hoc de animarum conuersione per legem Christi, multo plenius præstitum ab ea, quàm à lege Mosis,nemo non videt.Propterea enim Moses,exili voce,& impedita, fuisse proditur. Christi verò vox in omnem terram diffusa est, & lex eius vbiuis insonuit:& sicut altâ voce ac grandi insonante, exilior opprimitur; ita ad vocem loquelæ grandis Christi fide promulgatam, siluit Moses. Ideò auriculam seruo sacerdotis Mosaici abscidit Petrus, vt significaretur fidem Christianam cuius caput visibile est Petrus, abrogaturam fidem Iudaicam, vt commentatur Origenes Tract. 33. in Math. Verbum enim fidei per auditum concipitur. Quod aliter dixit Isidorus Pelus. lib. 1. Epist. 257. [Exoriente luce matutina, lux nocturna abscedit. Claro Sole oriente, syderum chorus obscuratur. Cum purus ac liquidus dies illuxit autoræ vmbræ finem accipiunt.Cum Euangelij sapientia effulsit, legis puerilis institutio munus suum exercere desiit. Sic nempe vocis vsum amittit Zacharias, posteaquàm nouæ atque admirandæ salutationis, lætum nuncium audiuit.]

Idem significasse silentium Zachariæ, Patris Baptistæ, tradit his versibus Sidonius, carmine 16. quod est Eucharisticum ad Faustum alloquens Christum,& Spiritum eius.

*Quique etiam Eliam terris missure secundum,*
*Zachariæ iusti linguam placate ligasti,*
*Dum faceret serum rugosa puerpera patrem,*

*Edita significans iusso reticere Prophetæ,*
*Gratia cum fulsit, nosset se vt lex taciturn.*

Hinc liquet, quanto iure, Lex Christi præ Mosaica dici potuerit *conuertens animas*. Nec sanè poterat lex Mosis animas valde multas conuertere, cum ipsa sibimet iniiceret compedes; seque vnius prouinciæ, nec admodùm diffusæ angustiis cœrceret, vt Eusebius initio operis de Demonstratione Euang. egregiè aduertit. Arctabat enim sacrificia & cæremonias præcipuas legis, ad templum Hierosolymitanum, vt videre est in præcepto de oblationibus, & celebratione Paschatis, & Pentecostes, & festi tabernaculorum. [ Cum igitur eum locum tam multis signis ostendat totiesque illuc cum toto genere totáque domo ire oportere præcipiat, qui fieri potest, vt ea quæ dicit, vel iis conueniant, qui breui interuallo à Iudæa distant nedum gentibus quæ in toto terrarum orbe degere intelliguntur? Eo magis quod ne veniam quidem vllam tribuit iis qui transiliant quæcumque præscripta sunt, ac potiùs execrationem omnibus quicunque non omnino omnia seruauerint denunciet, ad verbum sic dicens *Exerabilis quicunque non steterit in omnibus quæ in hac lege scripta sunt, vt faciat ea.* ] Addit, leges pleraque latas Leuitici 5. & 9. aduersus eos qui inuoluntariè aliquid præstitissent, quod lex expiari vellet additione templi Hierosolymitani, & sacrificij ibidem peracti. Quod multo magis iis qui voluntariè legem violassent, indictum fuisse, non est dubium, vt rectè concludit Eusebius, qui subdit. [ Quid ad hæc igitur argumentari oportet, quando vt dictum est, cuncta redigens in summam Moses, sic imprecatur; *Execrabilis omnis quicunque non steterit in omnibus quæ in lege scripta sunt vt faciat ea.* Ergo etiam in extremis terræ finibus habitantes, si ritus Mosaicos seruare volebant, vt talem execrationem vitarent, promissámque Abrahæ benedictionem contingerent; hæc omnia facere oportebat? ac tet singulis annis Hierosolyma petere? ex omni præter ea natione, quæ tales sibi ritus seruandos proposuisset, fœminas partu modò ac doloribus leuatas, tam longum iter ingredi, vt quod imperasset Moyses sacrificium pro singulis puerperiis offerrent? Item qui aut mortuum corpus attigissent, aut peieraſſent, aut inuiti aliquid fecissent, eos ab extremis terræ finibus venire, ac properantes excurrere ad eam quæ lege sancita esset, purgationem, vt execrationis pœnam effugerent? Sed planè perspicis vt vel ipsa Hierosolyma in colentibus, atque in vna Iudæa versantibus, ac degentibus, Mosaicum illud viuendi institutum, seruatu difficile esset, nedum tale vt posset à reliquis gentibus obseruari. ] Quare multo magis lex Christi, fuit conuertens animas quàm lex Mosis, & Christus tanto sublimior & melior Legislator quàm Moses, quanto differentius præ illo nomen hæreditauit. Et idem de reliquis à Dauide propositis legis Dei dotibus, monstrare facile est, cum eodem Damiani & cum Liraro latè id prosequente, in præfatione ad Euangelia.

*Quàm suauis lex Christiana, præ Mosaica.*

624 Religio tamen sit præterire dulcedinem, in qua præcellit planè lex Christi. Potuerit sanè lex Mosaica, dici dulcior super mel & fauum, eo quod condiente eam Spiritu gratiæ, amaror illius abstergeretur, fieréque suauissima. Quod ferunt frequentes cõtestationes apud Prophetas de legis leuitate & facilitate. Sic Isaiæ. 10. *computrescet iugum à facie olei.* Et Deuter. 33. dicitur, *pes in oleo, as in pedibus eius* quod Cellensis de panibus c. 26. de dulcedine in via laboriosa explicat, qualis erat via legis, dulcedine diuinitùs scatens. At ea suauitas, non nisi ex aspergine mellis Euangelici, anticipatè superfusi, deriuabatur: Ex se verò lex amarissima & insuauissima erat. Quæ mihi germanissima esse videtur causa, cur Deus Leu. 2. mel & ceram in altare suum inferri vetaret: sed iuberet adhiberi oleum, quod amaritudine oliuarum exprimitur, scio illius interdicti varias à variis prolatas fuisse causas, præter frriuolas illas quas profert Plutarchus lib. 4. Sympos. q. 5. Nam Petrus Blesensis Epist. 112. id refert ad detestationem mellitorum verborum, & adulationis. Idem Epist. 100. censet damnari ea lege, superiores qui toti sint melle; cum probum eóque nomine dignum præfectum, necesse sit seueritate benignitatem temperare, ne laxentur & deffluant omnia. S. Hieronymus epi. ad Gaudentium & S. Cyrill. l. 1. de adorat. notatum volunt, quantoperè auersetur Deus insanioſum mel voluptatis, & hominé qui sit Cereus in vitium plecti. Nam & Plato apud Clementem Alexandrinum lib. 7. strom. Voluptate homines effici cereos, expostulauit. Philo l. de victimas offerentibus, ad apis impuritatem confugit. Ex bubulo enim cadauere progigni apem, ideóque impurum animal haberi docet. Sed impurum animal haberi apem, non dabunt qui eius puritatem summam extollunt; S. Ambrosius l. 1. de Virginibus, comparans apem Virgini; Ruffinus ad tertium symboli articulum, & ex externis doctus Poëta 4. Georg. Plutarchus lib. de præceptis connubial. & lib. de causis naturalibus à quibus quantopere apis impuritatem omnem auersetur, multis monstratur. Et plenissimè idem prosequitur Aldrouandus lib. 1. de insectis c. 1. Mihi ergo interdicti quo mel & cera ad altare Dei inferri vetabantur, Germana ratio esse videtur, quod legem ex se insuauissimam, Ceræ quæ mellis hospitium est & mellis suauitas dedeceret. Nunc verò & mel & cera inferuntur Ecclesiis ob summam suauitatem legis gratiæ; & quia nihil facilius & suauius in ea, quàm rectè agere & legem exequi. Videndus qui id plenissimè prosequitur S. Chrysostomus Tom. 2. in ad Ephes. *in morali*, & tom. 13. in ad Romanos ad illud, *qui enim in carne sunt.*

*Christi supra Mosem legislatorem præcellentiæ, nihil derogat, quod sub lege factus dicatur.*

625 Ex proposita contentione legum Christi, ac legum ab aliis quibusuis legislatoribus propositarum, perspicua est quam inuestigabamus, Christi quatenus legislatoris præcellentia,

tia, & eminentia supra omnes alios legum latores, etiam Mosem, provt ipse extensa voce, *Legislator* vtcumque audire potest. Opponi dumtaxat videtur posse, hæc non satis cohærere, cum ea subiectione Christi ad legem Mosis, quam præ se ferunt variæ Scripturæ. Nam ad Galatas 2. dicitur, Deum *misisse filium suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Quid quod Apostolus contestatur, quo quot circuncisionem accepissent, astrictos eo ipso fuisse seruandæ legi Mosaicæ. At constat Christum susceptisse signaculum circuncisionis. Subiacuisse ergo videtur legi Mosaicæ, quam ipsemet professus est se venisse adimpletum, non solutum Matth. 5. Tantùm non professus, se illi esse obnoxium. Idque agnoscere videntur plerique Patrum, tradentes, Christum fuisse legi veteri subditum.

Negandum tamen est aliquid legislatoris nostri eminentiæ decedere ex hoc capite, quandoquidem Christus, non de iure, (vt rectè statuit creditus Anselmus ad Galatas 4. in illud *factus sub lege*;) Sed tantùm quoad vsum, seu de facto, legi Mosaicæ subiacuit. Quod enim Soto in 4. dist. 2. q. 1. art. 5. & Suarez 9. de legibus c. 5. num. 7. rectè vidit, lex Mosaica non obstringebat nisi filios Abrahæ, via seminalis & ordinariæ propagationis procreatos; cuiusmodi non fuit Christus. Quod si *factus sub lege* dicitur, non est sensus eum fuisse legi obnoxium, sed ipsum vltro subiisse de facto onus legis, quo de iure non tenebatur; nec aliter se gessisse, quàm si legi fuisset obnoxius. Nisi si aliquando, ad exemptionem suam prodendam, & vt filius Dei agnosceretur, aliter fecit. Vt cum Matth. 12. obstrepentibus Iudæis, & violatum ab eo Sabathũ expostulantibus, respondit; *Dominus est Filius hominis, etiam sabathi.* Circuncisionem autem non idcirco suscepit, vt per eam Iudæis aggregaretur, sed propter alios fines, de quibus S. Thomas Opusculo 60. c. 5. & Toletus in c. 2. Lucæ annotat. 30. & quia vnicus titulus quo circuncisus fiebat obnoxius seruandæ legi Mosaicæ, erat aggregatio prædicta; inde efficitur, Christum susciendo circuncisionem, non contraxisse obligationem seruandæ legis Mosaicæ: quam quomodò venisse se adimpletum, sit professus, quamuis ea non teneretur, mox attingam ex Gennadio. Patres denique Christum legi Mosaicæ subditum affirmantes, de voluntatia quoad factum & vsum subiectione, accipiendi sunt; non de iure, quod circa Christum nullum erat: quamuis vt de maledictò legis liberaremur, vltrò illud in se susceperit.

### *Quanta inde nobis à Christo, bona.*

626 Est verò quod infinitam in nos legislatoris nostri benuolentiam, & inexhaustam charitatem, æterna gratiarum actione prosequamur. Legis enim Mosaicæ importabili onere in se suscepto, omnibúsque legis granationibus vltrò admissis, ab iis nos liberauit, præceptis & numero & facilitate & vtilitate præcellentioribus, nos astrinxisse contentus. [Finem illis imposuit (ait de Christo legalibúsque præceptis agens Clemens Romanus 6. Constitut. c. 22.) implendo illa priùs. Nam & circumcisus est, & aspersus, fecitque sacrificia, & holocaustomata, aliisque consuetudinibus legis vsus est, ac factus est ipse legislator, plenitudo legis.] Et mox c. 23: [Qui tunc iussit lege, vt quiete & cum vacatione Sabathum celebrarent ad meditandum legem, nunc iussit, vt quotidiè legem Creationis & prouidentiæ considerando, gratias Deo ageremus. Circumcisionem sustulit, quam in se impleuit. Ipse enim erat, cui reseruata erat expectatio gentium. Item qui tunc legem tulerat de sanctè & religiosè iurando, & peierare vetuerat; idem præcepit nunc, non iurare prorsus. Iam baptisma, Sacrificium, Sacerdotium, cultum loco circumscriptum, aliter mutauit. Pro baptismis enim quotidianis, vnum tantùm dedit, qui sit in mortem eius. Pro vna tribu Sacerdotali, iussit ex vnaquaque gente optimos quosque ad Sacerdotium eligere; neque corporum vitia contemplari, sed religionem, & vitam. Pro sacrificio cruento, rationale & incruentum, ac illud mysticum Sacrificium Corporis & sanguinis Domini, quod in Symbolum mortis eius celebratur: pro cultu circumscriptione loci definito, ab Oriente vsque ad Occidentem in omni loco denominationis, eundem laudibus celebrare præcepit, & iustum esse statuit. Non igitur sustulit nobis legem, sed vincula.]

Origenes perpulchrè hom. 7. in Exodum, huc aptat, amaritudinis aquarum in Mara depulsionem per lignum. [Puto (inquit,) quod lex, si secundùm literam suscipiatur, satis amara sit, & ipsa sit mirrha. Quid enim tam amarum, quàm vt puer octaua die Circuncisionis vulnus accipiat, & rigorem ferri tenera patiatur infantia? Amarum satis, & peramarum est, huiusmodi poculum legis, in tantum vt populus Dei, non ille qui in Moyse baptizatus est in mari & in nube; sed iste qui in Spiritu, & aqua baptizatus est, non possit bibere de ista aqua. Sed ne gustare quidem de circuncisionis amaritudine potest, neque hostiarum ferre amaritudinem valet, nec Sabathi obseruantiam. Si verò ostendat Deus lignum quod mittitur in hanc amaritudinem, vt dulcis aqua fiat legis, potest de illa bibere. Quod est istud lignum quod Dominus ostendit Moysi, Salomon edocet nos, cùm dicit de sapientia, quia *lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam.* Si ergo lignum Sapientiæ Christus, missum fuerit in lege, & ostenderit nobis quomodò intelligi debeat circumcisio, quomodò Sabbata, quomodò lex lepræ seruanda sit, qualiter immundi & mundi discrimen habeatur; tunc efficitur aqua Merrhæ dulcis; & amaritudo literæ legis conuertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritalis, & hunc potest bibere populus Dei.]

627 Hoc quoque accipe ex Ambrosio serm. 32. de temp. *in fine.* [Filij Israël peruenientes ad Maram, cum præ amaritudine aquam haurire non possent (habebat enim fons aquam, sed dulcedinem non habebat: erat delectabilis ad visionem, sed syncerus non erat ad saporem) iniecto in eam per Moysem ligno dulcedinem suauiter potarunt: austeritatem quam noxia vnda gestabat, ligni abstulit sacramentum. Quod quidem in figura factum puto. Aquam enim amaram in Mara, legem esse arbitror veteris Testamenti; quæ lex priusquàm cruce temperaretur Domini, erat immitis. Iubebat enim oculum pro oculo, dentem pro dente dari, & velut austera, nullum misericordiæ refrigerium porrigebat. At verò vbi ligno Euangelicæ passionis

est temperata, statim amaritudinem suam suauitate commutans, dulcem se cunctis præstitit ad potandum; sicut ait Propheta, *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.* Dulcia enim sunt eloquia quæ iubent; *Si quis te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram: si quis tibi auferit tunicam, relinque illi & pallium.* Hæc ergo illa amaritudo quę dulcedine commutata est, id est, austeritas legis, Euangelij gratia, temperata est. Amara est enim legis litera sine cuius mysterio, de qua ait Apostolus, *litera occidit.* At vbi passionis illis Sacramenta iunguntur, omnis eius spiritalitet amaritudo conditur. Et de ea dicit Apostolus, *Spiritus est qui viuificat.*]

Sic Christus non legem soluit, sed adimpleuit. Quod quomodò præstiterit, accipe luculentis Gennadij verbis l. pro Synodo Florentina c. 2. s. 5. *initio.* [Quatuor quartam lex antiqua continebat, iudicialia, mystica, moralia, & adumbrata. Iudicialia ad mitius traduxit. Nam cum in adulterio deprehensam, & eos qui de adulterio damnati essent, lex iuberet lapidari, Dominus dixit, *qui ex vobis est sine peccato, primus lapidem iaciat aduersùs eam.* Et iterùm, *dentem pro dente, oculum pro oculo*, & reliqua; *qui tibi dexteram maxillam percusserit, verte ei & alteram.* Moralia auxit Dominus, quæ sunt mandata & præcepta eius, non furtum facias; ne facias hæc & hæc, quæ diuini Apostoli pro fundamento habentes, Euangelica doctrina mundum illuminarunt vbi dicunt, *ne diligatis mundum hunc, neque quæ mundi sunt, quia mundus transit & gloria eius*, & reliqua, ne singula enumerem. Figuralia & mystica (nam idem hæc duo significant,) sustulit Dominus, circumcisionem scilicet, Sabbatum, animalium immolationes, Pascha & agnum. Adumbrata in aliam formam commutauit Dominus, pro vmbra veritatem formans: pro ardenti rubo, Virgo quæ non comburitur; pro columna ignis, Sol ipse iustitiæ; pro Mose Christus; pro virga, Crux; pro arca, immaculata eius Ecclesia; pro transitu rubri maris, Pascha in quo nouum figurabatur; & hoc superueniente sustulit illud. Pro agno Christus, pro sanguine, Saluatoris sanguis; pro nube & igne, sanctum baptisma. Sed quid opus est cuncta enumerare? Cum omnes optimè noscant, legis adimplendæ, non soluendæ, auctorem fuisse Christum.]

628 Quod si verè loqui volumus, non tam mandata, (quod Moses fecerat data lege,) quàm benedictiones contulit nobis legislator noster. Ratiocinatio est S. Chrysostomi sanè egregia, hom. in illud, *tunc & ipse filius subiicietur ei*, vbi cum tradidisset, Christum curasse in descensu montis leprosum, addit. [Vide quantum discrimen inter veterem legem, nouamque gratiam, etiam omni ex parte. Moses cum ex monte descendisset, primam legem tulit, & mandauit vt castris excederent leprosi. Christus verò monte descendens, leprosum protinus mundat. Et ille quidem morbidos eliminat, hic verò curam eorum agit. Ascendit, Christus in montem, ascendit & Moses. Et hic quidem vt acciperet, ille verò vt daret. Ascendit Moses & innenit montem impletum tubis, nubibus, tonitruis, fulguribus, turbinibus, caligine, quæ licet parum congruebant dexteræ & magnitudini apparentis, verùm decebat, vt populus ille ad pietatem erudiretur. At Christi gratia, timorem ponit, seruitutem eiicit. *Non enim accepimus Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepimus spiritum adoptionis.* Et Moses quidem dedit decem mandata; Iesus autem Dominus Mosis, nouem beatitudines. Dictorum veritatem sciunt, quotquot aliquatenus Scripturas norunt. Prima beatitudo. *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum Cœlorum. Beati qui lugent, quia ipsi consolabuntur. Beati mansueti, quia hæreditate obtinebunt terram. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Beati misericordes, qui ipsi misericordiam assequentur. Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quia ipsi filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quia ipsorum est regnum Cœlorum. Beati estis quando exprobrauerint vobis, & persecuti fuerint & dixerint aduersus vos, omne malum verbum, mentientes.* Quare lex ponit decem mandata, gratia autem nouem beatitudines? Nempe decem mandatorum numerus, respondet numero plagarum Ægypti. Decem plagæ, Ægypti impietatem castigarant, & decem mandata populum erudiunt insensatum, id quod & litera *Iota* indicat, qua denarius numerus scribi solet: Virgulæ enim formam & figuram præ se fert. Et virga erudiebat Ægyptios atque populum. Iesus verò Dominus noster, dat nouem beatitudines triplici ternario triplicem plectens coronam. Quandoquidem fratres adorabilis illa Trias, regalis illa dignitas, immaculata natura, indominabilis dominatio, in ternario gloriam habet, & veneratur Deus ternarij prædicationem in terra, & virtutum numerum, quod numero sanctæ Trinitati respondeat.]

### *Vsus Doctrinæ.*

629 Fœlices quotquot ex sancti legislatoris præscripto vitam degentes, non inane vel vmbraticum nomen præferent professorum tam sanctæ legis; qui non rei falsarij criminis, vt Saluianus l. 4. ad Ecclesiast. meritò appellat, grandia specie pollicentes, rebus nulla restituant mentientes Deo. Et nonne sanguineis lachrymis dignum videri debeat, leges mundanas tanto studio obseruari; cum & difficiles arduæque, & plerumque partus sint cupiditatis, aut in solum bonum tendant eius qui tulit: Christi verò leges suauissimas & facillimas, tot pati aduersariorum genera, quot sunt leges? Verbum eiusdem Saluiani est ad calcem libri prædicti. [Pene omnis sermo diuinus, habet æmulos suos: quot genera præceptorum sunt, tot aduersariorum. Si largitatem esse in hominibus iubet Dominus, auarus irascitur. Si parsimoniam exigit, prodigus execratur, sermones sacros, improbi hostes suos dicunt. Horrent raptores, quicquid de iustitia scribitur, horrent superbi, quicquid de humilitate mandatur. Aduersantur ebrioso, vbi sobrietas indicitur; detestantur impudici, vbi castitas imperatur.]

Verùm vt idem mox rectè admonet. [Cuncti qui oderunt mandatum sacrum, causam odij in se ipsis habent. Omne fastidium non in præceptis legis, sed in moribus suis. Lex quippe bona est, sed mores malijac per hoc mutent homines propositum, & affectum suum. Si enim mores suas probabiles esse fecerint, nihil eis ex eo-

quod

quod lex bona præcipit; displicebit Quando enim bonus quis esse cæperit, non potest non diligere legem Dei, quia hoc intra se habet lex Dei sancta quod sancti homines in moribus.

Fœliees igitur qui non excusantes excusationes in peccatis, legum Christi duritiam, vel asperitatem non causabuntur: sed duritiem si quæ existit in legis obseruatione, à seipsis natam, humiliter professi, componere sese ac fingere nitentur ad accuratam eius obseruationem. Beati sanè immaculati in via, ambulantes in lege Domini, scrutantes testimonia eius in toto corde exquirentes eum nec contenti dicere quod olim Moyses, *beati sumus Israël, quoniam quæ placita sunt Deo manifesta sunt nobis.* Sed illud insuper Domini oraculum animo infigent, *si hæc scitis, beati estis, si feceritis ea.* Itaque diligenter & non perfunctoriè attendenda cuiuis Christiano est, legis quam profitetur, summa cum sanctitate, & dignitate, par facilitas, quantum quidem est ex ipsa lege, & suppetiis quas subministrat: dummodò subiecti dispositio non renitatur, & distorqueat reddátque operosum, quod rectum & leue alioqui foret. Sed præsertim in dignitatem legislatoris nostri est intendendum, quæ ad legis per eum traditæ obseruationem, vrget nos maximè. Concluso est Apostoli Hebræorum 2. huic loco congruentissima. *Propterea abundantius, oportet obseruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prauaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem; quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & spiritus destributionibus secundum suam voluntatem.*]

# CAPVT VIII.

## *Christus Iudex.*

630 ET hic quoque titulus, connexus est cum titulos Regis. Nam iudiciaria potestas, est appendix regiæ, vel potiùs partiale eius constitutiuum. Nec est quod titulus iudicis videatur restringendus ad solos homines, atque adeò referendus ad sectionem: Nam certum est, Angelos quoque, esse à Christo Iudicandos. Si enim Apostolus, de se & suis similibus verè dixit, *nescitis quia Angelos iudicabimus*; quanto magis Christus Dominus, qui non assidebit alteri iudici, sed erit ipse Iudex primarius, Angelos quoque iudicabit?

### *Non timendum prolixitati in disputatione de Iudicio.*

De Christo igitur Angelorum & hominum iudice disputaturus, fructuosissimo sanè argumento, non debeo extimescere vel prolixitatem, vel acerbitatem disputationis: cum nulla sit materia de qua potiùs, aut frequentiùs, aut vberiùs sit sermocinandum, & agendum. De clausulam longæ de hac re disputationis S. Chrysostomi, hom. 2. in 2. ad Thessal. [Dic mihi homo; Tribunali Christi cum sistendus sis, omnia magis loqueris quàm de isto? Et quidem si quando tibi cum iudice causa est, plerumque verbo tenus dumtaxat; non nocte, non die, non aliquo temporis articulo, non aliqua hora aliud quid loqueris; sed semper de causa illa quam agendam habes. Cum verò de omni vita tua rationem reddituris sis, neque alios etiam pateris, qui te iudici, huius admoneant? Atqui propterea cuncta periere semper, & intercidere, quod humano quidem tribunali temporalium rerum gratia sistendi, neminem non monemus, neminem non rogamus; indesinenter de illo solliciti sumus, omnia huius gratia facimus: ad tribunal verò Christi venturi, idque breui, neque per nos ipsos aliquid, neque per alios facimus.] Sed & Ruffinus ad 7. Symboli articulum, quanti interfit hoc argumentum numquam fastidire, pulchrè his verbis attigit. [Arbitror admouendum, quod ista fidei traditio, quotidie nos vult de aduentu iudicis esse sollicitos; vt actus nostros ita præparemus, veluti reddituri imminenti Iudici rationem Hoc enim erat quod & Propheta dicebat de viro beato; *Quia disponet sermones suos in iudicio.*] Non est ergo timenda argumenti adeò fructuosi, vel prolixitas, vel asperitas. Ne tamen in immensum cogar diffundere tractationem, attingam paucis quæ ad veritatem, & titulum, ac obiectum, iudiciariæ potestatis Christi pertinent. Quæ verò ad circumstantias & adiuncta varia duorum primariorum & illustrissimorum actuum potestatis huius iudiciarię pertinent, nempè iudicij particularis, & vniuersalis dumtaxat delibabo. Auidum plenioris imo plenissimę discussionis eorumdem, remittens ad Petrum Thyræum diligentissimè & minutissime in eo argumento versatum, & ad alios infrà referendos.

### *Iudiciaria Christi potestas, ex fide certa.*

631 Esse igitur Christum omnium Iudicem, sic indefinitè loquendo, & ad hoc illudve iudicium rem non arctando, de quo postea, certum ex fide est. Ita enim apertè traditur in plerisque Scripturis, & illustrissimè Ioannis 5. vbi Christus de seipso dicit, *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Quod accipiendum esse de filio prout carne vestito, seu de Verbo subsistente in humanitate nostra, rectè tradit ibi D. Augustinus tract. 21. Imo apertè videtur id tradidisse ipse Christus, cum mox subdit, *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Iure S. Augustinus 1. Trinit. cap. 13 Propositis his verbis, ad probandum quod filius in humanitate iudicabit, subdit; [Puto nihil esse manifestius.] Et verè sunt verba expressissima. Nam quod S. Chrysostomus hom. 38. in Ioannem, eique de more adhærentes Theophilactus & Euthimius, vt reiiciant Paulum Samosatenum, qui ibi terminabat

nabat sententiam, vbi nos eam terminauimus, negant ibi esse hærendum; sed dicunt adiungendam sequentem clausulam, *nolite mirari hoc*; id inquam, præter quàm quod minùs videtur quadrare, quàm interpunctio à nobis adhibita, & Tertulliano, Cyrillo, Augustino, Beda, Ruperto, vtrique Glossæ, & communiter Interpretibus Patribusque probata, vt notat Pamelius ad librum contra Praxeam c. 21. num. 129. nullo modo eneruat vim loci illius ad probandam potestatem Christi iudiciariam. Nec plus ex vna, quàm ex alia loci prædicti interpunctione, sequitur Christum esse purum hominem, vt blaterabat Samosatenus, nostræ interpunctioni innixus. Qui enim filius hominis est, & idcircò accepit iudiciariam potestatem, est etiam filius Dei, vt immediatè ante dictum fuerat, verbis illis, *dedit illi vitam habere in semetipso*. Vbi solius naturæ diuinæ Christi à Patre communicatæ fit mentio. Sicut in verbis quæ nunc versamus, *Filius hominis est*, mentio fit solius humanæ naturæ. Ne vtrobique tamen, altera Christi natura excluditur. Quare concludo, S. Augustinum meritò pronuntiasse, verbis Ioannis prolatis, *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, nihil potuisse proferri manifestius, ad probandum quod Christus homo Deus, iudiciariam in omnes obtineat potestatem.

Ratio quoque apertissima, huic veritati suffragatur. In primis quæ ducitur ex munere regio. Christus enim Deus & homo, Rex est in humanitate, vt latè supra tractatum est. Regia verò potestas, maximè intrinseca habet iudiciariam potestatem. Itaque sicut Christus, *quia Filius hominis est*, ideò ratione vnionis hypostaticæ, est in humanitate sua Rex vniuersi; ita & iudex. Deinde quia filius hominis est, deiecitque sese tantoperè vt specie noxij, mori pro humano genere voluerit, iudicatus nequissimè; iustissimum fuit, vt iudex omnium constitueretur, iuxta illud, *causa tua tanquam impij iudicata est, causam iudiciumque recipies*. Tandem conuenientissimè filius Dei homo, iudiciaria in omnes potestate pollet, quia æquum est, vt omne iudicium per eamdem personam diuinam exerceatur. Celeberrimum autem iudiciorum omnium, per filium exerceri par fuit: vt impij in quos vibrabit sententiam, ad eius conspectum venire queant, & ab eo coram ac reuelata facie increpari, atque suffundi: quod in sola natura aspectabili & humana fieri potuit. Nam iudicis Dei in natura sua conspectum, impietati reproborum omnia iura negant. Quare meritò in Filium, qui solus inter tres diuinas personas in vna natura sua à reprobis, superstite statu damnationis, videri potest, omnis iudiciariæ potestas est reuoluta.

### *Ea potestas, est creata.*

632 Agitatur verò circa hoc, quæstio inter nonnullos Patres, an iudiciaria Christi potestas qua in humanitate sua iudicium accepit, sit ipsamet potestas diuina. Habet enim Christus potestatem iudiciariam ratione diuinitatis suæ, siue quatenus Deus est. Nam quemadmodùm pater hoc habet ratione diuinitatis, vt sit Iudex supremus viuorum & mortuorum; idémque est de Spiritu sancto; ita & Filius, eo ipso quod à Patre genitus est, accepit ab eo iudiciariam potestatem increatam, & æternam planéque diuinam. De ea ergo iudiciaria potestate, Christo prout Deus est conueniente, S. Cyrillus l. 12. in Ioannem c. 140. interpretari videtur illud Ioannis, *Pater potestatem dedit Filio iudicium facere*. Non quod neget, Christum iudicare in humanitate, (hoc enim expressissimè à Christo ipso traditur, vt etiam agnoscit S. Cyrillus;) Sed quod vrgere videatur potestatem qua Cyrillus in humanitate iudicat, aliam esse à diuina potestate, quæ per vnionem, cum natura Christi humana fuit copulata. At è contrario S. Augustinus, potestatem Christi iudiciariam, viderut contendere esse potestatem humanitatis à diuina distinctam; quæ est etiam communis Scholasticorum doctrina in quartum dist. 48. vel 3. parte quæst. 79. art. 2. quam Toletus in caput 5. Ioannis Annotat 19. & 25. ita amplectitur, vt tamen existimet, posse quoque facilè sententiam S. Cyrilli retineri.

Quicquid verò sit, an sententia ex S. Cyrillo explicata, sit conformis textui Ioannis cui aptatur, an verò sententia S. Augustini, de quo potest problematicè disputari: tamen si de re ipsa fit sermo, quæraturque an Christus Deus homo vltra potestatem diuinam omnibus sanctissimæ Trinitatis personis communem, habeat quoque potestatem iudiciariam creatam, huic homini in sua humanitate tributam, quia Deus est, supposita capacitate eiusdem recipiendæ, quia homo est; hoc inquam si quæratur, exiitimo certum, talem potestatem esse in Christo agnoscendam, ac agnoscitur similis potestas regia, distincta à diuina. Vnde D. Chrysostomus, & alij quos supra retulimus, arbitratos potestatem iudicium faciendi Christo datam, esse potestatem diuinam, non agunt nisi de potestate illa prout aptanda loco Ioannis; quamuis creatam, & Christo homini ex tempore datam potestatem iudiciariam, non inficientur, nec inficiari possint. Eam enim apertè docent variæ Scripturæ, quibus potestas iudicandi dicitur Christo demandata, & Christus dicitur constitutus iudex viuorum & mortuorum, vt habetur Actorum 17. & 19. Accedit quod in Symbolo profitemur Christum è Cœlis descensurum ad iudicandum. At si Christus iudicaret per solam diuinam & increatam potestatem, non esset quod descenderet ad iudicandum. Sicut ergo agnoscimus in Christo scientiam diuinam humanitati Christi coniunctam, mediante personalitate Verbi, & tamen non negamus eidem humanitati scientiam infusam creatam; ita quamuis agnoscamus homini Christo competere iudiciariam potestatem increatam, non debemus tamen abrogare creatam, quæ sit potestas excellentiæ ad ferendum de omnibus iudicium.

### *Christus, planè ad iudicandum factus.*

633 Et est sanè Christus, planè (vt ita dicam,) factus ad hanc iudiciariam potestatem: siue spectentur quæ necessaria sunt ad validè iudicandum, siue ad id decenter & perfectè præstandum. Nam ad validum quidem iudicium, non requiritur nisi potestas, & legum peritia, ac iudicium practicum conforme legi Principia, ac iudicium practicum conforme legi Principia, suppositâ introspectione causæ. Ad concipis, suppositâ introspectione causæ. Ad congruam autem muneris illius & potestatis fungruam autem muneris illius & potestatis fungtionem,

ctionem, desideratur insuper voluntas recta, quæ nec fauore abducatur, nec minis molliatur, quominus pronuntiet vt pronuntiandum agnouerit, consentanée ad leges post rem planè perspectam. Et valdè quoque honestat iudicem de aliorum vita & moribus pronuntiaturum, si vita eius pura sit, nec iis sordeat culpis, quæ sint per eum in alio improbandæ. Super hæc omnia, desideratur potentia latæ sententiæ exequendæ commensa, alioquin frustra erit iudicium: hæc omnia, & si quæ sunt alia, probati iudicis ornamenta, aut necessaria præsidia, cumulatè in Christum concurrunt. Nam scientiam habet, etiam quatenus homo, omnium planè rerum de quibus iudicandi sunt homines omnes & Angeli. Recolantur quæ de Christi scientia, cùm infusa, tum beata, superiùs diximus l. 4. Nec erit dubium vllum, quin Christo Domino abundè fuerit scientiæ ad iudiciariam hanc potestatem quantumcumque protensam. Nihil item ex parte voluntatis, siue necessarij, siue congruum, ad rectũ iudiciũ deest Christo. Nam ob impeccabilitatem, non potuit non velle confirmari diuinis legibus, in sententia de bonis & malis ferenda. Quo S. Ambros. serm. 20. in Psal. 118. ad v. 4. aptat illud Christi de se Ioannis 5. *non possum à me facere quidquam.* [Bonus enim iudex, nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ propositio voluntatis, sed iuxta leges & iura pronuntiat, Scitis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum domo defert: sed sicut audit, ita iudicat: & sicut se habet negocij natura, decernit: obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causæ merita, non mutat. Discite iudices seculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum; quam sobrietatem, quam synceritetem, Dominus omnium dicit; *non possum ego à me facere quicquam.* Alibi lego; *Negare semet ipsum non potest.* Non potest vtique, non per infirmitatem, sed per integritatem: non per impossibilitatem faciendi, sed per obseruantiam iudicandi. Quid non potest qui omnia potest, nisi quod posse nolit? Non vult posse quod damnat, non vult posse aduersùs fidem, non vult posse aduersùs veritatem. Audi postremò ipsum dicentem, cur non possit à se facere quicquam. *Sicut audio,* (inquit,) *iudico.* Hoc est, non ex mea potestate decerno quod libitum, sed ex iudicandi religione quod est, & ideò iudicium meum verum est, quia non voluntati meæ indulgeo, sed æquitati.]

Nihil igitur ex parte voluntatis in Christo non sanctum, cum diuinis legibus, & positiuis, & naturalibus non possit non se conformare. Et ob eamdem causam, nequaquam potest à vero & recto abduci: nec patet vlli (vt sic dicam) recriminationi, quasi exprobrare ei quispiam possit, *in quo alium iudicas, teipsum condemnas.* Quid enim in eo non sanctum & nitens, imo nitentissimum & sanctissimum? S. C. Romanum memorat Trebellius, quo in causa censuræ Valeriani, postea Imperatoris, pronuntiatum est, *Valerianus iudex esto, cui nihil obiici potest.* Hoc verò nescio de quo dici, nisi de Christo possit, quem ne hostis quidem peccati conuicit, aut etiam cum aliquo colore insimulauit. Iudices in altera vita ab Ethnicis constitutos, improbitatis notat Theodoretus l. 11. contra Græcos, *in fine.* Christus Iudex non sic. Propterea solus est Iudex, quod solus sit in quem peccatum non cadit, ait Clemens Alexand. 1. Pædag. c. 2. *initio.* Potentiam denique ad iudicij firmitatem requisitam, nemo in Christo desideret, qui & brachium Dei, & Dei virtus est, æquè ac sapientia.

634 Videor igitur iure meritò pronuntiasse, Christum ad iudiciariam potestatem planè factum videri: Tantoperè eminent in eo omnia, quæ ad potestatem illam necessaria vel opportuna censeri possunt. Accedit & illud à D. Bernardo egregiè notatum serm. 37. in cant. quod Dei quatenus Deus est, iudicium in creaturas suas, videretur nimis horrificum: ideoque ait, iudici nostro humanum habitum fuisse circumponendum. [Necessariè quidem. Si enim cum hoc quoque temperamento, tanta erit in iudicio æquitas, in iudice feritas, in maiestate sublimitas, nouitas in facie ipsa rerum, vt (secundùm Prophetam,) non possit cogitari dies aduentus eius; quid putas foret, si ignis ille consumens, (Deum loquor omnipotentem,) in illa suæ diuinitatis magnitudine, fortitudine, puritate, veniret contra folium quod vento rapitur, ostensurus potentiam suam, & stipulam siccam persecuturus? *Et homo est,* (inquit,) *& quis videbit eum? Et quis stabit ad videndum eum?* Quanto magis Deum nobis absque homine exhibentem, nemo hominum ferret, vt potè claritate inaccessibilem, celsitudine inattingibilem, incomprehensibilem maiestate? Nunc enim cum exarserit in breui ira eius, quàm grata propter filios gratiæ apparebit, blanda quædam visio hominis: sanè firmamentum fidei, spei robur, fiduciæ argumentum, quod scilicet gratia & misericordia sit in sanctos eius, & respectus in electos illius. Denique ipse Pater Deus, dedit filio iudicij potestatem, & non quia suus, sed quia filius hominis est. O verè patrem misericordiarum; vult per hominem homines iudicari, quo in tanta trepidatione, & perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo. Prædixerat hoc quondam sanctus Dauid orans pariter & prophetans, *Deus* (inquiens) *iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Sed neque huic dissonat, promissio facta per Angelos, qui eo assumpto ita ad Apostolos loquebantur, *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Hoc est, in hac ipsa corporis forma atque substantia. Liquet ex his omnibus, sponsam in se diuinum habere concilium, & mysterium supernæ voluntatis minimè ignorare, quæ sub vmbra, imbellicium imbecillíumque animantium, naturam, infirmiorem, vel potiùs inferiorem, (quia iam infirma non erit,) in iudicio exhibendam, & orantis affectu, & Spiritu prophetantis enunciat: quatenus qui cœlum terramque mouebit in virtute sua, accinctus potentia contra insensatos, & suauis nihilominùs, & mitis, & quasi omninò ineruis, appareat propter electos.] Esto igitur extra dubium, concessam Christo fuisse potestatem iudiciariam, qua consentaneè ad regulas diuinæ sapientiæ & prouidentiæ, de Angelis & hominibus, rectum & iustum iudicium ferat.

### *Iudiciaria Christi potestas, ordinaria; & quis eius Titulus.*

635 Ex quo intelligitur, hanc potestatem, nec esse supremam omnino & independentem; cuiusmodi est sola diuina; nec esse ita purè ministerialem

nisterialem, vt non sit verè iudiciaria potestas propriè & simpliciter dicta; accepta quidem à Deo, atque adeò aliquatenùs delegata, non tamen quasi in suo genere & ordine non competat, vi proprij muneris & officij. Reuera enim ad eum modum, Christo conuenit; Estque proinde ordinaria. Quod explicandum & confirmandum est, per proportionem ad regiam Christi potestatem excellentiæ creatam, quæ neque est suprema, neque meri Vicarij partes sustinens: sed ita subordinata diuinæ regiæ potestati, & eatenus secundaria, vt tamen in suo genere & ordine, sit potestas regia simpliciter & propriè dicta. Non dissimiliter ergo potestas iudiciaria creata, quæ regiæ potestatis iurisdictionis membrum est, nec est suprema, nec purè ministerialis; qualem solam sortitur internuntius iudicij, aut promulgator alienæ sententiæ; sed est vera potestas in suo ordine prima, diuinæ tamen supremæ & eminentissimæ subordinata. Quod vnum voluit Scotus in 4.d.48. q.1. cum negare videtur, potestatem iudicandi esse Christo datam, & D. Thomam ita affirmantem reprehendit. Tantum enim probat Scotus, Christi potestatem non esse suprema, nec Christo competere ex principiis essentialibus naturæ suæ humanæ: quod est verissimum, & consentiens sententiæ S. Thomæ.

Intelligi quoque ex dictis potest, quis sit huius potestatis titulus. Quia enim potestas hæc iudiciaria, est portio regiæ potestatis Christi eodem modo de eius titulo philosophandum est, quo philosophati suprà sumus de titulo regiæ Christi potestatis, quam vidimus Christo obtigisse; & vt proprietatem connaturalem ratione vnionis hypostaticæ, & ex merito, ratione pacti cum Patre initi. Idem ergo hoc loco de iudiciaria Christi potestate est affirmandum. Hi namque tituli probè cohærent circa eamdem rem, in eodem subiecto: viderique possunt insinuati verbis illis supra tractatis, *potestatem dedit ei* Pater filio, *iudicium facere quia filius hominis est.* Et in aliis plerisque Scripturis, significatur Christum donatum fuisse iurisdictione amplissima in omnes homines, quia cum filius Dei esset, deiectus est infra omnes homines, & in gratiam Patris iudicium iniquissimum subiit. Quæ omnia, vtrumque illum quem dixi titulum ferunt. Atque ita rectè Vasques 3. parte disp. 79. c.2. Henriques l.de fine hominis c.25. n. 1. *Littera V.* & Thyræus lib. de Christi apparitione ad iudicium particulare c. 24. vtrumque illum titulum huius in Christo potestatis, agnoscunt: malè refragante Suare qui Tomo 2. tertiæ partis disp. 55. sect. 1. *in fine*, vult eam non obtigisse Christo ex meritis. Nec benè item Thyræo l.de apparit.ad iudic.c.10.n.10. solam paternam largitatem hîc agnoscente. Sed Tyræus quidem, illo alio quem signaui loco, sententiam mutauit. Suares verò nihil adduxit, quod difficultatem reuera faciat. Tantum enim ait, quæ sunt connaturalia, esse ordine naturæ priora liberis: quod verum est; sed inde non sequitur, Christum in eodem temporis momento quo primùm productus & operatus est liberè, non potuisse ex meritis sibi parare hanc potestatem, vt de aliis quibusdam in priori natura Christo connaturaliter debitis, vidimus superius. Multo minùs sequitur inde, Christum non potuisse sibi hanc mereri per passionem & mortem, æquè ac nominis exaltationem, quæ non minùs connaturaliter debebatur Christo quàm iudiciaria potestas. Quare Scripturæ quas diximus sonare Christi meritum circa hanc potestatem, accipiendæ sunt propriè: non excluſa tamen connaturalitate; nec quod facere cogitur Suarez.) aſtandæ sunt ad meritum solius perpetuitatis, vel vsus & exercitij huius potestatis: cum ipsamet potestas possit nouo meriti titulo esse Christo debita. Quamquam non satis video, quomodo potestas non possit haberi ex merito, & exercitium siue vsus eius sic debeatur, numquâ enim vsus potestatis, cadit sub distinctum meritum ab ipsa potestate, cum vsus ille nihil sit à potestate actus illos expromente, & obicibus libera ac expedita, distinctum. Sumo vsum aliter quàm pro actibus à potestate prodeuntibus, de quibus hîc non est sermo, quia multo minùs vsus ille cadit sub meritum, distinctum à potestate exercita, siue ad praxim reuocata.

### *Quàm extensa, obiectiuè.*

636 Ergo ad obiectum iudiciariæ Christi potestatis, quod vno verbo comprehendi potest, dicendo omnem iudicij legitimi materiam, tam quoad personas, quibus ius dicitur vel quarum causa iudicatur; quàm quoad causas, siue actiones iudicio subiicibiles, cadere sub obiectum potestatis huius Christi Domini; ita enim sonat illud Ioannis, *Pater omne iudicium dedit filio.* Expende adiectiuum illud *omne.* Vt enim dixit Tertullianus l. contra Prax.c.16. [omnem dicens potestatem, & omne iudicium, & omnia tradita in manu eius, nullam exceptionem temporis permittit: quia omnia non erunt, si non omnis temporis fuerint.] Quæ à Tertuliano prolata, ad probandum etiam anteriora Christo, à mundi exordio, subiacuisse iudicio & potestati Christi filij Dei, de quo locum illum accipit; multo magis proferri à nobis possunt in rem nostram agendo de Christo homine, in quo reuera cadunt verba proposita. Omnè ergo potestatem iudicandi, siue omne iudicium præbens Christo Pater, nihil subduxit quod posset esse legitimi iudicij materia. Itaque poterat Christus, de temporalibus quoque iudicare si libuisset: habebátque ad id potestatem, etiam directâ; quamuis ea vti noluerit, vt suprà vidimus agentes de regia potestate, & interpellatione Christi ad diuidentiam inter fratres hæreditatem. Expressam hanc Christi iudiciariam potestatē, in potestate iudiciaria Pontifici Aaronico concessā, docet pulcherrimè S. Cyrill. l. 13. de ador. *in fine* habebat, quoque iam tunc cum in terris esset potestatem in omnes viuos & mortuos, vt de eis iustū, iudicium, & quidem æternū, nullāque appellatione suspendendum ferret, etiamsi quamdiu vixit, eam potestatem velut gladium in vagina reconditum habuit: rediuiuus autem, sedénsque ad dexteram Patris (vt fileam alia quæ D. Aug. 20. ciuit. c. 1. vocat. *media iudicia*, quæ à Christo vsque ad diem nouissimum in viatores occultè celebrantur,) eam exercuit in iudicio particulari quorumuis ex inde obeuntium: & illustrissimè ac magnificentissimè summóque cum apparatu, tantam maiestatem decente, exercebit in vniuersali iudicio, in mundi clausula. Vterque ille huius potestatis actus, vt ipsa potestas, ciúsque obiectum, plenè innotescat, & personas ac materias Christi iudicio subiectas vel subiicibiles deprehendamus, attingendus est; sed cum ea temperatione quam initio proposui.

Prior

*Prior eius actus, siue particulare iudicium, astruitur, & Christo vendicatur.*

637 Particulare aliquod iudicium, vniuersali iudicio præuium, mox ab hominis morte institui, non expectato mundi fine vt decernatur vnicuique quod iustum est, siue salus, siue damnatio, de fide est. Ita enim ferunt illa cap. 11. Ecclesiastici *facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundùm opera sua.* Item, *in fine hominis, denudatio operum illius.* Patres, & reuelationes varias, ac rationes in hanc rem, adducit Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 4. In hoc turpiter errauit Lactantius, homo ditertior quàm solidè peritus rerum fidei, 7. instit. cap. 21. negans iudicium ferri de animabus ante mundi finem: donec tempus adueniat. Sed hic error, qui non Lactantij solius, sed aliorum quoque nonnullorum veterum fuit, vt videre est apud Bellarminum lib. de Beatitud. 55. cap. 1 Serarium lib. 2. Contra Puccium cap. 1. & 2. damnatus est ab Innocentio III. c. *Apostolicam* de Presbitero non baptizato & à Benedicto 11. in Extrau. quam refert Castro V. *Beatitudo*, hæresi sexta, & ab Eugenio 4. in Concilio Florentiæ sess. vltima, in litteris vnionis. Nec est quod hoc loco fusiùs conuellatur, quia ex immuneris Scripturis, sensuque Ecclesiæ, & Patrum, ac rationibus, obtritus iam pridem est à Bell. l. cit. & ab aliis apud Coccium tom. 1. l. 3. art. 2. Sub his autem terminis quos dixi, hoc est quod fiat iudicium particulare ante vniuersale, probatur diligenter à Thyræo lib. de Iudic. partic. per prima sex capita. Hoc igitur est planè certum, & ex fide.

Sed non adeò certum est, an hoc iudicium sit actus iudiciariæ potestatis Christi Domini. Negat Petrus Lucensis, lib. de doctrina benè moriendi cap. 3. quæsito 8. Ambigit Bellarminus lib. 2. de Purgat. c. 4. Est tamen probabilior, & magis pia sententia quæ id affirmat, cum S. Thoma 3. parte. q. 59. art. 4. ad 3. Subscribunt Suarez ibidem disp. 52. sect. 2. Thyræus lib. de Iudicio particulari c. 19. Peltanus l. de Purgatorio c. 2. Philippus A cruce Tract. de Purgat. §. 9. num. 3. Mart. Carrillus in Bullam Defuncto. parte 1. c. 8. n. 33. Præpositus 3. parte q. de Purgatorio num. 26. Sanè si pater omne iudicium dedit filio, manifestum videtur, dedisse quoque illi iudicium particulare; quod est aliquod, & quidem maximi momenti iudicium. Nec quod censuit Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 4. eneruatur hic locus, cum dicitur illud *omne*, posse sufficienter exponi de omni persona: quia omnes personæ à Christo iudicabuntur in mundi fine. Hoc inquam non eneruat vim loci propositi, ad probandum Christo committi iudicium particulare. Nam omne iudicium, non tantùm exprimit omnes personas, sed multo irectiùs omnem materiam, & causam pro qua persona quæpiam sit iudicanda. Itaque cum iudicium particulare sit præiudicium ad vniuersale, & in vtroque pronuntietur de iisdem personis & causis; in vno quidem seorsim & diuisim, in altero autem coniunctis omnibus simul personi & causis; non videtur negandum, quin Pater vtrumque illud iudicium Christo dederit: atque adeò admittendum est, Christum in iudicio quoque particulari, iudicem agere. Quod ex Patribus, disertè agnoscit S. Cyprianus lib. de mortal. dicens, hominem hinc abeuntem, præmium vitæ & fidei, Christo iudicante accipere. Astipulatur Innoc. III. lib. 2. de contemptu mundi c. vltimo exponens quatuor Christi aduentus; duos visibiles, vnum in carne, alterum in mundi fine: & duos inuisibiles, vnum ad sanctificandum, & alterum ad particulariter iudicandum vnumquémque in obitu suo.

638 Non debet quoque videri inutile, suffragium quod in hanc rem à visis quibusdam diuinis & reuelationibus petitur. Sic enim Vdo Præsul Magdeburgensis apud Nauclerum 2. parte Gener. 34. Christo præsentatus, & apud eum accusatus, tandémque condemnatus ab eo per visum fuit. Aliud item iudicium in causa S. Sidonij Aruernensis Episcopi à Christo factum, exhibet Gregorius Turonensis lib. 2. Historiæ Franco c. 23. Item apud Cantipratanum lib. 1. Apum cap. 3. n. 4. Per visum obiectus est Christus, viro sanctissimo Conrado Hildemensi Episcopo, præsidens iudicio de anima Episcopi nequam, qui exautoratus & omnibus Pontificalibus vestimentis coram Christo exutus, raptus est ad Tartara solis peccatis contectus, acclamantibus dum raperetur sanctis Angelis, aliisque Christo assidentibus in eo iudicio, *dum tempus habemus, operemur bonum.* Perpulchram visionem cuidam ætate Constantini exhibitam, qua particulare iudicium demandatum Christo prodiit, refert Raderus ex Menæis 21. Nouēb. Videndus S. Antonnius 3. p. tit. 23. c. 10. §. 6.

Denique congruentiæ & rationes propè omnes, quæ pro iudicio vniuersali per Christum faciendo proferuntur, hìc ferè etiam locum habent: maior scilicet Christi honor, & vt agnoscatur ab omnibus eum fuisse vniuersalem negotiorum gratiæ & salutis humanæ arbitrum, secundùm Deum: Cedit quoque hoc non parum in bonorum leuamen, & impiorum cordolium; dum vident ij quidem cui conregnaturi sint, quia sint compassi, & sicut ipse multa perpessi; pro quibus suauiùs accipiunt præmium, decernente eorum primicerio quem in vita vniuersa habuerunt ducem. Impij verò quàm iustè Iudicem sustinent, quem per vitam despectui habuerunt. Et hoc modò, mysticè valet quod Innocentius 3. l. 2. de contemptu mundi c. vltimo. Christum Dominum omnibus morientibus obiici existimat, specie crucifixi, tam bonis quàm malis: Nempe bonis monstrantem vnde salui sint facti; malis verò insultantem, & exprobrantem; cùm peccata quantumuis abdita quæ nefariè admiserunt, tum maximè ingratitudinem teterrimam qua tot beneficiorum imbribus, ipsáque imprimis Christi passione sunt abusi. Congruentissimè igitur Christus, huius iudicij potestatem accepit. Eoque magis vrgeri videmur ad tribuendum Christo hoc particulare iudicium, quia vniuersale, non est nisi approbatio & promulgatio sententiæ in particulari iudicio latæ. Ac proinde totus negotij salutis nostræ cardo, vertitur in iudicio particulari, multo magis quàm in vniuersali. Itaque si Christo iudicium vniuersale congruè tribuitur, propter rationes aliquas, non videtur dubium, quin illæ æquè saltem militent pro iudicio particulari.

*Euertuntur fundamẽta, quibus aliqui Iudicium particulare Christo adimunt.*

639 Nec qui Christo hoc iudicium adimunt, & Angelo cuipiam tribuunt, probabiliora proferunt, quàm quæ pro Christo adduximus. Angelo custodi id tribuit Henricus de Assia, & ex eo Sybillanus in speculo. Sed nihil adducunt ad id confirmandum S. Michaëli tribuit Viegas in c. 12. Apocal. commentario, 1. sect. 18. num. 7. inde ducto argumento, quod Ecclesia in Officio S. Michaelis, & Missa defunctorum, dicat eum præpositum fuisse à Deo suscipiendis animabus, & repræsentandis in lucem sanctam. Item quia eam ob causam, videtur pingi cum gladio & statera, quæ sunt iudiciariæ potestatis signa. Eóque referri potest, quod in narratione militis redeuntis, quam ex Hamartolo refert Racterus in Mæneis 28. Aprilis, memorantur libripendes à quibus exeuntium animæ appenduntur, administri scilicet vel subpræfecti S. Michaëlis. Aliter idem probat Serarius in c. 5. Iosuæ q. 45. propos. 3. vbi iudicium particulare S. Michaeli commissum affirmat, per se, vel per subdelegatos ab ipso Angelos exerceri. Et probat, quia nihil est in huiusmodi iudicio, quod vim Angeli effugiat. Nam & discutere causas morientium potest, iis inditis per seipsum speciebus in obeuntium intellectu, quibus adigantur assentiri, verèque agnoscere, id abs se patratum. Et propterea potest pœnam aut præmium condignum iuxta diuinas leges decernere, ac pronuntiare sententiam. Quod si potest id præstare Angelus, decentissimũ videtur vt id Deus illi permittat; nec ad id Christum destinet, cum soleant magni Principes, parua & obscura iudicia, exercere per ministros, non per seipsos. Cum ergo Christus, generale iudicium per seipsum sit exerciturus, & in eo approbaturus particularia iudicia, congruum videtur, hæc à Ministris obita existimare, per quos etiam solet Deus exequi quæ spectant ad homines, & res mundanas. Et nemo sanè negare potest, alium à Christo fuisse particularium iudicorum præsidem, ante Verbi ad nos aduentum. Quidni igitur nunc quoque sit alius?

Hæc sunt quæ pro alio quàm Christo iudiciis particularibus præficiendo, proferuntur: quæ tamen leuia sunt, nec æquant probabilitate, quæ pro Christo protulimus. Nam S. Michaelem esse præpositum suscipiendis animabus, non quibusuis, sed iustorum tantùm; idque per se, vel per subdelegatos à se Angelos exequi, lubens concedo. Et confirmari potest illis apparitionibus quas collegit Albertinus opusculo de Angelo Custode c. 16. excepturum & deducturum à custodibus Angelis sanctarum animarum. Nam quamuis non deducant per motum localem, tamen astant corpus deserentibus; cum tunc maximè agatur earum salus & adesse Satanæ impetum, ac suorum, pulchrè tradit Origenes hom. 6. in psal. 36. *in fine*. [Eo tempore cum anima separata à corpore, & occurrunt ei peccatores dæmones, aduersæ potestates, spiritus aëris huius qui eam volunt detinere, & reuocare ad se; si quid in ea suorum operum gestorúmque cognouerint. Venit enim ad vnamquamque enimam de hoc mundo exeuntem princeps huius mundi, & aëreæ potestates, & requirunt si inueniant in ea aliquid suum: si auaritiam inuenerint, suæ partis est: si iram, si luxuriam, si inuidiam, & singula quæque eorum similia si inuenerint, suæ partis est, & sibi eam defendunt, & ad se eam trahunt, & ad partem eam peccatorum declinant. Si verò aliquis imitatus est illum qui dixit, *ecce venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*, si se aliquis ita obseruauit, veniunt quidem isti peccatores, & requirentes in eo quæ sua sunt, & non inuenientes, tentabunt nihilominus ad suam partem violenter eam detorquere, sed Dominus eripiet eum à peccatoribus. Et fortè propterea iubemur cum quodam mysterio, etiam in oratione petere, dicentes; *Sed libera nos à malo.*]

640 Hæc igitur de SS. Angelorum in eo articulo studiis erga animas, rata sunto. Et quia inter Angelos omnia fiunt ordinatissimè, non dubium quin hæc ministeria obeant cum subordinatione ad aliquem superiorem Angelum, tanto negotio præfectum, qui conuenientissimè affirmatur esse S. Michael, tanquam summus Christianæ Ecclesiæ protector, & inter cœlestes Spiritus eminentissimus. Hæc igitur lubens do: sed longè aliud est, S. Michaelem esse eo modo præpositum sanctis animabus suscipiendis, & repræsentandis in lucem sanctam; aliud verò exercere iudicium particulare omnium animarum, tum sanctarum, tum reprobarum. Argumentum verò ductum ex pictura cum gladio & statera, est planè inane: quia Theologia Symbolica, iuxta S. Dyonisij effatum non est argumentatiua. At constat hæc esse Symbola; gladium quidem certaminum sancti huius principis cœlestis militiæ aduersus Satanam, pro Ecclesia & animabus iustis: stateram verò ministerij quod per se suósve subdelegatos exhibet, aptans & disponens animas, vt compareant in particulari iudicio; etiamsi iudicium illud non exerceat. Quamquam hæc stateræ appositio ad S. Michaelis picturam, videtur inuentum merum pictorum, ex eo ductum, vt Molanus notauit l. 3. de Imagin. cap. 39. quod in scripturis, iudicium soleat trutinæ vel stateræ comparari, vt apud Iobum c. 31. *appendat me in statera iusta*. Sed præsertim Danielis 5. vbi Baltasari dicitur, *appensus es in statera iusta, & inuentus es minùs habens*. Quia igitur iudicium in Scripturis per stateram exprimi solet; pictores quibus omnia licere videntur; ex errore de iudiciaria potestate S. Michaelis, libram illi appinxerunt. Nec tamen hæc pictorum licentia fuit vniuersalis. Nã apud Græc. libra, Deo vero Christo ipsi tributa est, vt habetur ex Damasc. Orat. de defunctis, qui sic scribit. [Deus & Dominus noster iustus est, imo quod dictu verius, ipsamet iustitia, & sapientia, & bonitas, & virtus. Idcircò vt iustus remetietur inopi largiter; vt sapiens corporum commutandorum negotiationem exercebit; vt potens, fortem conculcabit, & infirmum roborabit; vt bonus, figmentum manuum suarum saluaturus est: nisi quis manifestè damnatus sit, aut rectam fidem respuerit, in cuius trutina, lanx sinistra ob grauitatem multùm deuergat. Aiunt enim viri diuinitus illustrati, quod cum exhalamus spiritum, quasi in libra, humana opera probantur. Et si lanx dextera alteram superexcedat, manifestum quod is cuius opera examinantur, in dextris refocillabitur. Sin

Sin vtraque æqualiter pendeat, vincet tamen omninò diuina misericordia: quin etiam vt Theologi referunt, si sinistra patum vergat, misericordia Dei totum adimplebit. Ecce tria diuina Domini iudicia, primum iustum, secundum verò misericors, tertium denique plus quàm misericors. Addere licet ad hæc quartum, quando mala opera multum præponderant.]

Quamuis autem in historia Petri Telonarij intexta vitæ S. Ioannis Elemosinarij, hîc citata à Damasceno, taceatur quis bilancem teneat: vides tamen libram hîc à Damasceno, non Angelo cuipiam, sed Deo, vel Christo dari. Rupertus pereleganter lib. 9. de proces. Spiritus Sancti c. 7. Christo stateram iustam, & binas misericordiæ ac iudicij lances accommodat, & concinit S. Isidorus in exhortatione ad pœnitentiam rythmicè conscripta, vbi sic Christum affatur.

*Annalibus reseratis nudabuntur publicè.*
*Omnium hominum facta, cogitatus impij.*
*In statera tu liberabis omnia in pondere,*
*Appenso bono vel malo. Parshæc operarium*
*Vendicabit, quã momenti lance declinauerit*
*Quid agam si pondus mali læua iactauerit?*

Vides S. Isidorum, Christo ipsi stateram ad animas appendendas tribuere, iuxta illud, *Spirituum ponderator est Dominus.* Quod allegans Marcus Eremita lib. de lege Spirituali cap. 89. ait, idcirco dictum, quia Deus metitur & trutinat omnem intellectum. Id quod maximè præstandum est in iudicio. Videtúrque eodem referri, quod Iobius apud Photium Codice 222. Trinitatem cum statera confert. Possemus ergo retorquere argumentum, & ex eo quod statera, Deo (vtique carne vestito,) tributa sit à Græcis; colligere, particulare iudicium non à S. Michaele, sed à Christo Domino obiri. Hinc euersa manent omnia argumenta auctoris primò allegati.

Quæ verò addebantur ex Serario, ad summum probant, potuisse non incongruè S. Michaeli, aut alij cuipiam Angelo demandari hoc iudicium. Sed Deus qui omne iudicium Christo dedit, non astringitur congruentiis nostris: nec debemus iudicium particulare in quo salus æterna vertitur, rem tantulam, & Christo minùs dignam arbitrari in lege noua: quod facit Autor cum quo agimus. Qui item non rectè argumentatur ex tempore Christum antecedente, quasi quia tunc Christus, qui non erat, non obibat iudicium particulare, nunc quoque obire illud non debeat. Est enim perspicua disparitatis ratio. Præter quàm quod gratis assumitur, iudicia particularia ante Christum fuisse S. Michaeli demandata: cum receptius sit ea tunc Deum obiuisse per seipsum, vt Thyræus lib. de particulari iudicio cap. 18. rectè censuit. Dissimulo quod Autor cum quo nobis res est, tribuit Angelo facultatem imprimendi per seipsum species intellectui animæ iudicandæ, quod puto falsum: etiamsi quia Deus ad nutum Angeli supplet eius hac in parte inefficaciam, & eiusmodi species imprimit, tribuatur interdum Angelo ea operatio. Quare ratum esto, quod diximus, longè verisimiliùs Christum Dominum statui iudicem in particulari iudicio, quàm Angelum.

### *Quomodò Christus, tot iudiciis obeundis, par esse possit.*

641 Difficultatem tamen aliquam facere circa hoc videtur, finitas Christi localis, & conclusio intra cœlos ad dexteram Patris vsque ad mundi finem. Si enim Christus cœlis concluditur, quomodò tot animæ per singula, præsertim tempore pestis (inquit ex Henrico de Assia Sibyllanus decade 1. cap. 2. quæst. 9.) tot terrarum disiunctissimarum locis linquentes corpora, iudicium ab eo possunt excipere. Vt autem cœlos penetrent animæ, ibique sistatur iudici, nullo colore dici potest de animabus reproborum. Sed neque de aliis nondum plenè purgatis, est verisimile, quod cœlos ingrediantur adhuc coinquinatæ. Et quamquam conclusio Christi in cœlo, talis non sit quin Christus aliquo raro euentu, personaliter aliquando ad terras veniat, vt plenè Mendosa q. 5. Scholastica à num. 16. & Suarez Tomo 2. 3. part. disp. 51. sect. 4. Tamen vt dicamus accidere in singulorum obitu, nemo non videt absurdum fore. Esset enim Christus perpetuò extra cœlos, & in continuo motu, diuersis ac repugnantibus motibus subesset, vt ad tam multos tam variis disiunctisque locis efflantes animam, occidere, déque eis iudicare posset. Itaque iudicium particulare, cum Christi finitate locali pugnare videtur. Præterea attentio ad tot támque diuersa iudicia simul exercenda, desiderabitur in Christo homine: atque adeò finitum intellectum, & vim attendendi finitam habente. Non licet porrò ob has difficultates, fingere Christum vti ad hæc iudicia ministerio Angelorum, Christi auctoritate iudicantium: vt Reges per suos ministros iudicant; de quo Peltanus anceps est lib. de Purgat. cap. 2. Imo videtur ita asserere Magal. in cap. 6. Iudic. sect. 1. annotat. 7. & Serarius in cap. 5. Iosue q. 45. Non est inquam id admittendum. Nam rationes quibus astruximus, hanc potestatem Christo competere, eneruarentur: & omnia proximè de Christo iudice constituta, corruerent.

Vidit & optimè expediuit hanc difficultatem Abulensis in cap. 44. Matth. q. 239. dicens, Christum ad vniuscuiusque obitum, adesse iudicem non per localem præsentiam, sed secundùm efficaciam, qua vnicuique animæ statum suum patefacit; & intellectualiter eam sustollit ad percipiendam operibus commensam sententiam, quam agnoscit Christi auctoritate ferri. Nec est timendum attentioni Christi, cum hæc omnia, non naturali virtute, sed supernaturali cuius nullus est terminus, perficiantur. Ad eum igitur modum, Christus de omnibus, quantumlibet in locis dissitis, & simul innumeri, obeant, fert iudicium. Et hoc est quod accommodatè ad captum nostrum, & humano more rem explicando, dicunt interdum Patres, animam deduci ad Christi tribunal. Non enim agunt de locali deductione ad Christum, quæ rectè in ratione dubitandi explosa est: Neque etiam intendunt, Christum cum throno suo iudiciario venire ad quamlibet animam; quod rectè quoque monstratum est absurdum esse. Agunt igitur dumtaxat, de deductione intellectuali, qualem exposuimus: itavt quamuis anima quæ Iudicium subit, humanitatem Christi

non videat; sustollatur tamen ad excipiendum prædicto modo Christi de ipso iudicium. Quod nego animam quæ Iudicium subit, Christum videre; nolo vniuersaliter accipi. Pleriscque enim purioris vitæ personis, id gratiæ diuinitùs indultum est, vt Christi intellectuali conspectu in exceisu è corpore fruerentur. Nec est improbabile, aliquibus quoque reprobis, ad maiorem confusionem accidere, vt iudicem iustè succensentem, cogantur intellectualiter conspicere. Igitur illud dumtaxat affirmo, ad rationem iudicij particularis, eiusque plenam consummationem, non exigi, vt iudex conspiciatur. Si verò contingat eum intellectualiter conspici, (quod non putarim semper contingere, quicquid è contrario affirmet Thyræus l. de Iudicio particulari c. 28. à n. 6.) aio id per accidens se habere ad iudicium, essèque ei planè aduentitium, nec vnà computandum.

### *Qua specie, Christus iudicium particulare obeat, & à quo tempore obeat.*

642 Non puto tamen, tunc Christum, (vt Innocentius III. affirmabat) obiici specie crucifixi. Id quod etiam tradere videtur Autor Homiliæ de euntibus in Emaus *in fine*, apud S. Bernardum. Glossans enim verba illa, *& apparuit Simoni*, interpretatus Simonem, *obedientem*, subdit. [Videte ne fortè propter nos dictum sit, qui specialiter filij sumus obedientiæ, qui sapientibus & insipientibus debitores sumus, sine contradictione vocis, sine rancore murmurationis obedire. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, magnum lætitiæ cumulum parturiens obedientibus, quia Dominus apparuit Simoni, & ipsi soli speciali prærogatiua præ omnibus. O si deuota mentis memoria reuoluamus, quàm dulcis sit eius apparitio obedientiæ filiis, in illo agone terribili, & in illa hora miserabili, vbi cogitur anima à corpore separari. Non præsumimus, quæ nescimus asserere; possumus tamen piis imaginationibus tale aliquid cogitare. Fortè aliquibus nunc apparet Christus, cum vexillo obedientiæ & ineffabili exultatione, exhalarat obedientis animam in illa tribulatione; & his potest sermocinationibus consolari: Ne timeas fili obedientiæ, ne timeas intueri manus propter obedientiam cruci affixas: considera pedes expositos fixuris clauorum, & latus lancea perforatum. Attende quod propter obedientiam mortuus sum; & si propter fragilitatem humanæ conditionis, obedientia tua sit minùs aliquid perfectum habens, volo vt plenitudo meæ obedientiæ, sit tuæ minùs sufficientis obedientiæ supplementum. Quid in illa hora potest esse suauius tali consolatione? quid imprimi potest humano cordi dulcius? Ponite hæc super corda vestra filij obedientiæ, gaudete & exultate, quia *surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.*] Apparere Christum hac specie inter iudicandum, non existimo: negauitque etiam Dionisius Richelius Dialogo de Iudicio animarum art. 11. Et ratio est, quia species illa, statui Christi nunc glorioso minùs quadrat. Obiicitur ergo Christus, specie iudicis, vel vltoris, vel præmiatoris. Id quod produnt pleræque visiones iudiciorum particularium, quibus scatent Ecclesiasticæ historiæ.

Illud insuper de persona Iudicis quæri posse video, à quo tempore Christus exercuerit potestatem hanc iudiciariam, quam à primo momento conceptionis nactus erat, cum vnus eius titulus esset vnio. Non enim eam videtur exercuisse in toto tempore vitæ mortalis, quia per tempus illud, iudicandus venit, non iudicaturus: valétque vniuersaliter de eo quod scriptum est, *non venit vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Quod autem eam exercuerit ex quo sedet ad dexteram Patris, est extra dubium, si supponamus quod hanc potestatem sit nactus; eámque aliquando exerceat, quod præmisimus, & magis pium, & probabilius esse. Tota itaque dubitatio est, de tempore à Resurrectione ad Ascensionem: & multo magis de triduo mortis Christi. Affirmat de vtroque illo tempore Suarez Tomo 2. 3. partis disp. 52. sect. 2. *in fine.* Tyræus lib. de Iudicio particulari c. 25. Ego de tempore quod à puncto Resurrectionis ad Ascensionem vsque intercessit, facilè assentior: quia ex eo tempore, Christus iniuit possessionem regni cuius portio est potestas iudiciaria. [Nec occurrere potest ratio illa, cui dicamus, negandum esse Christo per tempus illud, exercitium huius potestatis. De tempore autem tridui mortis, non puto verum, quod Christi anima exercuerit hanc potestatem: quia tunc non erat completè in termino, nec iniuerat regni Ecclesiæ possessionem.

### *Obit erga omnes eum subsecutos, & quomodò.*

643 Ex his expedita manent, quæcunque ad personam iudicis & alia ex parte eius sententia, in Iudicio particulari interueniunt; dempta prolatione sententiæ, de qua dicam coniunctim cum subiecto iudicium subeunte. Hæc est omnis homo post Christum mortuum, ne pueris quidem qui absque baptismo excedunt, exclusis. Restringo me ad homines: quia Angeli, quamuis iudicium particulare suum iam subierint, iudice Deo, hique ad vitam, illi ad æterna supplicia sint addicti: tamen per se liquet, huiusmodi eorum iudicium quod orbis initio factum est, non potuisse à Christo peragi. Ad nos hîc, de functionibus iudiciariæ Christi potestatis differimus, non vniuersè de iudicio quocunque, celebrato diuinitùs. Eademque ex causa, è numero personarum subeuntium Christi iudicium particulare, eximendæ sunt personæ vita functæ, ante Christum; de quibus iudicatum est à Deo, non à Christo qui nondum erat.

Omnes igitur Christo posteriores, huic eius iudicio subiacent, sed diuersimodè. Nam animæ puerorum expiatorum, Cœlo inferuntur per Christi merita, absque vllo examine. Et similiter animæ puerorum inexpiatorum, iudicium meræ damnationis subeunt, citra vllam discussionem. Intelligunt enim se in æternum excludi à gloria, auctoritate Christi, qui gloriæ mystagogus (vt sic dicam) constitutus à Deo, arcet ab ea pro potestate, quotquot sacramento regenerationis inexpiatos hinc excedere contigerit. Et hoc iuxta principia de horum puerorum damnatione, quamuis absque cruciatu, imo & absque tristitiæ sensu, est verisimilius: rectèque asseritur à Thyræo l. de Iudicio particulari c. 9. & à Suare Tomo 2. 3. partis disp. 52 sect. 1. Cæteræ omnes animæ, iudicium discussionis subeunt,

eunt: Ideſt, ſuſtolluntur diuinitùs ad agnoſcendum, quibus operibus hæc illáve retributio auctoritate Chriſti reddatur, bonis optima, ſed interuentu purgationis interponendæ, ſi ea egeant ob peccatorum inexpiatorum minutias, vel ob ſuperſtitem reatum; Malis peſſima & vitæ proportionata. Et hoc eſt quod apud S. Bonifacium Epiſt. 21. in reuelatione verè mirabili, proditur de virtutibus & vitiis in egreſſu, animæ inclamantibus. Adſcribo partem fuſioris orationis, [Aiebat, ſeipſum omnia audiſſe flagitiorum propria peccamina quæ fecit à iuuentute ſua, & ad confitendum aut neglexit, aut obliuioni tradidit, vel ad peccatum pertinere omninò neſciebat, ipſius propria voce contra illum clamaſſe, & eum diriſſimè accuſaſſe; & ſpecialiter vnumquodque vitium, quaſi ex ſua perſona in medium ſe obtuliſſe, dicendo, quoddam; Ego ſum cupiditas tua qua illicita frequentiſſimè & contraria præceptis Dei concupiſti: quoddam verò; Ego ſum vana gloria, qua te apud homines iactanter exaltaſti. Alio; Ego ſum mendacium, in quo mentiendo peccaſti. Alio; Ego ſum otioſum verbum, quod inaniter locutus fuiſti. Alio Ego, viſus quo videndo illicita peccaſti. Alio; Ego contumacia & inobedientia, qua ſenioribus ſpiritalibus inobediens fuiſti. Alio; Ego torpor & deſidia in ſanctorum ſtudiorum neglectu. Alio; Ego vaga cogitatio, & inutilis cura, qua te ſupra modum ſiue in Eccleſia, ſiue extra Eccleſiam occupabas. Alio, Ego ſomnolentia, qua opreſſus tardè ad confitendum Deo ſurrexiſti. Alio; Ego iter otioſum, Ego ſum negligentia & incuria qua detentus, erga ſtudium diuinæ lectionis incurioſus fuiſti; & cætera his ſimilia, omnia quæ in diebus vitæ ſuæ in carne conuerſatus peregit, & confiteri neglexit. Multa quoque, quæ ad peccatum pertinere omnino ignorabat, contra eum cuncta terribiliter vociferabantur.]

Hoc eſt, quod his aliis verbis dixit Eucherius hom. 8. ad Monachos num. 11. [Cogitemus qui luctus erit negligenti animæ ex hoc corpore diſcedenti, quæ anguſtiæ, quæ caligo, quæ tenebræ; cum ex illo aduerſariorum numero, prima occurrere cæperit conſcientia, diuerſis circumiecta criminibus. Ipſa enim remotis omnibus probationibus, ipſa ingerenda oculis noſtris, vt nos & conuincat probatio, & confundat agnitio. Non vlli licebit, vel celare aliquid, vel negare: vbi non de longè alicundè, ſed penitus proceſſurus eſt, accuſator & teſtis. Quamobrem vt futuram illam confuſionem, ex præſenti quæ inter homines euenire ſolet, confuſione coniiciamus; cogitemus ſi alicui noſtrum, inter nos obiicerentur delicta & occulta ſua, quemadmodùm & cordi intrinſecùs nota ſunt, verè dico, communes omnium vultus ferre non poſſet: Et quid faciet infœlix anima, quando cum opprobriis & fœditatibus ſuis Angelorum fuerit conſpectibus præſentata? At verò illa anima quæ benè curſum ſuum dixerit, quæ Chriſto in ſenioribus ſuis obtemperauit, quæ profeſſionem ſuam per omnia cuſtodierit; non timebit illius horæ neceſſitatem: exire de huius corporis habitaculo ita ſibi videbitur, quaſi poſt longas carceris tenebras producatur ad lucem: quaſi de aliquo obſcuriſſimo ſpecu, in aulam regiam introducatur: quaſi de lacu miſeriæ, & de luto fœcis abſtracta, ſpecioſis ac ſplendidis veſtibus induatur, atque inter florum & aromatum ſuauitatem, miris reficienda odoribus collocetur. Recordemur quàm iucunda ſit quies, quàm delectabilis repauſatio, poſt depoſitum alicuius grauiſſimi oneris faſcem. Quàm dulce ſit poſt longæ captiuitatis catenas, ad charam patriam recuperata libertate remeaſſe. Quàm precioſum ſit, poſt multæ nauigationis pericula, ad optatam terram, atque ad portum deſiderabilem peruenisſe. Atque ex his colligamus, & cognoſcamus, quàm iucundum erit, comite bona conſcientia, ad vera & ſolida gaudia, atque ad Angelorum tranſire conſortia; & ad illam vitam conſcendere, vbi nulli erunt labores, nulli dolores; nulla damna, nulla incommoda; & quod ſupra omne bonum eſt, nulla peccata, ſed æterna innocentia, inuiolata iuſtitia, inconcuſſa ſecuritas, ac ſempiterna fœlicitas.]

### *Tempus obeundi iudicij particularis, regulariter loquendo, mortis momentum.*

644 Neque tamen exigitur ad id iudicium ſubeundum, longa mora: Quamuis enim dicta, cogitata, facta omnia, (omiſſionibus culpabilibus inter facta annumeratis,) obiiciantur intellectui animæ quæ ſubit iudicium, & plerumque cumulus actuum illorum, ſiue bonorum, ſiue malorum, immenſus videatur; facilè tamen eſt Deo, ita roborare intellectum, vt omnia illa pro quibus talis vltio vel compenſatio reponditur, in momento deprehendat. Et ita planè contingit, regulariter loquendo. Cum primum enim abrumpitur vitta aurea, & anima corpori conſeri deſinit; quod fit in momento vitæ hominis extrinſeco; illicò anima ſubit hoc iudicium, etiam priuſquàm è corpore abſcedat: quod non fit niſi in tempore, cum fiat per motum localem. Ratio eſt, quia in eo momento, in quo diſſoluitur vnio animæ cum corpore; anima eſt extra viam: & ſuccifa eſt arbor, ac in quamcumque partem ceciderit, ibi eſſe in æternum debet. Fit autem aliquando conſcia ſtatus ſui æterni vt notum eſt. Quidni autem eam notitiam, cuius omnino debet particeps eſſe accipiat confeſtim? At in ea perceptione ſtatus ſui, facta per Chriſti auctoritatem, conſiſtit ſubitio huius iudicij. Igitur rectè conſtitutum eſt, illud in momento mortis ſubiri. Et quamuis in illo ipſo momento, anima pura, fiat beata; quæ verò purganda vel æternum crucianda eſt, iam tunc pœnæ ſuæ ſubiaceat: Tamen ſatis eſt, quod priùs naturâ, ſententia præcedat pœnam aut præmium: etiamſi alterutrum ſit in eodem temporis inſtanti, cum ſubitione iudicij, quod dixi perfici in mortis momento, non poſtea.

Contrarium pro damnatis ſenſiſſe videtur Euchetius hom. 1. ad Monachos num. 2. verbis illis. [Quid inter hæc, cum eam cæperit an definitam ſententiam, & immobili lege defixam importunus depoſiti exactor abſtrahere, & hinc inde ſultare, & inſiſtere infernalium diræ facies miniſtrorum? Quid erit cum ab apparitoribus mortis, per hunc vaſtum aërem ſeparari, & per ſemitas tenebrarum abduci trans diem cœperit, & nequaquam remeabile iter agere per fines illos, vbi ipſa lux deficit? Cum peregrina vbique anima, comitante malorum ſuorum triſti agmine, viderit ſe per extremas mundi oras, in illud inane ac vacuum cadere de mundo; atque illud

magnum

magnum chaos quod vitæ mortisque regionem discernit, intrare; & vitales auras, naturæ ipsius exul amittere? Cum rebus humanis vale vltimum dicens, mortem ante se habens, & vitam post se relinquens, in illud horrendum, & & vix oculis attingendum pertrahetur profundum, diuersis auaritiæ ac malitiæ catenata criminibus, quantum perdidit precium, tantum exceptura supplicium? Cum ad hæc itaque crudelis custodiæ peruentum fuerit loca, vbi iam futuri pœnarum iudicij ipsa sui expectatione desæuiet, ne dicam aliud solus mœror exeruciabit animam vniuersis solatiis destitutam, sola torquebit cogitatio desperatam, solus metus examinabit attonitam: & quia ibi iam nulla erit parandi victus aut vestitus sollicitudo, nulla laborandi, militandi, agendiue occupatio, nulla facultatis aut honoris ambitio, solus meutem omnibus aliis curis vacuam intollerandus reddendæ rationis terror implebit, solum ac totum iudicij pondus, captillis sensibus imminebit.] Non assentior. Iam enim in abitu è corpore, reddita est ratio. Iam iudicij fulmen detonuit in ipso mortis momento, non autem posteà. Et multo minùs ante.

*Quæ iudicij huius, celebrationem ante mortem sonant, spectant ad animæ exeuntis angustias. Hæ, quantæ.*

645 Proferuntur quidem aliquæ narrationes iudiciorum, celebratorum priusquàm anima corpore solueretur: contestantibus his, qui obibant, se iusto Dei iudicio damnatos esse. Videsis S. Gregorium 4. dialogo. c. 38. & Bedam lib. 5. historiæ Anglicæ c. 14. & 15. sed hoc ad præconceptionem status mox subsecuturi, vel ad desperationem infœlicium huiusmodi capitum pertinet. Omnium certè, summæ in eo articulo sunt angustiæ, cum anima est sui compos, & sibi meritò metuit. Egregiè id tradit Eucherius hom. 1. ad Monachos, verbis illis. [Quàm tardè miseram animam malorum suorum pœnitebit, cùm die vltimo superueniente, separari se à corpore suo viderit; cum sibi in finem claudenti oculos, nigrescere & horrescere sempiterna nox cœperit: cùm iacere ante se vacuum salutis ac lucis infœlicem commilitonem suum viderit, incentorem pariter ac deceptorem, cum quo de arena mundi huius per flagitium fuum victa discessit: cum cœperit ab eodem iam diuulsa, immanes & inanes dare super eum planctus, & dicere; vbi sunt animositates & cupiditates tuæ, quibus huc vsque impatienter arsisti, & arsura iugiter congregasti? Ecce transierunt illa omnia tanquam vmbra, abierunt oblectamenta, & sola inperpetuum opprobria & crimina remanserunt. Væ mihi ô anima: ad tam perditum vas, velim nolim reditura sum, & propter fugitiuas voluptates, nunquam effugiendis cum eo vaporibus concremanda.

Insigniter quoque de angustiis animæ corpus deserentis, philosophantur Antistites in Epistola ad Ludouicum Regem, data è Synodo Carisiaca. (Habetur inter capitularia Caroli Calui titulo 23.) Ibi Præsules prædicti num. 4. contestantur Regem, vt iustè ac piè se gerat. Et inter cætera proponunt ei, [illam horam quam certi estis quia nullo modo poteritis effugere, quando anima vestra de corpore exiet, ante mentis oculos ponite; quando totum mundum, & omnem potestatem, & omnes diuitias, & ipsum corpus derelinquet: & sine adiutorio vxoris ac filiorum & sine solatio & comitatu Drudorum, atque Vassorum, nuda & desolata exibit; & quicquid cogitauit & ornare dispositi, hfectum dimittet; sicut dicit scriptura, *in die illa peribunt omnes cogitationes eorum*; & videbit omnia peccata sua, & sentiet, videns Diabolos se constringentes & coarctantes, & quidquid contra charitatem & fidem debitam, cogitauit, parabolauit, & fecit in isto seculo. & per dignos pœnitentiæ fructus non emendauit, ante oculos semper habebit, & effugere volet & non valebit. Nam certum est, quia ad omnes homines, quando egrediuntur de corpore Diaboli.] Sunt ibi alia in eam sententiam sanè præclara.

Quia res est insignis, omnino momenti, & ad vitæ compositionem opportunissima, placet in eamdem sententiam, alios quoque Patres promere. S. Basilius Orat. de futuro iudicio, inter opuscula S. Ephrem. [Perpende (inquit) cogitatione extremum diem, ô homo. Non enim tu solus seculum æternum viues; sedulóque considera angustiam illam & suffocationem, & mortis horam, & sententiam Dei vrgentem, & Angelos festinantes, & animam in hisce grauiter perturbatam, quæque à delinquente conscientia acerbè flagellatur; & ad ea quæ hic sunt, miserabiliter se conuertit; & ineuitabilem longæ illius peregrinationis necessitatem.]

S. Ephrem cum sermone in eos qui in Christo obdormierunt, tum sermone de diuina retributione, sic scribit. [O anima mea, quamdiù hoc pœnitentiæ tempus despicis, diem de die protrahens; cum tui exitus diem ignores, & vigilare tuique hinc decessus horam perspicere monearis? Hei mihi, quidnam obsecro anima in illa tui exitus hora facies, quando amici & noti, tuum lectum circumstabunt, tibi suppetias ferre nequeuntes? Tu verò tristis & tremula, omnibus cum ipso misero corpore relictis, longum illud & molestissimum iter ingredieris, nuda & aperta, nihil tecum defers præter vitia; negligentiam, socordiámque tuam coarguentia.]

S. Gregorius 24. moral. cap. 17. [Electi cum semper iudicia districta pertimescunt, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cum ad soluendum humanæ conditionis debitum venientes, districto Iudici appropinquare se cernunt. Et sit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior. Ante oculos autem cordis, nihil inane tunc transuolat de phantasmate cogitationis, quia subductis è medio omnibus, se, & illum tantummodò considerant cui appropinquant. Crescit pauor, vicina retributione iustitiæ; & vrgente solutione carnis, quanto magis districtum iudicium iam iámque quasi tangitur, tanto vehementiùs formidatur. Et ea quæ sciunt numquam se prætermisisse, meminerunt; formidant tamen illa quæ nescíunt; quia videlicet semet ipsos diiudicare, & comprehendere omnino non possunt, atque vrgente exitu, subtiliori terrentur metu. Vnde Redemptor noster solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum seruans speciem, factus in agonia

nia, cœpit prolixiùs orare. Quid enim pro se ille cum in agonia esset, peteret; qui in terra positus, cœlestia cum potestate tribuebat? Sed appropinquante morte, nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis, æterno propinquamus iudicio. Neque enim tunc cuiuslibet anima immeritò terretur, quando post pusillum hoc inuenit, quod in æternum mutare non possit.] Confirmat hoc c. 18. exemplis illustrium sanctorum, & addit. [Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodò virgulta immobilia stabunt, si huius pauoris turbine, etiam cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictæ, etiam iusti anima turbatur. Cui etsi quid tranquillum in hac vita sapere potuit, mortis articulo interueniente, concutitur, vt iure dici debeat; *Abominabilis sit ei panis in vita sua, & animæ eius cibus ante desiderabilis.* Vel certe propter pauoris pœnam, hoc quod illic subditur; *appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.*]

646 Petrus Damiani Opusculo 50. c. 6. [Pensandum est, cum iam peccatrix anima à vinculis incipit carnis absolui, quàm amaro terrore concutitur, quantis mordacis conscientiæ stimulis laceratur. Recolit vetita quæ commisit videt mandata, quæ negligenter implere contempsit. Dolet indulta pœnitentiæ tempora sese inaniter percepisse: plorat immobilem districtæ vltionis articulum, ineuitabiliter imminere. Manere fatagit, ire compellitur. Recuperare vult perdita; non auditur. Post terga respiciens, totius transactæ vitæ cursum, velut vnum breuissimum deputat itineris passum; ante se oculos dirigit, & insuitæ perennitatis spatia deprehendit. Plorat itaque, quia intra tam breue spatium acquirere lætitiam potuit omnium sæculorum: deflet etiam, se propter tam breuis illecebræ voluptatem, inenarrabilem perpetuæ suauitatis amisisse dulcedinem. Erubescit, quia propter illam substantiam quæ vermibus erat obnoxia, illam neglexit, quæ choris erat Angelicis inserenda. Iam radios mentis attollit, & cum diuitiarum immortalium gloriam contemplatur, eam propter vitæ huius inopiam perdidisse confunditur. Cúmque sub se reflectit oculos ad huius mundi conuallem, terrámque caliginem, super se miratur æterni luminis claritatem, liquidò comprehendit, quia nox erat & tenebræ, quod amauit. O si rediuiuum pœnitentiæ tempus meteri potuisset, quàm duræ conuersationis iter arriperet, qualia & quanta promitteret, quantis se deuotionum vinculis innodaret! Interèà dum hebescentes oculi contabescunt, dum pectus palpitat, raucum guttur anhelat, dentes paulatim nigrescunt, & quandam velut eruginem, contrahunt, pallescunt ora, membra cuncta rigescunt? Sunt hæc itaque, & huiusmodi tanquam vicinæ morti præcedentia, famulantur officia, adsunt omnia gesta, simul & verba. Nec etiam ipsæ cogitationes desunt, & cuncta hæc amarum aduersùs auctorem testimonium reddunt. Coaceruantur omnia ante respicientis oculos, & quæ conspicere refugit, coactus & inuitus attendit. Adest præterea hinc horrenda Dæmonum turba, illinc virtus Angelica. In illo qui medius est, liquidò deprehenditur cui parti iure possessio vendicetur. Nam si pietatis in eo videntur insignia, inuitationis Angelicæ blanditiis oblinitur, atque harmonicæ melodiæ dulcedine, vt exeat prouocatur: quod si eum sinistræ partis meritorum nigredo, & fœditatis squalor adiudicet, intolerabili mox terrore concutitur, repentini impetus violentia perturbatur, præcipitanter inuaditur, ac de miseræ carnis ergastulo violenter euellitur, vt ad æterna supplicia iam cum amaritudine pertrahatur.]

S. Bernardus sub finem declamationis, in illud, *Ecce nos reliquimus omnia.* [Arescet fœnum & decidet flos, ipsæ quoque fenestræ claudentur, vt nihil vltra terrenæ valeat anima consolationis haurire. Denique *arguam te*, ait Dominus, *& statuam contra faciem tuam.* Quid illud confusionis erit, quid miseriæ, quid doloris, quando dissipatis foliis & dispersis, vniuersa nudabitur turpitudo, reuelabitur ignominia, sanies apparebit? Quando iam immortalis factus, æternus ille conscientiæ vermis, tota malignitate corroder, sed non consumet animam infelicem, nec erit omnino dissimulationis locus, aut spes vlla consolationis? Quid enim causæ est, quod ne modò quidem conscientiæ stimulos sustinere aliqua, enus possunt, sed auertunt oculos cordis, & ad consolationes miseras conuertuntur, aut certè dissimulationibus aliquibus decipiunt semetipsos, & mentitur iniquitas sibi, nisi quod intolerabilis ille est cruciatus, (licet adhuc blanditur spes, & extenuat omnino dolorem,) dum sibi ipsis pro libito tempora metiuntur, & omne quod agunt, facilè diluendum, deferendumque quod appetunt, temeraria præsumptione promittunt.]

Plenissimè de his angustiis S. Cyrillus Orat. de excessu animæ. Sed quod nimia sint, ibi legantur. Easdem angustias attigit Hugo Ether. lib. de regressu animarum c. 9. & Iulianus Toletl. 1. prognost. c. 7. addens è contrario, quorumdam animas gaudio statim suffundi: idque testari exitum in hilaritate. Nimirum sunt qui rident in die nouissimo. Exempla subministrat Cantipr. l. 2. Apum. c. 50. à num. 8. & Cæsarius l. 7. c. 53. & 54.

### *Cur momentum mortis, sit huius Iudicij tempus, regulariter tantùm.*

Ad has igitur angustias, vel morientium desperationem, refero eas narrationes quæ referebantur, non ad iudicij celebrationem. Quod cum sit omnimodis irretractabile, non potest dici consummatum, quamdiu locus est pœnitentiæ, quæ nemini negatur durante via. Dicebam porrò hæc valere regulariter loquendo: quia si in raro quopiam euentu, aliquorum in æternum damnandorum iudicium, aliquando suspenditur ad tempus aliquod, (vt agnoscit Bellarminus l. 2. de purgat. c. 4. & Sibyll. decad. 1. c. 2. quæst. 10. Meminique de nobili scorto cuiusdam Regis, prodere Satanam per os arreptitiæ.) Id certè extra communem ordinem est. S. Bernardus serm. 9. in psalmum 90. *in fine*, idipsum videtur agnoscere de iudicio extremo, quod multo durius dicitur. Sed ad rem. His item qui in malo statu obierunt, & postea suscitati miraculo ad pœnitentiam leguntur, apud Raderum 24. Aprilis, necesse est suspensum fuisse Iudicium. Quo eodem modo sentiendum est de

illis, quos volunt Sanctorum quorumdam precibus ereptos ex in feris. Sed hæ raræ aues. Et multa in hoc genere fabulosa iactari, non videtur dubium. Nam quod de Traiano circumfertur, commentitium esse, Baronius anno Christi 119. Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 8. Suarez Tomo 2. 3. parte disp. 43. sect. 1. aliique graues Scriptores monuerunt. De Dinocrate quem S. Augustinus l. 1. de origine animæ cap. 10. refert, & probabile censet, precibus sororis suæ S. Perpetuæ, cum in apostasia obiisset septennis, ereptum fuisse ab inferis, & translatum ad requiem: de hoc inquam Dinocrate, potest esse alia ratio. Ambiguum enim est, vt ibi quoque notauit D. Augustinus, an paruulus ille fuerit baptisatus; & deficiendo à fide in tam humili ætate, non peccarit nisi venialiter: atque ita sororis precibus à solo Purgatorio sit ereptus. Ne ergo rarissimis euentibus, si fortè quispiam eorum verè admittendus est obstaret resolutio posita; consultò addidi, eam valere regulariter, ideſt ferè semper.

### *Accommodanda ad hoc metrum, qua de huius iudicii forma, populariter dicta, à Patribus.*

647 Ad hanc normam exigenda sunt, quæ populariter & ad captum vulgi, fructuosámque eius commotionem, disserit S. Cyrillus Orat. de Excessu animæ, proponens formam, & modum, ac tempus iudicij particularis, longè aliter quàm hactenus fecerim. Describit enim altercantes & sollicitos, hinc bonos Angelos, inde Dæmones, vtris cedat animæ exeuntis præda; Tum subdit. [ Quanto metu & terrore putas nimum conflictari in illa die, cum videt terribiles, truces, immites, immisericordes, & sæuos dæmones, tanquam atros quosdam Æthiopas præsentes adesse; quorum vel sola facies quouis cruciatu molestior est, quos aspiciens animus tumultuatur, ad Dei genios confugiens. Tenetur igitur animus à sanctis Geniis per aërem sublimis præteriens, inuenitque quosdam quasi Publicanos ascen um custodientes; & ascendentes animos prehendentes, prohibentésque. Nam quisque Publicanorum, propria habet peccata quæ illis obiiciat: alius perperam dicta, quæcumque ore & lingua commissa sunt mentiendo, iurando, & periurando: cum superflua, nugatoria, & vana verba, tum helluationes, vinique abusum, & luxum, & immodicos indecorosque risus, leuia & inhonesta oscula, & impudica cantica. At sancti Genij, animum ducentes, proferunt & ipsi quæcunque ore linguáque locuti sumus bona, supplicationes, gratiarum actiones, Psalmos, carmina, laudes, diuinos cantus, scripturarúmque lectiones, & quæcunque per os & linguam bona Deo promisimus. Secundum telonium, est oculorum risus, quæcumque indecoro aspectu, curiosóque & effrenato intuitu, & fallaci nutu committuntur. Tertium telonium, est auditionis, & quæcumque per hunc sensum impuros Spiritus accipiunt. Quartum est, olfactus odoriferorum vnguentorum, & suauium odorum, quæ mimas & impudicas decent mulieres. Quintum est, eorum quæ manuum tactu peruersè & improbè facta sunt; Et cæteræ vitiorum tabernæ; inuidiæ, æmulationis, inanis gloriæ & superbiæ, acerbitatis & iræ; iracundiæ & furoris, scortationis & adulterij, & mollitiæ; homicidij & veneficij, cæterorum denique impiorum & peruersorum factorum quæ in præsentia minuetim persequi non licet, & in aliud tempus differantur. Breuiter eodem modo deinceps, suos quisque animi morbus, & peccatum, publicanos habet & tributi quæstores. Animus igitur qui hæc & his maiora, pluráque cernit, quanto puras in metu, & terrore, ac trepidatione est, donec sententia feratur, & eius libertas veniat? Illa est hora doloris, periculi, gemitúsque plena, atque inconsolabilis, donec videat quid futurum sit. Nam & diuinæ potestates, & impiorum facies spirituum astant; quorum hi prauè, illi rectè facta proferunt, siue opere, aut cogitatione, atque mente factum est: cum interim medius astans animus, hæc trepidè consideret, donec ex suis cogitationibus factísque, & dictis, aut condemnatus vinciatur, aut absolutus liberetur. Nam *suorum quisque peccatorum catenis constringitur.* ] Subdit de sententiæ prolatione, & animæ vel deductione in cœlum, per Angelos, vel abreptione in orcum per Dæmones. Quæ protuli, pertinent ad formam huius iudicij, in qua versabamur, quámque (vt vides) S. Cyrillus, populariter potiùs & accommodatè ad captum & fructum, quàm exactè ad seueritatem oratione, expressam dedit.

Nec desunt qui accusationis, per Satanam apud Deum instituendæ in hoc iudicio, mentionem faciant. Sic enim Origenes hom. 23. in Lucam, Dæmones mox ab animæ exitu è corpore, vt Publicanos, describit. [Cum exierimus (inquit) à seculo, & hæc vita nostra fuerit commutata, erunt quidam in finibus mundi sedentes, velut Publicanorum officio diligentissimè perscrutantes, ne quid sui in nobis inueniant. Videtur mihi Princeps seculi huius quasi Publicanus esse, vnde scriptum est de eo; *Venit Princeps mundi istius, & in me habet nihil.* Illud quoque quod in Apostolo legimus; *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem, nemini quid debeatis, nisi vt inuicem diligatis*; sic erate intelligendum est. Quamobrem consideremus, ne fortè cum non habuerimus quod pro vectigali queamus reddere, ipsi trahamur ob debitum, vt solet apud seculi quoque fieri vectigales, quando quis pro debito ipsi Reipublicæ seruiturus includitur. Complures è nobis, ab istiusmodi Publicanis tenendi sunt: quos Iacob ille vir sanctus non magnoperè formidabat, nec verebatur, vt de Publicanorum vectigalibus in eo aliquid repetiretur. Vnde & audacter ad Publicanum illum loquebatur Laban; *cognosce si quid tuarum rerum est apud me.* Super quod agit testimonium scriptura dicens; *Et non cognouit Laban apud Iacob quicquam.*]

Insultatio item Dæmonis, aduersùs animam agentis coram Deo causam suam in iudicio, habetur latè apud Augustinum serm. 4. de tempore, & Tomo 6. serm. contra Iudæos, Hæret. & Paganos, cap. 4 Ideò item Satanas nominatur *Diabolus*, siue *calumniator*, & disertè Apostur *Diabolus*, siue *calumniator fratrum* hásque calip. 12. nominatur *accusator fratrum* hásque Diaboli in iudicio partes, agnoscere videtur Pererius l. 8. in Danielem vbi etiam Diabolo tribuit librum mortis, è quo petat de quibus

possit;

homines. Hæc omnia neganda sunt, si in tigore sumantur. Neque enim hoc iudicium eget prævio accusatore; sed Deus in sua cuique conscientia, ostendit scriptos actus & defectus suos: nec Dæmon aliter dicitur acusare quàm constituendo homines acusabiles, vt cum Lyrano Apocalip. 12. ait Ioan. Sanches disp. 1. selecta num. 18. Calumniator verò siue Diabolus dicitur, non à calumnia quam in iudicio aduersùs hominem texat; sed à multiplici alia calumnia, de qua Toletus in c. 6. Ioannis annot. 36.

Aio ergo, hæc omnia poeticè potius & ingeniosè excogitata, quàm ad rigorem scholasticum exacta, ad doctrinam propositam admetienda esse. Et idem pronuntio de pereleganti expressione vitiorum ac virtutum, Dæmonibus & Angelis respectiuè suffragantibus vtrisque, animam exeuntem prædicantibus dominam, vt habetur in relatione, quæ recensetur apud S. Bonifacium epist. 21. Partem eius supra repræsentaui.

### *Consectarium de loco particularis iudicij.*

648 Porrò ex dictis de momento quo iudicium particulare celebratur, statuendum consequenter est, de loco in quo anima subit istud iudicium. Thyræus citato c. 15. num. 17. ait animam illud subire ponè vel iuxta corpus. Suarez Tomo 2. 3. partis disp. 52. sect. 2. ait subire illud infra corpus priusquàm inde possit emigrare, quod cum fiat per fluxum, exigit tempus aliquod. Cum enim anima iudicanda, sit ex eo momento extra viam, debet iam tunc etiam priusquàm inde moueri possit, certa fieri de statu suo æterno, quod est subire iudicium: & cum illo momento non possit deserere locum priorem, sed adhuc ibi lateat, quamuis absque vnione, & non sub ratione formæ: concladi videtur, animam subire particulare iudicium in corpore. Assentior de tempore vel potiùs de momento quo anima subit hoc iudicium. Dissideo tamen quoad locum. Nam de tempore, ratio proposita videtur, id euincere. Est enim de fide, animam plenè sanctam & nitentem in ipso puncto mortis, non autem dumtaxat immediatè post momentum illud vitæ extrinsecum, beatam esse. Ergo similiter anima reprobi, ex eo momento est damnata. Et proportione idem est de anima addicta igni emendatorio. At quoad locum, alia est ratio. Nam anima non migrat ad locum sortis suæ, (puta cœlum, vel infernum, aut purgatorium) per motum localem. Sic enim multorum annorum decursu vix perueniretur ad terminum. Sed anima in diuina sistitur in ea sede cui addicitur. Quod facile est Deo præstare, per reproductionem. Cum ergo causa efficax, statim operetur, fadendum est, animam ex momento transitus ex hac vitæ; ideest in instanti extrinseco quo homo non est, cum immediatè ante esset; & subire iudicium, & sisti loco illi cui addicitur: itavt iudicium non sit nisi natura priùs collocatione animæ in tali sede, & repensione iusti vel supplicij, vel præmij. Igitur anima non subit iudicium ponè corpus, vel in corpore; sed in loco inde disiunctissimo per se loquendo; ideest nisi si aliquando Purgatorium sit extra locum in quo non est aqua, vt ferunt reuelationes quædam; & infernus extra Tartarum inchoatur, quod est infrequentius.

Hoc est quod dicitur *iudicium particulare*; in quo cuiuis sigillatim decernitur sors æterna: estque longè plurìs formidandum quàm Iudicium vniuersale de quo proximè. Nam in particulari iudicio fertur sententia, quæ in vniuersali rata habetur & publicatur: quod profectò minus est, quàm feriri fulmine primo diuinæ Christi sententiæ, in momento vnde pendet æternitas. [Igitur (vsurpabo enim bellè huc cadentia Tertulliani verba l. de patientia c. 4.) si probos quosque seruos & bonæ mentis, pro ingenio dominico conuersari videmus, siquidem artificium promerendi obsequium est; obsequij verò disciplina, morigera subiectio est;) quanto magis nos secundùm Dominum moratos inueniri oportet? Seruos scilicet Dei viui, cuius iudicium in suos, non in compede, aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœnæ, aut salutis. Cui seuerirati declinandæ, vel liberalitati inuitandæ, tanta obsequij diligentia opus est, quanta sunt ipsa, quæ aut seueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur.]

Prodit planè Christus in hoc iudicio se esse Cherub ad ostium paradisi, cum gladio igneo versabili locatum, vt philosophatur sanctus Ambrosius serm. 3. in Psalm. 118. *ad v. primum.* Non enim paradisus planè occlusus est, muro aut maceria imperruptibili; sed locato ad ostium Christo, patet aditus si is admittat. Idcirco enim gladium habet versatilem ostiarius Cherub, vt philosophatur Nyssenus Orat. 2. de 40. Martyr. quibusdam admittentis, aliis gladio illo igneo purgandis. Plerosque autem per eum planè concremando, repellit.

### *Actus alter iudiciaria Christi potestatis, siue generale iudicium, asseritur.*

649 Iuxta hoc iudicium in exitu vniuscuiusque celebratum, fiet iudicium secundum; non iam vnius solius, sed planè vniuersale omnium, & Angelorum & hominum in mundi fine. Quod esse aliquando celebrandum, scripturæ passim tradunt: optimèque ex aliarum Christi prædictionum impletione, confirmat Isidorus Pelus. l. 2. Epist. 157. Proponit multas earum prænuntiationum, & earumdem impletionem. Tum subdit [Cum igitur hæc omnia dixit, atque in finem adduxit, hìc de clarissimo suo secundo aduentu atque incorrupto iudicio locutus fidem non nanciscetur? Et quis tandem eorum, qui mente ac prudentia minimè destituti sunt, hoc ferat? Nam si oracula illa in opus minimè excesserunt, ne huic quidem fides arrogetur. Si autem cuncta eum quam par erat, finem acceperunt, quid afferri potest quamobrem huic soli fides denegetur? Quin ne hoc quidem, quod non parui, sed meo quidem iudicio, maximi momenti est, prætermittam; nempe cum in his rebus, in quibus hominum opinio ab ipsius verbis dissidebat, fidem inuenerit, quid est causæ, cur in iis in quibus cum eo multis probè conuenit, ipsius verbis diffidatur? Nam

quod diuina natura ad res nostras descendisset, tantámque administrationem obiisset, tot miracula designasset, vitiosásque perpessiones per passionem curasset, ac mortem per mortem extinxisset; cum minimè crederetur, per res ipsas demonstrationem accepit. Non enim si simplex homo extitisset, mortales omnes post mortem subegisset, nec infinitum Deorum examen ex orbe depulisset, nec celebribus oraculis silentium indixisset, nec piscatores vniuersæ terræ magistros creasset, nec feras & inhumanas nationes cicurasset. Quod autem cum iudicium fore prædixerit (quæ res apud plurimos & clarissimos quosque Doctorum virorum, extra controuersiam est, ac præterea æqua & consentanea, rationéque præditis congruens, ac diuinæ prouidentiæ conueniens & de rebus huius vitæ quæ plerisque præposterè fieri videntur eam purgans,) fidem tamen hoc minimè inueniat, haud sanè scio. Nam cum ea quibus fides detrahitur euenerint, quonam tandem pacto non eueniet, quod fidem nanciscitur? Cum enim in iis in quibus dissidebat, falsi minimè conuictus sit, in ea re, in qua concors est, dignus profectò est, cui fides habeatur. Nam cum ea quæ rationalem omnem inuestigationem superabant, facta sint, quod rationi consentaneum est, multo magis fiet. Is enim effectis quæ rationem excedunt, id quod cum ratione coniunctum atque consentaneum est, profectò etiam continget.]

650 Congruentia autem publici huius ac supremi iudicij Christo demandati, optimè proponitur apud S. Cyprianum ab Autore sermonis de Ascensione, cum ait. [De iudicio & angustia Christo sublato, superest post misericordiæ tempora, quæ ad finem festinant, vt iustitiam comitetur iudicium, & habeant singuli quod merentur, & honoretur honore dignus, & contemptor confundatur inglorius. Hoc & duo Angeli Christo ascendente testati sunt, quia qui iudicatus abibat, iudex esset terribilis rediturus; & videret collecta in vnum generalitas hominum, quas foderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conspuerat, & prolata in medium inflexibili sententia, occurrentibus Saluatori electis, remaneant impij infinitis deputati tormentis.] Optimè item Eucherius hom. 1. de Symbolo, [Non talis (inquit,) veniet exactor, cui in patuo inueniamur obnoxij. Ille ergo veniet ad iudicandos nos, qui se iudicio meminit ad ictum pro nobis. Ille veniet ad discutiendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem suam. Ile inquam pro commissa nobis salute nostra rationem exacturus est, qui pro vestra redemptione damnatus est.] Et hom. 2. [Potuit Deus delegare Angelis suis discutiendi hominis potestatem, sed agnosce homo nobilitatem tuam: nulli etiam vel cœlesti creaturæ esse te subiectum voluit, nulli de te iudicare permisit. Agnosce nobilitatem tuam. Soli Deo competit de te ferre sententiam. *Inde venturus, &c.* Ipsa necessitas veniendi ingentem contestatur sollicitudinem iudicaturi. Per se definiuit exigere, quod de se dedit. Non ergo alter, sed aliter venit. Ipse inquam veniet vt bonis se restituat creditus, malis se obiiciat crucifixus: vt crescat terror iudicij, de præsentia corporis iudicati, violatis inter hæc muneribus Dei. Qua fiducia stabit desertor ante Regem suum? vulneratus ante medicum suum? perditus ante pretium suum? vnde misericordiam pataturus est, primùm de contemptu misericordiæ iudicandus?]

Hæc omnia planè demonstrant, congruentissimum fuisse, vt Christus generale iudicium obiret. Simulque nonnulla insinuata sunt, quibus extremi huius iudicij obeundi, necessitas & conuenientia, continetur. Insuper verò addenda est congruitas celebrandi vltimi iudicij, præter iudicia huius vitæ, & iudicium particulare, proposita à Richardo Victorino, Tractatu de iudiciaria potestate in finali iudicio. [Vide ergo (inquit) quid sit inter istud secundùm & illud tertium, vltimúmque iudicium: Istud quod fit in vniuscuiusque morte, & illud quod futurum est in communi omnium resurrectione. Istud (vt dictum est,) fit de tota vita hominis, non tamen secundùm totum quod est hominis. Illud autem vltimum iudicium, erit de toto, & secundùm totum. Istud fit cum aliquibus, & coram aliquibus: illud fiet simul de omnibus, & coram omnibus. Vide quàm rectè confunditur coram vniuersis, qui hîc non timuit offendere Dominum vniuersitatis. Vide quàm rectè glorificatur coram omnibus, qui Dominum vniuersitatis glorificauit in omnibus. Vide quàm rectè caput perditionis coram omnibus deiectionis suæ ignominiam suscipit, qui à principio omnium deiectioni insudauit. Attende autem illud vltimum iudicium quàm sit congruum; vel vt sic dicam, necessarium. Sæpè diuina iudicia quasi iniusta reprehendimus: sæpè contra eius flagella murmuramus. Ibi iudicantibus Apostolicis viris, propalabitur coram vniuersis, quàm iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.]

### *Scripturæ à Sectariis quibusdam, aduersùs generale Christi iudicium, prolatæ, enodantur.*

651 Veritatem in Scripturis sacris adeò perspicuam, & toties, tam diserte à Christo traditam, nonnulli errones inficiari ausi sunt, prætexentes de more Scripturam. Scilicet ob vnum vtcumque obscurum locum, repudiantes innumera & apertissima, & fortissima. Refert & soluit eorum argumenta S. August. his verbis lib. de Agone Christ. c. 27. [Nec eos audiamus, qui negant diem iudicij futurum, & commemorant quod in Euangelio scriptum est, *eum qui credit in Christum, non iudicari: qui autem non credit in illum, iam iudicatum esse.* Dicunt enim, si & ille qui credit, non veniet in iudicium; & ille qui non credit, iam iudicatus est, vbi sunt quos iudicaturus est in die iudicij? Non intelligunt sic loqui Scripturas, vt præteritum tempus pro futuro tempore insinuent: sicut suprà diximus, quod Apostolus dixit de nobis, quod simul nos sedere fecit in cœlestibus. Nondum factum est; sed quia certum est futurum, ita dictum est, quasi iam factum sit: sicut & ipse Dominus Discipulis dixit; *Omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis.* Et paulò post dicit; *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò.* Quomodò ergo dixerat, *omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*, nisi quia illud quod per Spiritum sanctum certissimè facturus erat, quasi iam fecisse locutus est? Sic ergo cum audimus, qui

*qui credit in Christum, non veniet in iudicium* intelligamus quia non veniet in damnationem. Dicitur enim iudicium pro damnatione, sicut dicit Apostolus, *qui non manducat, manducantem non iudicet*, id est non de illo malè existimet. Et Dominus dicit, *nolite iudicare, ne iudicetur de vobis*. Non enim tollit nobis intelligentiam iudicandi, cum & Propheta dicat, *Si verè iustitiam diligitis, rectè iudicate filij hominum*; Et ipse Dominus dicat *nolite iudicare personaliter, sed iustum iudicium iudicate*. Sed illo loco vbi verat iudicare, illud admonet ne damnemus aliquem, cuius vel cogitatio nobis non est aperta, vel nescimus qualis postea sit futurus. Sic ergo cum dixit; *Ad iudicium non veniet*: hoc dixit quia non veniet ad damnationem. *Qui autem non credit, iam iudicatus est*; hoc dixit, quia iam damnatus est præscientia Dei qui nouit quid immineat non credentibus.]

Latè quoque difficultatem aduersùs iudicium ex illis Christi verbis ductam, excutit S. Hilarius in psal. 1. ad illud, *Ideò non resurgent impij in iudicio* latè idem S. Zeno serm. de psalmo 100. His iudicij extremi inficiatoribus, annumerat Theodorum Mopsuestenum Leontius Byzantinus l. 3. contra Nestorium & Eutichem, sic de Theodoro scribens. [Audi præterea, & alia eius, quæ bonum erat, & maximè optandum, etiam non audire. Iudicium Dei in omnibus sanctis Scripturis clara voce denunciatum; quod nec iis qui à Christianorum religione procul absunt, mansit inauditum, quod est firmamentum stantium, & lapsorum erectio, & peccantium medicina, & Diaboli dignus finis, quod neque Diabolus & Dæmones negare ausi sunt, cum Saluatori dixerunt, *quid nobis, & tibi, Iesu fili Dei? venisti ante tempus torquere nos?* Hoc iudicium, & gehennam, & tenebras, & stridorem dentium, & alia quæcumque impijs & peccatoribus Scriptura sancta minatur, ridet miser; nec ipse iudicium expectans, & aliis, ne metuant, iubens quæ vt ipse putat tantum modò minas habent, *væ væ*: Sed suadebit ei experientia, quia minas non timuit, & hæc litteris mandare, non est veritus impius, & verè à metu vacuus, & verè terræmotum igni ferum irridens, à cuius facie sicut in Diabolo, sublata sunt iudicia Dei. Propter hæc te diligunt ... ser, qui sunt tuæ sectæ. Hoc tu illis Pharmacum ad eximendum timorem Dei confecisti, verè amarum & lugendum Pharmacum.]

Ex iisdem portò Scripturis, veritati huius iudicij atestantibus, illud esse à Christo Domino peragendum, non modò probabilius est, (vt diximus de particulari iudicio,) sed etiam certum ex fide. Ita enim habetur Matth. 13. & 16. & 24. & 25. & passim alibi apud Euangelistas. Idem prænuntiarat Daniel c. 7. & disertè idem profitemur in Symbolo Apostolorum, credentis Christum è Cœlis venturum cum gloria, ad iudicandos viuos & mortuos: quod debet de vero & reali aduentu accipi. Quamquam enim Incarnatio vocatur Verbi aduentus, & Christi descensus ad nos, licet non fuerit nisi Christi productio: tamen posterior iste aduentus, cum iam supponat Christum productum, intelligi non potest absque locali eius aduentu, qualem extimus verborum cortex præfert, & mox explicabimus.

### *Tripartita omnium ad generale iudicium spectantium digestio, ex psalm. 96.*

652 Vt autem in argumento vberrimo, strictè & distinctè procedamus, digerenda tripartitò erunt, quæ ad illud attinent. Nempe primò in præcurrentia iudicium. 2. in ipsum iudicis aduentum, atque iudicium, & quæ ei committantur. 3. in subsequentia hoc iudicium. Hæc omnia quod à Dauide Psal. 49. & 96. didistinctè & explicatè sint proposita, placet eius vestigia legere, præsertim ex Psal. 96. qui breuior est, & ad institutum accommodatior. Pauca autem quæ in eo minùs apertè exponuntur, supplebimus ex alio illo Psalmo. Non recipio autem nisi delibationem præcipuorum quorumdam capitum, quæ ad Christi iudicis potestatem iudiciariam perspiciendam conferre poterunt. Cætera ex autoribus proferendis, qui in hoc argumento planè diligentérque versati sunt, licebit petere.

Quæ proximè antecedent iudicis Christi aduentum, sunt ferè ista. Prædicatio Euangelij per orbem vniuersum, Antichristi aduentus, & prælia; ac regnum, illudque subsequens triennalis ab illo homine peccati persecutio, omnium quas Ecclesia perpessa vmquam fuerit, immanissima & atrocissima; Enochi & Eliæ ad obsistendum Antichristo, conciones & martyrium; Expletio numeri prædistinatorum, signa multa in terra, mari, aëre, ac cœlo; conflagratio vniuersalis quam ἐκπύρωσιν dixere Stoici; Tuba nouissima, Resurrectio corporum, signi crucis apparitio in cœlo, seu aëre. Verùm dimissis illis quæ non ita immediatè & proximè iudici Christo præcurrent, de illis tantùm obiter agendum est, quæ viciniora & veluti continentia erunt aduentui eius. Describit ea Dauid admodùm districtè, & explicatè vtroque Psalmo proposito; & nominatim posteriore illo breuiore, ad quem S. Augustinus, Theodoretus, & alij, terram tunc restitutam, quod habet Psalmi titulus, exponunt Ecclesiam Regi Christo confirmatam, & plenè subiectam. Ibi ergo Dauid obiecto sibi diuinitùs statu Ecclesiæ post vltimum iudicium; sedatis procellis omnibus, & Christo Rege pacificè dominante, exclamat, *Dominus regnauit*. Præteritum est pro futuro, more Scripturæ, ad notandam euentus certitudinem: vt idem sit, *Dominus regnauit*, ac *Dominus certò regnabit*. [Ille qui stetit ante iudicem, (ait ibi D. Augustinus,) ille qui alapas accepit, ille qui flagellatus est, ille qui consputus est, ille qui spinis coronatus est, ille qui colaphis cæsus est, ille qui in ligno suspensus est, ille cui pendenti in ligno insultatum est, ille qui in cruce mortuus est, ille qui lancea percussus est, qui sepultus est, ipse resurrexit. *Dominus regnauit*.]

Quare meritò exultandum est, terræ vniuersæ. Illi inquam terræ stabili & inconcussæ, quæ in æternum stat, idest Ecclesiæ. Lætandum quoque Insulis multis. [Possunt & in figura (ait D. Augustinus ad hunc locum,) rectè accipi insulæ, omnes Ecclesiæ. Quare insulæ? quia circumlatrantur fluctibus omnium tentationum. Sed quomodò insula vndique circumstrepantibus fluctibus tundi potest, frangi non

potest, magis magísque ipsa frangit fluctus venientes, quàm frangatur ab eis: sic & Ecclesiæ Dei pullalantes per totum orbem terrarum, passæ sunt persecutiones vndique frementium infidelium; & ecce stant insulæ, & iam placatum est mare.] Similiter sanctus Cyrillus libro 3. in Isaiam *in fine.*] Ecclesias, insulas dignatur nominare. Quemadmodùm enim insulæ iuxta mare, iactantur quidem semper fluctuum motibus, verùm ipsæ manent inconcussæ, & naues quandoque periclitantes recipiunt, & sinum illis fluctibus vacuum porrigentes, seruant à fluctibus: sic Ecclesiæ Christi, iacent quidem tanquam in mediis vitæ turbis, & solitudine, & innumeris agitantur tentationibus: verùm in Christo domicilium habent immotum; & eos qui mundanarum rerum inutilem, inanémque turbationem, ac tumultuationem fugiunt, & velut tempestatibus acti sunt à Satana & peccato, in domum admittunt. Eas igitur comparare oportet insulis. Hoc enim sibi vult hic diuinus sermo; *Innonamini igitur ad me*, (inquit) *insulæ.*] præiuerat Theophilus lib. 2 ad Autolyc. *sub medium*, & Nazianzenus orat. 43. *initio*,

### *Præcurrentia aduentus Iudicis, nubes caligo, ignis.*

653 Causam gaudij, terræ vniuersæ & insulis multis indicti, proponit Psaltes, aduentum iudicis, atque adeò appropinquationem plenæ redemptionis nostræ. Eius autem aduentum, describit in nubibus & caligine. *Nubes & caligo in circuitu eius iustitia & iudicium correctio sedis eius.* Sunt qui hæc verba accipiunt de Christi quasi throno, aut curru in quo aduenier. Ante eam tamen nubem, aut nubes gloriæ quibus Christus veniens circumdabitur, præibunt aliæ quas hoc 2. versu à Dauide describi censeo. Et in eis cogendis interueniet haud dubiè Angelica opera, vt ex hoc quasi armamentario tela fulminum in hostes Dei vibrentur. Existimo enim has esse nubes horrificas, & omnibus cœlestis iræ sagittis grauitas: vnde grando horrenda, tonitrua immane mugientia, fulgura elucificantia, & omne de cœlo in Dei hostes flagellum prodibit.

Inde nominatim exibit ignis, de quo Psaltes v. 34. & 5. *ignis ante ipsum procedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra: montes sicut cera fluxerunt à facie Domini à facie Domini omnis terra.* Manifestè describitur his verbis, ignis Christo præuius, quem aliis quoque pletisque Scripturis, disertè expressum habemus. Ioelis 2. *ante faciem Domini, ignis vorans, & post eum flamma vrens.* Isaiæ 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis quia in igne Dominus diiudicabitur.* Psal. 49. *ignis in conspectu eius exardescet.* Apostolus 1. Corinth. 3. *Dies Domini in igne declarabitur.* Et 2. Thessal. 1. *in reuelatione Domini Iesu de cœlo, cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non nouerunt Dominum.* S. Petrus Epist. 2. c. 3. *Cœli qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.* Et mox. *Aduenier autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transient; Elementa verò calore solnentur Terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur.* Et rursum paulò post: *Expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa, ignis ardore tabescent.* In tot locorum tam perspicua luce, superfluum duco, vocis proprietatem detorquere ad metaphoras: quod faciunt qui ignem iudicio præuium negant fore verum ignem. Ego nec dubitandi quidem causam video. Quare iuxta certissimum D. Augustini pronuntiatum, cum nihil sit quod obstet, & verborum Scripturæ toties ingeminatorum proprietas ferat, ignem verum nostrati non dissimilem, de huiusmodi igne aduentum Christi præcessuro, Scripturas intelligo.

Præcessurum porrò hunc ignem dico, quia ibidem in Scripturis propositis, disertè traditur eius ante Christum antecessio. Itaque quod D. Augustinus 20. ciuitatis cap. 16. & 30. & ex maiorum euidenti (vt ait) sententia Petrus Damiani opusculo 59. cap. 3. hunc ignem, subsecuturum, non antecessurum iudicis Christi aduentum tradunt; non video quomodò cum tam apertis scripturis proximè propositis cohæreat. Certè S. Augustinus lib. 1. Quæst. Euangelicarum q. 20. astipulatur meæ sententiæ his verbis: [Quod dixit, *facto vespere, diciti serenum erit, rubicundum est enim cœlum*; id est sanguine passionis Christi, id est in primo aduentu indulgentia peccatorum datur: *& mane hodie tempestas, rubet enim cum tristitia cœlum*, id est, quod secundo aduentu, igne præcedente venturus est. *Faciem ergo cœli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis?* Signa temporum dixit, de aduentu suo vel passione, cui simile est roseum cœlum vespere: & item de tribulatione, ante aduentum suum futura, cui simile est manè roseum cum tristitia cœlum.] De huius ignis causis atque muneribus, multa minutè ac diligenter quærit Thyræus lib. de Iudicio vniuersali cap. 7. Sed ex iis quæ dixi, & mox addam, vix erit de quo superstit quærendum.

### *Conflagratio vniuersalis, omnes vastatur superstites præuia iudicio.*

654 Ex postremo autem versu Psaltis proposito, quo montium & vniuersæ terræ sicut ceræ defluxio à facie Domini affirmatur, constare perspicuè videtur, ignem hunc qui præcedet aduentum Iudicis, & successus in furore Domini, etiam montium fundamenta combuiet, esse ipsummet ignem vniuersalis conflagrationis: quem plerique, censuerunt diuersum esse ab igne iudicem præcessuro, vt Thyræus lib. de Apparitione ad iudicium vniuersale cap. 22. num. 52. Sed contrarium insinuatur in Psalmo proposito, & asseritur à Lessio lib. 13. de diuinis perfectionibus cap. 2. Quem tamen non sequor, affirmantem, plerosque mortalium tunc superstites, vim huius ignis euasuros, itavt eo non deflagrent. Quamquam num. 120. fatetur probabilius esse, hos quoque momentanea saltem morte defungendos, eodem tempore quo mortui ad resurrectionem disponentur, vt simul omnes consequantur immortalitatem. Verùm hinc euertitur omnia fundamenta, quibus nixus hic auctor paulò ante tradiderat, aliquos non moriturus

turos vi huius ignis ; sed superstites futuros, vsque ad iudicis descensum. Nam loca Apostoli quæ ibi profert, si ad rem faciunt, omninò ferunt transitum illorum hominum è vita ad terminum sine interposita morte. Deinde iuxta hanc illius Autoris doctrinam , admittendum esset stupendum miraculum in conseruatione mortalium , & tam immani conflagratione, qua ipsi montes sicut cera liquescent: cuius miraculi nullum apparet fundamentum , saltem quoad malos tunc superstites. Nec viui & mortui quos à Christo iudicandos profitemur, sunt viui tunc residui : sed *viui* dicuntur qui vitam agunt hoc tempore quo fidem profitemur ; *mortui* autem, qui iam excesserunt , quos omnes iudicandos credimus. Admitto igitur quod Psalmus habet, inimicos Dei, per ignem tunc præuium, inflammandos esse in circuitu , planéque destruendos. Nec hostes tantùm , sed & amicos omnes illuc vsque superstites, fateor inuoluendos quasi per accidens fore , flammis in vltionem hostium immissis : sed ad purgationem , & obitum quo semel defungendum est , non ad cladem & exitum sempiternum. Sicque verum monstrabitur, quod toties in Scripturis de omnium hominum morte asseritur.

Fateor contrarium placitum quo aliqui sine morte transferendi dicuntur , non esse hæreticum; ac ne temerarium quidem , vt rectè Basilius Legion. q. 10. Scholastica cap. 2. Sixtus Senensis lib. 6. biblioth. annotat. 265. Suarez Tomo 2. 3. partis disp. 50. sect. 2. A Costa lib. 4. de temp. nouissimis cap. 20. dissuadéque Catharinus Opusculo de vniuersali Resurrect. qui pro solemni suo in iis quibus aduersatur suffigendis , acritudine , sententiam illam quæ verè multorum Patrum est, grauiter notat. Quamuis igitur hoc placitum volo damnare , tamen sententia quam proposui, videtur verissima: præsertim propter dictum Apostoli 1. Corinth. 15. diserte affirmantis, *omnes resurrecturos , sed non omnes immutandos :* quorum verborum planus sensus , fert quod dixi. Licet ob apparentem Græci contextus varietatem, Patres prædicti in contrarium abierint, iuuante nonnulla obscuritate alterius loci ex 1. Thessal. 4. de quo multa ibi Interpretes. Breuiter autem dicitur, ibi Apostolum , tantùm tradere, qui in Christo sunt occursuros dignitate primos , obuiam Christo in aëra : tum subsecuturos alios, etiamsi omnes, & obierint & simul eodémque momento resurrexerint , vt fert verior sententia , quam Thyreus supra cap. 4. à num. 75. fusiùs confirmat ; sintque etiam omnes simul tempore , subuehendi in aëra ad occurrendum Christo iudici. Vel certe iuxta Apostolum, primi mortui qui in Christo sunt , omnes inquam etiamsi valdè antiqui iusti resurgent : itavt illud *primi* , non denotet ordinem resurgendi, sed ordinem temporis quo vixerunt & obierunt. *Deinde nos qui viuimus* q. d. præterea nos qui nunc post eos viuimus, *rapiemur cum illis in occursum Domini* præmissa tamen & morte, & tunc facta resurrectione nostra. Sicut enim in symbolo, profitemur Christum iudicaturum *viuos*, ideſt nobiscum viuentes , *& mortuos*, ideſt nobis anteriores ; ( Nam viuos pro piis Catholicis , mortuos pro impiis & hæreticis Ethnicisve accipere , quod facit Arnobius lib. 2. conflictus cum Serapione , mysticum est : ) sic Apostolus sanctos sua ætate anteriores, vocauit *mortuos qui in Christo sunt*; negauitque homines viuentes cum ea scriberet, & victuros vsque ad extrema tempora, præuenturos eos qui dormierunt. Sed hos primos mortuos , dixit resurrecturos , primos negatiuè vel primos enumeratione; deinde reliquos, ideſt hos vel illos.

### *Signa in Sole, & Luna, ac stellis, præcedentia iudicium.*

655 Igne præmisso, addit Psaltes; *annuntiauerunt cœli iustitiam eius.* Quod video duobus modis accipi posse. Nempe primò , itavt hæc sit descriptio signorum cœlestium in sole, Luna, & stellis; quæ aduentum iudicis prægressura traduntur in Euangeliis: quamuis non tunc primùm post conflagrationem sint notanda, sed anteriùs quoque cum aliis plagis nouissimis , ad quas præ timore & expectatione , arefaciendos qui tunc viuent mortales , Christus Dominus prænuntiauit. Expressisse Christum eo loco Lucæ 21. quæ Ecclesiastes cap. 12. sub imagine senij vnius singularis hominis, ænigmaticè tradidit de vltimis mundi calamitatibus & exitio, pulcherrimè prosequitur Richardus Victorinus Tractatu de meditantis plagis nouissimis, iuxta quem, illud sapientis, *antequam tenebrescat sol, & lumen , & Luna , & stellæ ,* idem est cum eo quod Christus dixit , *erunt signa in Sole , & Luna, & stellis.* Illud verò *reuertantur nubes post pluuiam,* recidit in illud , *erunt pestilentiæ & fames.* Nam summam vliginem ex iugi aquarum profluuio & eluuione , pestilentia & fames consequentur. Et inde quoque , locustæ impinguatio , omnia depascentis , & dissipantis capparim , ac amygdalum quæ floruerat , quasi vberem frugum copiam prænuntians. Commotio custodum domûs , & nutatio virorum fortissimorum , de qua postea Sapiens, reuocatur à Richardo , ad gentium contra gentes, & regnorum aduersùs regna , commotionem & bella: Vnde tanta hominum peste , famæ , cædibus, vastatorum imminutio erit , tantáque sterilitas agrorum , vt otiosæ sint futuræ paucæ molentes , & fruges mola terentes ex vsu Palestinæ : Quare mirum non est ; si *tenebrescent videntes per foramina , & claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis : & consurgent ad vocem volucris , & obsurdescent omnes filiæ carminis. Excelsa quoque timebunt , & formidabunt in via.* Quæ verba id ipsum Richardo sonant quod illa Christi *arescentibus hominibus , præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi.* Magnitudo namque timoris à Christo prodita , periphrasticè à Sapiente expressa est per conclusionem intra domum , & respectionem non per ostia, vel fenestras, sed per foraminula & rimulas , ob metum ne qua hostis subeat ; & visa, vel audita voce molentis , & aliquid inter molendum cantillantis , vel potiùs audito molæ strepitu , subeat & rapiat pusillum quod erat asseruatum ad vitam. Spectat quoque ad eamdem timoris veluti molem , & hominum ex eo stuperationem, subita commotio ad vocem volucris , qualis etiam memoratur sapientiæ 17. & Leuitici 26. Itémque omnium filiarum carminis ; omnium inquam melicarum cantilenarum, luctuosa suppressio. Denique summus vbique terror & pauor , etiam in montibus & inaccessis

inaccessis locis ; quo vt confugium quærant mortales Matth 24. præmonentur. Sed vbiuis opprimet eos mœror & calamitas, itavt ne constituri quidem vno loco sint, sed circuituri in platea, plangentes, & vlulantes præ mœstitia & animi amaritudine, dicentes montibus cadite super nos, & collibus operite nos: & desiderabilia quæque priora ac amantissima sua abiicientes & rumpentes. Quo aptat Richardus illud Sapientis, *antequam rumpatur funis argenteus & recurrat vitta aurea.* Quæ item priuatis, vel communibus pernecessariis vsibus seruiunt, per impatientiam, aut vt communicatio quælibet cum aliis intercidatur, confringentes, quod est *conteri hydriam supra fontem, & confringi rotam supra cisternam*, vt habet Sapiens in suo ænigmate. Hæc plenè & subtiliter toto illo Tractatu Richardus.

Ego præter adducta summatim ex Richardo, breuem eiusdem ænigmatis Ecphrasim non nihil diuersam subiicio, ex S. Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 15. verbis illis. [ Vidit hunc Domini aduentum Ecclesiastes, & mundi consummationem, dicens; *Lætare iuuenis in iuuentute tua. &c. & repelle iram à corde tuo, & arceas prauitatem à carne tua, & memento creatoris tui, priusquàm venerint dies vmbræ, priusquàm obscuretur Sol, & lumen, & luna, & stellæ, & obtenebrentur cernentes*, visibilem potentiam per hoc innuens: *antequàm rumpatur funiculus argenteus*; Astrorum complicationem indicans. Argentei enim est coloris visus: *& recurrat vitta aurea.* Instar auri Solem innuens. Anthemis enim, nota est herba, multa instar radiorum habens germina foliorum. *Et resurget ad vocem passeris, & de excelso videbunt. Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus, & concutientur tribus contra tribus.* Et quid fiet veniente Domino? *Florebit amigdalus, & impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis.* Quemadmodùm verò Interpretes dicunt: amigdalus florens, hyemis transitum significat; sic & corpora nostra, post huius seculi hyemem, florebunt flore supercœlesti. *Et dilatabitur locusta*, hoc est anima volucris, quæ nunc corpore est circundata: *Et dissipabitur caparis*; hoc est iniquè spinosi, dispergentur. Vides quomodò prædicunt aduentum Domini. Vocem autem passeris, qualem esse vocem putamus? Ipse Dominus in iussione, in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cœlo. Archangelus proclamabit, & dicet omnibus; *Surgite in occursum Domino.* ]

### *Quanto tempore signa de cœlo ante iudicium; Horror inde mortalium.*

656 Per quindecim dies ante iudicij diem, duraturam signorum propositorum editionem, ex S. Hieronymo, his verbis tradit Petrus Damiani, Opusculo 59. c. 4. sic ea signa digerens. [ Signum primi diei; Maria omnia in altitudinem exaltabuntur quindecem cubitorum, supra montes excelsos orbis terræ; non affluentia, sed sicut muri æquora stabunt. Signum secundi diei; omnia æquora prosternentur in imum profundi, itavt vix queant ab humanis obtutibus conspici. Signum tertij diei; maria omnia redigentur in pristinum statum, qualiter ab exordio creata fuerant. Signum quarti diei; Belluæ omnes & omnia quæ mouentur in aquis marinis, congregabuntur super pelagus, more contentionis, inuicem mugientes, & rugientes, nescientque homines, quid cantent, vel quid cogitent; sed tantùm scit Deus, cui omnia viuunt, officio gerendi. Hæc quatuor signa pelagi sunt, & tria sequentia signa aeris, & æthetis sunt. Signum quinti diei; Omnia volatilia cœli conciabuntur in campis, vnumquodque genus in ordine suo; eædem volucres inuicem colloquentes & plorantes erunt, non gustantes, neque bibentes, aduentum iudicis timentes. Signum Sexti diei; flumina ignea ab occasu Solis surgent contra faciem firmamenti, vsque ad ortum currentia. Signum septimi diei, Errantia sidera, & stationaria, spargent ex se igneas comas, qualiter in cometis apparet, orbi & eius habitatoribus. Signum octaui diei; Terræ motus erit magnus, ita vt nullus homo stare possit, aut nullum animal, sed solo sternentur omnia. Signum noni diei; Omnes lapides tam parui, quàm magni, scindentur in quatuor partes, & vnaquæque pars collidet alteram partem: nescietque vllus homo sonum illum, nisi solus Deus. Signum decimi diei; Omnia ligna siluarum, & olera herbarum, sanguineum fluent rorem. Signum vndecimi diei; omnes montes & colles, & omnia ædificia, humana arte constructa, in puluerem redigentur. Signum duodecimi diei, omnia animalia terræ, de siluis & montibus venient ad campos rugientia, & mugientia; non gustantia, & non bibentia. Signum decimi tertij diei; omnia ab ortu Solis sepulchra, vsque ad occasum patebunt, cadaueribus surgentibus, vsque ad horam iudicij. Signum decimiquarti diei; omne humanum genus, quod innenum fuerit, de habitaculis & de locis in quibus erant velociter abscedent, non intelligentes, neque loquentes, sed discurrent vt amentes. Signum decimi quinti diei; viui homines morientur, vt resurgant cum mortuis longè ante defuncti. ]

Quantus tunc timor ac tremor vniuersos homines sit occupaturus, ( quod ex Richardo breuiter attigi, illustrati poteſt illis S. Basilij verbis hom. 11. Heraëm. cum exponit diem septimum octauæ, quem dixerat esse diem iudicij. [ Eorum quæ in mundo fiunt operum, nihil eo die tum erit. Nullæ deinceps celebrabuntur nuptiæ, nullæ commutandarum mercium nundinationes, non item exercebitur agricolatio. Terram enim omnem, terror vndique occupabit. Angore & horrore corripietur omnis creatura: sudorque anhelus & inexplicabilis coorietur. Ipsi etiamnum iusti, pertrepidi & anxij pro sententia quæ tandem proferetur. Abraham & ipse tum aderit, non sine agonia, non quasi venturus ne in gehennam condemnetur, veruls quænam inter iustus sortiturus sit ordinem, primúmne, an secundum, vel tertium. Venienteè cœlis Domino, di rumpentur cœli. Quantum obtineat Christus potentiæ, colliquescet ac reuelabitur: Creatura omnis intremiscet. Quis non trepidabit? Ne Angeli quidem sine timore sunt futuri. Ipsi quoque sistendi sunt, non quasi rationem Deo reddituri; attamen Domini apparitio tanto splendore gloriæ illustrabitur, vt tremorem sit iniectura omnibus. Non audis Esaiam dicentem: *si aperueris cælum descendente te, tremor apprehendet montes*? ] Hoc accipiendum est per auxesim, itavt sensus sit, tam teorisi-

cum

cum fore diem illum, vt vel ipsi sancti Angeli si capaces essent timoris, nec excluderet eum beatitudo, percellendi essent timore.

### *Tubæ sonus, & vox Archangeli, excitantia mortuos, præuia iudicio.*

657 Alter sensus Iustitiæ Dei per Cœlos annuntiatæ, spectat ad tubam de Cœlo insonantem, & vocem, ac proclamationem Archangeli. Eam enim Bellarminus, designatam putat à Psalte illis versiculi propositi verbis, quorum iam vnum sensum dedimus, *annuntiauerunt Cœli iustitiam eius.* Cœlos quippe exponit Angelos de cœlo, cum voce magna & tubis annuntiantes Dei aduenientis, & omnibus iusta retributuri, iustitiam; & ad hoc aduocantes mortuos, vt dicitur 1. Corinth. 15. & 1. Thessal. 4. & Matth. 24. An ea *vox magna*, sit à tubarum sono discrepatura, quod negant Maldonatus & Iansenius ad illud c. Matthæi; Affirmat autem Thyræus c. 3. patum refert, & ægrè vtrumuis persuadeas. Tubas tamen plures agnosco, & præter Archangelum altissimè intonantem etiam corporali sono, Angelos dixi cum tubis mittendos, quia ita habet Matthæus, quamuis Apostolus c. illo 4. specialiter memoret Dominum *in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descensurum de Cœlo*: quod non excludit cæteros tubicines Angelos, sed vnum quemdam ex eis denotat primatium. Supplementum quæst. 76. art. 3. ad 2. censet fore S. Michaëlem. Salas 1. 2. Tractatu 2. disp. 14. num. 41. malè Christum ipsum cum eo Archangelo confundit. Quamuis enim Ioannis 5. dicitur *omnes qui in monumentis sunt audituros vocem filij Dei*, tamen non est sensus, mortuos esse excitandos ad vocem à Christo edendam; sed vt benè ibi tradit Toletus post S. Cyrillum l. 2. in Ioannem c. 145. vox quæ ab Archangelo edetur, idcirco dicitur *vox filij Dei*, quia est ex iussu & præcepto Christi, diuinæque eius potentiæ instrumentum. Nec mihi est verisimile, Christum primùm præiturum Archangelo, in eo mandato edendo, quod censet à Costa l. 4. de tempor. nouiss. c. 17. Rursùs autem repudiandum censeo, quod Valentia Tomo 4. disp. 11. q. 3. puncto 2. & Suarez tom. 2. 3. partis disp. 50. sect. 4. tradunt de voce Archangeli diuinitùs eleuanda ad physicè causandam resurrectionem; quod æquè ad Christi humanitatem extendit Suarez. Nullum tamen est sic opinandi fundamentum, agendo de facto. Et quod dicitur mortuos suscitandos in voce illa, seu ad vocem illam, sufficientissimè exponitur de morali causalitate, qua Archangelus nomine Dei indicit aliis Angelis, vt operam impendant in electis congregandis *à quatuor ventis*, vt dicitur Matth. 24. Vel quod alibi habetur *à summis cœlorum, vsque ad terminos eorum*, ideſt vbicumque sub cœlo fuerint, & in quocumque terræ extremo & termino iaceant. Sic igitur *in iussu* ἐν κελεύσματι, *in voce adhortatoria præfecti*; id enim sonat vox Græca apud Apostolum, vacabunt Angeli congregandis cineribus electorum, ac fortassis etiam improborum, seclusis ad actionem per Christi merita faciendam, hoc est ad resurrectionem, ministeriis præuiis Dæmonum, etiam quoad impiorum cineres.

658 Aliter *iussum & vocem Archangeli* accepit S. Chrysostomus hom. 8. in 1. ad Thessal. *sub initium*, verbis illis. [Quid verò vult sibi *vox Archangeli*? Quemadmodùm de Virginibus dixit Christus; *Exurgite, venit sponsus.* Aut hoc sanè dicit; aut quod quemadmodùm apud Regem solet, ita & tunc futurum sit, Angelis ad resurrectionem ministrantibus. Dicet enim: *Resurgant mortui.* Et fiet opus non Angelorum ad hoc quicquam valentium, sed Verbi ipsius, tanquam si Rege quopiam imperante ac iubente, egrederentur concluſi & captiui, & ministri eos educerent. Non illi postea propria virtute, sed ex voce illa hoc facerent. Hoc & alibi Christus dicit, *mittet Angelos suos cum tuba magna, & congregabunt electos ipsius à quatuor ventis, ab extremis cœlorum, rursus ad extremos illorum terminos.* Et vbique vides percurrentes Angelos. Archangelum putamus eum esse qui præsit, & incumbat aliis in orbem missis, atque hoc illis inclamet, *paratos facite omnes; adest enim Iudex.*] Et inferiùs. [Quod verò dixit, *congregandos esse*; resurrecturos quidem, vbique simpliciter dicit, congregandos verò ab Angelis. Est itaque resurrectio quidem diuinæ virtutis opus, quum telluri mandabit Deus, vt depositum reddat, & nullus ministrorum hoc faciet, quemadmodùm aliquando euocauit Lazarum; *Lazare, veniforas*; adductio verò, ministrorum opus erit.]

Itaque S. Chrysostomus solam congregationem iam suscitatorum, tribuit Angelis, iussa Archangelis ad id impulsis. Quod idem sentit Lessius l. 13. de diuinis perfectionibus num. 121. & 122. multas eius cinetum collectionis difficultates, vrgens aduersùs sententiam qua tribuitur Angelis ea cinerum collectio. Facilè autem erit eas difficultates declinare, attendendo ad innumerabilem Angelorum multitudinem, in id opus iussu Christi incubiturum; itémque ad summam peritiam & celeritatem agendi Angelorum; cui si diuina colluſtratio aut assistentia naturæ indebita sit ad eas functiones necessaria; certum est non esse negandam, quia Deus non deficit in necessariis. Vt autem Angelis solùm mandetur collectio electorum iã suscitatorum, non videtur adeò conforme Scripturis, quæ sonare multo magis videntur, eam Archangeli vocem ad alios Angelos dirigi, eisque indicere operam ad resurrectionem: ideſt ad actiones resurrectioni præuias, non autem operam ad solam conuocationem suscitatorum. Dispositio verò vltima materiæ, quia erit momentanea, aut valdè subita; itémque confectio determin. tæ animæ, potiùs quàm alterius cum hoc corpore, exigent diuinam manum & potentiam; de cuius efficacia in hoc negotio, pulchrè S. Gregorius hom. 20. in Ezechielem, & Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 48.

Ea vel totali, vel saltem principali causa efficiente resurrectionis supposita, euanescunt omnes difficultates, quibus resurrectionis veritatem oppugnarunt olim Ethnici, expugnati fusè à Tatiano Orat. contra Græcos num. 9. Athenagora & Tertulliano Lib. de Resurrectione carnis, Clemente Romano 5. Constit. c. 6. Irenæo toto ferè lib. 5. Sed præsertim à c. 3. ad 17. Ambrosio lib. de fide resurrectionis, Cyrillo Hierosol. catech. 18. Gregorio Nysseno in disputatione cum sorore Macrina, Augustino 22. Ciuitat. Iuliano Toletano lib. 3. Prognostici,

& Ænea Gazeo in Theophrasto. Vt taceam Scholasticos in quartum distin. 43. & 44. & Salmeronem Tomo 11. Tractatu 4. ac Bouerium tomo 1. demonstratione 3. Generali, ab art. 12. Quid verò argumentis opus? [Solo fœtuum natura (ait optimè Theodoretus in calce serm. 9. de Prouidentia,) primáque hominum in vtero matris formatio, dormientium hominũ resurrectionẽ sufficienti demonstratione docere potest. Finge maternũ vterum esse terrã, matricem sepulchrum, semen verò naturæ paruulas illas & puluerem referentes corporis reliquias: quod cum cunctis hominibus omnino in conspicuum sit, Deo tamen facilè cernitur, & oculum illum nemo effugit. In manu enim eius sunt termini terræ, & ipse metitus est manu aquas, & cœlum palma, & terram omnem pugno, & facile illi est ea quæ in manu sunt perspicere. Nam & tibi idem facillimum facturo est: & si miscere simul voles milium, & lentes, & triticum, & hordeum, eadem facilè discernis rursus provt voles. Si itaque in manu Dei sunt termini terræ, facillimum ei est, ea quoque quæ omnino commixta sunt, exactè discernere. Finge igitur matricem esse sepulchrum, semen verò iacentes illic reliquias, creatorem verò, qui verè creator est; partus verò dolores, nouissimum vitæ diem, & horrendam Archangeli vocem. Nam *tuba clanget*, (inquit,) *& mortui excitabuntur incorrupti.*]

*Timor ac tremor, excitatorum impiorum.*

659 Excitatos ad tubæ sonum, & veluti expergefactos mortales, quantus tremor & timor sit correpturus, quâ ob tubæ & vocis horrificum sonitum, quâ ob multitudinem simul resurgentem, sed præcipuè ob aduentantem iudicem, nulla oratio assequatur. Hoc tamen quod à plerisque Patribus indefinitè dicitur, non est accipiendum de iustis; quos potiùs constat tunc leuaturos capita; inque huius rei signum, Petrus Damianì serm. 36. *sub initium*, aptat quod de Iubilæo proditur Leuit. 25. [In Iubilæo (inquit) tubis clangitur, vt vnusquisque ad possessionem propriam reuertatur. *Canet enim tuba*, sicut dicit Apostolus, *& mortui qui in Christo sunt, resurgent.* Ad possessiones ergo proprias, omnes tunc reuertuntur, quia in illo vltimæ resurrectionis die, vnusquisque proprium corpus recipit, in quo dum præsentem vitam duceret, habitauit. Tunc Adam, tunc Noë, tunc omnes antiqui Patres, immo omnes mortalium animæ, ad amissam carnis terram redeunt, quia recepta corpora sua in perpetuum possidebunt: & perducti in libertatem filiorum Dei, iam securè gaudebunt, omnes seruili vinculo corruptionis humanæ soluti.]

Igitur indefinitum illud sanctorum dictum, ad impios rediuiuos est restringendum: quandoquidem præmissimus nullum tunc superfuturum, qui anceps adhuc sit sortis suæ, morte non obita, & causa non discussa in iudicio particulari. Impiorum igitur timor, immensus erit. Expendit hoc accuratè S. Ephrem Orat. de cruce Domini, his præter cætera. [Talia magna & tam horrenda, ac mirabilia, neque ab initio contigerunt creaturæ, neque vnquam in vniuersis, generationibus accident. Et nunc qui sæpè si repente fulgur aliquod vel tonitruum clarius ac vastius contingat omnẽ subitò sui formidine perterret hominem: cunctique horrore perculsi, in terram nos inclinemus. Et si tantilla, nobis adeò magnum horrorem incutiunt: quo pacto, obsecro, tunc sustinebimus, quando tubæ vocem de cœlo audiemus super quodnis tonitruum horribiliter resonantem omnésque qui à sæculo obdormierunt excitantem iustos & iniustos. Tunc omnia humanæ conditionis ossa, ad sonitum tubæ mox ex tumulis exilient, discurréntque cum festinatione, artus suos, vincturásque requirentia. Cumque ipsi adspexerimus omnem humanam naturam, ac spiritum in momento & ictu oculi resurgentem, quemlibet ex loco suo: Congregarique omnes à finibus orbis terræ, ad iudicium; (Solo enim iussu magni Regis, qui potestatem habet omnis carnis, è vestigio cum tremore ac studio terra suos reddet defunctos, & infernus suos mortuos, ac mare suos; quidquid item humanorum corporum vel bestiæ dilaniarunt, vel pisces deuorárunt, vel aues discerpserunt, subitò in priorem statum remeabit; omnésque in ictu oculi resurgent, & coram tribunali adstabunt; & ne vnus quidem capillus capitis ipsis deerit.) Quo pacto tunc fratres mei charissimi, sustinebimus?] Sanè Begorem Bulgarorum Regem, ex sola picturæ iudicij extremi contuitione, in perterritum esse, vt voluerit baptismo lustrari, ex Curo palata scribit Raderus in calce primæ partis Viridarij. Hoc si potuit iudicij pictura, quid exhibitio? Terrentur in hac vita mortalium plurimi, auditione malę auditionis futurę, & explicatione iudicij. Ad omnes nostræ de iudicio commentationes, non nisi imaginationes, & veluti somnia sunt, vt S. Gregorius monuit 8. Moral. cap. 17. ad illud, *terribis me per somnia.* Quid ergo faciet iudicij relealis præsentia, & experientia?

*Congregatio planè omnium, & Angelorum, & hominum, in vallem Iosaphat.*

660 Tubæ sonum per sepulchra regionum, & mortuorum omnium anastasim, excipiet congregatio omnium in vallem Iosaphat; quæ est vallis Hierosolimæ vicina, iuxta montem Oliueti: vt ibi Christus aliàs inglorius apparuit, & iniquissimam sustinuit sententiam, ibi sententiam ferat in omnes: & vnde ad cœlos subuectus est, eodem ad nos remigret, quemadmodùm visus est ascendens in cœlum. Ita tradunt plerique Scholastici in 4. dist. 48. & S. Thomas opusculo 60. cap. vltimo, Ribera Ioelis 3. num. 2. & Thyræus accuratè lib. de vniuersali iudicio cap. 18. adducens plurimos, qui omnes nituntur testimonio Ioëlis cap. 3. vbi ex antecedentibus & consequentibus, constat agi de extremo iudicio, & disertè dicitur, congregationem gentium ad iudicium, fore in valle Iosaphat: quam esse eo loco quem diximus, testatur Beda lib. de locis sanctis cap. 6. & Adricomius. Putant tamen aliqui, apud Ioëlem nullum certum locum designari. Sed cum *Iosaphat* significet *Iudicium*, censent vallem in qua iudicium celebrandum est, & omnes congregandi dictam esse *vallem Iosaphat*, ideſt, *vallem iudicij*. Hoc tamen obesse non debet communi

communi interpretationi, quod in tali valle omnes sint conuocandi: alioqui si per huiusmodi notationes vocum, eludere liceat sensa receptissima, nihil habebimus statum & certum, quoad loca quibus aliquid gestum aut gerendum, fuerit prænuntiatum. V. G. cum Oseas interprete, Euangelista, prænuntiauit Christi ex Ægypto reditum, facile esset negare, prophetasse Oseam de regione Ægypti: sed dici posset prænuntiasse tantum liberationem Christi de angustia quam sonat *Ægypti* nomen. Quare fixum esto, congregandas esse omnes gentes in vallem Iosaphat; & ibi supernè in aëre locatis Angelis & electis omnibus, subtus in ipsa valle, & quantum vlteriùs quaqua versum necesse erit, Dæmones ac reprobos omnes iaciturus.

Dixi, *omnes Angelos*, & *omnes electos*, itémque *omnes dæmones*, & *omnes reprobos*, quia nemo planè erit Angelorum & hominum, qui ad eum locum non congregetur: contra Durandum in secundum disp. 33. q. 3. Omnes inquam eo congregabuntur, excepturi Christi iudicis sententiam. Nam quamuis Christus Ioannis 3. dicat, infideles iam iudicatos esse; vnde autor commentariorum in Iob, Origeni inscriptorum lib. 3. exponens quod Iob diei suo maledixit, intulisse videtur, quod ait, Paganos & quosuis infideles, ad iudicium non venturos: tamen sensus verborum Christi dumtaxat est, constare quid de eis tunc sit pronuntiandum. Itaque non abibunt iniudicati, nec defugere poterunt concilium Oecumenicum tunc celebrandum. Nec probanda est interpretatio, (veriùs peruersio) vniuersalis huius congregationis, quam inuexit Latinus Autor hom. q. in diuersos apud Origenem, sic scribens, post propositas varias de iudicio extremo dubitationes. [ Existimo ergo quoniam erit tempus aduentus Christi; quin imò tanta manifestatio futura est Christi, & diuinitatis eius, vt non solùm nullus iustorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret Christum secundùm quod est, quando & peccatores cognoscent in cõspectu suo sua delicta, & iusti manifestè videbũt semina iustitiæ suæ, ad qualé eos perduxerunt finem. Et hoc est quod dictum est; *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Cognoscent Christum secundùm quod est; nec ipsi quod videtur cognoscere palam eum cognoscunt: sed in fide, tum intrant homines in conspectu eius quando cognitionem eius accipiunt per fidem, sicut scriptum est: *Intrate in conspectu eius in exultatione.* Quin magis rectè dicuntur omnes gentes ante eum congregandæ, & constituendæ, quando palam omnibus tam bonis quàm malis, tam fidelibus, quàm infidelibus, fuerit factus manifestus ante oculos mentis eorum; iam non fidei aut diligentiæ alicuius inquisitione repertus, sed ipsius suæ diuinitatis manifestatione probatus. Non enim in aliquo quidem loco apparebit filius Dei cum venerit in gloria sua, & in altero non apparebit; sed sicut in se secundum comparationem fulguris exeuntis, aduentum suum voluit demonstrare, dicens: *Si dixerint vobis; ecce in deserto est, nolite credere. Sicut enim fulgor exeritur ab Oriente, & apparet vsque in Occidentem, sic erit aduentus filius hominis in gloria sua.* Propter quod vbique futurus est, ipse in conspectu omnium erit vbique, & omnes vbique erunt in conspectu ipsius, & sic constituentur ante sedem gloriæ eius. hoc est ante regnum eius, & potestatem dominationibus. ] Imo certo quodam loco; vt Scripturæ infinites iugeminant, congregabuntur ante Christum omnes gentes, & omnes iudicium subituri: ideò (vt iam dixi,) Prætet omnes homines, omnes Angeli boni, & mali. De omnibus enim est iudicandum publicè, & firmanda antiqua sententia priuata.

661 De bonis Angelis iudicium Christi subituris, non debet videri nouum quod affirmaui. Apostolus sanè 1. Corinth. 6. Angelos quoque per homines iudicatum iri, contestatur verbis illis; *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* Quæ verba licet Chrysostomus Theodoretus, ac creditus Anselmus, ad malos Angelos restringant tamen alij ad bonos quoque Angelos extendunt: quorum actus, æquè ac sanctorum hominum iam Deo fruentium, adducentur in iudicium, & approbabuntur ita S. Bonauentura, & Richardus in 5. dist. 47. art. 1. ille q. 4. hic q. 6. & ad allegatum Apostoli locum, Cornelius nec non Suarez Tomo 2. 3. partis disp. 57. sect. 8. Absit tamen vt existimemus, sanctos Angelos iudicium subituros de negligentiis, si quas admiserint in curatione animarum sibi concreditarum: quod ferè videntur quædam verba Origenis hom. 20. in Num. *Sub finem*, ad illud, *ostenta Principes populi, & ostenta illos Domine contra Solem.* Angeli enim quorum actus in iudicio discutiendos esse ibi traditi, sunt Præsules Ecclesiarum, & Præpositi peruigilantes quasi rationem reddituri, non autem Angeli simpliciter dicti, quos constat esse impeccabiles nec posse iudicium huiusmodi subire: etiamsi iudicium approbationis excepturi sint, & conuenturi ad iudicium cum animabus quas rexerunt, vt contestentur eis, quàm negligenter pias suggestiones & bona monita audierint: de quo egregiè philosophatur Origenes hom. 11. in Num. Dæmones verò iudicium Christi subituros extra controuersiam esse debet, cum Apostolus Petrus disertè pronuntiet, eos inferni rudentibus alligatos, in magni diei iudicium esse reseruatos: & quocumque reproborum hominum iudicium publicum astruunt, ad publicum quoque Angelorum reproborum iudicium stabiliendum, possunt vsurpari.

Omnes ergo creaturas rationales, ante Christum iudicem conuenire necesse erit. Nec enim ab hoc cœtu patebit effugium, *neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus Iudex est.* Idque etiam sanctus Gregorius 33. Moral. capite 14. tractans illud, *Ponam circulum in naribus eius*, expressum censet comparatione illa diuini iudicij Isaiæ 37. & Apocal. 14. ad circulum, & falcem, quæ circulariter, circundata, incidit; & ita complectitur ea quibus incidendis adhibetur, vt effugere non possint. [ Potestas (inquit) diuini iudicij, quia vndique stringit, circulus dicitur: & quia intra se omnia incidendo amplectitur *falcis* appellatione signatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquauersum flectimur, intus cadit. Et quia potestas

superni iudicij, nullatenus euitatur, (intra ipsam quippè sumus; quolibet fugere conemur;) rectè cum venturus Iudex ostenditur, falcem tenere perhibetur, quia cum potenter ad omnia obuiat, incidendo circundat. Esse se intra iudicij falcem, Propheta vidit, cum diceret; *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Intra quandam falcem se vidit, cum ex nullo sibi loco patere fugæ aditum posse cognouit, dicens; *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus*: subaudi, *patet via fugiendi*: atque mox ipsam supernæ potentiæ omnimodam comprehensionem subdens, ait; *Quoniam Deus iudex est.* Ac si diceret; fugiendi via vndique deest, quia ille iudicat; qui vbique est. Diuina itaque iudicia, sicut signantur falce: quia circumuallantia incidunt, ita exprimuntur circulo, quia vndique stringunt.]

### *Aduentus iudicis, septi comitatu amplissimo.*

662 Consequetur Iudicis aduentus, quem Psaltes consequenter ad annuntiatam per Cœlos & virtutes cœlorum iustitiam Dei, mortuosque ad eam excipiendam excitatos, & aduocatos, paucis illis verbis describit; *viderunt omnes populi, gloriam eius.* Non ieiunè, tametsi substrictè, gloriam Iudicis aduenientis descriptam agnoscemus, si gloriam Domini simpliciter & absolutè dicti, expressam à Psalte recolamus. Insinuantur itaque paucis his verbis, omnia quæ de iudicis maiestate, & non iam regia, sed diuina pompa, in variis Scripturis præsertim noui Testamenti, distinctè traduntur: vt comitatus amplissimus Angelorum omnium, Crux triumphalis micantissima in cœlo coruscans, iudici præuia; aduentus in nubibus præuio clangore tubarum & acclamationibus Angelorum, occursus electorum omnium, raptorum obuiam ei in aëra; reprobis subtus relictis, fulgor corporis supra Solem splendidissimi quâ præsertim vulnerum superstites fissuræ hiant, accessus ad Augustissimum thronum, in quo ab omnibus populis malisque iuxta ac bonis, conspiciatur; omnibus in eum intentis, vnde summa malorum confusio & plangentium se tribuum terræ horrendi gemitus. Ad primum verò iudicis in throno suo consessum, existet adoratio profundissima ab Angelis & hominibus, & bonorum exultatio de Christi exaltatione. Hæc omnia supersunt breuiter attingenda, ex primo capite proposito, quo continentur præuia ad iudicium.

Comitatum amplissimum Christi iudicis aduenientis, & illam (vt loquitur S. Bernardus serm. 2. de Ascensione,) tam singularem quàm vniuersalem processionem, præcedentibus omnibus Angelis, & subsequentibus hominibus vniuersis celebratam, describit Daniel c. 7. Angelorum Myriades Christo iudici astantes, celebrans S. Matthæus, disertè omnes Angelos affuturos tradit. Quem locum expendens, & cum Danielis textu coniungens S. Cyrillus Hierosol. catech. 15. sic scribit. [Animaduerte homo, in quantum iudicium ingrederis. Omne tunc genus hominum aderit. Cogita ergo primùm, quantum sit Romanorum genus? Cogita quot gentes, Barbarorum, nunc viuentes, & quot ante centum annos mortui: cogita quot ante mille annos sepulti sunt. Cogita eos qui fuerunt ab Adam vsque ad hodiernum diem. Magna quidem hæc multitudo; sed hæc tamen parua est. Plures enim Angeli. Nonagnita numerum oues sunt illæ: tu verò centesima; quoniam vnum est tantum humanum genus. Nam pro locorum magnitudine cogitandum est; si hæc nostra terra est tanquam centrum in medio cœli, & tantam habet multitudinem: quantam habebit multitudinem cœlum quod terram ambit? Et cœli cœlorum, immensam certè habent multitudinem. Scriptum est enim. *Mille millia ministrabant ipsi, & decem millia myriadum assistabant ei.* Non quod tanta sosum esset multitudo, sed maiorem hac Propheta dicere non poterat.]

Similiter S. Chrysostomus hom. 80. in Matth. euacuandos tunc cœlos ait, & affuturos Christo iudici omnes Angelos, vt testentur quæ pro hominum salute ex eius præscripto egerint per tempus vitæ. Itaque habes comitatum Christi, qua præsertim ex Angelis constabit, fore numerosissimum. Suntque qui coniectent, aut etiam affirment, Angelos in fulgentissimis corporibus apparituros, vt possint improborum obtutibus obiici. Ita Thyræus l. de iudicio vniuersali c. 10. à num. 8. & Lessius l. 13. de diuinis perfectionibus num. 132. Sed hoc non videtur necessarium. Damnati enim satis internoscent Angelos per notitiam abstractiuam, in ædificatam illi cognitioni intuitiuæ quam de suis animabus tunc habebunt, addito excessu quo Angelus supereminet animæ. Nam per totam æternitatem, Dæmones à damnatis non cognoscentur alia ratione. In hoc descensu, pauci homines Christo comitabuntur. Illi nimirum, qui cum Christo ad æternam vitam resurrexerant. Item Sanctissima Deipara, de qua in hoc aduentu Catharines lib. 3. pro Concep. persuasione prima, accipit illud ex parabola Matth. 25. *Exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Animæ autem iam beatæ, ad resumptionem corporum in terras demissæ, cum primùm corporibus confertæ denuò fuerint, quod in ictu oculi, vel instanti, vel per breui tempore fiet, Christo in corporibus iam gloriosis occurrent, vt mox dicam.

### *Crux in aëre præuia; currus nubium; clamor parantium viam Domino.*

663 Crucis signum, præferendum aduenienti Christo & in aëre conspicuum fore, notauit signatè S. Matth. c. 24. verbis illis; *Tunc parebit signum filij hominis in Cœlo.* Quod Patres propè omnes, ac Interpretes, accipiunt de cruce, quæ velut Regium vexillum præferetur Christo: vt S. Hieronymus ac Beda loquuntur. Cum autem dicat Euangelista, apparituum signum, argumento idoneo esse videtur, non esse reuera præferendam Christo, crucem ipsam de qua Christus pependit, quod Waldensis titulo 20. De Sacramentalibus c. 158. Fauente non parum S. Chrysostomo hom. de cruce, est opinatus: sed illius dumtaxat signum in aëre formatum, atque adeò crucem aëream; ei non absimilem, (si maiorem quantitatem, & splendo-

rem

rem addas,) quam sub Constantio Imperatore, Hierosolymis super Golgotha visam, stadiis quindecim patentem, docent SS. Cyrilli inibi Patriarchæ, testis oculati litteræ, quæ extant ad eundem Constantinum, & S. Hieronymus in chronico, ac Nicephorus l. 9. Histo. c. 32. Vel certè ei (proportione prædicta semper salua,) affinem ac similem, quam his verbis descripsit Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 3. num. 9. [Ego fidelium nouissimus, antequàm piissimus Ludouicus Francorum Rex, anno ab Incarnatione Domini 1246. crucem transmarinam susciperet, crucem in cœlo, ex clarissimo & Sydereo lumine vidi: nec recolo me decentius & operosius formatam crucem vmquam sub aliqua materia vel figura vidisse. Octonos habere cubitos crucem ipsam in longitudine, mihi planissimè visum est. Serenum cœlum erat valdè, & sine aliqua nube, in aliqua parte sui, sub nostro horizonte. Cœlum erat coloris vnius.] Non dissimiles apparitiones crucis, alibi leguntur. Quemadmodum autem columnam nubis mouebat Angelus, quocumque opus erat, ita & hoc Reges nostri labarum & triumphale vexillum, mouebunt Angeli: quod apud Iulianum lib. 3. Prognost. & creditum Anselmum in Elucid. minus apte dicitur, laturos hanc crucem Angelos, veluti subuolantes. S. Michaëli munus huius crucis agitandæ tribuit cum Echio Viegas in cap. 12. Apocal. sect. 18. num. 7. Sed malè id colligit ex eo quod ab Ecclesia S. Michaël vocetur *signifer*. Id enim spectat potius ad fortitudinem, proditam in cœlesti certamine. De splendore immenso huius signi, solem ipsum claritate sua offusuro, testes passim sunt Patres. Hippolitus Orat. de mundi consummatione S. Ephrem l. de vera pœnitentia cap. 4. & sæpè alibi. S. Augustinus serm. 130. de tempore vnum locum S. Chrysostomi à Iuliano Toletano lib. 3. Prognost. cap. 5. descriptum, iuuat attexere. Contulerat aduentum Christi, cum micantissimo fulgure; Tum subdit. [Tanta enim erit eminentia splendoris in Christo, vt etiam clarissima cœli luminaria abscondantur, præ lignum fulgore diuini luminis. Tunc & stellæ cadent, quando apparuerit Filij hominis in cœlo. Considerasti quanta sit virtus sanctæ crucis. *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum.* Crux verò fulgebit. Et obscuratis luminaribus cœli, dilapsísque syderibus, Sol non radiabit: quando crux Sole & Luna præclarior est, quorum splendorem diuino illustrata splendore superabit. Et quemadmodùm ingrediente Rege in ciuitatem, exercitus præcedit, ferens signa & vexilla regalia, & ambitus præparationis armisonæ annuntiat Regis introitum; ita Domino descendente de cœlis, præcedet exercitus Angelorum atque Archangelorum, qui signum illud trumphale, crucis vexillum sublimibus humeris præferentes, diuinum Regis cœlestis ingressum, tertis trementibus nunciabunt.]

Curtum aduenientis Christi, fore nubes cœli, ait Daniel cap. 7. Et idem habent Euangelistæ, describentes aduentum Christi ad iudicium. Nec sanè nouum est, vt in Scripturis nubes Deo tribuantur pro curru; vt liquet ex Psalmo 98. verbis illis. *Ponis nubem ascensum tuum.* Et ex illis aliis Psalmi 17. *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Cæterum quod Christus venturus dicitur *in nubibus cœli*, non ita est accipiendum, quasi vllæ sint in cœlo nubes: vel quasi immediatè in exitu è cœlis per Christum penetratis nubes sint illum excepturæ. Sed id circò Christus dicitur venturus in nubibus, quod in aëre, cui *cœli* nomen in Scripturis passim tribuitur, diuinitùs, aut ministerio Angelorum, efformandæ sint nubes, aut aptandæ ad Christi vehiculum. Vt enim merè naturaliter sint producendæ, & veluti fortuitò deseruiant ad Christi apparatum, quod sentit Thyræus lib. de iudicio cap. 1. num. 34. non censeo verum. Nec item admitto quod alij eas nubes negant ex vaporibus fore coagmentandas. Nam si ita esset, non essent nubes veræ, & nubes cœli, idest aëris, vt semper vocantur in sacris litteris.

Non adeò remoto appulsu iudicis, tanto támque glorioso satellitio stipati, buccinarum & tubarum clangor, ac etiam vocum clamor parantium viam Domino, vt in Principum aduentu assolet, exaudietur: de quo in hunc modum S. Ephr. Or. de sanctissima cruce. [Quando ingentem illum atque horribilem clamorem audiemus, ex sublimitate cœlorum personantem atque dicentem; *ecce sponsus venit*; ecce iudex adest; ecce Rex apparet; ecce supremus iudicum Iudex reuelatur; ecce vniuersorum Deus aduenit, vt iudicet viuos & mortuos. Tunc ô Christi amatores, à voce clamoris illius contremiscent fundamēta & renes terræ, à finibus vsque ad fines, & mare omnésq; abyssi. Tunc fratres mei, angustia & timor, ac stupor, in omnem irruent hominem, ex clangore atque resonantia tubarum, & à metu exspectationis eorum, quæ vniuerso superuenient orbi. Tunc virtutes mouebuntur cœlorum. Tunc Angelorum præibunt exercitus, Archangelorúmque chori. Cherubim quoque ac Seraphim multis oculis clara, in fortitudine, metúque proclamabunt; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, qui est, & qui erat, & qui venit omnipotens.* Tunc omnis creatura in cœlo, & in terra, & subtus terram, cum timore atque tremore, validè exclamabit; *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini.* Tunc scindentur cœli, & reuelabitur Dominus Dominantium, & Rex Regum, & Princeps Principum, immaculatus & terribilis, atque glorioſus Deus noster, instat fulguris horribilis, cum potestate & maiestate magna atque incomparabili. Quemadmodùm & Ioannes prædicauit Theologus, dicens, *ecce veniet cum nubibus cœli.*]

### *Raptus electorum, obuiam Christo in aëra, vbi thronus iudicis.*

664 Fiet sub illum temporis articulum, occursus electorum rediuiuorum obuiam Christo in aëre, virtute corporibus glorioſis indita: quæ tamen quia non erit nativa, sed communicata diuinitùs, dicuntur sancti suscitati, rapiendi obuiam Christo. [Nam Rege ciuitatem ingressuro (ait S. Chrysostomus hom. 8. in 1. ad Thessal.) qui illustres quidem sunt, ad occursum eius egrediuntur: qui verò rei sunt & iudicio obnoxij, intus expectant iudicem. Et patre benevolo, & pio aduentante, filij quidem & qui digni essent filiorum loco per vehiculum educuntur,

vt videant & exoſculentur : qui verò de ſeruis interea illum offenderunt, intus expectant eum qui ſuper Patris adfertur vehiculo. Ipſe namque Pater in nubibus ſuſcepit eum. Et nos in nubibus rapiemur. Vides quantus futurus ſit honor? Et occurſum deſcendenti faciemus, & quod omnium eſt fœliciſſimum, ita ſemper cum ipſo erimus.]

Rapientur autem boni, relictis deorſum in terra reprobis. Quam fore acerbiſſimi luctus & horroris materiam, idem S. Chryſoſtomus egregiè notat, ibidem paulò poſt, verbis illis. [ Poſt deſcenſum Domini ( ideſt iam inchoato, nec dum planè finito deſcenſu iudicis, & appulſione eius ad thronum : alioqui enim non dicerentur qui rapiuntur, ire ei obuiam ; ) poſt deſcenſum igitur Domini, rapientur ; poſteaquàm congregati fuerint. Fiet enim hoc ſimul nemine ſciente. Etenim quando viderint terram motam & turbulentam, puluerem confuſum, vndique ex æquo excitata Corpora, nemine ad hoc famulante, ſed iuſſione Dei terram antea repletam euacuare valente. ( Cogita namque quantum ſit omnes tunc qui ab Adam ad aduentum ſuum vſque, ſtare cum mulieribus & pueris : ) quando inquam, tantam viderint in terra tumultuationem, tunc ſcient. Quemadmodum enim diſpenſationem eius quæ ſecundum carnem eſt, non præuiderant, ita & tunc. Quando igitur illa facta fuerint, tunc & vox audietur Archangeli, Angelis reliquis imperantis, & clamantis. Audientur tunc & tubæ, imò tubarum ſonitus. Qualis igitur tremor, qualis timor eos qui in terra erunt, qui iudicem expectabunt, obtinebit ? Vna namque rapietur, & vna relinquetur. Quis erit tum animus illorum, quando iſtos quidem ſublatos videbunt, ſe verò ipſos relictos ? An non quauis gehenna terribilius, eos iſta deiectos ac conſternatos reddere poterunt? Fingamus itaque ſermone, iam illud adeſſe. Si enim mors repentina, aut ciuitatum motus, & reliquæ minæ animos noſtros ita concutiunt, quando viderimus terram diſruptam, & his omnibus refertam ; quando audierimus tubas, quando vocem illam Archangeli, quauis tuba clariorem perceperimus, quando cœlum hoc vndique ſurſum euectum & contractum, quando ipſum aduerſantem Deum, Regem omnium viderimus, quis tum nobis animus erit? Horreamus obſecro, & terreamur, non ſecus quàm ſi iſta iam fierent. Ne ſolemur nos ipſos ex mora & cunctatione. Quando enim omnia oporteat fieri, nihil proderit cunctatio. Quantus tum tremor erit, quantus timor?] Similia habet hom. 9. de Aſcenſione *ferè in fine*.

665 Paratæ erit in aëre ſedes iudiciaria. Negat huiuſmodi corpoream ſedem, Origenes, vel potiùs apud eum auctor Latinus hom. 9. in diuerſos. [ Sedes eius (inquit) aut certè quidam perfectiores dicuntur Sanctorum, de quibus Scriptum eſt ; *quoniam illic ſederunt ſedes in iudicio*; aut quædam Angelicæ, de quibus dicitur; *ſiue ſedes, ſiue dominationes*. Ergo Rex ſæculorum, Deus Verbum, qui & in forma factus eſt hominis, ſedebit ſuper huiuſmodi ſedem gloriæ ſuæ. ] Hoc myſticum eſt, nec idcirco abroganda ſedes corporea fulgentiſſima, & tanto iudice digna. Thronum magnum & candidum vocat Ioannes in Apocalipſi c. 26. ex cuius etiam libri c. 14. hanc ſedem fore nubem, colligit Thyræus, qui de hoc Chriſti throno, accuratè & minutè plurima diſquirit l. de iudicio vniuerſali c. 1. à num. 58. Ad eam ergo ſedem, è regione fixa fulgentiſſima cruce, primus fiet Chriſti deſcendentis & electorum ſubuectorum occurſus. Quod fore reprobis ſub his iacentibus, ſed tamen procul rem omnem conſpicantibus, triſtiſſimum ſpectaculum, S. Ephrem his verbis tradit Orat. de cruce Domini. [Quo pacto ſuſtinebimus Chriſti amatores, quando adſpexerimus tremendum ſolium paratum ? Quando viderimus *ſignum filij hominis in cœlo reſplendere*, ſicut ait Dominus; ſanctum, inquam, & immaculatum, ac pretioſum ſignum cui ſponte clauis affixus pro nobis fuit ipſe Chriſtus Dominus? Tunc cuncti in ſublimi aſpicientes ſanctum ac formidabile magni Regis apparere ſceptrum, cognoſcent, & in memoriam redibunt ſermonis illius Domini, dicentis ; *quia ſignum apparebit filij hominis in cœlo*. ].

### *Confuſio ſumma & timor impiorum.*

666 Tunc planè iuxta Pſaltem noſtrum, *confundentur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis*. Quod in primis valet de Idololatris, & falſorum numinum cultoribus ; quos pudebit idolomaniæ ſuæ, & cultus exhibiti Dæmonibus non vero Deo. Sed & myſticos Idololatras, priſcis à Satana ſubſtitutos, vt ait Nyſſenus Orat. de S. Baſilio, *inimi*; Chriſtianos inquam qui vitam ad fidei amuſſim non exegerint, maximè pudebit non expreſſæ Chriſti vitæ imitatione. Ipſius in primis iudicis ſpecies, & in corpore vndecumque glorioſiſſimo fulgentes ſupra Solem vulnerum notæ, eos terrebunt: imo excruciabunt vehementiſſimè. Conſpicient enim Chriſtum iudicem, vt benè meditatur Eucherius hom. 4. ad Monachos num. 7. [Veniſſe ad iudicium, illo vtique corpore, quod pro noſtra ſalute ſuſceptum, pro noſtris criminibus additum, pro noſtra abſolutione damnatum, & pro noſtrorum vulneum medicina, lancea, clauiſque confixum eſt. Prima enim erit in reos intoleranda ſententia, reuerendarum præſentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi ſumus, quando contra illos crucifixi Domini liuores, notæ peccatorum noſtrorum, ac maculæ libidinum proferentur? Aut quo putas vultu reſpiciet redemptio noſtra, perditionem noſtram? Tanto graniora erunt humana delicta, quanto maiora ſe oſtendent diuina beneficia. Verendum eſt autem, ne illam vocem reſurrectionis pretioſa crucis veſtigia proteſtantem, etiam in iudicio ſuo ad vaſa iniquitatis, prolaturus atque dicturus ſit; *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*, & agnoſce quæ pro te, & à te impietas humana, pertulerim. Illa vtique clauorum ſigna bonis ſalutaria, malis terribilia, quæ vſque ad diem iudicij non delentur, ſine dubio obiicienda ſeruantur. Et quid poſt hæc ſequitur, niſi illud interpoſitum inter viuos & mortuos expauescendum chaos, vaſtúmque diſcrimen, excluſæ à natura viuentium tenebræ exteriores ; dura ſeparatio à dulci intuitu ſanctorum, & à ſocietate fidelium; & è contrario inter lachrymabiles gemitus, planctúſque lugentium, collegium triſte miſerorum, & à beata patria æternum tetterimæ noctis exilium?

exilium ? Quàm lugubre erit homini, Deum videre & perdere, & ante pretij sui perire conspectum ? ]

Quo verò excipient sensu exprobrationes Christi de quibus hic S. Augustinus serm. 67. de temp. [Quid faciemus charissimi, in illo metuendo iudicij die, cum tremente mundo Dominus præcinentibus Angelorum buccinis, in illo maiestatis suæ throno, circundatus cœlestis militiæ luce consederit, ibique de terræ gremio & antiquo puluere, suscitato humano genere, astante testimonio conscientiæ singulorum, positis in conspectu peccatorum pœnis, iustorúmque præmiis, rationem vitæ cœperit postulare; & plus iam iustus quàm misericors, seueritate iudicis contemptæ misericordiæ reos, cœperit accusare, & dicere; Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci; ego terrenis artubus infudi spiritum; ego tibi imaginem nostram similitudinémque conferre dignatus sum; ego te inter paradisi delicias collocaui; Tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi, quàm Deum maluisti. Cum expulsus de paradiso, iure peccati, mortis vinculis tenereris, Virginalem vterum sine dispendio Virginitatis pariendus introiui, in præsepio expositus, & pannis obuolutus iacui, infantiæ contumelias, humanósque dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet vt te mihi similem facerem, pertuli: irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, vt tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clauorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Suscepi dolores tuos, vt tibi gloriam darem: Suscepi mortem tuam, vt in æternum viueres: conditus iacui in sepulchro, vt tu regnares in cœlo. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renuisti? Non te ego de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indesinenter occidis. Cur habitaculum quod mihi in te sacraueram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum, illecebrarum turpitudine maculasti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quàm illa in qua quondam pependeram, affixisti? Grauior enim apud me peccatorum tuorum Crux est, in qua inuitus pendeo, quàm illa in qua tui misertus mortem tuam occisurus, ascendi. Cum essem impassibilis, pro te pati dignatus sum; sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, in via reditum, in iudice veniam, in Cruce vitam, in suppliciis medicinam. Et post omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti: Ab auditu malo, non mereberis liberari. ] His planè germina, ex ipsius Christi ore reprobis ante tribunal tanti iudicis comparentibus, obiicienda, omninò egregiè describit Autor libri de malis Doctoribus, inscripti perperam Sixto Papæ, *post medium*. Nec fore quod è contrario mussent reprobi, vndecunque conuicti, ibidem subiicitur. Locus est insignis, sed longior quàm vt adscribi hoc loco possit.

667 Quid si verò, illas quoque voces quas Sanctissimus Diaconus Murita, Apostatæ Elpidophoro exprobandas duxit, omnibus æquè obiiciendas dicam? Attexo narrationem egregiam ex Victore l. 3. Historiæ Vandal. [ Cum Elpidophoro sedente & fremente, honorabilis senior cœpisset extendi; priusquàm exueretur, clam nescientibus cunctis, illa quibus eum suspiciens de fonte dudum texerat sabana, baiulabat. Quibus ventilatis, simulque in ostensione cunctorum extensis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouisse dicitur ciuitatem. Hæc sunt linteamina Elpidophore minister erroris, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis, custodiente diligentia mea, ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyssо putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hæc te acriùs persequentur, flammantem gehennam cum cœperis possidere, quia induisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis & fidei Sacramentum. Quid facturus es miser, cum serui patrisfamilias ad cœnam Regiæ congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum stolam Rex conspiciet nuptialem, dicétque tibi, *Amice, quomodò huc venisti, vestem non habens nuptialem* ? Non video quod contuli, non nosco quod dedi. Perdidisti militiæ chlamydem, quam in tela Virgineorum membrorum decem mensibus texi, & tendiculas crucis quas extendens aquam mundaui, & purpura mei sanguinis decorani, non conspiciunt oculi mei. Characterem non video Trinitatis. Talis interesse non poterit epulis meis, ligate eum pedibus, & manibus funiculis suis. ]

Videbunt deinde, & *turbabuntur timore horribili*, vt loquitur Sapiens, *& mirabuntur in subitatione insperatæ salutis*, proborum, quos hîc calcauerint & oppresserint, *dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, ad sublimem illorum quos probè agnoscent, filiis Dei, ideſt Angelis, mistos euectionem, *hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos, sors illorum est.* Sanè ipse Christi iudicis in maiestate concessus, pictura tantùm expressus, Bogorem Bulgarorum Regem vt supra attigimus, adeò terruit, vt illicò Ethnicismum eiurarit, vt supra memoraui. Felicem quoque, licet impium, sola diuini iudicij per Paulum commemoratione tremefactum, produnt Apostolorum Acta. Apud Climacum gradu 7. plerique, ex sola iudicij cogitatione, attoniti & exanimati narrantur. In vita S. Bernardi l. 2. c. 6. Gulielmus Dux Aquitaniæ, proposita per S. Bernardum Eucharistia, Deum futurum iudicem continente, solo fusus est. Si pictus, vel oratione aut cogitatione obiectus, aut velatus [illegible] Iudex, peccatores terruit tantoperè; quid faciet sedens in sede maiestatis suæ vt quærat suorum gloriam & impios perdat? Videndus Nyssenus Orat. 2. de hom. procreat. cum de die septima in qua requies ab omni opere, eximio (vt docet) extremi iudicij vltimæque orbis Dei, Symbolo; Et Goffridus Vindocin. serm. de Ascens.

*Demississima*

*Demississima Iudicij in primo eius consessu per omnes adoratio; Electorum gaudia; Angustiæ malorum.*

668 Ad primum iudicis in sede parata consessum, præeuntibus Angelis omnibus, & electis, & adactis ad idem præstandum Dæmonibus ac omnibus reprobis, Christi iudici accident adoratione profundissima, iuxta illud Rom. 11. *omnes stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim, viuo ego dixit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Implebitur etiam tunc illud Philippi 2. *in nomine Iesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris.* Specialiter verò de adoratione per Angelos, extat testimonium quod Psaltes versu qui consequitur tradit his verbis, *adorate eum omnes Angeli eius.* Quæ verba Apostolus Hebræorum 1. vt Theodoretus hîc notat, aptauit ad Christi iudicis adorationem in extremi iudicij procinctu, per Angelos præstandam. Quod egregiè item docet Nyssenus orat. 3. imo 4. contra. Eunom. cap. 3. verbis illis. [ *Cum iterum* (inquit) *inducit primogenitum in orbem:* adiectio particulæ *iterum*, hoc non primò fieri per hanc dictionis significantiam ostendit. Nam in repetitione eorum quæ semel facta sunt, hac dictione vtimur. Igitur in fine seculorum, terribilem eius apparitionem hoc sermone significat: quando non ampliùs in seruili forma conspicietur, sed in solio regni magnificè sedens, & ab Angelis omnibus circùm ipsum adoratus: propterea qui semel in orbem ingressus, primogenitus factus ex mortuis, & fratrum & omnis creaturæ primogenitus: cum iterùm ingredietur in terrarum orbem, iudicans ipsum orbem in iustitia, sicut testatur vaticinium, non repudiat primogeniti nomen quod semel pro nobis accepit, sed sicut in nomine Iesu omne genu se curuat, ei qui supra omne nomen est; sic etiam eum qui in nomine primogeniti venit, omnis Angelorum plenitudo obuiam facta adorat ad hominum reuocationem affecta gaudio, quam, quia sit nostet factus primogenitus, rursus ad gratiam quæ à principio fuit, reuocauit. Siquidem gaudium fit Angelis super his qui peccato resipiscentes salui siunt. Quocirca vsque nunc congemiscit creatura illa, & condolescit nostræ vanitati, multam suam & detrimentum indicans, nostram perditionem, cum reuelatio facta fuerit filiorum, Dei quam pro nobis semper expectant, & præstolantur; & cum salua fuerit ouis cum superna illa centuria: ( nos autem omnes sumus humana natura, hæc ouis, quam quia factus primogenitus, bonus pastor seruauit; (hinc præcipuè in vehementi pro nobis gratiarum actione, Deo adorationem adducent, ei qui propter primogenituram, reuocauit eum qui à patrio lare longè abscesserat.]

669 Vides, Nyssenum, verba Apostoli & & Psaltis, aptare ad prædictam adorationem, Christo sub iudicij momentum, per Angelos, atque adeò etiam per electos omnes qui Angelis in aëre astabunt, exhibendam: ad eum Dominum gloriæ, & constitutum à Deo iudicem viuorum & mortuorum, summa dimissione, quam ipse quoque situs corporum prodet, recognoscendum; quantumlibet impij ac Dæmones ringantur ad necessarium illud officium.

Quo porrò gaudio & exultatione, sancti qui semper se Christo hîc conformarint, tantam Christi maiestatem & euectionem pro depressione & exinanitione summa sint excepturi, nemo satis assequatur, nedum explicet. Sensum de ea suum prodidit Dauid, verbis consequentibus, *Audiuit*, (iussum de iudice Christo ab omnibus adorando,) *& lætata est Sion: Et exultauerunt filiæ Sion, propter iudicia tua Domine. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram; nimis exaltatus es super omnes Deos.* Siue Deos participatione, sanctos inquam Angelos & electos omnes intelligas; siue falsa nomina, quibus error humanus, & Satanæ malignitas, incommunicabile nomen commune fecit; nusquam tantopere apparuit Christi super illos omnes magnificentia & sublimitas, quàm in tempore adorationis prædictæ, in procinctu iudicij. Hoc Sanè est venire manifestum, & non silere, at dicitur Psal. 49. *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit.* Quod sic de Christo exponit Diuus Augustinus 20. Ciuitatis cap. 14. [Hoc nos de Domino nostro Iesu Christo intelligimus, quem de Cœlo speramus esse venturum, ad viuos & mortuos iudicandos. Manifestus enim veniet inter iustos & iniustos iudicaturus iustè, qui priùs venit occultus ab iniustis iudicandus iniustè. Ipse inquam manifestus veniet, & non silebit, id est in voce iudicij euidens apparebit, qui priùs cum veniret occultus ante iudicem siluit, quando *sicut ouis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente se fuit sine voce*, quemadmodùm de illo per Esaiam legimus prophetatum, & in Euangelio videmus impletum.]

Non timebunt iustorum animę, ac ne pro gradu quidem fœlicitatis sollicitæ erunt, vt Nyssenus dixit Orat. 2. de hom. procreat. *sub finem*, sed omnis eorum timor, erit reuerentiæ, quam amor condiet, & exultatio magna temperabit. Horrorem è contrario, & angustias malorum, nemo satis vel explicet vel concipiat: quando vel ipie reuerendarum conspectus cicatricum (vt Eucherius piissimè admonuit hom. 4. ad monach.) illos omni pauore complebit, & in angustias rediget intolerabiles; Nec dubium id cogitasse & perspexisse nobilem illum, qui fatricidæ occidendi copiam nactus, & à supplice per Christi in omnes misericordiam, mox etiam per concessam ipsi peccatorum remissionem fruſtra interpellatus; ad extremum per angustias animarum in extremo omnium iudicio adiutatus noxam planè remisit, vt refert Cantip. l. 2. Apum c. 18. num. 3.

*Intrinseca generali iudicio; Ac primùm materia.*

670 Hactenus de præuiis ad iudicium. Nunc ipse iudicij actus attingendus est. Eius materiam complexus est Dauid, illa parte consequentis versus Psalmi propositi, *qui diligitis Dominum odite malum.* Est enim adhortatio ad iustos, vt timore futuri iudicij, declinent mala: & scilicet bona operentur; quod hæc sit futura vniuersi iudicij materia, in hanc inquirendum,

dum,& iuxta compertam eius veritatem, ferenda à iudice sententia, vel damnationis, vel gloriæ. Nec quod ea materia hominibus occulta sit, subducetur idcircò diuino iudicio. In quam rem luculenter disserit Autor commentariorum in Iobum apud Origenem, in calce libri 13. ad illud, *Non requirat eum Deus desuper*. Quæ verba sic expendit. [Quid dicis ô Beate Iob? Ergo alios dies non inquiret, vt de isto solo dicas velut interminans, *non inquirat illum Dominus desuper*? Vtique (ait) omnes dies seculi inquirentur, omnia tempora, & momenta atque secula requirentur, & producentur. Nimirum non dies seculi qui naturam non habent neque substantiam, sed verba & facta quæ in illis diebus sunt gesta vel dicta, sed cogitationes & consilia atque tractatus qui in omni tempore vel momento huius seculi tractati sunt atque cogitati. Hæc igitur omnia, in omnibus gentibus, & in omni lingua inquisita, in iudicio manifestantur in tempore inquisitionis. Non enim mentitur is qui ait; *Memor fuim ea quæ à seculo sunt dinumerare*; non solum tempora & momenta, & dies, & annos, sed quin potiùs omnium hominum cordis occulta, iuxta hoc quod dictum est; *qui fingit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*. Et adhuc alibi; *Ipse autem nouit occulta cordis*. Apostolus verò his consonanter dicit; *In die qua iudicabit Deus occulta hominum*. Ille enim dies manifestabit omnia, in igne reuelans cuncta. Scientes itaque nos ô viri, quia aduersum tam terribilem habemus iudicem, sanctè conuersari, & in factis & in verbis studeamus, vt non pro condemnatione in iudicio, sed pro requie atque gloria æterna inquiramur.]

Omnes igitur actus, & boni & mali, tametsi occulti, erunt iudicij extremi materia. Psalm. 49. ea materiæ huius discussio, & veluti disceptatio causæ, latè proponitur, bonáque eius Psalmi pars, pulcherrima paraphrasi à S. Augustino illustratur 20. Ciuitatis c. 24. Ac Robertus de Sorbona, Opusculo de Conscientia, adducendus cum de Christo Magistro, conferens à c. 7. examen huius iudicij, cum examine ordinandorum, vel promouendorum ad gradus, expendit nominatim, quanta sit futura terroris materia, quod Christus per seipsum sit cunctos strictè discussurus.

### *Discussio causæ, cuiusmodi*

671 In variis Scripturis, traditur fore scrutationem & interrogationem in cogitationibus. Interdum Patres eam disceptationem, Satanâ causam suam aduersus hominem vrgente faciendum, tradunt. Pulchrè S Augustinus Orat. contra Iudæos & paganos c. 4. [Expectatur dies iudicij, aderit ille æquissimus Iudex, qui nullius potentis personam accipiet; cuius palatium auro vel argento nemo corrumpet: Astabunt omnes animæ vt referat vnaquæque, secundùm ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum. Præsto enim erit aduersarius Diabolus: recitabuntur verba professionis nostræ. Et si talis inuentus fuerit quisque, vt debitor ex hac vita migret, exultabit ille aduersarius in conspectu Sereniſſimi Iudicis, superiorem se esse declamans, agensque talem causam apud talem iudicem. Æquissimè, (inquit,) iudex, iudica, *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ*. Iudica meum esse, qui tuus esse noluit: meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem, vt quid inuasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renunciauerat? Quid intemperantia, quid auaritia, quid ira, quid superbia, quid cætera mea? Postremò æquissime, fugientem à me, confugientem ad te, postea cum meis quibus renunciauerat apprehendi, inuasorem destinui. In ipsa quodammodò mea possessione, à me apprehensus est. Quid enim in circo faciebat, atque ibi furias, lites, insanas voces, inanésque victorias, cum iam à se alienus sibimet videbatur? Quid in theatro faciebat renuntiator turpium voluptatum? Quid in Amphitheatro crudelitates sæuas oculis suis intuendo? Thesaurizauit sibi iram in die iræ: Hæc omnia mea post renuntiationem inuasit, meus esse voluit, & mea concupiuit. Iudicà iudica æquissime, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodùm voluit obligare.]

Nyssenus Orat. 5. de beatitudinibus, suspensis omnibus metu futurorum, & bonis & malis, inducit misericordem, ab occursu interuenientium pro eis egenorum, causa superiorem euadere; immiserictordem verò cadere causa. [Quid igitur (inquit) si benefactor in tempore inquisitionis agnitus sit ab iis qui beneficio eius vsi fuerint, quomodò verisimile est, eum dum incundis & gratis vocibus coram Deo omnis creaturæ accipietur, atque celebrabitur, animo affectum iri? Numquid aliqua alia beatitudine insuper opus habebit, qui in tam frequenti theatro, ob res optimas quasi præconis voce celebretur? Nam quod adsint qui beneficium acceperint, docet Euangelij vox vbi Rex & iustis est peccatoribus, respondet. Ad vtrosque enim demonstratiuis verbis vtitur, tanquam digito indicans subiectum: *Quatenus fecistis vni ex his fratribus meis minimis*. Per hoc enim quod dixit, *ex his*, eorum quibus benefactum fuerit præsentiam ostendit. Dicat nunc mihi qui inanimam pecuniarum materiam futuræ beatitudini præfert; quis auri splendor eiusmodi? qui pretiosorum lapidum fulgores? quis indumentorum ornatus talis, quale bonum illud esse, spes suggerit, atque proponit? Cum Rex creaturæ in sublimi solio gloriæ magnificè præsidens, humanæ naturæ sese reuelauerit, & conspiciendum præbuerit? Cum circùm ipsum innumerabiles Angelorum visæ fuerint legiones, atque adeò cum in oculis omnium fuerit arcanum & ineffabile illud regnum cœlorum? Ac rursus ex contrario demonstrata fuerint terribilia illa supplicia? In medio verò horum, omnis hominum natura, qui à prima creatione vsque ad rerum vniuersarum consummationem nati fuerint, tum metu, tum spe futurorum stet suspensa atque sollicita, in vtramque partem euentus expectatione sæpè tremens: atque etiam iis qui cum bona conscientia vixerint, futurum rei euentum suspectum habentibus? Cum aliòs viderint à praua conscientia in horridas illas ac tetras tenebras tanquam ab aliquo carnifice trahi? si hic faustis pariter ac gratis ab iis qui beneficia acceperint, edictis vocibus atque acclamationibus fiducia operum magnificus ac splendidus iudici se sistat; nunquid similem ac parem materialibus diuitiis, felicitatem ac beatitudinem

illam esse existimabit ? Numquid montes omnes,& campos,& saltus,& mare in aurum transmutata, pro illis bonis sibi cedi ac tradi pacturus sit ? Ille verò qui diligenter, signaculis & claustris ferratisque portis, & tutis conditoriis mammonam absconderit, & omni mandato antiquius magisque curandum duxerit,vt materia sibi in occulto defossa atque congesta esset; si is, quam, præceps in tenebrosum illum ignem detrudatur : omnibus iis qui per hanc vitam experti fuerint, sæuitiam & inhumanitatem ei obiicientibus & dicentibus; *Memento quod receperis bona tua, in vita tua.* Concluſisti simul in munimentis diuitiarum misericordiam, & reliquisti super terram miserandi affectum:portasti ad hoc seculum humanitatem ; non habes quod non habuisti non inuenis quod non deposuisti : non colligis quod non dispersisti:non metes quorum non deiecisti semina : digna sementi tibi messis acerbitatem seminasti, collige manipulos : coluisti immisericordiam, habe quod dilexisti. Non aspexisti quenquam condolenter ; non aspicieris cum miseratione. Despexisti cum qui affligeretur;despicieris dum peribis. Fugisti misericordiam ; fugiet te misericordia. Abominatus es,& fastidisti egenum ; fastidiet te qui propter te egenus fuit. Si hæc atque similia dicantur, vbi aurum ? vbi splendida vasa ? splendida supellex ? vbi per signacula, thesauris adhibita cautio.]

Verùm hæc omnia ita sunt accipienda, vt postulat negotium in quo versamur, & spectato iudice Christo, vt iudicandorum multitudine ac varietate. Aio igitur, vnicuique quidquid benè maléve fecerit, dixerit, cogitarit deliberatè, fore manifestandum in diuina. Quæ causa est, cur sanctus Gregorius 10.moral. cap. 31.Christum velit dictum *lampadem hic contemptam, sed paratam ad tempus statutum*, quia exuret, & illuminabit abscondita vniuscuiusque. Nec cuique tantùm sua merita vel demerita propalanda ; sed cuilibet alterius cuiusuis & interna & externa opera fore reuelanda, & patefaciendum omnibus quam quisque facti sui meredem reportet, & quam ob causam ; liquet ex iis quæ exempli gratia proponuntur Matth. 25. vbi aliqui dicuntur damnandi,alij beandi ; praeter opera misericordiæ. Non quod hæc sit adæquata salutis vel damnationis causa : Plerique enim ea opere sine peccato omiserint, (vt specialiter quoad hoc pro Religiosis notat Rupertus lib. 9. de oper. Spir. sancti cap. 14.) Sed quod in nonnullis ita sit futurum. Et id circò exempli gratia sint proposita ea opera, vt intelligamus patefaciendam in Christi examine causam sententiæ ferendæ.

### *Omnes aliis quoad omnia patebunt, Malorum inde confusio ; & bonorum gloria.*

672 Quod assumpsi, omnes aliorum notitiam habituros in iudicio, latè confirmatur à S. Damasceno sub finem Orationis de defunctis. Locus est, ex plerisque Patrum locis in eam rem adunatis, contextus ; quem proinde fuerit perinde describere, ac varia Patrum loca corrogare. [Neque hoc (inquit Damascenus,) quisquam existimet quod in tremenda illa concione, inter nos ignoti simus futuri. Næ profecto vnusquisque proximum agnoscet, non corporis habitu, sed perspicaci mentis oculo. Vnde hoc adstruemus, petis ? Audi Dominum Christum in parabola pauperis Lazari id manifestè docentem,cum inquit ; *Dives eleuatis oculis agnouit pauperem Lazarum in sinu Abrahæ Patriarchæ sedentem.* Similiter autem & Abraham. Et ne quis dicat quia parabola sit,propterea minùs satis comprobatum quod propositum fuerat;sciat diuinas Saluatoris nostri parabolas, rerum esse existentium, sicut in eis contentæ sunt & demonstratæ. Quare sicut ait Ioannes Chrysostomus, non eos solùm quos hîc nouimus, sed etiam quos nunquam vidimus, cognoscemus. Etenim neque Abraham vidisti, neque Isaac, neque Patriarchas: Sed vbi in generali tremenda illa congregatione videris & cognoueris, dices;Ecce Abraham, & Isaac, & reliqui Patriarchæ. Ecce Petrus, & Paulus, Apostolique omnes : Ecce Dauid pater Dei, & Prophetarum Cunei : Ecce Præcursor Ioannes,& Stephanus Protomartyr, & sanctorum multitudo. Ad hæc iterum ait celebratus ille in sacris disciplinis Basilius, ad auaros loquens ; Num ante oculos proponi Christi tribunal ? quoniam quotquot à te iniuria affecti, circunstabunt & inclamabunt te ; Quo tunc imaginibus iniquitatum tuarum manifestè visis, vertes oculos ? Hinc pupillos, inde viduas, vtrinque pauperes à te oppressos, famulos quos contristasti,vicinos quos exacerbasti,& reliqua per ordinem. Beatus item Ephrem,diligentissimus prædicator secundi aduentûs Christi, sic docet ; Tum filij parentes suos condemnabunt, quia bona opera non fecerint, & in hac hora nostros suos vident miseri. Et si quos cernant ad dextram partem inductos separari, comploratorias lamentationes eiulant. Et rursus qui Theologi cognomentum obtinuit ; Tunc (inquit) te Cæsarium videbo fratrum charissime, fulgidum, glorioſum,exultabundum : qualis scilicet & mihi per somnium apparuisti. Accedit ad hos Athanasius ille, vita & sermone circumspectus, Ecclesiæque Dei fundamentum, de iis qui in Domino mortui, sic dicens : Hoc etiam Deus iis qui saluantur concessit, vt animæ eorum vsque ad diem resurrectionis conueniant & collætentur, expectantes diuina munera sibi distribuenda, qua consolatione peccatores priuati sunt. Virtutem enim qua se mutuum cognoscant, non habent. In illo autem omnium populorum theatro, sicut opera omnium reuelabuntur,ita & personæ omnibus erunt cognoscibiles, donec extrema omnium separatio fiat, & vnusquisque in locum quem præparauit, dimittetur. Et iusti quidem cum Deo agent, & inter se : peccatores verò in extremis locis, & inter se ipsi quoque, non tamen mutuum se agnoscentes : Nam & hac consolatione destituti sunt.Qualis autem(obsecro,)confusio esset, nisi qui confunduntur, noscantur ab omnibus? Tunc enim grauis & maxima erit ignominia, cum quis noscet omnes, & noscetur ab omnibus. Quisquis enim erubescit, ab iis erubescit qui se nouerunt. Equidem notus qui confunditur, inter ignotos non erubescit. Indubitatum igitur & citra controuersiam est, mutuum nos omnes agnituros : & ante oculos cuiusuis patebit,

patebit, quàm honestè vnusquisque vixerit.] Vides in iudicio extremo, & actiones omnium, & personas omnes fore cuiuis peruias, iuxta Damascenum,& Patres quos allegat.

673 Optimè idem tradit Rupertus lib. 9. de operibus Spiritus sancti cap. 18. [Quæstioni difficiliùs(inquit) respondeti posset,si existimaremus sic ibi interrogandum, & sic respondendum,sicut hìc interrogamus, & sicut respondemus. Si ita putaremus, risum sapientibus faceremus, consequens esse dicentibus,vt vnus homo apparens in nubibus, sedens in maiestate sua, Rex magnus, ore grandi, vocem suam elementarem sic magnam faceret, vt eam in toto mundo, vel de toto mundo congregatæ audirent & intelligerent omnes gentes. Nunc autem scimus & scire debemus, quia non verbis aut voce elementari, sed cogitationibus latere non valentibus, & certissimè concurrentibus iudicium omne perficietur;testante Apostolo,cum dicit; *Qui ostendunt opus legis, Scriptum in Cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die cum iudicabit Deus occulta hominum secundum Euangelium meum, per Iesum Christum.* Ergo interrogatio illa dicentium,*Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus; sitientem, & dedimus tibi potum* &c. Cogitatio erit & conscientia tripudians in manifesto cordis, attoniti, atque admirantis, quid si quod videt & audit.] Idem subdit de auditione mala.

Hi ergo apparebunt stigmatis Satanæ notati, vt pulchrè prosequitur Eucherius hom. 10. de Paschate. Alij gloriosè nitentes operibus bonis: vnde summa existet malorum confusio, & bonorum gloria, quando vtique in conspectu tantæ multitudinis, & in tam amplo Concilio retegentur palam. Egregiè id attigit idem mellitissimus scriptor hom. 1. de Ascensione, his verbis. [Quamdiù in hoc corpusculo positi sumus,conceditur nobis scissa redintegrare,maculata diluere, vulnereta sanare. Quicquid autem hìc non redemerimus mortifera securitate decepti, integrum nobiscum insanabili cum dolore reportabimus, ad sanctorum præsentiam, atque ad ipsam tremendi iudicis maiestatem. Et quid de nobis erit, si cum talibus ornamentis processuri sumus in illum conuentum omnium Sanctorum?Qui dies ille?quæ trepiditatio;quæ terræ & cœli spectatio erit, cum inter aliorum præclara gesta, & illustria merita,aliorum probra & dedecora perferentur? Et quid grauius? quid intolerabilius? quàm si illo tempore malorum ignominia reueletur, quo bona gloria manifestabitur?Multo enim inuidiosiot & damnabilior erit causa criminum, sub assistentium comparatione virtutum. Quid erit terroris? quid miseriæ? quid mœroris, quando sub illo admirabili Apostolorum Martyrúmque Concilio, sub illo Angelorum sydereo ac præfulgente confessu, cum rubore, veterum delictorum diuersis tetra maculis anima producetur? Quando lætissimam iniquitatum suarum, confusibilémque vitæ totius historiam ante oculos suos videbit exponi, vt illam inaudita clamantium vox, malorum conscientia obmutescente & deficiente condemnet?]

674 Breuiter S. Chrysostomus hom. 10. in primam Corinth. [Christi tribunal censeamus adesse, vt vnusquisque suam conscientiam diiudicet,& iam cogitet adesse iudicem,omniáque reuelari, & in medium adduci. Non enim solùm nos assistere oportet,sed & reuelari.Numquid obstupuistis?Si autem nunc, cum nondum res agitur, sed solùm proponitur, & in cogitatione effigiatur, à conscientia perimus, quid faciemus quando aderit.] Plurima in hanc rem ex variis Patribus protuli in Moràli, Distinctione 4.num.429. ibi legenda. Videndus quoque S. Ephrem Tomo 1. tractatu 70. & duobus sequentibus perbreuibus; sunt enim potiùs responsa ad quædam quæsita de iudicio extremo.

Aliam malorum confusionem, & è contrario seruata proportione, aliam bonorum gloriam, inde etuere possumus, quod Sancti ita omnibus patentes erunt honori Christo Domino, qui de eis multo potiore iure, quàm S. Paulus de iis quos Christo pepererat gloriari poterit, tamquam de gaudio & corona sua. Ex impiis autem & eorum apud omnes prostantibus iniquitatibus, quantum in ipsis fuit,opprobrium in Christum refundetur, & ingens gaudium Diabolo creabitur. Egregiè omnino id prosequitur S. Basilius in regulis fusiùs disputatis ad quæst. 2.*sub finem*,vbi recensitis insignibus Dei in hominem beneficiis; iis præsertim quibus Verbum in carne prodiens, hominem onerauit, concludit;[Quæ omnia quandocumque mecum ipse considero, (vt planè quod euenire mihi in animo sentio, apud vos etiam enunciem) terribilis me quidam cum mentis consternatione horror inuadit;metuentem videlicet, ne si aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, à Dei charitate deiectus,Christo dedecori sim. Qui enim assiduè nunc suis nos artificiis circumuenire, & mundialis istius vitæ illecebris inescans,omni conatu efficere studet vt datorum nobis à Deo beneficiorum Deique ipsius memoriam ex animis nostris reuellat, is vbi hinc migrauerimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans, vehementissimèque insectans, contemptionem Domino nostram contumeliosè exprobrabit, contumaciáque ac defectione ab ipso nostra, gloriandi materia aduersùs illum vtetur;quod videlicet cum nos ipse neque creârit, neque pro nobis mortem subierit, sibi tamen spretis, contemptísque Dei præceptis, obsequentes habuerit. Equidem istam ego futuram aduersùs Dominum contumeliam opprobrationem ac dedecus, & insolentem hostis gloriationem, grauiora longè esse statuo, quàm ea quæ sunt in gehenna supplicia; materiam videlicet nos aduersario Christi, gloriosiùs sese aduersùs illum efferendi extitisse, qui conciliandæ nobis causa salutis, & mortuus sit, & resurrexerit;cui etiam vel hac gratia, maiorem in modum debitores sumus.]

### *Omnium ad omnes manifestatio, scrutatio in lucernis*

675 Et bonorum igitur & malorum opera,dicta, & cogitata libera omnia,nuda & aperta omnibus erunt, scrutante iudice in lucernis facta vniuscuiusque. Ea enim metaphora,Scripturæ exquisitam materiæ discussionem designant. Et hìc quidem, omnia propè fium in

abſcondito, & cœcis conduntur tenebris; vnde plerique videntur pij ac probi, qui reuera ſunt impij. Tunc autem accenſo lumine, omnia patebunt. Proſequitur perelegantèr eam Metaphoram Ricardus Victorinus tract. de iudiciaria poteſtate; Tum concludit. [De his lucernis Dominus minatur, vbi per Prophetam loquitur. *In tempore illo, ſcrutabor domos Hieruſalem in lucernis. Hieruſalem* idem ſonat quod *viſio pacis.* Domus itaque Hieruſalem, ſunt conſcientiæ ſecuræ; nam hæ ſunt quæ videntur internam pacem habere. Quid igitur fiet de domibus Babylonis, quando domus etiam Hieruſalem ſcrutandæ ſunt cum lucernis? Quid erit de conſcientiis turpibus & deſperatis, ſi confidentiæ præſumptio tollitur etiam malè ſecuris? Domus itaque Hieruſalem à Domino perſcrutandæ perhibentur, quia in illis etiam conſcientiis quæ ſecuræ ſibi videbantur, nihil occultum, nihil indiſcuſſum relinquetur, quod à veritatis lumine non arguatur. Hoc autem domorum ſcrutinium cum lucernis, ſe Dominus facturum perhibet, quia latebroſarum etiam cogitationum vel voluntatum iudicium, illorum vtique miniſterio faciet, quos ſumma veritatis intelligentia ad omnis iudicij examen intimè illuminauit. Splendor ergo quidam diuini luminis, de perfectorum cordibus radiabit; qui vnicuique vniuerſa quæ in corde ſuo bona vel mala latebant, manifeſta viſione denudabit. Cogita igitur quomodò nunc ad huius corporeæ lucis infuſionem eorum quæ in domo ſua ſunt ſtatim omnia circumſpicit, & non ſolum quantitatem, ſed qualitatem rerum, ſub vno & ſimplici aſpectu deprehendit. Conſtat autem lucem illam incorpoream multo præſtantiorem multo efficaciorem in genere proprio, quàm iſta ſit vel eſſe poſſit in genere ſuo. Parum itaque eſt quod dixi, quod radius ille incorporeus plenè demonſtrat ſingulos ſibimet ipſis; imo & ſibi, & aliis.]

### *Item librorum apertio ac lectio.*

676 Idipſum Scripturæ ſæpè tradunt ſub metaphora apertionis libri vt Danielis 7. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Et Apocal. 20. *vidi mortuos*, qui ſcilicet mortui fuerant, *magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ, & iudicati ſunt mortui ex iis quæ ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum.* Quem locum S. Auguſtinus 20. Ciuit. cap. 14. Egregiè in hunc modum enucleauit. [*Libros* dixit eſſe apertos, & *librum.* Sed librum cuiuſmodi ſit non tacuit; *qui eſt* (inquit) *vitæ vniuſcuiuſque.* Ergo illi libri, quos priore loco poſuit, intelligendi ſunt ſancti, & veteres & noui, vt in illis oſtenderetur, quæ Deus fieri ſua mandata iuſſiſſet. In illo autem qui eſt vitæ vniucuiuſque; quid horum quiſque non feciſſet, ſiue feciſſet. Qui liber ſi carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem aut longitudinem valeat æſtimare? Aut quanto tempore legi poterit, liber in quo ſcriptæ ſunt vniuerſæ vitæ vniuerſorum? An tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit; vt & vitam ſuam quiſque ab Angelo ſibi adhibito audiat recitari? Non ergo vnus liber erit omnium, ſed ſinguli ſingulorum. Scriptura verò iſta vnum volens intelligi *& alium* (inquit) *liber apertus eſt.* Quædam igitur vis eſt intelligenda diuina, qua fiet, vt cuique bona opera ſua, vel bona vel mala cuncta, in memoriam reuocentur; & mentis intuitu, mira celeritate cernantur: vt accuſet, vel excuſet ſcientia, conſcientiam: atque ita ſimul, & omnes, & ſinguli iudicentur. Quæ nimirum vis diuina, *liber* nomen accepit. In ea quippe, quodammodo legitur, quicquid à faciente recolitur.] Complexus his paucis eſt ſapientiſſimus Pater, quæ diffusè alij de his libri ſcripſere; ſiue abſolutè tractantes libros hos iudiciales, vt Thyræus lib. de iudicio vniuerſali cap. 17. Pererius lib. 15. in Daniel. Sanctius in cap. 7. Danielis num. 85. Siue conferentes eos cum libro vitæ ſeu catalogo electorum Dei de quo libro, fusè Theologi 1. parte, tractando prædeſtinationem, & Ribera cap. 4. Apocal. ad verſ. 5. ac ibidem Alcazar & Pererius: & qui de quintuplici vitæ libro multa promiſcuè tradit. Sixtus lib. 2. Biblioth. V. *vita liber.*

Eam porrò confuſionem, quàm impiis ex contraria ſanctorum vita obuenturam dicebam, librorum quoque apertione & lectione expreſſam cenſuit S. Gregorius 24. Moral. tractans illud, *reſpiciet homines, & dicet peccaui*, quod ſic Gloſſat. [Viua lectio eſt vita bonorum: vnde & non immeritò iidem iuſti, in ſacro eloquio *libri* nominantur, ſicut ſcriptum eſt; *Libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ & iudicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta erant in libris.* Liber namque vitæ, eſt ipſa viſio aduenientis iudicis. In quo quaſi ſcriptum eſt omne mandatum, quia quiſquis eum viderit, mox teſte conſcientia, quicquid non fecit intelligit. *Libri* etiam *aperti* referuntur, quia iuſtorum tunc vita conſpicitur, in quibus mandata cæleſtia, opere impreſſa cernuntur. *Et iudicati ſunt mortui, ex his quæ ſcripta erant in libris*, quia in oſtenſa vita iuſtorum, quaſi in expanſione librorum, legunt bonum quod agere ipſi noluerunt; atque ex eorum qui fecerunt comparatione, damnantur.]

### *Nullus inde rubor ſanctorum, aliquando iniquorum.*

677 Quamquam autem in his libris, legentur quoque probra anteriorum ſanctorum, etiamſi malè id negent Magiſter in 4. diſt. 43. Viguerius in Inſtit. cap. 21. §. 3. ver. 8. Somnius Tractatu de extremo iudicio cap. 6. (Nam Scripturæ apertè ferunt omnia eſſe tunc pandenda, & omnia adducenda tunc eſſe in iudicium, nec repugnat D. Auguſt. 17. Ciuitatis cap. 4. *in fine*, cum ſola extrema terræ iudicanda ait, ideſt extremum vitæ hominis ſtatum, fore ſalutis vel damnationis cauſam pronuntiat: Id enim rectè cohæret cum detectione anteriorum, iámque ante abolitorum probrorum:) Tamen id nullo modo erit rubori electis, ſiue tunc in iudicio, ſiue per totam æternitatem: qua idem proprie & alienæ anteriorum meritorum ac demeritorum conſpectus patebit, quod S. Anſelmus egregiè planè expreſſit, ſerm. de beatitudine, ex quo placet aliqua adſcribere. Dixerat; [Ibi à ſingulis omnes, ibi ab omnibus ſinguli cognoſcentur nec

nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe, quis editus fuerit, vel quid in vita fecerit.] Aduersùs hoc, obiicit sibi S. Anselmus. [Hic fortassis ait aliquis, quid est hoc? peccata quæ feci, scient omnes? Ad hoc ea confessus sum vt declarentur, vt obliuiscerentur, vt nulli ampliùs panderentur.]

Diluit eam obiectionem in hunc modum. [Benè; sed cum tu illa gloria ab omni criminis sorde purgatus, vultui Dei præsens astiteris, ingratusnè ei esse poteris pro tanta misericordia, quam tibi fecit, remissis illis delictis tuis? Et vnde gratias ages, si nihil eorum, vnde illas iure debeas, in tua memoria habes? Vt igitur in illius laudibus æternaliter iucunderis, semper de quanta sis miseria erutus, (vt puto,) coram habebis. Cum ergo singulorum conscientiæ singulis pateant, fateri audeo, ea quoque cunctis patere, pro quorum curatione, tu Deo iugiter gratiosus existes; non ad tuam confusionem, sed ad magnam Dei glorificationem, tuámque gratulationem. Nec enim tunc pro peccatis suis te maior cordis angustia premet, scelerumque tuorum magis pudebit, quàm aliquem magnis olim vulneribus saucium, iamque omni ex parte sanatum, aboliti langoris molestia premit; vel eorum quæ in vta positus infans egerat, nunc grandæuum pudet. Tunc quippè, cum integra sanitas, perfecta munditia, plena remissio, secura omnium offensionum impunitas tibi certò arriserit, cognitio eorum qui magis horrori tibi valebit, quàm est modò beatissimo Apostolorum Principi Petro, quia Christum negauit, abiuratio sua, Beato Paulo qua persecutus est immanitas sua; Beatæ Mariæ Magdalenæ, peccata sua, & multis aliis, multa quæ sciuntur iam donata, crimina sua? verùm super hoc agnitis delictis, velut enormi, ac fœda infirmitate tua, pietas, virtus, ac sapientia medici qui te sanauit, sublimius à cunctis admirabitur, laudabitur, magnificabitur. Laus autem & magnificentia, Deo gloriæ, tua si benè aduertis, gloria est. Sed dices; Equidem consentio, laudem Dei, gloriam meam esse. Verum cùm hinc indè, tot & tot ad comparationem mei innocentes prodeant, qui consideratis vitæ meæ obscœnitatibus, me omnino, sicut æquum erit, horrori habendum iudicent, quid dicam? Iustitia nempe suum, & suum iniustitia præmium exigit. In his frater, nolo timeas, aliter erit quàm existimas. Illum siquidem quem tu tibi comparatum, iudicas penitus innocentem, non ibi reperies, de te quemadmodùm æstimas sentientem. Namque videns te ille, quo de agis, planè intelligit te nequaquam se sed Deum quamlo peccasti offendisse. Cum ergo viderit Deum tibi sua debita funditùs dimisisse, nec in cor tibi ascendet, vt te deinde aliquatenus iudicet. In hoc enim ipso Deum se offendere cognosceret, si te Deo per omnia reconciliatum, pro iis quæ olim feceras, vllatenus contemnendum cogitaret. Magis autem gratiosus admirabitur ineffabilem Dei clementiam, non solùm in te, sed & in se. In te, quia de tam profundo iniquitatis eripuit te. In se, quia sola gratia eius, ne in idem profundum rueres, tenuit. Te laudando igitur magnificabit, in te post gratiam Dei, vim atque constantiam, quibus enitens voraginem tanti mali viriliter euasisti quàm iuxta quod ipse considerabit, si derelictus à Deo simili modo incurrisset, non ita forsitan euasisset. Vides igitur quàm nihil imperij, vulgata cognitio peccati tui, immo quàm multùm laudis, & gratiarum, cognita remissio sui generabit.] Subscribunt huic doctrinæ, Scholastici in 4. dist. 43. vbi D. Thomas, & Bonauentura, passimque alij. Item Soto in 4. dist. 47. quæst. 2. art. 3. Suarez Tomo 2. 3. Partis disp. 57. sect. 7. Ioannes Sanchez disp. 7. num. 7.

### *Propalanda quoque, iusta Dei iudicia.*

678 Porrò non modò merita & demerita singulorum fore tunc manifestanda, sed etiam rectitudinem antea incertorum & ocultorum iudiciorum Dei propalandam fore omnibus, S. Augustinus docet. [Cum ad illud Dei iudicium veneritimus, cuius tempus iam propriè *dies iudicij*, & aliquando *dies Domini* nuncupatur, non solùm quæcumque tunc iudicabuntur, verum etiam quæcumque ab initio iudicata, & quæcumque vsque ad illud tempus adhuc. Iudicanda sunt, apparebunt esse iustissima. Vbi hoc quoque manifestabitur, quàm iusto iudicio Dei fiat, vt nunc tam multa, ac penè omnia iusta iudicia Dei, sensus mentésque mortalium lateant, cum tamen in hac re, piorum fidem non debeat iustum esse quod latet.] Electis tamen Dei, multo plura, & dilucidiùs monstrabuntur hac in parte. Quod pulchrè tradit apud D. Augustinum Auctor libri de triplici habitaculo c. 4. quem S. Bonauentura citat nomine S. Fulgentij; iuxta quem. [Dabitur iustis omnibus assidua lectio libri vitæ, id est æternæ veritatis & summæ sapientiæ, & Verbi Dei, quæ est Christi Iesu visio; vbi quicquid nos nunc latet, manifestum erit. Vbi ratio manifesta est, cur hic electus est, & iste reprobatus; cur hic in regnum assumptus, & ille in seruitutem redactus; cur alius in vtero moritur, alius in infantia, alius in iuuentute, alius in senectute. Cur alius pauper, & alius diues. Cur filius adulteræ baptizatur, & aliquando filius legitimæ coniugis, ante baptismum moritur: Cur qui benè incipit viuere, aliquando malè finit, & qui malè incipit, sæpè benè finit. Hæc omnia, & huiusmodi multa, in libro vitæ, plana & aperta omnibus erunt.]

### *Discussio, & manifestatio praedicta aut momentanea, aut perbreuis.*

679 Hæc omnia, tametsi adeò vastam & propè immensam, attenta iudicandorum multitudine, materiam complectuntur; tamen breuissimo tempore, aut in momento manifestabuntur, roborante Deo singulorum vires intellectiuas, vt ad tam amplum obiectum simul & semel perspiciendum, possit assurgere. Fateor incertum Diuo Augustino visum, lib. 20. Ciuit. cap. 1. quamdiu protendendum sit iudicium. Sic enim scribit. [Quod in confessione ac professione tenet omnis Ecclesia Dei veri, Christum de cœlo esse venturum ad viuos ac mortuos iudicandos hunc diuini iudicij vltimum diem dicimus, id est nouissimum tempus. Nam

per quot dies hoc iudicium tendatur, incertum est. Sed scripturarum more sanctarum, *diem* poni solere pro *tempore*, nemo qui illas literas quamlibet negligenter legerit, nescit.] Sic igitur D. Augustinus. Tamen breui admodùm tempore perficiendum esse iudicium, receptissima est Doctorum sententia, à Richardo Victorino Tractatu de iudiciaria potestate *sub finem*, latè illustrata. Eámque Thyræus lib. de vniuersali iudicio cap. 19. num. 56. quibusdam Scripturis confirmat, quæ non videntur ad rem facere: cuiusmodi est, quod 1. Thessal. 5. aduentus Domini comparatur furi. Et quod Matth. 24. confertur cum fulgure, quod vno momento ab Oriente in Occidentem relucet. Verùm hæc omnia, ad improuisum potiùs & inexpectatum Christi aduentus definitum ac certum diem pertinent, quàm ad tempus intra quod iudicium est peragendum.

Ex eo tamen quod Scripturæ toties prodant, confirmentque Patres, tempore iudicij Christum exacturum esse rationem etiam de otiosis verbis, & scrutaturum omnes in lucernis, ac positurum rationem cum eis; quæ constat si successiuè & pedetentim peragerentur, vix multis seculis esse perficienda, rectè colligitur, omnem illlam discussionem causarum, & omnia ad sententiæ prolationem præuia, vel momento, vel per breui admodùm tempore esse consummanda. Audi Origenem Tractatu 7. in Matth. [Omnes nos, præsentari oportet ante tribunal Christi vt reportet vnusquisque propria corporis, provt gessit, siue bonum siue malum: & adducetur ad rationem etiam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, vel si quis aliquando potauerit aliquem calice aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli. Hæc autem non sic dici putamus, quasi opus habentia multo tempore, vt ponatur nobis ratio de omnibus actibus vitæ nostræ: vt suspicio sit Rege ponente singulis in tanta seruorum multitudine rationem, ne fortè res ipsa necessarium habeat longum tempus, quoad vsque ad finem perueniant omnia, quæ ab initio mundi vsque ad consummationem seculi, non vnius, sed multorum seculorum sunt gesta ab omnibus. Sed non est ita. Volens enim Deus ventilare omnium mentes, vt vnusquisque sentiat proprios actus bonos vel malos, citò omnia ab omnibus omni tempore gesta, singulis quibusque faciet in mente ineffabili quadam virtute. Nec enim sicut nos volentes in mente facere alicui ea quæ fecit, opus habemus tempore sufficienti ad consummationem eorum quæ dicuntur à nobis, & in memoriam rediguntur; Sic & Deus opus habet tempus, volens nobis in mente facere omnia quæ gessimus in vita, & cognoscentes vniuersa quæ fecimus, intelligamus propter quæ, aut punimur aut honoramur. Si quis autem celeritati diuinæ virtutis, circa hæc omnia consummanda non credit; hic nondum intellexit Deum, qui omnia fecit, & non indiguit spatio temporis alicuius ad faciendam, cœli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt, creaturam. Nam etsi videtur in sex diebus fecisse omnia Deus, maximè quia dicit, *hic est liber generationis cœli & terræ qua die facta sunt cœlum & terra*; audendum est tamen & dicendum, quoniam tempus futuri iudicij non opus habebit spatio temporis; sed sicut resurrectio dicitur futura *in momento, in ictu oculi*, sic puto & iudicium fore.]

*Ex tanta discussionis claritate, omnium excusationum, & subterfugiorum præclusio.*

680 Quia autem visio meritorum & demeritorum, erit intuitiua & clara, agnoscentibus omnibus distinctissimè, quid ipsi quid alij quique, liberè fecerint, dixerint, cogitarint; non patebit locus, vel excusationi peccatorum, vel calumniæ bonorum. In hac enim vita, peruertuntur sæpè iudicia, tergiuersante reo, & negante malum quod fecit: eo quod obseratis hominum pectoribus, non liceat iudici, eò demittere oculos, nec conuinci possit reus apud iudicem, & eos quos iudici conscios esse oportet. Et è contrario boni actus, quia latet intentio qua fiunt, vocantur plerumque in inuidiam, & criminationi patent. Nihil horum in Christi extremo iudicio habebit locum, quia Deus perspicuè & clarè manifestabit consilia cordium, & illuminabit abscondita tenebrarum, statuetque reum ante faciem suam; quod à D. Bernardo serm. de conuersione ad clericos cap. 2. de iudicio huius vitæ insigniter expressum, multo magis valet pro futuro iudicio. [*Initium* (inquit,) *loquendi Domino*: & hoc verbum ad omnes qui conuertuntur ad cor præcessisse videtur, & non modò reuocans eos, sed reducens & statuens contra faciem suam. Est enim non tantùm vox virtutis, sed & radius lucis, annuncians pariter hominibus peccata eorum, & illuminans abscondita tenebrarum. Nec verò vlla interna huius vocis ac lucis differentia est, cum vnus idémque sit Dei Filius, & Verbum Patris & splendor gloriæ, sed & animæ quoque substantia, in suo quidem genere etiam ipsa spiritualis & simplex, sine vlla distinctione sensuum, sic tota, si tamen tota dicenda est, vt & videns pariter & audiens videatur. Quid enim illo agitur siue radio, siue verbo, nisi vt nouerit semetipsam? Aperitur siquidem conscientiæ liber reuoluitur misera vitæ series, tristis quædam historia replicatur, illuminatur ratio, & euolata memoria, velut quibusdam eius oculis exhibetur. Vtraque verò non tam ipsius est animæ, quàm anima ipsa; vt eadem sit & inspiciens & inspecta: contra suam statuta faciem, & à violentis quibusdam appatitoribus immissarum vtique cogitationum, coacta proprio interim iudicanda assistere tribunali.]

Et ad hoc quoque, Scripturæ librorum metaphoram adhibent. Sicut enim erunt libri iudicandorum, qui tunc omnibus patebunt, ita aperientur libri iudicum, qui erunt velut libri decretorum & canonum, vnde omnes iudicentur. Confert scitè omnino vtrosque illos libros, & quomodò sint aperiendi egregie explicat, Richardus Victorinus Tractatu de iudiciaria potestate, his præter cætera. [Quid itaque sunt iudicandorum conscientiæ, nisi quædam (vt sic dicam,) actiones scriptæ? Quid verò sunt iudicantium corda diuinitùs in omnem veritatem edocta, nisi quædam quasi canonum decretæ? Ex hac gemina Scriptura, omnis sententia trahitur, vnde iudicandorum quilibet damnatur vel absoluitur. Iudicandos itaque, nihil aliud est

est actionum suarum libros coram iudicibus aperire, quàm conscientias illis non posse abscondere. Nihil verò aliud est, iudices in huiusmodi codicibus legere, quàm conscientiarum occulta, manifesta visione penetrare, & quo quisque merito polleat, vel sordescat, indubitanter agnoscere. Iudices autem coram iudicandis decretorum suorum libros aperire, est ad cordium suorum inspectionem, inferiorum quorumlibet visum admittere, sensúmque suum in his quæ ad iudicij rationem spectant, reuelare. Iudicandi verò dum in huiusmodi quasi canonum decretis legunt retributionis sententiam, sententiæque rationem quam quisque meretur inueniunt. Huiusmodi itaque Scripturam legere, hoc erit eis, iudicij sententiam accepisse.]

### *Sententia Iudiciaria, per Christum, & eius Assessores, Apostolos, ac Apostolicos viros.*

681 Præmissam operum manifestationem, excipiet iudicis Christi sententiam, quam Iustus Iudex vocali pronuntiatione adhibita feret, assidentibus Apostolis, & aliis Apostolorum exemplo Euangelica consilia amplexis; & idcirco ex Christi promisso, potientibus speciali participatione honoraria, auctoritatis iudiciariæ. Omnibus quidem sanctis commune erit, vt exemplo, & vitæ suæ contrapositione condemnent impios; ad eum modum quo Regina Austri condemnatura dicitur Iudæos, & omnes, quoque sancti iudicabunt nationes approbando latam à Christo sententiam, & contestantes quia vera & iusta sunt Christi iudicia. Eóque saltem modo, *iustitia conuertetur in iudicium*, vt S. Augustinus egregiè disserit 13. Trinit. cap. item 13. Tamen non his duntaxat modis, Apostoli & æmulatores consiliorum Euangelicorum iudicabunt cum Christo; tametsi primo duntaxat modo, hoc iudicandi participium Apostolis à Christo tributum exponit S. Chrysostomus hom. 65. in Matth. Nec nisi secundo modo, S. Ambrosius. Sed reuera plus voluit Christus, & peculiare ac præcipuum quod promisit Apostolis, & eorum imitatoribus Euangelica consilia professis; vt apertè liquet ex Matth. 19. & Lucæ 22. Hoc de Apostolis communi ferè suffragio recipitur, & à S. Machario hom. 6. *in fine* egregiè exponitur per iudiciariam potestatem Apostolis concessam in Ecclesiam militantem. Interrogatione enim proposita, quomodò Apostoli essent orbem iudicaturi, respondet; [ Hoc inuenimus impletum esse in terris, quando Dominus assumptus est in cœlos. Misit enim spiritum præclarum in duodecem Apostolos, & virtutem sanctam: quæ adueniens tentoria posuit, & sedit in thronis mentis ipsorum. Quia autem qui astiterunt, dicebant, musto expletos esse, tunc cœpit Petrus iudicare eos dicens de Iesu, *virum, potentem & verbis & prodigiis, vox crucifixistis suspendentes de ligno. Et ecce illic mirabilia facit, dirumpit lapides monumentorum, & suscitat mortuos. Scriptum enim est, in nouissimis diebus, effundam de Spiritu meo semper omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.* Quo circa multi à Petro instructi, ad pœnitentiam redierunt, vt fieret mundus nouus, & electus à Deo. Vides ergo quomodò apparuit initium iudicij: illic enim apparuit mundus nouus. Sic enim illis data est potestas sedendi in hoc mundo & iudicandi. Et licet futurum sit, vt sedeant & faciant iudicium in aduentu Domini in resurrectione mortuorum; tamen sic quoque id fit Spiritu sancto sedente in thronis mentis ipsorum.]

682 Immensum porrò honorem Apostolorum, qui in iudicio astantibus Angelis assidebunt iudici, prosequitur egregiè S. Chrysostomus hom. in Psal. 100. tractans illud. *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum.* Quod autem nonnullis quos refert ( eis vt videtur subscribens, certè plurimùm fauens, ) Tyræus lib. de iudicio vniuersali cap. 13. à num. 93. solos Apostolos iudicaturos contendunt, non est consonum prædictis Scripturis provt exponitur à SS. Patribus, quos inter Augustinus epist. 8. quæst. 4. & Petrus Damiani Opusc. 12. cap. 3. ac Beda in illud *sedebitis & vos.* Et S. Bernardus declamatione in illud *ecce nos relinquimus omnia*, qui insigniter hoc decus suspicit, *post medium opusculi.* Pulchrè S. Gregor. 6. moral. cap. 3. ad illud, *conterentur in porta*, sic scribit. [ Sicut vrbis aditus, *porta* dicitur: ita est dies iudicij, porta regni: quia per eum, ab electis omnibus ad cœlestis patriæ gloriam intratur. Vnde & hunc diem cum ad retributionem sanctæ Ecclesiæ Salomon appropinquare conspiceret, dixit; *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ.* Vir quippè est Ecclesiæ, humani generis redemptor, qui in portis se nobilem ostendit; qui despectus prius in contumeliis extitit, sed in ingressu regni sublimis apparebit. Qui cum terræ Senatoribus residet; quia iudicij sententiam cum sanctis eiusdem Ecclesiæ prædicatoribus decernet; & sicut ipse in Euangelio dicit; *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis, in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Quod Esaias quoque longè ante prænuncians, ait; *Dominus ad iudicium veniet, cum senioribus populi sui.*] Et 11. moral. cap. 29. *in fine* [ Statutum contempræ lampadis tempus, est extremi iudicij prædestinatus dies; quo iustus quisque qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur. Tunc enim cum Deo iudices veniunt, qui nunc pro Deo iniustè iudicantur. Tunc eorum lux tanto latiùs emicat, quanto eos nunc manus persequentium duriùs angustat. Tunc reproborum oculis patescet, quod cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia sponte reliquerunt. Vnde electis veritas dicit, *vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecem iudicantes, duodecem tribus Israël.* Neque enim plusquàm duodecem Iudices, illa interni consessus curia non habebit. Sed nimirum duodenario numero, quantitas vniuersitatis exprimitur, quia quisquis stimulo diuini amoris excitatus, hîc possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit; vt simul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicij, sese spontanea paupertate castigant. Hinc est enim quod de sanctæ Ecclesiæ sponso per Salomonem dicitur; *Nobilis in portis vir eius, quando*

*quando sederit cum Senatoribus terræ.* Hinc Esaias ait; *Dominus ad iudicium veniet; cum senioribus populi sui.* Hinc eosdem seniores, veritas non iam famulos, sed amicos denunciat, dicens: *Non iam dicam vos seruos sed amicos meo.* Quos nimirum Psalmista intuens, ait: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.* Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi gloriam qua calce calcarent, protinus addidit: *Nimis confortatus est Principatus eorum.* Ac nè paucos esse crederemus quos proficere vsque ad summam tantæ perfectionis agnoscimus, illicò adiunxit: *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot tunc in iudicio lampades coruscant.] Philippus Abbas pulchrè lib. de Iustitia Clericorum cap. 43. & Ioannes Nider lib. 3 de reformat. Relig. cap. 15. tractans duodecimum Religionis fructum, idem affirmant. vbendi plures apud Hieronymum Platum luculenter id tractantem pro more lib. 2. de bono statu religiosi cap. 17. Nec pauciora suffragari, pro hac prærogatiua tribuenda Martyribus monstraui in opere de Martyrio parte 4. cap. 6. à num. 23. & addendus est insignis locus ex Actis S. Timothei Martyris Remensis apud Flodoardum lib. 1. histor. Eccles. Remens. cap. 4.

Quod ergo, & Apostolis, & animi Apostolici personis concessum à Christo est, nisi Christi verba detorquere, & aliter quàm absque absurditate sonant, accipere gratis velimus, minuentes vel etiam tollentes datum à Principe priuilegium; fateri cogimur esse honorariam participationem iudiciariæ Christi potestatis, qua personæ ille à Christo assumantur ad simul ferendam sententiam: itavt intelligant ij in quod fertur, sibi talem sortem, cum iudicis Christi decreto, tum cæterorum prædictorum eius assessorum suffragatione atque sententia, obtingere.

### *Assidebunt ad eosdem eum Christo causas.*

683 Hic priusquàm vlteriùs progrediamur, monendum est, labi Origenem hom. 11. in Exod. *sub finem*, inter exponendum quod Moyses minora iudicia commisit aliis, quos sibi subdelegauit, maiores causas sibi reseruans. [Puto autem (inquit Origenes,) hanc ipsam figuram, non solùm in præsenti seculo Ecclesiæ datam, verùm etiam in futuro seruandam. Audi denique quid Dominus dicat in Euangelio; *cum sederit* (inquit) *filius hominis super thronum gloriæ suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Vides ergo quia non solùm Dominus iudicat, cui omne iudicium Pater dedit, sed & constituit sibi & alios Principes qui iudicent populum de minoribus causis; Verbum autem quod grauius fuerit, referant ad ipsum. Idcirco dicebat & Dominus de quodam quidem, *quia reus erit concilio*; de alio autem, *reus erit iudicio*; & de alio *reus erit gehennæ ignis.* Sed & de omni verbo otioso, dicimur præstituri rationem; Et non dixit, quia Deo præstabimus rationem: sicut de periurio dicit; *Reddes autem Domino iuramenta tua.*] Hanc Origenis opinionem, vides ex dictis concidere. Non enim Apostoli, & alij qui Christo assidebunt, de minoribus tantùm causis iudicabunt; sed easdem causas approbando decident, quas Christus attinget. Ridiculè autem ad rem præsentem trahitur factum Mosis, quam longè dispar sit causa; nec non dictum Christi de reis concilio, vel iudicio, vel gehenna, pro criminis varietate, quam solam designare Christus volebat. De verbis denique otiosis, non Deo, sed alteri cuipiam reddendam rationem, frustra comminiscitur Origenes: Iuramenta verò Deo reddenda accipit de iisdem discutiendis per Christum. Quæ omnia, friuola & planè inania sunt. Quare ratum esto, iudices assessores, de iisdem de quibus Christus ipse, esse iudicaturos.

### *Rectissima, & omnino ineuitabilis, Christi, & assessorum eius sententia.*

684 Ex horum assessorum Iudicum suffragiis, primarius Iudex Christus, sententiam in omnes congregatos feret. Et quidem sententiam iustissimam, quia ex perfecta cognitione causæ & cum potestate legitima feretur. *Non sunt tenebræ,* (aiebat Iob interprete S. Gregorio 25. Moral. cap. 4.) *& non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.* Quid per tenebras, nisi ignorantiam, & quid per vmbram mortis, nisi obliuionem studuit designare? De quorùndam quippe ignorantia dicitur; *Tenebris obscuratum habentes intellectum.* Et rursum de obliuione quæ in morte contingit, scriptum est; *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Quia ergo per mortem funditùs obliuioni traditur quicquid viuendo cogitatur, quasi quædam vmbra mortis obliuio est. Sicut enim agit mors interueniens non esse quod fuit in vita, ita interueniens agit obliuio, non esse quod fuit in memoria. Rectè itaque vmbra eius dicitur, quia velut de ipsa exprimitur, dum vim illius, sopiendo sensus imitatur. Deus autem quia mala hominum nec cogitata ignorat, nec perpetrata obliuiscitur, nisi ab eius oculis pœnitendo deleantur, congruè dictum est; *Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.* Ac si diceret; idcircò eius iudicio nullus absconditur, quia nullatenus potest, aut non videre quod facimus, aut obliuiscì quod videt.] Confert hanc ob causam S. Bernardus serm. 55. in Cantica Christum capreæ, cuius est acies perspicassissima. [Tu (inquit) qui aduentum desideras Saluatoris, hinc Scrutinium iudicis, hinc oculos capreæ, hinc illum qui per Prophetam dicit; *& erit in die illa, & ego scrutabor Hierusalem in lucernis.* Acuto visu est, nihil insertatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes, & corda, ipsáque cogitatio hominis confitebitur illi.]

Non quod in humanis iudiciis frequens est, sententia defectu probationum, aut purgationis sufficientis, feriet innoxium à calumniatore oppressum: sed is tantùm ferietur, qui peccauerit. Quò sanctus Gregorius 24. Moral. cap. 3. aptat illud Iobi 40. *mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.* Oculos capreæ, hanc rursus ob causam tributos iudici Christo, ait S. Bernardus serm. 73. in Cantica. [Quid ergo Dominus? (inquit) Ecce ego iudico inter

ouem & ouem, & hircos & arietes. Ecce ego iudico. Magna securitas. Ipse iudicat, securi sint boni. Iudicem ipsorum, nullus aduersarius corrumpit, nullus Aduocatus circumuenit, nullus testis illudit. Sed quantum securi sunt boni, tantum timeant mali, non talis iudicat, cui aliquid absconditur, nunquid enim Deus iudicans quæsturus est testes, per quos discat quis sis? Vnde potest falli quis sis, qui nouerat quis esses futurus? Te interrogat, non alium de te. *Dominus* (inquit) *interrogat iustum & impium.* Interrogat autem te, non vt discat à te, sed vt confundat te. Habetes verò talem Iudicem, quem nemo contra nos fallit, nemo pro nobis; sic agamus, vt eius iudicium venturum non timeamus, sed expectemus & desideremus.]

685 Frustra ibi tentaret quis Iudicem inflectere. Non enim accipit personam supplicis. Idque à Dauide prænuntiatum Psal. 94. tradit S. Chrysostomus hom. 5. de Pœnitentia verbis illis. [Luge peccatum, ne pœnam defleas. Responde Iudici, priusquàm in prætorium veniat. Aut ignoras eos qui Iudicem mitigare volunt, non ipso in examine causæ, sed priusquàm iudicij ingrediatur locum, beneuolum sibi faciunt, vel amico mediatore, vel Præsule, aut modo alio sibi iudicem conciliant? Igitur & Deo, non sessionis tempore suadendum erit iudici; ante verò iudicij tempus, mitigabilis est iudex. Quare dicit Dauid, *præoccupemus faciem eius.* Illic magnum Iudicem ars Rhetoris nulla decipiet, & nullius potentia mitigatur, dignitati non condescendit, non veneratur personam, sed tremendum & implacabile iusti iudicium. Hic verò iudicem exorabimus, & placabimus: non pecunia, magis autem (si verum dicere oportet,) clemens ipse piúsque, pecunia suadetur: non ipse manu, sed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam, & iudicem mitigaueris.] Ibi nihil tale, vllius operis, vel precum interuentu sperandum. Nulla tunc sanctorum inuocatio, poterit esse auxilio. Idque ex humanis iudiciis, cum videret excludi suffragationem cuiusque, pro hoc iudicio à se notatum ait S. Chrysostomus hom. 13. ad Populum *sub medium.* Vnde meritò Clictoueus ad 7. Symboli articulum, reprehendit picturas iudicij, quibus Deipara, & Baptista pinguntur ante Christum genuflexi: quas etiamsi vtcumque conatur exponere Molanus lib. 4. de Imag. c. 24. Fatetur tamen minus sibi arridere quàm alias quibus sancti non pinguntur genuflexi, quasi deprecantes. Nouum ea in parte errorem, confutaui lib. de Martyrio parte 4. c. 6. à num. 25. Non ergo SS. opitulabuntur. Quin potiùs sancti, quod notauit Auctor sermonum ad fratres in Eremo serm. 16. insurgent in peccatores, & stabunt contra eos. Abraham in inobedientes, Iacob in segnes, & sic de cæteris.

Multò minùs proderit humana suffragatio, & fama bona apud homines. Quod D. Gregorius 8. Moral. c. 31. & 32. multis confirmat. Et c. 13. idem illustrat exemplo scirpi, quem Iob ait humectum videri, antequàm veniat sol. [Ante solem igitur scirpus humidus cernitur, quia priusquàm diuina districtio in iudicio cadat, omnis hypocrita infusum se sanctitatis gratia ostentat: quasi virens aspicitur, quia iustus æstimatur: honoris locum obtinet, de gloria sanctitatis pollet; à cunctis ei veneratio defertur, opinio laudis extenditur: Scirpus itaque iste in nocte humidus est, Sole autem veniente siccatur; quia nimirum hypocrita in tenebris vitæ præsentis, sanctus ab omnibus creditur, sed cum districtus Iudex venerit, quàm sit iniquus apparebit. Dicat ergo, *humectus videtur, antequam veniat Sol*, quia virentem se nunc humanis oculis exhibet, sed in calore tunc diuini iudicij arescet. Et lib. 33. c. 9. huc aptat illud Amos 7. *vocauit Dominus iudicium ad ignem, & deuorauit abyssum multam*; Idest multitudinem vulgarem, *& comedet partem demus Domini*, idest aliquos qui Sancti videntur, & habentur, nec sunt reuera sancti. Idem optimè sic habet Bernardus serm. 53. in Cantica. [Quid tutum in Babylone, si Hyerusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam, *Hierusalem* nomine, designasse illos qui in hoc seculo vitam ducant religiosam, mores supremæ illius Hierusalem conuersatione honesta & ordinata pro viribus imitantes: & non veluti hi qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum, scelerúmque confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, & non egent scrutinio, sed supplicio. Mea autem, (qui videor Monachus & Hierosolymita,) peccata, certè occulta sunt, nomine & habitu Monachi adumbrata: & idcirco necesse erit subtili ea inuestigare discussione, & quasi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi. Possumus afferre aliquid & de Psalmo, ad confirmandum id quod dicitur de scrutanda Hierusalem. Ait namque sub persona Domini; *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Vias iustorum (ni fallor,) & actus eorum discussurum se & examinaturum dicit. Verendum valdè cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine, multæ nostræ iustitiæ (vt putantur,) peccata appareant.]

686 Rectissima igitur & inexitabilis erit Christi Iudicis & assessorum eius sententia, qua bonis & electis gloriam, impiis ac reprobis supplicium æternum decernet. Vel potiùs ante particulariter decreta, in conspectu omnium confirmabit, & promulgabit; benedictos Patris ad percipiendum regnum aduocans; maledictos verò non à Patre, sed suo vitio ablegans in ignem æternum. Notauit hoc egregiè Autor latinus homiliæ Origeni tributæ numero nonæ in diuersos. [Considerandum est (inquit,) quoniam in Sanctis, non solùm dictum est *benedicti*, sed cum additamento *Patris mei*: non qualemcunque honorem habentes: id est *benedicti*, non alicuius alterius nisi Dei Patris. E contra autem quibus dicitur *maledicti*, non dicitur *maledicti Patris mei.* Nam benedictionis quidem ministrator est, maledictionis autem vnusquisque sibi est author, qui maledictionis dignam operationem habemus.] Idem aliis verbis egregiè dixit S. Bernardus serm. de Natiuitate Domini, sic scribens. [Non minùs iustus quàm misericors est, cui misericordia & iudicium decantatur. Verum id quidem: *cui vult miseretur, & quem vult indurat*: sed quod miseretur, proprium illi est; ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod iudicat & condemnat, nos cum quodammodò cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur. Ipsum audi dicentem; *Nunquid voluntatis meæ*

*est mors impij, dicit dominus, & non magis vt conuertatur & viuat* ? Rectè igitur non *Pater iudiciorum*, vel *vltionum* dicitur, sed *Pater misericordiarum*: non modò quod Pater videatur misereri potiùs quàm indignari; & quemadmodùm Pater filiorum misereatur timentium se: sed eo magis, quod miserendi causam & originem, sumat ex proprio; iudicandi vel vlciscendi, magis ex nostro. ] Optimè item S. Greg. 5. Mor. c. 15. Christi sententiam flatui, (de quo Iobus,) emisso componens; quod aër per flatum emissus deforis hauriatur, & qui deforis admissus est, intus concalefactus extrudatur: Ita & sententia in nos vel pro nobis, concipitur in nobis, & in nos regeritur: Et ita quidem vt ex furore in impios non turbetur Christus, vt idem S. Greg. præclarè disserit l. 32. Moral. c. 6.

*Consequentia sententiam, lux iustorum & vox laudũ: tenebræ, ac rugitus dãnatorũ.*

687 Beatam iustorum sortem ex hac sententia, summam lætitiam, & vocem laudis ex tunc inchoatam, & in omnia secula protendendam, Dauid reliqui psalmi aliquot versiculis complexus est, sic concinens. *Custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in Domino, & confitemini memoriæ sanctificationis eius.* Probabit planè tunc Christus, se ouium, idest electorum in manu sua à Patre positarum, summam curam egisse, easque diligentissimè custodisse, nec rapuisse eas quemquam de manu eius. Tunc quoque liberabit eas perfectissime de manu Peccatoris; siue Satanæ qui aliquoties in Scriptura *peccator* antonomasticè dicitur: siue emissariorum eius, à quibus nihil vltra timebunt; & nullas vexationes vel angustias, quibuscum iugiter hîc conflictandum est verebuntur. Pro tenebris angustiarum & calamitatum huius vitæ, luce magna perfundentur: pro tristitia & mœrore cumulabuntur gaudio, & memoriæ sanctificationis eius in æternum confitebuntur. Nulla vmquam oblitione passi deteri recordationem gratam immensi beneficij pro quo affecti sunt, accepta per Christum sanctificatione, quæ illis tantæ lætitiæ origo, & radix prima. Sed in primis ad completam sententiæ pronuntiationem, nemo prudens dubitarit, quo illi securæ in æternum mentis affectu, custodi & liberatori suo pangant hymnum exultationis, & vocem laudis depromant; accidentes humillimè, & quod est in Apocalypsi, abiicientes coronas quèis donari se vident, ad Agni pedes, contestati multo iustiùs & sanctiùs quàm illi olim apud Tertullianum Mithræ milites, *Deum esse coronam suam*; Agno se omnia debere, merita, gratiam, perseuerantiam, & hanc gloriam, hoc sublatum, in quod se post operum dies translatos à Christo agnoscunt, vt pulchrè meditatur Rupertus l. 9. de operib. Spiritus sancti c. 13.

Tacuit hoc loco Psaltes, reproborum sortem: fortassis refugiens verecundè, horrendas voces damnatorum, quas vibrationi sententiæ rependent, è diametro gratiarum actionis & laudis repensæ Christo à iustis. Nam & apud Iobum, (quod ibi hom. 4. notat Chrysostomus,) maledictionem, videmus non nominari, sed fausta *benedictionis* appellatione donari, per antiphrasim. In libro autem Iudicum (quod D. Ambrosius 3. de Virg. obseruauit Scriptor sacer parricidij Iephte mentionem quam exhorruit, honesta vocis commutatione declinauit. Quid si ergo id ipsum hoc loco factum à Dauide, blasphemiarum & horrificarum vocum in Deum & Christum, ferales vlulatus exhorrescente? Vt vt sit, coniectandam sanè permisit à contrario sensu sortem impiorum, quos eo silentio, permittit ab attento lectore cogitandos in æternum abiectos à Deo, & peccatoris plenè & in æternum manciparos à iudice, tanquam carnifici, vt eum sæpè vocant Patres, ac nominatim Chrysostomus hom. 3. de patientia Iobi: tenebris quoque externis damnatos, & mœrore ac cruciatibus nulla vmquam suauitatis qualiscumque admistione diluendis, oppressos; perpetuis cœlos, imo carceris horrendi formicem, terram è qua dehiscente, pluuia & grandine cadente velociùs aut in similitudinem fulguris, (ait Rupertus l. 9. de operibus Spiritus sancti c. 23.) detrudentur in abyssum, Dei blasphemiis, & horrendissimis parentum à quibus progeniti fuerint execrationibus pulsaturos. Breuiter id complexus est vniuersè Autor sermonis de Ascensione apud Cyprianum, verbis istis. [ Quanta illud edictum sequentur lamenta? Illius vltimæ tubæ clangor quàm horribilis erit? Continuus erit & superfluus illarum lachrymarum decursus: stridorem illum dentium, flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri viuent; incendia, & inconsumptibiles flammæ, nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus diues, nec erit qui æstuanti linguæ; stillam aquæ infundat. In proprio adipe, fuxæ libidines bullient; & inter sartagines flâmeas miserabilia corpora cremabuntur: & omni tormento atrociùs, desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio: & cum clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo, acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit ad inferos, vlteriùs non descender. Non vltra videbunt Deum, in tenebris sigillari: irregressibilis erit illa sententia, & immutabile iudicium & stabit damnationis huius immobile constitutum. ]

688 Pro ea verò voce laudis, & gratiarum actionis, inquam ad completam sententiæ auditionem erupturos diximus iustos, in Deum, & Christum eius; reprobi è contrario ad completam decreti omnibus his malis grauidi vibrationem, initium malorum sempiternorum facient, ab horrendis desperationis & blasphemiæ, (horresco referens,) Dei, & Christi, sacrorúmque omnium detestationis, rugitibus ilsque rugitubus & vlulatibus quos vtcumque expressit S. Ephrem. Orat. de diuina retributione ad animam, verbis illis.

Tunc profectò lacerata atque diluniata, simul amaro cum fletu dices: Hei quid mihi miserè contigit? Et væ mihi quia deprehenderunt me mala hæc; nec est dentibus vlla requies, nullumque intolerandæ necessitatis est laxamentũ. Ad cuius me genua prouoluam? Quem implorabo? quis pro me deprecaturus est? Non est hic manentibus, qui vota ac preces meas excipiat? Non est qui misereatur calamitatis meæ. Quid faciam?

faciam ? quid agam ? Hei mihi, quod nulla via queam relaxatione potiri. Receſſit tempus exorandi. Quis mihi indulgebit exoptatam vnius diei pœnitentiam, quo poſſim flendo, ad miſericordiam Chriſtum mouere ? Iuſtus Deus noſter, & rectum iudicium eius. Meritò peccatores affligimur. Sacris enim litteris, hanc olim debitam nobis mercedem manifeſtè atteſtantibus non accommodauimus aures noſtras, neque attentos præbuimus animos, viam ſalutis nos docentibus : ſed totam noſtram ætatem voluptati mancipauimus, licet Chriſtus Saluator noſter prædixerit, aſſeruerítque, æterna eſſe ſupplicia, tribulationes, & cruciatus. Nec credebabamus, neque audiebamus diuitem illum delitias in vita ſectatum, & pauperi Lazaro impiè aduerſatum, huius inextinguibilis ignis periculum feciſſe ; atque ab Abraham aquæ guttam expetitam non impetraſſe, æquiſſima data reſponſione ; Iudicium enim ſine miſericordia, ei qui non fecit miſericordiam. Quin & per documenta ſua omnia, Dominus prædicare nobis peccatoribus non ceſſauit, inexplicabilis ſupplicij præparationem ; nec tamen animaduertebamus, neque aures ad auſcultandum arrigebamus : ſed variis vitæ erroribus implicabamur, corporis voluptatibus ſeruientes, & animi noſtri vanitates inſectantes, neque reſurrectionem, aut malarum bonarúmque actionum præmia fore credebamus. At verò nunc, ecce fructus percipimus incredulitatis : quippe nec inopinata nos punitio præuenit.]

### *Diuiſio reproborum, & à Deo, & ab Electis.*

689 Intorſionem ac vibrationem ſententiæ, eique comitatum, huic lætitiæ, inde triſtitiæ diluuium, quod Dominus inhabitare faciet ; nec non deſperationem quam dilaniantes ac diſcerpentes ſeſe reprobi, ſumma cum acerbitate adiungent ; conſequetur, diuiſio impiorum, quæ duplex intelligi poteſt ; vna à Deo, altera ab electis. Priorem ferunt Scripturæ illæ quibus reprobi abſolutè & ſimpliciter dicuntur diuidendi, iuxta inſignem S. Baſilij interpretationem lib. de Spiritu ſancto cap. 16. vbi poſt præmiſſam ſortem bonorum in mundi meta, ſubdit è contrario de impijs. [Similiter & qui contriſtauerint Spiritum ſanctum malitia ſtudiorum ſuorum ; aut qui non fecerint lucrum è ſorte data, ſpoliabuntur eo, quod acceperant, beneficio in alios tranſlato, aut iuxta Euangeliſtam, omnino diſcindentur. Diſſectio autem, omnino intelligenda eſt in hoc, quod prorſus & à Spiritu ſancto alienabuntur. Neque enim corpus diuiditur, vt vna pars tradatur ſupplicio, altera abſoluatur. Nam id quidem fabuloſum, nec eo dignum iudice ; cum totus homo peccauerit dimidium illius addici pœnæ. Nec anima in duas partes ſecatur, cum tota per totum hominem peccandi affectum habeat, ſimúlque cum corpore malum operetur. Sed quemadmodùm dixi, diſſectio eſt animæ perpetua à Spiritu ſancto alienatio. Nunc enim tametſi non adhibiſcetur indignis, attamen aliquo pacto videtur adeſſe ſemel conſignatis, expectans vt ad ſalutem conuertátur. Tum verò in totum ab anima quæ gratiam ipſius prophanauerit, reſecabitur. Eóque non eſt in inferno qui confiteatur, neque in morte ſit memor Dei, quod iam non adſit ſancti Spiritus adiutorium.] Huc aptare licet cũ Giſelberto in Altercatione c. 15. duas turmas, benedicentium vnam, maledicentium alteram, in Garizin & Gebal, de Moſis mandato. [Garizin (inquit) interpretatur *diuiſio* : Gebal verò *deficiens*, ſiue *diſterminans*, vel *vorago vetus* interpretatur. Illic ſex opera miſericordiæ dextris ad benedicendum, & ſex impietatis ad maledicendum ; quæ maledictiones ſuper illum infœlicem populum venerunt, eúmque manifeſtè comprehenderunt.]

690 Diuiſio altera, eſt diſſociatio atque diremptio ouium ab hædis, in qua bonis & iuſtis immenſa lætitiæ ſeges exiſtet, dum ſe à zizaniis, ventilabro Chriſti planè ſecretos, & omnino nitentes abſque vlla mali admiſtione contuebuntur : malis autem ea diremptio cumulum angoris infetet, vt rectè ratiocinatur Amedeus Lauſanenſis hom. 6. de Deipara & Egregiè S. Bernardus ſerm. 8. in Pſal. 90. ad illud *& retribuſionem peccatorum videbis*. Copiosè verò & flebiliter admodùm in eo argumento verſatur S. Ephrem Opuſc. de variis quæſitis, quod habetur Tomo 1. ibi interrogatione vltima, poſt varia de nouiſſimis calamitatibus adducta, agrediens ad angorem malorum, ex ſeparatione à bonis poſt latam ſententiam, ſic auſpicatur. [Quicumque lachrymas atque compunctionem habetis, plorate mecum. Etenim recordatus ſum fratres mei benedicti, ſeparationis illius miſerandæ, & ſufferre nequeo. Hora ſiquidem illa tremenda, ſeparabuntur ab inuicem ſeparatione vltima, eáque triſtiſſima ; ingredientúrque iter omni reuerſionis ſpe deſtitutum. Quis ita lapideo eſt corde, qui vel hinc non deplangat horam illam ? Quando Epiſcopi ſeparabuntur à Coëpiſcopis, Duces à Ducibus, Principes à Principibus, Preſbyteri ab aliis Preſbyteris, Diaconis, Hypodiaconi atque Lectores à ſuis ſociis. Tunc ſeparabuntur, qui aliquando Reges extiterunt, & plorabunt velut infantes, abigentúrque vt mancipia. Tunc ingemiſcent Principes & diuites immiſericordes : & huc illúcque reſpicient, vndique anguſtiis preſſi : & nullus ibi reperietur adiutor. Tunc ſeparabuntur, dolenter abituri ad ſupplicia ; velut captiui. Vbi neque diuitiæ apparebunt, neque aſſentatores adſiſtent, neque miſericordiæ tunc iis erit locus, quod aliorum ipſi miſereri noluerint, neque miſericordiam illuc præmiſerint, vt inueniátur, quemadmodùm & Propheta de ſimilibus air ; *Quia dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt*. Tunc ſeparabuntur à parentibus filij, & ab amicis amici. Tunc cum dolore coniux ſeparabitur à coniuge, ob connubij ſui thorum non ſernatum immaculatum. Tunc ſeparabuntur & ij qui corpore quidem Vírgines, at moribus immiſericordes, crudeléſque fuerunt. Quoniam *iudicium abſque miſericordia erit, his qui non fecerunt miſericordiam*. Verùm multa hîc dicere omittam, quia timore atque tremore ab eorumdem narratione præpedior. Et vt breuiter dicam ; tunc demum propellentur à tribunali, abducentúrque à truculentis Angelis profligati, ac cæſi, dentibus ſtridentes, crebriúſque poſt tergum reſpicientes, ſi quomodò iuſtos & gaudium illud, vnde ſegregati ſunt, videre poſſint. Adſpiciúntque lucem illam ineffabilem. Vident pulchritudinem Paradiſi. Contuentur, ſibi,

sibi notos, atque familiares in gaudio illo. Cernunt magna & præstantia illa munera, quæ accipiunt à Rege gloriæ hi qui legitimè decertarunt. Deinde paulatim abducuntur, sequestrantúrque ab omnibus iustis, ac notis: quin & à conspectu ipsius Dei absconduntur, ne amplius valeant gaudium & lucem illam veram contemplari. Iam verò appropinquantes ad proposita supplicia, in iis ab inuicem variè disseminandi atque dispergendi, cernentésque tunc se vndiquaque derelictos, omnique spe atque auxilio, & intercessione aliorum pro ipsis prorsus destitutos. Iudicia enim Dei, iusta sunt. Tunc amarissimè lacrymantes eiulantésque dicent: ô quo pacto in negligentia atque torpore tempus nostrum transegimus? O quomodò illusi sumus? O quomodò diuinam Scripturam audientes, irridentesque nos ipsos irrisimus? Ibi Deus loquebatur nobis per Scripturas, & non attendebamus, hîc nos iam clamamus, & ipse suam à nobis faciem auertit. Quid nobis proderunt fines mundi? Vbinam qui nos genuit pater? Vbi quæ nos peperit mater? Vbi filij? Vbi amici? Vbi diuitiæ? Vbi substantiæ atque possessiones? Vbi tubæ? Vbi conuiuia? Vbi varij & intempestiui cursus? Vbi Reges atque Potentes; Quomodò à nullo eorum saluari modo possumus: Neque verò nobis ipsi opem ferre? At penitus derelicti sumus, & à Deo, & à sanctis eius. Quid faciemus? non enim est ampliùs pœnitentiæ locus: non valet ampliùs deprecatio atque intercessio: nulla ampliùs lacrymarum vtilitas. Non ampliùs qui oleum nobis vendant, apparent pauperes atque mendici: soluta enim iam est omnis celebritas. Dum nobis erat tempus, suppeterentque facultates, ipsique venditores olei clamitarent (*emite*,) obturatis nostris auribus, nec audire, nec emere oleum voluimus; modò autem quærimus, & non inuenimus. Nulla ampliùs nobis miserabilibus reliqua est redemptio; nulla ampliùs misericordia: neque enim sumus digni. Iustum est Dei iudicium. Non iam ampliùs Sanctorum adspiciemus ordines, non ampliùs lucem illam veram contuebimur: orbati sequestratique sumus ab omnibus. Dicendum quid restabit? Valete iusti vniuersi. Valete Apostoli, Prophetæ, & Martyres. Vale cætus Patriarcharum. Vale Monachorum agmen. Vale Crux pretiosa atque viuifica. Vale Cœlorum regnum omni fine carens. Vale superna Hierusalem, primitiuorum mater. Vale Paradise voluptatis. Vale etiam tu Domina Dei Genitrix, mater amatoris hominum Dei. Valete patres ac matres, filij atque filiæ, nullum siquidem vestrum, visuri sumus vltra.]

Non tangentur Sancti, flebilibus hisce modis, & quantumuis horrificis eiulatibus; etiamsi suorum, v.g. filij, aut patris, aut matris, aut vxoris, vel mariti: sed electus visa damnatione iustissima cognati vel affinis sui, *lauabit manus suas in sanguine peccatoris*. [Non est sicut hic, videre ingredientes alios qui afferant vel pecuniam, vel cibos, vel sermones consolatione plenos, vt consolationem assequamur: sed omnia illic veniam negant. Etiamsi Noë, siue Iob, siue Daniel affuerit, & suos viderit puniri, non audet patrocinari. Futurum enim tunc est, vt & naturalis compassio tollatur, (quoniam contingit malorum filiorum patres, & patrum filios esse iustos,) itavt pura sit voluptas, & fruentes bonis, compassionis necessitate, gaudio nulla in parte destituantur. Dico & hanc compassionem extingui, & illos contra sua viscera cum Domino suo indignari. Etenim cum communiter homines vbi viderint filios suos improbos exhæreditant, & à cognatione eiiciunt, multo magis iusti, tunc idem facient.] Verba sunt sancti Chrysostomi homil. 10. in 2. ad Corinth. *in morali.*

### *Antitheses sortium vtrorumque, vniuersè.*

691 Sic dirempti, & mutuis conspectibus corporeis subducti, transcribentur quique in sententiæ Christi Iudicis, in sortes suas, quas per antitheses benè multas, complexus egregiè est S. Cyrillus Orat. de excessu animæ, tractans executionem sententiæ suprema Iudicis Christi. [Væ sontibus (inquit,) cum insontes ad dexteram stabunt, & illi vexabuntur: Cum sontes flebunt, & insontes gaudebunt: cum insontes lætitiam agitabunt, & sontes lamentabuntur: cum insontes in tranquillitate, & sontes in tempestate, ac calamitate versabuntur. Væ sontibus, cum insontes gloria afficientur, & illi condemnabuntur: væ sontibus, cum insontes omni bono satiabuntur, & sontes eo carentes ingemiscent: væ sontibus, cum insontes gloria, & illi ignominia afficientur: insontes sanctitate, sontes flammis. Insontes laudibus efferentur, sontes miseri ferentur: insontes in sanctorum mansionibus, sontes in exilio sempiterno. Insontes audient; *venite benedicti, Patris mei, possidete paratum vobis ab orbe condito regnum.* Sontes autem audient illud; *Facessite à me detestabiles in ignem æternum, Diabolo eiusque Geniis destinatum.* Insontes in paradisum, sontes in ignem inextinctum: Insontes deliciabuntur, sontes afflictabuntur. Insontes saltabunt, sontes vincientur. Insontes cantabunt, sontes lugebunt. Insontes ter sanctum, sontes ter miserum. Insontes cantum, sontes voraginem. Insontes in sinum Abrahami, sontes in Belialis torrentes. Insontes in requietem, sontes in supplicium. Insontes rotæ, sontes flamma conspergentur. Insontes delectabuntur, sontes mœrore consenescent. Insontes extollentur, sontes tabescent; Insontes efferentur, sontes deprimentur. Insontes sonebuntur, sontes denigrabuntur. Insontes bonis saturabuntur, sontes diuexabuntur. Insontes aspectus abet Dei, sontes torquebit ignis a pectus. Insontes vas sunt electionis, sontes vas gehennæ. Insontes aurum igne probatum, & argentum probum, & lapides pretiosi; sontes ligna, culmus, fœnum, ignis alimentum. Insontes frumentum regni, sontes perdenda palea. Insontes semen electum, sontes ignis vizania. Insontes sal diuinum, sontes virus atque fœtor. Insontes intemerata templa Dei, sontes polluta templa Dæmonum. Insontes in aula nuptiali, sontes in chaos infinitum. Insontes in splendore lucis, sontes in procellæ caligine. Insontes cum Geniis beatis, sontes cum Dæmonibus. Insontes cum Geniis saltantibus, sontes cum Dæmonibus lugentibus. Insontes lucis, sontes tenebrarum medium tenebunt. Insontes consolator solabitur, sontes cum Dæmonibus plectentur. Insontes Dominico solio astant, sontes pœnali caligini. Insontes Domini faciem semper

per aſpiciunt, ſontes in Diaboli ſemper aſtant aſpectu. Inſontes Geniis ſanctis, ſontes Dæmonibus initiantur. Inſontes ſupplicationem, ſontes ploratum libant ſempiternum. Inſontes ſupra, ſontes infra. Inſontes in cœlo, ſontes in profundo. Inſontes in vitam æternam, ſontes in mortem exitiabilem. Inſontes in manu Dei, ſontes in loco Diaboli. Inſontes cum Deo, ſontes cum Satana.] Plus ſatis de vtrorumque ſorte, vniuersè. Addamus ſeorſim de vtraque ſorte, & iudicij effectu nonnulla.

### *Sigillatim de bonorum ſorte, conſequente ſententiam.*

692 Electi & benedicti Patris, poſt latam ſententiam, deducentur percepturi regnum, & omni beatitate cumulandi. Quod Autor ſermonis de Aſcenſione apud Cyprianum deſcribens ſupremæ & (vt vocat,) irregreſſibilis, Chriſti circa vtroſque iudicandos latæ ſententiæ conſtitutum, ita vt cumque exponit. [Exultabunt ſanctè ſancti in gloria, videbunt Deum & gaudebunt, lætabuntur & delectabuntur, & fruentur gloria, & in felicitate inundabuntur æterna. Ibi non guſtabunt quàm ſuauis, ſit Deus, ſed implebuntur & ſatiabuntur dulcedine mirifica. Nihil eis deerit, nihil oberit, omne deſiderium eorum Chriſtus præſens implebit. Non ſeneſcent, non tabeſcent, non putreſcent amplius. Perpetua ſanitas, felix æternitas, beatitudinis illi ſufficientiam confirmabunt. Non erit concupiſcentia in membris, non vltra vlla exſurget rebellio carnis, ſed totus hominis ſtatus pudicus, & pacificus, ſana ex integro natura, ſine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius præſentia, omnes animæ & corporis implebit appetitus, ceſſabuntque de cætero conſummatis omnibus miniſtratorij Angelicarum virtutum diſcurſus: & impleta ordinatáque omninò ciuitate Dei, nec innouabitur, nec mutabitur vltra fixæ & conſummatæ beatitudinis ſtatus.]

Optimè verò S. Chryſoſt. hom. 23. in ad Hebræos, negat hæc vel cogitatione pingi à nobis poſſe. [Qualis enim ſermo exprimere poterit, qualis mens illam beatitudinem, illámque virtutem, illam delectationem, illam gloriam, illam iucunditatem, illam claritatem? *Quæ oculus* (inquit) *non vidit nec auris audiuit, & in cor hominis non aſcendit.* Non dixit *quia tranſcendit cor hominis*, ſed quia *neque intellexit quiſquam aliquando, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Quorum honorum præparator & opifex Deus eſt, qualia eſſe poſſunt? Si enim faciens ſtarim adhuc nobis nihil agentibus tanta bona largitus: Paradiſum, confabulationem ſuam, immortalitatem; promiſit vitam beatam, & à curis liberam: eis qui tanta fecerint, & qui certauerint, & qui pro eo ſuſtinuerint, quid non præſtiturus eſt? Vnigenito Filio ſuo non pepercit propter nos; filium ſuum proprium in mortem tradidit propter nos, dum inimici eſſemus; quibus rebus non dignabitur, amicos iam effectos? Quid nobis non tribuet? Eſt enim diues & infinitus.]

Omitto hoc loco, quæ de electorum in duplicibus veſtimentis ſubitione in Regiam cœleſtem, præſentationéque eorum & regni traditione Patri per Chriſtum tunc faciendâ, produnt Scripturæ, quia infra locum ſuum habebunt, agendo de Chriſto triumphatore. Hæc electorum in cœlos tranſcriptio iuxta S. Bernardum ſerm. 8. in Pſal. 90. priùs fiet quàm reproborum in Tartara deiectio, vt reprobi magis crutientur, videntes quid amiſerint. Subuehentur ergo ſancti, & ſubducentur impiorum oculis.

### *Sigillatim de impiorum æterna ſorte, conſequente ſententiam.*

693 Reprobi è contrario, vi ſententiæ Chriſti iudicis, abripientur in carcerem horridiſſimum. Quantus porrò dolor oppreſſurus ſit reprobos in eo puncto, & in ipſâ abreptione ad Tartara, Autor libri de malis Doctoribus, falsò creditus Sixtus Papa, *ſub finem*, ſic exponit poſt propoſitam Chriſti in reprobos ſententiam. [*Diſcedite à me, neſcio vos, operarij iniquitatis.* Quæ tunc vobis peccatoribus anxietas erit? quæ animorum mæſtitia? qui lamentationis gemitus? qui fletus oculorum? Videre iuſtos ſpeciebus & præmiis cœleſtibus munerari, & nos eiuſdem beatitudinis perceptione indignos haberi quam noſtri ſimilis natura ſortita ſit. Quantus dolor ſit, nimirùm deſideranda conſpicere; & cum conſpexeris, non tenere. Mirari tantum in aliis, quod in te mirabile eſſe potuerit; non poſſidere quod cupias, & quod abhorreas ſuſtinere. Videre alios ab Archangelis, Angelis, cæteríſque diuinis miniſtris, ad regnum ſibi præparatum cœleſtis pompæ dignitate deduci, & te pœnalibus miniſtris ad Tartari rapi ſupplicia? Quo tunc animo miſerandi erimus, vel qua faciei confuſione ante tantæ maieſtatis gloriam ſtabimus, cum horum diſſimiles inuenti fuerimus in meritis, quorum videbamur eſſe in religione conſimiles? Quo igitur mœrore cordis, quóvementis angore, à Dei facie ſanctorúmque omnium præſentia, & ab illis diuinis immortalibus quæ deliciis auerſi, cum Diabolo atque Angelis eius abibimus deputati? Quibus vocibus, quibuſque lachrymis, cœleſti regno cum ſuis dicemus, *vale*? Tardè iam pœnitebit: illa quæ nunc pluribus placet, diſplicebit. Tardè dolebit abiectos & pauperes fuiſſe contemptos, & humanis magis conſenſum præbuiſſe ſermonibus, quàm diuinis. Tardè illius doctrinæ, cuius quondam acerbitas abhorreretur, agnoſcetur vtilitas. Tardè ſpes illa quæ illudit, nunc pleroſque, deflebitur; ſerò pigebit humanis inhiaſſe opibus; & temporalibus, quàm æternis vti honoribus maluiſſe. Alij interitus ſui cauſam intellectui proprio, alij extraneis magiſteriis imputabunt. Sed nihil iam pœnitentiæ dolor proderit, vbi pœnitendi tempus effluxerit.]

694 Completa abductione & intruſione infœlicium hædorum in macellum, per abyſſi puteum, oſtio obſtructo, non dabitur regreſſus reuocatio. [Ardens inferni puteus (ait Eucherius homil. 3. de Epiph.) aperietur; deſcenſus erit, reditus non erit. Illic denudati & capitaliter mortui in perpetuum demergentur, deiiciendi in tenebras exteriores, infœlicitet excluſi, infœliciùs excludendi. De hoc puteo Propheta commemorat, *neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Ideò

autem dixit, *neque vrgeat super me os suum*: quia cum susceperit reos, claudetur sursum, & aperietur deorsum, dilatabitur in profundum: nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper vrgentibus, relinquetur: detrudentur illuc valedicentes rerum naturæ, vltra nescientur à Deo qui Deum scire noluerunt; morituri vitæ, & morti sine fine victuri.]

Nolo hîc in tristi argumento expatiari. Tantum attingo breuissimè tria illa capita maledictionis per Christi sententiam in reprobos intortæ, contraria triplici bonorum cumulo, sortem electorum constanti, vt ex Psalte memorabam; mancipationem inquam ad teterrimum carcerarium, æternas tenebras, & mœroris abyssum; vt pateat quæ sit executio sententiæ à Christo Iudice in reprobos latæ, & ipsa sententia liquidò perspiciatur. Tria illa maledictionis à Christo iudice in reprobos intortæ capita, librant varij Patres. Mancipationem quidem carceratio & hosti teterrimo, S. Ephrem frequenter. S. Chrysostomus breuiter, sed neruosè hom. 10. in 2. ad Corinth. *in morali*, [Quando adducti trahemur in gehennæ carceres, quales futuri erimus? Non enim vincula illa ex ferro, sed ex igne sunt: nunquam extinguibili: Neque qui præsunt nobis, eiusdem dignitatis sunt, quos vnquam demulcere poterimus; sed Angeli, in quos neque respicere licet; valdè iracundi, propterea quod Dominum tanta contumelia affecimus.]

Tenebræ æternæ, quas in eiusdem maledictionis parte ponebam, egregiè describuntur à S. Basilio in Psal. 28. ad illud, *vox Domini intercidentis flammam ignis*; Et Orat. de futuro iudicio, quam Vossius tomo 1. Sancti Ephrem, inseruit, ex quo loco adscribo plagulam. [Ignis ille qui in supplicium Diabolo præparatus est, & Angelis eius, dissecabitur voce Domini: vt cum duplex insit igni facultas, adustiua vna, & illuminatiua altera; acris quidem vis ignis & punitoria reposita est iis qui vstione sunt digni; illustratoria verò hisce, qui charitate perennis gaudij perfruituri sunt succedet; ita vt obscurus quidem sit ignis supplicij, vrendi autem vi careat lux illa refocillationis atque quietis. Nec est quod de eo ambigas: siquidem in retributionibus eorum quæ in vita à nobis erunt gesta, natura ignis diuidetur; & lux quidem ad fruitionem & oblectamentum iustis; vrendi autem vis, ac dolor, iis quibus tormenta irrogabuntur, constituetur.]

695 Sed & S. Gregorius 9. Moral. c. 46. tractans illud, *terram miseriæ & tenebrarum*, sic scribit. [Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cœcitatem. Ea ergo quæ à conspectu districti iudicis expulsos tenet, miseriæ & tenebrarum terra perhibetur: quia foris dolor cruciat, quos diuisos à vero lumine, intùs cœcitas obscurat. Quamuis miseriæ & tenebrarum terra, intelligi & aliter potest. Nam hæc quoque terra in qua nascimur, est quidem miseriæ, sed tenebrarum non est: quia multa hîc corruptionis nostræ mala patimur, sed tamen adhuc in ea per conuersionis gratiam ad lucem redimus: veritate suadente, quæ ait; *ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant*. Illa verò simul miseriæ & tenebrarum terra est, quia quisquis ad toleranda eius mala descenderit, nequaquam vlteriùs ad lucem redit. In cuius adhuc descriptione subiungitur; *vbi vmbra mortis, & nullus ordo*. Sicut mors exterior ab anima diuidit carnem; ita mors interior à Deo separat animam. Vmbra ergo mortis, est obscuritas diuisionis, quia damnatus quisque, cum æterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura verò ignis est, vt ex se ipso, & lucem exhibeat & concremationem. Sed transactorum vltrix illa flamma, vitiorum concremationem habet, & lumen non habet. Hinc est enim quod reprobis veritas dicit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius*. Quorum rursum omnium corpus, in vnius personas significans, dicit; *ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores*. Si itaque ignis qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur: Hinc etiam Psalmista ait; *super eos cecidit ignis, & non viderunt solem*. Ignis enim super impios cadit, sed Sol igne cadente non cernitur: quia illos quos gehennæ flamma deuorat, è visione veri luminis cæcat; vt foris eos dolor combustionis cruciet, & intùs pœna cæcitatis obscuret: Quatenus qui auctori suo, corde & corpore deliquerunt, simul corde & corpore puniatur, & vtrobique pœnas sentiant; qui dum viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant.]

Addo & Chrysostomum hom. 1. in ad Hebræos *in morali*, vbi contestatus nullis verbis nostratibus exponi posse, alterius vitæ seu bona seu mala, subdit de malis. [Mala appellata quidem sunt nominibus vsitatis. Verbi gratia; Quia ignis (inquit,) ibi est, & tenebræ & vincula, & vermis immortalis; sed non hæc sola istis nominibus, nec talia demonstrantur, sed alia multo peiora, & multo seueriora. Quod vt agnoscas, hoc primùm considera: Si enim ignis quomodò tenebræ sunt? Vides quoniam ille ignis, sæuior isto est: Non enim habet lumen, aut vllam luminis claritatem. Si ignis est, quomodò semper ardet? Vides quoniam & in hoc sæuior est: non enim extinguitur; propter hoc etiam *inextinguibilis* appellatur. Cogitemus igitur, quantum sit malum per omnia secula vri, & in tenebris permanere perpetuis, & infinitos gemitus edere, & stridere dentibus, & nequaquam exaudiri. Si enim in hac vita, aliquis eorum qui nobili genere nati sunt, in custodiam retrudatur, fœtorem ipsum tantùm, & tenebrarum caligines non valet sustinere, & cum homicidis vnâ ligari morte peius existimat: Intellige quale sit, si quando cum omnibus totius seculi comburebur homicidis, neque ipsi alios videntes, neque aliorum visibus apparentes, sed in tanta multitudine solitarios nos esse putantes. Siquidem tenebræ, & absentia luminis, non nos sinet proximos nostros agnoscere, sed veluti si solitarius vnusquisque nostrum patiatur, sic afficietur oppressus caligine tenebrosa.]

696 Luctum denique, imo mœroris molem immensam, ex confluge malorum omnium nemo vel cogitatione assequi possit. Sed ex nullo capite, tantus mœror ac dolor, quantus ex abiectione Dei, propter res nihili. [Horribilior tenebris igneque illo æterno, (ait S. Basilius Oratione illa de iudicio) pudor erit, atque confusio, in qua perpetuò conuersabuntur peccatores,

catores, semper ob oculos retinentes vestigia illa peccati in carne admissi, quasi notræ alicuius tinctæ nec eluibilis vnquam in memoria animæ æternum duraturæ. Paucorum verò est ad lucem veram accedere, & manifestati velle, & post occultorum reuelationem non recedere facie confusa; Dei quippe abalienatio atque auersio, etiam inter omnes pœnas quæ in gehenna expectantur, intolerabilior grauiórque est ei qui patitur, quàm oculo lucis priuatio, etiamsi dolore careat. Quod si quis omnem simul facultatem, quæ ab initio generis humani exstitetit, sermone complectatur, & in vnum colligat, nè minimæ quidem illorum bonorum parti, illam inueniet parem: imo vniuersa huius bona; amplius à minimo illorum distant, quàm vmbra & somnium à rebus veris. Et vt exemplo magis proprio vtamur; quanto anima in omnibus pretiosior est corpore; tanto vtramque hanc inter se vitam differre palam est.]

Videre igitur, se tot bonis in æternum exturbati, ob gaudium volaticum quod flumine rapidissimo celeriùs defluxit, hoc verò est, quod immanem mœrorem omni eloquio superiorem ingenerabit; præter cruciatus, & aliam innumerabilem dolorum sementem ex confluge malorum omnium de qua alibi. [Quid faciemus, (ait S. Chrysostomus homil. 10. in 2. ad Corinth.) quando vniuersus orbis terrarum assistet, quando Angeli & Archangeli, quando ordines hinc inde constituti, & cursus omnium, & raptus in nubes, & acies cursu plena; quando tubæ hinc inde, & continuæ illæ voces? Nam si non esset gehenna, in tanta claritate repelli, & ignominosum recedere; quantum supplicium? Etenim si nunc Rege cum suis ingrediente, ob paupertatem non accedere audentes, non tantam à spectaculo voluptatem accipimus; quantum mærorem, ex eo quod non sumus Participes eorum quæ apud Regem sunt; & ignominiam putamus, non esse prope illum, quid tunc erit? Num paruam putas esse pœnam in choro idem constitui? ineffabilem gloriam non assequi; ab illo cœtu & ineffabilibus bonis procul abiici: Quando autem & tenebræ erunt, & stridor dentium, & vincula insolubilia, & vermis immortalis, & ignis inextinguibilis, & tribulatio & angustia, & linguæ quæ cruciantur, sicut illa diuitis; & ploramus, & nullus audit; & ingemiscimus & rigamur à doloribus, & nullus attendit; & in omnia loca respicimus, & nusquam adest qui consoletur, quo loco ordinabimus qui sic habent? quid animabus illis miserius? quid item miserabilius.]

Hæc est pars impij apud Deum; cuius sors, & ex tumentibus super eum Christi iudicis fluctibus oppressio, tanta est vt iudice S. Chrysostomo hom. 23. in ad Hebræos, nullis lachrymis dignè defleri possit. [Si enim patria quis expulsus, ab hominibus miserabilis iudicatur; & quisquis hæreditatem amiserit, videtur omnibus esse dolendus; qui cœlo priuatur, qui illis repositis bonis, quantis lachrymis ille plangendus est? Imo non plangendus. Plangitur enim quisquam cum passus fuerit aliquid, cuius ipse causa non est: cum autem ex propria voluntate semetipsum quisquam afflictione confixerit, neque lachrymis dignus est, sed lamentationibus, magis autem luctu; nam & Dominus noster Iesus Christus, Hierosolymam, licèt impiè agentem luxit, & lachrymatus est. Reuera decem millibus lachrymis digni sumus, decem millibus lamentationibus. Si omnis habitatio terræ extollat vocem suam, & lapides, & ligna, & arbores, & bestiæ, & volatilia, & pisces, & vt simul dicam, mundus si vocem extollat ad lamentandum, nos qui ab illis bonis excidimus; nihil dignum lamentabuntur.]

### *Vsus Doctrinæ de Christo iudice.*

697 Diuersissimam hanc sortem bonorum & malorum, per iudicis Christi sententiam quisquis cogitauerit attentè; næ ille potentissimum habebit frænum quo abducatur à peccatis, nec in eius luctu fluxa gaudia & insaniæ falsæ habebunt locum. Itaque ad hoc iudicium passim pronocant Patres. Vnum aut alterum quo fructum vberrimum huius de Christo iudice tractationis obsignem, repræsento. S. Augustinus serm. 54. de tempore, tractans sacrificium & visionem Abrahami ex Genes. 15. [*Cum autem occubuisset sol, sopor* (inquit) *irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus nimis, & apparuit clibanus ardens & fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.* Videte Patres quod ignis iste, inter diuisiones illas transiens dicitur, turturem quoque & columbam tetigisse non legitur. Vespera illa, finem mundi significauit: animalia illa, sicut iam diximus, typum omnium gentium in Christo credentium prætulerunt. Quæ tamen gentes (sicut iam dictum est,) quia in se non solùm carnales, sed etiam spirituales; id est non solùm bonos, sed etiam malos habent; ideò animalia illa diuisa sunt, & ignis transiuit per ea secundùm illud quod dicit Apostolus, *dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* Clibanus ille ardens & fumans, & lampas ignis, diem iudicij figurauit. Et ideò super Beatum Abraham timor & horror tenebrosus incubuit. Vnde intelligimus, quod si in die iudicij *iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi parebunt?* Clibanus ergo ardens & fumans significauit diem iudicij; diem inquam iudicij in quo erit fletus & stridor dentium, in quo erit vlulatus, & lamentatio, & tarda pœnitentia; quando mouebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vsque ad inferos deorsum; quando sicut dicit Beatus Petrus, *cœli ardentes soluentur, elementa ignis ardore tabescent*; quando sicut Dominus in Euangelio dicit, etiam *virtutes cœlorum commouebuntur*; quando *Sol obscurabitur*, quando *& luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo.* Vbi se tunc impij videbunt? vbi adulteri, vbi ebriosi, vbi maledici se recognoscent? vbi amatores luxuriæ, vbi raptores, vbi superbi & inuidi apparebunt? Quid infelices pro sua defensione dicturi sunt, quos toties admonitos, & tamen imparatos dies ille repererit? Cùm ad illam Archangeli tubam, omni buccina clariorem, totus simul cæperit mugire mundus, cum sicut dicit Propheta, *venerit Dominus ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex eo* quando sicut dicit Scriptura, *peccatores & impij mittentur in stagnum ignis, & fumus tormentorum illorum, ascendet in secula seculorum.* Qui tunc tremor, quæ caligo, quæ tenebræ, criminosos quosque, negligentes ac tepidos occupabunt?

bunt? Ne ergo & nos in istum veniamus cruciatum animæ, expergiscamur dum corrigendi tempus est & voluntatem Domini nostri tanquam boni serui & vtiles requiramus; vt cum dies ille iudicij, quem elibanus ille ardens & fumans significauit, tremendus & nimirùm etiam bonis expauescendus aduenerit, non cum mortalibus quos illa animalia figurabant, qui per diuersas voluptatum contentiones diuidi possunt flammis vltricibus cruciemur in inferno; sed simplicitatem columbæ, & castitatem turturis præferentes, spiritalibus virtutum pennis eleuemur in cœlum, secundùm illud quod ait Apostolus, *simul* (inquit,) *rapiemur in nubibus, obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.*]

698 Subnecto Saluianum non minùs elegantia scriptionis, quàm pietate præstantem, iuxta quem præsentissimum est aduersus omnia mala remedium, iudicij & particularis & postremi recogitatio, quia exsuscitat sopitam de eo iudicio fidem. Quæ si vigilaret in nobis, attentos nos ad omnia mala cauenda, præstaret. Expostulat ego Saluianus, torporem nostrum, ex infidelitate, & iudicij diuini futuri inficiatione, ortum habere. Si autem præter cætera ratiocinatur lib. 3. ad Eccles. Cathol. [In ipsa hac vita hominum, si iudicandum se aliquis ab humana hac potestate, & rapiendum ad tribunal terrenum esse cognouerit, Aduocatos requirit, Patronos adhibet, Officialium atque Apparitorum gratiam fauorémque mercatur; & hæc omnia metu iudicij futuri agit; cum tamen euentum iudicij comparare non possit, adeò etsi victoriam emere ipsam non valet, spem tamen victoriæ magno emit. Dic mihi quisquis ille es, qui credere te iudicium Dei dicis, tu si vel suppradictorum exemplo hominum, iudicandum te esse à Deo crederes, nónne spem ac salutem tuam, quolibet pretio comparares? sed non credis, vtique non credis: & licet credulitatem tuam verbis velis adseuerare, non credis: verbis enim vt ait Apostolus, confiteris sed factis negas.]

Præuierat Origenes hom. 9. in Leuit. *sub medium*, tractans basillum plenam carbonibus. [At hæc (inquit) cum dicuntur, contemptui habentur. Quare? quia fides deest. Alioquin si tibi hodie diceretur, quia iudex seculi vult te crastino viuum exurere, & his auditis, esset tibi vnius diei spatium liberum quanta faceres? quomodò & per quos discurreres? quàm humilis, quàm lugens & sordidus oberrares? Nonnè effunderes omnem pecuniam tuam, in eos quorum intercessione euadere posse te crederes? Nónnne omnia quæ possides, redemptionem faceres animæ tuæ? Quod si etiam aliquis te retardare, aut impedire tentaret, nónne diceres, pereant omnia pro salute mea, nec quicquam remaneat, tantùm vt ego viuam. Hoc quare faceres? quia inde non dubitares; hinc dubitas. Et ideò benè Dominus dicit: *Putas veniens filius hominis, inueniet fidem super terram?* Et quid ego dico de certis indubitatisque periculis? Tantummodò si causa dicenda sit apud iudicem terrenum, quæ aliquem metum ex legibus habere videatur, nónne omnibus vigiliis excubatur? Aduocato patrono munera præparantur, etiam si anceps periculum sit, aut etiam solius notæ metus, vel damni ratio. Nos quare non credimus, quod omnes adstabimus ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bona siue mala? Hæc si integrè crederemus, esset nobis secundùm quod scriptum est, *Redemptio animæ viri, diuitiæ eius.*]

699 De industria sanè Deus, quam sententiam laturus sit in iudicio, norum nobis esse noluit, vt præoccuparemus tempus; & quale de nobis ferri cupimus iudicium, operibus præstemus vt feratur. S. Augustinus lib. de Quibus cap. 3. id egregiè notauit. [Est nunc tempus (inquit) audiendi, quia ille nondum assumpsit tempus iudicandi. Qui loquitur, modò tacet. Loquitur enim modò in præcepto, tacet in iudicio. Ideò dicit quodam in loco, *tacui, nunquid semper tacebo?* Quomodò tacuit, cum hoc ipsum loquendo dixerit? Qui dicit *tacui*, non tacet, quia & hoc ipsum dicere, *tacui*, non tacere est. Audio ergo te loquentem in tot præceptis, in tot sacramentis, in tot paginis, in tot libris. Audio denique in hoc ipso quod dicis *Tacui, numquid semper tacebo?* Quomodò ergo tacuisti? Quia nondum dico, *venite benedicti Patris mei, percipite regnum:* Et nondum dico aliis, *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo & Angelis eius.* Et nondum hæc ipsa ita dico, vt iam prædicani vltimam sententiam quam dicturus est iudex in tabella descripturus manu sua; vltrà quam sententiam, nihil iam iudicaturus est, partes non audiunt. Illis foras exeuntibus scribitur, attonitæ sunt ambæ partes atque suspensæ, contra quam, vel pro qua, sententia illius procedat. Magnum secretum iudicis, vnde *secretarium* nominatur. Magnus timor eorum qui in causa sunt. Quid ille cogitet, & quid scribat ignoratur; Et homo est, & illi de quibus ille iudicat, vtique homines sunt. Ille autem, Deus noster est, & nos populus pascuæ eius, & oues manuum eius. Et cum sit ille creator, nos creatura; ille immortalis, nos mortales; ille inuisibilis, nos visibiles; noluit nos latere in hac vita, quam vltimam sententiam in fine dicturus sit: Nemo ante dicit, *damno*, qui vult damnare: nemo ante dicit, *feria*, qui vult ferire. Magna ergo leuitas, magna misericordia, magna mansuetudo: sed non abutamur patientia eius ad nostram nequitiam.] Idem serm. 109. de tempore. [Quid ergo facimus fratres, nisi vt dum tempus est, vitam mutemus, & facta nostra, si qua sunt, corrigamus? vt quod sine vlla dubitatione venturum est peccatoribus, nos non inueniat super quos veniat: Non quia non erimus, sed vt non tales inueniat, qualibus venturum esse prædictum est. Propterea se Iudex venturum minatur vt non inueniat quos puniat, cum venerit: Propterea illud cantant Prophetæ, vt corrigamur. Si damnare vellet, taceret. Nemo volens ferire, dicit, *obserua.* Totum fratres quod audiuimus per Scripturas, vox est Dei dicentis, *obserua.* Et totum quod patimur tribulationis in hac vita, flagellum Dei est, corrigere volentis, ne damner in fine.]

700 Optimum, securitatis in Christi iudicio remedium, subministrat S. Gregorius 25. Moral. c. 6. nempe iudicare hîc seipsum. [Nunc ergo dum possumus, à conspectu æterni iudicis & malè cogitata & peius perpetrata deleamus, & reuocemus ante oculos cordis, quicquid pernesè egimus

egimus per nequitiam præsumptionis. Nihil sibi nostra blandiatur infirmitas ; atque in his quæ recolit, semetipsam delicatè non palpet, sed quanto sibi mali sit conscia, tanto in se benignius sit seuera. Proponat contra se futurum iudicium: & quæque in se sentit districtè ferienda per sententiam iudicis, hæc in se piè feriat per pœnitentiam conuersionis.] Et mox, exponens illud, *neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium*, ita scribit. [Hic nimirum non illud iudicium designatur, quod per æternam retributionem punit, sed quod mente conceptum per conuersionem diluit. Ad illud quippe venire non desiderat, quisquis se per illud damnari formidat. Dum ergo dicitur; *Neque enim vltrà in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium*, profecto ostenditur esse quoddam iudicium, quod quandoque etiam à damnatis, ac reprobis desideretur. Et quid est illud, nisi hoc de quo Paulus Apostolus dicit, *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*: Et de quo per Prophetam dicitur; *non est iudicium in gressibus eorum.* Et de quo Dauid ait; *honor regis iudicium diligit?* vt videlicet qui iam Deum honorat ex fide, sollicitè iudicet quid ei debeat in operatione. Vnde rursum scriptum est; *Iudicare coram Domino, & expecta eum.* Coram Domino scilicet iudicatur, qui corde Dominum conspicit, & actus suos sub eius præsentia, sollicita, inquisitione discernit. Quem tanto quisquis securiùs expectat, quanto quotidie vitam suam suspectus examinat. Qui enim ad extremum eius iudicium venit, non iam coram illo, sed ab illo iudicatur.]

Tandem hanc esse Sanctorum praxim, & cogitationes eorum vt dicitur prouerbiorum 12. *esse iudicia* tradit S. Gregorius, his præter cætera. [In hoc secreto interioris iudicij, ipsa mentis suæ executione constricti, pœnitendo feriunt, quod superbiendo cõmiserunt. Ibi namque aduersùm se, quicquid se impugnat, enumerant; ibi ante oculos suos omne quod defleant coarceruant; ibi quicquid per iram districti iudicis decerni possit, intuentur; ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent. Nec deest in hoc iudicio mente concepto, omne ministerium quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eo certiùs punit, quo interiùs sæuit; quia videlicet ab exterioribus non accedit. Vnusquisque enim cum causam huius examinis contra se aggredi, cœperit, ipse est actor qui exhibet, ipse reus qui exhibetur. Odit se qualem fuisse se meminit, & ipse qui est, per semetipsum insequitur illum qui fuit, atque ab ipso homine aduersùs semetipsum fit quædam rixa in animo, parturiens pacem cum Deo. Hanc cordis rixam Dominus requirebat, cum per Prophetam diceret: *attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci?* Ita cordis humani rixa placata est, cum Prophetæ suo de Achab Rege semetipsum reprehendente loqueretur, dicens: *Vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa; non inducam malum in diebus eius.* Quia ergo nunc in potestate est, interna[illegible] mentis nostræ contra nos subire iudi[illegible]um, recognoscendo accusemus nosmetipsos; & quales fuimus, pœnitendo torqueamus. Non cessemus dum licet iudicare quod fecimus. Audiamus cautè quod dicitur; *neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium.*]

Astipulatur apud Cyprianum Autor sermonis de Cœna Domini. [Accusatrici conscientiæ, necesse est coram iudice respondere; nec potest esse vllum diffugium, vbi ipsa testis est quæ accusat, & nihil ei potest esse occultum qui iudicat. Sed vbi cum iudice agit qui iudicatur, & & ipse in partem accusatoris transiens etiam in sua proscriptione sententiam approbat condemnantis, experitur clementiam Saluatoris, & lætabundus canit, *Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem.*]

701 S. Bernardus id ipsum egregiè confirmat serm. 55. in Cant. cum ait. [*Si nosmetipsos diudicauerimus, non vtique iudicabimur.* Bonum iudicium quod me illi districto diuinóque iudicio subducit, & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis. Volo vultui iræ, iudicatus præsentari, non iudicandus. *Spiritualis homo omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur.* Iudicabo prouidè mala mea, iudicabo & bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire ieiuniis, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis de me humiliter sentiam, & iuxta præceptum Domini, seruum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantùm feci. Dabo operam, nec folia pro granis, nec paleas cum granis offerre. Scrutabor ego vias meas & studia mea: quo is qui scrutaturus est Hierusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, siue indiscussum inueniat; neque enim iudicaturus est bis in idipsum. Quis mihi det, ita ad liquidum prosequi, & persequi vniuersa delicta mea, vt in nullo oporteat vereri oculos capreæ, in nullo ad lumen contingar erubescere lucernarum.

Quisquis ad eum modum, memor vltoris gladij & iudicij incorrupti, de se in se tolerit iudicium, de se tribulationibus, (totam vitam scilicet grauantibus liberabitur; & in septima, non tanget eum malum. Idest interprete S. Gregorio 6. Moral. cap. 18. in iudicio abibit immunis, & à flagello linguæ, ac verbo aspero, (idest à sententia feriente,) eripietur; vt idem exponit 8. Moral. cap. 2. Nimirum quia viuet in summa puritate. Nec enim fieri potest vt peccet, qui Deum recogitat iudicem, vt monet S. Clemens Epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini. Quare hæc nobis deberet esse perpetua cogitationum ac sermonum materia. Intolerandúmque est, quod aliqui tales cogitationes & tales sermones refugiant. Hos castigat meritissimò S. Chrysostomus hom. 2. in 2. ad Thessal. *in morali*, his præter cætera. [Ne fugiamus sermones de gehenna, vt gehennam fugiamus. Ne fugiamus pœnæ mentionem, vt non puniamur. Si dives ille, illum ignem cogitasset, non peccasset. Quoniam autem eius nunquam meminit, ideò in eum incidit. Dic mihi ô homo cum sisterendus sis ad tribunal Christi, quæuis potiùs quam de eo loqueris: & cum sit tibi lis apud iudicem, sæpè verbis tenus, non noctu, non interdiu, non aliquo temporis momento, non hora aliqua aliquid aliud loqueris, sed perpetuò de re illa: De tota autem tua vita rationem redditurus & iudicium subiturus, nè eos quidem toleras,

qui hoc iudicium tibi mentem reuocarit? Propterea ergo omnia perierunt, & sunt perdita ac profligata, quod ad humanum tribunal sistendi, pro rebus quæ ad hanc vitam pertinent, omnia mouemus, quemlibet rogamus, assiduè de eo sumus solliciti, omnia pro eo agimus: Ad Christi autem tribunal non multo post venturi, nihil nec per nos, nec per alios agimus. Iudicem non rogamus, quamuis nobis longum det diem præstitutum, & nos non rapiat in mediis peccatis, sed permittat vt ea exuamus, & nihil eorum quæ ad ipsam pertinent, prætermittat illa bonitas & benignitas. Sed nihil ampliùs efficit. Propterea maius est supplicium. Sed absit, vt sit. Propterea rogo, vt in præsentia resipiscamus, gehennam ante oculos habeamus, cogitemus illam inexitabiliter reddendam rationem: vt hæc reputantes, & vitium fugiamus, & virtutem eligamus, & possimus assequi bona, promissa iis qui ipsum diligunt.]

Hoc itaque sapite, hoc cogitate mortales omnes. *Fugite à facie Gladij, quia vltor iniquitatum Gladius est & scitote esse iudicium.* Frustra autem impios dum sibi ablandiuntur, in hac fide vacillare, euincit Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 157.

## CAPVT IX.

### *Christus caput super omnem Ecclesiam.*

702 HVNC titulum Christo disertè tribuit Apostolus. Et quia Ecclesia non est tantùm militans, sed etiam triumphans, siue primitiuorum in cœlis conscriptorum, quos inter numerantur Angeli; propterea perspicuum est hunc Christi titulum, spectare & homines & Angelos, esseque huius feriei proprium. Vt autem liqueat, Christum verè esse caput Ecclesiæ, ex militante & triumphante compactæ, quod vnum affirmo; dimissis damnatis, quorum æquè caput Christum statuit Puteanus 3. parte q. 8. dub. 1. nec abhorret Bonacina, disp. 2. de Incarnat. q. 18. puncto 1. n. 3. vt inquam liqueat, Christum esse caput modo proposito, duo sunt præmittenda: Primum est, Ecclesiam vniuersam, esse corpus quoddam. Secundum est, hoc corpus non esse acephalum, sed habere caput mysticum; cuius natura & ratio aperienda erit. His iactis fundamentis perspicua erit veritas proposita.

### *Ecclesia, corpus Christi mysticum, cuius anima Deus.*

Ecclesiam vocat Christi corpus, non quod ex Virgine susceperit, sed pro quo mortuus est, iuxta elegantem Petri Damiani distinctionem. serm. 29. Aliter dicitur, corpus non reale, sed mysticum. Quod ergo Ecclesia, sit corpus quoddam mysticum, seu morale, variis locis inculcat Apostolus. Sed fusè Ephes. 4. & Corinth. 12. & Roman. 12. vbi Interpretes fusè id versant. Itémque Turrec. lib. 1. summæ de Ecclesia cap. 43. & 28. Esse huius veritatis innumera in Scripturis testimonia (ait Concilium Paris. lib. 1. cap. 2. Breuiter dico, cum anima & materia apta constituant corpus physicum animalis, ad quod fit allusio in ea Ecclesiæ descriptione sub ratione corporis; dubitari non posse, quin Ecclesia sit verè corpus mysticum, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. v. 12. *Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi; & omnes in vno Spiritu potati sumus. Nam & corpus, non est vnum membrum, sed multa.* His verbis si benè introspiciantur, Apostolus perspicuè tradit, Ecclesiam Christi corpus, atque adeò Christum provt vna cum suo corpore persona est; duo continere quæ ad corpus spectant, nempe animam vnam, ac varia membra subordinata: Et eius quidem viuis corporis animam Deum esse, provt principium vitæ supernaturalis; corpus verò ex variis personis tanquam membris exurgere.

703 Quod Deum dico iuxta Apostolum esse Ecclesiæ animam, vulgatissimum est in Scripturis & Patribus. S. Augustinus optimè serm. 186. de temp. [Spiritus noster quo viuit omnis homo, anima vocatur. Spiritus noster quo viuit singulus quisque homo, anima vocatur. Et videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per pedes ambulat, omnibus simul adest membris vt viuant, vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, non vident aures, non videt lingua, nec loquitur auris & oculus, sed tamen viuit. Viuit, auris, viuit lingua, officia diuersa sunt, vita communis. Sic est Ecclesia Dei; in aliis Sanctis facit miracula, in aliis Sanctis loquitur veritatem, in aliis Sanctis custodit virginitatem; in aliis sanctis custodit pudicitiam coniugalem; in aliis hoc, in aliis illud singuli propria operantur, sed pariter viuunt. Quod autem est anima corporis hominis, hoc est Spiritus sanctus corporis Christi quod est Ecclesia. Hoc agit Spiritus sanctus in toto Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris vnius corporis.]

Sanctus Gregorius ad vers. 1. Psalmi 4. Pœnit. [Sicut est vna anima quæ diuersa corporis membra viuificauit, ita totam simul Ecclesiam, vnus Spiritus sanctus vegetat & illustrat. Sicut namque Christus qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu sancto conceptus est; sic sancta Ecclesia quæ corpus eius est, eodem Spiritu sancto repletur vt viuat; eius virtute firmatur, vt in vnius fidei & charitatis compage subsistat. Vnde dicit Apostolus, *ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.* Istud est corpus, extra quod non viuificat Spiritus. Vnde dicit Beatus Augustinus; si vis viuere de Spiritu Christi, esto in corpore Christi. De hoc Spiritu non viuit hæreticus, non viuit Schismaticus, non viuit excommunicatus. Non enim sunt de corpore. Ecclesia autem Spiritum viuificantem habet.]

Hoc ipsum est quod disertè & in actu signato profitemur in Symbolo, asserentes Spiritum sanctum esse Spiritum [illegible] vt proprie est animæ propria & germana [illegible] Quapropterea extra dubium esse debeat, [illegible]

ſanctum nEcclesiæ corpore tenere locum animæ mysticæ, vitam corpori præsentia sua conferentis. Nec aliter quoad ordinem naturæ pronuntiarunt Philosophi: qui Deum vocarunt *animam mundi*. Ita Aristoteles apud Clementem Alexandrinum in Protre. & Varro apud sanctum Augustinum, quarto Ciuit. cap. 31. qui id ibidem latè reiicit. Et lib. 1. de consensu Euangelistarum c. 23. & reiiciendum sine dubio est, si de physica animatione & informatione sit sermo, quam vnam spectauit S. Augustinus. Philosophos tamen prædictos, animam mundi vocasse Deum, quia omnia vegetat, & est operandi principium, quod in viuo corpore est animæ munus proprium, affirmat S. Gregorius Nazianzenus orat. 37. & S. Athanasius in calce libri de Incarnat. & Auctor libri de operibus Christi Cardin. serm. de Spiritu sancto. Est igitur Deus, anima Ecclesiæ. De vnione autem huius animæ cum suo corpore, consulendus D. Thom. Opusc. 61. c. 20.

### *Corporis Ecclesiæ, partes variæ, generatim.*

704 Iam verò Ecclesiæ corpus compingitur ex variis membris, quæ sunt proportionalia membris corporis naturalis. Vnde sicut in corpore animalis, sunt quædam membra quæ motui, quædam quæ virtuti apprehensiuæ, nonnulla quæ vegetationibus deseruiunt: ita in corpore hoc mystico, idem cernitur, vt S. Thomas considerauit. 1. Corinth. 12. lect. 3. Prima membra hoc est manus & pedes, conferens S. Thomas cum iis qui vita actiua distinentur. Secunda, cum iis qui vitæ contemplatiuæ sunt addicti. Quamquam hos iuxta Nysseni de ventre allegoriam hom. 14. in Cant. tertium ordinem propositum tenere dixeris; collocatis in secundo Præpositis ac Rectoribus. Possumus etiam vegetatiuę vitæ addictos habere quos Epictetus apud Arrianum *ventres & pudenda* nominabat. *Carnes* plerumque nominantur, & *Spiritui* contraponuntur. E sanè in hoc corpore mystico, non est necesse omnia membra eandem vitam viuere: sed quamuis omnia habeant Deum pro anima, tamen sicut varij sunt in anima veluti gradus, quatenus varias vitæ operationes principiat, ita Deus quatenus applicatur suæ creaturæ, vt principium vno modo supernaturaliter operandi (qua vna ratione est nobis tamquam anima,) habet rationem talis animæ supernaturalis & mysticæ: Habet autem rationem alterius animæ, quatenus coniungitur nobiscum ad operandum alio spiritualis vitæ genere. Hoc non contingit in vita corporali, quæ nobis per animam confertur. Cum enim anima nostra sit forma entitatiuè simplex veréque sub ratione formæ actuantis, & non tantum comprincipij efficientis iungatur corpori; impossibile est, vt vnum suum gradum conferat, quin omnes communicet. At anima corporis mystici, siue Deus, quia non vnitur immediatè, sed ad eum quem dixi modum, prout habitus infusi assistentiam Dei coëfficientis deposcunt, potest vnum veluti gradum spiritualis vitæ conferre, alio non collato. Sicque fideles iusti habét omnes vitæ gradus: fideles verò peccatores, non habent nisi infimum gradum vitæ spiritualis. At hæretici qui non tantùm charitate, sed etiam fide exciderunt, omni spirituali vita destituuntur: vnde ab Apostolo *arbores bis mortuæ* dicuntur.

His membris corporis mystici, siue Ecclesiæ sanctæ, annumeranda sunt agmina cœlestia; itavt corpus Christi mysticũ quod est Ecclesię, non ex hominibus tantùm, sed etiam ex Angelis, tamquam ex vnius totalis mystici corporis membris, coagmentetur. Insinuatur id sepè apud Paulum, & definitum est in 1. Conc. Nicæno, eo canone quem Franciscus Turrianus retulit l. 2. de dogmat. Charatt. *initio*, his verbis conceptum [Vna est Ecclesia in cœlis & in terra.] Quo fortassis respexit S. Augustinus collat. 3. contra Donatistas, sic scribens. [Probant Catholici Patres, non esse aliam Ecclesiam à regno Dei: sed vnam & eamdem, quæ nunc aliter est, & aliter postea futura.] Optimè quoque in Enchir. cap. 56. Ecclesiam Catholicam quam in Symbolo profitemur, ex Angelis & hominibus coalescere confirmat. Idem illustrissimè tradit Theophanes Nyssenus lib. contra Iudæos, descriptus ibidem à Turriano qui vnam Ecclesiam ea Angelis hominibusque compingi, confirmat ex Apostolo ad Hebræos cap. 12. cum ait, *Accessistis ad montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret Verbum: Non enim portabant quod dicebatur; Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur, & ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit, exterritus sum, & tremebundus: Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis, & Iudicem omnium Deum, & Spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum.*] Hæc sic Glossat Theophanes. [Hæc ciuitas non est, vt illa in Palestinia; non inquam locus est ex muro & lapidibus, & calce ædificatus, plenus hominibus; sed potiùs cœtus naturæ rationalis, tum incorporeæ tum corporeæ, quæ Christum Deum habet artificem, auctorem, Regem, Pontificem, iudicem, gubernatorem, patrem nutricium. Verùm hic cœtus beatus qui Ecclesia Christi dicitur, non est totus in cœlis; imo parua eius pars in terra breui tempore, aliis alio tempore sibi succedentibus, versatur.]

Habes & Theophanis suffragio, & quod caput est, Apostoli auctoritate ab eo adducta, confirmatum; *primitiuorum nostrorum*, hoc est Angelorum qui nobis sunt primogeniti, & *iustorum perfectorum*, ideſt consummatorum per mortem, ducta ab Athletis metaphora; & nostri omnium qui accessisse dicimur coalitum in vnam ciuitatem, & in vnum cœtum, ac corpus. Vox Græca quam vulgatus vertit *frequentiam*, Græcè est *panegyris*, de qua pulcherrimè S. Chrysost. orat. de S. Philogonio tractans hunc locum. Ex Theolepto Episcopo Philadelphiæ lib. 2. de schismate, alium perpulchrum locum quo ex Angelis & hominibus, cœlóque & terra vnam Ecclesiam confici, traditur. Adducit Turrianus lib. 2. de Euchar. c. 12. Nec plura hoc loco generatim, de Ecclesia mystico corpore, eiusque membris.

*Obiter de partibus quibusdam dissimilaribus eiusdem corporis.*

705 Pateret circa eadem in particulari spectata, latus ad excurrendum campus, si luberet excurrere in ea quæ de variis membrorum humani corpoti accommodationibus ad varias in Ecclesia personas, traduntur in Scripturis & Patribus: referendo scilicet, qui dicantur Ecclesiæ oculi, qui aures, qui dentes, qui manus, qui pedes, & huiusmodi alia. Passim sanè videmus, in Scripturis cœlum malignantium & Ecclesiam impiorum, variis membris humana referentibus instructam repræsentati Audi breuiter Ioannem Sarisberiensem lib. 8. Policrat. cap. 17. [Habet & Respublica impiorum caput & membra sua, & quasi ciuilibus institutis legitimæ Reipublicę nititur esse conformis. Caput ergo eius, Tyrannus est, imago Diaboli; ) Tyrannum, præmiserat esse malum superiorem Ecclesiasticum: ) anima hæretici, Schismatici, sacrilegi, Sacerdotes: & vt verbo Plutarchi vtar, præfecti religionum impugnantes legem Domini. Cor consiliarij impij, quasi Senatus iniquitatis, oculi, aures lingua, manus inermis, iudices, & leges, officiales iniusti. Manus armata, milites violenti, quos Cicero *Latrones* appellat. Pedes, qui in ipsis humilioribus negotiis præceptis Domini & legitimis institutis aduertantur.] Hæc cum de impiorum, Republica, & mystico iniquitatis corpore verè dicantur, consentaneè ad Scripturas & Patres, æquè, imo potiore iure, de Ecclesia Dei in contrario sensu affirmari possunt, seruata proportione. Multus est in huiusmodi mystico genere partium aperiendo Gregorius Nyssenus hom. 7. in Cant. & Isido. de Isolanis lib. 1. de Imperio militantis Ecclesiæ titulo 9. q. 3. Per satyram duntaxat signabo aliquos, dimissis innumeris qui alibi vbiuis prostant, à quibus certæ in Ecclesia personæ, certorum membrorum nomina habent.

*Oculi*, Præsides & Superiores in Ecclesia. Nyssenus hom. 7. in Cant. Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 112. & egregiè Raymundus Iordanus, Vticensis Præpositus in opere de oculo mystico, quod pœnes me est. Hoc nomen ei Scriptori qui hactenus vulgo dictus *Idiota*.

*Aures*, Plebs fidelis, verbi Dei bibula, Origenes hom. 2. in Cant. & in cap. 12. ad Romanos.

*Nasus*, Discreti & sapientes in Ecclesia. Honorius Augustod. in cap. 7. Cant. & pulchrè Philo Carpathius ibidem, tractans cur Leuit. 21. qui paruo, vel grandi, vel torto naso erant, repellerentur à sacerdotio, defectu discretionis.

*Genæ*, Martyres. Richardus suo cap. 38. in Cant.

*Os*, Interpres legis diuinæ, habens loquendi gratiam, Origenes hom. 3. in Exod.

*Lingua*, Concionator Apostolicus. S August. in Psal. 67. & plerique Patres ibi, ad illud, *lingua canum tuorum*.

*Dentes*, Doctores. Nyssenus hom. 7. in Cant. Augustinus in Psal. 3. versu. 8. Petrus Damiani serm. 3. de Ioanne Baptista & innumeri apud Delrium Cant. 4. ac Sandæum libro 6. Theol. Symbol. commentar. 5. Exercitat. 11. Certè Apostolus 2. Timoth. 2. Doctorem sacrum vocat ὀρθοτομοῦντα *rectè scindentem*, quod dentis est proprium epitethum.

*Labia*, Concionatores, Richardus suo cap. 38. in Cant. Petrus Damiani serm. 19. *Vel certè*, duo Testamenta, quæ concorditer aperta, impleuerunt vocibus Dei, orbem terrarum. Autor commentariorum in Prouerbia ad c. 8. Tomo 8. Hieronymi.

*Manus*, Administratores bonorum Ecclesiæ, Nyssenus hom. 14. in Cant.

*Venter*, Boni coniugati. Richardus c. 38. in Cant. Apud Augustinum item ad illud *adhæsit interra venter noster*, corporis Christi & Ecclesiæ, venter, sunt carnales & imperfecti.

*Pedes*, Apostoli Clemens Alexandrinus 2. Pædagogi cap. 8.

*Capilli*, Apostoli. Nyssenus homil. 13. in Cant.

Vniuersaliter bonam partem prædictorum membrorum ad varios Ecclesiæ status tamsecularem quàm sacrum retulit Walafridus lib. de rebus Eccles. c. 31. in fine, vbi ex vtriusq; illius status coniunctione vnũ ait effici corpus. [Cunctis membris officiorum suorum fructus mutuæ vtilitati conferentibus, dum oculus est in sapientibus qui veram lucem & percipiunt & insinuant, os in Doctoribus, auris in benevolis Auditoribus, nasus in discretionis amatoribus, manus in operatoribus, pedes in proficientibus, venter in compatientibus, humeri in laborum toleratoribus, & cuncta in cœteris, vt non sit schisma in corpore.]

*Partes Principes eiusdem corporis. Cor, Spiritus sanctus.*

706 Sunt huic quoque mystico corpori, partes suæ principes, de quarum præcellentia non potest esse lis; cuiusmodi est inter Physicos & Medicos, de præcellentia partium principum corporis animalis. Hic partes principes, sunt planè æquales, & eiusdem dignitatis. Cor Ecclesiæ, iuxta S. Thomam 3. parte quæst. 8. art. 1. *ad vltimum*, est Spiritus sanctus. Et meritissimò Spiritus sanctus in mystico Ecclesiæ corpore confertur cordi, quod est Spirituum vitalium & remotè quoque animalium, officina; & arx vitæ corporeæ. Similiter enim Spiritus sanctus, est fons & principium vitæ spiritualis, & ab eo prodeunt omnes spiritus, quorum interuentu aliquid spiritualiter agimus. *Nemo enim potest dicere. Dominus Iesus*, ideſt aliquid quomodolibet ad salutem pertinens ac supernaturale operari, *nisi in Spiritu sancto*. Hic vt scitè dixit Cyrillus Hierosol. cath. 16. est gratiarum omnium Parochus, fons inquam omnis Spiritus, quod est principium operationis & motus spiritalis in nobis. Scitè Origenes in Ezechielem expendens illud, *qui prophetant de corde suo* cor non suum quo Ecclesia res Dei eructat, de quo Moses, Paulus, & alia primaria Ecclesiæ membra hauserunt ait esse Spiritum sanctum. Nimirum quia Spiritus sanctus est promptuarium è quo omnes spiritualis vitæ functiones promuntur. Quemadmodùm à corde corporeo ob proportionalem rationem, pendet vita corporea. Idque spectasse videtur S. Dionisius cap. 15. Cœlestis Hierarchiæ, cum dixit, cor esse Deiformis vitæ Symbolum; illius inquam vitæ

vitæ quam Spiritus sanctus viuificans, præstat animæ nostræ.

Scio Origenem hom. 18. in Iosue cor Ecclesiæ, assignare eum qui omnia cum ratione & prudentia gerit; & ita cuncta dispensat, quasi non sit aliud nisi cor. In quem sensum interpretatur nomen *Calebi* quod ait sonare *quasi cor*. Et eodem sensu dixit Oseas, *loquimini ad cor Hierusalem*, idest ad Rectores & Consiliarios eius. Verùm Origenes ibi, non accipit cor pro primo vitæ principio, vt nos hîc accipimus; sed pro parte rationali, quæ frequens est vsurpatio *cordis* in Scripturis. Præstat ergò cum Origene priore loco, Spiritum sanctum cor Ecclesiæ agnoscere, quod fecit etiam Guliel. Abbas ad Fratres de monte Dei, *sub finem*, tractans locum ex 2. Corinth. 6. [Apostolus (inquit,) prudenter interserunt Spiritum sanctum dicens; *in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* Vide enim quomodò tanquam omnia facientem, ordinantem, & viuificantem, in medio bonarum virtutum, sicut cor in medio corporis, constituit Spiritum sanctum. Ipse est enim omnipotens artifex creans hominis ad Deum bonam voluntatem, Dei ad hominem faciens propitiationem, formans affectionem, dans virtutem iuuans operationem, agens omnia fortiter, & disponens omnia suauiter. Ipse viuificat spiritum hominis, & continet in vnum, sicut & ille viuificat & in vnum continet corpus suum. Homines doceant Deum quærere, Angeli adorare: solus ipse est, qui docet inuenire, habere, & frui.]

### *Caput eidem necessarium. Visibile & secundarium, Romanus Pontifex; primarium Christus.*

707 Altera pars princeps mystici corporis, in qua *thesaurus opulentissimus cerebri*) vt Theodoretus serm. 3. de Prouidentia scitè dixit) *tanquam in arce custoditur*, caput est. Omnia et sensoria (de quibus supra,) tanquam trunco conseruntur & implantantur. Omnium ibi functionum animalium principium. Ibi penus & promptuarium spirituum animalium, quorum est ad sensationes & motum, summa necessitas. Ibi animæ veluti tribunal, ait Cassiodorus lib. de anima cap. 15. Ibi totius diuini operis quasi culmen, iuxta Lactantium libro de opif. Dei cap. 20. Ex aliis luculenta huius membrorum omnium rectoris elogia, cumulaui in Scalis à visibili creatura ad Deum, gradu vndecimo. Vnus pro omnibus sat hîc erit S. Ambrosius qui sic habet 6. Hexaëm. cap. 9. [Vt cœlum eminet aëri, terris maria, quæ velut quædam membra sunt mundi: ita etiam caput, supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimúmque esse omnium; tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua vrbis mœnia. In arce autem hac, regalem quandam habitare sapientiam, secundùm Propheticum dictum, *qui a oculi sapientis, in capite eius.* Hanc esse cæteris tutiorem, & ex illa omnibus membris vigorem prudentiamque deferri. Quid enim robur & validitas lacertorum proficiat, quid velocitas pedum, nisi capitis velut Principis sui, Imperialis quædam adminiculetur potestas? ex hoc enim aut destituuntur vniuersa, aut omnia fulciuntur.] Et mox [Quid sine capite est homo, cùm totus in capite sit? Cum caput videris, hominem agnoscis. Si caput desit, nulla agnitio esse potest. Iacet truncus ignobilis sine nomine. Sola ære fusa Principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore, ab hominibus adorantur. Non immeritò igitur, huic quasi consultori suo, cætera membra famulantur, & circumferunt illud seruili gestamine, sicut numen, atque in sublime locatum vehunt. Vnde censoria potestate, quò vult dirigit quorundam obsequia seruulorum, & præcepta singulis obeunda decernit. Videas Imperatori suo, singula gratuito stipendio militare. Alia portant, alia pascunt, alia defendunt, & ministerium suum exhibent; parent vt Principi, ancillantur vt Domino. Inde velut quædam procedit tessera, quam debeant pedes obire regionem quæ militiæ munia manus consummandis operibus exequantur, quam venter abstinendi vel edendi formam, impositæ teneat disciplinæ.]

Hoc ergo tantæ in corpore necessitatis ac præcellentiæ membrum, non potest in mystico corpore desiderari. Lactantius lib. 6. institut. cap. 9. fidem pro capite mystici corporis, virtutes reliquas pro corpore agnoscit. Sed incommodè. Quidni enim potiùs caput charitas?

Video fore qui confestim ingerat, caput Ecclesiæ de Patrum omnium sententia esse Romanum Pontificem. Nam frequentissimum esse, vt is dicatur Ecclesiæ caput, neminem latet. Et multa in eam rem addensant qui de prærogatiuis Romani Pontificis disserunt. Præter cætera ita loquitur Concilium Chalcedon. Epistola ad Sanctum Leonem. Et S. Gregorius lib. 11. Regist. Epist. 42. Insigniter omninò S. Cyrillus in opere Thesauri, citatus à Sancto Thoma Opusculo 1. *sub finem*, his verbis. [Vt membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere quid credere, quid tenere debemus.]

Et quamuis ea verba in opere Thesauri quod nunc extat, non habeantur, quia mutilum est: tamen nemo Sanctum Thomam censuerit adeò vel malignum, vel effrontem fuisse, vt cum Græcis agens, voluerit testimonium confingere, seque Græcis præbere ridiculum. Quin etiam Gennadius agens de Pontificis Primatu, in defensione capitis quinti in Concilio Florentino determinati sect. 12. *initio*, & Andreas Colossensis sect. 7. Concilij Florentini, vterque Græcus, Cyrilli locum agnoscunt Germanum. Egregie denique Gelasius Papa tractatu nuper edito, & subnexo appendici Codicis Theodosiani *pagina* 184. Sanctum Petrum inter Apostolos simili virtute succinctos, compagis corporis Christi caput constitutum fuisse ait, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio.] Quæ verba habet etiam S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. Infert verò inde Gelasius eo loco, & Epist. ad Orientales quod æquè dixerat Felix Tertius Epistola 5. quæ est ad Flauitam Constantinopolitanum omnes vbiuis terrarum Episcopos, cum eligebantur, illicò curasse confirmari, & solidari per Pontificem Romanum. Esse igitur Romanum Pontificem caput Ecclesiæ, in con-

fessò est apud Catholicos. Nisi igitur Ecclesiæ corpus monstrosum esse velimus, & biceps, videbitur cuipiam non esse quærendum caput aliud: neque hoc resecto & decollata Ecclesia, vt August. serm. 45. de verbis Dom. *in fine* loquitur; aliud ei caput appingendum.

Nihilominùs certum est, Christum solum, esse primarium Ecclesiæ caput; quamuis secundariò, & sub Christo, Romanus Pontifex sit quoque caput Ecclesiæ, quidquid mussent Hæretici, Caluinus præsertim lib. 4. Institut. cap. 6. §. 9. vbi ex eo contendit non esse Papam caput Ecclesiæ, vt est apud Catholicos ratum, quod caput Ecclesiæ Ephesiorum 4. Christus esse prodatur: eiusque idcirco corpus, passim dicatur Ecclesia, non Pontificis Romani. Et verissimè quidem diceret, Christum esse primarium caput, Pontificem autem non esse Ecclesiæ caput, nisi sub Christo; qualis est Prorex sub Rege, in regno. Ideóque sicut regnum non dicitur Proregis, ita Ecclesia non dicitur corpus Pontificis. Tamen negare non debuit Pontificem esse Ecclesiæ caput visibile, Christo primario capiti nunc inuisibili, subiunctum: quod tamen præ Christo, non sit caput, sed membrum inferius, vt est apud S. Gregorium lib. 4. Epist. 28. Hunc nodum latè & benè expedit Gabriel lectione 23. in Cano. *littera M & N.* demonstrans, rationem primarij capitis quæ Christo competit probè cohærere cum ratione capitis vicarij, assignata Romano Pontifici.

### *Scripturæ, pro Christo Ecclesiæ capite.*

708 Est igitur corporis huius mystici caput mysticum primarium, & absolutè dictum, Christus Dominus. Hoc Scripturæ, hoc Patres infinities produnt. Apostolus luculenter. 1. Corinth. 12. *vos estis corpus Christi, & membra de membro.* En fideles dictos *Corpus Christi*, quia ei subsunt vt capiti S. Thomas ibi lect. 3. eodem refert illud, *& membra de membro.* Quod Theodoretus, & Oecumenius, passimque alij Græci, ita accipiunt, vt sensus sit, *omnes qui vbique sunt fideles, corpus sunt Christi: vos autem Corinthij, non estis soli totum corpus, sed estis membra eius; non omnia, sed ex parte.* Paucis sed pulchrè Isidorus Pelus. lib. 4. Epist. 104. Rogatus huius loci sensum, sic respondit. [Arbitror quia quotquot vbique viuunt homines, Ecclesiæ vniuersalis sub Sole per totum orbem dispersæ, corpus constituunt Christi; Corinthij verò pars erant huius corporis. Ideò Paulum hoc dixisse; *Ex parte:* quasi dicetet, Ecclesia quæ apud vos est, membrum est Ecclesiæ vniuersalis vbique locorum diffusæ. Quamobrem æquum esset, vos non solùm inter vosmetipsos (discordias enim fouebant,) verùm etiam cum omnibus per orbem terrarum degentibus passim fidei sociis, concordiam colere omni discordia procul relegata.] Etherius & Beatus scribentes contra Elipandum *sub finem* libri 2. *membrum de membro,* interpretantur *particulam vnius membri.* Et accommodant iis qui in Ecclesia subsunt, quia sunt sub membris. Origenes hom. 7. in Leuit. *membra de membro* interpretatur, *non plenè & integrè, sed ex parte tantùm:* quia ob imperfectiones hîc nostras, non sumus plenè membra Christi. At S. Thomas, cum aliis modis à sensu proposito alienis, tum hoc primùm exponit ea verba; *vos estis membra dependentia de Christo membro.* Notatque S. Thomas, quamuis Christus secundùm diuinitatem non habeat rationem membri aut partis, tamen secundùm humanitatem dici *membrum.* Est enim caput, quod vtique membrũ est. Id tamen duriusculum videtur, & refellit eam Apostoli expositionem de dependentia Cabasilas in expositione Liturgiæ cap. 38. [Christi Ecclesiam (inquit) si quis videre potuerit, eo ipso quod ei vnita est, & est eius carnis, particeps, nihil aliud videbit quàm ipsum corpus Domini. Propter hanc rationem, *vos estis corpus Christi* (inquit Paulus) *& membra ex parte.* Non enim Christi in nos curam & prouidentiam, institutionémque & admonitionem, & nostram in eum subiectionem significare volens; illum quidem caput, nos autem membra appellauit; sicut & nos cognatorum vel amicorum membra, vocamus, hyperbole vtentes: sed illud ipsum significans quod dicebat, fideles scilicet iam per hunc sanguinem viuentes in Christo vitam, & verè ab illo capite dependentes, & hoc corpore indutos.]

109 Idem Apostolus Coloss. 1. agens de Christo, *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium.* Hunc locum tanquam illustrissimum adhibet ad hanc veritatem comprobandam S. Gregorius ad versum primum Psalmi 4. Pœnit. adiungitque alia Scripturæ loca (sunt autem propè infinita,) quibus Christus in persona membrorum & corporis sui, aliquid proferens inducitur. [Nec mirandum, si ea quæ nobis solummodò congruunt, quasi sint sua, Christus pronunciat. Vnum quippè corpus est tota sancta vniuersalis Ecclesia, sub Christo Iesu, suo videlicet capite constituta. Vnde ait Apostolus; *Ipse est caput corporis Ecclesiæ qui est principium, primogenitus ex mortuis.* Ipsa est enim quæ per Prophetam iucundatur & dicit *nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.* Pater enim, filium qui est caput Ecclesiæ, super inimicos eius exaltauit, cum destructo mortis imperio, in sæ illum maiestatis æqualitate constituit, cui & dixit; *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Christus itaque cum tota sua Ecclesia, siue quæ adhuc versatur in terris, siue quæ cum eo iam regnat in cœlis, vna persona est.]

Eadem doctrina infinities apud S. Augustin. inculcatur, nominatímque in Psal. 30. ad vers. 1. post plura, verbis illis. [In membris Christi, Christus. Et vt noueritis, quia vnus dicitur Christus, caput & corpus suum, ipse dicit cum de coniugio loqueretur, *erunt duo in carne vna. Igitur iam non duo, sed vna caro.* Sed fortè hoc dicat de quocunq; coniugio. Audi Apostolũ Paulum; *Et erunt duo,* (inquit,) *in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Fit ergo tanquam ex duobus vna quædam persona, ex capite & corpore, ex sponso & sponsa. Nam vnitatem personæ huius miram & excellentem, commendat etiam Elias Propheta. Nam loquens etiam in eo Christus, vt in Propheta ait, *sicut sponso alligauit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento.* Se dixit sponsum, se sponsam. Quare se sponsum, se sponsam, nisi quia duo in carne vna? Si duo in carne vna, cur non duo in voce vna? Loquatur ergo Christus, quia in Christo loqui

loquitur Ecclesia, & in Ecclesia loquitur Christus, & corpus in capite, & caput in corpore. Audi Apostolum hoc ipsum euidentiùs exprimentem; *sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum est corpus, sic & Christus.* Loquens de membris Christi, hoc est, de fidelibus, non ait, *sic & membra Christi*, sed totum hoc quod dicit, Christum appellauit. ] Optimè item in Psal. 61. & 42. & 122. & serm. 61. de verbis Domini, & hom. 21. in Ioannem. Est ea de re vna apud Ticonium regula. Hæc ex Scripturis, & modo loquendi Scripturarum, accommodatè ad vendicandum Christo homini, dignitatem capitis Ecclesiæ.

### *Patres, Christo vendicantes eundem titulum.*

710 Autoritas verò Patrum, disertè & explicitè agnoscentium, Christo Deo homini competere titulum capitis Ecclesiæ, ferè superfluè videtur proferenda: cum prostent vbiuis innumera pro hac veritate testimonia. Pauca selectiora produco. S. Epiphanius hæresi 80. reprehendens Messalianos, qui comam fouebant oblongam, ait id Nazareis ex voto olim licuisse, *donec veniret votum mundi.* Christo autem orbi monstrato, & in caput nostrum constituto, non esse ignominia afficiendum virile caput, nutriendo comam; quod est, ipsum Christum caput nostrum, probro afficere & dedecorare.

Nyssenus hom. 13. in Cant. tractans ilud *caput eius aurum cephas*, præmissa notione vocis illius Hebrææ, quam ait relictam Hebræam, quod interpres verbum Græcum eiusdem emphatis desponderet, significare tamen aliquid planè immixtum, & sincerissimè ac purissimè defœcatum, subdit. [ Hoc vt de dicto proposito statuamus, adducimur: nimirum corporis Ecclesiæ caput esse Christum. Christum verò nunc dicimus, non hoc nomen ad æternitatem Deitatis extendentes, sed ad hominem, Deitatem in se recipientem; qui conspectus in terra est, & cum hominibus versatus; ipsius videlicet virginitatis germen, in quo habitauit omnis plenitudo Deitatis corporaliter ipsas primitias communis massæ, per quam Verbum naturam nostram induit redditam immaculatam, & ab omnibus adhærentibus ei naturaliter vitiis expurgatam. Sic enim Vates de ipso loquitur, *peccatum nullum perpetrauit neque inuenta fraus est in ore ipsius*, qui tentatus est per omnia ad similitudinem naturæ nostræ, excepto peccato. Corporis igitur Ecclesiæ caput, & totius naturæ nostræ primitiæ, aurum est purum, & alienum ab omni vitiositatis mistura.]

711 S. Augustinus 1. Trinitatis cap. 12. [Secundùm formam Dei dictum est, *ante omnes colles genuit me*: id est, ante omnes altitudines creaturarum. Et *ante luciferum genui te*; id est, ante omnia tempora, & temporalia. Secundùm formam autem serui dictum est; *Dominus creauit me in principio viarum suarum*: quia secundũ formam Dei dixit, *ego sum veritas*, & secundùm formam serui, *ego sum via.* Quin enim ipse est primogenitus à mortuis, iter fecit Ecclesiæ suæ ad regnum Dei, ad vitam æternam, cui caput est ad immortalitatem etiam corporis: & ideò creatus est in principio viarum Dei, in opera eius. Secundum formam enim Dei, *principium est quod & loquitur nobis*: in quo principio, fecit Deus cœlum & terram. Secundùm autem formam serui, *sponsus procedens de thalamo suo.* Secundùm formam Dei, *primogenitus omnis creaturæ, & ipse ante omnes est, & omnia in illo constant.* Secundùm formam serui, *ipse est caput corporis Ecclesiæ.* [ En Christum hominem, caput nostrum ad immortalitatem, & caput corporis totius Ecclesiæ. Pulchrè & fusè serm. 12. ex. 30. nouis tractans illud Esaiæ 57. *inhabitabunt in monte sancto meo*, quod de Christo dictum putat, quem vult appellatum *montem.* [Quia corpus eius est Ecclesia. Ipsa Ecclesia est mons. Et quid ipsa Ecclesia? corpus Christi. Adiunge illi caput, & fit vnus homo. Caput quis est? hic qui natus est de Virgine Maria, qui susceptit carnem mortalem sine peccato, qui à Iudæis cæsus, flagellatus, contemptus, crucifixus: qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ipse est caput Ecclesiæ, ipse panis de illa terra. Corpus autem eius quod est? Coniux eius, id est Ecclesia. *Erunt enim duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.* Sic & Dominus in Euangelio, cum de viro & vxore diceret, *igitur iam non sunt duo, sed vna caro.* Ergo vnum voluit esse hominem Deum Christum & Ecclesiam. Ibi caput, & hic membra. Sed ideò mori voluit caput, vt priùs resurgeret caput, priùs iret in cœlum caput, & in capite suo spem haberent cœtera membra, & expectarent impleri ergà se quod præmissum est in capite.]

S. Chrysostomus hom. 3. in ad Ephes. *in moral.* ex eo quod homo sit Christi capitis corpus, egregiè planè illum stimulat ad virtutem, vtque niratur mystice esse, quale fuit Christi corpus reale. [ Si corpus Christi es (inquit,) fer crucem; Ille enim tulit, fer purulentas ac sanioſas excreationes; fer alapas, fer denique clauos. Tale erat illud Domini tui corpus; illud inquam corpus, quod nullum admisit peccatum, neque dolus inuentus est in ore eius. Manus ipsius nihil non fecerunt, quod ad subleuandam liberaliter alienam inopiam pertineret. Nihil os illud promebat aliquando indecorum. *Dæmonium habes*, audiuit, nihil interim mitissimus respondebat. ] Hoc planè est, non modò Christum Ecclesiæ militantis caput agnoscere, sed etiam eximium inde fructum decerpere. Alium egregium fructum indidem colligit hom. 3. in ad Colos. [ Complures sunt (inquit,) qui gaudent in malis, & corpus Christi diuellunt magis quàm milites, qui lancea illud incidebant: aut quàm Iudæi qui clauis perforabant. Minus illud malum erat quàm istud. Membra illa quæ tum intercidebantur, denuo coadunata sunt. Ista verò auulsa, nisi hìc iterum coniungantur, nunquam coniungentur ampliùs; sed manebunt extra corpus. Quando fratrem impugnare vis, cogita te membra Christi impugnaturum, & cessabis ab insania.] Sed de fructibus ex hac veritate colligendis, infra dicendum. Nunc duntaxat spectamus quod hi fructus apertè supponunt, nempe Christum agnosci à S. Chrysostomo, caput Ecclesiæ.

*Allectio fidelium in Christi capitis membra, fit & per Incarnationem, & per Eucharistiæ sumptionem.*

712 Verùm quia Christum, Deum hominem, esse in humanitate caput Ecclesiæ provt homines complectitur, & homines esse membra eius, vix est cur reuocetur in dubium; idque passim inculcant Scripturæ & Patres, missum faciamus laborem proferendi plura Scripturæ & Patrum testimonia, quibus id testatum fiat. Illud etiam vt certum supponamus, hanc hominum in Christi corpus consertionem per mysterium Incarnationis factam esse. Eo ipse enim quod Verbum caro factum est, & de plenitudine eius gratiam haurimus, ei comcorporamur vt membra; habemúsque Christum pro capite. Qui tamen communicant Christi corpori perceptione Eucharistiæ, habent specialem titulum, quo Christi capitis membra dicantur. Quod vnum puto voluisse Isidorum Pelus. lib. 3. Epist. 195. verbis illis. [Natura nostra supernè regenita est, (diuina & omnem orationis vim ac facultatem excedente regeneratione, tanquam ex machina quadam excogitata,) & redempta & sanctificata, & in adoptionis ius adducta, & iustificata; & Vnigeniti cohæres affecta est, ac per sacrorum mysteriorum perceptionem concorporea ipsi reddita, & in ipsius carnem censetur: Et quemadmodùm corpus capiti, eodem modo ipsa ei copulata est. Quod quidem, cum D. Paulus Christi sensuum velut promus condus animaduertisset, nunc quidem his verbis vtebatur, *& ipsum donauit super omnia caput Ecclesiæ*; hoc est, præter alia omnia beneficia, hoc eam munere affecit, vt Christus ipsius caput sit.] Suffragantur multi Græci Patres, qui locum Apostoli Ephes. 3. & 5. de gentibus Christo concorporalibus, & membris corporis eius, quia de carne eius & de ossibus eius accipiunt, referunt ad Eucharistiam, nos Christo concorporales, & eius membra facientem. Ita S. Cyrillus lib. 11. in Ioann. cap. 16. & lib. 2. Glaphyr in Genes. cap. de Adam. & in cap. 60. Esaiæ, ac S. Irenæus lib. 5. cap. 2. quos adducit Turrianus lib. 2. de Eucharistia cap. 6. quibus adde Chrysostomum hom. 24. in 1. Cor. & hom. 83. in Matth. quatenus ait, nos sumendo Christum in Eucharistia, effici corpus eius.

Illud quoque hic non omittamus, scitè Nyssenum Orat. 12. (imo 13.) contra Eunomium, colligere ex proposita doctrina de Christo hominum fidelium capite, infidelem quemcumque esse corpus truncum. [Qui à fide (inquit) diuulsus est, caput magis habet abscissum, & à ceruice reuulsum, quàm ille alienigena. Quoniam *omnis viri caput, est Christus*, sicut ait Apostolus. Virum autem, fidelem omnino verisimile est nominari. Non enim infidelium Christus caput esse potest. Qui à fide seruatrice prorsùs resciss us est capite caret, haud secus quàm ille Goliath suo gladio iugulatus, quem aduersùs veritatem exacuerat, à verò capite diremptus.]

*Ecclesia cuius Christus caput, Angelos quoque complectitur. Scriptura in eam rem.*

713 Iam ad id conferamus operam, vt constet de quo apud aliquos fuit controuersia; videlicet Christum Deum hominem, non hominum modò, sed & Angelorum caput esse: sicque meritò à nobis fuisse positum, Christum esse caput super omnem Ecclesiam, non militantem dumtaxat, sed etiam triumphantem: Et corpus mysticum, cuius caput Christus est, non modò homines complecti, sed etiam Angelos. Hoc inficiati sunt nonnulli, quibus videtur astipulatus S. Chrysostomus hom. 1. in ad Ephes. *in fine*, vbi sic habet. [Vnum omnibus caput, Pater imposuit; Christum videlicet secundùm carnem, & Angelis & hominibus. Nempe Angelis ipsum dedit caput secundùm aliam originem: & hominibus, his quidem quod secundùm carnem est, illis verò quod secundùm Deum Verbum. Perinde atque dicat quispiam de domo, cuius pars flaccida sit, ac carioſa vetustate ruinam interminetur: altera verò pars fortis sit: *De integro reparauit domum*, hoc est fortiorem reddidit. Fundamentum quippe imposuit solidius. Ad hanc dicendi formulam, præsenti loco disserit Paulus, hoc est omnem creaturam, sub vnius capitis redegit ditionem. Sic enim omnium vnio facta fuerit, sic exacta absolutáque connexio contigerit: cum vniuersi sub vnum caput coacti fuerint, necessariam velut compaginem desuper habentes.] Quis eo loco fuerit Chrysostomi sensus mox aperiam proponens alia ex eo loca, perspicuè ferentia Christum hominem esse caput Angelorum. Quod agnoscunt communiter Scholastici apud Suarem Tomo 1. 3. partes disp. 13. sect. 1. qui rectè quidem pronuntiat id non esse aperte certum ex fide: ait tamen esse multo probabilius, cum sint pro hac parte, egregiæ pleraque Scripturæ & Patrum testimonia, quorum nonnulla lectoria delibo.

714 Apostolus Ephes. 1. postulat à Deo, vt innotescat fidelibus, *quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus, secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.*] Non est quod hic locus, de Christo provt Deo accipiatur [Clarum est (ait ibi Theodoretus) Apostolum hæc omnia posuisse tanquam de homine, ea enim de causa admiratione etiam ductus est.] Annitque ibidem Hieronymus. Præmissis enim benè multis de Christo Deo simul & homines subdit. [Hoc quod ait, *& ipsum dedit caput super omnia Ecclesiæ quæ est corpus ipsius*, non solùm hominum, sed etiam Angelorum cunctarúmque virtutum, & rationabilium creaturarum, Ecclesia intelligi potest.]

Hic igitur qui suscitatus est à mortuis, & cui Deus

Deus omnia subiecit sub pedibus, quod ex Hebræorum primo, de Christo homine accipitur; qui item sensim omnia in omnibus adimpletur, quod de Christo homine ratione sui mystici corporis in dies perfectioris ac plenioris dictum est. Hic inquam Christus homo Deus, teste Apostolo, constitutus est caput super omnem Ecclesiam etiam cœlestem & Angelos, ac principatus omnes superiores comprehendentem. [Omnem Ecclesiam dicens,) air ibi Hilarius Diaconus.) Summatim totũ comprehendit, quod in cœlo est & in terra.] Idem iuxta Chrysostomum, & Theophilactum, & Oecumenium, sonant illa eiusdem capitis primi. *Gratificauit nos in dilecto Filio suo*, &c. *vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* Hanc *instaurationem*, & vt Græca habent ἀνακεφαλαίωσιν cœlestium & terrestrium in Christo, Doctores prædicti, idem aiunt sonare, quod *redigere Angelos & homines sub vnius capitis ditionem*, vniréque eos in vno capite Christo. Et quamuis addere videantur, id in Christum cadere ratione diuersarum naturarum; itavt ratione diuinæ naturæ, sit caput Angelorum; ratione verò humanitatis, sit caput hominum: tamen Apostolus qui à perte agit de Christo vt homine, eam distinctionem naturarum secundùm quam Christus sit caput, neque proposuit; neque insinuauit. Vnde mens eius ex qua sola nunc argumentamur, stat à nobis in verbis illis, de Christo Angelorum & hominum capite, expositis.

Est alius perillustris in hanc rem locus apud Apostolum Colos. 2. *in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis.* Hæc verba, vt euincant intentum nostrum, commentario non egent. Perspicuè enim in eis agitur de Christo homine. Nec minus disertè, Christus substantialiter & reipsa Deus & homo, statuitur caput omnium Angelorum.

Insignis quoque est locus ille Dauidis psal. 117. quo Christum, lapidem reprobatum, ait factum in caput Anguli, ei persimilem qui caput summumque fastigium erat templi Salomonici; de quo Dauid Propheticè viso, sic prænuntiauit, vt existimat Villapandus Tomo 2. in Ezech. lib. 5. cap. 34. Ædificium autem ex duobus parietibus consurgens, quibus lapis iste in caput anguli est superpositus, S. Hieron. Ephes. 2. & Laurentius Iustin. serm. de Ascensione, & lib. de Connubio verbi, cap. 9. aiunt esse Ecclesiam ex Angelis & hominibus coagmentatam, & tanquam ex duplici pariete consurgentem, vt scitè dixit Otho Frising. lib. 8. Chron. cap. 32. ac insigniter & cum magna virginum gloria Blesens. serm. 28. *sub finem.* Breuiter idem serm. 15. describens septem vnitates. [Sextam (inquit,) fecit Christus; ipse enim fecit vtraque vnum. Ante Christi aduentum, Angeli non cognoscebant nos conciues, suos, sed detestabantur nos tanquam ciues Babyloniæ. Sed Christus pax nostra, soluit parietem inimicitiarum inter nos & ipsos; & ita iam nostra conuersatio in cœlis est. Iam non permittit Angelus se adorari à Ioanne, quia conciuis est eius, & conseruus Christi.]

*Theoh. Raynaudi de Attrib. Christi.*

*Patres ad idem institutum.*

715 Ex variis Patrum testimoniis, signo nonnulla. S. Gregorius hom. 8. in Ezech. tractans illud, *super similitudinem throni, quasi similitudo hominis desuper*, postquàm monstrauit *thronorum* nomine omnes Angelorum ordines intelligi, subdit. [Super thronum similitudo hominis, quia & super illas virtutes quæ & ipsos Angelos antecedunt: nostri est gloria Redemptoris. Notandum ergo qui ordo seruatur; Super animalia enim firmamentum, super firmamentum thronus; super thronum, homo esse describitur: quia & super sanctos homines, adhuc in hac corruptione corporis viuentes, Angeli, & super Angelos, superiores, & Deo proximæ Angelicæ potestates; super potestates Deo proximas, eleuatus est Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.] Agit manifestè de Christo provt homine, & de eodem non purè vt altiùs locato, sed (vt postmodùm aliquoties loquitur,) Angelis quoque præsidente, quod verè est capitis, vt mox patebit.

Origenes optimè hom. 6. in Iosue agens de Principe militiæ virtutis Domini, adorato à Iesu Naue. [Quis enim alius est Princeps militiæ virtutum Domini, nisi Dominus noster Iesus Christus? Omnis namque cœli militia, siue Angeli, siue Archangeli, siue virtutes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia hæc quæ per ipsum facta sunt, sub ipso Principe militant, qui est Principum Princeps; & qui largitur principibus principatum. Ipse est enim qui dicit in Euangelio; *Esto potestatem habens supra decem ciuitates.* Et alij. *Esto tu potestatem habens supra quinque ciuitates.* Hic est, qui accepto regno regressus est.] Rursus hom. 1. in Ezech. vocat Christum, *Principem militiæ cœlestis.* Et addit, idcirco post eius in terra aduentum, apertos esse cœlos, quia Angeli huc frequentes commeant, vt Principi suo sint frequentes.

716 S. Augustinus in Psalm. 36. Conc. 3. [Nostis & agnoscitis, & intelligitis, quia in hoc positi estis, & ira credidistis, quia caput nostrum Christus est; corpus capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio seculi fuerunt iusti, caput Christum habent; illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse iam credimus; & in eius fide & ipsi nati sunt, in cuius & nos: vt esset & ipse totius caput ciuitatis Hierusalem, omnibus connumeratis fidelibus, ab initio vsque in finem; adiunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum, vt fiat illa vna ciuitas, sub vno Rege, & vna quædam Prouincia sub vno Imperatore, felix in perpetua pace & salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine.] Eodem refero, quod habet libro de Agone Christ. cap. 20. Nam loquitur de vniuerso populo sanctorum, atque adeò etiam de sanctis Angelis, ait, [Quamuis eadem natura sit corporis Ecclesiæ, multum tamen distare inter caput & membra cætera, quis non intelligat? Si enim Ecclesiæ caput est homo ille, cuius susceptione Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, membra cætera sunt omnes Sancti, quibus perficitur & completur Ecclesia. Quomodò ergo anima totum corpus nostrum animat & viuifi-

cat, sed in capite & viuendo sentit, & audiendo, & odorando, & gustando, & tangendo, in cæteris autem membris tangendo tantùm: & ideò capiti cuncta subiecta sunt ad operandum; illud autem supra collocatum est ad consulendum; quia ipsius animæ, quæ consulit corpori quodammodò personam sustinet caput, ibi enim omnes sensus apparent: Sic vniuerso populo Sanctorum, tanquam vni corpori, caput est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.]

S. Bernardus serm. 73. in Cant. [Nec infirmitas inhonorata remansit. Hinnulus est, paruulus, capreæ quoque similis perhibetur tanquam factus ex muliere; attamen super montes Bethel, attamen excelsior cœlis factus. Non dicit *excelsior cœlis manens vel existens*: sed *excelsior cœlis factus*, ne quis putet de illa natura dictum, in qua *est qui est*. Sed & vbi præfertur Angelis, melior nihilominus perhibetur effectus, & non dicitur *manens* vel *existens melior*. Ex quibus apparet quod non modò in eo quod ab æterno est, sed etiam in eo quod tempore factus est, omnem sibi eminentiam vendicet supra omnem principatum & potestatem, supra omnē denique creaturam, vt potè primogenitus omnis creaturæ. Itaque *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Hoc quidem Apostolus. Mihi autem non videtur errare si quis etiam sapientiæ & fortitudini Angelorum, præferendum dicat idem stultum infirmúmque Dei.[

S. Chrysostomus hom. 3. in ad Ephes. ad illud *dedit caput super omnia Ecclesiæ* (ita enim legit,) in primo sensu illorum verborum, docet Christum esse Angelorum quoque & cœlestium omnium virtutum caput. Et quamuis litteræ Apostoli accommodatiorem ducit alium sensum quem profert; tamen eum quem nunc retuli, non repudiat tanquam falsum, sed planè admittit. Porrò non pugnat cum hoc Chrysostomi loco, ille alius qui supertùs in contrarium adductus est ex hom. 1. in eamdem Epistolam. Eius enim loci sensus est, Christum quâ Deum, cum esset purus Christus, fuisse Angelis homogeneum: sicut quatenus homo est, habet cum hominibus affinitatem, & cognationem; & idcircò habuisse cum vtrisque rationem conuenientis capitis, quæ homogeneitatem aliquam deposcit, saltem in vna natura: quamuis etiam secundùm aliam naturam, suppositā alterius adiunctione, caput rectè denominetur.

717 S. Anastasius Sinaita lib. 11. Hexaëm. *fere in fine*, tractans nomen *Euæ matris omnium viuentium*, quam ait esse Ecclesiam, subdit, [Si me nunc vrget Iudæus, vt intelligam corporalem Adami vxorem, matrem omnium viuentium; necesse est omnino, vt dicā eam esse matrem Angelorum. Nam illi etiam plusquàm nos, sunt viuentes. Quid ergo, (inquit;) Ecclesia est ne etiam mater Angelorum? Nequaquam: sed quoniam vir eius est eorum creator, adoptione etiam dicitur eorum mater. Quoniam ipsos etiam fecit eius administratorios spiritus, qui mittuntur ad ministerium ad eam, & pro ea. Oportet enim eos seruire adoptiuæ matri, & coniugi viri eius, & Dei ipsorum. Vnde cum omnia contineat & viuat, Deus imposuit ei nomen maximè generale, & comprehendens: eam appellans *vitam*; siquidem *Vita* non est nomen personale, sed vniens & comprehendens: nam & in Deo & Angelis, & in hominibus congenita est vita.]

S. Agobardus idem disertè habet his verbis serm. de Trinitate. [Quod autem mediatio mediatoris Dei & hominum Domini nostri Iesu Christi, coniungat Patri omnem electam creaturam, ita vt ista ineffalabili vnitate spiritus, nulla sit diuersitas generis, conditionis, & sexus, sed tam ex Angelis, quàm ex hominibus vna domus & vna ciuitas Dei fiat; Atque huius tantæ & tam mirabilis vnitatis, vnum caput sit Christus, ita docet Apostolus. *Nolite mentiri inuicem: expoliantes vos veterem hominem cum actibus eius, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creauit eum; vbi non est gentilis & Iudæus circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.*]

Rupertus lib. 2. in Leuit cap. 4 tractans illud, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* [Continuò (inquit) subiunxit, *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Non ergo longè, sed propè est in ore & corde nostro mysterium vnctionis huius. Bonitatis namque & iucunditatis fratrum habitantium in vnum signum fuisse illius vnguenti effusionem, iste cecinit. Porrò *habitare fratres in vnum*, quid est nisi omnes vnius Patris Dei, filios effectos, habere Principem & Saluatorem vnum Christum, quomodò multa corporis membra caput habent vnum: habendo scilicet concordiam, per vnum diffusæ in cordibus suis charitatis spiritum. Ita planè quod dicitur hoc est. Tale bonum, tali que iucunditas est, habitare fratres in vnum, qualem per illud significari placuit, quod præsenti loco scriptum est, quia fundens oleum super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit. Et vtique quia benigna largitate fusum est, primùm in barbam illius, & deinde in oram vestimenti eius descendit. Mox hoc caput corporis Ecclesiæ, monstrat esse Christum. Et Ecclesiam accipit pro omnibus per Christum gratiam adeptis, quales sunt Angeli, iuxta Rupertum.

Possunt denique pro hac sententia proferri omnes illi Patres, qui censuerunt, Luciferum eiusque partiarios, idcirco rebellasse & cecidisse, quod recusarint subdi homini, diuinitùs constituto capiti corporis Reipublicæ totius mundanæ, ex Angelis & hominibus integratæ: & quod naturæ humanæ eam sublimitatem inuiderit, censent autem hoc plurimi Patres, prolati in Tractatione de Angelis. Iidem igitur Christum Angelorum & hominum commune caput, agnoscunt.

### *Triplex capitis mystici conditio in Christo, erga homines & Angelos.*

718 Subiungo suffragium rationis, quæ ducenda est ex germana notione capitis mystici. Hanc Durandus in tertium dist. 13. qu. 2. n. 5. triplicē

triplici prærogatiua supra cætera eiusdem corporis membra contineri docet, ordinis scilicet, perfectionis, & virtutis. Nam vt liquet ex analogia ad caput in corpore animalis, caput ordine primum & supremum est. Est enim velut quoddam cœlum in hac minoris mundi domo, vt loquitur Alexand. 2. Problem. quæst. 68. vbi de capitis ad cœlum proportione fusiùs. De qua etiam videndus Plinius lib. 11. cap. 37. eum de *Cœlo* capitis, & Artemidorus lib. 2. cap. 38. Sicut igitur cœlum ordine dignitatis ac situs supereminet omnibus mundi partibus; ita & caput omnibus membris animalis. Eaque ex causa, vt est apud Sanctum Ambrosium serm. 20. in Psalm. 118. capite minui, est sine nomine fieri: quasi solum caput, plus cæteris omnibus membris ad hominis constitutionem conferat, & solum sit homo. Quod non leuiter confirmat vsus loquendi receptus, quo singula capita, singulos homines dirimas: vel centum capita, homines totidem. Liquet ex his de ordine dignitatis, déque eminentia in capite physico; nec non etiam de perfectione eius supra membra cætera. Estque illa longe maior capitis perfectio, ex omnium sensuum concursu, euidens. Nam cum alibi vnicus vigeat sensus tactus, in capite omnium simul sensuum, & externorum & interni, sedes est locata. Postrema capitis physici prærogatiua, est directio, & influxus in corpus reliquum. Quæ fere causa est eminentiæ capiti concessæ. Eam capitis physici prærogatiuam, egregiè tradit S. Ambrosius lib. de Arca & Noe cap. 7. expendens illud Genes. 6. *facies arcam, & in cubito consummabis eam à summo.* Cum enim vniuersum arcæ opificium, Philonem secutus, transferat ad humanum corpus; cæteras quidem arcæ partes cum reliquo corpore componit; cum capite autem, confert consummationem illam cubitalem in summo positam. [Vt reliquo corpori mensuræ sibi conuenientis ad gratiam decore quadraret caput hominis, tanquam regali arcæ adiungeret: ex quo cum sensus omnes ad cæteras partes corporis transfunderentur, tum maximè oculi, velut speculatores & custodes, appositè prouidentia, propè totum orbis nostri statum desuper conuerentur. Ipsáque mens illic locata secundùm plurimorum sententiam, & maximè Salomonis, qui ait, *Oculi sapientis in capite eius* quasi in aula imperiali, virtutum consilium sibi contrahat, quo stipata comitatu, & ipsa munitior sit, & tanquam ex edito quodam tuendi totius corporis regimen impertiat, responsa proferat: per quæ possimus nos ipsos, non solùm retrò aspicere; nec solùm quod ante pedes est videre, sed etiam cœli ipsius secreta, profundo obtutu spectare sapientiæ.] De directione igitur totius reliqui corporis per caput, & eiusdem influxu, maximè per spiritus animales, quibus sensationes omnes, & motus vniuersos administratur, satis superque ex dictis liquet.

### *Christi eminentia supra homines & Angelos; & eorum quoad perfectionem excessus, duæ primæ capitis eorum conditiones.*

719 Has capitis physici prærogatiuas, capiti morali mystici corporis æquè debitas, præ corpore cuius caput appelletur, facilè erit ostendere in Christo, qui rationem capitis habet ad corpus Ecclesiæ, ex Angelis & hominibus coagmentatum. Ac de eminentia quidem & perfectione, res est extra omne dubium, tam quoad cæteros quosuis homines, quàm quoad Angelos. Nam quoad homines, cum nemo fuerit inter eos maior Ioanne Baptista; *tamen qui minor est in regno cælorum*, ideſt Christus, *maior est illo*; iuxta optimam illorum verborum Glossam, traditam à D. Augustino Tractatu 13. in Ioannem, & lib. 2. contra Aduers. cap. 5. nec non ab Epiphanio hæresi 26. & à Theophilacto ac Euthimio Matth. 11. Egregiè in hanc rem philosophatur idem S. Augustinus in præfatione enarrationis 2. psalmi 29. referens inædificatum huic Christi supra omnes homines eminentiæ, errorem Apollinaristarum. [Aliqui ipsorum (inquit,) dixerunt hominem quem susceperit sapientia Dei, & in quo expressit personam suam non sicut cæteros homines, sed sicut dictum est in Psalmo; *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis*; ideſt, ampliùs quàm participes tuos. Ne putetur sic vnctus Christus quomodò cæteri homines, quomodò cæteri iusti, quomodò Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli & Martyres, & quidquid magnum est in genere humano. Quandoquidem nihil maius extitit in genere humano quàm Ioanne Baptista, nec in natis mulierum maior exurrexit. Si quæris excellentiam hominis, Ioannis Baptistæ est. Cui autem Ioannes se dicit non esse dignum corrigiam calceamenti soluere; quid erat ille, nisi amplius quàm cæteri homines? Nam secundùm Deum & secundùm Diuinitatem, & secundùm id quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, super omnem creaturam æqualis est Patri, sed agimus de homine. Fortè putat quispiam vestrum Fratres, quia homo ille susceptus à sapientia Dei, æqualis erat cæteris hominibus. Si in tuis membris, multùm distat inter caput & cætera membra, certe omnia membra faciunt corpus vnum, multùm tamen interest inter caput & cætera membra. Etenim in cæteris membris, non sentis nisi tactu. Tangendo sentis in cæteris membris; in capite autem & vides, & audis, & olfacis, & gustas, & tangis. Si tanta est excellentia capitis ad membra cætera, quanta excellentia est capitis vniuersæ Ecclesiæ; ideſt, illius hominis quem voluit Deus mediatorem esse inter Deum & homines?]

Appono præterea per illustrem S. Gregorij locum ex 18. Moral. cap. 32. circa illud, *non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, quod sic Glossat. [Quantalibet sancti claritate & perspicuitate fulgeant: aliud est homines esse sapientes in Deo, atque aliud esse hominem sapientiam Dei. Quam profecto sapientiam ille veraciter agnouit, qui mediatori Dei & hominum aliquem comparare sanctorum, minimè præsumpsit. Vnde & subditur, *nec commutabuntur pro ea, vasa auri excelsa & eminentia.* Excelsum quippe vas auri Helias extitit, & excelsum vas auri Hieremias, excelsa atque eminentia vasa aurea, priores Patres fuere. Sed hæc Dei Sapientia, vt à carnali nos conuersatione redimeret, apparuit in carne, & qui illam veraciter non agnouit, Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, vnum esse ex Prophetis putauit,

quem electorum oculi, fide tenuerunt Deum, cum viderent hominem. Vnde ab eo Sanctis Discipulis dicitur; *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Cui cùm protinùs respondèrent. *Alij Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis*; de suo mox sensu requiruntur; *Vos autem quem me esse dicitis?* Cui protinùs Petrus, totius Ecclesiæ voce respondens ait; *Tu es Christus filius Dei vivi.* Quia igitur iuxta Pauli vocem, Christum nouimus Dei virtutem, & Dei sapientiam, Petrus pro hac sapientia, vasa auri excelsa, & eminentia commutare noluit, quia de illa non aliud quàm erat, intellexit. Magnum quippe, vt dictum est, vas auri Ioannes, magnum vas auri Helias, vel Hieremias fuit. Sed quisquis eumdem Deum quemlibet eorum esse crediderit, vas auri excelsum, & eminens pro sapientia commutauit. Ecclesia verò, pro hac sapientia vasa auri excelsa, & eminentia non commutat; quia Christum filium Dei, non vnum esse Prophetarum, sed omnium Prophetarum Dominum credit.] Et mox. [Quos puros homines esse sciunt, Deo homini omnino non conferunt. Vnde adhuc subditur; *Nec commemorabuntur in comparatione eius.* Omnes enim supernæ patriæ electi, sancti quidem & iusti sunt: sed participatione sapientiæ, non comparatione. Quid enim sunt homines Deo comparati? Lumen est sapientia: lumen & serui sapientiæ vocari solent. Sed illa lumen illuminans, isti lumen illuminatum, sicut scriptum est: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ipsis autem tantummodò dicitur: *Vos estis lux mundi.* Iustitia quidem, sapientia, iustitia, & serui sapientiæ nuncupantur: sed ista iustitia iustificans, isti autem iustitia iustificata: De Deo quippè qui sapientia est, dicitur; *vt sit ipse iustus & iustificans*: isti verò dicunt; *vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Aliter ergo venerandum est lumen illuminans, aliter lumen illuminatum: aliter iustitia iustificans, aliter iustitia iustificata.] Hæc faciunt plurima, quæ de Christi præcellentia, & inadæquabili per purum quemuis hominem perfectione, sparsim diximus toto opere.

720 Quoad Angelos verò, Christi eminentia est liquida ex Apostolo Ephes. 1. qui Christum statutum ait, supra omnem potestatem. In quæ verba, insignis est S. Chrysostomi Glossa hom. 3. sic enim ait. [Omnem (inquit,) principatum, non hunc quidem, illum autem non, sed *omnem principatum & potestatem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, si quod est in cœlo*; Omnibus euasit superior. Hoc de eo qui est excitatus à mortuis, quod quidem dignum est admiratione. Nam de Deo Verbo, nequaquam. Nam quod sunt culices ad homines, hoc est omnis creatura ad Deum. Si omnes homines reputabantur tanquam saliua, & reputati sunt tanquam momentum stateræ, quæ sub aspectum non cadunt, potestates, pone tanquam culices. Sed de eo quidem qui fait ex nobis, hoc est verè magnum & admirabile. Ab infimis enim terræ partibus, eam extulit. Si omnes gentes tanquam stilla, vnus homo quota pars est stillæ? Sed eum fecit omnibus superiorem, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Sunt ergo potestatum quarumdam nomina nobis non signata, neque nota. Et omnia subiecit sub pedibus eius.]

De perfectione verò Christi supra Angelos, tricari quis posset. Verùm, etiam si dubium non est, quin Christus spectata præcisè humanitate, sit paulominùs ab eis imminutus, (natura enim humana, est Angelica depressior:) Tamen spectato nexu humanitatis cum diuinitate, qui Christo homini intrinsecus est, & ad eius substantialem constitutionem pertinet; attentis item dotibus ac bonis supernaturalibus creatis, præ quibus omnes naturales perfectiones sunt res planè nihili, non est dubium quin Christus sit Angelis perfectior: vt propterea S. Gregorius neget adæquandum Christo autum obrizum, ideſt Angelos, locus est eximius è lib. 18. moral. cap. 29. [*Non dabitur aurum obrizum pro ea*, Quid namque per aurum obrizum, nisi sancti Angeli designantur? Qui rectè & *aurum* vocantur, & *obrizum*: aurum quia fulgent claritate iustitiæ: obrizum, quia nullum habuerunt vnquam contagium culpæ. Homines verò iusti quamdiu in hac carne corruptibili mortaliter viuunt, aurum quidem esse possunt, obrizum omninò non possunt: quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & de primitque terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Nam quamuis in hac vita ex magnæ iustitiæ claritate resplendeant, nequaquam tamen ad purum peccatorum sordibus carent, Ioanne Apostolo attestante, qui dicit; *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est*: & affirmante Iacobo qui ait, dicens; *In multis enim offendimus omnes.* Propheta etiam deprecante, qui ait; *Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Aurum ergo obrizum illi nuncupantur, qui in ea qua conditi sunt innocentia perdurantes, & fulgent claritates iustitiæ, & nullis vel minimis maculantur sordibus culpæ.] Et tamen aurum hoc, etiamsi obrizum, non æquat Dei sapientiam Christum, perfectione & dignitate: sed longè subtus eam iacet. Exercitus Angelorum (ait S. Epiphanius orat. de Laudibus Deiparæ,) sunt scabellum pedum Christi & præcedentes nec videre possunt, nec contingere, quem appressis labiis Virgo osculatur.

## *Tertia capitis mystici conditio, Directio ac influxus; ac primùm directio hominum per Christum.*

721 Rata itaque & certa Christo est, respectu hominum & Angelorum duplex prærogatiua capitis moralis de qua hactenus; nempe eminentia, & excessus quoad perfectionem. Tertia quæ in directione & influxu sita est, non est adeò euidens: Et ipsa tamen euinci potest, tum quoad homines, tum quoad Angelos. Directionem hominum per Christum, monstrabunt sufficienter quæ infrà proferemus de Christo Doctore iustitiæ, & Luce mundi, ac Sole iustitiæ: itavt qui eum sequitur non ambulet in tenebris, sed sciat quò vadat quia lucem mundi videt. Nec parum etiam eam nostram per Christum directionem firmant, quæ de Christo norma virtutum & perfectionis exemplari perfectissimo, quem equentes ad exquisitam perfectionem promouemur, diuinitùs exhibito, fu-

perius

periùs sunt disputata, agendo de perfectionibus voluntatis Christi. Nunc obiter idem confirmo, ex eo quod plerique Patres Christum dicunt expressum in columna nubis, quæ erat Hebræis directrix viæ. Signo nonnullos. S. Cyrillus lib. 4. in Ioann. cap. 28. tractans illud, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*; docet ex his verbis haberi, solum Christum esse sequendum, eique inhærendum tanquam fido ductori. Quod confirmat exemplo Hebræorum quibus præuia columna facta est dux viæ. Idipsum autem facto & reipsa præstitisse Christum, quod columna illa typicè significabat & materialiter præstabat, sic docet sanctus Cyrillus [Quando igitur Sapientia domum sibi (vt Salomon dicit) ædificauit & verius sibi tabernaculum, templum illud constituit, quod à] Virgine assumpsit, in quod ineffabiliter ex sinu Patris descendit factus homo; tunc iam illuminatis, & iuxta Paulum in die ambulantibus, nubes factus, æstum peccatorum extinguit. Errantibus verò adhuc, & quasi nocturnis in tenebris degentibus, illuminans ignis constitutus, in ardorem Spiritus eos transformat, feruere namque Spiritu, bonos atque fideles credimus: nec aliud quàm quod diximus, nubis in die super tabernaculum, ignis verò in nocte visam speciem significasse putamus. Stare autem & sequi ad nubis motum & statum iubebuntur, vt illud intelligas quod à Christo dictum est; *Qui mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, ibi sit & minister meus.* Fixum enim esse ac indiuisibiliter hærere Christo, fidelem oportet, quod ex ambulandi cum eo voluntate ac opere significatur: non enim corporis itinere id intelligitur, sed virtute atque animo perficitur.] Et in calce capitis, post longam ad Christum aptationem omnium quæ intra tabernaculum claudebantur, quia columna super tabernaculum, ex quo semel erectum fuit, conspiciebatur, eamdem directionem tabernaculo præsignanti tribuit & sic concludit. [Tendebatur autem tabernaculum, omniáque continebat, vt vnum omni non multa esse viderentur. Vnus enim, quamuis multifariam in nobis intelligitur, Christus est. Tabernaculum quidem propter carnis tegumentum. Arca verò legem habens reconditam, vt Dei Patris Verbum. Mensa, vt cibus & vita. Candelabrum, vt lux spiritalis. Altare incensi, vt odor suauitatis in sanctificatione. Altare holocausti, vt hostia pro totius mundi vita ad crucem acta. Omnia verò hæc sanctificantur: quia quocumque modo Christum intelligas, totus sanctus est. Tabernaculo igitur præcedente, Hebræi sequebantur; stante castra metabantur: vt nos discamus, nullum alium datum nobis esse ducem ad salutem, quàm Verbum Dei hominem factum.]

722 S. Ambrosius serm. 5. in Psal. 115. ad v. 1. dicturus, legem viandi sanctis commeantibus, ducente Christo, esse præscriptam, orditur à directione filiorum Israël per columnam. [Præibat enim illos Deus per diem in columna nubis, vt refrigeraret viantibus: Noctu autem in columna ignis, vt viam offenderet ambulantibus, & tenebras dimoueret. Lex viarum, columna & ignis & nubis. Denique *in columna nubis loquebatur ad eos.* Vbi volebat exercitum requiescere labore itineris, non mouebatur columna ignis, nec transibat nebula lucis. Quando autem volebat exercitum mouere, proueniebatur & columna ignis in nocte, columna autem nubis in die. Illa autem columna nubis specie quidem præcedebat filios Israël; mysterio autem significabat Dominum Iesum in nube venturum Iudæis, sicut dixit Esaias, hoc est in Virgine Maria.] Et mox, exposita spiritualiter confectione itineris, & varietate mansionum, subdit. [Variantur merita mansionum, quia nulli iugis in hoc sæculo viuendi potest esse successus. Bonus igitur Imperator, alibi manna esurienti populo ministrauit; alibi potum de petra fluere, quo sitim populi restingueret, augusta prouisione præcepit; alibi legem dedit; alibi triumphos donauit, vt his beneficiis fotus exercitus, nullum prolixi itineris sentiret laborem. Itaque in illo populo typus fuit, in nobis veritas. Nos igitur committamus iter nostrum ductui Domini Iesu, qui legem primò introduxit; & antea pro Iesum terram repromissionis in possessionem populo suo dedit. Sed etiam quando Moyses videbatur ductor esse, aderat illi Iesus: aderat autem illi, non palam, nec apertè ductorem aut principem populi sese gerens. Expectabat enim donec Moyses tempus expleret suum, quo completo succederet Iesus. Itaque si consideres Scripturam dicentem; *Erunt dies eorum annì centum viginti*; Videbis mysterium plenitudinis temporum ex centum viginti annis, per quos & Moyses in monte requieuit, & Iesus manifestè mansionum susceptit principatum; vt iam non sub legis timore sit populus, sed resuscitatus à mortuis, fructu vitæ fruatur æterna.]

Idem in Psal. 43. ex hoc hominum per Christum ducatu, exponit cur Christus sæpè in Scriptura sit dictus *taurus*: sic enim scribit, attingens benedictionem Ioseph. [Pulchrè ait Scriptura *Tauri decor eius.* Sicut enim Taurus ducit armentum: ita Christus plebem gentium ducit ad Ecclesiam, inducit ad pascua, vt posset dicere, *In loco pascuæ, ibi me collocauit: super aquam refectionis constituit me.* Huius Tauri decore pro captu nostræ fragilitatis, armenta secuta sunt præcedentem, vt vitam adipiscerentur æternam. Mugiuit hic Taurus, & mors refugit. Leo rugit, & quis non timet? Verè maxima Taurus victima, vt ab Aduersariis assumamus testimonia. Quæ maior enim victima, quàm quæ mundi totius peccatum suo cruore mundauit? Audi quia ipsum Taurum dicit etiam sanctus Propheta Iacob, cùm reuelaret Domini passionem, quem Iudæi postea persecuti sunt. *In furore,* (inquit,) *suo subnerauerunt Taurum.* Et vt aperiret quia de Iudæis dicebat, addidit; *Diuidam eos in Iacob, & dispergam illos in Israël.*]

723 Neque verò nobis duntaxat Christus Dominus, dux huius viæ & peregrinationis censendus: nam etiam antiquos præmonstratus direxit. Prospiciebant enim, tametsi minùs expressè quàm nos, quæ itineris ad salutare Dei esset iturus, illisque insistebant. Quod Iobo contigisse, S. Augustinus lib. 2. de Peccat. met. cap. 11. ita exponit, cum retulisset Iobum fuisse à Deo increpitum. [Et ipsa increpatio qualis est, quæ ex Domini Christi persona intelligitur? Enumerat ille diuina opera potestatis suæ sub hac sententia increpans, vt eum dicere appareat: Nunquid potes hæc tanta quæ possum? Quò autem pertinet, nisi vt intelligat Iob, (etiam hoc & diuinitùs inspiratum: vt nasceret Christum

stum ad passionem esse venturum; intelligat ergo quàm debeat æquo animo tolerare quæ pertulit, si Christus in quo peccatum, cum propter nos homo factus esset, omninò nullum fuit; & in quo Deo tanta potentia est. Nequaquam tamen passionis obedientiam recusauit? Quod puriore cordis intentione Iob intelligens, responsioni suæ addidit. *Auris auditu audiebam te prius, & nunc ecce oculus meus videt te; ideo vituperaui meipsũ & distabui, & æstimaui meipsum terram & cinerem.* Quare sibi ita in hoc tam magno intellectu displicuit? Neque enim opus Dei quo erat homo, rectè poterat illi displicere, cum etiam ipsi Deo dicatur, *opera manuum tuarum ne despexeris* sed profectò secundùm illam iustitiam qua se nouerat iniustum, se vituperauit atque distabuit, æstimauítque se terram & cinerem, mente conspiciens Christi justitiam : in cuius non tantùm diuinitate, sed nec in anima, nec in carne, vllum potuit esse peccatum.] Quod de Iobo à S. Augustino dicitur; profecisse illum ex prædemonstrata Christi sanctitate, & eminentissimis virtutum exemplis, æquè dici poterat de omnibus antiquis iustis: qui à longe prospectantes Christum, vt Apostolus docet, sublucente inde notitia, dirigebantur ad omnem sanctitatem.

### *Angelorum per Christum directio.*

724 Iam Angelorum directionem per Christum, intelligere ex eo possumus, quod illos adhiberi ad Ecclesiæ administrationem, Apostolus testis est Hebræorum 1. confirmans omnes esse administratorio spiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Omnes inquam, vt ad caput illud primum affirmat Ribera, & ibidem Iustinianus v. 14. à num. 8. & annuit Viegas in caput. 12. Apocal, sect. 18. ac Serarius in cap. 5. Iosue q. 45. *sub finem* Pineda in cap. 23. Iobi v. 23. n. 8. proferes multos Patres. Et quamuis Suares lib. 6. de Angelis cap. 10. n. 44. & Vasquez 1. parte disp. 244. cap. 2. ac alij plerique Scholastici, missionem superiorum Angelorum arceant ad negotia grauia & principalia : tamen hoc quoque nobis satis est, vt intelligamus omnes Beatos Spiritus in Ecclesiæ bonũ impendi, cum res fert. At hoc non fit absque directione Christi, qui Rex Ecclesiæ & Præses est, debétque omnia ad eius bonum facientia curare, & ad ministros omnes salutis hominum, subordinatos habere & quamuis ante Christi aduentum fuerint humanæ salutis administri, & procuratores, tamen contulit eis Christus, vt fructuosiùs multo in procurationem illam incumberent. Quod Origenes hom. 12. in Luc. egregiè tradit. Meritò igitur ei aduenienti, fuerunt subordinati. Huc refertur quod Christus Ioannis 1. agens cum Nathanaële, dixit fore vt *videret cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes ac descendentes super filium hominis*; quibus verbis vt D. Augustinus auctor est lib. 16. Ciuit. c. 38. & lib. 12. contra Faustum cap. 26 fit allusio ad scalam Iacob de qua Genes. 18. in eo typo quem fusè ad Christum accommodant Fernandius in visiones & Sandæus in Theol. Symbol. lib. 4. comment 4. n. 8. & 9. Petra à Iacobo inuncta, Christum Ecclesiæ lapidem primarium, diuinitatis vnguine delibutum signabat : Angeli verò exhibiti sunt ascendentes, ad significandum ministerium quod Christo exhibent, in Ecclesiæ gubernatione, & animarum deductione ad gloriam, vt habet Origenes hom. 25. in Lucam; & apertè tradit S. Bernardus serm. 5. & 6. de Dedic. Ecclesiæ, qui ascensum de visione Dei, descensum de prædicto ministerio interpretatur. Neque verò placent; qui descensum illum & ascensum Angelorum, ad Natiuitatem, Passionem, vel Resurrectionem, aut Ascensionem Christi referunt. Quos adducens Ribera in cap. 1. Ioan. *sub finem* conciliat, dicendo omnibus illis temporibus, visos esse Angelos ascendere & descendere super filium hominis, propter Christum, & vt eius gloriæ seruirent. Et affuerunt sanè Christo cum nascenti; vt liquet ex Lucæ 2. obseruátque S. Chrysostomus in Psal. 8. inter eos Cherubin quoque ac Seraphim fuisse: tum etiá cessanti ieiunæ, vt habetur Matth. 4. nec non ad passionem se accingenti, vt est apud Lucam c. 22. Nec videtur dubium de Resurrectione & Ascensione. Tamen verius mihi videtur quod air ibi Toletus annotat. 80. post S. Cyrillum lib. 2. in Ioan. cap. 21. videlicet, Christum verbis illis Ioã. 1. non egisse de singulari aliqua Angelorum visione, sed de vniuerso ministerio quod Angeli Christo exhibent in bonum nostrum, & Ecclesiæ administrationem. Quæ etiam est congrua inter pleraſq; scalæ Iacob interpretationes. Rupertus tamen lib. 7. in Genes. c. 22. concinnè admodùm, sed longè aliter eum Angelorum ascensum & descensum est interpretatus; præsertus enim scalam esse Incarnationis mysterium, subdit [Vidit & Angelos ascendentes & descendentes per eam. Angeli Dei, id est, nuncij Sancti prædicatores sunt veritatis, nuncij vel testes vtriusque, diuinæ pariter & humanæ generationis Iesu Christi. Hi nunquam sursum & deorsum fixi consistunt, nunquam enim purum Deũ, aut purum hominẽ predicant esse semen Abrahæ Iesum Christum, sed sursum ac deorsum inoffenso pede currentes, diuinæ ascendentes, quia *in principio erat Verbum* dicunt ascendentes, quia *in principio erat Verbum*, dicunt descendentes, quia *Verbum caro factum est*. Descendendo Deum hominem factum; ascendendo fatentur Deo hominem vnitum. Idcirco rectè duo generationis huius prædicatores Matthæus & Lucas, ascensum hunc & descensum sibi diuiserunt, vt ille ab Abraham descenderet vsque ad Virginis vterum, hic ab ipso, *qui putatur filius Ioseph*, ascenderet vsque ad Deum.]

Hæc ille de more perelegánter; sed vt vides, extra litteræ seriem, cui conformis valdè est sensus quem tradidimus. Greg. item Nissenus lib. de vita Mosis, eodem refert quod Cherubin appingebantur arcæ. [Cherubin quoque illa, (inquit) quæ suis arcam contegunt alis, cæteráque omnia, quæ ad sustinendum contegendúmque tabernaculum describuntur, si quis ad superius respicit, Angelorum est multitudo in tabernaculo ipso conspecta, quo corporea hæc, secundùm Dei voluntatem sustinentur atque regũntur. In illo eum tabernaculo veri vectes nostri, & habitant & sunt qui ad ministerium mittuntur propter futuros salutis hæredes; qui sicuti quidá annuli, in animos saluandorum immittuntur, ad sublimitatem virtutis ad terram deiectos eleuantes.] Arcam autem Christum significare, neminem latet. Itaque Angeli arcam obtegentes pedibus suis, eamque veluti circumplectentes, addictos Christi obsequio cœlestes spiritus in salutis

salutis nostræ procuratione insinuent. Ex quibus patet, quod affirmabam de Angelorum directione per Christum.

725 Quod si nomine *directionis*, illuminationem & instructionem accipere velimus, neque hæc Angelis à Christo defuit. Testimonio namque S. Dyonisij cap. 7. Cœlestis Hierarchiæ, exponentis illas Angelorum percunctationes quæ extant Psalm. 23. & Esaiæ 62. ac 63. Christus per seipsum Angelos quosdam docuit supernaturalia quædam mysteria quæ ignorabant. Eodémque pertinere videtur, quod Apostolus Ephes. 3. affirmat; delectum se à Deo, *ad annunciandum gentibus inuestigabiles Christi diuitias, & dispensationem sacramenti absconditi à seculis in Deo, vt innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.* Vbi certum esse debet, agi de bonis Angelis; explodendúmque esse quod Hilarius Diaconus apud Ambrosium comminiscitur de illuminatione & abductione Dæmonum ab errore per Pauli prædicationem. Verba namque Apostoli simpliciter accepta, vt adiunctio illa *in cœlestibus*, insinuat, & communis ferè Patrum expositio tradit, cadunt in bonos Angelos: quos etiam S. Augustinus 5. de Genesi ad litteram cap. 19. intelligi vult nomine Ecclesiæ illius per quam innotescere Christi mysterium affirmat Apostolus. Non enim illud *per Ecclesiam*, sumit in sensu quasi effectiuo; itavt sensus sit, Angelos ab Ecclesia edoceri. Contrarium enim late traditur à S. Dyonisio cap. 4. Cœlestis Hierarchiæ *sub finem*: Sed sumit tanquam notam subiecti, vultque sensum esse, *per Ecclesiam cœlestem*, ideſt inter Angelos innotuisse sacramentum mortalibus absconditum. Sed simpliciùs est, & litteræ cohærentiùs, vt Ecclesia ibi sit terrestris Ecclesia, per quam dicatur innotuisse Angelis mysterium Christi: quatenus occasiones Ecclesiæ à Christo edoctæ, consecutum est, vt quod habetur apud Athanasium quæst. 129. ad Antiochum in huius loci Paulini expositione, Angeli de altissimis mysteriis, pleraque saltem quod circumstantias perspexerint, quæ priùs ignorabant. Quamuis enim Angelos à principio beatitudinis præsciuisse Christi aduentum doceat S. Thomas 1. parte quæst. 57. art. 5. tamen pleraque tanti mysterij adiuncta, primùm perspexerunt, cum nobis ostensa sunt: quod est, Angelos habere à Christi capite directionem quam quærebamus.] Id quod late versat, eum Pauli locum expendens Gregorius Nyssenus hom. 8. in Cant. non satis commodè intellectus a Theophilacto Ephes. 3. accipiendus autem eum ea temperatione quam dixi. Et cum eadem temperatione accipienda sunt quæ S. Cyrillus in Thesauro, adductus à S. Thoma opusc. 1. cap. 26. & S. Chrysostomus præfatione in Ioannem Angelos è Beati Ioannis Euangelio pleraque mysteria edoctos tradunt: quæ vt sonant admitti non posse, latè prosequitur Pererius in proleg. ad Ioannis Euang. disp. 8. Quod verò Anastasius lib. 1. Exaëm. *sub finem*, ait Angelos à nobis Christum visibilem habuisse eúmque per nos cognouisse; & idcirco nos diligere, vel eodem modo exponendum est; vel ita vt sit sensus, Christi corporationem & in substantia visibili aduentum, occasione nostri accidisse pro amore quo Verbum in nos exarsit: quod est magnum Angelis incentiuum ad nos diligendos. Quomodò enim non amarent quos vident ita à Deo & Christo amatos?

Quæ hactenus de Angelorum directione per Christum caput, sunt constituta, illustrari & confirmari possunt, ex communissima & certa doctrina Theologorum cum S. Thoma 1. parte quæst. 113, art. 4. ad 1. qua negatur, Christum habuisse custodem Angelum. Christus enim idcirco non potuit ab Angelo custode dirigi, quia est dominus & director Angelorum, quippe caput eorum. Eam de custode Angelo nequaquam dato Christo domino, patres tradiderunt apud Suarem lib. 6. de Angelis cap. 16. n. 21. Optimè verò id expressit Origenes hom. 31. in Lucam, tractans quod tentator ex Scriptura Christo proposuit, *Angelis suis Deus mandauit de te.* [Vide (inquit Origenes,) quo modo, & in ipsis testimoniis, versipellis est. Vult enim imminuere gloriam Saluatoris: quasi Angelorum indigeat auxilio, offensurus pedem, nisi eorum manibus subleuetur. Assumit testimonium, & interpretatur illud de Christo, quod non de Christo, sed de Sanctis generaliter scriptum est. Liberè quippè & tota confidentia contradico Diabolos super Christi persona hoc non posse intelligi. Neque enim indiget Angelorum auxilio, qui maior Angelis, & melius ipsis hæreditatem consecutus & nomen. Nulli Angelorum vnquam dixit Deus; *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ad nullum eorum quasi ad filium loquutus. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*: sed ad Filium proprio suum, de quo innumerabilia loquitur in Prophetis. Non indiget, inquam, Angelorum auxilio Filius Dei. Quin potiùs disce Diabole, quod nisi Iesus adiuuerit Angelos, offendent pedem suum. Et si quis Angelorum visus est offendere, de quibus dudum lectum est *quia Angelos iudicabimus*, ideò offendit, quia non extendit manum suam ad Iesum, vt apprehensus ab eo non offenderet. Quoniam enim in propria virtute confidens, non inuocas præsidium Iesu, offendisti, & credere in Iesum Christum filium Dei noluisti.]

### *Influxus Christi capitis in homines lapsos, cuiusmodi.*

726 Restat vt influxum Christi in homines & Angelos, stabiliamus, & exponamus: Ac primùm quoad homines, qui vel sunt Christo posteriores, vel anteriores, siue in statu naturæ lapsæ spectentur, siue in natura integra, & in statu innocentiæ, pro illo per breui tempore quo durauit. De hominibus in natura lapsa, siue Christum antecesserint, siue sint subsecuti, certissimum est omnia gratiæ dona quæ accipiunt, ex Christi influxu esse deriuata. Suppono dona gratiæ, etiam sanctificantis, concessa hominibus ante Christum fuisse. Quanquam fuisse qui negarent, ante Christi aduentum collatam fuisse gratiam sanctificantem mortalibus, refert S. Thomas Opusc. 1. c. 16. Damnans id hæreseos. Itaque extra dubium esto, collatam fuisse hominibus gratiam ante Christi aduentum. Quod autem nunc addo, est; eam gratiam omnium mortalium in natura lapsa constitutorum, ex Christi influxu fuisse derivatam. Non ago de influxu physico, quem constat non posse locum habere in personas Christo anteriores: Et planè

frustra

frustra inuehi pro aliis, cum omnes Scripturæ quibus ille Christi influxus asseri potest commodissimè & sufficientissimè exponi possint de solo influxu morali, de quo proinde solo, sum sollicitus.

Restrinxi item me, ad dona gratiæ; quia fateor bona naturalia non prodire ab influxu morali Christi. Neque enim Christus venit, aut mortuus est, vt homines conderentur, vel vt Philosophi & Oratores euaderent, aliisve quibusuis bonis naturalibus abundarent: sed vt iusti & sancti efficerentur: quod S. Augustinus infinities tradit, & nominatim Epist. 105. & 45. Et lib. de dono perseuer. cap. 8. & serm. 11. de verbis Apostoli à Christo provt Verbo conditos homines admittit; refectos autem à verbo in carne, cui negat influxum in primam conditionem. Nimirum Christi. Scopus fuit, reparare non instituere naturam ideóque tametsi naturam ornamentis gratuitis adauxit, circa naturalem tamen eius statum ac ordinem, nihil variauit. Sunt tamen qui hinc excipiant eos qui exorari à parentibus, aut alia supernaturali ratione, esse acceperunt. Hos enim accepisse naturale esse per Christi merita affirmant, vt refert & latè reiicit Salazarius in Opere de Concep. cap. 24. à num. 18. eo deueniens n. 28. vt dicat, etiam illos qui de sterilibus parentibus & vulua emortua nati sunt futuros fuisse quamuis defuisset supernaturale illud medium à Christo dimanans, quo ipsorum existentia exorata est: Tantum quippè precibus illis factum esse censet, vt qui ex aliis parentibus nascituri essent, interpositis huiusmodi precibus, nascerentur ex istis. Hoc mihi ægrè persuadetur, videturque pugnare cum illis verbis ex cap. 7. Ecclesiastici *honora patrem tuum; & gemitus matris tuæ non obliuiscaris Memento quod nisi per illos, natus non fuisses.* Nec sanè eum dicendi modum inire necesse, vt tueamur naturalia beneficia, ipsámque in primis existentiam, non obtingere homini ex Christi meritis quod S. Augustinus rectè statuit. Facilè quippè dici potest, eos quorum natiuitas datur parentum aut aliorum precibus, non fuisse quidem de facto ex aliis nasciturus, si preces non fuissent interpositæ: Tamen quod ex his nascantur positis precibus, hanc non esse gratiam Christi respectu sobolis sic editæ: esse tamen magnum Dei creatoris beneficium, aliter à Deo concessum quàm per Christum, cuiusmodi etiam est mundi fabricatio. Esto respectu parentum (quod vnum voluit Molina prima parte q. 23. art. 3. disp. 2. concl. 2. naturale hoc sobolis beneficium, possit esse gratia per Christum, quatenus bona temporalia provt salutis instrumenta, censentur supernaturalia; & sub Christi meritum æquè cadunt, ac si entitatiuè supernaturalia essent. Sed sic, sumus extra quæstionem propositam, quæ mouebatur tantùm de bonis merè naturalibus, nec spectantibus ad ordinem gratiæ, cui supponimus accensen talem sobolis productionem, respectu parentum quibus supra naturalem cursum conceditur.

### *Funditur ad quodcunque supernaturale beneficium.*

727 Bona ergo quæcumque supernaturalia, homini in hoc naturæ lapsæ statu concessa, deberi Christo tanquam causæ morali, certissimum est. Ita enim apertè habet Apostolus Ephes. 1. *benedixit nos Deus omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo.* Expende illud *omni benedictione.* Nullam enim excipit; Itemque illud *in cœlestibus,* quod fert sermonem esse de supernaturali benedictione, quâ ad cœlestem gloriam prouehamur. Illud denique *in Christo,* idem est ac per Christum, tanquam causam moralem. Idem apertissimè sonant illa Christi Ioan. 15. toties apud S. Augustinum ac in Conciliis in hanc rem librata, *sine me nihil potestis facere.* Et illa anteriora, *ego sum vitis, & vos palmites: sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Quæ verba, clarissimè exprimunt necessitatem omnimodam vitalis succi, & auxiliorum gratiæ, ad supernaturaliter operandum conferendæ per Christum. Sed quod omnis planè gratia è Christi fonte petatur, Baptista, Ioannis 1. apertè docuit, cum dixit, *omnes de plenitudine eius accepisse, & gratiam nobis obtigisse pro gratia.* Quæ verba commodissimè accipi de gratia accidentaria, data mortalibus pro gratia substantiali; ipso inquam Christo, tractatum supra est, nec est quod hîc iteretur. Sed & *omnes voluntates sanctorum qui sunt in terra eius,* à Christo Psal. 15. *suas* dici quia sunt ex eius gratia, S. Augustinus Epist. 59. ad q. 2. optimè notauit. Origenes hom. 4. in Isaiam huc quoque aptat locum Apostoli *sanctificans, & sanctificati, ex vno omnes.* Qui sanctificat, Saluator est, iuxta hoc quod homo est, à Deo Patre accipiens sanctitatem. Zeno Veron. serm. in Psal. 126. *in fine* Christum vocat portam cœlestem, Dominicam, regiam, de qua scriptum esse ait à Psalte, *hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam:* quod addit, id ipsum esse quod dixit Christus, *nemo venit nisi per me,* de quo plenius cum de Christo ostio.

Nihil verò aptius, ad vniuersum iustificationis progressum, à primo auxilio ad clausulam vsque collatæ gloriæ, vendicandum Christo capiti, quàm attenta consideratio Encomiorum quæ Dauid Psal. 71. Christo Domino tribuit. Eum quippe Psalmum etiamsi fortassis titulus Psalmi & cortex litteræ primorum versuum in Salomonem non incommodè cadat, ex primaria tamen Spiritus sancti intentione (vt vniuersè de similibus Scripturis disputat Pineda lib. 6. de Salomo. c. 18.) vel ex repentino Prophetæ diuinitùs afflati profultu, de Christo esse, & de eo solo maxima ex parte accipi debere, S. Augustinus 17. Ciuit. c. 8. rectè confirmat. Sed egregiè omnino Isidorus Pelus. lib. 4. Epist. 203. cuius doctrina, pro huiusmodi prophetiis historiæ cuipiam inædificatis, insignis est. In eo itaque Psalmo, Dauid præmissa Christi maiestate & regno amplissimo subdit *versu* 12. Christum liberaturum à potente, pauperem cui non erat adiutor, eisque parcitarum, & animas eorum saluaturum, ac ex vsuris & iniquitate redempturum; sicque nomen eorum, honorabile coram illo futurum. Quibus verbis manifestè describitur vniuersi generis humani à Satana calumniatore oppressi, sublevatio per Christum, collata remissione peccatorum, quæ vsuræ dicuntur, vt ibi annotat D. Augustinus, quia supplicium datur supra sortem; & plus mali habetur in supplicio, quàm habitum fit in peccatis.

catis. Ab his ergo vsuris liberamur, & emundati à peccatis, honorabiles per eundem coram Deo efficimur: ideſt iuſti, & amici, viuentéſque in Deo, depulſâ per Chriſtum peccati morte, & indultâ peccatorum remiſſione. Quod ſignificantes antiquos Patres, tanto ſtudio ambiuiſſe ſepulturam in terra ſancta, declarat inſigniter D. Auguſtinus quæſt. ibi in Geneſ. his verbis. [Cadaueribus mortuorum peccata ſignificari in lege, non dubium eſt, cum iubentur homines poſt eorum contrectationem, ſiue qualemcumque contactum, tanquam ab immunditia purificari, & hinc illa ſententia ducta eſt: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit illum, quid proficit lauatio eius? Sic & qui ieiunat ſuper peccata ſua, & iterum ambulans, hæc eadem facit.* Sepultura ego mortuorum, remiſſionem ſignificat peccatorum, eo pertinens quod dictum eſt: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Vbi ergo ſepelienda erant hoc ſignificantia cadauera Patriarcharum, niſi in ea terra vbi ille crucifixus eſt, cuius ſanguini facta eſt remiſſio peccatorum. Mortibus enim Patriarcharum, peccata hominum figurata ſunt. Dicunt autem ab eo loco, quod *Abrahamium* vocatur, vbi ſunt iſta corpora, abeſſe locũ, vbi crucifixus eſt Dominus, ferè triginta millibus, vt etiam ipſe numerus ſignificari intelligatur, qui in baptiſmo apparuit *ferè triginta annorum:* & ſi quid aliud de re tanta, vel hoc modo, vel ſublimius intelligi poteſt.]

728 Itaque iuſtificatio prima, & quatenus remiſſionem peccati, & quatenus infuſionem gratiæ, & neceſſarias ad eam aptationes complectitur, obtingit nobis per Chriſtum; iuxta Dauidem citato loco. Vt autem progreſſionem quoque & incrementum iuſtitiæ, & perſeuerantiam in ea, atque adeò brauij prehenſionem, deberi nobis Chriſti meritis agnoſcamus, addit Dauid; *Erit firmamentum in terra in ſummis montium*; vbi ſignificatur, loca cæteroqui inculta, frugibus ſementis ſupernaturalis per Chriſtum factæ, abundatúra: tantámque ait Dauid fore ſoli diuinitùs exculti feracitatem, vt culmi proceriſſimas Libani cedros exæquent: quod mirabile omnino gratiæ & ſanctitatis augmentum præfert & hoc eſt quod apertiùs mox inſinuat, cum addit, iſta exponens, *florebunt de ciuitate*, ciues ſcilicet *ſicut fœnum terræ.* Poteſt etiam illa Libani per fructus terrę ſupergreſſio, denotare fœlicitatem ſanctorum, & exaltationem ſuper cœlos, qui Libano plerúmque deſignantur in Scripturis. Sic igitur impletur quod ſub Pſalmi clauſulam affirmat Dauid, *benedicentur in ipſo omnes tribus terræ*, Omni inquam benedictione, atque adeò tam gratiarum actualium, quàm ſanctificationis & remiſſionis peccatorum, ac perſeuerantiæ, & gloriæ collatione. Giſelbertus in altero cap. 4. *ſub finem*, huc refert benedictionem Sabati. Agens enim de quiete Dei in Sabato, cui benedixiſſe dicitur, & vt ſanctificaretur, mandaſſe. [Hæc benedictio (inquit) & ſanctificatio, maiorem benedictionem & ſanctificationem ſignificat. Sicut enim crebris victimis ſanguis Chriſti ſemel fundendus ſignificabatur, ita per requiem diei ſeptimæ poſt opera ſex dierum celebratam, ſignabatur illa dies Sabathi, quo Chriſtus ſemel in ſepulchro quieturus, perfectis ſex diebus omnibus operibus mundum ſexta die reſtaurauit,

*Theoh. Raynaudi de Attrib. Chriſti.*

in qua antiquæ ruinæ operis ſaluationem, ſe perfeciſſe declarauit. Dixit enim; *Conſummatum eſt, & inclinato capite, emiſit ſpiritum.* Hæc ergo ſanctificatio, & benedictio, & requies, poſt opera valdè bona, ſignificat, nos poſt opera bona quæ in nobis ipſe operatur, peruenturos ad requiem cœleſtis vitæ, fruituros æterna ſanctificatione & benedictione. Quapropter hos dies veſperam habere, non ſcribitur.]

Vides meritò Chriſtum (quod ſuprà cap. 3. referebam ex ſancto Bernardo ſerm. 13. in Cant.) velut ſpiritualem gratiarum omnium Oceanum eſſe, ex quo omnes in hominem lapſum fluuij & riuuli gratiarum, ac diuinarum benedictionum dimanent. Poſt Scripturas porrò tam perſpicuas, ſuperuacaneum cenſeo, obſcuriora quædam & minùs illuſtria addenſare. Quod copioſè præſtant, qui veritatem propoſitam diligenter latéque confirmant; Vega toto lib. 3. in Concilium, Suarez Tomo 1. 3. partis, diſp. 41. Valquez ibidem diſput. 77. Ioſephus à Coſta libro 5. de Chriſto Reuelato c. 7. Iuſtinianus Philipp. 1. v. 29. & paſſim alij.

## *Typi veteres, vniuerſalis influxus Chriſti, in dona gratiæ.*

729 Proximè retuli id adumbratum eſſe per benedictionem Sabathi, iuxta Giſelbertum. Idem adumbrarunt aliæ antiquæ quædam figuræ, vt circuncíſio; quæ quod eſſet ſignaculum iuſtitiæ fidei, ideſt totius ſanctitatis & gratiæ, fidei tanquam fundamento ſuperſtruendæ, imprimebatur genitali membro: eo quod gratia per temporalem in carne generationem Chriſti, obuentura eſſet, vt egregiè philoſophatur Rupertus lib. 5. in Geneſ. cap. 31. Ex eodem, benedictio Iſaaci iam non videntis, præſignauit noſtram benedictionem per Chriſti mortem. Sic enim ſcribit lib. 5. de proceſ. Spiritus ſancti cap. 7. [Cum illis veſtibus valdè bonis, conſilio Rebeccæ matris, ingreſſus eſt Iacob ad patrem Iſaac, iam non videntem, vt acciperet benedictionem. Neque enim propter illas veſtes benedictionem hæreditati poſſideret, niſi etiam introgreſſus ad Patrem (ſicut iam dictum eſt) non videntem, verba benedictionis ex ipſius ore accepiſſet. Similiter cum ſupradictis S. Spiritus chariſmatibus, omnis vir ſimplex habitans in tabernaculis, omnis vir fidelis ſpem habens in verbo promiſſionis, qualium ex optimis vnus erat Moyſes, qui hanc ipſam Scripturam myſticam ſcripſit, ingreſſus eſt ingreſſu fidei, cui omnia preſentia ſunt, ad Chriſtum Dei filium, quaſi non videntem; ideſt, in cruce morientem; vbi lumina regia, lumina riſum & gaudium ſecundùm nomen Iſaac, diligentibus ſe inſinuantia, caligine mortis obſcurata fuerunt, vt acciperet remiſſionem peccatorum. Neque enim per chariſmata illa talem benedictionem, ſcilicet peccatorum remiſſionem quiſquam accipere potuiſſet, niſi hic noſter Iſaac; clauſis in morte oculis iam dediſſet.]

Benedictio item filiorum Ioſeph, per Iacob manibus in crucis formam permutatis, huc referenda eſt. Id enim præſignaſſe, benedictionẽ ſpiritualem ad nos per Chriſti mortem eſſe delapſuram, notauit optimè Nonn. lib. de Trinit. capite 27. & Iſidorus Peluſ. lib. 1. Epiſt. 362. & in hunc modum Tertullianus lib. de Baptiſ. ca. 8

[Sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Ioseph Efrem & Manassem, Iacob capitibus impositis & intermutatis manibus benedixerit, & quidem ita transuersim obliquatis in se, vt Christum deformantes, iam tunc porrenderent benedictionem in Christum futuram.]

731 Sed & benedictio præscripta Numer. 6. idem ferebat, Iudice S. Cyrillo lib. 11. de adorat. qui sic scribit. [Bitum quo Sacerdotes imprecarentur, aptè disponit; atque eius imprecationis verba, prædictiones esse quasdam voluit Christi passionum: Ait enim; *Loquere ad Aaron & ad filios eius dicens: sic benedicetis filiis Israël dicentes eis, & imponent nomina mea super filios Israël & ego Dominus benedicam eis. Benedicat tibi Dominus & custodiat te, illuminet Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem, & misereatur tui.* Iubet igitur, vt qui Sacerdotio præditi sunt, populo benedicant, sed abducit opportunè ab ineptis cogitationibus, offenditque non hominis manum esse quæ benedicat, sed seipsum, vt qui sit Dominus. *Omne* enim *datum optimum, & omne donum bonum, & omnis benedictio, desursum est, descendens à Patre luminum,* vt scriptum est. Christus autem est benedictionis via, & ipse nobis est cœlestium bonorum distributor, in ipsóque, & per ipsum, omnia à Patre dantur. Itaque Beatus Paulus, *Gratia vobis & pax,* (inquit,) *à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.* Benedicimur itaque in Dei nomine, sed eius benedictionis forma, quænam esse debeat, eleganter significans, imprecanti Sacerdoti, hæc verba pronuncianda esse dixit: *Benedicat tibi Dominus & custodiat te, illuminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui, eleuet Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem.* Conseruat igitur nos benedictio, maledictionémque dissoluit, & eum qui peccauerat, reformat, vt iam in Christo dignus sit qui laudetur: eiúsque rei testis est Apostolus, qui in hunc modum scripsit; *Benedictus Deus, & Pater Domini Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate: qui prædestinauit nos in adoptione filiorum per Christum in ipsum.* Vides hominem, execrabilem quidem ex peccato, & contra dignum esse adoptione factum, dum in Christo per participationem Spiritus benedicetur; quem etiam effudit in nos abundè, is qui non ex parte illum sanctis hominibus donat, sed tanquam ex sua plenitudine infundit.]

Refero eodem, typum alium quem his verbis expressit Origenes hom. 3. in Iosue. [Raab signum coccineum ponit in domo sua, per quod saluari de excidio debeat ciuitatis. Aliud nullum fuit signum quod acciperet, nisi coccineum, quod sanguinis formam gerebat. Sciebat enim quia nulli esset salus, nisi in sanguine Christi.

Pulchrè Rupertus libro 1. in Leuit. capite 14. aptat eodem quod Leuit. 4. Sacerdos videbatur digitum intingere in sanguine. Digitum enim interpretatur Spiritum sanctum; qui est digitus dexteræ Dei, vt propterea Christus se Satanam in digito Dei eiicere sit professus. Is in sanguine intingitur, vt significetur, gratiam sanctificantem & remissionem peccatorum, non nisi per Christi sanguinem tribui. Pulchrè verò rursus de eodem Typo lib. 2. in Leuit. cap. 5. [Quomodo (inquit,) sanguine Sacerdos consecratur, *Sumens,* (inquit,) de sanguine, tetigit extremum auriculæ dexteræ, & pollicis manus eius dexteræ, similiter & pedis. Tactus sanguinis in extremo auriculæ dexteræ Pontificis, acceptio est mandati, quod Pater dedit, vel obedientiæ Christi filij Dei, quemadmodùm de illo Apostolus dicit; *Christus factus est pro nobis obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et ipse de semetipso in Propheta dicit: *Dominus Deus, aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non aby.* Tactus sanguinis in extremo pollicis manus dexteræ, deductio est voluntatis paternæ, ipso per Psalmist. tam dicente, *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Tactus in extremo pollicis pedis dextri, quo finis est corporis, consummatio est eiusdem obedientiæ, Psalmista in hoc dicente, *vt intingatur pes tuus in sanguine.*]

731 Quod manna toto Sabatho non suppeditaretur, imo initium suppeditationis illius, factum sit Dominica die, S. August. serm. 93. de Tempore, refert ad gratiam vi Iudaicæ legis numquam demissam: at per Christi Domini merita suppeditatam. De multorum item Patrum sententia, effluxus aquæ de petra bis percussa, ad effluxum gratiæ qua sitim hic restinguimus, è Christo per crucem percusso, referendus est. Vsurpat eam Petræ in crucis formam, recto primum tum transuerso modo factam percussionem, & in sensum prædictum interpretatur S. Augustinus serm. 93. de temp. & q. 38. in Numer. & Macarius Chrysocephalus hom. de Exaltatione crucis. Eandem ex Seueriani Gabalitani Oratione 4. de Cruce profert Damascenus orat. 3. de Imag. Qui Orat. de Sabatho sancto, & lib. 4. fide c. 12. Similiter interpretatur, quod ait Scriptura mare à Mose percussum fuisse duplici ictu; recto scilicet & obliquo, crucis formam exhibente, vt profundi transmissio, & demersio hostium, atque adeò gratiæ cuiuscumque, siue ad benè agendum, siue ad abolendas & vitandas culpas suppeditatio, ex meritis crucis Christi esse prænunciaretur. Idem habet Theophanes Ceramæus hom. de Exaltatione Crucis; Exodi tamen 14. vbi ea percussio maris per Mosem describitur, tacetur de gemina percussione.

Affine est, quod Christus *fons* dicitur, sancti omnes, *flumina,* audi Hieronymum in Psal. 97. ad illud *flumina, plaudent manu,* sub finem Psalmi. [Flumina plaudēt manu simul. Flumina quæ biberunt de fonte Iesu. *Me,* (inquit,) *dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Flumina ipsa de fonte Christi cutrunt. Ille fons est, nos flumina sumus: si tamen meremur esse flumina, Christus fons est; Sancti flumina sunt. Qui autem inferiores sunt, riuuli sunt. Alij verò torrentes sunt. Qui sunt torrētes? Qui ad horam habent aquas, & tentatione veniente, siccantur. *Flumina plaudent manu simul.* Non est vnum flumen, plura sunt flumina. Quot sancti sunt, tot & flumina sunt. Sed ista flumina non habent in se dissensionem. Quoniā sum flumina Christi propterea habēt inter se concordiā.] Itaq; fons ille Paradisi, è quo scaturiebant flumina rigātia omnē terram

typos

typus Christi fuit fontis gratiæ, qua ratione eum appellatum vides. Et ita etiam de Christo loquitur Concilium Tridentinum sess.21. Canone 3.

732 Altare de terra, è quo solo acceptabat Deus oblationes, Christum hac ex causa adumbrabat. Audi S. Cyrillum lib.9. de adorat. [Terrenum altare, ipsum Emmanuel appellat *Verbum enim caro factum est*; Terra autem è terra, ipsa carnis natura est. In Christo igitur omnis oblatio, & omnis accessus est; ait enim ipse; *sine me nihil poteritis facere.* Vt enim per ipsum accessum habuimus, sic omnis quoque hostia eorum, qui fidem perceperunt, accepta gratáque per ipsum est. Pollicetur autem iis, qui è terra altare constituerent, se venturum, & illis benedicturum, *Veniam enim,* (inquit,) *& benedicam tibi.* Nam, cum per sapientissimum virum Moysem, veritatis figuras accepissemus, ipsa tandem veritas affulsit, ideest, Christus, per quem, & in quo superna illa benedictione etiam à Patre ditati sumus, obsignati in Spiritu sancto in adoptionem filiorum: id autem etiam in Christo perficitur.]

Huc quoque pertinere scalam Iacob, pulchrimè prosequitur Anselmus Enarratione 2. in Euang. fusissimè demonstrans, scalam illam & seriem graduum, Christo innixam tanquam fundamento, & ad Deum pertingentem, continere omnia virtutum dona, omnésque sanctitatis & gratiæ gradus, per quos progredimur aut regredimur, provt diuinæ gratiæ nos excitanti cooperamur. Huic autem progressui ascendentium ad Deum, obseruat supponi Christum, qui seipsum humiliauit, vt omnes suos exaltaret: qui sicut fundamentum omnes portat, & à nullo portatur. Longam autem nominum Genealogiæ seriem compingentium interpretatione adhibet, vt iis exprimi virtutes omnes & supernaturalia bona, testatum faciat. Illa omnia nituntur Christo tanquam lapidi inuncto, vt Augustus.psal.44. ad illud *vnxit te Deus*, egregiè prosequitur.

Aliud schema huius veritatis proponit S. Gregor.hom.3. in Ezech. ad illud *manus hominis sub pennis eorum.* [Sin verò, (inquit,) hoc in loco homo Redemptor noster accipitur, manus hominis suo pennis eorum est, quia nisi Dominus homo fieret, qui mentes prædicantium ad cœlestia subleuasset, illa quæ apparent animalia, non volarent. Nec immeritò manus hominis esse sub pennis dicitur, quia de eodem Redemptore nostro scriptum est; *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia.* Eius ergo manus, cœda nostra portat, eius manus in contemplatione nos subleuat. Nisi enim, vt dictum est, omnipotes Verbum propter homines homo fieret, humana corda ad contemplandam Verbi excellentiam non volarent. Inde ergo excelsæ factæ sunt hominum mentes, vnde inter homines apparuit humilis Deus. Dicatur itaque de sanctis animalibus; *Et manus hominis sub pennis eorum.*]

### *Ad idem ex nouo Testamento, scita quædam.*

733 Hæc omnia idipsum adumbrabant, quod adductis Noui Testamenti Scripturis expressum diximus; nempe omnem cœlestem benedictionem, ad nos descendere per Christum; & sine eius auxilio & suppetiis naturæ indebitis, nihil ad gloriam conducens, & Christiana bonitate nitens, effici à nobis posse: Eum denique esse, vnum totius gratiæ fontem, de cuius plenitudine omnes accipiant. Eóque Nyssenus Orat.1. de Resurrect. sic accommodat quod de ἰῶτα & apice vno non præterituris, à Christo dictum est. [Idem mea quidem sententia significat etiam *Iota* illud, si cum apice coniunctum consideretur, quod & cœlo stabilius, & terra firmius, & omne rerum constitutione certius est. *Cœlum enim & terra transibunt, & huius mundi, figura præterit.* Iota autem ex lege, & apex vnus non præterit: Linea recte è sublimi in imum descendens, *Iota* dicitur. Oblique autem ad latera pertingens, *apex* nominatur; id quod ab ipsis nauigantibus licet discere, qui lignum illud transuersum malo adiacens, cui vela suspendunt, Græcè eodem nomine quo *apicem* nominant, nempe *cæream.* Quamobrem diuina hæc Euangelij verba, mihi videntur in Crucis figura tanquam ænigmate & speculo quodam illud ostendere, in quo omnia cóstiterunt; quod omnibus, quæ in ipso continentur, stabilius est, atque æternum; cuius potentia cuncta moderatur. Proinde Dominus ait, oportere filium hominis, non simpliciter mori, sed crucifigi, vt Crux Deum gestans, aduersariis omnipotentem illius, qui in ipsa penderet, vim; quique omnia in omnibus est, figura sua patefaceret.]

Vides quomodò Nyssenus ad Christum eiusque per crucem merita, omnes quæ in nos cœlitùs depluunt benedictiones referat. Non est prætereundus Græcorum vsus inter benedicendum, id coeinnè exprimens, vt videre est in fragmento Nicolai Episcopi Neapoleos quod ex Nomimo M. S. Græco Matthæi Blastoris latinè repræsentauit Iosephus Stephanus lib. de osculat pedum Rom. Pont. c.17. Titulus Nomimi est, *de nomine Iesu, quod in Episcopi corpore exprimitur, & imagine quadam manu formatur, cem ipse populo benedicit, & duabus manibus super populum fausta oratione deprecatur.* Fragmentum Nicolai, quod in eam tem adducit, est huiusmodi. [Secundus digitus dextræ manus, & tertius secundo iunctus, recti protenduntur, licet tertius leuiter paululum in medio flectatur. Quæ manus dispositio, efficaciter denotat, & quasi imagine quadam exprimit nomen Iesu. Etenim secundus digitus dum rectus extenditur, I. denotat. Tertius paululum inflexus, elementum C. describit; quæ litteræ mutuo connexæ, I. C. Iesum significant. Præterea pollex quarto iunctus, & ei paululum obliquo atque transuerso superimpositus, litteram X. Quintus tandem conuexus, C. figurat. Ergo si primus residens super quartum elementum X. exprimit & quintus paululum flexus C. Manifestum est, tribus digitis X. & C. figurari & in Episcopi manu nomen Iesu Christi describi: Vt quemadmodùm illa Apostolis gratiam & benedictionem contulit, sic & Episcopus benedictionem nomine *Christus* munitus infundat: Et sicut ille in cœlum subuectus (vt S. Germanus Constantinopolitanus est Autor,) benedixit discipulis, duabus suis sanctissimis manibus, quod testatur Sacrosanctum Euangelium Lucæ, *& eleuatis manibus benedixit eis*, hic & Episco-

pus, vel Primas, benedicit populum duabus manibus : dextra scilicet & læua , Christi Domini , & magni Sacerdotis typum gerens , qui hoc modo discipulis benedictionem conferebat. ] Ex hac explicatione ritus benedicendi , liquidò deprehenditur , quod affirmabam de omni benedictione in cœlestibus à Christo manante ; cuius nomen digitis loquens efferebat , qui benedicebat. Nec minùs graphicè idem exprimit Christiana benedictio , manu in crucis formam circumducta ; vel Christi ascendentis , & benedicentis imitatione , vt opinatur Gretserus libro 1. de benedictionibus capite 4. vel ex traditione Apostolica ad hoc de quo agimus, omnis benedictionis à Christi cruce profluuium , insinuandum.

734 Solem iustitiæ ea ex causa dictum Christum non modò iam olim à Propheta, sed etiam suo ipsius ore , pulcherrimè prosequitur Anastasius Sinaita 4. Hexaëm. verbis illis de Christo. [ Dicit Deus per Malachiam Prophetam, *Orietur iis qui timent Deum , Sol iustitiæ*, vt appareat iis qui sedent in tenebris & in vmbra mortis. Hic est enim sol qui dicit ; *Ego lux veni in mundum.* Hoc est, cum esset subtilis vt lux propter diuinitatem , pudore est affectus propterea quod venerit in mundum. Hic est Sol de quo etiam dicit Propheticè , *Oritur Sol*; hoc est tendit ad inferos , *& rursus venit in suum locum.* Christus enim cum inferos, subiisset, & resurrexisset , rediit ad Patrem : quomodo etiam dicebat ; *Ego exij ex Patre*, tanquam Deus : *& Vado ad Patrem meum* tanquam Deus & Adam. Porrò autem ipsum quoque nomen *Solis* , quod Græcè est Ἥλιος, cum sit dictio Hebraica ; interpretatur, *Deus :* Quamobrem Christus ex cruci exclamauit, *Heli Heli*, quod interpretatus Euangelista dicit. *Hoc est, Deus meus, Deus meus*, erat enim Sol typus Christi. Vnde si ex homine recedat caloris operatio , statim etiam vita ab eo separatur, & ad mortem transmittitur , nos docente exemplo , quod ipsa Christi virtus omnia viuificat, & qui ab ea separatur , non habet vitam æternam, sed est mortuus peccato.] Pulchrè verò Cabasilas in Expositione Liturgiæ cap. 36. quomodò Christus pro vniuersali sanctitatis influxu in fideles quoscumque , sit verus iustitiæ Sol, sic exponit. [Cum clamauit Sacerdos, *sanctas sanctis* , fideles contra exclamant ; *Vnus sanctus , vnus Dominus Iesus Christus , in gloria Dei Patris.* Nemo enim ex se habet sanctificationem , nec est humanæ virtutis opus , sed ex illo omnes, & per illum. Et quemadmodùm si multa specula sub Sole posueris, omnia quidem resplendent , & radios emittunt , & videberis multos soles videre : verè autem est vnus Sol, qui fulget in omnibus, ita etiam *vnus sanctus* nihilo seciùs ]

### *Suffragium rationis , pro tam vniuersali influxu Christi, in bona gratiæ hominis lapsi.*

735 Ratio huius veritatis alia quærenda non est , quàm beneplacitum Patris : qui complacens sibi in dilecto Filio , voluit omnia nobis per illum obtingere. Pertinuit enim ad perfectam Dei prouidentiam , prospicere nobis gratiæ aquam , salientem in vitam æternam per huiusmodi tubum , vt debitus ordo retineretur; qui poscebat , Christo animam suam ad reparationem diuini honoris elargito , hoc decus rependi: Vnde etiam factum est , vt amor noster in Christum incederetur magis , cum videmus nos in omnibus diuites fieri in illo. Egregiè porrò S. Hieronymus in cap. 53. Esaiæ ad illud, *Si posuerit pro peccato animam suam , videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur*; Ita ea verba accipit , vt planè ferant, voluntatem Patris esse, vt omnia per Christum habeamus , ipséque illustris & clarus apud nos eo nomine euadat, quod pro eius amore ac meritis ; omnia cœlestia dona accipiamus. Idem Hieronymus aut quiuis alius apud eum, Autor Commentarij in Psal. 132. multa de vnguento sanctificante præfatus, circa illud , *sicut vnguentum in capite* , hæc subdit , vt ostendat omnem gratiam à Deo Christi capite , in Christum ; ab hoc autem capite nostro, in nos dimanare: quæ summa est Christi gloria à Deo intenta. [ Barba (inquit) virilitatis indicium est. Mulierem enim & virum , hoc signo natura distinguit. Barba, igitur virilitatis indicium est. *Caput* ergo diuinitas dicitur, hoc est Deitas. Barba verò virum indicat; *vt*, ( inquit, ) *perueniamus in virum perfectum qui est Christus.* Vide ergo quid dicas ; *Sicut vnguentum*, sicut benedictio vnguenti de capite, hoc est, de diuinitatis sermone , *descendit in barbam*, descendit in virum perfectum, qui est Christus & postea descendit ipsum vnguentum *in oram vestimenti eius :* sic benedictio & vos montis Hermon , descendit in montem Sion. *Vnguentum* verò hic pro benedictione ponitur. *Dilexisti iustitiam*, ( inquit, ) *& odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationinis præ participibus tuis.* Videte quid dicat : *Dilexisti*, (inquit,) *iustitiam, & odisti iniquitatem.* Non sufficit diligere iustitiam , sed è contrario, odisse iniquitatem : Videte qui dicat, *Et odisti iniquitatem.* Pro his virtutibus quid accepit. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Hoc ad Christum dicitur: Ideò, tu vnctus es, vt cæteros ungeres. Vnctus ex *oleo exultationis præ participibus tuis* , hoc est, plusquàm Apostoli tui. Tu enim vnguenti habuisti fontem; illi stillas habuerunt. *Sicut vnguentum in capite.* Præstet & nobis Dominus hoc vnguentum diuinitatis ; quod venit in barbam, hoc est, in virum perfectum Aaron, in Aaron Sacerdotem. Aaron autem interpretatur, *montanus.* Videtis quoniam iste Sacerdos non est de vallibus sed de montibus est. *Barba*, ( inquit ) *, Aaron.* Quod *vnguentum in capite, venit in barbam* : à Verbo Dei , venit ad hominem, quem est dignatus assumere. Et quid nobis prodest barba ista vncta , & vir iste perfectus? Videamus quos perfectus habeat. *Quod descendit in oram vestimenti eius.* Nos si vestimentum Christi sumus , nuditatem ejus nostra vestimus fide. ] Confirmat multis, nos esse vestimentum, ac proinde vnguentum gratiæ quod nos defluit, demitti per caput, Christum.

736 Pertinet eodem, quod Origenes hom. 13. in Ezech. omnem pulchritudinem spiritualem à Christo diuidi , & ab eo in alios deriuari tradit. Item quod bono interior & supernaturalis terreno adiunctus , vt latè philosophatur S. Hilarius in Psal. 118. ad illud *manus tuæ fecerunt*

*runt me*, dicitur factus ad imaginem Dei; Non imago, sed ad imaginem; hoc est, ad Christum, qui est imago Dei inuisibilis: quia per Christum tota nostra sanctitas aduenit, qua ei conformamur. Vt idcirco Christus dicatur Dei manus, de quo plenè sanctus Ambrosius serm. 10. in Psal. 118. vers. 1. & nos infra cum de Christo Patre.

Eò præterea pertinet, quod Christus omnem bonam operationem in nobis elicere; & in nobis cum Satana pugnare; in nobis item pati & occidi dicitur: quia per eius gratiam omnia illa facimus & subimus. Dixi in hanc rem pleraque in Tractatione de Martyrio parte 2. c. 3. num. 21. Nunc addo insignem locum ex sancti Paulini Epistola 29. quæ est prima ad Aprum. Præfatus enim, virtutem Apri, fuisse Christi opus, addit. [Ab initio seculorum, Christus in omnibus suis patitur. Ipse est enim initium & finis, qui in lege velatur, in Euangelio reuelatur, mirabilis semper & patiens, & triumphans in sanctis suis Dominus. In Abel occisus à fratre, in Noë irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Iacob famulatus, in Ioseph venditus, in Moyse expositus, & fugatus, in Prophetis lapidatus, & sectus, in Apostolis terra marique iactatus, & multis ac variis B. Martyrũ crucibus frequenter occisus. Idem igitur etiam nunc infirmitates nostras & ægritudinem portans, quia ipse est homo semper pro nobis in plaga positus, & sciens ferri infirmitatem, quam nos sine ipso nec possumus ferre, nec nouimus. Ipse, inquam nunc quoque pro nobis & in nobis sustinens mundum, vt perferendo destruat, & virtutem infirmitate perficiat. Ipse & in se patitur opprobria, & ipsum in te, odit hic mundus.] Nec omittendus Origenes hom. 22. in Num. ad illud *ascenderunt filij Israël, cum virtute sua*, quod sic Glossat. [Quæ est virtus eorum, nisi ipse Christus, qui est virtus Dei? Qui ergo ascendit, cum ipso ascendit, qui ad nos inde descendit; vt illuc perueniat, vnde ille non necessitati, sed dignatione descendit, vt verum sit illud quod dictum est, quia *qui descendit, ipse est & qui ascendit.*]

### *Reiecti, qui actus aliquos supernaturales hominis lapsi, & Sacramentorum applicationem Christi influxui subducunt.*

737 Cum autem fundamenta quæ protulimus, ad tribuendam Christo moralem causalitatem in gratiam hominis lapsi, sint vniuersalia, & nihil supernaturale absque Christo fieri aut haberi per nos posse, disertè tradant, nulla planè admittenda est exceptio. Non igitur Christus moralis causa fuit solius primæ gratiæ iustificantis, & consequentium omnium bonorum, sed etiam fidei, & omnium aliarum anteriorum dispositionum quibus præparamur ad primam gratiam sanctificantem: quos actus quidam Theologi à Christi in nos influxu subduxerunt, vt Capreolus in 3. dist. 18. quæst. 1. *ad argumenta contra primam.* Driedo Tract. 2. de Captiuit. & Redemp. generis humani cap. 2. art. 4. Addamus Philippensium 1. & 2. Petri 1. ac Ruardus art. 6. Louan. contra Lutherum. & iisdem alios complures adiungit Henriquez lib. de Sacramentis in genere cap. 3. num. 4. *Littera X.* Horum sententiam Molina 1. parte quæst. 23. art. 5. disp. 2. concl. 4. meritò pronuntiat esse Scripturis dissentaneam, & discrepantem à dignitate Christi. Et inferiùs ait, non videri dubitandum, quin sit erronea. Quod ferè etiam ait Henriquez supra, & apertè Suarez lib. 2. de prædest. c. 24. num. 39. Verè enim fides, & actus alij antecedentes primam gratiam sanctificantem, sunt benedictiones aliquæ cœlestes. At eas omnes per Christum nobis obtingere, affirmat Paulus Ephes. 1. ibidémque ait, nos in Christo sorte vocari. Vocatio autem est gratia præueniens, & sanctificatione anterior. Expressè quoque Christus Hebræorum 12. vocatur *auctor fidei.* Quomodò ergo non per eum fides nostra? Videtur denique quod diximus, apertè definitum in Tridentina Synodo sess. 6. cap. 5. vbi dicitur. [Declarat sancta Synodus ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum præueniente gratia, sumendum esse.] Additque ca. 7. [Hominem per Iesum Cristum accipere fidem, spem, & charitatem: vt quæ Adam inobediens nobis perdidit recuperemus per Christum.] Neque tamen ex eo quod hæc dona nobis super Christum obtingant, sequitur ea exuere rationem gratiæ cum ex iustitia donetur. Quamuis enim respectu Christi, debeantur, & ex meritis dentur; tamen respectu nostri, (quod vnum fides docet,) sunt plane gratuita. Quin etiam respectu Christi, si prima omninò radix attendatur, conferuntur ex gratia, idest ex mero diuino beneplacito. Itaque fundamentum aduersariorum, est planè ruinosum.

Sed neque eximenda est è Syllabo gratiarum nobis per Christum obuenientium, applicatio Sacramentorum, quibus veluti mediis applicantur nobis Christi merita: quod consequenter faciunt Doctores proximè impugnati. Idcirco enim solam primam gratiam sanctificantem aiunt concedi nobis per Christi merita, non item dispositiones ad eam præuias, quia per has dispositiones, tales reddimur quales Christus nos esse vult, iuxta leges latas circa modum applicandi nobis sua merita. Primum verò quod iam dispositis, & aptis ad Christi merita participanda confertur ex Christi meritis, aiunt esse adoptionem filiorum. Cum ergo applicatio Sacramenti quo paruulus sanctificatur, aut adultus interueniente aptatione conueniente gratiam recipit, fit quid præuium adoptioni filiorum; dicere consequenter tenentur, eam applicationem non esse ex Christi meritis; sed esse effectum diuini in nos beneplaciti, nullis Christi meritis nixum. Hoc ego nulla ratione admitto. Nam applicatio Sacramenti, est magnum gratiæ donum, & benedictio cœlestis, sine qua paruulus non reciperet gratiam: Adultus autem aut nullo modo eam reciperet, (si videlicet contritionem non interponeret, aut nõ reciperet eo modo. Igitur cũ monstratum sit, omnia gratiæ dona obuenire nobis per C. non est quod eam gratiam excludamus ab serie. Argumentum verò pro aduersariis prolatum, est planè inane. Gratis enim supponunt, ante perceptam adoptionem, hominem non esse aptatum & dispositum ad percipiendum fructum meritorum Christi. Fructus enim meritorum Christi, (quod hi Autores non aduertunt,) non continetur sola sanctificatione, eiúsque fru-

ctibus ; sed iis quoque vel actibus nostris, vel applicationibus extrinsecis, quibus ad gratiã consequẽdã peruenimus: cuiusmodi sunt dispositiones liberę ad sanctificationẽ, & gratię præuenientes accómodatæ ad causandas illas dispositiones. Itemque applicatio sacramentorum. Non est igitur negandum, quin hæc gratiæ beneficia, obtingant nobis per Christum. Et hoc est haurire aquas de fontibus Saluatoris, & ablui ex fonte patente domui Iacob, qui fons est Christus Dominus. Nemo verò iure negauerit, quin sit ingens gratia, non solùm ablui per aquas fontis illius, sed etiam eum habere parentem, nobisque applicari ad abluendum. Ipsam verò vniuersam sacramentorum gratiam, à Christo esse, in confesso est: idque vt significetur, nullum sacramentum absque cruce peragitur. Audi Autorem sermonis de Baptismo Christi, apud Cyprianum, *sub initium.* [ In cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit sacramenta, sine quo signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas, & profundum, & longè latéque plenitudo diffunditur gratiarum.]

### *Item qui gratiam antiquorum, ab eo exemerunt.*

738 Non item ab vniuersali canone proposito, quo omnem gratiam hominis lapsi, à Christi capitis influxu deriuari diximus, eximenda est gratia antiquorum. Meritóque Turrecremata lib. 1. summæ de Ecclesia cap. 51. grauiter notat æqualem suum ; Augustinum de Roma, inficiantem, gratiam antiquorum manasse à Christo. Iure item in eamdem doctrinam quorumdam sui temporis, concitatur Isidorus de Isolanis lib. 1. de Imperio militãtis Ecclesiæ tit. 9. quæst. 1. similitérque Molina concl. illa 4. *sub finem*, vehementer sibi displicere ait, quod Driedo negat fuisse ex Christi meritis, præparationes queis olim Deus antiquos Patres, ipsamque Deiparam aptauit, vt ex eis Christus prodiret. Omnem quippe gratiam, etiam anteriorum Christo sanctorum, de Christi fonte manasse, pulcherrimè monstrat S. Leo serm. 10. de Natiuit. c. 7. vbi agens de fidei Christianæ primariis capitibus, ait. [ Hoc credentes, dilectissimi, Christiani sumus, veri Israëlitæ, & in consortium filiorum Dei vetaciter adoptati : quia & omnes sancti, qui Saluatoris nostri tempora præstiterunt, per hanc fidem iustificati, & per hoc sacramentum, Christi sunt corpus effectii, expectantes vniuersalem credentium redemptionem in semine Abrahæ, de quo dicit Apostolus ; *Abrahæ dictæ sunt repromissiones, & semini eius. Non dicit & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus.* Propter quod Matthæus Euangelista, vt promissionem ad Abraham factam, ostenderet in Christo esse completam, generationum ordinem percurrit, & in quo omnibus gentibus dispositа fuisset benedictio, demonstrauit. Lucas quoque Euangelista, ab ipso Domini ortu seriem generis sui sursum versùs retexuit, vt etiam illa sęcula quæ diluuium præuenerunt, & huic Sacramento doceret fuisse connexa, omnésque ab initio successionum gradus, ad eum in quo vno erat salus omnium, tetendisse. Non ergo dubitandum est, quia præter Christum, *non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo non oporteat saluos fieri.* ]

739 Subtiliter circa duplicem Genealogiæ Christi texturam philosophatur ad hunc ipsum scopum Paulinus Aquite lib. 2. contra Felicem *in fine*. Sed commodiùs, certe clariùs id ipsum, & alia præterea nonnulla, circa eamdem Christi Genealogiam ob eruauit S. Anselmus enarrat. 2. in Euang. decerpo partem. [ In generationibus Matthæi, significatur nostrorum susceptio peccatorum à Christo Domino : in generationibus autem Lucæ, designatur nostrorum abolitio peccatorum à Christo Domino. Ideò ille eas descendens enarrat, iste ascendens. Remissis enim peccatis ad Dominum reuertimur & ascendimus, à quo per Adam peccantes recessimus, & huc delapsi sumus. Nam quod dicit Apostolus, *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*, hæc est susceptio peccatorum. Quod autem addit, *vt de peccato damnaret peccatum in carne*, hæc est expiatio peccatorum. Proinde Matthæus à David per Salomonem descendit, in cuius matre ille peccauit: Lucas verò ad ipsum Dauid per Nathan ascendit, per cuius nominis Prophetam, Deus peccatum illius expiauit. ] Et inferiùs ad illud *qui fuit Enoch* ; ex Luca depromptum. [ Pulcher generationum ordo, à baptizato Dei filio vsque ad Deum patrem ascendens, septuagesimo gradu Enoch habet, qui dilata morte translatus est in paradisum, vt significet eos qui in gratia adoptionis filiorum ex aqua & Spiritu sancto regenerantur, interim post ablutionem corporis externam, susceipiendos in requiem. Septuagenarius quippe numerus, propter septimam Sabbati, ad requiem eorum significandam, qui in ante Christi gratia Decalogum legis inuenerunt, aptissimè congruit ; & in tempore Resurrectionis indemutabili Dei sapientiæ contemplandæ per secula, monstret esse iungendos. Ad vltimum verò dicitur. *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*, Quia Christus Iustitiæ suæ patrique nos expiatos ab omni peccato purgatósque coniungit, vt fiat quod ait Apostolus ; *Qui autem adhæret Domino, vnus Spiritus est.* Propterea in hoc numero generationum, & ipse Christus, à quo incipit enumeratio ; & Deus, ad quem peruenit, connumerantur, & fit numerus septuaginta septem, quo significatur omnium prorsus remissio & abolitio peccatorum ; quam etiam ipse Dominus per huius numeri mysterium euidenter expressit, dicens ; remittendum esse peccata *non solum septies, sed etiam vsque ad septuagies septies.* ] Fusè prosequitur mysteria huius numeri, & quomodò remissio peccatorum omnium per eum sit designata. Tum addit. [ Itaque quia in septuagesimo septimo numero designatur, & primi hominis & cæterorum, qui ex eo prodierunt, transgressio, aptè Deus septuagesima & septima generatione venit, abolituras omnia peccata suorum fidelium, omnes enim qui more Christiano accedunt ad lauacrum, continentur in mysterio septuagenta & septem generationum ; & ideò remissionem peccatorum consequuntur ab eo, qui tot generationes mundans, in hoc numero remissionem culparum constituit, & in fine tot generationum, venit tollere peccata mundi. Non solùm enim eos qui in nouo Testamento baptizantur, purificat, sed & illos qui ab exordio mundi,

mundi,in eum venturum rectè crediderant. Vnde sursum redeundo numerat Euangelista sanctas has generationes, vt ostendat & ad omnes eas pertingere purgatoriam &reconciliatricem, Christi gratiam; omnésque, qui nunc Baptismi sacramentum rectè seruant, ad Deum redire. Nam gratia diuinæ Incarnationis & Purificationis in omnes retrò generationes ascendit, vt intelligamus nullum tempus vnquam fine electis Christi transisse, qui per eum ab originali culpa sunt liberati Propter quod & ipse Adam, quem Dei sapientia,quæ Christus est,*eduxit*, vt scriptum est,*à delicto suo*, in fine relationis gubernationum, Filius Dei per hanc Christi gratiam ostenditur. Ac inde Pater Deus, Christum Deum & hominem recipit, & per hunc omnes, qui membra sunt,erant.]

740 Audi etiam Origenem hom. 27. in Num. ad illud,*hæ sunt mansiones*. Sic enim scribit. [In Ægypto erant filij Israël, in operibus Pharaonis Regis, luto ac latere affligebantur, donec ingemiscentes, clariorem ad Dominum: & exaudiens gemitum eorum mitteret eos Verbum suum per Moysem, & educeret eos de Ægypto. Et nos ergo cum essemus in Ægypto, mundi dico huius erroribus & ignorantiæ tenebris, operantes opera Diaboli, & in concupiscentiis & voluptatibus carnis, miseratus est Dominus afflictionem nostram: & misit Verbum suum,vnigenitum Filium,qui nos de ignorantia erroris ereptos,ad lucem diuinæ legis adduceret. Sed primò omnium, intuere mysterij rationem: quam qui diligenter obseruauerit, in Scripturis inueniet, in egressione filiorum Israël de Ægypto, quadraginta & duas habitas esse mansiones: & rursùm aduentus Domini & Saluatoris nostri in hunc mundum, per quadraginta & duas generationes adducitur. Sic enim Matthæus Euangelista commemorat dicens; *Ab Abraham vsque ad Dauid Regem, generationes quatuordecim. Et à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. Et a transmigratione Babylonis vsque ad Christum,generationes quatuordecim.* Illas ergo quadraginta & duas generationum mansiones,quas Christus fecit ascendens in Ægyptum mundi huius, ipso numero quadraginta & duas mansiones faciunt, qui ascendunt de Ægypto. Et bene obseruanter posuit Moyses, dicens; *Ascenderunt filij Israël cum virtute sua.* Quæ est virtus eorum,nisi ipse Christus, qui est virtus Dei? Qui ergo ascendit,cum ipso ascendit,qui ad nos inde descendit,vt illuc perueniat, vnde illa non necessitate, sed dignatione descendit, vt verum sit illud,quod dictum est,quia *qui descendit, ipse est & qui ascendit.*]

Bernardus Epist. 190. disputans contra Abelardum, hoc fuisse ait, quod Christo acclamabant,& qui præibant & qui sequebantur, *benedictus qui venit in nomine Domini*, agnoscentes ab eo omnem suam benedictionem dimanare, & omnem peccatorum absterſionem. Eodem sensu, eas acclamationes accipit S. Greg. hom. 17.in Ezech.

### *Antiquæ adumbrationes, veritatis propositæ.*

741 Eodem applicat S. Cyrillus lib. 2. de adorat. quod de serpente per caudam apprehenso à Mose, sicque in pristinam formam reuocato, traditur Exodi 4. Cum enim præmisisset manum Mosi antè leprosam;esse Christum, cuius dextera fecit virtutem;eámque apprehensionem serpentis, naturæ nostræ susceptionem significasse; eius verò redintegrationem in honorem regium & expurgationem à veneno;siue reformationem à ferali nequitia, & sanctificationem,regressione serpentis in virgam regiam, fuisse adumbratum: his inquam præmissis, rogatus à Palladio Collocutore,S.Cyrillus,quorsum Moyses, serpentem cauda potiùs quàm aliter prehendisse legatur, hanc reddit rationem. [Caput, velut initium quoddam est totius animantis, vt cauda finis. Age igitur vniuersum genus humanum, vt vnum animal hactenus cogitemus; apprehendit igitur caudam Christus, ideſt, extremas partes atque vltimas; externis quippè seculorum temporibus aduenit. Verùm quemadmodùm, quamuis Moyses caudam apprehendisset, tamen vsque ad ipsum quoque caput illa reformatio recurrit,(est enim totus ille serpens in virgam immutatus,) ad eundem modum,vltima licet apprehenderit Christus, attamen in vniuersum genus pertinet, & ad caput ipsum vsque,ideſt,Adam,illa per gratiam reformatio pertingit. Scriptum est enim, ideo Christum esse mortuum & reuixisse,vt viuis ac mortuis dominetur:Igitur in extremis, ipsa quoque principiorum simul ac est perfecta redemptio.]

Rursus verò ad eiusdem libri calcem, exponens factum Sephoræ circumcidentis filium tenellum; Sephoram quidem filiam Sacerdotis Madiam,Mosi iunctam matrimonio,interpretatur Ecclesiam ex gentibus, adunatam Synagogæ. [Ergo cum Sephora (inquit) Ecclesiæ loco ex gentibus collectæ accipiatur à nobis, proculdubio, qui est ex ea filius, recentioris populi figuram tenebit; eò quòd illam quam spiritus efficit in Christo pueritiam, atque in Deum regenerationem credentes acceperint,quos etiam *populum qui creabitur*,appellat profectò David. Is igitur nuper in Christo genitus puer; recentior,inquam, per fidem populus, per Circuncisionem in spiritu mortem cohibet: Est enim calculus,naturę illius firmissimę nota:eius enim robur atque soliditas,per lapidem, vt qui durus admodùm sit, significatur. Itaque etiam Iesus Naue, cum Israëliticas copias per Iordanem traiecisset gladiolis eos lapideis circumcidit, videlicet illam in Christo per Spiritum Circuncisionem præfigurabat: Petra enim Christus, quem tanquam in figura,vt modò dixi,ille quoque calculus prænotat, quo Sephoræ est filius circuncisus. Quo tempore,etiam mors aufugit, atque à Moyse discessit is, qui illum quærebat occidere, quod illius in Christo circuncisionis Mysterium honoraret; in quo res ipsa gesta figuratè nobis subclamare videtur, non ab iis modò, qui Christi circuncisione dignati sunt, recessisse mortem,sed ipsis etiam Patribus eam, Christi inquam, mysterium, auxilio fuisse. Vt enim omnes in Adam mortui sumus,sic in omnes

nes quoque illa per Christum gratia fertur ac funditur. *Ideò namque mortuus est, vt & mortuis & vivis dominetur.* Ergo illo ipso tempore, quo iunior populus circunciditur, simul quoque patribus vitæ præstatur. Viuunt enim Deo, eo ipso quod victuri sunt: id enim sacris libris est proditum. Spiritalis porrò Circuncisionis tempus, Christi aduentus est.]

### *Illustratio eiusdem ex Anselmo. Mollitus Rupertus.*

742 His veluti adumbrationibus, veritas quam proposuimus de anteriorum Sanctorum gratia è Christi fontibus hausta, non parum illustratur. Sed iuuat insuper, ei etiam lucem affundere maiorem, & firmitatem conciliare, adducta insigni ratiocinatione S. Anselmi lib. 2. cur Deus homo c. 16. qua modus communicatæ antiquis, Christi gratiæ, & congruens ratio cur ipsi quoque de Christi plenitudine accipere debuerint, perbellè exponitur. Sic igitur habet. [Oportuit vtique vt illa redemptio, quam Christus fecit, prodesset, non solùm illis, qui eo tempore fuerunt, sed & aliis. Sit enim Rex aliquis, cui totus populus suæ cuiusdam ciuitatis sic peccauit, excepto vno solo, qui tamen est de illorum genere; vt nullus eorum facere possit vnde mortis damnationem euadat. Ille autem, qui solus est innocens tantam apud Regem habeat gratiam, vt possit; & tantam dilectionem erga reos, vt velit omnes, qui credent suo consilio, reconciliare quodam seruitio ipsi Regi valdè placituro, quod facturus est, die secundùm voluntatem regis statuto: & quoniam nõ omnes possunt, qui reconciliandi sunt, ad diem illam conuenire, concedit Rex, propter magnitudinem seruitij illius, vt quicumque vel antè, vel post diem illam, confesti fuerint se velle per illud opus, quod ea die fiet, veniam impetrare, & ad pactum constitutum ibi accedere, ab omni culpa sint absoluti præterita; & si contigerit vt post hanc veniam iterum pecarẽt, si dignè satisfacere & corrigi deinceps voluerint, per eiusdem pacti efficaciam iterum veniam recipiant: sic tamen, vt nullus palatium eius ingrediatur, donec factum sit, vnde culpæ relaxantur. Secundùm hanc similitudinem, quoniam non potuerunt omnes homines qui saluandi erant, præsentes esse, quando redemptionem illam Christus fecit, tanta fuit vis in eius morte, vt etiam in absentes vel loco, vel tempore, eius protendatur effectus. Quòd autem, non solùm præsentibus prodesse debeat, hinc facilè cognoscitur: quia non tot præsentes eius esse morti potuerunt, quot ad supernæ ciuitatis constructionem necessarij sunt, etiamsi omnes, qui eiusdem mortis tempore vbicumque erant, ad illam redemptionem admitterentur. Plures enim sunt Dæmones, quàm (de quibus restaurandus est numerus eorum,) ea die viuerent homines. Nec credendum est, ex quo factus est homo, vllum tempus fuisse, quo mundus isto cum creaturis suis, quæ factæ sunt ad vsus hominum, sic vacuus fuisset, vt nullus esset in illo ex humano genere ad hoc pertinens, propter quod factus est homo. Videtur enim inconueniens, quod Deus vel vno momento permiserit humanum genus, & ea, quæ fecit, propter vsum eorum, de quibus superna ciuitas perficienda est, quasi frustra extitisse. Nam aliquatenus in vanum esse videretur, quandiu non ad hoc, propter quod maximè factæ essent, viderentur subsistere.] Hæc S. Anselmi ratiocinatio, opportunissima est ad intelligendum, quod susceperamus comprobandum, nempe gratiam antiquorum Patrum à Christo tametsi illos subsecuto esse deriuatam.

Non repugnat Rupertus lib. 1. de operibus Spiritus sancti cap. 27. cum negat collatam esse antiquis per Christum remissionem peccatorum, ante Christi passionem. Sensus enim est tantùm, effectum illum peccati quo à regno excludebantur, non fuisse sublatum nisi per Christi mortem: quamuis gratia qua sublata est macula, data sit antiquis per Christum, cum sunt iustificati. Exponit se ipse Rupertus lib. 4. de Processione Spiritus sancti c. 12. [Per sanguinem (inquit,) huius solius, tam illi, quàm nos, Spiritum sanctum in ista gratia, quæ est remissio peccatorum, accepimus. In quorum videlicet, veterum & nouorum distinctione, illud perpendere pulchrum est, quia cum (sicut alio in loco diximus,) duo sint data sancti Spiritus, alterum in remissionem peccatorum, alterum in diuisiones gratiarum: Veteres prius in diuisiones gratiarum, quàm in remissionem peccatorum acceperunt; noui autem, scilicet, nos, qui post passionem Christi renascimur aut renati sumus, prius in remissionem peccatorum, quàm in diuisiones gratiarum accepimus.] Et mox. [Itaque de illis, scilicet de veteribus Sanctis siue filiis Dei, maximè qui ante diluuium fuerunt, rectè dicas illud mysticum B. Iob, *quia concepti non viderunt lucem.* Gratia namque Spiritus sancti, qui est ipsa benedictio Patris & Filij, qua benedixit Deus masculum & fœminam dicens, *Crescite & multiplicamini*, sterilis quidem deinde nunquam fuit, quin tanquam maternus vterus conciperet filios Dei, sed quia non peruenerunt ad iam dictæ remunerationis diem, imo nec cogniti sunt mundo per alicuius Scripturæ narrationem, nimirum quasi concepti non viderunt lucem.]

### *Difficultas in contrarium quoad gratiam Deiparæ, & maiorum Christi.*

743 Ratum igitur esto, gratiam quam antiqui Patres acceperunt, è Christi meritis dimanasse. Est tamen circa hoc difficultas non parua, propter Deiparam, & antiquos illos à quibus Christus accepit esse. Nam meritum propriè dictum, cum sit moraliter effectiuum, supponit merentis existentiam, saltem obiectiuam, naturâ priorem merito, & gratia per meritum concessa. Eóque modo Christus ab origine mundi occisus est, quatenus in præuisione Dei, mors & meritum eius, fuit ante gratiam concessam iustis veteris Testamenti, ac legis naturæ. Atqui ea obiectiua antecessio Christi, non videtur posse admitti quoad gratiam iustorum illorum qui fuerunt Christi progenitores, & suis piis actibus meruerunt de congruo, sin minùs Incarnationis substantiam saltem circumstantiam aliquam. Nam gratia illa, si erat obuenturа per Christi meritum, supponebat necessariò existentiam Christi præcognitam, sine qua meritum non intelligeretur à Christo manare: quia quod non est, aut esse non concipitur, non agit aut non concipitur agere, siue physicè, siue moraliter. In quo cauillatus meritoria, quia est quasi effectiua, differt à finali, quæ non impellit rem ad aliud, sed ad suiipsius conquisitionem allicit.

allicit. Si ergo illa gratia Patrum, supponebat Christi existentiam, quomodò poterat causare moraliter siue meritoriè circunstantias Incarnationis, sine quibus Christus non poterat intelligi existens, & idoneus ad profundendum meritum, quo Patrum gratia obtingeret?

*Prior eius extricatio.*

744 Hoc argumentum, latè tractatum est, exponendo causas Christi extrinsecas. Et ex ibi dictis, duplex eius dissolutio habetur: prior est, Christum Dominum, supposito peccato, fuisse à Deo antecedenter ad omnia prædefinitum quasi vagè, quoad causas ex quibus esset proditurus: ita tamen, vt certò constaret Deo Christum vi decreti illius, aliquo tandem modo, & per aliquas causas producendum, magna & eximia opera esse profusurum, eaque hominibus applicaturum. Fateor opera Christi sic obiecta Deo, non obiici vt merita formaliter & in actu secundo; neque enim obiiciuntur vt directa ad causandam præmij assecutionem. Obiiciuntur tamen vt capacia quæ ad id assumantur; seu vt apta & digna quibus implantetur formale meritum. Et catenus possunt dici *merita*, nempe obiectiuè potiùs quàm formaliter: quia eorum intuitu Deus inducitur ad conferendum aliquod bonum, etiam si non intelligantur ab operante directa ad talem inductionem causandam, quod esset de ratione meriti formalis. Per ea ergo Christi merita sic præconcepta, potuit conferre gratia Christi progenitoribus, qua congruè mererentur circunstantiam aliquam attinentem ad Christi existentiam, & Verbi Dei Incarnationem deterministè postmodùm decernendam per certas & definitas causas. Postmodùm dico, non quasi sit in diuino decreto vlla temporaria successio; sed quia nostro concipiendi modo, simplicissimum & planè simultaneum processum diuinæ voluntatis, pro varietate obiectorum ad quæ terminatur, dearticulamus, & signis rationis prioribus ac posterioribus subnotatis, distinguimus. Quia ergo obiectum diuini decreti de Christo producendo, spectatum quasi generatim, & antecedenter ad certas causas per quas executioni mandandum est, præsupponitur iisdem causis determinatè consideratis; meritò agnoscitur in Christo prioritas aliqua rationis, in qua meritum Christi habet locum antecedenter ad causas illas definitas existentiæ suæ, in posteriori signo decernendas. Neque idcirco vlla in diuinam conceptionem confusio, vel in decretum imperfecta indeterminatio cadit: sed omnis confusio & indeterminatio quæ ibi in priori signo concipitur, tenet se ex parte imperfecti nostri modi concipiendi, salua semper Deo perfectissima sua. & ab omnibus defectibus nostris exquisitè purgata, intelligendi & decernendi rationes; cuius correspondentiam cum varia præsuppositione obiectorum eam terminantium, adæquare prædicta nostro concipiendi modo conamur.

*Posterior difficultatis propositæ expeditio.*

745 Alterum responsum, quo dissolui potest difficultas proposita, circa gratiam Christi progenitoribus concessam, illud est; gratiam nimirum illam non cecidisse sub propriè dictum Christi meritum, quo res primùm ponitur; sed tantùm sub improprium & compensatiuum, quod extensa non nihil meriti notione, meritum dicitur. Imaginandum namque est, Deum gratiam antiquis illis Patribus & progenitoribus Christi sui, ante conceptam Christi existentiam, vt eius adiunctum aliquod, mererentur, concessisse veluti credito, probè conscium, fore vt à Christo cum productus foret, exhibitione pretij superabundantis compensaretur. Qua ratione, gratia primùm conceditur antecedenter ad Christum; ac proinde independenter ab eo. Postea verò posita Christi productione ac meritis, si perstet gratia (vt constat perstare gratiam habitualem), retinetur ex iustitia ex parte Christi, qui pretium pro ea gratia credito præstita, est elargitus. Hoc itaque pacto præcluditur difficultas proposita, quæ ducebatur ex necessaria præexistentia obiectiua meriti propriè dicti ad præmium, quam constat non posse habere locum in Christi meritis ad primam gratiæ Patrum exhibitionem comparatis; quia merita Christi non potuerunt diuinæ præuisioni obiici ante Christi progenitores, & gratiam eorum; quandoquidem Christus meritis suis anterior, ab huiusmodi progenitoribus pendebat, eratque eis & tempore & natura posterior. Posse porrò ista sufficere ad explicanda & tuenda quæ de Christi merito circa antiquos Patres à quibus progenitus est, sunt affirmanda, inde liquere videtur, quod hoc sit aliquod meritum; & ea ratione rectè intelligatur, omnem planè gratiam hominibus lapsis cõcessam. ad Christum referri tanquam ad principium, & ab eo esse; quod vnum habemus ex principiis reuelatis, quibus nominatim traditur, Christum mortuum esse in redemptionem earum præuaricationum quæ erant sub priori testamento: atque adeò gratiam antiquis Patribus promeruisse. Et erunt sanè hoc Christi merito erga progenitores suos contenti, qui nullum aliud circa quosuis antiquos, Christi meritum agnoscunt; vt Ægidius de actibus supernat. disp. 8. dubio 7. à n. 115. & à Ragusa Tomo 1. 3. p. disp. 32. §. 4.

*Discussa quæ in eam nuper obiecta.*

746 Sic iam pridem statueram de hoc merito, cum ista recognoscenti, oblatum est recens à prælo opus, Didaci Alarcon in primam partem, vbi tractatu 4. disp. 3. c. 4. à n. 16. in hanc doctrinam à nonnullis quos refert traditam, fusè disputat. Reuera tamen quę proponit numero illo 16. & tribus sequentibus, nullo modo feriunt compensationem illam gratiæ Patribus creditò concessa à Christo factam; sed tantùm impugnant eiusdem gratiæ meritum propriè dictum à Christo elicitum per actionem gratiarum, quale meritum non assignauimus Christo. Quamuis enim Christus gratias Patri egerit pro gratia antiquis Patribus concessa; tamen per eam gratiarum actionem, Christus non meruit propriè gratiam Patribus à quibus præhabita supponitur, etiam in obiectiua existentia. Neq; verò Christus dũtaxat per actum actionis gratiarum, (vt perperã assumitur), sed per quosuis alios actus suos, promeruit dicto modo patribus Gratiam. Omnibus enim C. actib. æquè com-

mune fuit, compensare posse hoc munus collatum antiquis. Addit idem Autor numero 21. de fide esse, Christum non modò esse causam finalem iustificationis hominum quorũcumque, sed etiam meritoriam : vtramque enim illam causam expresse secernit Tridentinum sess.6.c.7. Atqui iuxta doctrinam propositam, Christus non esset nisi causa finalis donorum Patribus concessorum. Nam dare gratiam sanctificantem intuitu Christi eam aliquando compensaturi; siue vt Christus det gratiarum actionem, aliud non est, quàm Deum eam gratiarum actionem intendere; & vt ipsa aliquando sequatur, dare gratiam : vbi nulla alia causalitas meritorum Christi apparet, quàm finalis: quæ tamen certò non sufficit, cum Concilium præterea requirat meritoriam. Deinde ex generalibus doctrinæ de gratiæ principiis, constat; cum Deus dat gratiam vt aliquid fiat, non dare eam quia opus illud factum est, aut faciendum, iuxta solemnem Diui Augustini argumentationem libro de Prædestinatione SS. cap. tertio, & decimonono, & Concilij Arausicani canone 25. Sed potiùs dare gratiam, vt fiat opus quod absque gratia non efficeretur : quod est moueri à fine boni nostri per Deum intento, non à merito per nos exhibendo. Si ergo similiter Deus, ex intentione actionis gratiarum à Christo exhibendarum, contulit antiquis gratiam; perspicuè sequitur, Christum non fuisse causam meritoriam gratiæ illius, sed finalem tantùm: sic Autor prædictus, parum appositè ad id de quo agitur. Christum enim esse causam meritoriam gratiæ Patribus datæ, extra controuersiam est. Sed quod id meritum sufficienter accipiatur de compensatione per Christum præstita, affirmant ij quorum sententiam prædictus Autor exeunt. Et cum deberet in ea meriti pro compensatione accepti explicatione refellenda hærere, totus est in excludenda mera causalitate finali, Christi in gratiam Patrum : quam solam causalitatem, gratis supponit inuehi ab iis quos impugnat. Itaque tota eius machinatio, abit cassa, & in ventum.

Facile porrò esset, hunc Autorem vrgere multo magis, expendendo dissolutionem nodi propositi quæ tandem ab ipso profertur num. 37. & 53. Argumentum erat eiusmodi. Gratia fuit antiquis Patribus data, tanquam præmium actionis gratiarum quam Christus præuidebatur eliciturus in tempore. Sed talis gratiarum actio supponit ipsam gratiam collatam, vt per se liquet. Ergo idem est priusquàm sit : quia scilicet gratia esset ante præuisam suam causam quasi efficientem, ideſt meritum Christi ante quod præuisum data supponitur. Huic argumento respondet Autor prædictus, gratiam datam Patribus, esse priorem actione gratiarum Christi, in genere autem causæ quasi efficientis & meritoriæ, esse posteriorem. Sicut actio physica pendet obiectiuè à termino qui per eam efficitur, & productio actiua Verbi diuini, ex parte Patris specificatur à Verbo, vt à termino & obiecto, cognito ac producto per talem generationem quamuis Verbum origine, in genere principij quasi efficientis, sit posterius ea generatione. Istam enodationem argumenti propositi censeo prorsus inanem. Est enim prorsus impossibile, vt aliquid priùs concipiatur existere, (quod planè verum est de obiecto actionis gratiarum, seu de gratia data Patribus) & simul non concipiatur existere; vt saltè necesse est concipi gratiam Patribus datam, quatenus iuxta aduersarium, causanda est à Christo, merito propriè dicto, per actionem gratiarum. Neque condimenta quibus aduersarius conatur doctrinæ suæ saporem conciliare, sunt reuera talia quæ insulsitatem eius abstergant. Nam in exemplis quæ proponit, præexistentia non exigitur vtrinque realis & exercita, saltem obiectiuè; sed ex vna tantùm parte est præexistentia realis. Ipse autem vtrinque, cum apertissima impossibilitate, statuit realem præexistentiam inter duo illa de quibus hîc agitur: nempe inter gratiam veterum, Christi gratitudini tanquam causæ meritoriæ repensam, & ipsam gratitudinem; cui realiter præconcipi oportere beneficium collatum, nemo non videt. Quare valeat responsio, apertæ impossibilitati subnixa: & & probabile maneat, quod de Christi merito non nisi compensatiuo, est adductum.

### *Summa antedictorum. Obiter an opus membri mystici Christi, sit moraliter dignius.*

747 His ita constitutis, ratum ac fixum manet, quod hîc præmisimus; nempe omnem gratiam hominis lapsi, esse gratiam Christi : vt miram non sit, in Conciliis Africanis, & Arausicano, ac Tridentino, & in Epistolis summorum Pontificum Innocentij, Sixti, Zozimi, Cœlestini, Gelasij; Et apud Patres, præsertim Augustinum, omnem gratiam nobis concessam in hoc statu, passim vocari *gratiam Christi*, siue *per Christum*, quia eius meritis rependitur: ideò, non tantùm in eius gratiam ac ob eius amorem, sed etiam ob eius merita. Posset enim quis, ob personam quam diligit, tametsi nihil tale promeritam, aliquid præstare alteri, quod non diceretur facere ob merita personæ dilectæ, etiamsi faceret eius intuitu. Deus ergo non tantùm in gratiam Christi eiúsque intuitu, homini lapso gratiam contulit; sed etiam propter merita Christi sui : quod & Christo honorificentius est, & nos ad eius amorem vehementiùs incendit. Neque verò id duntaxat accipiendum est, de gratia entitatiuè ac intrinsecè supernaturali, sed de omni planè gratia creata, etiam illa quæ extrinseca est, & non nisi in remotione impedimentorum salutis cernitur; aut ad res temporales terminatur, dummodò supernaturali modo conferatur : ideſt aliquo modo ad ordinem gratiæ, & salutem æternam alicuius pertineat. Quicquid enim huiusmodi est, rectè dicitur, & est gratia per Christum. An verò his donis per Christi merita obuenientibus, annumeranda quoque sit gratia increata, ideſt actus diuinus terminatus ad conferenda nobis hæc aut illa creata bona, dicam cap. sequenti, tractans influxum Christi in prædestinatos. Quod enim ibi, de actu diuinæ voluntatis terminatæ ad prædestinatos statuemus, æquè statuendum est de actu simili, terminato ad quodcumque subiectum supernaturalis beneficij.

An item dona illa gratiæ, quibus Deo placemus, & merita quibus gratiam & gloriam commus, & opera inde procreata, ex eo quod paramus, & opera inde procreata, ex eo quod sint nobis per Christum concessa, sint moraliter

digniora

digniora quàm si nobis aliunde obuenirent, de quo inter Præpositum 3. parte, quæst. 19. num. 63. Vasquem 1.2. disp. 214. cap. 3. ac 7. negantes, & Vegam lib. 4. in Conc. cap. 8. Caietanum Tom. 3. Opuscul. tract. 9. c. 9. Hosium in Confessione Polon. c. 73. Becanum de Incarnatione cap. 14. quæst. 12. num. 5. Suarem lib. 12. de gratia cap. 19. affirmantes, controuertitur; non refert multùm ad rem præsentem. Obiter tamen dixerim, adhærendum esse parti neganti, si sensus esset, opus supernaturale quod omnibus spectatis in statu innocentiæ promeruisset gradum vnum gratiæ & gloriæ; nunc inuchere maiorem gratiam, Christo istud augmentum supra conditionem operis nobis promerente. Sic enim nos, citra dispositionem nostram iustificaremur, & bearemur ex parte. Nec eum prædictæ sententiæ sensum stabiliunt, quæ pro ea proferuntur: ac nominatim quod Christus Ioannis 10. se venisse ait, vt oues vitam haberent & abundantiùs haberent. Id enim optimè saluaretur, per meritum selectiorum illorum & vberiorum auxiliorum, quę dicerentur per Christum nobis obtigisse, supra eos qui anterioribus seculis in magna gratiæ & auxiliorum caritate vixerunt. Si tamen sensus partis affirmantis tantùm sit, opera nostra, ex eo quod nos Christi corpori conseramur vt membra viua, honestari nouo decore, fierique digniora, ac proinde certam aliquam gratiæ sanctificantis ac gloriæ portionem eis sic honestatis, tanquam circunstantia. Quis nobiliore affectis, respondere; sic non intritus subscribo parti affirmanti, cui non obscure fauet Tridentinum Sess. 6. c. 16. Homini quippe, ex eo quod per gratiam sanctificantem fiat membrum Christi viuum, accedit dignitas aliqua, ad conciliandam operibus eius dignitatem opportuna. Pro dignitate autem personæ, etiamsi opus in se ac intrinsecè idem foret, augeri meritum operis, sententia est satis recepta in Tractatione de merito. Igitur rectè asseritur, opera hominis ex lapsu per Christum erecti, & Christo capiti sociati, esse magis meritoria, etiam prout sunt ipsius hominis, auctiore per caput suum dignitate collucentis, quàm forent si ab homine eliciuntur in statu innocentiæ, secluſa honestatione operantis, ex eo quod sit Christi membrum.

### *Sine admittendus Christi influxus in hominem integrum, & Angelum.*

748 Pergo ad influxum Christi in hominem integrum, & Angelos. Adam enim priusquàm peccaret, gratia sanctificante colluxit, quam non videtur potuisse per Christum accipere, quia Christus non fuit à Deo præordinatus, nisi occasione peccati. Igitur ante præuisum peccatum, non potuit prouidere Christus venturus. Et tamen in signo rationis ante præmissum peccatum, Adam præuisus est habere gratiam. Atque ita gratia Adamo collata in statu innocentiæ, non videtur potuisse conferri ex Christi meritis. Et ita plane significat S. Augustinus lib. de corrept. & gratia c. 11. Tametsi enim ait, Adamum innocentem non eguisse Christi morte, quod posset referri ad excludendam tantùm redemptionẽ; Tamen eo loquendi modo D. Augustinus videtur designasse Christi meritum, quod maximè morte constitit. Et alia subdit de potentiore gratia quæ Christus est, Adamo non necessaria, nobis autem concessa; quæ planè ferunt eam quam dixi gratiæ Adami innocentis independentiam à Christi meritis. Et ita tradunt Monila prima parte q. 63. art. 3. disp. vnica membro 5. concl. 7. Vasques 3. parte disput. 48. c. 2. infert, Christum non esse caput hominis in statu innocentiæ, quomodò enim caput, si gratiam non influxit? Neque verò dici potest, Deum per scientiam mediam, conscium eius quod futurum erat, contulisse Adamo gratiam dependenter à Christo: quatenus scilicet conditionaliter præsciebat, Adamum in his vel illis conditionibus positum, peccaturum; atque adeò Christum venturum, quas positiones iam tunc decernebat permittere, & præuidebat: ipsas apponendas. Hoc inquam iuuare non potest, ad explicandum quomodò Adamus in statu innocentiæ potuerit gratiam accipere per Christi merita. Nam merita conditionalia, quamdiu sunt tantùm conditionalia, non mouent ad remunerandum: alioqui tota prædestinationis series, posset esse ex merito. Et æquè dicendum esset, demerita conditionalia, digna esse repensione actuali supplicij, quod nemo non videt, absurdum esse, & iure à Diuo Augustino & Prospero, aduersùs præmium meritis tantùm conditionatis repensum, obiicitur. Atqui merita Christi prout scientiæ mediæ obuersantur, non sunt nisi conditionata. Ergo vt sic, non mouerunt Deum ad dandam Adamo innocenti gratiam. Cum autem conditio mandatur executioni, & merita Christi prænoscuntur absolutè futura, antecessit in priori rationis permissio peccati, ipsumque peccatum, quod ratione subsequitur statum gratiæ, è quo Adamus per peccatum deiicitur. Hac difficultate vrgetur influxus Christi, in hominem constitutum in statu innocentiæ.

Par porrò difficultas vrget pro Angelis. Collata namque est Angelis gratia, antecedenter ad peccatum Adami: vt ex eo constat, quod Dæmon qui priùs gratia colluxerat, postquàm fœlici illo statu excidit, ruinam Adamo conciuit. Ex quo sequitur, gratiam & Adamo innocenti, & Angelis, in eodem signo rationis fuisse decretam. Sicut ergo difficultas proposita, euincere planè videtur, gratiam non esse Adamo innocenti latam per Christum, ex sola peccati absolutè præsciti occasione decretum; ita idem de Angelorum gratia videtur affirmandum: quod censent Vasques tertia parte disp. 49. à c. 2. Lessius Opusc. de Christi prædestinatione num. 4. & 11. Becanus Tract. de Angelis c. 2. quæst. 4. Aluares tertia parte, disp. 40. & ibidem Pesantius quæst. 8. art. 1. disp. 1. Præpositus 3. parte q. 19. num. 57. Bonac. disp. 2. de Incarnat. quæst. 12. puncto 7. Nec qui in contraria sunt sententia, & Angelos gratiam à Christo habere censent, videntur ita philosophati, nisi ex suppositione, Christi in primo signo, & antecedenter ad peccatum præuisum prædestinati: Qua suppositione facta facilè defenditur, quomodò Angeli à Christo gratiam acceperint; vt affirmat sanctus Thomas in c. 1. Ioannis, ad illud, *de plenitudine eius omnes accepimus*. Suar. 3. parte Tom 1. disp. 42. sect. 1.

Valentia 3. parte disp. 1. q. 8. punct. 3. Benzonius in Psalm. 86. c. 29. priorem suam sententiam retractans in gratiam concionatorum Fonseca 6. Metaph. c. 2 q. 6. sect. 2. Assert. 3. A Rüa controu. 8. scholastica, parte 1. & 2. Viegas in cap. 1. Apocal. Comment. 1. sect. 9. Spinellus de Deipara cap. 14. Iacobus Pinto, adducens multos lib. 3. de Christo Crucifixo Titulo 2. loco 4. n. 6. & latè Feüardentius in appendice ad Castrum V. *Angelus* hæresi 6. qui putat hanc gratiæ Angelicæ à Christo deriuationem, esse ex fide certam: contrarium autem placitum damnat hæreseos, eo maximè nixus fundamento, quod Christus sit Angelorum caput æquè ac hominum: Ratio autem capitis supernaturalis, omninò ferre videatur, influxum gratiæ, membra sub eo capite constituta perfundentis.

### *Esse par ratio hominis integri & Angeli, quoad rem præsentem.*

749 In hac difficultate, fateor eandem omnino debere esse rationem Angelorum & Botoplastorum innocentium. Cum enim vtrique gratiam habuerint ante peccatum hominis præuisum, ex cuius occasione Christus decretus est; profectò vel vtrique gratiam à Christo acceperunt, vel neutri. Nec plus est certitudinis, in ratione capitis Christo vendicanda respectu primorum hominum, quàm respectu Angelorum, aut vice-versa. Pauca quidem de hominis innocentis subordinatione ad Christum, in Patribus produntur: in Scripturis autem vix vlla, quia status ille perbreuis fuit, & homo gratiam in eo diuinitùs indultam, mox amisit, nec recuperauit nisi interuentu æui noui quod fecit Dominus. Tamen cum sit omnimoda paritas inter hominem innocentem & Angelum, quoad signum rationis in quo vtrisque decreta est gratia: cum item vtrisque obuersata diuinitùs sit Christi venturi species; quod de Angelis, docent passim qui eam fuisse illis occasionem ruinæ volunt; de Adamo autem insinuat haud obscurè Apostolus, attingens Adami soporem supernaturalem: (neque verò necessarium fuit Christum obiici Adamo, vt medicum, quia id eius lætitiam temerasset vt bene vidit Faustus lib. 2. de gratia & lib. arbitrio c. 7.) Cum inquam hæc omnia ita se habeant, & quoad hominem integrum, & quoad Angelum: omnino eodem modo de vtrisque philosophandum censeo, quoad dependentiam gratiæ ipsorum à Christo. Nec quoad hoc, circa alterutros magnam certitudinem inuenio, contra Feuardentis amplificationem. Quod enim Christus fuerit hominis innocentis & Angelorum caput, non probat, necessariò Adamum innocentem & Angelos habuisse gratiam dependenter à Christo; cum ratio capitis, possit per alium Christi influxum intelligi quoad Angelos; nempe per illuminationes, & eruditionem nouam superiùs expositam. Quoad hominem autem innocentem, facile sit, & incommodo vacans, rationem capitis adimere Christo. Itaque an gratia Angelorum & hominis innocentis, sit gratia Christi, mecum problema est, in quo citra periculum fas est parti alterutri adhærere.

### *Admittitur pro vtrisque, Christi influxu, ex PP.*

750 Mihi tamen sententia, quæ Adami innocentis, & Angelorum gratiam Christo accepram refert, amplectenda videtur, cum ea temperatione quam nunc proponam. Est enim Christo honorificentior, qui ea ratione vniuersalis Pater futuri seculi constituitur: & totus ordo gratiæ ad eum reducitur; multóque melius intelligitur & Ecclesiæ vnitas, & Christi capitis super omnem Ecclesiam summa perfectio, in ratione capitis. Idem non obscurè in Scripturis insinuari affirmant aliqui, quia apud Apostolum asseritur per sanguinem Christi reconciliari omnia Deo & pacificari, tum quæ in cœlis, tum quæ in terris sunt: pacificati inquam, non modò inter seipsa, ob sopitam simultatem quæ homines inter & Angelos intercedebat, fœlicitérque Christi morte dirempta est; sed etiam cum Deo, vt disertè affirmat Origenes hom. 1. in Leuit. & S. Hieronymus in c. 1. & 2. ad Ephes. Sed ea interpretatio loci Apostolici non videtur commoda; meliusque S. Augustinus c. 61. Enchiridij accepisse hunc locum videtur, cum dixit. [Quæ in Sanctis Angelis & virtutibus Dei est Ecclesia, tunc nobis sicuti est innotesceret, cum ei coniuncti fuerimus in finem, ad simul habendam beatitudinem sempiternam. Istæ verò quæ ab illa peregrinatur in terris, eo nobis notior est, quòd in illa sumus, & quia hominum est, quod & nos sumus. Hæc sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni redempta est peccato, eiusque vox est, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Non enim pro Angelis mortuus est Christus. Sed idèo etiam pro Angelis fit, quidquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo; quoniam cum eis quodammodò redit in gratiam post inimicitias quas inter homines & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur. Ea vtique nouerunt sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. Propter quod ait Apostolus, *instaurati omnia in Christo, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris.* In ipso quippe instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in Angelis lapsum est, & hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt ad æternam vitam, à corruptionis vetustate renouantur. Ac sic per illud salutare sacrificium, in quo Mediator est immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificantur cœlestia cum terrestribus, & terrestria cum cœlestibus. Quoniam sicut idem Apostolus dicit, *In ipso complacuit omnem plenitudinem, Diuinitatis, inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris.*] Hic ergo Apostoli locus, non est adeò validus pro astruenda sententia quam excutimus, vt aliqui arbitrantur.

Aptiùs ergo proferuntur nonnulli Patres, à quibus eadem veritas apertiùs traditur; vt à sancto Cyrillo lib. 9. de Adorat. cum agit de Aarone,

Aaraone, semel in anno vngente sanguine purificationis peccatorum capita cornuum. [Ingrediebatur (inquit,) vir ille admirabilis Aaron in Sancta sanctorum semel in anno, per sanguinem purgationis peccatorum. Vide autem rursus in hoc Christum sanguine suo pro salute omnium ac vita, suam crucem quodammodò adspergentem, Crucis quippe figura sunt cornua, quæ manuum instar vtrinque exporrecta prominent. Igitur mortuum quidem semel Christum intellige, sed eundem ex natura sanctum esse tanquam Deum. Est enim verax Ioannes, qui ait; *Ex plenitudine eius, nos omnes accepimus:* Est enim Christi particeps, vniuersa non modò visibilis, sed etiam inuisibilis creatura. Angeli namque & Archangeli, & illæ quoque, quæ supra hos sunt naturæ, ipsa denique Cherubim, non aliter, quàm per Christum solum, in sancto Spiritu sancta sunt. Ipsi igitur est altare, ipsi thymiama, summúsque Sacerdos, ipse item sanguis purgationis peccatorum.]

751 Optimè S. Ambrosius lib. de benedic. Patriarch. cap. 11. [*Benedixit,* (inquit) *enim, benedictione cœli à summo, & benedictione terræ habentis omnia.* Omnia enim subiecit ei, cœlestia sicut benedictionem cœli, & terrena sicut benedictionem terræ, vt & hominibus & Angelis dominaretur. Itaque in illo velut contemptibili corpore, *prævaluisti,* (inquit,) *propter benedictionem vberum & vuluæ.*] Ex mox. [Geminam igitur Propheta in Christo substantiam declarauit, diuinitatis & crucis: alteram ex Patre, alteram ex Virgine, ita tamen vt non exors suæ esset diuinitatis, cùm ex Virgine nasceretur, & esset in corpore. Vnde & prævaluit super omnes montes, & desideria collium æternorum. Super enim omnes illos sublimis meriti viros Patriarchas & Prophetas, & Apostolos, sed etiam vltra Solem, Lunam, Archangelos, tanquam cœli lumem emicuit, sicut ipse ait, *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum.* Qui enim illorum fuit, cui subiecta essent omnia, quibus ipse donauit quod erant? In quo benedicuntur omnes sancti eius, quia ipse est super capita omnium caput. Caput enim mulieris, vir: caput viri, Christus. *Et super vertices montium.* Quia ipse est supereminens vertex vniuersorum. Sed iustorum est vextex altissimus. Quos fratres vocauit, acquisitos per gratiam, & quoddam generationis consortium. Vnde ex fratribus Ioseph, illos magis fratres intelligimus, de quibus dicit in Psalmo; *Narrabo nomen tuum in fratribus meis, in medio Ecclesiæ cantabo tibi.* Denique & Moyses completurus vitæ istius cursum, cùm benediceret tribum Ioseph, non illum vtique defunctum Ioseph, sed Christum benedicebat, sicut habes scriptum de Ioseph; *A benedictione Domini terra eius, à fructibus cœli, & rore, & ab abyssorum fontibus deorsum, & secundum horam à fructibus Solis cursus & à conuenientibus mensium, & à vertice montium ab initio, & à vertice collium æternorum, & ad horam à terræ plenitudine, & ab eo qui visus est in rubo, veniat super caput Ioseph benedictio, & super verticem honorificus sit inter fratres. Primogenitus tauri decus eius, corona vnicornui cornua eius. In ipsis gentes ventilabit simul vsque ad extremum terræ: Ipsæ myriades Ephraim, & ipsæ chiliades Manasses.* Benedictio eadem est quæ omnem habet & cœlestium & terrestrium plenitudinem, & specialem Christi gratiam, qui visus in rubo dixit ad ipsum Moysem, *Solui calceamentum pedum tuorum,* qui est super omnia Deus, quia ipse est caput corporis Ecclesiæ: qui est principium primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens; quoniam in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. Et ideò soli benedictionis huius prærogatiua defertur, à summitate cœli vsque ad extremum terræ, Ipse est enim ante omnes, in quo constant omnia; quæ etiam per sanguinem crucis suæ pacificauit omnia, siue quæ in cœlo, siue quæ in terris sunt.]

752 Suffragatur S. Gregorius lib. 1. in primum Regum ad illud capitis 2. *non est sanctus vt est Dominus.* Ibi Christum omnis sanctitatis fontem demonstrans, sic scribit. [Quisquis potuit sanctus existere, eius accepit munere, vt sanctus esse potuisset. Hoc namque sancta Ecclesia subsequenti verbo insinuans, ad eundem Redemptorem ex nimia charitate conuertitur, dicens; *Neque est alius extra te,* subauditur, *sanctus.* Extra eum sanctus aliquis esset, si absque dono vnigeniti, sanctificationis Spiritum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat? scriptum quippe est; *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* Verbum Domini, est vnigenitus Dei. Quem profectò Euangelista Ioannes insinuans, ait; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum.* Si ergo etiam Angeli sanctificati creduntur in filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum sanctificationis gratiam inuenire non possunt.] Agit apertè de Christo homine, sub eadem ratione sub qua est nobis fons sanctitatis & gratiæ.

Giselbertus in Altetc. c. 18. [Bonum Creatoris donum, hominem & Angelum in superbiam extulit, quia magna prorsus vtiusque celsitudo, illius in principatu Angelico, istius in propagando genere humano. Tantæ gloriæ pondus, vterque ferre non valuit, vnde vterque cecidit. Quapropter nisi Verbum incarnatum, in donis suis hominem & Angelum custodiat, leuitate naturæ vterque vacillat. Donum enim Dei magnum est, quo Angelus bonus stabilitus est.]

## *Qui in hanc vem minus verisimiliter adducti.*

753 Videri possit patrocinatus eidem veritati, & statuere Christum fontem gratiæ Angelorum, S. Bernardus serm. 2. de Circuncisione cum ait, [Idem Angeli Saluator & hominis, sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio creaturæ.] quasi iam tunc Angelus gratiam acceperit propter Christum. Alium tamen fuisse sensum S. Bernardi, non obscurè colligitur ex sermone 22. in Cant. vbi de ea Angelorum per Christum sanctificatione pleniùs disserit verbis illis. [Quomodo ergo in principio erat Verbum. Sed Verbum erat apud Deum, factum est autem quatenus esse inciperet & apud homines: sic nihilominus in principio sapientia erat, erat iustitia, erat sanctificatio & Redemptio: Sed Angelis. Vt esset & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique *qui fa-*

*ctus est* (inquit,) *nobis sapientia à Deo*; Et non ait simpliciter, *qui factus est sapientia*, sed *qui factus est nobis sapientia*: quoniam quòd erat Angelis, factus est & nobis.] Hic locus videtur exponere priorem; & monstrare eatenus tantùm concessam Christo fuisse à S. Bernardo sanctificationem Angelorum, quatenus Verbum erat apud Deum, non autem quarenus est Verbum homo; sub qua consideratione id hoc loco affirmamus. Similiter serm. 2. de Pent. tradens quomodò Deipara sit medium terræ in quo Dominus operatus est salutem, apertè demonstrat, salutem per eam, idest per Christum in ea & ex ea procreatum, non esse factam Angelis; nisi quia de nobis saluatis sunt lætati; sic enim ait de Christo in vtero. [Et nunc iam operabatur salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate *terræ medium* appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, vt resarciantur, & qui in inferno, vt eripiantur: qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur: qui sequuntur, vt glorificentur. Eo beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei; Domina mundi, Regina cœli. Omnes inquam, generationes cœli & terræ. *Pater Spirituum*, (ait Apostolus) *ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur*. Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ: quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis quidquid creauerit recreauit.]

Ambigi item possit, an de Christo Deo homine, an de eodem provt Dei tantum, agat Alexander Episcopus Alexandrinus Epist. ad Alexandrum Constantinopolitanum, quæ extat lib. 1. Concilij Nicæni per Pisanum, & apud Theodoretum lib. 1. histor. cap. 4. cum dicit. [At Salomon fieri non posse ait vt vel cogitatione comprehendatur vestigium serpentis in petra quæ est iuxta Paulum, Christus. Sed creaturæ illius tam homines quàm Angeli benedictionem accepere, vt progressiones facere possent, in virtutis & legitimorum mandatorum exercitio, ne peccatis irretiantur. Itaque & Dominus noster, cum natura sit filius Patris, ab omnibus adoratur. Verùm qui Spiritu seruitutem excusserint, per virtutem & progressionem adepti Spiritum adoptionis, beneficio naturalis filij efficiuntur ipsi filij adoptiui.] Ambigo an de Christo provt Deo agat, quia id fert eius institutum: quamuis omnes Scripturæ, quas ibi & proximè mox adducit, spectent ad Christum provt hominem. Quare sistendum est potiùs, in testimoniis antea prolatis, quæ perspicua sunt.

*Discrimina influxus Christi in Angelos & hominem integrum ex vna parte; ac lapsum ex altera.*

754 Est igitur ex prædictis admodùm probabile, gratiam quoque Angelorum, & Adami innocentis, in Christum esse referendum. Hoc tamen ita intelligendum est, vt longè aliter Christus statuatur illis fons gratiæ, quàm nobis in natura lapsa. Nobis enim Christus gratiam promeruit propriè, & per meritum strictè acceptum, quod præexistere saltem obiectiuè intelligitur ante collatam gratiam. At de Angelis & homine innocente, aliter est statuendum: quia gratia eorum, decreta est ante decretum permissionis peccati; & ab æterno præuisa conferenda, ante prouisionem Christi, qui solus peccati occasione decertus est in posteriore signo. Quare dicendum est eatenus & Adami innocentis, & Angelorum gratiam Christo acceptam esse referendam, quatenus merita Christi fuerunt compensatio & solutio, gratiæ Angelis & Adamo innocenti veluti credito concessæ. Imaginandum enim est, Deum quamuis potuisset ex misericordia Angelis & homini innocenti elargiri gratiam simpliciter & absolutè; tamen apposuisse conditionem, vt si contingeret alia occasione Christum poni, & offerre pretium suæ illius beneficentiæ anticipatæ, admissurus illud esset. Quale genus misericordiæ, familiare est in subuentione impensa egenis, non omnino destitutis spe fortunæ pinguioris, & regressus ad meliore. Nec Deum decet ea subleuatio, cum ita misericordiam eius commendet, vt iustitiam quoque acceptanda per Christum compensatione, extollat. Ad Christi verò dignitatem refert plurimùm, vt per se patet. Sic igitur apud se, nostro concipiendi modo statuit Deus. *Dabo gratis Angelis & Adamo innocenti gratiam, eámque vi huius decreti negaturus non essem, etiamsi nulla spes compensationis affulgeret. Si tamen Christum meum, occasione peccati poni contingat, & hanc gratiæ collationem compensare velit, admittam compensationem.* Qui actus, respectu diuersorum, est liberalitatis simul & iustitiæ. Liberalitatis quidem respectu Angelorum & hominis innocentis: & vt sic, omnino exerceretur, quamuis nihil aliud accederet. Est autem iustitiæ, respectu Christi. Acceptare namque solutionem oblatam, actus est iustitiæ, si collatio mercis, (vt sic dicam,) fuit cum voluntate acceptandæ solutionis, si quandoque offeratur: Itavt idem met actus immutatus, sit voluntas efficax rei credito conferendæ, ad solutionem si quandoque offeratur. Eam porrò conditionem, Deus in præsenti negotio non præuidebat in primo signo, itaque reipsa decreuit gratiam ex mera misericordia. Cum autem in posteriori signo præuisum est peccatum, & Christus eius occasione decretus; tunc quia conditio prædicta impleta est, Christo immensum pretium & Angelis & quibusuis hominibus sufficiens offerente; confirmata est decreta iam misericorditer gratia, & rata facta nouo iustitiæ titulo, ob exhibitam per Christum compensationem. Hæc est vna ratio discriminis, inter

inter modum gratiæ Angelis & homini innocenti collatæ per Christum, ac eiusdem collatæ hominibus lapsis. His enim Christus per proprium meritum (saltem indefinitè loquendo) gratiam contulit; illis per solutionem & compensationem tantùm.

Altera discriminis ratio, in eo ita est, quod Angeli non sunt à Christo redempti, etiamsi perperam contrarium censuit Vincentius de Flumato lib. 2. de Christi nominibus V. *redemptor*, ea tantùm ratione ductus, quia sanguine Christi redemptus est homo, & numerus Angelorum instauratus. Quod secundum, falsum est, simpliciter loquendo: & provt quoque modo ad veritatem aptari, potest, non suffragatur Angelorum qui steterunt redemptioni per Christum; quæ proinde non est admittenda. Idémque de homine provt in statu innocentiæ constituto, est affirmandum. Nostra autem gratia, est collata per redemptionem.

### *Christus nec Angelorum, nec hominis innocentis redemptor.*

Non esse Angelos à Christo redemptos, (& idem est de homine provt innocente,) tradit disertè S. Augustinus in cap. 3. ad Galatas ad illud, *mediator autem vnius non est*. Eodémque recidit, quod in Enchir. cap. 61. negat Christum esse mortuum pro Angelis. S. item Bernardus serm. in feriam 4 Hebdomadæ pœnosæ, negat Christi passionem dari potuisse, idest fructuosam reuera fuisse per modum redemptioni, alteri quàm homini lapso: quia Angelus tali remedio non eguit, Diabolus verò eius capax non fuit. Sed pulcherrimè Rupertus in cap. 5. Apocal. ad illud, *occisus est, & redemisti nos Deo in sanguine tuo*, scribit in hunc modum. [Notandum, tale Canticum in duobus quæ sequuntur multitudinis Angelorum & omnis creaturæ testimoniis, non esse, quia videlicet neque Angeli, q uippe qui non perierant, neque creatura alia quæcumque rationalis est, sed sola hominum Ecclesia, quæ hîc intelligitur per viginti quatuor seniores & quatuor animalia, in sanguine Christi redempta est. Propterea isti quidem dicunt, *quoniam occisus es & redemisti nos*; Angeli autem hoc tantùm, *dignus est agnus qui occisus est*; Et non addunt, *& redemisti nos*. Porrò cæteræ omnes creaturæ, que in cœlo & quæ super terram, & quæ sub terra, & quæ in mari sunt, nihil horum dicunt, sed tantummodò sedente super thronum à quo factæ sunt, & agno per quem factæ sunt suo modo benedicunt. Soli ergo homines sunt, qui primi ante Angelos, & ante omnem creaturam primùm in isto cantico perhibent testimonium, dicendo; *Quoniam occisus es, & redimisti nos.*]

Quod si imperfecta laude quam lactentes & infantes Christo concinuerunt, legimus ab eis dictum, *hosanna in excelsis*, non est sensus, Christum esse salutem Angelorum quasi eos redemerit. Sed sensus est, illatam esse cœlo salutem, iis ruinis quas peccatum intulerat, substitutione hominum per Christi redemptionem reparatis, vt benè exponit hic verbis S. Ambrosius serm. 45. de temp. *in fine*. [Nec prætereundum est à Psalmi versiculo, quem occurrens turba Domino decantabat; *Hosanna filio Dauid; benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis*. Aduentus enim Domini, eiúsque incarnatio, non solùm hominum salus fuit in terra, sed etiam Angelorum in cœlo: quia dum homines in terra saluantur, Angelorum numerus qui Diabolo cadente minoratus fuerat, integratur in cœlo. *Hosanna* ergo *in excelsis*, tantumdem est, tanquam si dicatur; *Saluanos qui etiam es salus in cœlis*. Reparatos per nos Angelos dicit, imitatore Bernardo serm. 2. in Vigilia Natiuit.

Non est igitur Christus, Angelorum vel hominis innocentis redemptor, sed veniens & moriens ad redemptionem hominis lapsi, gratiam illis collatam compensauit: quæ compensatio non est dicenda redemptio, quia redemptio vt ex Zozimo Papa tradit D. Augustinus Epist. 157. supponit personæ redemptæ captiuitatem, vel in se vel in radice sua; ex qua scilicet sit trahenda seruitus peccati, nisi opitulatrix Dei manus benignè præueniat. Quo pacto Deipara, verè redempta est à Christo, quia spectata origine sua, erat contractura peccatum originis, nisi Deus eam præuenisset. Ideóque licet semper illimis & nitens, tamen dicitur peccasse in Adamo, quia incurrendi peccati debito non caruit, origine sua spectata, & nisi præuenta fuisset diuinitùs. Angeli autem neque in se fuerunt vnquam peccato commaculati, neque in vlla radice sua fuerunt peccato obnoxij. Non sunt igitur redempti à Christo, etiamsi paulò latiùs loquendo, & sumendo redemptionem pro præseruatione à lapsu cui necessario vi originis obnoxij non erant, dictum sit à S. Bernardo serm. 22. in Cant. redemptos fuisse à Christo Angelos. [In principio (inquit) sapientia erat, erat iustitia, erat sanctificatio, & redemptio; sed Angelis. Vt esset & hominibus, fecit eum hæc omnia pater, &c.

Quod erat Angelis factus est & nobis. At Angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit, non video. Nec enim autoritas scripturarum vspiam assentiri videtur, eos aliquando aut peccato extitisse captiuos, aut morti obnoxios; vt necessàriam haberem redemptionem, exceptis dumtaxat illis qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes, redimi deinceps non merentur. Si itaque Angeli nunquam redempti sunt, alij vtique non egentes, alij non promerentes; illi quidem quia nec lapsi sunt. hi autem quia irreuocabiles sunt; quo pacto tu dicis, Dominum Iesum Christum eis fuisse redemptionem? Audi breuiter. Qui erexit hominem lapsum dedit stanti Angelo ne laberetur. Sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquè vtrique redemptio, soluens illum, & seruans istum. Liquet ergo, Sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut iustitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem.] Sed hoc, vt præmisi, latè dictum est, & impropriè.

### *Nec pro iisdem mortuus.*

756 Nec item propriè loquendo dicendum est, Christum esse pro Angelis vel homine integro mortuum; quia mors Christi eo tantùm nomine suscepta est à Christo, vt Deo læso satisfieret, & inæqualitas peccato inducta aboleretur. Quamuis ergo illis ipsis actibus quibus

Christus

Christus hominem lapsum redemit, atque adeò etiam morte sua, compensarit gratiam homini innocenti & Angelis collatam; tamen quia mors & passio Christi, directè & primariò exhibebatur vt satisfactio, qua Angeli, & homo innocens non egebant; meritò negamus Christum pro eis mortuum esse, etiamsi mors Christi illis profuerit provt meritoria & compensatiua gratiæ, anteriùs ratione quam mors ipsa præuideretur, Angelis & homini innocenti decretæ.

Ex eadem portò causa, ob quam diximus Christum pro Angelis mortuum non esse, etiamsi gratiam quam habent Christo acceptam ferant; ducenda est ratio, cur Angeli beatitudinis præmio sint potiti ante Christum quod hominibus non est concessum. Ratio enim datæ Angelis, negatæ verò hominibus ante Christum beatitudinis, est quia homines Deum læserant; nec par fuit ante exhibitam per Christum satisfactionem, eámque in Christi morte consummatam, recludi cœlum, & propalari sanctorum viam: quod factum est in momento mortis Christi, ob plenè tunc obliteratam Dei injuriam, & reparatum ius eius violatum: vnde consecutum est, vt homines intelligerent quibus bonis ob peccatum excluderentur, & quò reducerentur æterna Christi redemptione inuenta. Id quod etiam ad habenas peccatoribus adducendas, contulit plurimùm dum vident quanti sit numen offendisse; ad quod placandum, & obtinendum aditum in eius Regiam, tantam interponi oportuit victimam. Pro Angelis verò, quia numen non læserant, nulla talis comperendinatio fuit necessaria. Itaque in fine perbreuis viæ, fuerunt in termino, & beatitudinem meritis Christi præuiis sunt consecuti, eodem modo quo eius meritis habuerant gratiam & sanctificationem. Nam licet Apostolus Hebræ 2. dicat, *qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes*, quod plerique de Adamo interpretantur, ex quo & Christus & nos omnes progignimur: tamen inde non impugnatur Angelorum sanctificatio per Christum, quia Apostolus ibi non agebat de omnibus per Christum sanctificatis, sed de iis tantùm de quibus proximè fuerat sermo, hoc est de pueris qui communicauerunt carni & sanguini. Eos enim tantùm spectabat Apostoli eo loco institutum, & fructus eorum ad quos scribebat. Præterquàm quod Chrysostomus & creditus Ambrosius, & Anselmus ibi, *vnum ex quo omnes*, interpretantur; non Adamum, sed Deum Patrem, ex quo omnes sanctificari prodeunt. Itaque ex eo loco, nihil colligi potest aduersùs Angelorum per Christi merita auctitatem & beatitudinem.

### *Influxus Christi in gloriam membrorum suorum omnium.*

757 Ex dictis, tam fusè, támque firmiter stabilitis, de gratiæ totius participatione per Christum, manifestè sequitur, gloriam quoque non participari nisi per Christum: eáque ratione Christum se prodere caput Ecclesiæ, quod gloriam quoque in vniuersos influat. Est sanè gratia, semen gloriæ, & pignus felicitatis, vt aliquoties loquitur Apostolus. Quare qui gratiam, ali inde accipit & sanctificationem, indidem habet vitam æternam, & in se verum ostendit illud, *Gratia Dei, vita æterna*: quod radicaliter accipiendum esse, monstrat sæpe D. Augustinus. Hæc cum ita sint, nihil attinet, siue probationes, siue illustrationes varias conquirere huius veritatis, quamuis suppetant plurimæ, illáque nominatim quæ ducitur ex verbis Christi Ioannis 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Hæc verba S. Chrysostomus hom. de Natiuit. Christi, S. Gregor. 27. moral. c. 11. & S. Augustinus Tract. 12. in Ioan. in hunc sensum accipiunt, vt solus Christus dicatur in cœlum ascendere, quia nemo ad cœlum peruenit & gloria potitur, nisi Christi capitis sit membrum. Sic enim vnum Christum compingunt omnes electi, sicut membra omnia capiti Ioannis subiacentia, conflant vnum corpus, quod vno nomine dicitur *Ioannes*. Hoc item sensu quemadmodùm solus Pontifex introibat in Sancta, ita solus Christus introit in cœlum. Pulchrè Guerricus serm. 1. acephalo, agens de Christo cœlum subeunte. [Solus intrabit, qui solus agnus sine macula, solus argui non potuit de peccato, quod nec ab eo factum, nec in eo inuentum. Solus plenè summus Pontifex meus, nec in parte, nec in matre contaminatus est, vt lex dicit: patrem quippe; sed Deum; matrem quoque, sed Virginem habens, vnde & solus ingreditur Sancta sanctorum: & *nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui in cœlo est.* Quid ergo nos? Ita ne continuò desperabimus? Imo verò sperabimus, & hinc maximè. Licet enim solus, sed profectò totus intrabit, & os non comminuetur ex eo. Non sine membris caput inuenietur in regno, si tamen membra fuerunt conformia & cohærentia capiti suo. Conformia sanè moribus, cohærentia fide.] S. Gregorius hom. 15. in Ezech. *initio*, portam Orientalem interpretatus Christum, ait eatenus solum Christum intrare ad vitam, quatenus omnes electi sunt eius membra, & vnum effi. iunt cum eo. Et in psal. 4. Pœnit. eodem modo accipit illud, *vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Sanctus quidem Augustinus & Prosper in psalm. illum 101. hæc verba accipiunt de eminentissima Christi gloria in Ascensione Resurrectionem subsecuta. Tamen S. Gregorius, ea verba refert ad subitionem cœlorum per solum Christum: quia nemo gloriam capessit, nisi fiat vnum cum Christo, & membrum eius tanquam capitis.

### Vsus Doctrinæ.

### *De Christo capite.*

758 Fixum itaque & ratum esto, Christum esse caput super omnem Ecclesiam, cum militantem, tum triumphantem: & tam Angelos quàm homines, subesse Christo capiti, tanquam membra eiusdem mystici corporis, ex illis materialiter etherogeneis partibus compacti. Hinc verò passim Patres, insignia aliquot consectaria erunt, quæ placet non omittere.

I.

*Agnitio eminentiæ Christi Domini.*

In primis infertur ex his sublimissima & eminentissima Christi dignitas, subtus quam omnes, & homines & Angeli quantumcumque eximij, iaceant depressi. Attigit hanc præcellentiam Christi, (quippe capitis,) supra quamuis alias creaturas rationales tanquam membra S. Augustinus Epist. 57. *sub finem*, verbis illis. [Hoccine interesse arbitramur inter caput & membra cætera, quod in quolibet quamuis præcipuo membro, velut in aliquo magno Propheta aut Apostolo, quamuis diuinitas habitet, non tamen sicut in capite quod est Christus, omnis plenitudo diuinitatis? Nam & in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, vbi prorsus omnis est quinquepartitus. Ibi enim & visus, & auditus, & olfactus, & gustus, & tactus. In cœteris autem solus est tactus.] Addit aliam præterea præcellentiam ista anteriorem, & veluti primordialem ac radicalem; quod scilicet Christus sit Deus homo, ad quod honoris culmen nulli alteri infra eum, est aspirandum. Non tamen inficiatur priorem illam præcellentiam, ex eo quod Christus sit caput, cœteri membra. In tantam sublimitatem, intenti semper & defixi animis esse debemus, vt impleatur in nobis illud, *sapientis oculi in capite eius*, quod Gregorius Nyssemus hom. 5. in Eccles. ad Christi capitis contuitum accommodat, præfatus id ad litteram videri posse difficile cum nullum sit animal, cui oculi non sint in capite. Et eodem modo dictum illud Sapientis, accipiunt S. Gregorius 20. Moral. c. 3. & Richardus Victor. Tract. de Gemino Paschate, *non multum ab initio*, & Tractatu de Baptismo Christi *sub medium*; vbi addit, quanta custodia custodiendum sit tam excellens caput; quámque cauendum, ne ab eo quis auellatur, quod excommunicatione aliisque præterea modis studiosissimè declinandis fieri monet sanctus Gregorius in Psal. 4. Pœnit. *ad vers.* 1. Insigniter quoque sanctus Ambrosius serm. in Psal. 118.

II.

*Amor & gratiarum actio.*

759 Consequenter verò quantus hinc in nobis exardescere debeat amor erga Christum, accipe ex Ruperto lib. 13. in Matth. *in ipso fine.* [Propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat; autor salutis eorum, per passionem consummatus est. Nonne istorum consideratio siue frequens meditatio, quendam facit amoris ignem in ista Sion? In primis de eo quod primùm positum est, *propter quem omnia*, interrogo, nónne dum istud consideratis, nónne ex sublucente fidei scintilla, suscitatur in te, lucidæ iucundæ dilectionis flamma? Quid enim? Pater optimus, dum vnicum in secreto sui pectoris haberet filium, thesaurizare voluit ille thesauros auri & argenti, lapidumque preciosorum, & omnis bonæ supellectilis, ædificare palatium regni, cunctáque prouidere ministeria regalis cuiæ, exercitum copiosum, familiam numerosam, duces præfectos, tribunos ac centuriones, seruas & ancillas, seu clientes ac ministros, qui pulchra varietate distincti, astarent ei sedente in medio ipsorum, ac deseruirent in ordinibus suis. Idcirco fecit hæc omnia, cœlum & terram, cœlum inuisibile replens Angelorum agminibus, terram autem tot & tantis humanæ creaturæ generationibus, in quibus sumus & nos. Quis ad hæc non respondeat, quia vel sola causa hæc, magnam dilectionem exigit, magnæ nos ille dilectionis ac deuotionis debitores facit? Adde quod secundo loco dictum est, *per quem omnia.* Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Si omnia, vtique per ipsum inter omnia. Adde quod tertio loco dictum est, *qui multos filiis in gloriam adduxerat.* Vnus enim & solus ipse Dei filius erat, sed noluit solus remanere, immo voluit multos fratres habere, quos & ante omnia secula sibi conformes facere, ideſt, in gloriam filiorum Dei adducere prædestinauerat. Adde quod illum optimè decebat; quia cum periissent in Adam tot filij Dei, fratres sui, ipse autor salutis eorum per passionem consummatus est. Quanta dilectione digna sunt hæc? Nimirum propter hæc diligere illum, nimiæ ingratitudinis est, summa nequitia est. Quasi ligna hæc sunt, subiectáque subiicienda in altari, ad nutriendum sanctæ huius dilectionis seu iusti amoris ignem, sicut in sancta & mystica lege scriptum est, *Ignis in altari semper ardebit.*]

Continens est, affectus actionis gratiarum erga Christum; quem affectum ex tot in nos ab eo tanquam capite deriuatis bonis, exsculpi vult S. Bernardus mellitissimis illis de more verbis serm. 1. in capite ieiunij, docens id esse vngere caput nostrum quod iubemur facere apud Matth. [Vnctum à patre est caput nostrum & nihilominus vngi postulat & à nobis. Cum ieiunaueris, inquit, vnge caput tuum. Ita ne aquam petit à riuulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certe repetit magis. Ad fontem enim vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Non verò vt minus habens quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet, & mundatione facta superueniens repelletur. Sic planè, sic gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato; sed & quod acceperat, vertitur & in perniciem. Fidelis autem in modico, censetur dignus munere ampliori. Vnge igitur caput tuum, refundens in eum qui supra te est; quidquid in te est deuotionis, quidquid declarationis, quidquid affectionis. Vnge igitur caput tuum, vt si qua in te gratia est, referatur ad ipsum, nec tuam quæras gloriam, sed ipsius.] Ex Petro Damiani opusc. 6. capite 1. idem tradidi libro 4. sectione prima, capite 4. *in fine.*

III.

*Sancta superbia, & amor proximorum.*

760 Indidem insuper inferunt Patres, quanti nos ipsos, quanti fratres nostros facere debeamus, tanquam membra corporis illius cuius caput est Christus. [Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum, aiebat S. Leo admonens Christianum ne sibi vilescceret. Potentissimè verò ac propemodùm diuinè in hanc rem disserit S. Chrysostomus hom. 3. in ad Ephes. adscribo partem. [ Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Papæ? Quò rursus sustulit Ecclesiam, tanquam per quandam trahens machinam, eam in magnam sustulit altitudinem, & eam sedere fecit in illa sede. Vbi enim est caput, illic & corpus, & si caput & corpus. Nullo loco intermedio arcetur. Si autem arcetur, corpus non fuerit ] Et mox *in Morali.* Veneremur itaque, (inquit,) caput hoc, cogitemus cuius capitis sumus corpus, cui omnia sunt subiecta. Hoc exemplo nos Angelis oportet esse meliores, & Archangelis maiores, vt qui iis omnibus simus honore præpositi. *Non Angelos apprehendit Deus,* Sicut dicit scribens ad Hebræos; *sed semen Abrahæ;* Non principatum, neque potestatem neque dominationem, neque vllam aliam virtutem: sed nostram naturam apprehendit, & supra sedere fecit: Et quid dico, *sedere fecit?* Suum fecit vestimentum; nec id solùm, sed eius pedibus subiecit omnia. Quàm multas vis mortes ponere, & quàm multas animas? decies-ne mille, & his longè plures? Sed nihil dices quod sit ei æquiparandum. Duo enim fecit maxima: & ipse ad summam venit humilitatem, & hominem sustulit ad magnam altitudinem, suo sanguine eum saluum fecit. Dixit illud primùm, quòd se adeò humiliauit. Dicit hoc firmiùs & solidius, id quod est magnum, & summa rerum. Atqui si nullo dignati essemus, suffecisset, etiamsi absque hoc dignati essemus; absque eo, inquam, quòd esset mactatus, suffecisset. Quum autem duo sint, quam dicendi facultatem non vicerit & superauerit? Non magna res est resurrectio, quando hæc reputauero. De hoc dicit, *Deus Domini nostri Iesu Christi*, non de Deo Verbo. Reuereamur propinquitatem cognationis. Timeamus ne quis abscindatur ab hoc corpore: ne quis excidat, ne quis appareat indignus. Si quispiam diadema nostro imposuerit capiti, si coronam auream, an non omnia fecerimus, vt digni videamur inanimis lapidibus? Nunc autem non est nostro capiti impositum diadema, sed caput nostrum factus est Christus; quod quidem est maius, & eius nullam habemus rationem; sed Angeli quidem ipsum reuerentur, & Archãgeli, & omnes illæ virtutes: Nos autem quum etiam eius corpus simus, neque propter hoc, neque propter illud, reuerebimur. Et quænam est spes nostræ salutis? Cogita thronum regium, cogita summum honorem. Hoc nos, si velimus, magis nos poterit terrere quàm gehenna. Nam si non esset gehenna, tanto honore affectos, inuentos esse indignos & malos, quam non haberet pœnam; quod non supplicium? Cogita propè quem sedeat tuum caput; hoc solùm ad vniuersa sufficerit. Ad cuius sedeat dexteram; super omnem principatum, potestatem & virtutem, eius autem corpus conculcatur etiam à Dæmonibus. Sed absit. Hoc non fuerit ampliùs corpus. Caput tuum venerantur serui frugi, & qui bonæ sunt existimationis: & corpus subiicis iis qui offenderunt? Quo non dignus eris supplicio: Si quis pedes Regis canibus obiiciat, & in compedes iniiciat, an non erit obnoxius extremo supplicio?] Non negat, Angelos quoque pertinere ad Christi corpus mysticum: sunt enim Ecclesiæ ex militante & triumphante compactæ, membra viua, atque adeò etiam ad corpus Christi pertinent. Tantum itaque vult, eos non esse membra homogenea, & eiusdem cum capite nobis peculiarem reuerentiam & affectum tam pretiosi capitis, ex nostra, non ex Angelica natura assumpti, debet infigere.

761 Debere verò inde hominem in sanctam ac sobriam superbiam efferri, nec vllis subiici vilibus rebus, qui cum ipsis quoque Angelis ratione capitis sui de nobilitate & gradu excellentiæ possit contendere, satis aperè insinuat S. Chrysostomus. Nec obscurè eodem spectauit Apostolus Coloss. 2. cum questus de iis qui seducebant Colossenses in humilitate & religione Angelorum, inde nominatim eorum culpam amplificat, *quod non tenerent caput ex quo totum corpus connexum & subministratum, crescit in augmentum sanctum in Domino.*

IV.

*Humilitas, vnitatis studium.*

E contrario autem, quantum humilitatis incentiuum ex hac subiectione ad Christum capiti, admoueatur fidelibus, tanquam Christi corpori, S. Augustinus Egregiè sic monuit serm. 53. de verbis Domini, *in fine.* [ Inde cecidit Diabolus, vnde stantem deiecit hominem. Deiecit, stantem; sed Christus descendens erexit iacentem. Vnde te tamen erexit Dominus Deus tuus Attende; Humilitate erexit, factus obediens vsque ad mortem, humiliauit semetipsum. Princeps tuus humilis, & tu superbus? Caput humile, & membrum superbum? Absit. Non vult esse de corpore capitis humilis, qui amat superbiam. Si autem non fuerit, videat vbi erit. Ego nolo dicere, ne ampliùs videat terruisse.]

Sanè superbum esse sub capite humillimo, non secus est quàm humano capiti cernicem equinam apponere: quod æquè dicendum est de quibusdam non consentanee ad Christum caput vitam exigentibus, vt optimè tradit Gregorius Nyssenus lib. de perf. cta Christiani forma, sic scribens. [Quemadmodùm qui commentitia monstra, vel oratione vel pictura confingunt, Bucephalos quosdam, aut Hippocentauros, aut Anguipedes, aut quidpiam aliud ex diuersis generibus, non ad exemplar naturæ dirigunt imitationem, sed peruersa, illa inuentione naturam prætereuntes, non hominem, sed aliud quiddam effingunt: quippe qui ex eo, quod videtur, id formam, quod non est, cuius licet aliqua pars cuipiam humani corporis partiti similis videatur, nemo tamen id quod absurda illa compositione conflatum est, hominem dicat: eodem pacto haud rectè perfectus Christianus appellabitur, qui vel à ratione abhorrens

rens caput obtineat;ideſt ipſum vniuerſi corporis caput, quod Verbum eſt, fide non habeat, quamuis cæteris partibus abſolutus ſit, vel eo capite præditus,reliquas corporis partes aut capite, aut inter ſe minimè conuenientes poſſideant, hoc eſt viuendi rationem à fide alienam inſtituat, cùm & draconum furiis imbutus ita excandeſcat,atque inſtar horum ſerpentium humi repat, & equinam rabiem apponens humanæ formæ fœminarum amoribus inſaniat, & ex duplici natura humana videlicet & ferina, veluti Hippocentaurus coaleſcat. Eiuſmodi autem hominum genera paſſim licet intueri, qui vel in vituli capite, in Idololatriæ videlicet diſciplina decore vitam officiis excultam agunt: qualem ſimulant eſſe Minotaurum, vel Chriſtianæ perſonæ,belluæ corpus,ideſt flagitioſum viuendi genus adiiciunt, quales Hyppocentauros, aut Anguipedes fingunt. Conſentaneum igitur eſt, vt quemadmodùm in corpore humano ſingulæ partes conueniunt,ſic tota Chriſtiani vita, omnibus quæ in Chriſto ex fide conſiderantur, bonis inſigniatur. ]

762 Culpam ſcindentium vnitatem, hinc expendit S. Chryſoſtomus hom. 18. in 2. Corinth. *in morali*, & egregiè S. Auguſtinus ſerm. 20. ex quadraginta nouis; his præter cætera. [ Quod eſt ſpiritus noſter, ideſt anima noſtra, ad membra noſtra; hoc Spiritus ſanctus ad corpus Chriſti quod eſt Eccleſia. Ideò Apoſtolus cum corpus vnum nominaſſet, ne intelligeremus mortuum corpus,*Vnum*,(inquit,)*corpus*. Sed rogo te, viuit hoc corpus? Viuit; Vnde? *De vno Spiritu*. Attendite ergo, fratres, in noſtro corpore, & dolete eos qui de Eccleſia præciduntur. In membris noſtris quandiu viuimus, cùm ſani ſumus,implent omnia membra officia ſua. Si vnum membrum dolet alicunde, compatiuntur omnia membra. Tamen quia in corpore eſt, dolere poteſt, expirare non poteſt. Quid eſt enim *exſpirare*, niſi ſpiritum amittere? Iam verò ſi membrum præcidatur de corpore, numquid ſequitur ſpiritus? & tamen membrum agnoſcitur. Quid eſt? Digitus eſt, manus eſt, brachium eſt,auris eſt.Præter corpus, habet fa-mam,ſed non habet vitam.Sic & homo ab Eccleſia ſeparatus. Quæris ab illo ſacramentum, inuenis, quæris Baptiſmum, inuenis; quæris Symbolum, inuenis. Forma es, quiſquis es, niſi intus ſpiritu vegeteris, fruſtra foris de forma gloriaris. ]

Eodem reuoluitur quod S.Bernardus ſerm.1. de Conuerſione S.Pauli, demonſtrat, perſequi Eccleſiam quæ eſt Chriſti corpus, idem eſſe quod perſequi Chriſtum. Sic enim Gloſſat voces Chriſti ad Paulum furentem; [*quid me perſequeris?*(inquit.) An non perſequebatur Chriſtum, qui Chriſti membra trucidabat in terris? An verò perſecuti ſunt Chriſtum, qui ſacratiſſimum illud corpus,crucis affixere patibulo, & non proſequebatur eum, qui aduersùs corpus eius quod eſt Eccleſia, (eſt enim corpus eius etiam ipſa.) odio furebat iniquo? Denique ſi proprium ſanguinem dedit in precium redemptioni animarum, non tibi videtur grauiorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo,ſcandali occaſione, auertit ab eo animas quas redemit, quàm à Iudæo qui ſanguinem illum fudit? Agnoſcite dilectiſſimi,& expaueſcite conſortia eorum quę ſalutem impediunt animarum. Horrendum penitùs ſacrilegium, quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino maieſtatis manus ſacrilegas iniecerunt. Videbatur iam ceſſaſſe perſecutionis tempus, ſed vt palam factum eſt, nunquam deeſt perſecutio Chriſtiano, ſed neque Chriſto. ]

V.

*Fuga mollitudinis: Sanctus vſus membrorum omnium.*

763 Ex conſideratione Chriſti capitis noſtri tam dira & dura perpeſſi, aduersùs molles, & ad quæuis aſpera vitreos,armatur S. Bernardus ſerm.5.in Feſto omnium Sanctorum. [ Pudeat,(inquit,) ſectari gloriam membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur, non habens ſpeciem aut decorem, vel aliquid eiuſmodi. Nimirum Salomon eſt, quod interpretatum eſt *pacificus*,ſanè quod in præſenti non eſt:non vtique *beatificus*, vt in omnibus Angelicum illud elogium commendetur, quo terris pacem, cœlis gloriam tradiderunt. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interni purpura, non tam honoris ſit, quàm irriſionis. ]

Nihil in Patribus frequentius,quàm immiſericordes in pauperes inde ad Charitatem vrgere,quod pauperes ſint membra Chriſti Nazianzenus optimè orat.16.*ad finem*. [ Eum certè qui ſalutis noſtræ cauſa, vulneribus & languore affectus eſt, venerare. Veneraberis autem, ſi te Chriſti membro, benignum atque humanum præbeas. ] Et inferiùs. [ Me ſiniſtra illa manus terret,& hœdi,& probra, quæ ab eo à quo illic collocati ſunt, coniiciuntur. Non quia manus alienis bonis attulerunt, nec quia templa diripuerunt,aut adulterium perpetrarunt, aut aliud quiddam ex aliis, quæ interdicta ſunt, admiſerunt, hoc ordine mulctati; ſed quia Chriſtum per pauperes minimè curarunt. Quocirca ſi quid mihi auſcultandum putatis, ſerui Chriſti, & fratres,& cohæredes,Chriſtum, quamdiu licet, viſitemus, Chriſtum curemus, Chriſtum alamus.Chriſtum induamus, Chriſtum colligamus, Chriſtum honoremus.] Vtique in membris ſuis, quæ ſynedochicè *Chriſtus* dicuntur. Præclarè eodem modo diſſerit Gregorius Nyſſenus Orat.prima de pauperibus amandis.

Omnium membrorum ſanctum vſum, ſic inducit ex hac capitis noſtri conſideratione S.Anſelmus lib.10. medit. in prima §. 5. [ Corpus Chriſti te Apoſtolus eſſe confirmat. *Vos eſtis*, (ait,) *Corpus Chriſti,& membra de membro*, ſerua igitur corpus & membra, ea dignitate qua decet, ne ſi ea quolibet leuitatis ſtudio iniuriosè tractaueris, quanto potiori præmio coronareris ſi ea dignè tractaſſes, tanto maiori ſupplicio ſubiiciaris.ſi eis indignè abuſus fueris. Oculi tui, oculi Chriſti ſunt. Non igitur licet tibi, oculos Chriſti ad aliquas vanitates conſpiciendas dirigere,quia Chriſtus eſt veritas,cui omnis vanitas contraria eſt. Os tuum, os Chriſti eſt. Non debes,non dico ad detrectationes, non dico ad mendacia, ſed nec ad otioſos ſermones, os aperire, quod ad ſolas laudis Dei, & ad ædificationem proximi, debes patulum habere. Sic de cæteris Chriſti membris, tuæ cuſtodiæ commiſſis intellige.]

764 Nominatim autem S. Chrysostomus hom. 17. in 1 Corinth. ad illud, *corpus autem non fornicationi, sed Domino*, horrorem sanctum incutit, ex eo quod membra Christi capitis, non refugiant turpitudinem. Isque fuerat Apostoli sensus, cum sanctè contestabatur, *tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?* Quæ in hanc rem habet S. Augustinus serm. 164. de Tempore cap. 1. 2. & 3. eximia planè sunt. [Ecce (inquit alloquens Neophitos) facti estis membra Christi. Si cogiteris quid facti estis, omnia ossa vestra, dicent. Domine, quis similis tibi? Non enim dignè cogitari potest illa dignatio Dei, deficit omnis sermo, sensusque humanus, veniisse vobis gratuita gratiam nullis meritis, præcedentibus. Ideò & gratia dicitur, quia gratis datur. Quam gratiam? vt sitis membra Christi, filij Dei, vt sitis fratres vnici. Si ille vnicus, vnde vos fratres, nisi quia vnicus natura, vos gratia fratres facti? Quia ergo membra Christi facti estis, admoneo vos.] Subiungit nominatim monitionem de vitandis meretriciis amoribus, per eos qui Incarnationis sint memores, & recolant se per eam factos Christi membra, quæ iuxta Apostolum, fieri non debeant membra meretricis.

Præiuit S. Augustino hac in parte, Origenes hom. 5. in Iosue *sub finem*. [Si post remissionem peccatorum (inquit) vltra non peccas, verè ablatum est à te opprobrium Ægypti. Si verò iterum peccaueris, iterum in te vetera reuoluuntur opprobria, eo magis quo multo maioris criminis est, filium Dei conculcare, & sanguinem testamenti pollutum ducere, quàm legem Mosis negligere. Multo enim maioris opprobrij est, qui post Euangelium, quàm ille qui sub lege positus fornicatur, quia iste tollens membra Christi, facit membra meretricis. Vides ergo quàm grauiora & cumulatiora in te opprobria si neglexeris, reuoluantur. Denique iam nemo te reum stupri arguit, sed sacrilegij scelere condemnat, quia dicitur ad te; *An nescitis quia corpora vestra templum Dei sunt. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Hæc etiam si priùs ignorabas, nunc tamen ex quo in auribus tuis ista verba dicuntur, & in cor tuum huiuscemodi doctrina transfunditur, scito te his auditis, templum Dei; & membrum Christi esse iam factum. Vide quantum profeceris. Ex homunculo terreno, in templum Dei progressus es: sine dubio, in quo habitare debet Deus; & qui caro & sanguis eras, profecisti vt membrum Christi is. Sed sicut magnus est iste profectus, ita & discessus horribilis, atque irremediabilis penè lapsus. Iam tibi enim non licet templo Dei vti, nisi in Sanctitate, nec membra Christi ad indignum reuocare negotium. Et ideò si quando te malæ concupiscentiæ pulsat illecebra, memor horum quæ nunc audis, hosti illi occurre, qui de teipso, hoc est, de tuo corde procedit, & resiste ei in talibus verbis, & dic; quia non sum meus. Emptus enim sum pretio sanguinis Christi, & membrum ipsius effectus sum. Non licet mihi tollere membrum Christi & facere membrum meretricis. Dic ei, quia templum Dei effectus sum, non mihi licet immundum aliquid in illud inducere, nec fas est mihi violare templum Dei: sed & illud adde, quoniam *qui fornicatur, in corpus suum peccat*. Non istud corpus solùm quod templum Dei effectum est, sed illud quod dicitur, quia omnis Ecclesia corpus Christi est, & in omnem Ecclesiam videtur delinquere, qui corpus suum maculauerit, quia per vnum membrum, macula in omne corpus diffunditur.]

S. Athanasius pulchrè idem tradit in fine nouæ Orationis in S. Pascha. [Ne inquines fidei tunicam, quam gratia contexuit; ne contemnas donum quod à Deo accepisti. Cogita quis dederit, & datum custodi. Si margaritæ aut regiæ purpuræ custos constitutus esses, nonne ad mortem vsque, custodiam eius curæ tibi esse ostenderes? Verùm nunc non margaritæ tantùm, neque purpura, neque de regia quippiam supellectili, sed ipsum Domini corpus, curæ fideique tuæ commissum est: quin potiùs, inquam, ipse Dominicum factus es corpus. Membrum factus es Christi; Christum induisti secundùm Apostoli Pauli vocem; *Quicumque enim in Christo baptizati sunt, Christum induerunt.* Cave ne membrorum Christi proditor fias. Christi Domicilium es, & membrorum eius qui in cœlis regnat. Virtutibus ergo Domini, illud honoremur.] Idem in omni scelere ad quod vlus est aliquis membrorum, & nostri ipsorum, proportione dici potest.

## VI.

### *Consulendum vbique in nobis honori capitis.*

765 Meritò itaque concludit S. Chrysostomus hom. 1. in ad Ephesios, *in fine*; Præmissa Christi, nostri & Angelorum capitis dignitate, nostraque per caput illud è genere nostro assumptum, sublimitate; [Tanto ergo dono dignati, tanto honore tanta benignitate, ne dedecore afficiamus, eum qui nos affecit beneficio; ne faciamus, vt tanta sit nobis inanis gratia; vitam ostendamus Angelicam, & Angelicam virtutem & vitæ agendæ rationem; rogoque & quæso, ne hæc omnia sint nobis in iudicium & condemnationem; sed ad fruendorum bonorum perceptione, quæ detur nobis omnibus consequi gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi.]

Huic beneficentiæ qui ingratos se præbent, conculcant & despiciunt caput suum, & radentes nouacula, auferunt eius pulchritudinem, vt ad Ezechielis cap. 44. loquitur S. Hieronymus, eò accommodans opprobrium ab monitis irrogatum legatis Dauidis 2. Regum 10. Sed insigniter S. Bernardus serm. 1. in capite ieiunij, *initio*: Fœlix membrum, quod huic adhæserit per[illegible]ia capiti, & sequetur illud quocumque ierit. Alioquin si fortè abscindi separarique contingat, priuetur statim necesse est etiam spiritu vitæ. Quæcumque enim parti capiti non cohæret, vnde ei iam sensus aut vita? Nec sanè deerit qui expositam occupet, vt ne tunc quidem sit [illegible]sque capite. Germinabit rursum radix amari[illegible]linis, venenatum caput iterum pullulabit. Illud inquam caput, quod in eo contriuerat antè [illegible]is mulier, mater Ecclesia. Dico autem quando per eam regeneratus est in spem vitæ, quem natura filium iræ mater carnalis ediderat; Videbit ergo iam, si fuerit qui reuelatos habeat oculos cordis, & spiritualiter intueatur, horrendam omninò

omni ..onstrum;corpus quidem hominis,caput autem Dæmonis habens. Non solùm autem , sed etiam erunt nouissima hominis illius peiora prioribus,cum vipereũ illud caput, quod priùs fuerat amputatum , non absque septem nequioribus se reuertatur.Quis nõ solo contre- iscat auditu?Tollens membrũ Christi, faciens mbrum dæmoniorum ? Abscissus autem à corpore Christi, Satanæ miser incorporabitur? sit procul à nobis semper , exectanda ista commutatio , fratres mei. Mihi omnino adhærere tibi bonum est , ô caput glorioſum & benedictum in sæcula , in quod & Angeli prospicere concupiscunt.] E contrario potiùs faciendum, quod olim deiectis Tyrannorum statuis & substituto iisdem capite Principis legitimi, vt scribit D. Hieronymus Abacuc.3. ad illud,*maledixisti septrũ eius , capiti bellatorum eius*. Quod Septuaginta verterunt, *diuisisti in stupore capita potentium*. Et aptatur à S. Hieronymo impiis cœtibus,& corporibus mysticis, quorum profano capite resecto, Christus caput conuenienter restituitur.

## VII.

### *Summella antedictorum.*

766 Summam fructuum omnium qui ex posita doctrina de Christo capite erui possunt, repræsento verbis Gregorij Nysseni lib. de perfecta Christiani forma; [Qui Ecclesiæ caput Christum esse didicit, illud in primis cogitet: vnam esse capitis & subiecti corporis naturam, & singula membra cum toto , naturali quadam necessitudine,coniuncta esse, quæ partes toti ita conciliat , vt miro consensu inter se conueniant. Ex quo fit,vt si quid extra corpus est , id etiam à capite omninò sciunctum sit. Ex hoc igitur intelligimus,quod naturâ caput est, idem fieri singula membra,vt cum ipso capite propriè amicéque consentiant : Nos autem membra sumus, qui in Christi corpus coalescimus. Quare si quis membrum Christi tollens,efficiat membrum meretricis , hic rabiem improbæ illius libidinis tanquam gladium accipiens , per hanc prauam perturbationem membrum prorsùs abscindit à capite. Sic item reliqua malitiæ instrumenta , sunt veluti gladij quibus membra à proprio corpore amputantur, & omnia seiunguntur à capite , quorum sectionem perturbationes efficiunt. Vt igitur totum corpus in naturali amicitia cum capite permaneat , æquum est, vt mutua concordia singula item membra inter si coniungantur. Quamobrem cum ipsum caput non modò purum, integrum, castúmque sit,sed ipsa quodammodò puritas, integritas, & castitas existimetur ; quæ sub eiusmodi caput membra concurrunt, ea item pura , incorrupta, castáque sint,consentaneum est.Denique quidquid de capite cogitamus, vt pacem, sanctimoniam,veritatem,& alia omnia eiusdem generis, in membris quoque con picienda sunt. Per filium enim hæc & talia in membris demonstrantur , quod ea naturali necessitudine cum capite cohærere , sit testimonio comprobatum, cum sic Apostolus dixerit , Christum esse *caput ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iunctũram secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri, augmentum corporis facit*. Illud præterea & hos *capitis* nomine discere debemus , quemadmodùm in animalibus ex capiti prouenit corpori ad agendum occasio atque incitatio:siquidem & pedum & manuum motus atque opera omnia , oculorum & aurium ope diriguntur : etenim nisi oculi præsint satagenti,& aures imperium excipiant,nihil eorum quæ proposita sunt , rectè fieri potest: Sic ex veri capitis sententia , corpus in rebus omnibus modò ad hoc , modò ad illud agendum dirigi & moueri oportere, quocumque ille,qui finxit oculum,& plantauit aurem, duret. Quando igitur caput,quæ supra sunt , respicit; opus est , vt quæ capiti aptè subnexa sunt membra , ipsius capitis ductum sequantur , & ad ea quæ supra sunt, tendant.]

# CAPVT X.

## *Christus caput Prædestinatorum.*

ECclesiam ex solis prædestinatis non coalescere , certa fides docet , & latè à Bellarmino lib.3.de Ecclesia c.8. contra Wicleffi , & Hussi, ac Caluini delitia confirmatur. Cum ergo monstratum hactenus sit, Christum esse caput Ecclesiæ quatenus ex omnibus suis membris coalescit ; seorsim nunc idem monstrandum est,de lectissimo illo cœtu prædestinatorum, cùm hominum tum Angelorum: quia quamuis comprehendantur ambitu Ecclesiæ vniuersè accepta , cui hactenus monstrauimus Christum esse caput , tamen sicut peculiaria beneficia his per Christum communicantur quæ nemo alius accipit ; ita quod eis præsit , & respectu eorum rationem capitis habeat, eximiam quandam dignitatem Christo confert, meritò seorsim considerandam.

### *Christus in humana natura , prædestinatus.*

767 Principio autem supponendum est, Christum esse in natura sua humana prædestinatum. Nam quod in diuina natura sit prædestinatus,nefas sit dicere:quia prædestinari idem est quod diuinitus ordinari ad aliquid. V. G. ad gloriam,vel ad esse diuinum personale. At constat, personam Verbi provt in diuinitate subsistentem , ad nihil posse ordinari. Deinde prædestinatio est actio libera Deo,proindéque proximè terminatur ad aliquid creatum. In Christum igitur provt Deum , non cadit prædestinatio. Cadit tamen ratione humanitatis, iuxta illud Apostoli Roman.1. *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute , secundum spiritum sanctificationis,ex Resurrectione mortuorum , Iesu Christi Domini nostri*. Sunt quidem qui illud *prædestinatus est*,negant referri ad æternam Dei prædestinationem,cùm vox Græca aliud non ferat, quàm *declaratus est* ; sitque proinde sensus , Christum declaratum esse filium Dei , per eam virtutem quam exibuit , peccata remittens atque resurgens. Quam expositionem latè prosequitur Vasques 3. parte d. 90. c.3. & d. 91. c.2. Eáque ex causa, Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini,Interpretem nostrum circa

eum locum allatrat ; contendens vertendum fuisse declaratus est , non autem *prædestinatus* est. Optimè tamen vertisse Interpretem vulgatum,rectè demonstrat Bellarminus l.2.de verbo Dei c.14.*ad tertium locum.* Verbum enim Græcum ὁρίζειν quod profani quandoque vertunt *declarare*, in Scripturis,vt notat S. Dyonisius c.5.de Diuin.nom. significat *ordinationem*, seu potiùs *præordinationem* & *prædestinationem Dei*, vt apertè liquet ex Roman. 8. verbis illis *quos prædestinauit* Græcè προώρισε & ex c. 2. Actorum verbis illis , *tunc definito consilio.* Quibus locis , nemo non videt agi de prædestinatione & ordinatione diuina æterna, non autem de declaratione & manifestatione. Meritò ergo antiquissimi Patres locum Apostoli Roman. 1. eo modo quo retulimus allegarunt,vt S. Irenæus l.3.c.33.Hilarius l.7.de Trinitate, & alter Hilarius Roman. 1. Augustinus lib. de Prædestinatione sanctorum c. 15. Videsis latè excutientem ea verba Toletum Opusc. in illum Pauli locum , qui multis tricis scholasticis quibus oneratus est,liberabitur; si aduertamus;non dicere ibi Apostolum , Christum prædestinatum & ordinatum fuisse ad esse filij Dei , sed prædestinatum esse ad esse filij Dei in virtute: idest vt esset filius Dei, patrator insignium operum, per quæ consecutum est , vt agnosceretur quod erat:quod satis est,vt ex eo Apostoli loco colligamus Christum esse prædestinatum,quod vnum nunc asserimus. Disertè quoque Concilium Toletanum 11. in Professione fidei , Christum in natura humana prædestinatum esse , agnoscit. Sic enim de Christo scribit. [ Hic per hoc quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantùm, (nam neque factus , neque prædestinatus accipitur ; ) per hoc tamen quod de Maria Virgine natus est , & factus, & prædestinatus esse credendus est. ] Item S. Augustinus Tract. 106. in Ioannem negat id salua fide negari posse. Quasi verò , (inquit,) quisquam regulam fidei fideliter intuens,filium Dei negaturus est prædestinatum, qui eum negare hominem non potest ? Rectè quippè dicitur non prædestinatus secundùm id quod est Verbum Dei , Deus apud Deum. Vt quid enim prædestinaretur, cum iam esset quod erat, sine initio sine termino sempiternus ? Illud autem prædestinandum erat , quod nondum erat: vt sic suo tempore fieret , quemadmodùm ante omnia tempora prædestinatum erat vt fieret. Quisquis igitur Dei filium prædestinatum negat , hunc eumdem filium hominis negat. ] Communitque hoc statim , loco Apostoli prolato ex cap. primo ad Romanos. Quare extra dubium esto , Christum esse prædestinatum.

### *Ad quid Christus,in humana natura prædestinatus.*

768 Restaret exquirendum , ad quem terminum Christus dici possit prædestinatus. Sed ad rem præsentem sufficit , quod Christus dicatur prædestinatus ad gratiam & gloriam æternam. Admitto quoque Verbum Dei dici posse prædestinatum , vt qui erat filius Dei, fieret filius hominis. Hæc enim omnia tantùm designant æternum Dei decretum , de conferenda Christo gloria ; vel communicanda humanitati Christi subsistentia Verbi. Non sonant autem gratiam vllam , aut beneficium ipsi Verbo conferendum.

Et cum hac prædicatione , necesse est vt recurrat illa alia circa quam rixantur Doctores; *Christus* , aut *hic homo* Christo designato , *est prædestinatus vt sit filius Dei.* Eam valere , negant Toletus in cap. primo ad Romanos , annotat.nona , Becanus de Incarnatione cap.19. quæstione secunda , Præpositus , tertia parte , quæst. 24. numero vigesimo. Non debent autem hæ duæ propositiones confundi. Prima *Verbum prædestinatur ad se vniendum humanitati.* Secunda *Christus prædestinatur vt sit filius Dei.* Longè quippè aliud est,Verbum quod præerat Incarnationi, prædestinari ad terminandam naturam humanam , & compingendum Christum , ( id quod nunc admisimus , ) ab eo quod est , Christum prædestinari vt sit filius Dei ; quia in Christo inuoluitur diuina filiatio. Si igitur quod prædestinatur ad aliquid accipiendum , necesse est vt careat eo ad quod prædestinatur ; alioqui enim frustra prædestinaretur ; quomodò verum esse poterit , Christum prædestinari vt sit filius Dei , qui eo ipso quod Christus est , filius quoque est Dei?

Respondent qui prædictam propositionem censent admittendam , Suares tomo primo, disputat.50. sectione secunda, Vasques distinct. 90. capite tertio , Antonius Peres controuersia in Epistol. ad Roman. cap. 8. Respondent inquam , nomen Christi, aut huius hominis prout subiicitur in ea propositione , *Christus , vel hic homo est prædestinatus vt sit filius Dei* , non sumi prout determinatè & distinctè sonat diuinum suppositum filij Dei ; quo pacto argumentum propositum vrgeret , euincereque prædicationem esse nugatoriam ; sed sumi prout in confuso designat suppositum aliquod, cuius ratio explicatur , seu proponitur distinctè in prædicato. Priùs enim ratione est , esse suppositum , quàm esse tale suppositum. Ratione ergo illius prioritatis & antecessionis, qua suppositum , quodcumque tandem illud sit,constituit Christum , siue hunc hominem; dicitur Christus , vel hic homo , prædestinati vt sit filius Dei. Eodem penè recidit modus quo Alphonsus Curiel , tertia parte,quæstione vigesima quarta , articulo secundo , veritatem eiusdem propositionis tuetur. Ait enim in diuina Verbi filiatione ad quam humanitas Christi euecta est , spectari posse , & quod sit personalitas , & quod sit filiatio. Nam ratio personalitatis , vt per se patet , est communior , atque adeò ratione anterior , quàm filiatio. Itaque ait , Christum vt est persona subsistens,prædestinari vt sit filius.

Hos duos dicendi modos coniunxi, quia facilè euertuntur vno illo argumento,quod aliquis potest tantũ dici prædestinari ad illud quod non habet. Atqui Christus eo ipso quod habet esse hominis , habet diuinam personalitatem , qua homo ille constituitur persona : itémque eo ipso quod habet diuinam personalitatem , necessariò quoque habet filiationem. Et quamuis illa duo sint vtrumque per conceptus nostros confusos , & distinctos precisibilia, cum antecessione aliqua rationis ; itavt nobis imperfectè

conci

concipientibus, possint intelligi vnum ante aliud: Tamen impossibile est, vt insint alicui vnum absque alio. Si igitur ineſt Christo, siue huic homini diuina personalitas aut filiatio, quomodò accipienda vel conferenda decernitur? quod est, Christum vel hunc hominem, prædestinari vt sit filius Dei? Sicut quis dicat, huic animali, designato boue, decerni conferendam rationem bouis, quæ reipsa conferri non potest seiunctim, à ratione animalis, quam tantùm Metaphisicè contrahit?

Mea sententia est, veram quidem esse propositionem illam, *Christus* vel *hic homo, prædestinatus est filius Dei* siue *vt esset filius Dei*. Sensum tamen eius esse debere, quod Christus nòn quomodolibet, siue in sua personalitate, sed in sua humanitate sit prædestinatus vt esset filius Dei, eámque summam gratiam in humanitate sua acciperet. Sicut Verbum Dei dicitur passum, non tamen in seipso, eum sit passionis incapax, sed in carne & humanitate sua. Ad præsens tamen institutum tota hæc disputatio est supervacanea; quia hîc intendimus agere tantùm de Christo capite prædestinatorum: Vnde satis est, vt sit prædestinatus ad gratiam & gloriam, quod omnes admittunt.

### *Christus exemplar prædestinationis omnium.*

769 Non contentus S. Augustinus, Christum profiteri prædestinatum æquè ac nos prædestinamur; addit insuper, Christum esse prædestinationis exemplum longè illustrissimum. Sic enim scribit lib. de prædest. 55. cap. 15. [Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.] Et inferiùs. [Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ vnde secundùm vniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia, homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo ille est natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, vt nullum haberet ille peccatum. Hæc se Deus esse facturum profectò præsciuit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximè claruit: quam negare quis potest, rectè intelligentium eloquia veritatis. Nam & ipsum Dominum gloriæ, inquantum homo factus est Dei filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat Doctor Gentium in capite Epistolarum suarum.] Et lib. de dono perseu. cap. 24. commendans verba relata priore loco. [Nullum est (inquit) illustrius prædestinationis exemplum, quàm ipse Iesus: vnde & in primo libro iam di putaui, & in huius fine commendare delegi: nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exemplum, quàm ipse mediator. Quisquis fidelis vult eam benè intelligere, attendat ipsum, atque in illo inueniat & seipsum.] Et mox. [Qui ergo hunc fecit ex semine Dauid hominem iustum, qui nunquam esset iniustus, sine vllo merito præcedentis voluntatis eius: ipse ex iniustis facit iustos, sine vllo merito præcedentis voluntatis ipsorum, vt ille caput, hi membra sunt eius. Qui ergo fecit illum hominem sine vllis eius præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel orie[illegible] trahere, vel voluntate perpetrare peccatum: ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem vt nunquam habuerit habiturúsque sit voluntatem malam, ipse facit in membris eius ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædestinauit, quia & in illo vt esset caput nostrum, & in nobis, vt eius corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præsciuit.] Vides quorsum S. Augustinus, toties confirmet Christum esse prædestinationis exemplar micantissimum; nempe quia prædestinatio, est merè gratuita præparatio supernaturalium Dei beneficiorum. At destinatio humanitatis Christi ad esse Verbi personale, facta est nullis præsuppositis meritis Christi, vt suo loco vidimus, tractantes causam Incarnationis meritoriam; vbi cum Diuo Augustino probauimus non fuisse Christo eam generationem retributam, sed tributam. Meritò ergo Christus, dicitur non modò *prædestinatus*, sed etiam *exemplar prædestinatorum*.

### *Et caput prædestinatorum quorumcunque. Eminentia eius & perfectionis excessus perstringitur.*

770 Nobis hoc loco addendum insuper est, Christum esse caput prædestinatorum, tam hominum quàm Angelorum. Hoc vt euincamus, recolendæ sunt capitis mystici prærogatiuæ superiùs propositæ; monstrandúmque, siue prædestinatio propriè sumatur, nempe pro electione ad gratiam, siue paulò latiùs, hoc est pro electione ad gloriam, omnes illas in Christum cadere respectu quorumcumque alterutro illo modo prædestinatorum, siue hominum, siue Angelorum. Prima erat, eminentiæ seu primatus in serie & ordine plurium simul conscriptorum: Secunda excessus in perfectione: Tertia directionis & influxus. Omnibus his modis, Christus est *electus ex millibus*; ideſt, supra omnes electos, adhibito numero illo determinato pro indeterminato ac propè immenso; Nam turba electorum magna est, quam dinumerare nemo poterat. Ei autem vniuersæ, cum sine ordine & acephala esse non debeat, caput est Christus: alioqui Dei opus quod est super omnia eius opera, cœtus nimirum prædestinatorum, non esset perfectum.

Sed de eminentia & perfectione Christi supra omnes electos, satis superque liquet ex disputatis suprà de Christo omnis Ecclesiæ capite: vbi vtraque illa Christi prærogatiua, præterquàm quod ex se perspicua videtur, est apertè demonstrata, vniuersè & generaliter loquendo. Nunc specialiter illustrare eas possumus quoad electos, quia nemo ad tam sublimem locum inter electos est ordinatus; nemo ad tantam, támque eximiam perfectionem, siue gratiæ, siue gloriæ, in quanta est Christus. Quamuis enim de signo rationis in quo Christus decretus est, & ordinatus ad esse, & consequenter ad abyssum gratiæ & gloriæ queis potitur, controuersia sit inter Theologos; nec certum sit Christum esse prædestinatum in primo signo; imo longè

longè probabilius sit, Christum prædestinatum tantùm esse occasione peccati, atque adeò prædestinatum tantùm fuisse in posteriore signo quàm sanctos Angelos : quam litem diremimus supra, tractantes finem aduentus Christi: Tamen extra omnem controuersiam est inter Theologos, Christum in quocumque tandem signo sit prædestinatus, tamen ordine eminentiæ, & dignitatis debitæ perfectioni superexcellenti huius personæ, infinitis parasangis antegredi omnes electos; nec vllum esse qui cum eo non modò contendere, sed vel componi queat, quoad primatum in serie electorum & dignitatem in quacumque ratione electionis.

771 Est id expressum luculenter apud Psaltem, cum in Christi persona ait Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me*; cuius loci varios sensus dederunt varij Patres. S. Quidé Hieronymus initio Traditionum in Genes. librum illum in cuius fronte de Christo sit scriptum, interpretatur, Genesim, quod ibi habeatur cœlum & terram creata esse in principio : ideſt in filio, per quem omnia facta sunt, & adducit Tertullianum, Hilarium, & Iasonis ac Papisci altercationem in eam sententiam. Idem tamen in capit. 29 Esaiæ, librum in cuius capite de Christo scriptum est, interpretatur scripturam vniuersam; cuius varij libri, ob summam consonantiam vnus liber habentur. Vnde lex Mosis vnus liber dicitur, & Euangelia quatuor, vno nomine libri Euangeliorum designantur, vt idem S. Hieronymus obseruat, in calce Commentarij in Ecclesiastem. & S. Augustinus præfat. in Psal. 150. Et hic est liber ille, scriptus intus & foris; ideſt in sensu, & in litera: & liber signatus apud Isaiam, & in Apocalipsi Ioannis. Hoc ergo pacto, sensus Psalris est, in volumine libri, (sic enim habet alteral ectio loco *capitis*,) scriptum esse de Christo; ideſt omnes scripturas Christum sonare. Editio tamen Symmachi, tertiam suppeditat interpretationem; iuxta quã, Christus scriptus est in capite libri, ideſt in volumine prædestinationis, ἐν τῷ τεύχει τῆς ὁριομοῦ. Itaque Glossa, & creditus Anselmus Hebræ. 10. ibidémque S. Tomas, librum in cuius fronte Christus descriptus est, intelligunt librum prædestinationis æternæ, in quo Christus, exaratus est primo loco. Ex serie autem prædestinationis ad gloriam, liquet de serie prædestinationis ad gratiam; quia gratia & gloria seruant proportionem, tanquam semen & fructus.

Illustrate præterea primatum illum Christi, & perfectionis excessum respectu prædestinatorum omnium, possumus ex verbis Apostoli Roman. 8 *scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Propositum Dei, ἐυδοκίαν appellat æternum Dei decretum, quo eximia illa benevolentia in electos prodita est. Etiamsi enim hìc in via, & per huius vitæ scamma conflictentur cum incommodis; tamen omnia Deus in illorum bonum vertit. Eáque ratione. Facit illos conformes imaginis filij sui : ideſt illius diuinæ imaginis quæ est ipse filius Verbum homo, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quę est Chrysostomi, Hieronymi, & creditì Anselmi interpretatio : melior sanè quàm quæ à Basilio lib 5. contra Eunom. & ab Athanasio, Epist. ad Serap. data est, quibus imago Filij cui conformantur electi, est Spiritus sanctus, cuius sanctitatem æmulantur. Sed est profecto ea interpretatio non nihil distorta. Simpliciùs autem imago filij, est imago quæ est filius, ideſt Christus. Itaque continent ea Pauli verba, potentissimum argumentum, quo Romanis persuadet ne frangantur aduersis, ob fidem Christi ingruentibus. Eam enim docet esse viam certam, adipiscendi conformitatem cum capite electorum omnium Christo Domino: qui hìc in via, vexatus variè & omnibus modis probatus, est tentatus per omnia absque peccato. Et nititur sanè Apostoli ratiocinatio, firmissimo fundamento. Nam primum in vno quoque genere vt fert Aristotelicum effatum, est mensura cæterorum. Par ergo fuit, vt qui electi secundarij erant, principi electorum conformes fierent, eique per omnia assimilarentur in vniuerso viæ & vitæ decursu. Satis de duabus primis Christi capitis electorum prærogatiuis.

### *Directio Eledorum, per Christum, & in eos influxus.*

772 Prærogatiua tertia capitis mystici electorum omnium, iuxta supradicta, continetur speciali ac eximia directione eorum, & influxu in gratiam, tota prædestinationis eorum serie comprehensam, ac gloriæ denique assecutionem. Omnia hoc, nullo negotio vendicari Christo possunt. Et directionem quidem, egregiè expressa habemus Ioannis 10. vbi Christus prouerbium Iudæis locutus, nec ab eis satis intellectus, ait de vero Pastore, eum proprias oues vocare nominatim, eásque educere, & vadere ante eas: Oues autem illum sequi, quia sciunt vocem eius. Quod mox Christus ipse, de ouibus rationalibus ad dexteram in mundi mera locandis, interpretatur: hisque se ducem & directorem contestatur, pro affectu quo eas cognoscit, vicissimque ab eis cognoscitur: ideſt impensissimè diligit, & diligitur. Ex quo fit, vt sequantur oues illæ Christum ducem, magno imo immenso suo bono. *Sequũtur me* (inquit) *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi*, ipsa inquam salus electorum, vel potiùs communicatio diuinitatis, vt interpretatum est Concilium Lateranense, relatum capite *firmiter*; aut vnio hypostatica cum persona Verbi; *maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Ostendunt hæc verba, certitudinem directionis electorum ad gratiam finalem, & ad gloriam. Quæ directio, non plus à quoquam sit impedienda, quàm sperenda Patris infinitas essentialis, filio communicata. Vt proinde non sit timendum directioni certæ ac infallibili electorum, à violentia Satanæ, eiúsve emissariorum : imo nec ab ipsa voluntatis humanæ vertibilitate, quàm Deus probè nouit, quibus dulcedinis benedictionibus præuenire debeat, vt effectus & executio directionis, quamuis eluctabiliter, tamen infallibiliter consequatur.

Agnoscebat intentam in electos Christi prouidentiam, & ad directionem præstandam studium, quæ dicebat, *dilectus meus mihi*; quæ verba de hac electorum directione, sic interpretatur sanctus Bernardus serm. 68. in Cant. [Nos sumus in quos intendit Deus. Quanta tamen disparilitas? Quid terrigenæ & filij hominum, coram

coram illo? secundùm Prophetam, sic sunt quasi non sint, & quasi nihilum & inane, reputati sunt ei. Quid sibi ergo vult ista inter tam disparés comparatio? Aut illa in immensum gloriatur, aut is in immensum amat. Quàm admirabile est, quod illius intentionem ista sibi quasi propriam vendicat, dicens: *Dilectus meus mihi?* Nec eo contenta tamen, pergit amplius gloriari respondere se illi, quasi ex æquo morem gerere, rependere vicem. Sequitur enim. *Et ego illi* Insolens Verbum, *Et ego illi*, Nec minùs insolens; *Dilectus meus mihi*; nisi quòd vtroque insolentius, vtrumque simul. O quid audet cor purum, & conscientia bona, & fides non ficta! Mihi, (inquit,) intendit. Itane huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter & administratio vniuersitatis incumbit? & cum sæculorum, ad sola transfertur negotia (imò otia) amoris & desiderij huius? Ita planè. Ipsa est enim Ecclesia electorum, de quibus Apostolus, *Omnia*, (inquit,) *propter electos*. Et cui dubium, quod gratia & misericordia Dei sit in sanctos eius, & respectus in electos illius? Ergo prouidentiam cæteris creaturis non negamus; curam sponsa vendicat sibi.]

Sed luculenter planè directionem illam electorum per Christum, exposuit Dauid toto psalmo 22. Nam eo Psalmo, agi de prouidentia & directione electorum, totus psalmi contextus manifestè ostendit, & piè omnino prosequitur Card. Bellarminus eo loco. Ibi & suppeditatio spiritualium bonorum, & elongatio malorum saluti aduersantium, & consolatio in incommodis vitam piam affectantibus, & gratia finalis, ac denique quidquid ad electorum directionem plenam & consummatam pertinere potest, sub metaphora ouis à Pastore directæ designatur: cuius nunc psalmi particulari expensione supersedeo, quod inferiùs de Christo Pastore & rationalibus eius ouibus sit disserendum. Christum autem esse, cuius prouidentia, & ouiũ directio eo psalmo describitur, agnoscit Latinus Autor cuius, homilia in Chrysostom. interpretationem psalmorum obrepsit, nec non Euthymius, & alij recentiores.

Pergo ad influxum; qui spectandus est quoad dona electis peculiaria; cum creata, gratias inquam lectissimas, & præsertim finalem, nec non gloriam; tum etiam increata, hoc est actum ipsum increatum electionis diuinæ, ad eiusmodi bona electorum peculiaria terminatum. Sed de donis creatis, res est explorata, tam ex innumeris aliis Scripturis, quarum plerasque iam protulimus, hoc, & superiori capite, quàm nominatim ex Epist. ad Ephes. c. 1. quo Apostolus, omnium gratiarum quibus electi donantur, beatam adeptionem Christo acceptam refert. Locus est paulò prolixior sed qui quoduis mel, suauitate transcendat. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ: in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipsis, in quo etiam & nos? Forte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius.* Habemus in his verbis, à Christo esse, & adoptionem electorum, & remissionem peccatorum eis indultam, & sapientiam ac prudentiam superabundantem qua in via Dei claruerunt, & omnem denique (vt verbo rem complectar) benedictionem spiritualem, in cœlestibus: qua scilicet electi ad bona supernaturalia edenda assurgunt, & in gratia sanctificante finaliter perseuerant. Agnoscit inquam Apostolus, hæc omnia à Christo esse, quod optimè ibi expendit Oecumenius. Et hæc est causa, cur electi iuxta eundem Apostolum dicantur *creari in Christo in operibus bonis. Et forte vocari in Christo, eligique in ipso.* Idem sonat illud 2. Timoth. 1. *vocauit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia.*

### *An electio æterna, possit esse ex Christi meritis; Difficultas biceps.*

773 Expendendum verò est paulò pressius, quod dixit Apostolus eligi nos in Christo ab æterno. Nam electio non est gratia creata, sed actus ipse diuinus increatus, qui non videtur posse esse ex meritis Christi, cum sit ens à se, cui repugnat causari per aliquid; etiamsi moralis tantùm sit causatio, cuiusmodi est causæ meritoriæ. Deinde electio illa distingui potest duplex, nimirum vel absoluta, vel comparatiua. Absoluta est qua Deus personam aliquam ordinat ad bonum gratiæ specialis, & gloriæ cum effectu assequendæ, nulla facta comparatione cum aliis personis, quæ ad idem bonum non assumantur: quæ potiùs dicenda esset dilectio, quàm electio. Vnde absoluta hæc electio, ex parte intellectus, potest ad vnicam personam eligenti obuersantem tendere: nec exigit propositionem personarum plurium. Ex parte item voluntatis, nullam habet adiunctam volitionem alterius personæ. Comparatiua verò & propriè dicta electio, ea est quæ sit ex affectu erga vnum, assumptum ad aliquid præ aliis, à quibus exemptus est. Vnde & propositionem plurium personarum supponit, & confert volitionem vnius, alteriúsque reiectionem. Neutra ex his electionibus, videtur posse Christo homini attribui. Non enim absoluta, quia Angeli & homines, electi sunt simul & semel, ac in eodem signo rationis, tanquam duo patietes eiusdem cœlestis Hierusalem, vt scitè dixit Otho Frising. lib. 8. Historiæ, c. 32. Atqui Angeli, electi sunt ante præuisum peccatum: Ergo & homines. Cum igitur supponamus Christum fuisse electum post præuisionem peccati, ad quod expiandum decretus est; quomodò dici potest, Christum meruisse absolutam dilectionem electorum quæ præcesserat in anteriore signo? Multo verò minùs videtur meruisse prælectionem, seu dilectionem comparati-

uam: quia Christus non potuit offerre sua merita ad huius præ altero electionem curandam, si ea electio præsupponatur iam facta. Mereri enim quod iam decretum est, nihil est aliud quàm actum agere. Atqui electio vnius hominis præ altero iam præerat in mente & voluntate diuina, ante Christi præuisionem. Neque enim Deus qui ante præuisionem. Reparatoris elegerat aliquos reiectis aliis, confuse & indistinctè elegerat eos in quibus sibi complacuerat: quæ esset imperfectio dedecens Deum. Igitur prælectio illa, solius diuinæ voluntatis & beneplaciti fœtus est: vt propterea Christus, datos sibi à Patre electos profiteatur, non autem optione sua delectos.

### *Electionem absolutam, esse ex Christi meritis, non repugnat ratione independentiæ diuini actus.*

774 In hac difficultate; primum illud punctum quod spectat ad causationem diuini actus per Christi merita, facilè expeditur. Admittendum enim est, verè actum Dei increatum circa electos, esse à Christi meritis: non vt actus increatus est, sed vt terminatur ad electos. Ea quippe ratione, nihil vetat, actum liberum Dei cadere sub meritum nostrum. Hoc est quod aliis verbis dicitur, actum diuinum non posse habere causam physicè influentem, quia id pugnat cum independentia & infinitate essentiali: posse tamen habere rationem obiectiuam, non quidem existentiæ suæ realis, (quia sic totum esse diuini actus est necessarium, & causæ incapax, ac etiam rationis obiectiuæ petitæ ex parte creaturæ operantis liberè:) sed terminationis suæ liberæ ad talem effectum creatum. Sic Deus quamuis ex se nolit malum homini, tamen prouocatus ab homine, & ab eo obiectiuè determinatus, decernit ei supplicia æterna. Similitérque suppositio pacto & promissione rependendæ gloriæ benè operantibus, determinatur ad volendum conferre gloriam, iis qui rectè se gesserint. Sicut ergo in actibus diuini intellectus, locum habet determinatio obiectiua ab extrinseco Deus enim præscit res futuras, quia futuræ sunt; itavt futuritio sit ratio obiectiua determinans Deum ad præsciendum. Ista in actibus diuinæ voluntatis, cerni potest similis conditio præsupposita ex parte obiecti, vt ad illud terminentur: quod est dari rationem aliquam diuinæ volitionis. Vnde quod merita Christi sint eiusmodi ratio obiectiua, ex qua Deus motus sit ad volendum conferre electis hæc & illa beneficia, nihil est quod vetet, quantum est ex parte independentiæ actus diuini, quæ sola obiiciebatur. Nam ea præsuppositio obiectiua, non est cum veta causalitate in actum diuinum vt in se est; sed tantùm infert inclinationem diuinæ voluntatis, terminatæ ad hoc obiectum propter illud: qua in re nulla est imperfectio, vt plenius traditur prima parte q. 19 & à Suare l. 2. de prædest. c. 22. necnon à Didaco Ruis disp. 3. de prædestinat. sect. 3. & sequentibus, & disp. 15. de voluntate Dei à sect. 3.

Scrutandum autem superest, an ea diuinæ voluntatis inclinatio per Christi merita, ad volendam electis gloriam, possit stabiliri ex Scripturis; aut repugnet aliundè quàm ex parte independentiæ actus diuini. Nam si nulla ex parte repugnet, eámque insinuent vel tradant Scripturæ, admittenda erit. Sin minùs erit ableganda; sistendúmque præcisè erit, in influxu Christi circa dona creata prædestinatis collata: qui influxus certus est, vt præmisimus. Eoque modo processisse videntur antiqui Scholastici; S. Thomas Alensis; Bonauenturæ, Albertus, Richardus, Durandus, Gabriel, quos adducit Suares lib. 2. de prædestinat. cap. 24. numer. 10. & 11.

### *Nec ex alio capite, & quomodò id explicandum.*

775 Generatim tamen loquendo, & abstrahendo ab electione comparatiua, statuendum est terminationem diuinæ electionis liberæ, qua electi ad gratiam prædestinationis, & gloriam ei adiunctam ordinantur; esse ex meritis Christi. In hoc consentiunt Recentiores Scholastici, quos posteà referemus circa electionem comparatiuam dissidere; essèque doctrinam Catholicam, ait Vasques postea allegandus: nec posse absque errore negari, ait Suares cap. illo 24. n. 38. Videtur enim præuisse Apostolus cum ait de Christo, *elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem.* Nam illud *in ipso*, vt præmisimus, significat causam meritoriam. Sicut Threnor. 4. dicitur, *capius est in peccatis nostris*, Et Michææ 1. *in scelere Iacob, omne istud.* Idest, propter peccata & scelera. Notandáque est comparatio qua eo loco vtitur Apostolus, cum ait, *benedixit nos in omni benedictione in Christo, sicut elegit nos in ipso.* Ea enim particula *sicut*, apertè fert, tam esse per Christum collationem benedictionis, quàm electionem æternam: vt locum habeat illud Chrysostomi ibi, [Per quem nos benedixit, per eumdem nos elegit.] *Elegit per Christum*; suffragatur S. Augustinus epist. 59. q. 6. cum ait, illud Apostoli 1. Timoth. 2. *vult Deus omnes homines saluos fieri*, nullo alio modo præstari, quàm per Christum hominem. Vbi clarè vides, volitionem diuinam provt ad salutem hominum terminatam, atque adeò maximè provt respicit electos, qui soli salutem cum effectu consequuntur, esse per Christi merita. Accedit perspicua ratio: quia meritum non causat præmium immediatè, vt per se notum est ex ratione causæ meritoriæ; sed tantùm causat interuentu alicuius actus liberi, in remuneratore quem vrget ad præmium benè operanti rependendum. Si ergo Christus meruit electis gratiam & gloriam, vt constitutum est; ergo induxit quoque Deum ad habendum actum, quo bona illa electis voluit, propter sua merita. Quod est, meritoriè causare liberam terminationem actus diuini ad illa obiecta.

Vt autem declinentur difficultates, & implexitates quibus hæc sententia posset inuolui; dicendum est, non ita esse imaginandum, Christi merita esse causam æternæ terminationis diuini actus ad electos, quasi Deus præuidens Christum destinantem sua merita ad harum personarum salutem, inde inclinatus & obiectiuè determinatus sit, ad volendam salutem earum, non determinandus aut inclinandus absque Christi meritis eò destinatis. Non est inquam sic imaginanda diuinæ voluntatis inclinatio per Christi merita ad electos. Nam Christus qui

in

in fine seculorum occasione solius peccati venturus erat, non potuit præuideri destinans sua merita ad Angelos, qui ante peccatum hominis,& decretum de Christi aduentu, sunt electi. Neque item intelligi potest Christus dirigens sua merita ad electos status legis naturæ & scriptæ;quia illis priusquàm Christus reipsa veniret,danda erat gratia, & ius ad salutem æternam: vt proinde postea aduenies Christus, & merita sua pro eis offerens, non potuerit prænosci destinans merita sua, vt exurgeret electio ad bona prædefinita eis atque collata saltem ex parte, priusquàm ipse produceretur. Ad summum ergo,posset Christus præsciri ab æterno, destinans cum primùm est sua merita ad salutem electorum nouæ legis, posteriorum Christo ipso: quia circa hos, destinatio Christi meritorum ad causandam terminationem actus diuini, actum non ageret. Et ita sentiunt Lessius Tractatu de Prædest.sess.3. à num.42. Vasques 1 parte d.94.c.3. Ruis disp.57. de prædest. s. 7. Aliunde tamen ea destinatio non placet; quia inducit diuersitatem inter electos,ad Christi merita comparatos, nulla talis diuersitatis ratione idonea suppetente; & absque suffragatione Scripturarum & Patrum, vt tursùs infra dicam.

776 Quare sic imaginanda est ea causatio diuinæ ad electos terminationis per Christi merita,vt quamuis Deus ex se, ad dandam illis gratiam & gloriam fuerit determinatus; tamen in bonorum illorum decreto liberali, voluerit acceptationem compensationis si quando offerretur à Christo; posito quod occasione peccati veniret. Sic enim Christi merita non excluduntur prorsus à ratione obiectiua determinante Deum ad decernendam quibusuis electis gratiam & gloriam.In posteriore autem signo, Deus præscius factus bonorum operum sibi à Christo exhibendorum in tempore, & gnarus per ea abundè compensandum esse quicquid ipse in bonum electorum decreuisset; inclinatus est ad eximia illa bona electis confirmanda; & ratam habendam liberalem eorum volitionem ratione priorem; inductus ea Christi meritorum prænotione,quæ in priore signo intelligenda est quàm ratihabitio hæc electionis primæ planè gratuitæ, & ex Dei voluntate conceptæ; cum sola connotatione acceptandæ compensationis si quandoque offerretur. Cum electione autem sic concepta probè cohæret, quod Christi prædestinatio sit effectus nostræ prædestinationis: quandoquidem Christus idcirco prædestinatus & productus est,vt redimerentur & salutem consequerentur electi. Nostra enim electio, quæ prior est in genere causæ finalis immediatæ, causatur à Christo meritoriè ad modum dictum: quamuis iam supponeretur aliunde præextitura; quia & rata habetur ob merita Christi, & hæc à prima electione nostra non excludebat,ut omnia.

Statuendum igiter est, Deum iuxta nostrum concipiendi modum, sic se habuisse in Christi sui erectione in caput prædestinatorum. Deus ex immensa sua bonitate, cum decreuisset Angelos & homines condere, & omnes ad finem supernaturalem ordinare, eóque saltem per sufficientia media subuehere;ex vtroque numero aliquos speciali fauore & benevolentia dignatus,liberaliter quidem, sed tamen cum conditione acceptandæ compensationis si alicunde affulgerit;ad eam celsitatem vtrosque in eodem signo rationis promouit. Cum enim in diuinis obiectis,quantum est ex parte actus diuini, nulla sit prioritas aut posterioritas, sed tantùm si inter huiusmodi obiecta causalitas aliqua vel præsuppositio intercedat: ea autem causalitas vel præsuppositio, inter Angelos & homines; quoad gloriæ æternæ finem, nulla prorsus sit, fatendum omnino est, vtrosque in eodem signo rationis, electos esse tanquam membra eiusdem Reipublicæ, & incolas eiusdem cœlestis ciuitatis, ex illis tametsi nobilitate naturali discrepantibus partibus compingendæ, vt S. Augustinus satis significat 15.Ciuit.c.1.Nec verum est, homines tantùm esse electos ad gloriam, occasione ruinæ Angelorum;vt eam scilicet explerent. Id enim meritò reiicitur à S. Anselmo l.1.cur Deus homo c.18.cum enim humana natura Deum vt finem vltimum habeat æquè ac Angelica, capax profectò fuit ordinari ad finem illum, independenter ab Angelis, & ita reuera est factum. Cum autem constet SS. Angelos electos esse ante peccati præuisionem;sequitur, homines quoque electos esse in signo antecedente præuisionem peccati: vnde non nisi per anticipationem quamdam dicitur à D. Augustino, electos, de massa perditionis fuisse exemptos: quatenus scilicet qui electi primò sunt, fuerunt postea exempti de massa perditionis, & mole damnata, in qua alij qui præelecti non fuerant, sunt relicti. Angelis & hominibus omnibus sic ordinatis ad supernaturalem finem, & instructis ad id saltem sufficientibus modiis; plerisque autem ex vtraque illa rationalium & intellectualium creaturarum classe, electis efficaciter & specialiter ad gloriam, per media lectiora; consecuta est, peccati quod permittere fixum erat, in parte Angelorum voluntaria admissio. Vnde Satana primum hominem implanante, hominibus vniuersis manauit exitium: quatenus euerso primo homine,in cuius incolumitate totius generis sancta conceptio vertebatur; omnis posteritas in peccato concipienda, & massa perditionis præuisa est. Inde de remedio hominibus, non Angelis qui ceciderant, adhibendo,consilium initum:decretúsque reparator hominum, & gratiæ Angelorum in bono perstantium, eidémque commensæ gloriæ, compensator Christus Dominus,carne secundæ Trinitatis personæ circumamicta: vt homo caput esset gratiæ & gloriæ, fierétque omnibus salutis causa,& æternæ vitæ autor,contra quàm primus homo omnibus hominibus, quantum ex se erat,cladem & exitium creauit. Qua de re, multa ex Patribus producta sunt sect. 2. c. 6. *sub finem*.Nunc satis fuerit,producere Oecumenium in cap.5.ad Romanos, apud quem Photius,perpul-hrè anthitesim vtriusque huius gratiæ, & miseriarum capitis prosequitur, explanans verba illa de primo Adam,*qui est forma futuri*, hoc est Christi. [ Quonam modo ? Sicut morte Adam omnes moriebantur, ita Christi morte omnes viuemus & resurgemus. Figura ergo ex aduerso congruit. Quemadmodùm ille iis qui à se descenderent etiam si de ligno non edissent, fuit causa mortis quæ per vsum inducta erat, ita quoque Christus se sequentibus, etiam si iusta non egissent opera,iustitiam conciliauit. Tria sunt in his quæ parabolicè sibi in-

uicem respondent, puta similitudo quædam contrarietas, & excessus in similitudine. Contrarietas quidem peccatum & carens peccato, inimicitia aduersùs Deum, & reconciliatio erga Deum, condemnatio & iustificatio, perditio, casus, mors, salus, & resurrectio cum vita. Itaque in his est contrarietas. Porrò similitudo, *sicut per vnum* mala omnibus contigerunt, ita per vnum bona omnibus euenerunt. Excessus verò, quia in malis multi sunt vni cooperati & participes essent malorum, in bonis autem nullus cooperatus est, sed vnius IESV Christi donum fuit. Itaque non similiter & ex æquo, sed per excessum & abundantiam est similitudo. Rursum non solùm mala hæc quæ inducta erant per Adam perempta sunt, quod veluti in contrariis similitudo erat ac proportionabile, verùm etiam addita sunt à Christo dona, quod excessum & abundantiam præfert. Ideò ait, *At non sicut peccatum.*]

Sic igitur decretus Christus, & reparator hominibus datus, Angelis quoque in caput, & salutis autorem, ideſt compensatorem constitutus est. Præuisus enim est, habiturus merita quibus compensari posset gratia & gloria liberaliter hominibus & Angelis prouisa; sed cum conditione acceptandæ compensationis, si Christus aliqua occasione produceretur, eámque offerret Christo itaque præuiso, sua illa merita in compensationem præditam, & litrum nostrum offerente; Deus per eius merita sic præuisa & ad id acceptata, gratias omnes & gloriam hominibus & Angelis conferre statuit; itavt bona illa creata, & ipsa quoque terminatio diuini actus ad ea hominibus & Angelis decernenda, esset ex pretio Christi, eique rependeretur. Christus autem ex quo productus est in tempore, æternum Patris decretum, & omnia quæ in eo inuoluta diximus, fata habuit: sicque caput electorum, vltra generalem rationem capitis totius Ecclesiæ, inauguratus est, factus omnibus causa salutis æternæ.

### *Multiplex illustratio electionis omnium, per Christi merita.*

577 Hac ratione commodè declinantur difficultates permultæ, quæ implicant & obscurant sententiam de electione per Christi merita, & retinetur meritum Christi, non modò circa gratiam & gloriam, sed etiam circa actum Dei æternum, quo electi ad illa bona destinantur. Ferunt hoc vt minimùm, Scripturæ illæ, quibus electos à Christo conscribi proditur; & liber vitæ continens electos, vocatur *liber vitæ agni*, tanquam exaratus agni sanguine: quia scilicet meritis Christi veri agni, ab origine mundi occisi, in catalogum illum ac beatum librum relatus est ad modum dictum quisquis in eo est conscriptus. Egregiè S. Cyrillus lib. 4. de ador. tractans masculorum descriptionem à Mose & Aarone iussu Dei factam, Numer. 1. [Qui igitur Mas sit, & ad pugnam aptissimus, & ad inuentam peruenerit, ideſt ad firmitatem spiritualem, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, eum in descriptionem diuinam, & in librum Dei relatum esse, perspicuum esse poterit, vel maximè ex his verbis. Neque enim alia de causa numeratur, vt opinor, qui mas sit, & vigesimum annum aut supra natus, quàm vt nos quoque ipsi, intelligamus reiici à Deo atque improbari, quisquis imbellis sit, ac sensu minimè perfecto; quorum vtrumque ineſſe dicimus iis, qui adhuc sanè adolescentes sunt, nec dum ad iuuentutis mensuram peruenerunt: quam quidem mensuram, diuina lex & nouit & definit: isque est annus vigesimus. In pretio autem is est, & is in numero habetur, & à Deo cognoscitur, per populum & genus & capita & nomen, quisquis adulta iam ætate; & masculus est. Sanctis enim Apostolis, qui eiusmodi virile ætate iam essent, & in eam peruenissent rationis mensuram, dictum à Christo est; aliquando quidem; *Nolite gaudere, quia dæmonia subiciuntur vobis: sed potius gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo*: Aliquando rursus; *Nonne duo passeres asse vaneunt? & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre meo, qui est in cœlis; vestri autem & capilli capitis numerati sunt:* in quo cum dixit, numeratos esse capillos, disertè significauit (vt opinor,) quam diligenti cura eos prosequeretur. In librum igitur Dei, qui adulta sunt ætate, ac mares referuntur. Ea autem census descriptio per Moysem & Aaron fiebat, vt per vtrumque, vnum intelligamus Christum, vt in Moyse legis conditorem; vt in Aaron, summum Sacerdotem? Factus est enim noster legislator simul & sanctus, & innocens summus Sacerdos, eiusque mediatoris opera, eorum qui virili sunt ætate, & virtute præ cæteris conspicua, in diuinis libris describitur census.] Addit præterque de discrimine eorum qui in libro Dei per Christum scribuntur, tum et seculari, tum ex sacro ordine; ac tum ex adulris, tum ex pueris: Itémque de exclusione & delectione impiorum è libro viuentium, vt cum iustis non scribantur. Insuper de ea descriptione ad Iordanem facta, quæ baptismi perceptionem significat. Demum verò sic concludit. [Animaduerte autem vbique sanctorum hominum descriptionem & agrorum distributionem, Geritur enim per Moysem, & eum qui Sacerdotio præstantissimo fungebatur: vt, sicut iam autem dixi, per vtrumque, vnum Christum intelligas, tanquam Sacerdotem summum, atque legislatorem: per quem omnis gratia tribuitur, & illa fit in supernis illis libris descriptio, quos etiam beatus Daniel se vidisse dicit. *Libri*, (inquiens,) *aperti sunt.* Nam quia multiplex & diuersa descriptio est, ideò plures, non vnus liber.]

Quod tamen S. Cyrillus, impios qui de libro viuentium deleri dicuntur apud Psalten, existimat de hoc libro vitæ deleri; videtur minùs commode existimari. Is enim liber viuentium de quo delentur impij, est liber vitæ temporalis, quæ eis abrumpitur & interciditur propter peccata; iuxta illud ab Angelo denuntiatum impio Imperatori Anastasio apud Theophanem lib. 15. Miscellæ. *Ecce ob peruersitatem fidei tuæ, annos 14. vitæ tuæ deleo.* Scribuntur enim homines in charta materni vteri, vt habet Dauid Psalmi. 138 interprete S. Ephiphanio, hæresi 30. & S. Hilario in Psal. 138. Delentur autem cum tolluntur è vita: quod eleganter de more, attigit S. Ambrosius lib. de Noë & Arca cap. 13. ad illud, *delebo hominem à facie terræ.* Demiratus enim cœlestium verborum pulchritudinem, quod homo non à terra, sed à facie terræ delendus dicatur, addit. [Pulchrè autem posuit

posuit *delebo* tanquam litterarum apices, qui delentur sine fraude librorum, & sine imminutione tabularum. Non est hic ergo liber de quo agimus; quia quisquis in censu prædestinatorum per Christum scribitur, numquam inde deletur. Sed vt S. Hieronymus in Psalm. 68. rectè distinxit, cum duplex sit liber vitæ; alter vitæ temporalis de quo Moses Exodi 32. deleri postulabat, nisi parceretur Iudæis; alter verò vitæ æternæ; liber viuentium de quo hominem deleri contingit, non alius est quàm liber vitæ temporalis; déque eo agebat Dauid Psal. 68. cum imprecabatur impiis, *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Liber verò, de quo agimus, & cui hominem per Christum inscribi dicimus, est liber prædestinationis ac vitæ æternæ; quem rectiùs dixerimus, *librum iustorum*, quàm illum cuius est mentio Iosue 10. & 2 Regum 1.

778 Hic liber quod in eum quisquis refertur, referatur per Christum agnum ab origine mundi occisum, dicitur ob eam causam, *Liber vitæ agni.* Ita enim habetur Apocal. 13. cum de bestia, *data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi.* Et ibidem c. 21. *Non intrabit in eam*, Hierusalem cœlestem, *aliquid conquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* Hic est liber ille de quo Christus Luc. 10. admonebat discipulos, gaudendum esse quod in eo scripti essent.

Dicitur autem *Liber vitæ agni*, varias ob causas: nempe in primis quia Christus est veluti charta, & liber census cui omnes Sancti inscribuntur, quatenus omnes electi per eius merita eliguntur: vt propterea Isaiæ 8. nominetur *Liber grandis*, iuxta Glossam D. Thomæ Hebræ. 10. Lectione 1. qui etiam ait, scribi in capite libri, (cum caput Christi sit Deus, Christus autem sit liber;) idem esse, ac scribi in ordinatione & prædestinatione Dei. Apud Thomam Cantipratanum lib. 2. c. 17. n. 54. habetur insignis visio, qua Christus Arnoldo Dominicano apparens, ostendit ei in pectore suo, exaratum aureis litteris, vt in libro catalogum electorum, interque eos ipsius Arnoldi nomen. Dicitur etiam liber vitæ esse liber Christi agni, quia Christus est calamus quo scribuntur electi; diuersa quidem metaphora à priore, sed eodem recidente. Christum calamum electis conscribendis à Deo, adhibitum, ex S. Ambrosio descripsimus lib. 2. cum de Verbo scripto. Christus item est qui libro vitæ inscribit electos, quod D. Basilius in c. 20. Esaiæ, ad illud, *puer parvus scribet eos*, egregiè tradit, his præter cætera. Iustum planè est, nos nosse quis iste sit scriba, qui ad salutem prouehendis auxilietur, perinde ac iustis; inque libro cœlorum in ordinem digerit eorum nomina qui se à facinorosis operibus auertant. Vtique scriba hic ait, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Potest siquidem is scribere moribus commendatos ac probos. An verò verius probat, quia dictum sit; *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Pusio ille est, quem Magi adorauerunt; ille puer, qui in Ægyptum descendit, & postliminio regressus est in terram Israël. Quum igitur multifariæ sint notiones de Domino nostro, & Cruce Iesu Christi, licuerit per ipsum intelligere, quia puer est qui adscribit libro vitæ eos qui per pœnitentiam propiùs pertingunt ad cognitionem Dei.] Concinnè Origenes hom. 11. in Luc. *in fine*, huc refert descriptionem factam sub Cyrino. [Euangelica, (inquit,) narratio quoniam prima descriptio vniuersi orbis sub Cæsare Augusto fuerit, & inter omnes etiam Ioseph cum Maria desponsata sibi atque prægnante nomen retulerit in censum, ac priusquàm descriptio completetur ortus fuerit Iesus, diligentiùs intuenti, sacramentum quoddam videtur significare, quod in totius orbis professione describi oportueri & Christum, vt cum omnibus scriptus, sanctificaret omnes; & cum orbe relatus in censum, communionem sui præberet orbi, vt post hanc descriptionem, describeret quoque ex orbe secum in libro viuentium, vt quicumque erediderint in eo, postea cum sanctis illius scriberentur in cœlis.] Quod igitur quisquis in codice diuinæ prædestinationis fœlici sorte describitur, per Christi merita id assequatur, ipséque liber neminem contineat, nisi Christi veluti manibus illic exaratum, ipso Christo libri caput occupante; iure liber ille, *liber vitæ agni* denominatur.

779 Videtur autem eadem ex causa, Christus à Iustino Dialogo cum Triphone denominatus esse *Testamentum Dei.* Iunguntur sanè Ecclesiastici 24. *Liber vitæ*, & *Testamentum Altissimi.* Quia igitur Testamentum est scriptura continens dispositionem hæreditatis, seu in qua conscribuntur hæredes futuri; meritò Christus *Testamentum Dei*, dici potuit, quia in eo conscribuntur quotquot à Deo admittuntur ad hæreditatem filiorum, & ad gloriam: ideò omnes electi. Et sicut hæres institutus, si lis de hæreditate moueatur, non aliter se indemnem præstat, quàm exhibitione Testamenti, quo prolato, & hæredis nomine ibidem conscripto, vniuersa lis sopitur: ita electi, non aliter ius suum in diuinam hæreditatem tueri possunt, quàm si Christum & eius merita, suorúmque ad illa subiunctionem allegent. Cum enim se in Christo tanquam in Dei Testamento conscriptos probauerint, indubiè hæreditate potientur, agnoscentúrque verè hæredes Dei. An hanc ab causam, Christus, & crux eius ac mors, archiuo comparatur à S. Ignatio sub finem Epistolæ ad Philadelphios?

Inscriptionem quoque nominis filiorum Israël in superhumerali Pontificis, egregiè omninò S. Cyrillus lib. 11. de Adorat. huc accommodat his verbis. [Cœli est nota smaragdus, & inscriptum habet per genera atque tribus, ipsum Israël, locúmque in superhumerali nacta. Ex quo facilè intelligi potest, quicumque descriptionem in cœlo consecuti fuerunt, eos prorsus in Christo requieturos, qui pios vitos propemodùm in humeris tenet, & loco filiorum habet. Eiusn odi quiddam Beatus quoque Moyses dixit, cum à Dei protectione laudare vellet Israëlem; *Sicut aquila fouens nidum suum, & super pullis suis desiderauit, expandens alas suas, accepit eos, & assumpsit eos in humeris suis.* Quin etiam Dauid, sancto cuique & in adiutorio Altissimi habitanti, præerint; *scapulis suis*, (inquiens) *obrumbrauit tibi.* Scapulas, vt opinor, partes corporis, quæ sub ceruice sunt, & hume-

ros indicans,non omnino terga. *In humeris* igitur *portabuntur*,vt Propheta dixit, *& in brachio assumentur*;perinde atque ille antiquus Ephraim, quicumque superam illam descriptionem consecuti fuerint,quam gloriosam esse & admirandam,& diuinis muneribus cœteris pulchritudine longè præstantem, ipse Saluator sanctis suis discipulis declarauit, dicens ad hunc modum; *Nolite gaudere, quod Dæmonia subiiciuntur vobis;sed potiùs gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Illam porrò in lapidibus descriptionem, fore, inquit, filij Israël monimentum coram Domino, quos illi tanquam in Aaron persona,propemodùm intueatur. Admittit enim nos Deus ac Pater in memoriam in Christo, in eóque facti sumus & domestici & eius inspectione digni, & tanquam in libro Dei conscripti.]

780 Hoc est sigillum quod omnibus electis imprimitur. Sicut enim Christum Pater signauit Deus, ita Angelus habens signum Dei viui, qui est Christus Dominus, signat electos in frontibus eorum. Vel si Pater est qui electos quoscumque, æquè ac Christum obsignat, Christi tamen imagine signantur. Vnde electi dicuntur fieri conformes imagini primariæ, quæ est Christus, omnium electorum prototypum. Accommodare huc possumus quod apud Origenem Celsus lib. 6. refert à Christianis iactatum. [De mutuis verbis, sigillo signantis qui vocetur Pater, & signati qui iunior dicatur siue filius;respondeátque suo signatori; vnctus sum vnguento albo è ligno vitæ.] Filius hîc non sumitur pro secunda Trinitatis Augustissimæ persona; sed pro quouis electo migrante è vita. Nam mox subditur de septem Angelis, partim Lucis,partim malis,dictis principalibus, signatori vtrique astantibus,animæ quapiam migrante è corpore.] Et quamuis Origenes, hoc merum Celsi fuisse commentum putet;tamen contingere potuit vt à Christianis aliquibus vel Christianum nomen ementientibus;id inaudierit Celsus. Certè apud Clementem Romanum lib. 1. recognit. *Post medium*, Christus dicitur inunctus ex vnguento ligni vitæ: & Christiani eodem vnguento inuncti sunt, vt ibidem habetur.

Sunt & aliæ metaphoræ pulcherrimæ, quibus idem à Patribus illustratur, consentaneè ad Scripturas: sed illa præsertim qua Christus Isaiæ 22 v.23. dicitur *Paxillus in loco fideli, & solium gloriæ domui Patris eius, & suspendet super eum omnem gloriam domus Patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum, à vasis craterarum vsque ad omne vas musicorum* Idest omnes planè electi, Christo veluti paxillo inuitentur.De Christo enim ibi agitur,vt liquet ex versu 22. qui de Christo exponitur Apocal. 3. Sed & sponsa quæ ascendit dealbata (ita legit D. Augustinus Epist. 105.& lib.de gratia & libero arbitrio cap.8.& interpretatur de iustificatione animæ antea peccato sordentis;) innixa dicitur super dilectum suum, idest Christum. Hæc est porta clausa principi, quæ soli aperitur; quatenus nemo cœlum subit,nisi Christus in sua persona reali, aut mystica. Quo sensu varij Patres adducti c.præcedenti, accipiunt verba illa Christi Ioannis 3. *nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis.* Nec dissimiliter S. Gregorius in Psal. 4. Pœnit. ad illud, *vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Christum enim in tecto mundanæ domus solitarium interpretatur, quia solus Christus assecutus est, & assequetur gloriam; in se scilicet,aut in membris suis mysticis, per illum prouectis ad eam sublimitatem; quia hæreditas Domini,seu gloria est merces fructus ventris; idest Verbi incarnati, vt infra,dicam. Vnde facile esset, si res ferret, excutere insuperexcellentem SS. gloriam quod Christi operum vis meritoria infinita, in Christo, propè manserit irremunerata. (Quantulum enim est quod sibi Christus promeruit?) Compensata ergo duntaxat est,iis donis quæ Christus meruit nobis;quæ minuta sunt omnia, præter gloriam electorum: quam proinde oportuit esse illustrissimam.

### *An electio comparatiua sit à Christo.*

781 Monstratum ergo sufficienter est, electionem absolutam increatam & æternam prouti terminatur ad electos esse ex Christi meritis. Nunc agendum est de electione comparatiua; circa quam variant sententiæ autorum, consentientium quoad electionem absolutam. Nam aliqui omnino referunt in voluntatem Christi humanam totum negotium prædestinationis electorum; itavt optio quoque eorum qui eligendi erant, facta sit intuitu futuræ per Christum designationis, & efficacis applicationis meritorum ab eo faciendæ pro illis. Ita Henric 1.parte disp. 29.cap. 4. & Pennotus lib. 6. Propug.cap.28.& 30. Cornelius à lapide in cap. 1. ad Ephes. ad v. 4. & alij recentiores non pauci; inter quos Alarcon 1. parte tract. 4. disp. 3. n. 15. insuper Christi meritis tribuendam probabiliter censet, priuationem auxilij congrui, quam subeunt reprobi anteriores Christo & posteriores: quoad istos, ad iustam suam vltionem à Christo precibus expetitam;quoad illos gratiarum actione exceptam. De quo propositæ sententiæ auctario, cum Christi charitate, & munere aduocati, ac redemptoris non satis cohærente, (vt Ruis disp.57. de prædest. sect. 9. rectè prosequitur) hîc non est curandum, qua de solis prædestinatis, & eorum capite agimus. Insistendum ergo est soli electioni comparatiuæ prædestinatorum, quam vidimus à propositis Theologis Christo vniuersaliter tribui.

Alij id tantùm sentiunt de electis qui vixerunt post Incarnationem, & Christum productum.Ita Vasquez 1.parte disp.49.à cap.2. Lessius disp.de Prædest.sect.3.à num.42. Ruis disp. 92.Ruis disp.27.de Prædest. sect. 7. quia quoad hos electos, cessant incommoda quæ vrgent pro anterioribus. Nam vt Christus Dominus promeritus fuisset anterioribus iustis electionem æternam, oporteret Christum per humanam voluntatem determinare in singulari, homines quos vellet fuisse à Deo electos ab æterno, & pro illis orare specialiter, vt illis fieret applicatio meritorum quæ per totam vitam & passionem comparaturus erat. Ad hoc cum iam fixum esset, & transisset in remiudicatam,iamque electis illis obtigisset, quidquid obuenire poterat, frustra fieret, & inconditè. Quis enim orat, vt fiat quod iam factum est? Vel quis postulat, ne pereat is qui iam est in tuto? Hæc verò incommoda, non vrgent contra electionem

hominum

hominum posteriorum Christo concessam eius optioni : quia quamuis Deus eos ab æterno elegerit, tamen potuit respicere ad Christi optionem subsecuturam, & ad orationes specialiter ab eo fundendas pro quibusdam nondum de mortuis,ac extra viam constitutis.

*Eligitur pars negans.*

781 Mihi consequenter ad supra dicta,præsertimque ad alibi constituta, de signo rationis quo hominum & Angelorum electio simul prædestinata est;verius videtur,huius electionis comparatiuæ,vnicam causam esse beneplacitum Dei. Quam sententiam docet Suarez Tomo 1. 3.partis disp.41.sect.4.& lib.2. de Prædest. cap. 24.à num. 24. Carthagena de prædestinatione, discursu 11. Trigosus 1. parte S. Bonaventuræ q.18.art.10.concl.5.& 6. Et ratio est, quia cum hoc modo electionis, probè cohærent omnia quæ de merito Christi respectu electionis nostræ traduntur in Scripturis & Patribus:nec implicatur difficultatibus quibus implicantur alij modi dicendi. Declaro vtrumque; Nam vt intelligamus Christum fuisse promexitum electionem nostram,satis est vt intelligamus,Deum præscita Christi sui cum primùm præcognitus est,bona opera acceptasse, in compensationem beneficij ante decreti electis ; sub conditione acceptandæ compensationis illius, si offerretur. Cum hoc autem processu, probè cohæret optio electorum, & determinatio eorum per solum Patrem. Potuit enim Pater, ob Christi merita præuisa,decernere vt in singulari hic & ille, sint prædestinati ; tametsi Christus prædestinationem promerendo, nullum in speciali designaturus prænosceretur. Sicut hæres, cui Testator commisit locandas in coniugio duodecim virgines, satisfacit voluntati Testatoris, quamuis determinet has vel illas, ex longè pluribus quæ locandæ in coniugio occurrerent : eásque testator de cuius bonis locantur in coniugio, æquè censetur dotare, ac si ipsemet eas selegisset. Et qui eleemosinam in viginti captiuos redimendos, aut viginti pauperes erogandam, erogat in captiuos vel pauperes, quos ipse determinat, æquè explet voluntatem eius qui summam illam contulit isque æquè censetur redemisse, & aluisse, ac si ipsemet optionem fecisset, & determinasset in singulari,quod redimi & alij placeret.Hinc ergo manifestum est, quæ de Christo electionum nostram merente, habemus ex Scripturis & Patribus, non deposcere, optionem electorum concedi Christo electionem promerenti;sed posse à Patre fieri, tametsi ob Christi merita.

Vacare autem eam sententiam incommodis aliarum, patet ; quia aliæ sententiæ agrè explicant quomodò Christus semper profiteatur, electos, etiam posteriores seu in nouo Testamento viuentes, sibi esse à Patre traditos, vt Ioannis 6. & 17.& Isaiæ 8. Iuxta expositionem Apostoli Hebræ 2. id apertè sonat delectum personarum electarum, potiùs quàm aliarum similium, quæ æquè eligi poterant in participationem gratiæ increatæ, per merita Christi concessæ, ac fructuum eius, ab arbitrio Patris manasse : cui disertè Christus Matth. 20. tribuit parasse,& daturum esse sessiones in regno. Optimè verò Apost. Ephes.1.cum dixisset,nos esse à Patre electos per Christum, addit id fecisse Patrem secundùm propositum voluntatis suæ; & nos in Christo orte vocatos esse, secundùm Patris propositum. Quæ loca videntur apertè continere quod dixit. Si quæ autem loca ferunt Christum ipsum elegisse aliquos, ea non spectant ad electionem æternam, sed ad electionem in Apostolatum:quæ longè alia est; Nam Iudæ quoque obtigit, qui tamen Diabolus, & reprobus erat. Deinde ipsa electio qua Christus in hos potiùs, quàm in illos, humana sua voluntate ferretur, ex diuino arbitrio ortum habuisset,quatenus Pater ad hunc potiùs quàm illum eligendum præuenisset Christum ; cum æquè posset eum congruè monere ad electionẽ aliorum. Manifestum itaque videtur, totam discretionem electorum, antecedere Christi volitionem : quamuis nihilominus Christus, etiam in horum singularium qui de facto electi sunt, electionem ac prædestinationem influxerit ad modum prædictum,& declaratum, exemplis testatoris & beneficì in captiuos & pauperes. Ad id enim satis est, vt horum electio provt absoluta dilectio,in Christum referatur.

Neque tamen ideireo aliquid minuimus, de summa obligatione qua electi omnes Christo se obstrictos debent agnoscere. Ad immensam enim summam obligationum, cui dissoluendæ succumbere eos oporteat, satis superque est, quod omnes gratiæ, & beneficia omnia quibus in tempore à Deo donantur,sint ex Christi meritis:ipsaque etiam æterna dilectio, provt quoque ad eos in singulari terminatur, sit ex Christi meritis. Quod autem prælectio,siue electio comparatiua, referatur in diuinum propositum, nec tribuatur humanæ Christi voluntati ; cum aliter fieri non potuerit ; non minuit obligationem erga Christum:Præsertim cum ipse ratam habuerit paternam prælectionem, sibique de his prælectis complacuerit, ac lubentissimo animo obtulerit litrum pretiosissimum cuius interuentu mandanda executioni erat illa Patris benevolentia comparatiua, déque ea patefacta gratias Patriegerit. Plerique sanè eorum, qui etiã electionem vt electio comparatiua est, Christo tribui volunt, non aliud spectant quàm quod Christus vnum aliquid ex iis quæ iam proposuimus, circa prælectionem præstiterit;aut certè omnia illa.Quod videtur velle Herice 1.parte disp.29.cap.3. num. 29. Vnde plerique ex illis qui dissentire à nobis videntur, reipsa consentiunt,nec nisi quoad voces discrepant.

*Concluditur insigne Christi decus, ex ratione capitis prædestinatorum. Mutuus inter eos amor attingitur.*

783 Habemus ergo qua ratione Christus penes omnes capitis mystici conditiones, iure dicatur caput prædestinatorum : qui titulus in eximum Christi decus cedet per totam æternitatem. Quò aptare possumus illud Esaiæ 6. *Erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus quæ expandit ramos suos.* Eum locum egregiè Richardus Vict.Opusc.in illud *qui stat in signum populorum*, accipit de electis, & Christo eos ostante. Præsertimque quadrat comparatio,quia vt Richardus obseruat, arbores illæ æstate

recuperant

recuperant folia, & honorem quem hyems decusserat. Similiter enim electi multa hîc per huius vitæ hyemales rigores perpessi, & aquilonaribus sibilis vexati in paucis, benè tunc in multis per Christum disponentur. De ea vitæ huius quod ad electos attinet, analogia cum hyeme; æstatis verò cum vita futura videndus S. Augustinus in Psal. 148. ad v. 14. & serm. 112. de temp. Terebinthos igitur & quercus mysticas, suo hîc honore viduatas; ibi autem fœliciter conuestitas, & ramorum siue meritorum dilatatione illustres, ostentabit Christus. [Erit homo (inquit Richardus,) Angelis vtique in ostensionem, Angelorum Domino in ostentationem. Gloriabitur enim apud Patrem suum, coram Angelis suis, de meritis nostris, & fructu sui laboris.] Hæc erunt spolia opima, & præda Dauid de qua è Summis discriminibus sanguine suo & cruciatibus erepta, in æternum gloriabitur. Ita est merces fructus ventris, idest Christi, vt interpretatur S. Cyrillus lib. 1. Glaphyr in Pentat. pag. 185. agnoscítque etiam S. Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 19. qui hanc considerationem mellitissimam esse, supérque omnes fauos sapidam, propfitetur.

Manabit ex eodem fonte, incensissimus ille amor charitatis, quo per totam æternitatem, Christus electos, & electi Christum prosequentur. In quam rem nihil habeo aptius, quàm quod Richardus Vict. cap. 10. in Cant. tradit. Exponit in primis iussum illud Spiritus ad electos, vt in lectulo quem sexaginta fortes ambiunt, requiescant à laboribus suis. [Qui enim ingressi sunt (inquit) in requiem illam, requieuerunt ab operibus & à laboribus suis; sicut & à suis Deus, quibus pro homine laborauit, & eum redemit. Ab his laboribus requieuit in se, pro his laboribus requiescunt in illo membra eius. Nullus vnquam sicut ille laborauit, quia non fuit dolor sicut dolor eius. Sed secundùm multitudinẽ dolorũ eius, consolationes æternæ lætificauerũt membra eius, quia magni dolores ipsius, magna gaudia membris eius contulerunt; magnus labor perpetuam requiem & amara mors, sempiternæ vitæ dulcedinem. Pro his enim incomparabiliter eum amant, & in eius amore gaudent; habent enim quem amant, agnoscunt & vident, quod totum vita æterna est. Idem est enim cum illo requiescere, & cum illo gaudere, & illum habere; item amare nosse est, quia amor notitia est, & nosse videre est. Et hæc est vita æterna cognoscere Patrem, verum Deum, & quem misit Iesum Christum, hæc est illa beatitudo, & hæc dotes animæ. Cognitio Dei amor & frutio.]

784 Hoc fundamento amoris iacto, quod Christum meritorjam salutis electorum causam, eorúmque germanum caput exhibet, vt amoris illius incensissimi Christum inter & electos flagrantis, vehementiam demonstret, sic ratiocinatur Richardus. [Quis cogitare sufficiat illum mutuum amorem Saluatoris & saluatorum, & quomodò diligat quos tam pretioso pretio redemit; quomodò illorum saluti congaudeat, quomodò ipsi eum diligant, & in eius amore quiescant, & in eo gaudeant per quem se redemptos & ad requiem translatos sciunt & semper vident? Cumque æterna charitate pro redemptione sua eum diligant, incomparabiliter ab eo ampliùs diliguntur. Adeò suos in passione dilexit, & tantus fuit in eo feruor charitatis ad redimendum eos, vt acerbitatem passionis eius omnino tollere potuerit, sed noluit; Immo acerbiorem martyrij dolorem assumpsit, & pati voluit plus quàm nullus hominum vnquam passus sit, vel pati potuerit, vt incomparabilem demonstraret charitatem. Quæ charitas circa eorum salutem tanta fuit, quòd cum eos pretio suæ mortis redemisset, non tam redemptos à se, quàm à Patre sibi datos commemorat quodam loco ita dicens, *Pater quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum.* In tantum de ipsorum redemptione exultat, vt non reputaret magnum id quod pro eis pertulit, sed videatur eos quos accepit, datos sibi potiùs in munere quàm emptos pretio vel recompensationi censere. Qui ergo tantum eos dilexit in exilio, incomparabiliter quoque diliget in regno, maiorem quoque charitatem circa hos habuit, quàm circa corpus proprium, moriendo pro illis: maiorem quoque ibi circa eos habebit, quàm ipsi ad eum habere possint, magísque gaudebit de eorum salute, quàm ipsi in hac possint gaudere: de eorum itaque salute gaudebit.]

Reciproca verò electorum in Christum caput & [Deum vium exultatio, his verbis præter cætera ab eodem Richardo exprimitur. [Quidquid sapere poterit ratio, quidquid recolere memoria, quicquid desiderare voluntas, Deus erit, & singula hæc implebit, quia omnia in omnibus erit, & cantabitur ei canticum lætitiæ, de fœlicitate beatitudinis æternæ. Ibi dum iusti sine fine damnatorum cruciatus conspiciunt, in Dei laudibus crescunt; & quia & in se cernunt bonum quo remunerati sunt, & in illis supplicium quod euaserunt, erit gratiarum actio & vox laudis. Gratias agent liberatori suo Deo, & cum perpetua charitate diligent, in quo etiam signa suæ liberationis, cicatrices videlicet vulnerum, indesinenter aspicient: Quantóque reminiscentur periculorum & miseræ quam euaserunt, tanto exultantes dicent, *Torrentem pertransiuit anima nostra, aquam intolerabilem.* At laudantes Deum subiungent, *benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum;* scilicet Dæmonum, de laqueo quorum venantium, animæ eorum ereptæ sunt, & contritus est laqueus, quia cessauit tentatio, & ipsi sunt liberati; sed inimici vinculis æternæ damnationis sunt astricti. Quos etiam semper videbunt in inferno, vt eorum conspectis tormentis semper gaudeant & liberatorem suum diligant, & gratias illi agant: Vnde & ad Iob Dominus loquitur, quod Diabolum electi accipiunt in premium sempiternum, & quia hîc se cum eis dum eos tentando affligit, & illic dum vita eius pœna gaudebunt quam euaserunt; pro his omnibus erit gratiarum actio, eritque vox laudis, quia quem diligunt perpetuò laudabunt.]

### *Vsus doctrinæ.*

Horum prægustatio iam ex hac vita, insignis totius huius doctrinæ vsus est, præsertim si immensa illa nomina quibus monstratum est electos Christo obstringi, recogitentur; vt indecum gratus erga tam beneficum animus concipiatur, tam vita ei gratitudini consona exigatur.

CAP.

# CAPVT XI.

## *Christus, Ostium ouium.*

785 Hoc se nomine Christus ipse donat Io. 10. Nec alius est Christus, aliud Iesus, aliud ostium, vt dixisse Hæreticos, refert ac reiicit Cyrillus Catech. 10. sed ipse vnus Christus est ostium. Et quia per se patet, oues Christi idem esse quod electos, (nam reprobi velut hœdi habentur,) idcirco idem est esse caput prædestinatorum, & esse ostium ouium. Vt proinde meritò continenter ad titulum *capitis electorum*, aggrediemur agere de Christo *ostio ouium*, de quo Interprete Ioann. 10. & plenè Rutilius Benzonius in speculo Episcoporum lib. 1. disp. 1. quæst. 2. Nos pauca libabimus.

## *Varia in scripturis & PP. Ostia ouium.*

Et sunt quidem alia præterea nonnulla, quibus in sacris Litteris nomen *Ostij ouium* accommodatur. Sic enim Scripturæ quæ testimonium de Christo perhibent, quia nos ducunt ad Deum, & quasi aperiunt viam ad ipsum, nomine *ostij* donantur, vt S. Chrysost. hom. 58. in Ioan. pet pendit: traditque etiam S. Greg. 19. Moral. c. 13 & hom. 3. ac 15. in Ezech. explanans postes rabernaculi, de Lege & Prophetis. Ecclesia item *ostium* dicitur his verbis à S. Gregorio in c 8. Cant. [Ostium esse Ecclesiam dicimus quam ab ipso Christo potestatem aperiendi & claudendi accepisse scimus. Ostium proculdubio in suis prædicationibus existet, quia per eos aditus ad vitam se vobis aperit. Vnde & ipsi primo Pastori Ecclesiæ dicitur; *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Vel ostium in ipso capite suo existit, quia ipse de se veraciter dicit; *Ego sum ostium.* Ostium verò tabulis cedrinis compingitur, quia Sancta Ecclesia fidem prædicans, multitudinibus populorum decoratur, & dum populi varijs virtutibus aspernuntur, vt videlicet alius de rebus quas possidet indigentibus necessaria tribuat; alius omnia obiiciens, etiam à legitimo connubio se abstineat; alius verò tantùm proficiat, vt aliorum etiam prædicatis fiat; tanquam pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis distinctionibus honestatur.] Sed & Baptismus iuxta Rupertum, ad lib. 3 Regum c. 10. *Ostium* est. Tria alia Ost profert his verbis S. Bernardus in Sententiis. [Ostia per quæ transitur ad vitam, tria sunt; fidei veritas, retrò quam Sarra ridet: spei firmitas, quæ est in latere arcæ, charitatis soliditas, quam obseruat Cherubim cum flameo gladio.] Consonat D. Greg. qui homi. 19. in Ezech. has esse ait tres portas cœlestis atrij.

Secernit alia varia ad Deum ostia. Gilbertus serm. 44. in Cant. & breuiter Origenes lib. contra Celsum, vbi cum Celsus Christianis obiecisset, portas patentes ab eis iactatas, sic reponit [Portas verò sponte apertas, verisimile est dici à quibusdam alludentibus ad illud Psalmi, *Aperite portas iustitiæ, vt ingressus confitear Domino. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Ac rursum in nono Psalmo sic legitur: *Qui exaltauit me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas, in portis filiæ Sion.* Vbi *portæ mortis* significant peccata quæ ducunt ad interitum; sicut è contrario per *portas Sion*, intelliguntur bona opera. Eodem modo & portæ justitiæ, dicuntur quasi portæ virtutis. Hæ sponte aperiuntur virtutem consectantibus.] Beata Virgo frequentissimè *Cœli porta*, & *Ianua Cœli*, atque adeò *ostium ouium* dicitur: de quo prolixè Benzonius in Psal. 86. c. 15. Breuiter verò Richard. c. 39. in Cant. *in fine*. Et Procus in homilia quam habuit in Concilio Ephesino, vocans Virginem salutis *ostium*. Alter Richardus plenissimè lib. 5. de Deipara pag. 78. & lib. 10. à pag. 627.

*Tbeoph. Raynaudi de Attrib. Christi.*

## *Christus propriissimè Ostium ouium.*

786 Sed nihil adeò frequenter, vel adeò aptè ac verè nomen ostij participat, quàm Christus. Agnoscunt id passim Patres. Epiphanius in Ancorato. [Ostium (inquit) appellatus est Christus, quia per ipsum ingredimur.] At Christi proprium est, vt per eum subeamus ad Deum. Igitur eius quoque proprium est esse ostium nostrum. Idem ferunt illa S. Basilij lib. de Spiritu Sancto c. 8. [Ostium Christus dicitur, eo quod per rectitudinem præceptorum educit ad pias actiones ac rursus tutò perducit in caulas, eos qui per fidem ipsum ad cognitionis bonum confugerint. Vnde, *per me*, (inquit,) *si quis introierit & ingredietur & egredietur, ac pascua inueniet.*] Clarè & cum cœterorum exclusione ab huius attributi participio, S. Augustinus Tract. 47. in Ioan. [Tenete ergo quomodò Dominus Iesus Christus & ostium sit, & pastor; Ostium pandendo se, Pastor intrando per se. Et quidem fratres, quod Pastor est, dedit & membris suis: nam & Petrus Pastor & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores, & boni Episcopi Pastores. Ostium verò nemo nostrum se dicit; hoc sibi ipse proprium tenuit.] Plenè & egregiè idipsum prosequitur idem S. Augustinus Tract. 45. & 46. in Ioan. quo posteriore loco, germanam huius denominationis Christi rationem esse ait, quod non sit quâ veniatur ad Patrem, nisi per Christum; qui pandendo se, exhibet perfectè rationem ostij. Obseruare enim hìc ferè licet quod in valuis, non quidem passim apud Romanos vt ex Plutarchi Publicola intelligitur, sed passim apud Græcos seruatum, obseruat Helladius apud Photium Cod. 279. vt videlicet, non introrsùm (vt nunc assolet), sed aduersùs extimam partem, ideſt versus vicum & aream pulsatæ primùm manu, vt audirent si qui ad fores essent reserarentur: vnde etiam *fores* dictæ; & apud Terentium & Plautum, crepuisse fores leguntur priusquàm quisquam domo exiret, ne in viam publicam pulsæ fores absque præuio crepitu, aliquem læderent, vt notat Muretus 2. Varia. c. 17. Hoc ipsum in hoc diuino ostio deprehendere licet. Aperitur enim versùs nos, & seipsum humanitate obiectum obiicit nobis, qui intraturi per ipsum sumus: sicque nobis se pandendo, aditum præbet ad Patrem.

789 Hanc vitæ ianuam, Arnobius lib. 2. *post medium*, egregiè his verbis expressit, respon-

dens Ethnico qui interrogarat veréne præclusa ipsi esset spes salutis ni in Christum crederet; & an non sufficeret,potestates quibus cœli aditum fuisse commissum fingebat antiquitas,conciliare.[Partes salutis dandæ,conferendique animis quod tribui conuenit. Necessariumque est applicari,solus à Deo Patre iniunctum habet & traditum, ita se habentibus semotis atque interioribus causis.Vt enim dij certi,certas apud vos habent tutelas,licentias,potestates; neque eorum ab aliquo id quod eius non sit potestatis ac licentiæ,postulatis:ita vnius Pontificis Christi est; dare animis salutem, & Spiritum perpetuitatis apponere.Si enim Patrem creditis liberum, dare posse vindemiam,medicinam non posse,si Cererem fruges, si Æsculapium sanitatem, si Neptunum aliud,aliud posse Iunonem, Fortunam,Mercurius, Vulcanum;rerum esse singulos certarum ac singularum datores & hoc necesse à nobis est vt debeatis accipere, à nullo animas poesse vim vitæ atq;incolumitatis accipere,nisi ab eo,quem Rex summus huic muneri officióque præfecit. Hanc omnipotens Imperator esse voluit salutis viam: hanc *vitæ* vt ita dixerim *ianuam*. Per hunc solum est ingressus ad lucem, neque aliàs datum est,vel irrepere,vel inuadere, cæteris omnibus clausis atque inexpugnabili ęre munitis.Licet ergo tu purus,& ab omni fueris vitiorum contaminatione purgatus, conciliaueris illas atque inflexeris potestates, ne ad cœlum redeunti vias claudant atque obsepiant transitum,ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmium, nisi quod ipsam immortalitatem facit Christo attribuente, perceperis; & veram fueris admissus ad vitam.]

Pulchrè item *ostij* nomen Christo vendicat sanctus Athanasius sub finem sermonis de cœco à Natiuit. tractans illud Christi de seipso, *Ego sum ostium.* [Rectè sanè (inquit) Dominus semetipsum ostium appellauit,vt piè custodiens eos qui intùs sunt & in fide: abigens autem eos qui extra fideles obseruant, & in præsentiam Patris sui Dominædij perducens. Nemo enim cognoscit Patrem nisi per Filium.] Et mox. [Ostium semetipsum Dominus appellauit;& rectè quidem ostium: habet enim duos postes, nouum & vetus Testamentum, limen & superliminare,circumcisionem & præputium, domum Ecclesiam.] Cur *ostium* se singulariter, non *ostia* dixerit, causam ducit ex vnitate Dei, & fidei, ac baptismi, quæ singula Christus nos docuit.

Clemens denique Alex. in protreptr. *non multum ab initio* adductis Christi verbis Ioan. 11. [*Ego sum ostium*, quod discere oportet iis qui voluerint Deum intelligere,vt nobis omnes simul portas cœlorum aperiat. Sunt enim rationales rationis seu verbi portæ, quæ aperiuntur claue fidei. *Deum nemo nouit nisi Filius, & cui filius reuelauerit.* Benè autem scio, quòd qui clausam portam tunc aperit reuelat postea ea quæ sunt intùs,& ostendit ea quæ nec priùs poterant cognosci, nisi ab iis qui per Christum ambulassent,per quem solum Deus cernitur.]

### *Cur peculiariter Christus ostium cuiusq; causæ dicatur.*

Ex his liquet, nomen *ostij*, esse Christo proprium, itavt sub ea peculiari ratione sub qua de Christo dicitur, nulli puræ creaturæ sit concedendum. Rationem porrò ostij, Christo peculiarem & propriam, assignare possumus duplicem. Prior est, quod Christus sit causa meritoria bonorum quibus ad penetralia domus Dei, & fœlicitatem aditur. Quam *ostij* notionem ferunt pleraque loca, adducta ex Patribus. Non placet autem hoc loco insistere diutiùs itti ostio, quod tractando rationem capiti Christo conuenientem, fusè ac plenè actum sit de ea Christi efficientia morali,in quæuis dona nostra supernaturalia.

790 Posterior denominationis *ostij* ratio, inde petenda est, quod Christi explicita fides, sit necessitate medij requisita, ad primam & secundam salutem. Sic enim Christus obiectiuè sumptus, provt per explicitam fidem attingitur habet rationem *ostij vniuersi.* Scio Damascenum Orat.pro defunctis, *ante medium*, existimare ad salutis æternæ consecutionem, ante Christum suffeciisse bonam & probam vitam ex nudo naturæ lumine; prorsus licet ignorato Christo per fidem. Vnde pronunciat, pleroſque Philosophorum, qui ex eo lumine quod per naturam affulgebat, exegerant vitam innocenter, in inferno quo per obitum deiecti erant, saluos Factos esse adueniente Christo. Nominatim verò Sibyllas quæ tã multa de Augustissima Triade, de Verbo Incarnato, de ipsa Deipara ex nomine prænognita,tradiderant; non dubitat quamuis diuinæ fidei exortes hinc excessissent, salutem per Christum ad inferos delapsum, esse consecutas. Hæc nunc non vacat fusiùs retexere. Neque enim quærimus, an fides vera,& ad salutem vtramque necessaria, possit per Christum obtineri in altera vita. Quod quidquid Damascenus dixerit, certum est numquam contigisse nec euenire vmquam posse, iuxta leges diuinæ prouidentiæ. Eatenus tamen sententiæ nostræ concinit Damascenus, quatenus quos admittit in altera vita vtramque salutem adeptos, præuia fide, credidisse plenè in Christum statuit;nec nisi hanc fidem concepissent, consecuturos fuisse salutem.

Sed hæreamus in necessitate fidei, de Christo, ante obitum cuiusque concipiendæ. Hoc de omni æuo etiam Christum præcedente; affirmarunt graues Theologi, Becanus Tract. de fide cap.12 q.2. Lorca 2. 2. disp.21. num.4. & ex antiquis Alexander, Albertus, Bonauentura, Scotus, Gabriel, quos hi adducunt. Quamuis enim fateantur, non fuisse in omni ætate necessarium salutis medium credere explicitè Christum quatenus Deum, aut quatenus moriturum pro nobis: tamen id affirmant de fide qua quis credat diuinam prouidentiam, liberatorem humani generis curaturam. Hæc enim fides est explicita respectu liberatoris præcise, quamuis non sit nisi implicita & in confuso, respectu diuinitatis & mortis Christi. Talem Christi fidem fuisse medium omni æuo necessarium ad vtramque salutem, probant Autores prædicti, auctoritate ac ratione. Nam Apostolus in tota Epistola ad Romanos, aliud non contendit,

tendit, quàm ad iustificationem & gloriam, exigi fidem Christi : nec ad id vel naturam, vel legem suffecisse. Et ad Galatas 3. ait Scripturam concluisse omnia sub peccato, vt promissio ex fide Christi daretur credentibus. Agnouit ergo Apostolus, fidem Christi necessariam fuisse ad vtramque salutem. Nihil autem minus potuit de Christo explicitè attingi, quàm quod expressimus. Videtur idem voluisse: D. Augustinus Epi. 89. q. 3. & Epist. 157. & lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 7. & l. 19. contra Faustum c. 14 & 18. Ciuit. c. 47. & tract. 45. in Ioan. ad illud, *sed non audierunt eos oues* : quibus locis affirmat, veteres iustos eadem qua nos fide fuisse saluatos. Non fuisset autem eadem fides, nisi explicitè (tametsi multo confusiùs,) in eadem particularia obiecta cecidisset fides veterum, in quæ cadit fides nostra ex necessitate medij. Eorum verò obiectorum nostræ fidei vnum, esse Christum, mox dicam. Videndi in eamdem sententiam S. Chrysostomus hom. 9. in illud 1. Corinth. 4. *habentes eundem spiritum fidei*, & Eusebius lib. 1. hist. c. 1. vbi ob hanc causam, tradit omnes veteres iustos, fuisse quoque Christianos. Putatur huic sententiæ contradicere Hugo Vict. l. 1. de sacram. part. 10. cap. 6. Laudatus circa hoc à S. Bernardo Epist. 77. sed fortassis exponi possunt de Christo provt redemptore per passionem & mortem. Qua ratione fatendum est, non fuisse necessarium necessitate medij, credere explicitè in Christum. Constat plus voluisse quosdam Scholasticos, vt S. Thomam 2. 2. q. 2. art. 7. 3. Medinam lib. 4. paræn. c. 4. Suarem disp. 12. de fide sect. 3. n. 17. sed alij quorum sententiam retuli, graues & antiqui Doctores, aduersantur; & Christi fidem explicitam, necessarium vtriusque salutis medium semper fuisse contendunt.

### *Christus ostium ouium, quia eius fides explicita, necessarium nunc vtriusque salutis medium.*

791 Vt minimum verò concedendum est, post Christum, à tempore terminum sufficientis promulgationis Euangelij subsecuto, fidem Christi explicitam, non tantùm ad modum propositum, sed provt est Deus & homo pro nobis passus ac mortuus, esse necessarium vtriusque salutis medium. Qua ratione, Christus est ostium ouium. Nam per Christum, cum priùs pascua gregum essent gaudium onagrorum; & mundus non secus ac sylua auia lupis & feris scateret, homines positi sunt vt oues familias, vt concinnè his verbis eum psalmi 106. locum expositi Gregorius Nyssenus tract. 1. in psalmos c. 8. verbis illis. [ Posuit illos bonus. Pastor loco brutorum *Oues familiæ*. Familiam nominat cœtum & collectionem rationum ad diuinum numen obtinendum conducentium, quemadmodùm & Paulus testatur, *Ex quo omnis familia, & in cœlo & in terra nominatur.* ] Nimirum eadem Græca vox πατριὰ. Quæ Ephes. 3. vertitur *paternitas*, in psalmo proposita vertitur *familia*: dicuntúrque *oues familias*, idest *oues familiæ Dei*, sicut dicitur *pater familias*, iuxta priscam inflexionem. Igitur Christus factus est ostium ouium rationalium, quibus vitæ pascua sunt proposita, & virgam, ac bacculum consolantem prouidit optimus pastor. Factus inquam est Christus, harum ouium ostium, quatenus eius explicita fides provt redemptoris, post eius Euangelium sufficienter promulgatum, (hoc est annis circiter 40. post Christi Ascensionem, quod tempus necessarium fuit, vt Synagoga cum honore sepeliretur,) Est necessarium medium tam ad iustificationem, quàm ad gloriæ assecutionem : vt rectè asserit S. Thomas in 3. distinct. 25. quæst. 2. art. 2. Molina, prima parte quæst. 1 art. 1. d. 2. Sanches 2. in Decalog. c. 2. num. 8. Valentia 2. 2. dist. 1. quæst. 2. puncto 4. Assert. 3. Lorca 2. 2. sect. 1. dist. 22. memb. 2. Malderus ex multis 2. 2. quæst. 2. art. 7. prop. 8. Lorinus actor. 4. 8. & 10. Filliucius tract. 22. c. 1. n. 25. & 28. & acerrimè A Costa l. 5. de procuranda Indorum salute c. 3. & 4.

Hæc sententia videtur planè vera. Sicque habemus optimum modum exponendi quomodò Christus sit ostium ouium. Nam qui negant necesse esse Christum explicitè credi vt redemptorem, etiam post Euangelij sufficientem promulgationem factam tempore quo diximus, ( vt Corduba lib. 2. quæst. 5. prop. 2. vbi inuincibiliter ignorantem, eximit necessitate credendi explicitè Christum, etiam nunc; ) non mihi videntur satis honorificè sentire de Christo, eiusque dignitate : nec satis implere sensum tot Scripturarum, quibus Christus denominatus est via ad patrem, itavt nemo eò perueniat nisi per Christum : & qui in eo non credit, iam sit iudicatus. Et hæc sit vita æterna, cognoscere Deum, & quem ipse misit Iesum Christum. Eamdem ob causam, Christus dictus est *finis legis ad salutem animi credenti*, & *fundamentum cui superædificari oportet*. Apostolus quoque contestatus est, non esse aliud nomen sub cœlo datum, in quo oporteat nos saluos fieri. Denique neminem absque Christi fide iustificari, habetur ad Galatas 2. sanxitque Tridentinum sess. 6. c. 7. quæ omnia plus haud dubiè ferunt, quàm Christum promeruisse nobis gratiam & gloriam. Imo Apostoli & Apostolici viri, tantoperè conniſi sunt vt Christi notitiam per orbem vniuersum disseminarent, quod satis intelligerent, perituros esse qui eo necessario ad salutem medio destituerentur : & ipse Deus suam hac in parte mentem satis videtur expressisse, non modò in Scripturis prædictis, sed etiam per facta. Nam vt Gentiles quidam, ( quos ex euentu patuit esse ex numero electorum,) notitiam Christi susciperent ante mortem, missis ad eos per extraordinarias & mirabiles occasiones concionatoribus, id effecit. Nec semel sanctus Thomas agens de homine in syluis educato, scripsit, si ageret quod in se est, nec per sua peccata obstrueret sibi cœleste lumen, fore vt Deus prouiso mirabiliter instructore, vel etiam emisso de cœlis Angelo, eum doceret Christum, & obitam pro nobis ab eo mortem. Ita habet quæst. 14. de Veritate art. 11. ad 1. & in capite decimo ad Roman. lect. 3. & in 3. dist 25. quæst. 2. articul. 1. quæstiunc. 1. ad 2. Et ita aliquando factum; veréque subinissum Angelum, qui hominem doceret Christi mysterium deficientibus qui id præstarent hominibus, tradit ex quodam Rogerio Franc. Picus Theorem. 1. de fid. Atqui si fides Christi Redemptoris esset tantùm necessaria

necessitate præcepti, nihil fuisset opus tam extraordinaria prouidentia. Agnoscamus ergo dignum fuisse, vt cum Christus sit fundator Ecclesiæ, & benignè dederit animam suam pro hominum salute, ideóque in eius gloriam, omnium electorum salus fuerit destinata & relata, non alia ratione concederetur vlli salus, siue secunda quæ est perfecta & consummata salus, siue prima cum qua est necessariò connexum ius ad secundam, nisi explicitè in Christum redemptorem crederet: nulla quoad hoc inter primam & secundam salutem distinctione. Nam Canus Relectione de Sacram. in genere parte 2. & Castro l.2.de lege pœnali c.14.qui hanc Christi fidem agnoscunt esse necessarium medium ad secundam salutem, non ad primam, meritò reiiciuntur à Medina 4.paræn. c. 10. cum nulla quoad hoc, vel in Scripturis vel in Patribus sit distinctio duplicis illius salutis: quin potius de prima salute, siue de iustificatione frequentius id asseratur, & luculentiùs quàm de assecutione gloriæ. Ac proinde si ad hanc, fides Christi passi explicita, est necessarium medium, æquè idem concedendum erit, respectu primæ gratiæ & multiplicationis.

792 De vtraque salute, magis consequenter id inficiati sunt nonnulli Recentiores vt Soto l.2.de Natura & Gratia, c.11. & 12. Vega lib.6. in Trid. cap. 19. & 20. Medina c.illo 10. Maldonatus Ioan. 5. num.25. Torres Vasquem de more referens 2.2.tom.1.disp.27.dub.4.iuncto 7. Et reipsa idem docet Suares, disp.12. de fide sess.4. num.10. Nam quamuis num.18. addat, explicitam fidem Christi passi esse medium ad vtramque salutem necessarium, vel in re, vel in voto; Tamen hoc non est aliquid discrepans à sententia negante fidem Christi explicitam esse medium necessarium ad salutem. Aliqua quidem dicuntur necessaria sub illa disiunctione vt liquet de Baptismo: tamen propriè loquendo; quod est præcisè necessarium necessitate medij, omnes ligante & in supplebili, est solum votum. Deinde si ea distincti o necessitatis in re aut in voto haberet hîc locum, fatendum esset quando fides Christi explicita adest, non esse necessariam fidem Dei vt habentis prouidentiam supernaturalem, quam fidem dicunt esse votum fidei explicitæ Christi passi. Itaque sicut posito reali Baptismo, nihil est necesse habere eius votum, hoc est perfectam dilectionem, aut contritionem; ita posita fide Christi explicita, non esset necesse credere Deum supernaturaliter prouidum, & remuneratorem, contra Apostoli editum. At hoc nemo admiserit. Igitur falsò asseritur, eam fidem esse votum explicitæ fidei Christi. Ac proinde idem est asserere, fidem Christi explicitam esse medium necessarium in re vel in voto; atque asserere, non esse reuera medium necessarium.

### *Enodata difficultas in contrarium.*

Est pro ea sententia vnicum alicuius momenti argumentum, quod Suares sect. illa 4. à n.11. latè vrget; ex eo ductum, quod possit aliquis fide Christi passi explicita destitutus, habere fidem sufficientem, qua ex parte intellectus disponatur ad amandum perfectè Deum; quo amore iustus fiet, & si in eo statu excedat è vita, acquiret gloriam. Sanè Catechumenus dum diuina edocetur, priùs accipit notitiam & fidem Dei veri, quàm Christi Dei & hominis, passi pro salute nostra. Nam hoc secundùm, præsupponit primum, & exigit longiorem moram. Quidni verò Deum sic cognitum, possit amare, fide ad amandum tantum bonum sollicitante? Amorem perfectum consequitur illicò gratia; & gratiæ in morte (si tunc superueniat) retentæ, adiungitur gloria. Posse autem superuenire mortem, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco, priusquàm Catechumenus discat Christum passum in cathej nemo non videt. Non dissimile argumentum formari potest de paruulo baptizato, qui abducatur in locum in quo à nemine possit Christum edoceri puta in syluam, vel de certam insulam, vbi in gratia adolescat; & antequàm vllum de Christo loquentem audiuerit, moriatur. Saluabitur enim quia habet gratiam, & tamen deest Dei fides Christi explicita.

Hæc non me dimouent de sententia proposita. Neque enim difficile intellectu est, quomodò Catechumenus non adipiscatur gratiam absque fide explicita Christi passi. Vel enim negabitur ei auxilium sufficiens ad amandum Deum perfectè, priusquàm explicitè in Christum credat: qua suppositione facta, neamare quidem perfectè poterit. Vel negabitur ei auxilium efficax, iuxta quam suppositionem ita poterit per auxilium sufficiens amare Deum, & iustificari ante cognitum explicitè Redemptorem; vt tamen reipsa non sit amaturus perfectè Deum, ante eam Christi notitiam explicitam: ac proinde neque de facto sit consecuturus primam aut secundam salutem. Quod nobis satis est, qui tantùm negamus, suppetere alicui absque Christo explicitè cognito, potentiam primæ aut secundæ salutis obtinendæ, reducendam quandoque ad actum. Verumuis porrò de Deo dicatur, non potest inferri Deum esse causam exitij hominis, si fortè ante explicitam illam de Christo fidem, fato concedat. Nam si habet auxilium sufficiens, stetit per hominem quominus agat cum eo auxilio & saluetur. Si verò ne sufficientem quidem gratiam haberet, par erit eius ratio, ac infantis in vtero materno morientis, cuius exitium non potest refundi in Deum qui prouidit generalia remedia, quæ per accidens est, quod puero quamuis absque vlla culpa eius, nequeant admoueri. Non aliter igitur dicemus de Catechumeno prædicto. Alterutrum autem è duobus propositis, rationabiliter asseri, hoc est ante cognitum explicitè Christum, negandum illi esse vel auxilium sufficiens, vel saltem efficax ad amandum; colligimus ex Scripturis propositis, quibus docemur, constitutum à Deo esse, vt nemo adultus, siue per contritionem aut amorem perfectum, siue per eam qualemcumque supernaturalem dispositionem. Quæ cum reali susceptione Baptismi est necessaria ad comparandam gratiam, prouehatur ad salutem primam, & multo minùs ad secundam, sine explicita eius notitia, per quem venerunt nobis omnibus tot bona, pariter cum illo. Quod porrò de Catechumeno dictum est, æquè valet de infante Baptizato, qui in syluis adolescat. Nam vel saluabitur ad modum infantium, si non ita multo post exortum iubar vsus rationis excedat è vita; vel si diutiùs proroget vitam, aut remouebit occasiones peccatorum, & illuminabitur etiam quoad Christum; vel cadet è statu gratiæ,

gratiæ, è quo non resurget nisi subleuante eo quem Pater constituit paxillum in loco fideli. Et sanè si hoc argumentum aliquid probaret, æquè efficeret, nullius obiecti explicitam fidem, esse ad salutem necessarium medium; ac ne Dei quidem notitiam, quod nemo admiserit.

Maneat igitur, hac quoque ratione Christum esse ostium ouium, quod ab omni æuo, absque explicita eius notitia in ratione liberatoris; eiusdem verò vt redemptoris, atque adeò vt Dei hominis explicita fide, à tempore promulgationis sufficientis Euangelij, (quod contigit aliquot omni post Christi Ascensionem,) nemo gratiæ & multo minus gloriæ adyta capessat.

### *Veteres typi, Christi ostij ouium.*

793 Typos nonnullos diuini huius ostij, exhibent quædam Scripturæ. Sic enim ostium illud per quod arcam subiuere quæcumque saiua facta sunt tempore Noëtici diluuij, Christum præsignauit autore Origene hom. 2. in Genes. & hom. 4. in Esaiam. Porta itè cœli, cuius Genes. 28. est mentio, typus est Christi. Ostium quoque tabernaculi testimonij, toties celebratum in Scripturis, nominatimque Exodi 29. & 35. & Leuit. 8. imago Christi fuit, iuxta Hieronymum in cap. 44. Ezech. & Augustinum in Psal. 126. Porta quæ respiciebat ad viam orientalem descripta ab Ezechiele, Christum referebat interprete S. Gregorio ibi hom. 15. Qui obiiciens sibi quod Christus dicat se pastorem intrantem per ostium, proindeque non videatur posse quoque esse ostium, subdit ad hoc enodandum. [Quærendum nobis itaque est, qualiter & ipse intret, & per semetipsum intret. Dominus enim ac Redemptor noster, cum sancta Ecclesia quam redemit, secundùm carnem vna substantia est. Paulo attestante, qui ait, *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia.* Huius capitis corpus Ecclesia est, & huius corporis caput Christus de quo suo capite exultat corpus, ideſt, sancta Ecclesia, cum per Psalmistam dicit. *Nunc autem exaltauit caput meum super inimicos meos.* Quia enim quandoque ipsa etiam exaltanda est, iam nunc caput suum super inimicos suos exaltatum gaudet in cœlis. Cum ergo electi quique ad vitam perueniunt, quia membra eius per eum intrant ad eum, ipse per se intrat ad se. Ipse enim in suis membris est qui intrat, ipse caput ad quod intrantia membra perueniunt. Quod Ezechiel Propheta multipliciter insinuat, qui virum dicit venisse ad portam, & quæ eadem porta sit, ostendit, dicens. *Quæ respiciebat ad viam Orientalem.* Ipse etenim nobis est via, qui dixit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Ipse etiam Orientalis via, de quæ Scriptum est: *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Porta ergo viam Orientalem respicit, quæ illum signat, qui nobis iter ad ortum fecit luminis.] De porta sancta quæ anno Iubilæi aperitur, dictum est per visum Clementi VI. vt refert qui tunc viuebat Albericus *V. Iubilæus.* [Aperi ostium & ex eo ignem mitte, quo calefieri & illuminari valeat totus mundus.] At verissimè Christus porta lucis & caloris orbi vniuerso.

Ad hæc in Scripturis celebrata ostia, Celsum ablegat Origenes lib. 6. cum portas varias ex Persarum Sapientum instituto à Celso propositas, ad animarum in cœlum sub tionem retulisset. [Vt in libro contra nos scripto Celsus variam eruditionem suam ostentaret, inserit quædam mysteria Persica, vbi dicit, Hæc subindicat & Persarum doctrina, & Militiæ sacrum eis gentile: est enim in eo duarum cœli reuolutionum significatio; tum eius qua stellæ fixæ feruntur, tum eius qua Planetæ, & animæ per eas transitus; tale Symbolum. Scala est in altum aliis super alios portis surrecta, vsque summum octauæ portæ fornicem. Prima portarum est plumbea, secunda stannea, ahenea tertia, quarta ferrea, quinta mixti nomismatis, sexta argentea, septima aurea. Primam faciunt Saturni, plumbo notantes tarditatem eius sideris; secundam, Veneris, companantes ei stanni splendorem & mollitiem; tertiam Iouis æratam & solidam; quartam Mercurij, est enim laborum patiens & negotiator, æquè ac ferrum celebratus hominibus; quintam Martis, propter mixturam inæqualem & variam; sextam Lunæ argenteam, septimam Solis auream coloribus suis referentes ea sydera.] Subdit mox Origenes. [Quod si quis velit hon ab hac secta obscurissima, sed è libris, vel Iudaicis qui tam in Synagogis quàm à Christianis leguntur, vel solorum Christianorum, petere rationes magis mysticæ introductionis animarum ad contemplandas res diuinas, legat finem Ezechielis Prophetæ, & eius vatis visiones: in quibus vatiæ portæ describuntur, per ænigmata indicantes diuinarum animarum ad meliora introitus. Legat item in Ioannis Apocalypsi de ciuitate Dei cœlesti Hierusalem, & fundamentis eius atque portis.]

### *Christus ostium coronatum, viuum, rationale, anguſtum.*

794 Est hoc ostium, pro antiquo vsu coronatum. Nemo enim est sanctorum, qui coronas suas non iaciat ad agni pedes, vt habet Apocalipsis. Hoc est qui demississimè & magna grati animi significatione non profiteatur, omnia sibi merita, omnésque coronas à Christo per quem ad vitam venit, esse profectas: sed omne ostij huius decus, internum dumtaxat est, nec carneis oculis patet. Quod enim Licurgum mádasse Laconibus ferunt, vt ostia domorum haberent non splendida, sed abiecta; sic enim fore sperabat, vt puderet eos domum interiùs ornare, per quæ illud ostium inferre peristromata & aulæa pretiosa, cultámque supellectilem: hoc ipsum diuina sapientia, in Christianæ domus ostio edixit.

Obseruat verò egregiè S. Cyrillus Catech. 10. dici Christum *ostium*, non vt ait lignea appellatione, sed quia est ostium *viuum, rationale, discernens ingredientes.* Mirabilis planè ac insolens ostij ratio, quod & ipsum se aperiat, non ab alio aperiri necesse habet, & erga ingredientes discretionem adhibeat; hos nimirum repellens, admittens alios: vel hos admittens alacriter, quia optimè dispositos; alios segniùs & ægriùs, quia minùs aptos. Imo verò aperitur Christo ostium à nobis, ex quo per diuinam gratiam præuenti, & de cœlo salubriter tacti, aperire ei voluntatem per conscensum volu-

mus. Qua ratione vt optimè philosophatur Gillebertus serm. 44. in Cant. Christus dicitur ad ostium stare & pulsare, quamuis ipse sit ostium per quod est omnibus ingrediendum.

Non est hoc ostium, quale per quod infœlices mortis oues, subeunt stabulum æternæ damnationis; amplum videlicet & latissimè patens sed angustum, ac veluti foramen acus. *Intrate per angustam portam*, aiebat Christus Matth. 7. quia *lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Hoc S. Chrysostomus Tomo 5. Græcol. serm. 10. frequentem audire se contestatus, negat posse se satis demirari studia mortalium, qui latam omnes portam subire, & lata via ingredi quærant: quasi eam ad mortem & exitium ducere non audissent. Ibidem serm. 9. exemplum hominis per latam portam ingressi, proponit Euangelicum epulonem. [Diuitem illum qui quotidie purpura induebatur & byssо, qui epulabatur splendidè, qui parasitos & adulatores alebat, qui multum merum effundebat, qui quotidie ventrem saburrabat, qui multis se deliciis ingurgitabat, & per latam portam ingressus, voluptate ac lætitia mundana perpetuò fruebatur. Nam illi cuncta velut ex fonte affluebant, multum ministerium, immensæ deliciæ, corporis sanitas, pecuniarum copia, delatus à multis honor assentatorum laudes; nihil interim erat, quod illi tristitiam afferret.] [Atque hic quidem per latam portam ingressus, per spatiosam viam incedebat, viam deliciarum; intemperantiæ, risus, voluptatis, hellaationis, ebrietatis, pecuniarum copiæ, mollitiei in vestimentis: ac diu totum vitæ huius tempus per spatiosam viam incedendo transegit, neque quicquam molestiarum expertus est, sed semper prospero ventorum afflatu delatus, vtpote per spatiosam viam incedens, multa cum securitate pergebat. Nusquam scopuli, nusquam præcipitia, nusquam saxa sub vndis: latentia, nusquam naufragium, nusquam mutatio inæqualis, sed quasi per solidam & planam regionem iter habens, ita præsentis vitæ spatia decurrebat.]

795 Addit mox Christus, *quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inuenium eam:* Liquet, de Christo sermonem esse. Cum enim Christus sit ostium & via ad vitam, nunc cum vitæ ostium dicitur angustum, non agitur de alio quàm de Christo ipso, per quem ob arctitudinem & non latè patentem aditum, subire non possunt qui camelorum instar, gibbero diuitiarum, aut honorum, secularium tument. Quam Christi parœmiam de camelo per acus foramen æquè facilè subituro, ac diuite consecuturo salutem, Celsus apud Origenem lib. 6. ita suspicit, vt Christum velit eam à Platone suffuratum. Sed nugaci illo Bambalione dimisso, optimè S. Augustinus serm. 54. de verbis Domini, hortatur ad ponendum tumorem, vt liceat per angustum hoc ostium subire. [Tumuerat, (inquit,) superbia, & in ipso tumore per angustum redire non poterat. Clamat ille qui factus est via; *Intrate per arctam portam.* Conatur ingredi, impedit tumor, & tanto magis perniciosè conatur, quanto magis impedit. Tumidum enim vexat angustia. Vexatus autem ampliùs tumebat. Ampliùs tumens, quando intrabit? Ergo detumescat si cupit ingredi. Vnde autem detumescat? Accipiat humilitatis medicamentum, bibat contra tumorem poculum amarum, sed salubre poculum bibat humilitatis. Qui se arctat? Non finit moles, non magna sed tumida. Magnitudo enim soliditatem habet, tumor inflationem. Non sibi magnus, tumidus videatur. Detumescat vt magnus sit, vt certus & solidus. Non ista desideret, non de statu pomparum, rerum labentium corruptibiliúmque glorietur. Audiat eum ipsum qui dixit, *Intrate per angustam portam* dicentem; *Ego sum via.* Quasi enim quæreret tumidus, quâ intrabo? respondit. *Ego sum via*, per me intra. Non nisi per me ambules, vt intres per ianuam. Nam sicut dixit, *Ego sum via*: ita, *Ego sum ianua.* Quid quæris quà redeas, quâ intres? Ne alicubi erres, ipse tibi omnia factus est. Breuiter ergo dicit, Humilis esto, mitis esto. Audiamus hoc apertissimè dicentem, vt videamus quâ sit via, quæ sit via, quò sit via, quò vis venire.]

Porrò angustiam huius ostij, S. Bernardus, non modò in latum, sed etiam in altum, considerandam mandat. Est enim Christus, ostium valdè depressum, per quod nemo possit ingredi, nisi demittat sese, & typhum abiiciat. Guericus Abbas egregiè quoque id considerauit serm. 2. de Natiuitate Domini, his præter cætera. [Prorsus vos filij Adæ qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excreuistis; *nisi conuersi fueritis & effecti sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ego sum ostium regni, (ait paruulus iste,) nisi incuruetur altitudo virorum, non eos admittit istius humilitas ianuæ. Ideò nimirum *conquassabit capita interra multorum;* & qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis terra & cinis, postquàm Deus factus est humilis? Adhuc tu magnus es in oculis tuis, postquàm Deus paruus factus est sub oculis tuis? Illese metipsum exinaniuit, vt penè videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: & tu in immensum inflaris, & extolleris, existimans te aliquid esse, cum verè sis nihil? Ipse te seducis, clamat tibi Apostolus, cum & si aliquid esses, si magnum aliquid esses; tanto magis humiliare te oportet. *Quanto*, (inquit sapiens) *magnus es, humilia te in omnibus, & invenies gratiam coram Deo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam:* qui & ipse vt tibi fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humillimus & minimus omnium. Parum erat ei, vt fieret minor, Angelis conditione mortalis naturæ; nisi & hominibus minor fieret ætate imbecillis infantiæ. Videat igitur pius & humilis, & glorietur; videat impius & superbus, & confundantur.] Et scilicet detumescat ac deprimatur, certus alioqui, se non subiturum per hoc ostium, nec peruenturum ad vitæ palæstra.

Hæc est porta Domini, per quam intraturos iustos, prænunciauerat Psaltes. Vtinam intremus nos quoque per eam, caueamusque portas inferi, & portas mortis. § Portæ inferi, portæ mortis sunt. Portæ autem mortis, portæ Ecclesiæ esse non possunt. Quæ autem sunt portæ mortis, hoc est inferi, nisi singula quæque peccata? Si fornicatus fueris, portas mortis ingressus es. Si fidem læseris, portas inferi penetrasti. Si peccatum mortale commiseris, portas mortis intrasti.

intrasti. Sed potens est Deus;qui exaltet te de portis mortis, vt annunties omnes laudes eius, in portis filiæ Sion. Sunt enim portæ Ecclesiæ, sunt portæ castitatis,sunt Portę iustitiæ quas iustus intrare consuevit, dicens: *Aperite mihi portas iustitiæ,& ingressus in eas confitebor Domino.* Sed vt Patre mortis,Patreinferi;ita & porta iustitiæ,Dei porta est.*Hæc* enim *porta Domini;iusti intrabunt per eam.* Et ideò fugæ pertinaciam delictorum,ne portæ tibi possint inferi prevalere.Si enim dominatum fuerit peccatum in te, mortis porta prevaluit: Fugæ ergo contentiones,dissensiones,strepitus; tumultúsque discordiæ,ne portas mortis ingressus incurras.]

### *Fures & latrones, non per hoc Ostium,*

796 Non intrarunt per hoc ostium, sed ab eo sunt repulsi,quotquot ante Christum venerunt;ideóque Christus fures illos & latrones pronunciat. Vbi difficultas in speciem non leuis ingeritur,qua ratione Christus, omnes qui ante eum venerant, fures & latrones dixerit, cum constet venisse ante Christum, quos fures & latrones dicere,nulla ratio patitur; Sanctos inquam Patriarchas, & Prophetas. Dicendum verò est, Christum verbis illis *omnes quotquot venerunt*,non respexisse ad Sanctos veteris Testamenti. Hi quippe per Christum sunt ingressi sed alios aliquos designare voluisse. Non videtur autem accommodatum scopo Christi,quod dixit Catharinus clauc 2. Scripturarum *pa.* 205. nimirum egisse Christum de omnibus anterioribus,quantum erat ex ipsis, quia eatenus fures & raptores diuinæ gloriæ fuerant. Sed neque illud planè explet animum, quod habet Clemens Alexandrinus 1.strom. Christum scilicet designasse Græcos Scriptorum, Sacrorum expilatores, quod diffusè idem Clemens, cum ibi, tum alibi prosequitur.Malim cum Isidoro Pelusiota lib.3.epist 119.affirmare,Christum Dominum egisse tantùm de his qui venerant; hoc est de solis Pseudoprophetis.non autem de ijs qui à Deo missi fuerant. Acutè Anasthasius Synaita lib.1.Hexaëm.*eos qui venerunt*,interpretatur Satanam & malos Angelos eius partiarios. Nulli enim ante Christum venerunt, indidem vnde Christus venit,hoc est è cœlis,præter Satanam, & malos Angelos;quibus *furum* & *latronum* appellatio aptissimè conuenit,vt rectè vidit S.Gregorius 14.Moral.c.21. & bene quoque Gregorius Nyssenus hom.5. in Cant. tractans vulpes paruulas demolientes vineas.Nulli sanè horum, intrarunt per Christum ostium.

### *Nec intellectu tenus fideles, aut hæretici. Vsus doctrinæ.*

Sed neque per hoc ostium intrant,quotquot instructi fide vera,& Christum agnoscentes,non conformant vitam suam ad eam notitiam; & quod professione affirmant, diffitentur operibus. Etenim Christus veritas,iustitia,& sanctitas.Vnde qui ab his virtutibus alieni sunt, non intrant per ostium:perspexit hoc egregiè Origenes lib.4 in epist.ad Romanos *sub initium expositionis capitis quinti*, ad illud, *accessum habeamus ad Deum per Iesum Christum*,quæ verba sic glossat. [Quomodò accessum habemus ad gratiam per Dominum nostrum Iesum Christum,ipse Saluator dicit,*Ego sum ostium*, & *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Per ipsum ergo quia ostium est,accessum habemus ad gratiam. Sed videamus quale est ostium,vt sciamus quales esse debeant qui intrent per ipsum, & accessum habeant ad gratiam. Istud ostium veritas est,& per ostium veritatis, non possunt introire mendaces.Et rursum istud ostium justitia est, & per ostium iustitiæ,non ingrediuntur iniusti. Istud ostium dicit; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*.Per ostium ergo humilitatis & mansuetudinis,nec iracundus ingreditur,nec superbus.Si quis itaque est qui secundũ Apostoli Verbum,per Dominum nostrum Iesum Christum,accessum vult habere in gratiam Domini, in qua Paulus, & si qui sunt similes, & stare se dicit,oportet eum ab his omnibus quæ suprá memorauimus,esse purgatum.Alioquin non patietur hoc ostium introire eos, prosèque ea quæ à se aliena sunt,gerunt:sed continuò claditur, & transire per se non sinit dissimiles sibi. Hoc nimirum est,quod illis quinque insipientibus Virginibus accidit quæ quoniam oleum bonorum operum in vasculis suis non collegerunt,venientes post moras,clausum ostium inuenerunt. Nec enim poterant insipientes animæ,per ostium introire sapientiæ, & accessum habere in gratiam istam.]

797 Quod si Hæreticos Christus Dominus *portas inferi* appellauit, eo quod per illos miserè decepti simplices, intrent ad Tartara vt exponit Ex bertus serm.10. aduersus Catharos; est profectò quod omnes qui abduci se ad scelera,impiorum persuasionibus sinunt,agnoscant has æquè esse inferorum portas quas miserè subeunt loco ostij vitæ; idque Sancti, in iudicio cum per Christum portam vitæ ad cœlos intrabunt inimicis exprobrabunt; vt egregiè considerat Zeno Veron.serm.in psal.126. *in fine* qui egregium doctrinæ de Christo ostio vsum exhibet, Verbis illis.[Meminimus in Psalmo dictum; *Qui exaltas me de portis mortis,vt annuntiem omnes eius laudes in portis filiæ Sion.* Hic quidem plures portæ sunt, in quibus Propheta à portis mortis exaltatus omnes laudes Dei prædicat.Sed scimus esse portam vnam regiam.Dominicam:cœlestem,& qua dictum est, *Hoc est porta Domini, iusti introibunt in eam*, Et cum non confundanturhîc excussorum filij in porta inimicis sunt loquentes;confundantur qui cum iustis non merebuntur intrare, exprobrantes illis impietatem in Deum,inobedientiam in predicantes:infidelitatem in æterna promissa, odia in innocentes & in ipsa Ecclesiæ membra saeuitiam:ipsi confidentes,& nulla fidei suæ, ac religionis ambiguitate trepidantes, sed hos inimicos suos ab eius aditu, ingressúque prohibentes,qui ait;*Nemo vidit ad Patrem, nisi per me*, ideſt per Dominum nostrum Iesum Christum.]

Per hanc portam subeamus,declinantes portas mortis,quæ eædem sunt cum portis inferi, vt intelligitur ex doctrina Arnobij iunioris in conflictu cum Serapione lib.1. [Portas inferi( inquit ) illas dicimus. quas Principes huius mundi diuitijs & passionibus, impietatibus, & criminibus, in introitum perpetuæ mortis posuerũt;per quas ingrediuntur Idololatræ dæmonum templa,verum Deum non timentes, metuentes autem figmenta vanissima. Habent & alias portas per quas ingrediuntur ad doctrinam

nam Hæreticorum, & Schismaticorum Sectas. Habent & alias portas, per quas stupratores, adulterij, fornicatores, plagiatores, fures, blasphemi, omnisque ijs criminum ingrediuntur. His principibus in aduentu Domini nostri IESV Christi, clamatum est à Spiritu Sancto, *Tollite portas, principes vestras.*] Subdit de portis æternalibus per quas introibit Rex gloriæ cum omnibus suis. [sunt portæ iustitiæ in auribus hominum positæ, ad quas sermo fidei Catholicæ clamat, dicens, *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas, confitebor Domino.* Ipse autem sermo, postquàm introierit per aures in ciuitatem animæ, ostendit & portam vitæ æternæ, & dicit, *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Angustum sanè introitum in isto mundo habere, à Domino nostro IESV Christo ostenditur, sed per viam eius angustissimam & arctam, ad latissimum vitæ æternæ introitum, asseritur qui ambulat, peruenire.]

## CAPVT XII.

### *Christus primogenitus in multis fratribus.*

HVNC Christi titulum, & Angelos & homines respicere, mox patebit, quamuis non nego, Christum esse speciali titulo *proximum nostrum*, iuxta illud Malachiæ vltimo, de Elia, *conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum, ad Patres* Quod S. Augustinus 20. Ciuit. cap 29. Legit in hunc modum, *conuertet cor Patris ad filium & cor hominis ad proximum suum.* Idest (inquit;) [*Conuertet Elias cor hominis ad proximum suum* quid melius intelligitur quàm cor hominis ad hominem Christum? Cum enim sit in forma Dei, Deus noster, formam serui accipiens, esse dignatus est, etiam proximus noster.] Et lib. 1. de doctrina Christiana cap. 39. *ad finem.* [Ipse Deus & Dominus noster, proximum se nostrum dici voluit. Nam & seipsum significat Dominus Iesus Christus, opitulatum esse semiuiuo iacenti in via, afflicto & relicto à latronibus. Et Propheta in oratione ait. *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam.*]

### *Et Angeli & homines, filij Dei ac Christi fratres, Saluo Deiparæ vnico partu.*

798 Tamen fraternitas, fundata non in humanitate, sed in gratiæ societate, tanquam naturæ supernaturalis ab vno Patre spirituum omnium Deo acceptæ, non hominibus tantùm, sed & Angelis cum Christo intercedit. Eáque propriè ratione, Christus frater noster est, quod diligenter probat S. Cyrillus lib. 2. Pentabibli. cap. 2. refellens Nestorium, qui Christum nobis duntaxat fratrem fuisse dixerat, ratione Eiusdem humanæ naturæ, in illo & in nobis. Sic autem post multa concludit S. Cyrillus. [Non igitur hoc ipsum quod filio conformamur in sola intelligitur carnis humanitatisve natura, sed alio quoque modo: Idque nobis declarat Beatus Paulus cum dicit: Et sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Terreni videlicet imaginem illam primi parentis Adam, cœlestis autem, illam Christi intelligens. Quænam est igitur prior illa primi parentis imago? nimirum facilitas illa ad percandum, hoc ipsum quod morti corruptioni que sumus obnoxij. Quæ rursus illa cœlestis nullo modo cedere vitiis, non nosse delinquere, non esse morti & corruptioni subiectum, sanctificatio, iustitia, & his affinia atque similia. Sed hæc mea sententia possidere diuinæ conuenit immortalique naturæ. Est enim illa peccato atque corruptione superior, sanctificatio item & iustitia. Ad hæc autem nos etiam attollit ipsum Dei Patris Verbum, dum suæ diuinæ naturæ per Spiritum participes efficit. Habet ergo fratres sibi similes, & diuinæ suæ naturæ portantes imaginem, quod ad sanctificationis modum attinet. Sic namque Christus formatur in nobis, dum Spiritus sanctus nos ab humanis ad sua propria quodammodo transformat. Hac ratione nos quoque Beatus Paulus est allocutus: Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu. Nihil ergo prorsus è creatis rebus ad suæ diuinitatis naturam filius transfert, id enim est impossibile: sed imprimitur quodammodo in his qui diuinæ eius naturæ sunt facti participes, dum Spiritus sancti consortes fiunt illa spiritualis eius similitudo, & Ineffabilis illa diuinitatis species in sanctorum virorum animis fulget.] Hinc vides fraternitatem cum Christo, esse hominibus & Angelis communem. Id quod etiam rectè asserit. Claudius Espencæus degtess. 26. in 2. Timoth. ex Nysseno lib. de vita Mosis, qui Angelum custodem, vocat nostrum Aaronem, & fratrem natu maiorem. Ea igitur fraternitas, hoc loco explicanda est, expensa prærogatiua primogeniti in multis illis fratribus.

Sed ablegandus in primis est, horrificus sibilus Heluidij apud S. Hieronymum, & aliorum quorumdam Hæreticorum apud S. Athanasium, nuper edita Oratione de censu Augusti, qui vocem *primogeniti* Christo tributam, blasphemè traxerunt ad Virginis Deiparæ inregritatem violandam; affirmantes, alios post Christum ex ea editos liberos communi ratione respectu quorum Christus dicatur primogenitus. Sed exclamat S. Athanasius. [Apage absurdas nugas; immaculatum penitus permansit Virginum & gloriosum illud cimelium: non pollutum fuit secundum illud cœlum: vas illud, quod Deum altissimum continuit, à nemine fuit prophanatum. Dominus primogenitus ex Virgine appellatur; & rectè quidem ita appellatur: non quòd secundum aliquem eiusdem generis adsciuerit: sed quod primogenitus, ideò est eximius & incomparabilis extiterit. Neque enim quia Beatus Paulus de æterna Domini natiuitate ex Patre dicit; *Qui est primogenitus omnis creaturæ*; idcirco & fratrem naturalem Domino adscribit. Rursumque idem Paulus, vbi eundem Dominum *primogenitum ex mortuis* appellat, non etiam similem aliquem Domino introducit, qui inferos ita vt ipse conculcarit. Quapropter prudentes hæc audias, & pie credas: Dopter prudentes hæc audias, & pie credas: Dopter, minus primogenitus est ex mortuis, & ex Patre, & ex Virgine, vt per omnia vnica filiationis

maiestas cognoscatur.] Et post alia pleraque. [Propter eximiam igitur, & incomparabilem excellentiam, IESVS *primogenitus* dicitur. Simpliciùs diceretur à Luca quidem, Christum dici filium Virginis primogenitum, quia verè primus natus est, etiamsi alius non sit subsecuturus. Ab Apostolo autem dici Christum primogenitum in multis fratribus, quia Christus multos habet fratres gratia & adoptione, etiamsi non natura; vnde denominatio primogeniti in multis fratribus. Quo pacto de Christo primogenito philosophatur Rupertus lib. 9. in Genes. in c. 8. declarans qua ratione Ioseph è carcere ereptus, sit sortitus decus primogeniti inter filios Iacob.

### *Christus Deus homo, primogenitus filiorum Dei.*

799 Iuxta hæc, titulus primogeniti in multis fratribus, Christo Deo & homini competit, éstque insignis eius prærogatiua vt optimè philosophatur Autor serm. de As. apud Cypr. Quantum enim est, titulũ fratris Christi in quo omnis excellentiæ plenitudo & sufficientia inest, conferri à subst ãtiuo & naturali filio, filijs adoptiuis? Rursúsque inferiùs. [Et hoc gloriæ Christi vnigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis suæ non patitur esse solitariam magnitudinem. sed addit fratres: non qui minuant quasi diuisam in plures excellentiam, sed qui altitudinem diuitiarum eius, exornent; participes & consortes.] Huic de doctri næ Christi Dei & hominis primogenitura, subscripsit disertè S. Augustin. lib. contra Secundinum c. 5. Verbis illis. [Cum & vnigenitum & primogenitum diuina testentur eloquia, vnigenitum, quia sine fratribus; primogenitum, quia cum fratribus: non inuenies quo modo vtrumque de illo secundùm eandem naturam diuinitatis intelligas. Fides verò Catholica, quæ inter creatorem creaturámq; distinguit nullam patitur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem; vnigenitum eum accipiens secundùm id quod scriptum est, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* Primogenitum autem vniuersæ creaturæ, secundùm id quod Apostolus ait, *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, quos ei Pater ad fraternam societatem, non æqualitate substantiæ, sed adoptione gratiæ generauit.] Et mox [Vnico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; vt apud se vnigenitum, ad nos primogenitum faceret. Ex illo igitur quod vnigenitus est, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Ex illo autem quòd primogenitus in Ecclesia fratribus factus est, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.] Adhæsit Augustino Conc. Tol. 11. in Professione fidei verbis illis. [Hic qui ante secula vnigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est. Vnigenitus propter diuinitatis substantiam, primogenitus propter assumptam carnis naturam,] quia scilicet in ea natura, gratiæ diuinitùs indultæ, participes habuit homines & Angelos. Idem disertè habetur apud Athanas. Dialo. 3. de Trin. & Orat. 3. contra Arrian. *in fine*. latè omninò ac benè id prosequitur Nyssenus orat. 1. (veriùs 2.) in Eunom. c. 8. iuxta Græcam periochum, & orat. 3. (veriùs 4.) c. 3.

*Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.*

### *Quomodo primogenitus, si vnigenitus.*

800 Difficultatem porrò facit circa hunc Christi titulum, quod collidi videatur cum altero superiùs expenso sect. 2. cap. 1. vbi ostensum est, Christum esse vnigenitum. Atqui notio Vnigeniti (vt censuisse Marcellum, refert Eusebius lib. 1. contra eum cap. 4.) excludere videtur rationem primogeniti in multis fratribus. Nam qui vnigenitus est, fratribus caret, quos necessariò habet qui est primogenitus in multis fratribus. Versat sæpè hanc difficultatem S. Cyrillus vt lib. de Incarnatione Vnigeniti c. 26. & lib 4. Dialogorum de Trinitate *ante medium*, & plenè lib. 10. Thesauri c. 4. vbi sic concludit. [Vnigenitus igitur est, quia solus ex patre nascitur, & solus Dei filius naturaliter est: primogenitus verò, non simpliciter, sed in multis scribitur fratribus. Quando igitur natura ipse Deus, homine assumpto frater factus est noster, tunc etiam primogenitus factus est in multis fratribus; quia multos filios Dei per gratiam effecit. Primogenitus ergo vocatur, non quia tempore præcessit, nec quia eiusdem ipse, in quantum Dei Verbum, cum creaturis essentiæ est; sed quia in ipso primo deificati sumus: Ideò *vnigenitus* nulla causa addita simpliciter appellatur, quia solus vt verè filius in sinu Patris est. Primogenitus verò ita dicitur, vt & causa, & quorum est primus, statim afferatur. *Primogenitus enim*, (inquit,) *in multis fratribus*, & *primogenitus ex mortuis*. Nam cum ipse natura increatus sit, & omnium Dominus atque creator, creatura etiam factus, primus inuenitur inter omnes homines quos assumpta humana natura reformauit,]

Vides nomen *filij Dei*, esse analogum proportionis; & vni tantùm analogato competere filiationem diuinam naturalem; filiationem autem diuinam ex Adoptione, iustis reliquis adscribendam. Vnde quia & Christus, & iusti omnes, sunt filij eiusdem Patris, tamersi longè dispari & inæquali modo; propterea Christus dicitur primogenitus, ad cuius exemplum, Deus homines in filios sibi adoptare dignatus est, ait Hilarius Diaconus Roman. 8. Atque ita Christus simul est Vnigenitus, & Primogenitus inter filios Dei. Scitè ex Methodio idem exponit Nyssenus in quæst. de imagine sic philosophatus de tribus primis hominibus. [An verò etiam hæc tria primorum parentum capita totius humanæ naturæ, personæ consubstantiales ad imaginem quandam, vt Methodio visum est, sanctæ & consubstantialis Trinitatis figuratè sunt factæ? Sic vt Adamus quidem, qui sine causa & ingenitus est, figuram & imaginem gerat eius, qui causam & principium non habet, éstque omnium causa, omnipotentis scilicet Dei & Patris. Filius autem qui genitus est, geniti filij ac Dei Verbi delinearit imaginem & adumbrarit. Eua demùm, quæ in lucem procedendo sit edita, Spiritus sancti personam ex processione ortam designarit. Quamobrem neque vitę flatum in eam Deus insufflauit, quod S. Spiritus flatus vitæque figura esset ipsa, quodque per Spiritum sanctum, Deum qui omnium verè Spiritus est & vita, esset exceptura. Vnde intueri licet ac mirari, quòd Adam quidem, qui genitus non erat, alium inter homines similẽ nõ habuerit, qui ingenitus esset, aut sine principio:

vt neque Eua quæ ex processione orta erat, vtpotè qui veræ figuræ Patris, ingeniti & Spiritus sancti essent: filius autem qui genitus erat, omnes homines, qui geniti filij erant, similes fratres habuerit: vt qui ad imaginem & similitudinem typicam essent Christi geniti filij, qui factus est homo primogenitus sine semine in multis fratribus.]

### *Iusti omnes, filij Dei, fratres Christi.*

801 Iusti ergo omnes, vocantur fratres Christi. *Maximum inter fratres* intelligit Hæsichius Christum, perillustri loco in cap. 21. Leuit. Ante Incarnationem quidem fratres Verbi erant, sed respectu Patris tantùm. At post Incarnationem, respectu etiam matris. Concinnè id habet Ioannes Hierosol. lib. de institut. Monachorum cap. 35. [Quemadmodum Helias præceperat (inquit) ita ascendit tunc cœtus Discipulorum eius, per orationem ad *Achab*: qui *fraternitas paternitatis*, interpretatur. Significat enim Dei filium; inter quem & genus humanum, antequam ipse incarnaretur, erat fraternitas tantùm paternitatis: quia, à quo Patre fuit Dei filius æternaliter genitus, ab eodem Patre fuit creatum humanum genus; ita vt Dei filius, non confundatur Patrem suum, appellare patrem eorum dicens; *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Sed quia inter genus humanum & Dei filium, antequàm ipse incarnaretur non erat fraternitas maternitatis, quoniam Dei filius nondum erat ex Matre natus; ideò optans cœtus Discipulorum Heliæ, vt hæc fraternitas inter eos fieret, ascendit per orationem ad Achab (ideſt ad Dei filium.) Et sicut Helias præcepeperat; ita, suppliciter, Dei filio dicebat; *Iunge currum tuum.*]

Nunc post Incarnationem, completam cum Christo fraternitatem, sortiuntur iusti omnes. Et quamquam S. Gregorius necessitate continuandæ allegoriæ adactus lib. 4. in 1. Regum cap. 10. ad illud. *Ait Saul ad patruum suum*, eos tantùm fratribus Christi annumerat, qui magnis meritis, Christo in virum perfectum occurrunt, cœteros tametsi iustos tantùm Christi filios, non fratres nominans; tamen Scriptura passim omnes planè iustos Christi fratres & cohæredes agnoscit. Nec S. Gregorius alibi inficiatur, & meritò. [Etenim (ait S. Fulgentius lib. 3. ad Trasim. cap. 4.) in filiis Dei, qui non de Dei patris natura subsistunt, adoptiuæ communio dignitatis, diuersitatem munerum potest habere, non nominum. Et adoptantis gratia, cunctis ex Deo nascentibus, quamuis diuersæ retributionis munus pro laboris merito repromittat, vnum tamen cunctis filiorum nomen accommodat.] Et mox. [Æqualiter igitur tenebit cunctos Dei filios, vnigenitus adoptiui nominis, licet meritorum qualitatem monstratura sit differentia claritatis. Nec in eo, quod spiritales esse cœpimus natiuitatis exortu, discernimus nomine, quamuis ex profectu simus discernendi mercede. In eo namque, quod voluntariè genuit nos verbo veritatis, pariter filios nuncupauit gratia genitoris.] Ex Rabbinis eam Christi cum hominibus fraternitatem fusè illustrat Galatinus lib. 3. de Arcanis cap. 28. statuo autem huius fraternitatis fundamentum, gratiam sanctificantem, non autem humanitatis cum Christo similitudinem, vt velle videtur Autor sermonis de Natiuitate Christi apud Cyprianum, quia alioqui hæc fraternitas non esset supernaturalis qualem constat eam esse.

### *Adoptio diuina, filios Dei, fratres Christi constituens, cuiusmodi.*

802 Vt autem huius Christi primogenitura in multis fratribus, natura & ratio exquisitè perspiciatur, inquirendum est in diuinam adoptionem, ratione cuius Christus habet fratres, atque adeò dicitur *primogenitus in multis fratribus.* Adoptionis diuinæ nomen, *filiationem adiectitiam* vocat Nyssenus Orat. 2. (imo 3.) contra Eunom. & sic explicat. [In vtroque sensu, *filij* voce vti nouit diuina Scriptura; quibusdam verò adiectitia & aduentitia sit talis appellatio. Cum enim filios hominum dicit, & filios arietum, relationem quæ est secundùm essentiam geniti, cum eo qui genuit significat. Cùm verò filios potentiæ vel Dei filios dicit, propinquitatem quæ arbitrij libera voluntate & electione fit ostendit. Quinetiã contrario sensu, iidé & filij Heli, & filij Belial nominati sunt, ad vtramque notionem, filiorum appellatione congruenter conueniente. Quod enim filij Heli vocati sunt, quod secundùm naturam cognatum est, cum illo habere perhibiti sunt. Belial verò filij nominati, ob electionis siue instituti prauitatem accusati sunt, vtpotè Pattem in vitæ ratione non æmulantes, sed peccato suum consilium & vitæ institutum applicantes. In natura igitur infirma, atque in his rebus nostris, quia quod humanum est habet ad vtrumque, (ad vitium dico & virtutem,) æqualem propensionem, in nobis est, vel noctis vel diei filios fieri manente nihilominus secundùm id quod præcipuum est in propriis terminis natura. Neque enim ille qui propter vitium, iræ filius factus est ab humana generatione alienatus est, neque is qui per electionem seipsum bono familiarem adiunxit, per vrbanitatem & honestam morum conformationem, ex hominibus natus esse dici desiit, sed natura in vtrisque stante, secundùm electiones, & vitæ instituta, differentiæ nomina propinquitatis siue necessitudinis induunt; vel vt Dei filij per virtutem, vel contrarij per vitium fiant.] Sed quomodò per virtutem filij Dei adoptiui, exponendum superest.

Adoptionis ergo nomen, translatum est ab humano vsu, iuxta quem persona ex vi originis non habens ius ad hæreditatem, & extranea adoptanti, in gradu saltem in quo adoptatur, (alioqui enim non adoptaretur,) gratuitò acceptatur ad eam, per vinbratile propinquitatis nomen iis inscriptum, quos sibi quasi filios, imaginarij parentes faciunt, vt in locum eorum quæ non sunt pignorum, voluntate generante succedant. Dedi ferè Saluiani verba sub initium libri tertij ad Ecclesiam: consonátque Paulinus, cuius illa sunt non multùm ab initio Sacrosyllabi [Adoptiuus dici non potest, nisi is qui alienus est ab eo à quo dicitur adoptatus; & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodò adoptio præstatur. Varium olim modum huius adoptionis faciendæ, profert Pithæus lib. 1. subsec. cap. 1. Romani ex formula apud populum & prætorem id præstabant. Plerique posteriores, [per arma

arma filios sibi assiscebant, vt Iustinianus patrem Athalarici adoptauit filium & Theodoricus Regem Herulorum vt videre est apud Cassiodorum libro quarto & octauo, vbi etiam de Gensimundo, gentis Gothicæ per arma filio; sed his adoptiuis ad successionem aspirare non licuisse, docet narratio de Cabade; adoptionem Chosrois per Iustinum affectante, apud Procopium lib. 1. belli Persici. Erat adoptio alia per capillos aut comæ præcisionem: Qui enim comam alicui totondisset, eius fiebat adoptione parens. Exemplum luculentum habet Paulus Diaconus lib. 6. c. 53. agens de Carolo Francorum Principe, qui filium suum direxit ad Luitprandum, vt ei filium facetet capillorum præscisione. Constantinum verò Pogonatum, filiorum suorum mallones ideſt Cirros capillorum, ad Benedictum Secundum Papam direxisse, vt eos ille filios agnosceret, scribit Anastasius in Benedicto. Additque in præfatione historica ad octauam Synodum Regem Bulgarorum, capillos sibimet abscidisse; & legatis Romani Pontificis præbuisse, quo se filium Romanæ Ecclesiæ profiteretur. Tandem filiationis per baptismum illustre exemplum est apud S. Nicephorum in historia de Heraclio filium suum Crispo adoptandum, in baptismo, dante. Procopius initio historiæ arcanæ de Theodosio per Belisarium, & Antoninam adoptato meminit interuentu baptismi. Nimirum baptismus solemnis, (non enim priuatim collatus vt notat Sanches lib. 7. de Matrimonio d. 62. num. 14.) cognationem baptizati & susceptoris tanquam patris & filij ingenerat, vt bellè tradit Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum cap. 2. & 18. & ex variis Patribus Coccius Tomo 2. lib. 5. art. 12. Vicecomes lib. 1. de Baptismo à cap. 3. Durandus 1. de ritibus cap. 19. num. 16. & 17. Hunc adoptionis modum qui propè exoleuerat, renouauit Leo imperator Nouella 24. Ex iure Romano, & receptis eius formulis, quæ ad huiusmodi transitum in alienam familiam exigantur, exponit fusè Molina Tract. 2. de Iustitia d. 227. Quia ergo Deus ex mera sua misericordia diligit creaturas aliquas rationales, assumitque in filios, indendo eis similitudinem suam, & aliqualem diuinitatis suæ participationem, vnáque eis confert ius æternæ hæreditatis, quo vi suæ originis ac naturæ non potiebantur; meritò dicitur aliquos adoptare.

803 Non me latet, aliter de forma hanc filiationem homini conferente, philosophatum Lessium lib. 12. de diuinis perfectionibus cap. 11. existimantem id esse tribuendum collationi Spiritus S. quâ quia existimat separari posse ab infusione gratiæ sanctificantis, addit libro 13. eiusdem operis num. 198. hominem de potentia absoluta, posse habere gratiam, nec tamen constitui filium Dei adoptiuum. Sed ea sententia multipliciter displicet. Neque enim verum esse potest, hominem constitui filium per collationem Spiritus sancti, cum Spiritus sanctus nó sit filius; præstaret sanè cum Oecumenio ad illud 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat*, filiationem Dei adoptiuam statuere in morali Christi filij inexistentia, intra vnumquemque iustum. Sicut ob proportionalem causam, filij adoptiui diaboli, sunt quibus diabolus moraliter inexistit, viuens & operans in eis, siue per eos. Cum ergo Christus sit filius, non Spiritus sanctus, rectiùs communicatio & inexistentia Christi moralis, diceretur hominem constituere filium, quàm communicatio Spiritus sancti. Præterquàm quod collario gratiæ (quantum existimo,) habet essentialiter adiunctam Spiritus sancti collationem: vt proinde adoptio non sit separabilis à gratię collatione, etiam suppositа ea sententia. Itaque præstat cum communissima opinione, admittere creaturam intellectualem adoptari & accipere diuinam filiationem, interuentu gratiæ, tanquam formæ; quæ est aliquatenus natura diuina: ac proinde Deus eam nobis suæ diuinitatis participationem conferendo, rectè dicitur communicare nobis, (provt capaces sumus,) diuinum esse, & filios suos nos constituere, quia ea est aliqualis processio viuentis à viuente, quæ est generationis notio. Vnde in Scripturis, iusti dicuntur ex Deo nasci, præsertim apud Ioannem in fronte Euangelij, & in Epistolis, de quo infra plenè, agendo de Christo Patre. Quia tamen ea generatio non est participatio ipsius substantiæ Dei; nec reuera ab eo procedimus vt viuente, sed vt volente, iuxta Caietani distinctionem; propterea adoptiui filij dicimur. & Deus non tā generare nos dicitur, in rigore loquendo, quàm adoptare. Quod in hac re, aptiùs ac verius contingit, quàm in humanis, vbi adoptio passiua, est mera denominatio extrinseca, absque interna formæ vllius inhærentis infusione: at in diuina adoptione, inditur forma filiationem conferens; gratia nimirum sanctificans quæ hominem formaliter constituit filium adoptiuum, cúmque diuina similitudine honestat, & iure ad patris hæreditatem donat. Vnde tametsi nomen *adoptionis* priùs vsurpatum est in humanis, indéque est ad diuinam hanc in nos beneuolentiam designandam translatum, vt Durandus rectè notauit in 3. dist. 10. quæst. 2. num. 6. tamen magis propriè locum habet in diuina adoptione.

### *Sumus iam nunc adoptioni filij Dei.*

804 Ex dictis non modò exposita, sed etiam comprobata sufficienter manet nostra in Dei filios adoptio. Firmat ex Scripturis diuinam hanc adoptionem S. Augustinus l. 3. contra Faustum cap. 3. Congruentiam eius optimam attigit S. Bernardus serm. 1. in Octaua Paschæ *initio* verbis illis. [Postquam vnigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, & habitu inuentus vt homo, non immeritò iam de cœlesti generatione exiguitas humana præsumit. Neque eum indignum est Deo, eorum fieri patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Hinc est quod Beatus Ioannes (qui sæpiùs nobis ac studiosiùs hanc commendat adoptionem filiorum Dei,) in ipso quoque Euangelij principio, *Quotquot* (inquit,) *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*] Apud eundem Autor qq. ex vtroque mixtim, in 125. perpulchrè in eandem sententiam disserit; monstratque præter cætera, cur qui adoptantur in seculo, nuda appellatione sint filij, Deus autem quos adoptat, & Christo fratres constituit, verè filios aliquatenus efficiat, communicatione spiritus sui.

Neque verò actualem (vt sic dicam,) & iam nunc præsentem adoptionem filiorum Dei, in-

ficiatur D. Augustinus in Psalm. 84. ad illud, *salutare tuum da nobis*, cum sic ait. [ Hominibus hominem dedit, quia talem illum hominibus dedit, qualis posset capi ab hominibus. Deum enim Christum nullus hominum capere poterat, factus est hominibus homo, seruauit se Deum Diis. An fortè arroganter dixi? Reuera arroganter, nisi ipse dixisset: *Ego dixi Dij estis, & filij altissimi omnes.* Ad hanc ipsam adoptionem reuocamur, vt efficiamur filij Dei iam quidem sumus, sed per fidem. Sumus quidem, sed in spe, nondum sumus in re. *Spe enim salui facti sumus*, sicut dicit Apostolus. ] His inquam verbis D. Augustinus non inficiatur adoptionem nostram, & filiationem Dei adoptiuam, iam ex hac vita: sed tantùm negat perfectam illam similitudinem cum Deo, quam assequemur cum videbimus eum sicuti est, vt intelligitur ex his proximè sequentibus verbis. [ Ioannes in Epistola sua quid ait? *Dilectissimi, filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus.* Quis non exultet, si subitò nescio cui peregrinanti & ignoranti genus suum, patienti aliquam egestatem & erumnam & in labore constituto diceretur, Filius Senatoris es, patet tuus amplo patrimonio gaudet in re vera; reuoco te ad patrem tuum. Quali gaudio exultaret, si hoc non fallax promissor diceret? Venit ergo non fallax Apostolus Christi, & ait; Quid est quod vobis de spetis? Quid est quod vos affligitis, & mœrore conteritis? Quid est quod concupiscentias vestras sequendo, in egestate istarum voluptatum conteri vultis? Habetis patrem, habetis patriam, habetis patrimonium. Quis est esse pater? *Dilectissimi, Filij Dei sumus.* Quare ergo nondum videmus Patrem nostrum? Quia nondum apparuit quid erimus. Iam sumus, sed in spe; Nam quod erimus, nondum apparuit. Et qui erimus? *Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*]

Hunc vnum fuisse finem aduentus Christi, vt homines filios Dei faceret, docent sæpè Patres. Multos produxi suprà, cum de fine aduentus Christi. Nunc adducere sufficiet Diuum Augustinum, qui de sublimitate adoptiuæ huius filiationis, déque firmata per Incarnationem fide nostra, ne circa tam sublime promissum vacillaremus, splendidè omnino disserit serm. 8. ex 40. nouis, tractans illud *dedit eis potestatem filio Dei fieri*, ad quod sic exclamat. [ Erige cor genus humanum, respira in aura vitæ, & securissimæ libertatis. Quid audis? quid tibi promittitur? *Dedit eis potestatem.* Quam potestatem? An fortè vnde inflantur homines, iudicandi de capitibus humanis, ferendi sententias de innocentibus & nocentibus? *Potestatem* (inquit,) *dedit eis filios Dei fieri.* Iam enim non erant filij, & fiunt filij: quia ille per quem fiunt filij Dei, iam erat filius Dei & factus est filius hominis. Iam ergo & illi erant filij hominum, & facti sunt filij Dei. Descendit ad id quod non erat, quia aliud erat. Erige ergo spem. Magnum est quod tibi promissum est, & incredibile videtur, & quasi non posse æstimatur, filios hominum fieri filios Dei. Sed plus pro illis factum est, quia filius Dei factus est filius hominis. Erige ergo spem ô homo; pelle à corde infidelitatem, incredibilius iam pro te factum est, quàm quod tibi promissum est. Miraris si homo habeat vitam æternam. Miraris si homo perueniat ad vitam æternam. Mirare potius, quod Deus pro te perueniet ad mortem. Quid dubitas de promisso, tanto pignore accepto? Vide ergo quomodò te confirmat, quomodò promissionem Dei roborat. *Quotquot*, (inquit) *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Qua generatione? Non illa vsurata, non veteri, non transitoria, vel carnali. *Non ex carne*, (inquit,) *non ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Miraris? non credis? *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.*]

### *Etiam ante Christum, iusti in Dei filios adoptati, vt & nunc, iusti reprobi.*

805 Caueſis autem quia audisti filium Dei venisse, vt homines faceret Dei filios, & cœlo inferret, ac hæreditatis paternæ faceret participes, arbitreris vel eos qui aduentum Christi antecesserunt, caruisse plenè & perfectè hac filiatione, quod dixit Soto in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. *in 6. & 7. excellentia legis gratiæ*, vel eam reprobis iustis non obtingere, vt censuit Gabriel in 3 distinct. 10. vel Angelos eadem destitui. Nam quod attinet ad antiquos, certum est eos fuisse hac filiatione exornatos. Accipiebant enim gratiam sanctificantem eiusdem cum nostra speciei, & eatenus adoptabantur in Dei filios: quam esse omnium Catholicorum sententiam affirmat Henriquez lib. 1. summæ cap. 15. num. 8. *Littera. G.* adducens plurimos. Nec dissident reuera nonnulli Patres quos pro contrario placito profert Leo Castrius in illud Esaiæ 1. *filios enutrini*; non enim simpliciter negare volunt, antiquos iustos fuisse Dei filios adoptiuos; sed tantùm intendunt affirmare, eos non fuisse factos filios vi legis veris; quia vi eius non conferebatur sanctitas. Vel certè volunt affirmare eos adoptionis decus commaculasse sceleribus, vt est apud Isidorum Pelusiotam Epist. nona 197. Adde quod vt S. Chrysostomus Ioan. 15. vtramque hanc adoptionem conferens egregiè disserit, antiqui sub lege constituti, teipsa filij erant, sed Spiritu serui, & seruili Spiritu in timore ducebantur. Et quamuis essent Domini omnium, quippe hæredes, tamen cum essent paruuli, vt S. Paulus in hanc ipsam sententiam ratiocinatur, nihil à seruis differebant, nec dum admittebantur ad potiendum hæreditate, nondum propalata sanctorum via.

Sicut ergo nos, etiamsi simus verè filij adoptiui, tamen quamdiu hîc exules peregrinantur, dicimur expectare adoptionem filiorum, & corporis nostri redemptionem, vt est apud Apostolum Roman. 8. Ita veteres iusti, quamdiu excludebantur aditione hæreditatis, & exteriori tractatione habebantur vt serui, dicuntur interdum adoptione caruisse; de quo planè & luculenter Toletus in cap. 1. Ioan. annot. 35. Henriquez lib. 1. summæ cap. 15. num. 7. & 8. & Suarez 10. de legibus cap. 8. à num. 4. Eoque spectat quod S. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 8. obseruat, Deum non iussisse Iudæis, vt illum appellarent Patrem. Itémque spectat eo, quod Christus venisse dicitur, vt adoptionem filiorum reciperemus. Et Rom. 8. *accepistis spiritum adoptionis.* In quæ verba Chrysostomus hom. 9. [Quomodò litteræ seruitutis, erant

erant litteræ : Omnem vitæ illorum formam proferto, ac tum demum id apertè intelliges, Etenim supplicia illos e vestigio excipiant, & merces statim sequebatur mensuram suam habens quotidiani frumenti ritu famulis admensi ac traditi ; & magnus vndique timor ob oculos vigens, & circa corpora purgationes, & intra actiones continentia. Apud nos verò non ita, sed cogitatio, & conscientia expurgatur. Neque enim dicit Deus, *ne occidas tantùm* ; sed *ne irascaris*. Neque *mœcheris* ; sed *ne aspicias lasciuè*, vt nè amplius videlicet ob præsentaneæ pœnæ timorem, sed ob ipsius amorem, tum virtutis habitus, tum reliqua officia, ac rectè facta in nobis existant. Neque promittit terram melle lactéque affluentem, sed Vnigenito cohæredes efficit, à rebus nos præsentibus modis omnibus arcens, tum illa potissimum daturum se pollicitus, quæ illæ capere oportet qui filij Dei effecti fuerint ; sensibile quidem ac corporale nihil, verùm spiritualia omnia. Quamobrem illi quidem, quanquam filij vocabantur, tamen tanquam serui ; nos autem vt liberi facti, adoptionem accepimus, tum verò cœlum expectamus. Adde his, quòd cum illis verba per alios facit, nobiscum autem per seipsum. Illi pœnæ formidine adducti omnia agebant, hi autem Spiritus desiderio & amore. Et ipsum hoc argumento est, quòd iussa prætergrederentur illi, vt mercenarij & ingrati, nunquam non murmurantes, hi autem quod spiritui placeant. Atque illi quidem vel beneficiis dum afficerentur, blasphemabant ; nos autem vel inter ipsa pericula, gratias agimus : atque adeò si de deliquentium pœna ratio ineunda est, & hîc quoque discrimen ingens. Neque enim vt ille lapidati, vsti, manus pedesve à sacerdotibus truncati ; sic & nos conuertimur : sed sufficit à paterna mensa eiectos, & à conspectu, certum dicrum numerum submotos esse. Iam & apud Iudæos verbi honos erat adoptio tantùm : hîc autem & res consecuta est : nempe per baptismum purgatio, spiritus datio, aliorum bonorum suppeditatio : quibus ipsis alia plura afferri possunt, ex iis quæ nostram nobilitatem, illorum, autem, tenuitatem arguunt.]

Alias verò, antiqui dicuntur à Patribus fuisse filij, sed quatenus iam tunc Christiani : quia scilicet gratia qua filij efficiebantur, dabatur eis per Christum. Loquitur plerumque ad eum modum S. Augustinus vt 1. Retractat. c. 13. & lib. 3. contra duas Epistolas cap. 4. & lib. 1. de peccato. meritis c. 11. & 31. & serm. 109. de diuersis. Origenes optimè hom. 26. in Iosue *in fine*, Iustinus Apol. 1. agens de Socrate. Eusebius lib. 1. histor. cap. 1. Plenè Agobardus ad quæstionem vltimam Fredegisi Rupertus scitè omninò, vocat Cathecumenos lib. 5. in Genes. c. 33. nempe quia nondum erant epoptæ, nec ad Sacra intima & Dei conspectum admittebantur. Quæ omnia non obstant, quominus substantialiter ( vt sic dicam ) & quasi essentialiter non spectando, agnoscantus veteres iustos, fuisse reipsa Dei filios adoptiuos.

De iustis reprobis, immeritò refragatus est Gabriel. Nam quamuis non sint ad gloriam peruenturi, tamen quantum est ex Deo, sunt ad illam ordinati ; habentque verum ius ad eius adoptionem, quamdiu gratiam possident. Eóque iure, quantum ex Deo est, numquam exciderent : iuxta illud S. Paulini epist. 4. [ Quid miramur eum famulis suis indulsisse sua nomina, quibus & patrem suum participat & regnum. Dedit enim potestatem recipientibus se, filios Dei fieri, & quantum in ipso est, omnibus dixit hominibus ; *Dij estis & filij excelsi omnes*. Nos verò nostrarum crimine voluntatum, sicut homines morimur, & sicut vnus de principibus cadimus. Vnus enim principum Angelorum fuit, antequam deiiciendo caderet Zabulus. ] Itaque quamdiu reprobi gratia sanctificante potiuntur, sunt filij adoptiui.

### *Angeli, filij Dei, adoptiui.*

806 Quod item ad Angelos attinet, quamuis eatenus Hebræorum 1. negetur esse dictum alicui eorum, *filius meus es tu*, quia non sunt filij naturales ; tamen indubitatum est, eos esse filios adoptiuos. Vnde Sapientiæ l. 5. iusti in die extremo, *computandi* dicuntur *inter filios Dei:* hoc est Angelos. Et Iob 1. & 2. vocantur *filij Dei*. Audi Philippum Abbatem lib. 2. in Cant. cap. 21. [ Non vult Christo Angelus, seruus Domino coæquari, non ligno fructuoso siluarum infœcunditas comparari : sed sicut malum constat inter ligna siluestria præpollere, sic nouit Christum Angelus inter filios præeminere. Denique & Angeli nonnunquam in Scripturis *filij* nominantur, qui semper Dei Patris videre faciem prædicantur : & iuxta Iob, filij Dei vt assisterent Domino leguntur aduenisse, inter quos & nequam ille Angelus Sathan legitur affuisse. Moyses quoque, *Constituit*, (ait,) *terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israël* ; Filios Israël, Angelos appellans. Quod alia translatio euidentiùs insinuat, dicens; *Statuit terminos gentium, iuxta numerum Angelorum Dei*. Tot quippe à nonnullis Deus creditur saluandos ex Gentibus elegisse, quot inueniuntur Angeli aliis cadentibus remansisse : vt ad videndum eum tot ex hominibus ei filij præparentur, quot inter Angelos, iam videntes æque filij continentur. Inter hos autem filios, Delectus Sponsæ præeminet quasi malus, quia sicut puro in homine, sic etiam in Angelo non est salus.]

Dicuntur ergo Angeli, quandoque in sactis Scripturis, Dei, Filij, nempe adoptiui. Quod mirum latuisse Chrysostomum hom. 22. in Genes. negantem vspiam in Scriptura Angelos nomine *filiorum Dei* insigniri. Quamquam non malè Sixtus Senensis lib. 5. Bibl. c. 72. purgat Chrysostomum, ex eo quod loco citato ex Iobo ; iuxta Septuaginta, quorum interpretatione Chrysostomus vtebatur, non legatur *filij Dei*, sed *Angeli Dei*. Ea tamen lectio quam retuli in vulgata editione habetur. Itaque saluum nobis manet argumentum quod ex eo Iobi loco iuxta authenticam editionem conferimus. Quid quod Ephes. 3. Æternus Pater, dicitur is *ex quo omnis paternitas, in cœlo & in terra nominatur*. At ibi nomen *paternitatis*, idem sonat quod cognationem siue familiam. Vox enim Græca, quam ibi interpres vertit *paternitatem*, alibi vertitur per *cognationem*. Eademque vox Hebræa illa respondens *mispahat*, vt notat S. Hieron. Ephes. 3. ad vers. citatum, alibi vertitur per *cognationem*, aut *familiam*, siue *parentelam*. Psalm. 95. vulgatus idem expressit nomine *patriæ*, & S. Hieron. Num. 2. nomine *paternitatis*. Itaque sunt etiam

in cœlo, æquè ac in terra, cognationes & familiæ Angelorum, Deum agnoscentes Patrem: ac proinde Angeli rectè dicuntur adoptiui filij Dei, quod pluribus confirmat Gisbertus Sκeuichauius 4. de Trinitate cap. 3. videtur autem, fraternitatem hanc nostram cum Angelis, expressisse Nyssenus hom. 8. in Cant. accommodans Angelis illud, *cordificasti nos, soror nostra sponsa*; sic verò illud exponens; [Character impatibilitatis ei similiter illucescens atque Angelis, eam ducit ad cognationem & fraternitatem rerum incorporearum; vt qui in carne se ita gesserit, vt nullis afficeretur animi perturbationibus. Propterea dicunt ei; *cor indidisti nobis, soror nostra sponsa.* Propriè vtroque nomine glorians. *Sororis* quidem *nostræ*, propter impatibilitatis cognationem: *sponsæ* autem, propter cum Verbo coniunctionem.] At quis est character ille impatibilitatis, nisi sanctitas & gratia sanctificans, nobis communis cum sanctis Angelis? Sunt ergo Angeli per eam formam diuinæ nobiscum consortes naturæ; atque adeo filij Dei, & fratres nostri.

### *Tacta obiter dignitas nostra, & piè viuendi necessitas, ex Dei filiatione, ex Christi fraternitate.*

807 Sic constituta nostra adoptione, & diuina filiatione, viuat ad tantam Dei in nos dignationem & Christi nos in fratres admittentis charitatem, stupore dissigi. Quantum enim est luto, euehi ad dignitatem diuinæ filiationis, & Christi fraternitatem, quod nostrum vnicuique beneuolentissima Dei charitas & Christi in nos incensus amor concessit? Intelligere id possumus, ex ea dilecti discipuli exclamatione Epistolæ 1. cap. 3. *videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.* summam hanc esse hominis excellentiam, quam qui introspexerit omnia humana nihili sit facturus, affirmat S. Cyprianus in calce operis de spectac. Et gemina sunt illa Pelagij Epistola ad Demetriadem. Quid enim vetat, ex tribulis ficus legere? [Magis illa nobilitate glorieris, quæ filios Dei & cohæredes Christi facit: ad quam si semper inspicias, dum credis gaudium te habere quod maius est, desinis de eo quod minus est, gloriari.]

Instructos copioso Spiritus sancti lumine Apostolos, audientes à Christo mox recessuro, *ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum* subtilissimè perspexisse huius adoptionis dignitatem, & à naturali filiatione distinctionem, affirmat his verbis Autor sermonis de Ascensione apud Cypryanum *sub initium.* [Hilarescebant animi eorum paternitatis diuinæ illustrati honore, & fraternitatis Christi honorati consortio, cum audirent & crederent se filios Dei & fratres Christi, in quo omnis excellentiæ plenitudo & sufficientia inerat. Nec iam quasi idiotæ & hebetes huic verbo applaudebant carnaliter: sed subtilissimè, generationem & dignitatem creaturæ, à voluntate & nutu creatoris habuisse initium, & imaginem & similitudinem Dei in interiori homine, videbant. Et dignoscebant intellectu potiùs quàm visu, quam affinitatem habeant inter se pater & filius, & quia substantiuo & naturali filio, filij adoptiui conformes, à prima origine multa habeant ex natura, & multa ex gratiæ. Sanè huius generositatis consortium, secundùm quam simul cum Christo filij Dei sumus, nobilitatem existentiæ nostræ exponit & intimat: in quo honore si manserimus non degeneres, constat omninò non posse patrem diffidere à filiis, sed Dei formibus tutum esse ad paternitatem accessum: nec posse pati ad hæreditatem possidendam dispositos in petitionibus diuinis repulsam: sed in quibuscumque filius filialiter genitorem appellauerit, necesse est bonitatem largitoris, suffi supplicantis prosequi voluntatem: maximè cùm ipse Pater qui largitur, ista suggerat peti, quæ nô differt benignè largiri. Et quidem paterna charitas bonis filiis & hæredibus maximè delectatur: & hoc gloriæ Christi vnigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis suæ non patitur esse solitariam magnitudinem, sed addit fratres, non qui minuant quasi diuisam in plures excellentiam, sed qui altitudinem diuitiarum eius, exornent participes & consortes.] Excursuris etam plenissimè in hoc decus, & quanta in illo piorum affectuum sementis fiat, cùm erga Deum, tum erga proximos & nosipsos, non indiligenter monstraturus. Sed quod id argumentum plenè prosequar in Tractatione de Cereo Agno consecrato, cuius ritus institutio eò pertinet, non insisto hìc diutius ei negotio.

### *Concluditur, Christum esse primogenitum; & cur in multis fratribus.*

808 Declarata sufficienter videtur, nostra & Angelorum cum Christo fraternitas, & ad Deum analogicè communis filiatio. Inde perspicue habetur, Christum esse in multis fratribus primogenitum, quippè aliis fratribus, qui non nisi adoptiui filij sunt, tanto meliorem effectum, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Itaque quæmuis illorum fratrum bona pars, omnes nimirum sancti Angeli, & omnes anteriores Christo electi homines, sint Christo priores ordine generationis, siue temporis, quo à communi Patre Deo, quique suo modo prodierunt, tamen Christus tanquam longè dignior & sublimior filius, per quem ad alios fraternitatis titulus dimanauit, (vt ex S. Cyrillo audisti, & fasè sumus prosecuti tractando titulum capitis Ecclesiæ, & electorum,) meritissimò nominatur *primogenitus.*

Eodem sanè modò, Christus dictus est *primitiæ humanitatis*, quod egregiè exposuit S. Chrysostomus serm. 35. tomi 5. Græcol. Cum enim dixisset Christum oblatione suæ carnis tanquam primitiarum, sanctificasse naturam nostram vniuersam; obiicit sibi Christum non videri primitias humani generis, sed Adami. Dissoluit autem eum nodum in hunc modum. [Non sunt primitiæ censendæ charissime, si primum fructum obtulerimus exilem & euanescentem, sed si probum atque perfectum offeramus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideò non est oblatus, etiam si primus esset: at hic à peccato liber erat, ideoque oblatus est, licet posteriùs extiterit: Hæ enim sunt primitiæ. Et vt discas, non primùm germinantem fructum, *primitias* dici, sed bonum atque probatum, generosum, & qui ad vigorem opportunum,

opportunum, perfectionémque perueniat, ex Scripturis sibi depromant testimonium. *Si ingressus fueris, in terram promissionis, quam Dominus Deus tuus dat tibi.* (Moyses ad populum ait) *& plantaueris in ea omne lignum promiserunt, faciens fructum ad vescendum, tribus annis non mundabis fructum eius. Quarto autem anno fructus eius, sanctus erit. Domino.* Atqui si essent primitiæ, primus qui producitur fructus; eum qui primo anno nascebatur, offerri Domino oportebat. Nunc verò ait; *Tribus annis non mundabis fructum eius: sed relinques illum*, propterea quod euanida adhuc & imbecilla est arbor, & fructus præcones & immaturi. *Quarto autem anno,* (inquit,) *fructus eius sanctus erit Domino.* Et in hoc cerne sapientiam Legislatoris, qui illo vesci non permisit, ne ante Deum quisquam fructus sumeret; neque offerri illum mandauit, ne crudus & immaturus offeratur Domino. Sed, *dimitte* (inquit,) *quia primus est*: ne offeras autem, quoniam indignus est honore acceptantis. Vides ergo non primum fructum quia producitur, sed bonum atque probatum, *primitias* dici.] Itaque perspicuum inde est, cur Christus etiamsi multis hominibus tempore posterior, dici potuerit *humani generis primitiæ* & quod idem est, *primogenitus fratrum multorum.*

Dicitur porrò Christus primogenitus in multis fratribus, non quasi vlli sint fratres, respectu quorum Christus non sit primogenitus; ita scilicet vt possideat tantùm eam prærogatiuam respectu plurimorum, non tamen omnium: sed quia verè multi sunt, qui eo decore per Christum potiuntur. Quàm multi enim, sancti Angeli? quàm multi sancti homines, electi ex omnibus tribubus, & populis, & linguis? Præter electos verò, quàm multi reprobi, qui dum sunt in statu gratiæ, sunt fratres Christi? *Multi* item iuxta Scripturæ phrasim, non rarò dicuntur *omnes*: vt liquet ex cap. 5. ad Rom. vbi Apostolus omnes homines in Adamo mortuos docens, ait, *vnius delicto multi mortui sunt.* Et tamen mox, illos *multos*, vocat *omnes homines.* Ait enim; *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam, iusti constituentur multi.* En apertè *multos* pro *omnibus.* Proindéque Christus est in multis fratribus primogenitus, idest inter omnes quibus decus diuinæ adoptionis, & translatitiæ illius filiationis atque adeò fraternitatis Christi obtigit: cuiusmodi sunt omnes fideles, aut qui nunc beati, aliàs fuere fideles: quod omnes & Christi fratres, & inter se inuicem ob nexum illum cum vno tertio fratre, dicere licet. *Fratres Amen,* (vt superius diximus,) appellat Apostolus. Neque verò appellatio *fratris*, restringenda est ad Monachos, vt monuit sanctus Chrysostomus 80. in Matth. ad illud, *quod vni ex minimis.* Rursusque hom. 25. in ad Hebræ. vbi tractans illud ex 1. Corinth. 5. *si quis frater nominatur inter vos*, ita scribit. [Fratrem hîc dicens, absolutè quemuis fidelem, non eum qui est monachus. Nam quid est quod facit fraternitatem? Lauacrum generationis; posse Deum patrem vocare. Quamobrem Catechumenus quidem etiamsi sit monachus, non est frater. Fidelis autem, etiamsi mundanus sit, seu secularis, est frater. *Si quis,* (inquit,) *frater nominatur.* Nam nec vllum quidem tunc erat monachi vestigium: sed mundanis seu secularibus hæc omnia docebat hic Beatus.] Hæc Christianorum inter se fraternitas, vt alij tituli deessent, in fraternitate vniuscuiusque eorum cum Christo, hactenus exposita & stabilita radicatur.

### *Expositus S. Paulinus.*

809 Non inficiatur hanc Christi nobiscum fraternitatem S. Paulinus Epist. 4. vbi aptans ad Christum parabolam vulnerati quem præterierat, vt ait, frater in Leuita, Pater in Sacerdote, sed non præteriuit ille Samarites qui propter nos, huius etiam nominis suscepit iniuriam; subdit post multa de hoc Samaritano seu de Christo. [Non ergo erat iste frater, qui & conditione Dominus à seruis, & natura Deus à mortalibus discrepabat: sed tamen & homo erat ille, de quo scriptum est; *& homo est, & quis cognoscet eum?* Neque ideò frater noster, quanquam & hoc diuina pietas pro humilitate cordis sui famulis nomen indulserit, dicens; *narrabo nomen tuum fratribus meis*: tamen nostra arrogantia non audendus dici frater; nec quia homo fieri dignatus est, quia & in ipso hominis ortu nihil habet commune nobiscum, qui citra nostræ generationis vsum, caro factus de Spiritu sancto, intemerata sacræ matris Virginitate & conceptus & natus est, & ideò sine vllo corporis nostri contagio, corpus nostrum effectus, non dedit Deo placationem suam, quia ipse propitiatio erat: nec pretio redemptionis animæ suæ, sed nostræ, quia non egebat salute Saluator. Nos enim venditi sub peccato, egebamus pretio redemptionis: & ideò propter nos homo, propter nos forma serui, propter nos filius ancillæ, qui benedictus & sanctificator sanctorum, pro nobis tamen & peccatum, & maledictum factus est, quod non erat, vt nos qui ex præuaricatione peccatum, & ex damnatione maledictum eramus, ab vtroque absolueret, vtrumque in sua carne affigens cruci. Ideo dictum puto: *frater non redimit, nec redimet homo:* quia quos frater non redimerat, hoc est, Propheta seu Legislator, qui homo tantùm erat; hos homo redemit, qui & Deus erat.] Vides, vt aiebam, hunc S. Paulini locum non spectare ad abrogandam fraternitatem Christi nobiscum; sed ad expressionem humilitatis sancti viri, qui pro sua demissione, non sustinebat audire Christi frater: quamuis id verè dici, satis insinuet, eum refert ita loquentem in Scriptura Spiritum sanctum.

### *Christum esse fratrum Primogenitum, idem quod esse primogenitum omnis creaturæ.*

Hoc ipsum porrò quod Christus, *Primogenitus in multis fratribus* dicitur, recidere in illum alium titulum, quo *Primogenitus omnis creaturæ* denominatur, egregiè in hunc modum ostendit Nyssenus Orat. 3. (veriùs quarta) contra Eunomium. Sic enim habet, postquàm præmisit, quorsum Christus absolutè *Primogenitus*, & alibi *Primogenitus, ex mortuis*, est nominatus. [In fratribus rursus primogenitus factus, qui

nouo generationis partu prior genitus est in aqua cuius partum columbæ volatus obstetricatus est. Per quem eos qui cum ipso similis generationis participes sunt, sibi fratres asciscit, & primogenitus efficitur eorum qui post ipsum ex aqua & Spiritu regenerantur. Et vt summatim dicam, cum sint tres in nobis generationes, quibus viuificatur humana natura, vna è corpore, altera secundùm generationis mysterium, tertia per speratam ex mortuis denuo resurrectionem. In his tribus primogenitus dicitur. Duplex quidem cùm sit regeneratio, quæ per vtrumque efficitur, & per baptisma & per resurrectionem; ipse factus dux & princeps secundùm vtramque. In carne autem primogenitus fit, primus & solus ignotum natura partum in seipso per Virginem nouum molitus, cuius nullus in tot hominum generationibus auctor exiſtit. Si hæc secundùm rationem intellecta fuerint, neque creaturæ significatum, cuius primogenitus est, ignorabitur. Duplicem enim nostræ naturæ creationem cognouimus; primam, secundùm quam formati sumus: & secundam per quam reformati fuimus: sed non opus esset secunda creatione, nisi primam per præuaricationem inutilem reddidissemus. Illa igitur inueterata & obsoleta & euanida, nouam, nouam in Christo fieri creaturam erat necesse, sicut ait Apostolus, nihil amplius vetustorum in secundam creaturam censet intueri: Exuentes, (inquiens,) *veterem hominem cum actibus & cupiditatibus eius: induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est.* Et *si qua in Christo*, (inquit,) *noua creatura; vetera præterierunt; Ecce noua facta sum.* Vnus enim & idem humanæ naturæ factor, qui fecit & quod ab initio, & quod postea factum est: tunc ex puluere accepto hominem finxit: rursus puluere ex Virgine sumpto, non simpliciter hominem formauit, sed sibi ipsi affinxit. Tunc creauit, postea creatus est: tunc Verbum carnem fecit, postea verò Verbum caro factum est, vt carnem nostram ad Spiritum conuerteret, quia sit nobiscum particeps factus carnis & sanguinis. Huius igitur nouæ in Christo creaturæ, cuius ipse dux fuit, primogenitus est vocatus, omnium factus primitiæ, & eorum qui ad vitam generantur, & eorum qui per resurrectionem ex mortuis viuificantur, vt mortuis & viuis dominetur, atque vt totam per primitias in seipso sanctificet cõspersionẽ.] Hactenus Nyss. quẽ video in verbis propositis, duriusculum quid immiscuisse de Christi per aquam regeneratione, ei respondente qua nos in Baptismo renascimur. Locum mollio ea Tractatione cui titulus est, *Christianus Patris Christi, & matris Ecclesiæ per Baptismum Filius, Cerei Agni à Christi Vicario consecrati, Symbolica imagine expressus.* Ibi cap. 5. Geminum Nysseni locum ex libro de Perfectione ad Olympium, versans; istum quoque simul enodo.

### *Vsus doctrinæ, de Christis fratris nostri expressione; Dei inde amore, & nostra in eum gratitudine.*

810 Claudet hanc de Christo Primogenito in multis fratribus disputationem vsus doctrinæ, cuius initium faciet insigne Nysseni monitum lib. de perfecta Christiani forma, his verbis. [Rubem eorum; qui post se geniti sunt fratres primogenitus fuit; cognationem autem, qua cum ipso coniuncti erat, signum quoque in eis perspicuum primogenito simile testabatur, vt fraterna sanguinis coniunctio, formæ similitudine declarata, ignorari non posset. Quapropter si nos item eodem modo per regenerationem aquæ & spiritus Domini fratres geniti sumus, qui propter nos factus est primogenitus in multis fratribus, æquum est. Vt vitæ signis nostram cum ipso necessitudinem ostendamus: vitæ enim nostræ, formam impressit primogenitus creaturæ. Quæ autem sit eius formæ nota, ex Scriptura sæpe commemoranimus. *Qui peccatum* (inquit,) *non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Proinde vtrum illius qui generatione præcessit, appellari fratres debeamus, innocentia vitæ testimonium dabit, si nulla macula à puritatis coniunctione nos separauerit. Præterea iustitia est primogenitus, & sanctificatio, & charitatis, & redemptio, & alia eiusmodi, quibus si vita item nostra fuerit insignita, adeò præclara præbebimus nostræ nobilitatis indicia, vt qui illa conspexerint in nostra vita, ipsi quoque nos Christi fratres esse, sunt testes futuri.] Et sub finem orationis primæ de Resurrect. tractans mulierum nuncium ad Apostolos, dictos fratres Christi; [O nuncium præclarum & bonum! Qui pro nobis factus est homo, is cum sit vnigenitus quos nos fratres efficiat suos, se hominem ad verum Patrem adducit, vt per se ipsum cognatos secum trahat, ne possit illis amplius obiici, quòd eas, qui natura Dij non sunt adorauerint. Etenim cum ad viuentem & verum Deum adorandum reuocati sint ab hæreditate paterna, tanquam reiecti reprobatique, non possunt excludi, quoniam filium verum ipsi per adoptionem filij secuti sunt. Qui multis in fratribus, primogenitum creaturæ se per carnem efficiens, omnem naturam humanam, cuius particeps esse voluit, assumptæ carnis necessitudine sibi coniunxit.]

Nec minùs sapida illa Galfridi glossantis verba illi Christi rediuiui, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*, quorum eum esse sensum arbitratur, ac si dixisset. [Vel nunc cognoscant eum qui licet repudiatus & relictus tempore passionis, non diffiteatur aut abiicit eos in die gloriæ & honoris neque vlla iam claudicat ex parte fraternitas. Qui enim pro eis ex homine matre sum genitus, etiam eos in adoptione Dei Patris admisi. Pater meus, pater eorum; Deus meus, Deus eorum est. Et quamuis ad distinctionem referatur quod dicitur, *Patrem meum, & Patrem vestrum*, (aliter enim & aliter est pater eius & noster;) in iisdem tamen verbis intelligi potest forsitan non ea sola discretio, sed certius exprimens, & altiùs cordi imprimens inculcatio. Alioqui si *Patrem meum* dixisset, minùs adhuc propter se dictum, pusillanimitas humana præsumeret. Nunc autem quibus nobis gratulandum vocibus, quibus est gaudiis exultandum quod carnem nostram sibi induit, qui suum nobis spiritum collaturus aduenit, & filius fieri Virginis dignatus est, qui nos Filios Dei Patris efficeret? Felix cognatio, mira communio, mira vtrinque dignatio, & seip'um ad nos inclinanti, & eleuantis nos ad seipsum. Secundùm car-

nem

nem factus est frater noster, vt nos secundùm Spiritum faceret fratres suos.]

Suspiciebat & meritò ex hoc capite Christi benignitatem S.Chrysostomus hom.in illud. 1. Cor. *nolo vos ignorare fratres*, indéque nostram erga proximum benignitatem sollicitabat,quod Christus homines tanto se inferiores dignatus sit ad aliquam secum æqualitatem fraterno nomine expressam prouehere: Et suspicit ille quidem maximique facit quod Paulus vir tantus non esset dedignatus Corinthios nominare fratres. Sed quid Paulus ad Christum. [Quid mirum (inquit Chrysostomus,) si Paulus conseruos,sic vocauit cum & Dominus ipse sic vocarit, nostram naturam dicens, *annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio. Ecclesiæ laudabo te.* Non solùm autem vocauit nos fratres, sed & ipse fieri frater voluit,& factus est humana carne induta, naturæ particeps; quæ vtique & ipse Paulus admirans dicebat. *Non Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehendit, vnde per omnia debuit fratribus assimilari.* Et iterum. *Quia pueros participes fecit carnis & sanguinis,& ipse similiter horum fuit particeps.* Hæc omnia cum audimus, omnem arrogantiam & fastum & stultitiam ex anima nostra expellamus, studióque multo id rectè faciamus, familiaribus nominibus,& honorem habentibus,fratres vocantes.]

Amor Dei, quàm hinc succendi in nobis debeat, benè Gislebertus cap. 20. Altercat. [*Quotquot* (inquit) *receperunt eum, dedit et potestatem Filios Dei fieri.* Quomodo?Fonte baptismatis & Spiritu sancto; Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, qui non acceperunt Spiritum seruituris in timore, sed adoptionis Spiritum in quo clamamus Abba Pater: qui per fidei Sacramentum, & donum gratiæ, iam filij Dei sumus, & nondum apparuit quid eimus. Quid ergo tantæ gratiæ rependimus, nisi vt pro hæreditate æterna, Clementissimo Patri in dilectione seruiamus vt filij, non sub lege,vt serui. O super omnia Prophetarum oracula pactio vitæ aduertenda, idest filios Dei fieri; assectas Christi? Natura quidem humana Patres & Filios rationabili lege trahit &impellit ad vnitatem, quanto magis hos filios gratia singularis prouocat ad tanti Patris amorem,cuius sola dilectio,sanctæ generationis est occasio;]

## *Infertur Deiparam esse omnium nostrum matrem.*

811 Ex hac doctrina de Christo fratre nostro,Autor sermonis noui de Purificat. Deiparæ Ambrosio adscripti, (extat in fine Tomi 5. J piè admodùm colligit, Beatam Virginem, esse matrem filiorum Dei adoptiuorum Sic enim de Deipara loquitur. [Omnes filios deputat, quos diuina gratia Christo sociat. Quomodò non ipsa mater electorum, quæ fratrem genuit eorum?si inquam Christus credentium frater, cur non ipsa quæ Christum genuit, sit credentium mater?] Agnoscunt hoc ipsum alij Patres, quorum nónullos produco. Origenes præfatione in Ioan. [Si nullus est Mariæ filius, iudicio eorum, qui de ipsa sanè senserunt præterquàm Iesus: dixítque Iesus Matri; *Mulier ecce filius*,& non,*ecce etiam hic, est filius tuus*:perinde est ac se dixisset, *ecce hic est Iesus quem genuisti*. Etenim quisquis perfectus est, non amplius viuit ipse,sed in ipso viuit Christus. Cum in ipso viuat Christus, dicitur de eo Mariæ; *Ecce filius tuus Christus.*]

S. Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 6.[Illa vna fœmina Beata Maria, non solùm Spiritu, verùm etiam corpore, & mater est & virgo:Et mater quidem Spiritu,non capitis nostri, quod est ipse Saluator, ex quo illa magis spiritaliter nata est, quia omnes qui in eum crediderint,in quibus & ipsa est, rectè filij sponte appellantur:sed planè mater membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, vt fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt:corpore verò, mater ipsius capitis.]

Tradit idipsum Rupertus lib. 13. in Ioan. ad illa verba capitis 19. *Mulier ecce filius tuus.* Ex quorum verborum occasione, ac vt filiationem istam exprimeret, pius Theologus Robertus De Abruscellis, vt est apud Baronium anno 1117. Monasterium Fontis Ebraldi fundauit in quo spirituales religiosorum matres, sunt fœminæ. Subsunt enim Abbatissæ religiosi,fœminæ viri. Monasterium est hodiéque celeberrimum, & tanta iam olim fœcunditate nobile, vt scribat ad Eugenium Papam Suggerius Abbas,in eo Monasterio, annis ab eius ortu minus quam 50. visas abs se Virgines ad quinque millia:Refert Epistolam Sirmondus ad lib.4. Gosfridi Vindoc. Epist. 32. Hæc obiter, occasione maternitatis Deiparæ in nos omnes, tanquam eius spirituales filios, ex Ruperto positæ, verbis illis quæ huic Monasterio initium dederunt.

Idem habet(& fusè quidem,)Guerricus serm. 1.de Assumptione vbi de Eua, Nouerca nostra, & Maria vera viuentium matre, sic Philosophatur. [Vt ea virgo mater, quæ se Patris vnicum genuisse gloriatur, eundem vnicum suum in omnibus membris eius amplectitur, omniúmque in quibus Christum suum formatum agnoscit,vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eua vetus illa, non tam mater,quàm Nouerca, quæ filiis ante propinauit præiudicium mortis, quàm initium lucis,dicta est quidem mater cunctorum viuentium, sed inuenta est verius interfectrix viuentium; seu genitrix morientium, cum suum generare nihil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum,ista impleuit mysterium, quæ & ipsa sunt Ecclesia cuius forma est, mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, qua viuunt vniuersi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodò regenerauit. Vnus generabatur, sed non omnes regenerabamur: quia videlicet secundùm rationem seminis, quo regeneratio fit,iam tunc in illo omnes eramus.]

812 Sed plenè & egregiè idem tradit Richardus à sancto Laurentio lib. 6. de laudibus Deiparæ. Adscribo nonnulla. [Maria etiamsi carnaliter genuit vnicum filium, in eo tamen spiritualiter mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus Romanorum 8. Vnde significanter dictum est Luc. 2. *Peperit filium suum primogenitum.* Ipsa est enim Anna, quæ priùs sterilis quoad propo-

ſtum virginitatis, peperit hoc modo plurimos. Ideò dicitur Eccl.36. *Iſrael*, ideſt, fidelis populus Deum contemplans, *quem coaquaſti*, ideſt, per fidem vniſti, vel cohæredem feciſti *primogenito tuo*, ideſt, Chriſto qui eſt *primogenitus mortuorum*, ideſt, Reſurrectio, & *Princeps Regum terræ*. Apoc. 1. Sicut enim *Eua* dicta eſt mater omnium viuentium vita naturæ, Gen. 3. Sic Maria mater omnium viuentium, vitæ gratiæ. *Eua* enim interpretatur *vita* aut *mater viuentium*. Ipſa etiam propter hoc figurata eſt per Saram; quæ licet non niſi vnicum filium carnaliter peperit Abrahæ, cui dixit Dominus Geneſis 21. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*; tamen mater dicta eſt totius populi Iſraelitici. Vnde Iſaiæ 55. dicitur Iudæis, *Attendite ad Abraham patrem veſtrum & ad Saram quæ peperit vos.*] Alia latè pro eo Deiparæ titulo *mater viuentium omnium*, addenſat Benzon. in Pſal. 86. cap. 27.

Ex his omnibus colligere obiter licet, filialem fiducian & affectum, quo quilibet pius flagare debet ga Deiparam omnium in Chriſto viuentium matrem, & primogeniti fratrum parentem. Confirmo veritatem propoſitam, & fructum hunc ex ea eruo verbis S. Anſelmi lib. de quatuor virtutibus Beatæ Mariæ cap. 8. *in fine libri.* [Aſcendat ergo fidelis anima in mentis ſpeculam, & quantum poteſt videat in quàm ſublimi locata ſit Domina Maria. Omnis natura à Deo eſt facta, & Deus eſt factus ex Maria. Deus omnium factor, ſe ex Maria fieri voluit & ſic cuncta refecit. Qui potuit omnia ex nihilo facere, noluit ea violata ſine Maria reficere. Deus eſt igitur pater rerum creatarum, & Maria eſt mater rerum recreatarum. Deus illum genuit, per quem ſunt omnia facta, & Maria illum genuit per quem ſunt omnia refecta & ſaluata. Per has ergo ratiocinationes, impoſſibile eſt vt aliquis homo ad eam conuerſus, & ab ea reſpectus damnetur. Nam quia ipſa genuit eum per quem mortua reuiuiſcunt, per quem homines ex peccato ſaluantur, quia non eſt iuſtificatio niſi quam ipſa in vtero fouit, non eſt ſalus niſi quam ipſa peperit. Ipſa eſt ergo mater iuſtificantis, & iuſtificatorum; ipſa eſt mater ſaluantis, & ſaluatorum. Igitur mater Dei qui ſolus damnat, qui ſolus ſaluat, quem ſolum timemus, in quo ſolo ſperamus, eſt mater noſtra. Iudex & Saluator noſter, eſt frater noſter. Quomodò ergo deſperemus, cum ſalus ſiue damnatio noſtra ex boni fratris, & piæ matris, pendeat arbitrio? Nunquid ſuſtinebit bonus fratres, puniri frater, ſuos quos redemit; bona mater damnari filios ſuos, quorum ipſa redemptorem genuit. Dulcis mater rogabit dulcem filium ſuum, pium fratrem noſtrum; filium pro filiis, vnigenitum pro adoptatis. Pius filius libenter audiet matrem pro filiis; vnigenitus pro iis quos adoptauit; Dominus pro iis quos adoptauit.]



SECTIO

# SECTIO QVINTA.

## De Christi titulis in ordine ad homines.

813 DEVENTVM est ad eam attributorum Christi partem, quæ nos peculiariter attingit. Ideóque peculiari studio & affectu, ac sensu iugis gratiarum actionis, ineunda est. Adducendæ perrò hîc erunt habenæ, ne in immensum excrescat tractatio; quia Christus omnia nobis factus, infiniram propè titulorum varietatem, beneficentiæ & charitati in nos suæ commensam, inde nanciscitur. Omnia Christus est nobis, ait S. Ambrosius lib. 3. de Virg. adductus sect. 1. cap. 2. *sub finem* vnà cum Cyrillo Hierosol. imitato Cathec. 10. quibus nunc adde egregium locum ex S. Chrysostomo hom. 24. in ad Rom. ad illud, *induimini Dominum Iesum Christum*. Præfatus namque Christum esse nobis vestimentum, & domum, & omnia siue interna siue externa, subdit. [Est enim plenitudo omnia in omnibus adimplentis, est via, est vir, est sponsus. *Despondi* enim, (inquit,) *vos vni viro, Virginem castam*; est radix, potus, cibus & vita. *Viuo enim*, (inquit,) *iam non ego: sed viuit in me Christus*. Est Apostolus, summus Sacerdos, præceptor, pater, frater, & cohæres, & sepultura nobiscum & cruce communicans. *Consepulti siquidem*, (inquit,) *illi sumus, & insitij facti simul cum illo per similitudinem mortis eius*. Est etiam supplex nobis factus: *Pro Christo enim legatione* (inquit,) *fungimur tanquam Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo*. Et ad Patrem aduocatus noster est: etenim *interpellat* (inquit,) *pro nobis*. Domus etiam simul & hospes. *Ille* enim, (inquit,) *in me manet, & ego in illo*. Et amicus: *Vos siquidem*, (inquit,) *amici mei estis*. Et fundamentum est & lapis angularis, & nos ipsius sumus & membra & agricultura, & ædificatio, & palmites, & cooperarij. Quid enim nobis esse non vult omnibus modis nos sibi conglutinans & coniungens? id quod vehementer amantis est.] Idem hom. in Eutrop. & in illud, *Astitit Regina*, obseruat pleraque horum Christi attributorum, visum iri pugnantia si corporaliter spectentur: sed omnia bellè cohærere, si vt par est, spectentur spiritualiter. Cum enim Ecclesiam esse Christi sponsam monstrasset, & mox eiusdem filiam; atque adeò Christum patrem non sponsum dici retulisset, ait [At tutum ne illi facta est vxor? Ita sanè. Nihil enim hîc quòd sit corporale. Etenim quasi vxorem sibi eam despondit, & vt filiam diligit, ac veluti ancillæ prouidet, seruátque perinde ac Virginem, & sicut hortum cingit muro, ceu etiam membrum fouet & adornat, ac velut capiti prouidet; instar radicis progignit fructum; sicut pastor oues pascit, & tanquam sponsus despondet; vtque propitiatorium, peccata condonat; sicut ouis immolatur; qua sponsus se conseruat in decore ac decenti ornatu; & tanquam vir quæ officij sui sunt satagit ac prouidet. Multæ sunt intelligentiæ è quibus saltem aliqua, ex parte perfruamur earum dispensatione.] Ex innumeris igitur quæ se in hanc tractationem inferri meritissimò postulent, pauca quædam lectiora decerpam, vt illustretur ex hac parte Christi gloria, & quantum ei debeamus, vel bonis quæ in nos contulit prouocati & adacti, recognoscamus.

# CAPVT I.

## *Christus Ecclesiæ Sponsus.*

814 HVNC esse vnum è Christi titulis, dubitare non licet ; cum vt alia nunc loca dimittam, totum Canticum Canticorum , eam Christi nomenclaturam exhibeat. Est autem titulus suauissimus; [ Nec enim sunt inuenta æquè dulcia nomina, quemadmodùm sponsus & sponsa : quippe quibus omnia communia sunt,nihil proprium , nihil à se diuisum habentibus:vna vtriusque hæreditas,vna domus,vna mensa, vnus thorus,vna etiam caro.] Verba sunt S. Bernardi hom. 7. in Cantica *sub initium.*

### *Christi vt , Verbi sponsalia, cum humana natura.*

Vt autem solidè & inordinatè procedamus, variisque Scripturarum & Patrum locis accommodata sit tractatio , secernenda sunt Verbi sponsalia à sponsalibus Christi,Vtraque Honorius Augustodunensis in sigillo B.Mariæ distinxit,& Toletus in cap.3.Ioan.annotat.37.imo & Innocentius III. cap. *Debitum* de Digamis; cum matrimonium carnale dixit à Christo euectum esse in signum,& vnionis Verbi cum carne , & vnionis Christi cum Ecclesia. Priora sponsalia sunt , quibus Verbum Dei desponsauit sibi humanitatem illam singularem quam sumpsit de Virgine Maria. Eum enim fuisse diem desponsationis Verbi , retulimus supra ex Ambrosio, tractantes diadema regis gloriæ : & confirmare videntur plerique Patres agnoscentes nuptias in Deiparæ vtero celebratas per incarnationem. Vndè illa crebra virginei vteri elogia, quod fuerit sponsi thalamus.Ita S.Augustt. Psal. 4. Epiphanius de laudibus Deiparæ , & alij mox referendi. Scitè Anastasius Sinaita 3. Hexaëm tractans diem tertium mysticum quo factæ sunt nuptiæ in Cana , ait *Cana* idem sonare ac *creaturam*,signarique nuptiis illis , tertia mundi die celebratam,incorruptam vnionem Verbi & humanitatis.

Eodem Cassianus lib. 5. de Incarnat.cap.11. refert illud Christi Matth.19. *quod Deus coniunxit,homo non separet.* Vrgens enim aduersus Nestorium, solutionem IESV in duas personas, affirmat ; Christum tametsi de carnalis coniugij solubilitate rogatum , & de illo , & altiore sensu de diuino Verbi cum humanitate coniugio respondisse,*quod Deus coniunxit , homo non separet* : Eóque spectasse Christum , probat ex eo quod Apostolus Ephes.5,disputans de carnali coniugio de quo Christus fuerat interrogatus,iisdem veteris Testamenti locis vsus sit, quæ Christus protulerat ; *propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ* : quæ cum retulisset *cum magna clamoris protestatione subiecit,sacramentum hoc magnum est.* Quid verò sit magnum illud sacramentum de quo ibi Apostolus , ex alio eius loco erui vult Cassianus ; nempe ex 1.Timoth.3. vbi hæc verba habentur; *manifestè magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne* ; subdit Cassianus cap. 12. [ Quod ergo magnum est illud sacramentum, quod sub viri atque vxoris nomine designatur? Apostolum ipsum interrogemus, qui ad docendam eamdem rem alibi verbis ipsius vsus est, dicens : *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum , quod manifestatum est in carne,iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis,prædicatum est Gentibus,creditum est in mundo,assumptum est in gloria.* Quod ergo magnum illud est sacramentum , quod manifestatum est in carne ? Deus scilicet natus è carne , Deus visus in corpore;qui vtique sicut palam est manifestatus in carne,ita palam est assumptus in gloria Hoc ergo magnum est sacramentum,de quo ipse ait : *Propterea relinquet homo patrem suum & matrem,& adhærebit vxori suæ , & erunt duo in carne vna.* Qui fuerunt ergo duo in carne vna ? Deus scilicet atque anima. In vna enim quæ Deo vnita est carne hominis,Deus est,atque anima.]Et mox. [Propterea ergo homo ille, de quo Propheta dicit:*frater nõ redimit,redimet homo.*Qui,vt dictum est, *ascendit vbi erat prius*,& de quo legimus ; *Nemo ascendit in cœlum , nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo* , Propter hoc, inquam , *reliquit homo patrem suum & matrem :* id est,Deum ex quo natus est, & Hierusalem illam , quæ est mater omnium nostrum : & adhæsit humanæ carni, quasi vxori suæ. Et idcirco de Patre expresè dicit: *Relinquet homo patrem suum* : de matre autem non dixit , *suam* , sed tantummodò *matrem* posuit; quia non tam ipsius erat mater , quàm vniuersorum credentium, idest, omnium nostrum. *Et adiunctus est vxori suæ* ; quia sicut vir & mulier vnum corpus sunt, ita maiestas diuinitatis & caro hominis vniuntur , & facti sunt duo, idest, Deus atque anima in carne vna : quia sicut caro illa habitatorem in se habuit Deum,ita animam quoque in se cohabitantem Deo.Hoc ergo magnum est illud sacramentum,ad quod inquirendum nos admiratio Apostoli vocat, & adhortatio diuinitatis inuitat.]

Confirmat similiter has nuptias, sed , aliter matrem & Christo relictam accipit Laurentius Iustin.lib.de Triumphi Christi agone c.1. [Dominus Iesus(inquit, ) Dei & hominum mediator ipse est , qui ob amorem sponsæ immaculatæ Ecclesiæ reliquit in cœlo patrem suum, quando formam serui suscipiens semetipsum exinaniuit. Reliquit & matrem, dum Synagogam de qua, carnis trahebat originem , propter infidelitatis demeritum repudiando contempsit, suæque adhæsit vxori , quum in cruce pendens dato sanguinis pretio,atque æquè lauacro, sibi eam inseparabiliter copulauit. Cui etiam pro amoris pignore , próque fœdere maritali corporis & sanguinis sui sacramenta concessit, vt non solùm in spiritu, verùm etiam essent duo in carne vna.]

Sed insigniter, iisdem Verbi cum humanitate sua sponsalibus , astipulatur S. Augustinus tract. 1. in Epist. Ioan. *initio* verbis illis. [ Vnde potuit videri in Sole,qui fecit Solem: nisi, Quia in Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam? Ille ante Solem qui fecit Solem , ille ante Luciferum , ante omnia sydera,ante omnes Angelos , verus creator;quia omnia per ipsum facta sunt,& sine ipso factum

factum est nihil. Vt videretur oculis carneis qui Solem vident, ipse tabernaculum suum in Sole posuit, idest, carnem suam in manifestatione huius lucis ostendit: & illius sponsi thalamus, fuit vterus Virginis, quia in illo vtero Virginali conjūcti sunt duo, Sponsus & Sponsa. Sponsus Verbum, & sponsa caro; quia sic scriptum est. *Erunt duo in carne vna:* & Dominus in Euangelio, *Igitur iam non sunt duo, sed vna caro*: & Esaias optimè meminit, vnum esse ipsos duos: loquitur enim ex persona Christi, & dicit, *sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento.* Vnus videtur loqui, & sponsum se fecit, & sponsam te fecit, quia non duo sed vna caro. Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, illi carni adiungitur Ecclesia, & sit Christus totus, caput & corpus.]

### *Deipara Christi sponsa, in hoc sensu sponsalium, Gabriele paranympho plaudente terra.*

815 Referendum planè est eodem, quod aliqui Christum *sponsum* & Deiparam *sponsam* nominant. Habent enim rationem humanitatis ex Virgine assumptæ, & Verbo coniunctæ. Ita Epiphanius orat. de laudibus Deiparæ *sub initium.* [Sancta puella Virgo Maria, est sponsa Trinitatis & thesaurus dispensationis planè arcanus, cui Gabriel inquit, *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Subiunxit Gabriel. Et pater misit arrhabonem de cœlo Spiritum sanctum: præparauit Virginem vnigenito filio cœlesti sponso, quam Pater dilexit, filius inhabitauit, Spiritus sanctus percupiuit. Ipsa est enim sponsa & thalamus, & ex ea sponsus procedit Christus Virgineum indumentum, iuxta suauem Dauidis Prophetæ cantionem, *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* O sponsi desiderium summæ puritatis. Propriam ancillam, sponsam & matrem sibi despondet. Gabriel effectus conciliator Virginis, cœli & terræ incensum ac suffitum, vnà copulans. Quam quidem Virginem, Prophetæ clarè descripserunt, dum prædicarunt seriem nuptiarum: nimirum quomodò Virgo inuenitur esse cœlestis sponsa & mater, quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum sanctum accepit, dotis verò gratia, cœlum vnà cum Paradiso. Quærebat ergo Virgo conspicere, quem desiderabat, inquiens; Vbi est sponsus, cuius pulchritudinem exopto? Vbi est pulchritudo. Vbi totius formæ gloria ineffabilis? Vbi lumen quod extingui nequit, quod ego summo cum desiderio requiro: [Alios similiter locutos, Christúmque sponsum, Deiparam verò sponsam censentes, profero in Nomenclatoris Mariani Glossario, V. *Adiutorium Altissimi*, & V. *Nympha Dei.* Nec alio sensu, Deipara à Richardo Victorino suo c. 39. in Cant. dicta est, *Christi species* id est *sponsa*, iuxta phrasim Scripturæ, quæ coniugem vocat *speciem viri.* Vt apud Iobum, *visitans speciem tuam non peccabis.* Et Psalm. 67. *species domus*, dabit *diuidere spolia.*

Horum sponsalium de præsenti, atque adeò etiam nuptiarum Paranymphum ac pronubum, statuunt S. Gabrielem. Sic enim Gregorius Thaumat. Orat. 3. de Annunciatione ait, [Missus est Gabriel vt dignum purissimo sponso thalamum pararet: missus est Gabriel, vt inter creaturam & creatorem sponsalia contraheret.] Passim etiam Patres agentes de Anunciatione Deiparæ, vocant Gabrielem, *paranymphum.* Dotem desponsæ humanitati à sponso pro veteri vsu collatam, nemo satis assequatur. Præter immensam quippe spiritualium opum molem, qua ditauit humanitatem sibi copulatam, indita substantiæ animæ gratia habituali propè infinita; intellectu autem donis omnibus ei conuenientibus vberrimè illustrato; tandémque voluntati immissis virtutum omnium floribus: contulit eidem, supra quod conferre nihil potuit, locupletissimus licet atque copiosissimus; diuinitatem scilicet suam, atque personam. Quid tali dote locupletius? Omnes nos titulo vnitæ Verbos sororis nostræ, eius inquam humanitatis, quæ os nostrum & caro nostra est, cognati Deo facti sumus, contacta eminentissima affinitate cum ipso Deo: Et pacis fœdera, (quod Guilelmus Paris. lib. cur Deus homo cap. 7. *sub finem*, rectè considerat) Deum inter ac nos, firmata.

Gaudium inde & exultatio vniuersæ creaturæ, vt his verbis tradit S. Augustin. Orat. contra Iudæos & Paganos cap. 10. [Dei filius & hominis filius. Dei filius de corde patris; hominis filius ex vtero matris. Idem ipse vnus Christus, qui processit ex vtero virginale tanquam sponsus de thalamo suo. In quo vtero spiritales nuptiæ celebratæ. Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo, vt esset vnus Christus & totus homo. Hic ergo procedens velut sponsus de thalamo suo, ad cuius nuptias commota vniuersa exultare visa est creatura. Namque Angelorum chorus, ex his nuptiis, pacem designat hominibus bonæ voluntatis: quia qui erat Dei filius, factus est hominis filius, suspiciens quod non erat, non amittens quod erat. His nuptiis cœli nouam stellam, nouum atque splendidum lumen illo ipso sponso operante producunt: vt lumen verum sedentibus in vmbra mortis nuntiarent natum, & velut in lingua sua laudarent hunc sponsum procedentem, quem sciebant ad hoc suscepisse hominem mortalem. Ad hanc sponsam Magi ab extremo terræ veniunt, commoniti requirunt, vocati munera offerunt, infantem natum nec dum quidem videntes, sed stella indice Regem adorare cupientes.]

### *Expensio horum Christi sponsalium, ad Eucharistiam.*

816 Non plura de Verbi sponsalibus per coniunctionem cum singulari illa humanitate quam assumpsit: quam coniunctionem verum est posse sponsalium & nuptiarum Symbolo vtrumq; adumbrari: dummodo tamen caueatur error Theodori Mopsuesteni, damnatus in quinta Synodo collat. 5. Can. 10. eo quod diceret, (verba sunt canonis) talem factam esse vnitionem Dei Verbi ad Christum, idest eius sanctam humanitatem, qualem dixit Apostolus de viro & muliere, *erunt duo in carne vna.* Quamquam loca Theodori quæ ad eum purgandam profert Facundus lib. 9. cap. 1. coniugium Christi per affectum, ad solam Ecclesiam referunt non autem

ad singularem humanitatem Verbo copulatam in Christo. Quod verò Methodius in decem Virginum symposio, has ipsas Christi sponsi, nuptias, extendit ad corporis Christi in Eucharistia participationem per vnumquemque fidelium, eodem iure factum est, quo à sancto Chrysostomo hom. 60. ad populum, Christus vnicuique fidelium se per Eucharistiam vnire dicitur. Locum Methodij à Photio compendio adductum Cod. 237. & à Thoma Bosio lib. 1. de signis cap. 8. *in fine*, necnon à Turriano exscriptum lib. 2. de Eucharistia cap. 7. iuuat adscribere. [Homo (inquit) mixtus & temperatus cum sapientia & vita, hoc factus est quod erat quod in ipso habitauit φῶς ἄκρατον, ideſt lumen purum, (Verbum Dei dicit:) Vnde inquit rectè Apostolus ad Christum retulit illa de Adam. Sic enim maximè congruet ex ossibus eius, & ex carne eius, Ecclesiam esse factam, propter quam relicto Patre in cœlis descendit Verbum, & adhæsit vxori, & dormiuit soporem passionis moriens pro ea, vt exhiberet sibi Ecclesiam gloriosam, & omnis maculæ expertem, emundans eam lauacro ad excipiendum spirituale & beatum semen quod ipse insonat, & inserit in profundo mentis. Excipit autem illud ipsum semen & format Ecclesia instar vxoris ad generandam virtutem & alendam. Hac enim ratione impletur illud, *Crescite & multiplicamini*, capiente Ecclesia incrementum per congressum & communionem Verbi, quod adhuc ad nos se demittit, & soporem capit, secundùm commemorationem passionis. Non enim potest aliter Ecclesia concipere credentes, & regenerare per lauacrum regenerationis, nisi & Christus propter eos se exinaniens, vt capi possit, secundùm commemorationem (vt dixi) passionis, iterum moriatur è cœlo descendens, adhærensque vxori suæ, præbeat virtutem quandam lateris sui, vt augeantur qui in eo ædificati sunt omnes per lauacrum regenerati.] Idem habet S. Ephrem. serm. de iudicio adductus ibidem à Turriano pag. 148.

### *De Aliis verè Christi sponsalibus, quæ cum Ecclesia; sensus Patrum.*

817 Venio ad alia Christi sponsalia, quæ scilicet inter Christum & Ecclesiam celebrata statuuntur. Nam cum Christus non sit humanitati coniunctus, sed Verbum, quod est aliquid à Christo diuersum; cogimur hìc vbi de Christi titulis est sermo, priores illas nuptias dimittere; & alias in quibus verè Christus sponsus est confederare. Præter quàmquòd, cum nuptiæ ac sponsalia non nisi inter personas duas ineantur, nec fas sit agnoscere in Christo nisi vnam personam, minus expeditè (ex hoc quidem capite) aptantur ad Incarnationis mysteriũ quæ de diuini nuptiis & sponsalibus in Scripturis sæpè produntur. Obseruauit hoc iam pridem S. Gregor. hom. 38. in Euangelia tractans parabolam Euangelicam de nuptiis à patre Rege, filio factis vt habetur Matth. 22. [Tunc, (inquit,) Deus Pater, Deo filio suo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanæ naturæ coniunxit; quando Deum ante secula, fieri voluit hominem in fine sæculorum. Sed quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, vt personam Dei, & hominis Redemptoris nostri Iesu Christi, ex duabus personis credamus vnitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus: sed ex duabus personis compositum credi, vt nefas, vitamus. Apertiùs ergo atque securiùs dici potest, quia in hoc Pater Regi filio nuptias fecit, quo ei per Incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociauit.]

Video in eandem de Christi sponsalibus sententiam, conspirare passim Patres, eoque accommodare Scripturas quibus Christi nuptiæ, aut sponsalia memorantur: præsertímque locum Apostoli ex cap. 5. ad Ephes. quem ab aliis ad Verbi nuptias trahi vidimus. Profero nonnullos. S. Augustinus serm. 6. de tempore cum ad geminam vnius Christi substantiam, retulisset illud Genes. 2. *erunt duo in carne vna.* [Ideſt, (inquit) Deus & homo vnus Christus.] Subdit: [quod Apostolus, de Christo & Ecclesia, ideſt Christi corpore præcepit intelligi; sicut ait, *& erunt duo in carne vna. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*] Et ibidem serm. 247. agens de Patre familias qui fecit nuptias filio suo, sic scribit. [Intelligimus, hunc Patrem familiàs, Deum Patrem omnipotentem, cui famulantur vniuersæ familiæ gentium, qui coëternum & coëqualem sibi genuit filium in cœlis sub Patre, in terris sub matre. Qui nuptias fecit, quando & Ecclesiam ex omni genere hominum sociauit. Ad hanc Christi & Ecclesiæ societatem, conuocati sunt nobiles & ignobiles, diuites & paupetes omnis conditio, sexus, omnis ætas.]

Chrysostomus hom. 22. ex variis in Matth. locis quæ alibi item reponitur sub hoc titulo, *Laus Maximi*, tractans illud, *mysterium hoc magnum est*, exclamat. [Quomodò magnum est? Dic mihi, quomodò Virgo asseruata omni tempore, sponsum nunquam ante visum, mox à prima die desiderat, & amat tanquam corpus proprium? Rursum vir quam nunquam vidit, nunquam allocutus est, eam mox à prima die præfert cœteris omnibus, & amicis & familiaribus, denique ipsis parentibus. Parentes item si per aliam causam auferatur eis pecunia, dolenter ferunt, & in ius trahunt qui abstulit: homini autem sæpè nunquam ante viso & ignoto; etiam dotem vnà cum filia luculentam in manus dant, idque libenter faciunt, neque se damno affici existimant: Sed videntes abduci filiam, non meminerunt consuetudinis, non dolent, non anguntur, sed gratias agunt insuper, & rem optabilem putant, filiam à penatibus cum multa abduci pecunia. Hæc igitur omnia Paulus considerans, quòd parentibus relictis ambo sibi mutuis iunguntur nexibus, nouúmque consortium maiorem antiqua consuetudine vim accepit: animaduerténsque non esse hoc humanum negotium, sed diuinitus amores tales inseri, vt nuptæ pari elocentur atque assumantur lætitia, *mysterium* (inquit,) *hoc magnum est.* Et quemadmodùm recens natus infantulus ex aspectu statim parentes noscitat priùs quàm voces possit edere: ita sanè & sponsus ac sponsa nemine sequestro, neminẽ hortatore, primo statim aspectu conciliantur inuicem. Id cum in Christo etiam animaduertisset & Ecclesia, non sine stupore quodam admiratus est. Quomodo igitur in Christo & Ecclesia idem contigit? Sicut sponsus relicto

relicto patre ad Sponsam properat, ita & Christus relicto paterno solio venit ad Sponsam. Nó nos euocauit ad supera, sed ipse vltrò ad nos aduenit. Cum autem aduentum audis, non migrationem sed condescensionem intellige. Nam etiam cum nobiscum esset, cum Patre erat. Quapropter (inquit,) mysterium hoc magnum est. Magnum etiam sanè apud homines, sed cum video in Christum quoque & Ecclesiam idem competere, tum verò miraculo rei reddor attonitus. Quamobrem cum dixisset, *mysterium hoc magnum est*, subiecit mox; *Verùm ego loquer de Christo & de Ecclesia.* Itaque cum scias quantum sit in coniugio mysterium, & quanti figura negotij, non temerè de hoc delibera.] Et homil. 12. in Epist. ad Colloss. grauissimè expostulat quod in nuptiis, vbi Christi mysterium exhibetur, & coniunctio Christi cum Ecclesia recolitur, tam multa fœdè à plerisque admitterentur.

818 Hieronymus Ephes. 5. ad illud, *propter hoc relinquet homo*, laudato in eandem sententiam S. Gregorio Nazianzeno, qui ad tanti mysterij profunditatem hæsisse Apostolum omnia abs se capi posse desponden tem, affirmat coniugium Adam & Euæ, nuptias Christi & Ecclesiæ præsignasse docet, & idcirco ait Apostolum, sacramentum magnum, esse interpretatum in Christo & in Ecclesia; [vt Adam Christum, & Eua perfiguraret Ecclesiam. Factus est enim nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Et quomodò de Adam & vxore eius, omne hominum nascitur genus; sic de Christo & Ecclesia, omnis credentium multitudo generata est. Quæ vnum Ecclesiæ corpus effecta, rursum in latere Christi ponitur, & costæ locum replet, & vnum viri corpus efficitur ipso Domino id in Euangelio postulante: *Pater da, vt quomodò ego & tu vnum sumus, sic & ipsi in nobis vnum sint.*] Et mox, iis reiectis qui omnia quæ de Adamo & Eua sunt dicta, de Christo & Ecclesia prænuntiata esse volunt, cum tantummodò ad eam rem pertineat locus ille ab Apostolo ex Genesi adductus quo deserendus ab homine pater, deserenda & mater vt vxori adhæreat, pronuntiatur, subiicit S. Hieronymus. [Primus enim homo & primus vates Adam, hoc de Christo & Ecclesia prophetauit, quod reliquerit Dominus noster atque Saluator patrem suum Deum, & matrem suam cœlestem Hierusalem, & venerit ad terras, propter suum corpus Ecclesiam, & de suo eam latere fabricatus sit, & propter illam Verbum caro factum sit. Et quia non omnia æqualia Sacramentâ sunt, sed est aliud sacramentum maius, & aliud minus, propterea nunc dicit; *sacramentum hoc magnum est*: simulque humilitatis eius indicium est inferentis *Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*]

S. Ambrosius in cap. 3. Lucæ, agens de Christi baptismo, cum incidisset in illud Apostoli *sacramentum hoc magnum est*, interrogat [Quod sacramentum.] Respondet autem. Quia duo erunt in carne vna: & quia relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, &, quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Quis est iste vir, propter quem mulier parentes relinquit? Relinquit parentes Ecclesia, quæ de gentilibus populis congregata est: cui Propheticè dicitur, *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Propter quem virum, nisi fortè propter illum de quo dicit Ioannes, *Post me venit vir qui ante me factus est*; De cuius latere dormientis, costam Deus sumpsit. Ipse enim est qui dormiuit, & quieuit, & resurrexit, quoniam Dominus suscipit eum. Quæ est huius Costa nisi vita? Quia tunc quando miles latus eius aperuit, continuò aqua & sanguis exiuit, qui effusus est pro sæculi vita. Hæc sæculi vita, costa Christi est: hæc costa secundi est Adam, primus enim Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Nouissimus Adam Christus est, Costa Christi, vita Ecclesiæ est. Nos ergo membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Et fortasse hæc est costa de qua dixit, *Sentio ex me virtutem exisse.* Hæc est costa, quæ de Christo exiuit, nec corpus eius imminuit.]

Pertinent quoque ad Ecclesiam, quæ ab Ennodio sub finem Apologetici in persona Romanę vrbis dicuntur, verbis illis. [Quid tempore quo pretiosis siccamus vbera partubus, quo prolem nostram æterna genitrix rursus paritura nunc suscipit, cuius post primam natiuitatem grandæuis fœtibus aluus impletur, quæ mihi prolem regenerando dulcem facit esse, quam peperi, quæ ad se venientes senium facit exuere & ad vitæ principia redire confractos.]

Anastasius Sinaita diffusissimè id ipsum prosequitur in Hexaëm *sub finem* libri 9. & sub initium decimi. Plagulam dumtaxat repræsento ex lib. 10. *ferè in principio.* Ibi præfatus tam multa circa Adami & Euæ coniugium tradita esse, quæ nisi de Christo & Ecclesia in sublimiore & altiore sensu accipiantur, minùs videantur quadratura, concludit. [Est ergo omnibus modis perspicuum quod ad Christum potiùs, & ab ipso genitam, & ei vnitam Ecclesiam hæc referuntur & prædicantur. Etenim solus Christus est & genitor & vir, suæ vxoris & Sponsæ, Ecclesiæ.] Et inferiùs. [Intelliges autem per hanc vxorem, & viri cum ea adglutinationem & adhæsionem Dei Verbi quæ per hypostasim fit cum nostra natura, quæ quidem est genitrix Ecclesiæ: quoniam membra sumus corporis eius ex carne eius, & ossibus eius, conuenienter voci Pauli: Quo fit vt quodammodò Adam sit & Pater & maritus suæ vxoris, sicut etiam Christus Ecclesiæ. Pater quidem, vt ipsam generans per aquam & spiritum: Maritus autem, vt qui Verbi semen in eam deiiciat: Per quod multos atque adeò innumerabiles hos filios. (Filios, inquam, gentium) ei peperit & enutriit, & auxit, & multiplicauit. Hoc enim modo, etiam Christi adiutrix dicitur Ecclesia, eo quod ipsa post eius assumptionem generet, & doceat, & illuminet, & prædicet, & conuertat gentes ad Deum. Etenim quoniam prior Sinagoga fuit adultera, & ipsius filij quos Deus genuit & in altum extulit, eum spreuerunt; propter hunc actum, reliquit Christus Patrem suum, nempe populum Iudæorum, & matrem suam Synagogam, & adhæsit vxori suæ quam sumpsit ex gentibus, & fuerunt duo in carnem vnam vnius populi. *Mysterium hoc magnum est, (ego Paulus die,) in Christo & Ecclesia*: hæc fuerunt præfigurata & priùs descripta.] Quod initio ait, coniugalem adhæsionem Symbolum esse ad hæsionis Verbi & humanitatis; non eò pertinet quasi Verbi & humanitati sponsalia, aut nuptias, ibi prosequatur: sed quod ea Verbi

&

& humanitatis coniunctio, fuerit desponsatio Ecclesiæ & totius naturæ nostræ, vt mox exponam.

S. Bernardus serm. 2. in Domin. 1. post octauam Epiphaniæ. [Omnes nos ad Spirituales, nuptias vocati sumus: in quibus vtique sponsus est Christus Dominus, vnde canimus in Psalmo; *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sponsa verò nos ipsi sumus. Si non nobis videtur incredibile, & omnes simul vna sponsa, & animæ singulorum, quasi singulæ sponsæ. Sed quando hoc sentire poterit fragilitas nostra de Deo suo, quod eo affectu se diligat, quo diligitur sponsa à sponso? Multum enim hæc sponsa inferior sponso suo: inferior genere, inferior specie inferior dignitate.] Apud eundem in appendice, extat sermo alterius Autoris in parabolam nuptiarum filij Regis, quo prolixè hæ Christi & Ecclesiæ nuptiæ describuntur, cum omnibus adiunctis.

### *Distinctiùs de iisdem sponsalibus, Christus sponsus.*

819 Hæc generatim sufficiunt, vt appareat Christum dici sponsum respectu Ecclesiæ: & hanc non autem humanitatem à Verbo assumptam, & Christo inexistentem, dici propriè Christi sponsam. Nunc distinctiùs, & in particulari, quæ ad hæc sponsalia & nuptias spectant, expendamus. Sponsum inquam, & sponsam; pronubos, dotem, vestes & ornamenta nuptialia sponsæ collata, concursum amicorum, tabulas coniugales, dispensationis & nuptiarum tempus ac locum, Epithalamium; & si quæ sunt alia fœliciſſimorum sponsalium ac nuptiarum adiuncta, dempta sobole, de qua seorsim, quia consequitur ad nuptias, sponso ac sponsa iam constitutis. Ricipio autem proferre dumtaxat lectiora quædam circa supradicta capita. Plenam verò & multiplicem eorum discussionem, petere licebit ex Turrecremata lib. 1. summæ de Ecclesia à cap. 36. nec non ex Laurentio Iustiniano lib. de casto connubio cap. 9. & 10. Ex recentioribus versatus in eodem argumento est, Thomas Bosius lib. 1. de signis, per septem prima capita.

Sponsus, non alius est quàm Christus. [Quis est enim sponsus, (ait D. Augustinus, initio expositionis secundæ in Psal. 18.) Nisi cui desponsata est illa Virgo ab Apostolo, cui timet caste casti sponsus amicus, ne sicut serpens Euam fefellit astutia sua, sic & huius Virginis sponsæ Christi sensus corrumpantur à castitate quæ est in Christo?]

Addit de huius sponsi *magna & plena gratia.* Sic enim nominat Nam quia [Primum quod nupturæ pro cæteris concupiscunt, est vt sponsi decore se iactent,] Vt dixit S. Ambros. lib. 1. de Virginibus meritò hoc decus, quoties sponsi huius incidit mensio, in eo celebratur. Sed cui dotes egregias sponsi huius singulatim spectare concilium erit, adeat vel Psalmum 44. cuius priore parte quæ tota circa sponsum consumitur, plenè enumerantur eius prærogatiuæ: vel caput 5. Canticorum vbi dilectus, candidus & rubicundus, electus ex millibus, & totus desiderabilis describitur eiúsque, singulorum membrorum decora proponuntur. Nobis quæ toto l. 4. de perfectionibus eius diximus, hanc lacunam explebunt.

### *Sponsa Ecclesia, varie adumbrata.*

820 Sponsa, ipsa est Ecclesia: quam quod mater sit omnium spirituali vita viuentium, & Christum Adamum secundum, non secus se habeat quàm Eua ad Adamum primum; S. Ambrosius lib. 2. in Luc. tractans Christi Baptismum & lib. de Paradiso cap. 14. confert cum Eua. Id quod frequenter quoque habet S. Augustinus & nominatim in Psal. 126. ad illud qui manducatis panem doloris, sic enim scribit, cum de Christi surrectione postquam sedisset ac dormisset, disserit. [Sed vbi dormiuit? in cruce. Quando dormiuit in cruce signum gestabat, imo implebat quod significatum erat in Adam; quia cum dormiret Adam costa illi detracta est, & Eua facta est. Sic & Dominus cum dormiret in cruce, latus eius lancea percussum est, & sacramenta profluxerunt, vnde facta est Ecclesia. Ecclesia enim coniux Domini facta est de latere, quomodo Eua illa facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta nisi de latere dormientis, sic ista non est facta nisi de latere morientis.] Et pulchrè lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos c. 6. [Ascendat sponsus noster thalami sui lignum. Ascendat sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & Ecclesia prodeat Virgo: vt quomodò Eua facta est ex latere Adæ dormientis, ita & Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis. Percussum est enim eius latus, vt Euangelium loquitur, & statim manauit sanguis & aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina sacramenta. Aqua, in qua est sponsa purificata, sanguis ex quo inuenitur esse dotata.] Videndus quoque in Psal. 126. ad illud, *Ecce hæreditas Domini.* Et Psal. 127. ad illud, *in lateribus domus tuæ.* Omnium plenissimè Anastasius Sinaita lib. 9. Hexaëm *sub finem*; Et lib. 10. *initio.*

S. Cyrillus lib. 4. Glaphyr. in Genes. Synagogam & Ecclesiam cum duabus Iacobi Sponsis, componit latissimè. Id quod etiam bene prosecutus est Iustinus, sub finem colloquij cum Tryphone insistens præsertim lippitudini Liæ, & Rachelis pulchritudini: huius quoque pio furto, quo Idola Patris abstulit, itavt in hodiernum vsque diem defossa lateant. Quæ & alia Synagogæ ac Ecclesiæ accommodat Philippus Abbas lib. de continentia Clericorum cap. 61. & 62. coniugium ab omni æuo fuisse typum coniugij Christi cum Ecclesia, egregiè prosequitur.

821 Apud plerosque Patres, quod Ecclesia Christiana ex gentibus Idololatris magnam partem sit conflata, Æthiopissæ illius, filiæ Sacerdotis Idolorum, quam Moses duxit vxorem; adumbrata est imagine. Ita S. Bernardus serm. in Dom. 1. post octauam Epiphaniæ. Præiueratque S. Cyrillus lib. 2. de adorat. verbis illis. [Sephora filia Sacerdotis Madian, (is autem alienigena erat, neque ad Israëlis sanguinem pertinebat,) figuram ac personam Ecclesiæ ex gentibus tenet, quæ ad Deum ex mundi huius cultu vocata est: dictum quippe est ad illam per vocem Dauid. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: quia concupiuit Rex speciem tuam: quoniam ipse est Dominus tuus.* Vocata igitur & est, dum sequeretur legem, ac tanquam cum Moyse

Moyse pædagogo, matrimonio iuncta est, qui optimè ad Christi mysterium perducit. Est enim lex magister quidam elementarius, qui perducit ad initia sermonum Dei, ac per ænigmata & vmbras, cognitionis eius qua Christi mysterium percipitur, veluti semina quædam in nobis inserit. ]

De eadem sponsæ fœditate, sic Chrysostom. hom. in illud *astitit Regina*, tractans quomodò sponsæ dictum sit *Audi filia*. [ Hæc priùs filia erat Dæmonum, filia terræ, ipsa tellure indigna: Eadem nunc facta est filia Regis. Hoc vt esset, voluit, qui flagrabat eius amore. Qui enim amat non perspicit deformitatem. Ob hoc planè dicitur ἔρως, quòd plerumque amat rem quamlibet deformem. Sic & Christus fecit, deformem vidit, (non enim eam possum formosam dicere:) atque adamauit, eamque innouat & instaurat non habentem maculam aut rugam. O sponsum qui tam bellè exornat deformitatem suæ sponsæ! ]

Non ergo abhorruit fœdam & deformem sponsam Christus, quippè potis dealbare Æthiopem super niuem: quod & præstitit; itavt nigra super tabernacula Cedar, facta sit speciosa sicut pelles Salomonis. Quod quæ de eius speciositate sigillatim prædicuntur Cant. 7. abundè declarant. Quare meritò S. Augustinus in Psal. 44. *initio*. [ Gaudeat sponsa amata à Deo. Quando amata? Dum adhuc fœda. *Omnes enim peccauerunt*, ( ait Apostolus, ) *& egent gloria Dei*, Et iterum, *Etenim Christus pro impiis mortuus est*. Amata est fœda, ne remaneret fœda. Non enim verè fœda amata est, quia non fœditas amata est. Nam si hoc amaret, hoc seruaret. Euertit fœditatem, seruauit pulchritudinem. Ad qualem venit, & qualem fecit? ] Murmurarunt de Mosis cum alienigena coniugio, Aaron & Maria: Ille Sacerdos & Pontifex, Sacerdotum & Pontificum Iudæorum personam sustinebat. Maria verò Aaronis vxor (non enim soror Aaronis, sed Mosis tantùm, quia vxor fratris, vt notauit Isidorus Pelus. lib. 3. Epist. 152.) Hac murmuratione, quod etiam ex Bernardo supra retuli, notata est sacerdotum & Synagogæ tumultuatio in Christum, cuius personam Moses referebat: præsertimque Hebræorum concitatio, ex eo quod gentes quæ nigræ erant tenebris peccati, ad Euangelij societatem essent admissæ. Ita S. Cyrillus in collectaneis ex lib. Num. c. 10. Sed concinnè S. Bernardus serm. illo 2 verbis istis. [ Propter Æthiopissam istam, de longinquo filius æterni Regis aduenit, & vt sibi desponsaret illam, etiam mori pro ea non timuit. Moyses quidem, Æthiopissam duxit vxorem; sed non potuit Æthiopissæ mutare colorem. Christus verò quam adamauit, ignobilem, adhuc & fœdam, gloriosam sibi exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. Murmuret Aaron, murmuret & Maria, non noua, sed vetus: non mater Domini, sed soror Moysi. Non, nostra inquam Maria, illa enim sollicita est, si quid fortè deest in nuptiis. Vos autem vt dignum est murmurantibus Sacerdotibus, murmurante Synagoga, toto affectu in gratiarum actione versamur. ]

Pertinere ad hanc sponsam è multis gentibus adunatam, censet Philippus Abbas lib. de Continentia cleric. cap. 61. & 62. quod olim ante Christum, vir vnus, plures vxores habere sinebatur; tanquam in signum gentium variarum, quæ Deo per fidem sub variis ritibus copulabantur. Nunc autem quia vna est Christi sponsa, vnus vnam tantùm, habere permittitur.

### *Horum sponsalium pronubi.*

822 Pronubi horum sponsalium, & nuptiarum paranimphi, iuxta Gregorium Nyssenum hom. 1. in Cant. isti sunt. [ Patriarchæ (inquit) & Prophetæ, & legislatores, diuina dona sponsæ attulerunt, quæ Græci solent προῖκα vocare, ita nominantes donationes ante nuptias. Hæc autem sunt remissio delictorum, obliuio malorum, peccati ablatio, naturæ transformatio, eius in quod cadit interitus, in id in quod non cadit, transmutatio, deliciæ paradisi, regni dignitas, lætitia quæ fine caret. Cum hæc ergo diuina dona virgo accepisset à præclaris paranymphis, & fatetur desiderium, & festinat frui gratia pulchritudinis eius quem desiderat. ] Proferebant Prophetæ, hæc munera sponsæ, à sponso, in spe non in re. Vaticinabantur enim, & nomine Dei spondebant, secuturam tali sponso adueniente peccati abstersionem, diluuium gratiæ, & bonorum omnium spiritualium vbertatem. In quæ bona magno ardore suspirans sponsa, aduentum sponsi imis medullis expetebat. Speciali autem iure Baptista, tanquam legis & Prophetarum complementum, ac sponsi amicus, gaudio gaudens super vocem sponsi, paranimphus horum sponsalium, à S. Cyriilo denominatur lib. 1. Glaphir. in Genes. pag. 105. qui id eruit ex Ioan. 3. v. 29. Pronubum quoque & paranimphum Christi sponsi, Ioannem Baptistam, nominat Theodorus Studita orat. de eius natiuitate & Petrus Dam. serm. 25 qui etiam vocat Baptistam, *fœderatorem cœlestium nuptiarum*.

Prophetis Apostolos pronubos, & nominatim Paulum, adiungit Chrysost. hom. 23. in 2. ad Corinth. Nam & ipse Paulus, despondisse se profitetur, vni viro Christo Ecclesiam. [ Vnde & dicebat, ( inquit ibi S. Chrysostomus ) *Pro Christo legatione fungimur*. Atque obsecrat, quam sponsam accepturus erat. Huius rei figuram gerebant ea, quæ tempore Abrahæ contigerunt. Etenim ille fidelem seruum misit qui puellam ethnicam desponderet. Eodem modo hîc quoque Deus, seruos suos misit, qui filio suo Ecclesiam desponderent, ac Prophetas, antiquitùs his verbis vtentes, *Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum*. Vidisti etiam Prophetam despondentem? Vidisti etiam Apostolum cum magna fiducia hoc Verbum proferentem ac dicentem? *Despondi vos vni viro, Virginem castam exhibere Christo*. Vidisti rursus prudentiam. Postquàm enim dixit, Æquum est vt me sustineatis; non dixit: Magister enim vester sum, nec mea causa hæc dico: sed, quod potissimum illis dignitatem afferebat, hoc ponit, nimirum se pronubæ, illos autem sponsæ loco constituens. ]

*Sponsalitiæ arrhæ, ac dos, sponsæ.*

823 Arrhas, & dotem secernit S. Sedatus hom. de Epiphania. [ *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo* descendit ad terras, Ecclesiæ ex gentibus congregandæ, Incarnatione iungendus. Cui quidem & huius Ecclesiæ (quæ vtique sumus nos, ) & arrhas, & dotem dedit. Arrhas dedit, quando nobis est ex lege promissus. Dotem dedit, quando pro nobis est immolatus. Et alio modo hoc potest accipi, vt arrhas, præsentem gratiam, dotem intelligamus vitam æternam.] Hoc secundo modo, arrhas huic sponsæ datas, à dote secernit S. Chrysost. hom. in illud *Astitit Regina*, sic scribens. [ Scitis omnes vos, quod arrha pars est totius debitæ summæ pars exigua. Abit quis coëmpturus domum pretij permulti, dicitur: Da mihi arrhabonem, vt certa spe confirmer. Abit quis ducturus vxorem; De dote paciscitur, de rebus ipsis initionem, ac dicit: Da mihi arrhabonem. Quin etiam in auctione serui, & cœteris ad vnum omnibus commerciis, intellige dari solere arrhabonem. Quum igitur Christus nobiscum conuenta quædam iniret, ( me etenim velut sponsam erat assumpturus, ) dotem mihi vt decerneret, dotis nomine non facultates aut pecunias mihi præstituit, sed sui pretium sanguinis. Dotem verò hanc mihi constituit, nempe largitionem bonorum quæ non videt oculus, non auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Statuit igitur se daturum dotis nomine immortalitatem, gloriam cum Angelis, mortis interitum, immunitatem peccati, hæreditariam possessionem regni ( multæ enim sunt eius diuitiæ) iustitiam, sanctificationem, præsentium malorum defunctionem, obtentionem futurorum bonorum. Eximia mihi dos proposita erat. Hûc aures adhibe sedulò. Quidnam facit? vide. Venit accepturus scortum; dico autem meretricem (sicut erat) obscœnam & conspurcatam, vt discas quantus fuerit, istius sponsi amor. Venit, accepit, mihi quoque decerpit dotem. Dicit; Tibi impertior opes meas. Addit, Quonam pacto Paradisum perdidisti? Recipe eum. Perdidisti speciem; eam ipsam accipe. Hæc denique omnia accipe.]

En seiunctam ab arrha dotem iuxta Chrysostomum; qui item hom. eadem inferiùs id distinctissimè enucleat. [ Dos (inquit ) sponsæ in duo partita erat, in præsentia & in futura: in ea quæ videntur, & in ea quæ solo auditu percipiuntur: in ea quæ dantur, & in ea quæ creduntur datum iri: in ea quæ doctrice experientia accipimus, & in ea quibus speramus nos perfruituros: in ea quæ in præsenti vita conferuntur, & in ea quæ speramus nos adepturos post resurrectionem. Illa vides, hæc audis. Vide igitur quid dicat sponsæ, vt ne putet quia hæc solùm accepit, etiam si eximia erant dona, licet ineffabilia, quamuis mentem transcendentia: *Audi filia & vide.* Audi illa, nempe futura: *vide* hæc, præsentia. Vide hæc, vt ne dicas: rursus in spe, rursus in fide. rursus in futuro. Etiamnum vide, hęc quidem do: illa verò me daturum polliceor. Quæ, polliceor, in spe reposita sunt: interim pignora hæc accipe hæc accipe vino arrabonis, hæc cape in specimen & argumentum. Promitto sibi regnum, certissimam fidem sume ex præsentibus donis, mihi crede.] Idem Chrysostomus Homilia 23. in 2. Cor desponsatam à Christo Ecclesiam affirmat exhibita ei dote, non auri, argenti, sed regni cœlorum. Quod bellè confirmat egregium responsum, sponsæ iniuriosi Aruerni apud Gregorium Turonensem lib. 1. Historiarum Francorum cap. 42. Regum item sponsæ suæ in dotem delatum à Christo sponso, annotat S. Ambros. lib. 1. de Virginibus *sub finem.* Interpretatur autem de regno inuicti animi in illecebras voluptatum. S. Cyrillus loco notato ex Glaphiris, fidem, iustitiam, & misericordiam iuxta Oseam cap. 2. assignat pro huius sponsæ dote, nempe inchoata. Arrhas vocauit Chrysostomus, ad quas etiam pertinet Eucharistia, quam pro dote Ecclesiæ assignat autor sermonis de cœna Domini apud Bernardum. Optimè omnium Apostolus Epes. 5 tradidisse se Christũ pro sponsa sua quasi in dotem affirmat quod Actorum 20. aliter expressit, dicens Christum acquisiuisse, idest comparasse, & emisse, Ecclesiam sanguine suo. Coëmi enim vxores, tulit olim vsus iuxta illud Oseæ 3. *fodi eam mihi*, ( idest *emi* vt ibi Ribera & Castro rectè ostendunt, ) *quindecim argenteis.* Et Genes. 34. Sichem Dinæ nuptias ambiens, *quæcunque statueritis dabo: augete dotem & munera postulate, & libenter tribuam.* Mitto prophana testimonia quæ profert Tiraquellus ad lib. 4. connub. Eam igitur pretiosissimam dotem omni pretio superiorem; sanguinem inquam, & vitam suam, despondendæ sibi Ecclesiæ Christus Dominus libentissimè profudit. Ita disertè S. Ignatius Epist. ad Philadelphios *ferè in fine.* Annuit S. Ambros. l. de Isaac c. 5.

Nemo cum his muneribus componat sponsalitiam vel dotalem largitatem quantamcumque; etiamsi profusissimos fuisse sponsos quosdam prodant historiæ. Quæ de Anulpho, Placidiam Honorij sororem despondente, scribit Olimpiodorus apud Photium Cod. 8. magnificentissima videntur. Gothum quippe illum de Romanis manubiis lectissima quæque, sponsæ pretiosissimo throno insidenti, Narbone in Gallia obtulisse prodit, per adolescentes quinquaginta: quorum quilibet discos duos exhibebat, vnum aureis nummis, alterum gemmis lapillisque pretiosissimis redundantem. Quid tamen hæc & alia dotalis munificentiæ, vel sponsalitiæ largitatis specimina, ad Christi sanguinem?

*Sponsæ annulus, ac mundus.*

824 Annulum sponsæ ipsi suæ datum à Christo, S. Chrysost. hom. in illud *Astitit Regina*, eruit ex Apostolo. Describit ibi S. Chrysost. sponsæ huius turpissimum & infœlicissimum statum. Benignissimam quoque sponsi erga eam miserrimè ac fœdissimè iacentem, condescensionem expressérat. Tum subdit. [ Quid facit? accipit eam; sibi eam accommodat. Quid dat ei? Annulum. Quemnam? Spiritum sanctum. Dicit Paulus *qui autem confirmat nos nobiscum Deus, qui & signauit vos, ac dedit Arrhabonem Spiritus sancti.* Spiritum ei dat.]

De vestibus & mundo muliebri sponsæ præstito, plenè Autor sermonis in parabolam nuptiarũ filij Regis apud Bernardum. Vestium deauratarum varietate circumdatum ex Psalte sic expo-

nit

nit Chrys.hom.in illud Astitit Regina. [Aduerte animum. Nam ipsa dictio multiplicem continet sententiarum vim,& eam sanè generosam. Non dixit, *Aureo*,sed *deaurato*. Solerter audi, vestimentum quod aureum est,filis contexitur prorsus aureis: quod verò deauratum,particulis aliquot aureis, aliquot sericis intertexitur. Qua igitur ratione non dixit sponsam ferre aureum vestimentum, sed deauratum? Causam aduerte exactiùs. Conuersationem subindicat Ecclesiæ, quæ diuersa est & multiformis. Nam quando non vnius eiusdémque propositi sumus omnes; sed hic quidem Virginitatem exercet,iste autem sectatur viduitatem, ille verò religiosam pietatem meditatur & excolit; ob id multiplex ac variegata dicitur vestis Ecclesiæ. Quum igitur certissimè nosset Dominus noster, quod si vna & eadem via incederent omnes, permulti animi lentore fatiscerent, & lassatentur, vias nobis secuit distincti ac diuersi instituti. Non potes per Virginalem statum, regnum introire? Per nuptias ingredere. Non potes vnico coniugio contentus viuere? Per alteras nuptias ingreditor. Non potes per temperantiam frugalitatémve ingredi? Intra per eleemosynam. Non potes per eleemosynam? Introi per ieiunium. At ne hoc quidem potes? Illam age, fac, hoc age, exerceto. Ob hoc, vestem non prodidit esse auream, sed deauratam. Aut enim serica est,aut purpurea, aut certè aurea. Non potes esse aureus? Esto sericus. Suscipio te; Tantùm inueniaris in vestimento. Hac ratione dixit Paulus, *si quis ædificat super fundamentũ hoc,aurum,argentũ,lapides pretiosos*. Non potes preciosus esse lapis? Esto aurũ Non potes esse aurum? Esto argentum. Solùm persiste in fundamento. Rursus alio loco; *Alia claritas solis, & alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum*. Non potes esse Sol? Esto Luna. Non potes esse Luna? Esto stella. Non potes esse eximia quædam ac præclustris stella? Esto vel vna de minoribus; Tantùm sis in cœlo. Non potes esse Virgo? Ducito vxorem cum continentia coniugali, modò in Ecclesia perseueres. Non potes expers viuere prædiorum ac facultatum? facito eleemosynam: Tantùm permane in Ecclesia, in vestimento.]

Isaias, ad hanc sponsæ vestem, externos populos & gloriam eorum pertinere dixit. Sanè quas vestes,& monilia,mundúmque muliebrem Lippæ sponsæ Liæ,ideſt(vt S.Cyrillus interpretatur,) Synagogæ contulerat;ipse Deus Ezech. cap.16. insigni apparatu,assumpta exprobrantis persona describit dicens. *Vestiui te discoloribus & calceaui te ianthino: & cinxi te byſſo, & indui te subtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillam in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento, & vestita es byſſo, & polymito, & multicoloribus similam & mel & oleum comedisti, & decora facta es vehementer nimis; & profecisti in regnum.*] Speciosiorem, veréque Rachelem, Ecclesiam, Christianam splendidiùs ornatam ac vestitam quis addubitet?

Amicorum sponsi ad sponsalia ista cum sponso concursus, his verbis à Nysseno describitur hom. 1. in Cant. [Accedit sponsus adducens chorum quorumdam amicorum & eidem gratorum. Ij sunt autem administratorij Spiritus, per quos seruantur homines,aut sancti Prophetæ, qui sponsi voce audita, lætantur & exultant ob puram & ab interitu alienam quæ consummatur coniunctionem, per quam anima Deo coniuncta fit vnus Spiritus, sicut dicit Apostolus.] Similiter sanctorum & sanctarum veteris Testamento concursum ad has nuptias, in gratiam sponsi quem diligunt, scitè describit apud Chrysostomum Autor homiliæ de Turture *in fine*. Fusius sed admodùm insulsè idem describitur apud Cyprianum ea notha lucubratione,cui titulus est, *cæna*, in extremo angulo operum suppositiorum.

### *De sponsationis tabulæ,tempus,ac locus.*

825 Tabulas desponsationis.D. Augustinus non vno loco scriptura Sacra esse ait quod iis contineantur pacta connubialia. Aliter has tabulas accipit Autor hom.de Turture apud Chrisostomum *sub finem* homiliæ. [Necesse(inquit) erat,sicut in nuptiis dotalia scribi sponsæ, charta quærebatur,& scriptor & calamus. Dicit Spiritus sanctus ad Esaiam: *Accipe tu chartam nouam,& grandem,& scribe in ea*. Quæratur calamus; Inuentus est apud Dauid. Dicit enim de eo: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*.]

Desponsationis tempus, non aliud fuit quàm momentum vnitæ Verbo Dei humanitatis. Nam quamuis ea vnio non id fuerit quo Christi sponsalia sunt constituta cum humanitate illa singulari, tamen per eam Christi sponsalia cum Ecclesia fuere celebrata; quatenus ex vnius illius naturæ personali assumptione, certa spes facta est, & præstita promissio, totius humanæ naturæ in Christi coniugium admittendæ. Idque apertè voluere vatij Patres. Signo nonnullos. Proclus hom. de Natiuitate vocat Deiparam thalamum in quo Verbum humanam carnem sibi desponsauit.

Arnulphus Lexoniensis serm. in Synodo. [Ecclesia,(inquit,)sponsa dicitur. Nullo alio nomine manifestiùs exprimi potuit inter eos Sacramentum vnitatis, & sinceræ perfectio charitatis. Quæ enim verior vnitas & charitas est, quàm duo in carne vna fieri, & ipsos vno eodémque Spiritu vegetari? Quoniam ipse ab ea in vnitatem eiusdem carnis,& ipsa ab eo in vnitate eiusdem spiritus est assumpta. *Erunt* itaque *duo in carne vna*. Profectò Christus & Ecclesia. Nempe Verbum caro factum est. Sed & totum corpus Ecclesiæ,Spiritu Christi vegetatur & regitur. Prudenter negotiata est Ecclesia, carnem dedit, vt acciperet Spiritum, & ipse animatum corpus assumens, largitus est nobis suam deitatem. Fœdus hoc in persona Christi celebratum est,quando scilicet cum humanitate diuinitas, & cum diuinitate conuenit humanitas. Sponsalia hæc ibidem,auctoritate Patris & sancti Spiritus obumbratione firmata sunt. Nec enim adhuc nisi sponsalia sunt, nondum celebratæ sunt nuptiæ, nondum matrimonium consummatur. Porrò complebuntur omnia in futuro,cùm sponsus aduenerit,& intrabunt qui parati inuenti fuerint cum ipso ad nuptias, imparati foribus excludentur.]

D. August. tract. 2.in Epist. Ioan. verbis illis. [Commendatus est nobis sponsus. De sponsa videamus quid dicat, vt tu cum cognouerit sponsum,& sponsam, non sine causa ad nuptias venias. Celebratio enim nuptiarum omnis

celebratio: Ecclesiæ enim nuptiæ celebrantur. Ducturus est vxorem filius Regis, & ipse filius Regis Rex, & qui frequentant, ipsi sunt sponsa. Non quomodò in nuptiis carnalibus, alij frequentant nuptias, & alia nubit; in Ecclesia, qui frequentant, Si benè frequentant, sponsa fiunt: Omnis enim Ecclesia sponsa Christi est, cuius principium & primitiæ, caro Christi est ibi iuncta est sponsa sponso in carne.]

Locum S. Ambrosij, ex libro de Institutione Virginis cap. 6. & alios plerosque Patres qui illud canticorum 3. *in die desponsationis eius*, de hoc momento vniti carni nostræ. Verbi acceperunt, signaui suprà, agens de corona Regis gloriæ, seu de diademate quo coronauit eum mater sua.

826 Amedeus Lausan. hom. 3. de Deipara *post medium.* [Ecce diximus qualiter descenderit Dei Verbum. Vbi namque descenderit, simili modo manifestum est: quia descendit in vterum Virginis, vterum impollutum, immaculatum, consecratum manu vnctionis diuinæ. Ibi carni nostræ copulatum, naturæ associatum, implenit Sacratissimum & secretissimum Sacramentum, vt essent duo in carne vna, & vno contubernio fruerentur.]

S. Bruno Psal. 18. [In persona sua exultauit ad currendam viam, idest ad citò complendam Patris obedientiam, quæ fuit ei via ad gloriam ex eo tempore quo fuit procedens de thalamo idest de Virginis vtero: Suo idest sibi congruo; Ipse dico, existens tanquam sponsus, idest in illo reuera factus sponsus carnis humanæ quam sibi tunc coniunxit. Secundùm diuinitatem dico, carnis suæ sponsus: de qua desponsatione in canticis sponsa Ecclesia Synagogæ dicit, *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Est & Ecclesiæ sponsus, & si non adeò vt idem in canticis, *quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa*; Sed Ecclesiæ sponsus, secundùm adoptionem gratiæ tantùm. ~~Carnis verò suæ secundùm adoptionem gratiæ tantùm.~~ Carnis verò suæ secundùm vnionem personæ. Thalamum dicit vterum Virginis, eo quod in eo carni sponsæ, Dei Verbum coniunctum est, vt in thalamo sponsus sponsæ coniungitur.]

Ex dictis liquet quoque de loco desponsationis, qui alius non fuit quàm vterus Deiparæ, in quo humanitas nostra cum Verbo Dei est copulata. Præter proximè allegatos occasione temporis factæ desponsationis id quoque attingentes, audi S. Gregorium hom. 38. in Euangelia, cum præmisisset nuptias Christi respicere propriè Ecclesiam sponsam. [Vterus genitricis Virginis, huius sponsi thalamus fuit. Vnde & Psalmista dicit: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Tanquam sponsus quippe de thalamo suo processit, qui ad coniungendam sibi Ecclesiam, incarnatus Deus, de incorrupto vtero Virginis exiuit.]

S. Augustinus non dissimiliter in Psal. 44. ad Psalm. titulum. [An fortè & in nuptiis istis quo inuitati sumus, thalamus non est? Et vnde dicit alius Psalmus. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo?* Coniunctio nuptialis, Verbum & caro. Hius coniunctionis thalamus, Virginis vterus. Etenim caro ipsa, Verbo est coniuncta, vnde etiam dicitur, *Iam non duo sed vna caro.* Assumpta est Ecclesia ex genere humano, vt caput esset Ecclesiæ, ipsa caro Verbo coniuncta, & cæteri credentes membra essent illius capitis. Nam vis videre quis venerit ad nuptias? In principio erat Verbum.] Nempe ad desponsationem cum humana tota natura, seu cum Ecclesia, Verbum Christum venit, seu per humanitatem quam sibi copulauit.

Laurentius Iustinianus lib. de casto connubio verbi & animæ cap. 9. & idem affirmat, & quanta ex delectu ad hoc munus, gloria sit Deiparæ, pulcherrimè expressit. [Verbum sponsus, caro sponsa Virginalis vterus thalamus, in quo factum est, & de quo egressum est, vt habitaret in nobis. Hoc exprimere Citharœdus sanctus voluit, quum in Psalmo caneret, dicens: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Meritò talis eligitur thalamus, in quo diuina celebrentur mysteria. Erat quidem beata Virgo thalamus puritate niridus, moribus ornatus, & omni præditus sanctitate, floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragans castitatis odore, charitate feruens, virginitate redolens, pollens humilitate. Ipsa est gloriosa Domina & beata fœmina, in nupta & fœcunda, mater & virgo, ancilla, & genitrix, quæ culpam abstulit, & dedit gratiam, quæ contulit mundo pacem hominibus Deum, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Ipsa est, quæ suscepit Verbum, concepit Filium, & peperit Christum. Ipsa effecta est porta cœli, Paradisi ianua, stella maris, solatium mundi, peccati refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, desperanti salus, mundi interuentrix; interemptrix peccati, Diaboli terror, & spiritualibus nequitiis pauor. Ipsa est Tabernaculum Testamenti, arca fœderis, templi propitiatorium, thronus Dei, virga florida, nubecula leuis, hortus conclusus, signatus fons, porta clausa, columba immaculata, rosa redolens, lilium candens, flos intens, virgula fumans, oliua virens vitis fructificans, cupressus se attollens, palma frondens, terebinthus se expandens, campus germinans, terra pullulans. Est etiam ipsa gloriosa aurora surgens, lucifer rutilans, luna pulchior. Sole splendidior, auro purior, gemmis pretiosior, balsamo suauior, margaritis charior, nectare dulcior, omni harmonia delectabilior. Hæc est virgo pudicissima, quæ chirographum abolevit decreti, & protoparentum abstulit opprobrium, quæ accenti seculo stillicidia gratiæ irrorauit, & ipsum fœcundo ditauit fruge: quæ pereunti mundo, & aquarum diluuio inundanti, portum salutis aperuit. Hæc nempe est Virgo sanctissima, quæ virtutum omnium ornata decore & gratiarum plenitudine, atque donorum cœlestium irradiata fulgore, cœlorum Regem suo ad se traxit odore. Nimio namque innocentiæ, ac Virginitatis respersa candore, tanquam præ cæteris sanctior, Dei mater efficitur.]

*Nuptiæ sponsalibus subiunctæ.*

827 Præmissa desponsatione tanquam anteambulone & præludio, consecutæ sunt nuptiæ quas celebratas esse ab initio prædicationis Christi & duraturas ad mundi vsque metam quousque prorogabitur hominum ad Deum adiunctio censuit Gregorius Nyssenus hom. 11. in Cant. vbi præfatus sanctos Angelos designari illis hominibus quos Christus Luc. 12. dixit expectare Dominum suum donec reuertatur à nuptiis, causam hanc reddit. [ Illi enim sunt qui Domini expectant reditum à nuptiis, & cœlestibus portis oculis assident vigilantibus, vt per eas rursus ingrediatur Rex gloriæ reuersus à nuptiis insuper cœlestem illam beatitudinem. Vnde congruenter ei quod canitur in Psalmis, *tanquam ex thalamo procedens sponsus*, nos sibi desponsit Virginem per mysticam regenerationem, quæ cum idolis fuerat fornicata, ad incorruptionem Virginalem ipsa reformata natura. Peractis ergo iam nuptiis, & Ecclesia à Verbo desponsa, sicut dicit Ioannes; *qui habet sponsam, sponsus est*; & ea admissa in thalamum mysteriorum ac Sacramentorum, expectabant Angeli reditum Regis, reducta Ecclesia ad beatitudinem quæ est secundùm naturam. ] Quia verò allectio populorum ad Ecclesiam & Christum, per baptismum, non est facta ex obligatione ante promulgatam de suscipiendo baptismo legem, quod primùm factum est in Pentecoste, idcirco qui ista ad seueritatem doctrinæ Theologicæ exegerunt, eo vsque distulerunt Christi nuptias. Nonnulli quidem Patres & nominatim S. Chrysostomus homil. 23. in 2. Corinth. tractans illud *despondi vos* aiunt alteram vitam esse tempus nuptiarum, præ quo tempus huius vitæ sit tantùm tempus desponsationis. Et ita insinuatur Matth. 25. vbi Virgines quæ paratæ erant, dicuntur ingressæ cum Christo ad nuptias. Tamen consentaneè ad pleraque Scripturas, nuptiæ Christi cum Ecclesia, iam in hac vita celebrari sunt cæptæ, vel in Pentecoste vt diximus vel ex quo fieri cæpta est allectio populorum ad Christum; vel à puncto mortis in cruce: quæ fuit grani frumenti deiectio in terram, vt cresceret in fide populorum. Nam id quoque tempus nupriarum Christi cum Ecclesia, agnoscunt non pauci. Cui sententiæ, perspicuè fauet, quod thalamum nuptialem in quo coniunctio facta est sponsi cum Ecclesia, S. Augustinus lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 6. assignat crucem. [ Quid restat (inquit) inuenire, nisi vt procedat velut sponsus de thalamo suo, accipiat sponsus sponsam, quæratur, inueniatur quæ ei coniugatur? ( Non solus homo, sed Deus est & homo. Quæratur quæ ei coniungatur ) Qualis est ei qua natus est, talis ei inueniatur, quæ & matrem reddat fœcundam, & Virginem seruet intactam; filius permanentis Virginis Virginem permansuram accipiat. Ecce tempus est, modò Iudæi suam impleant voluntatem, quando dignatur ipse dare potestatem. Agite Iudæi nescientes, nuptias Agni. Datæ premunt pecuniæ malo Iudæ, Agite vt ille qui natus est de Virgine, à Pontio Pilato suspendatur in cruce. Ascendat sponsus noster thalami sui lignum. ] Et mox post descripta Christi probra & cruciatus. [Exulta exulta sponsa Ecclesia, quia nisi ista in Christo facta essent, tu ab illo formata non esses, venditus redemit te occisus dilexit te. Et quia te plurimum dilexit, morivoluit propter te. O magnum Sacramentum huius coniugij. O quam magnum mysteriũ huius sponsi & huius ponsæ, non explicabitur dignè humanis verbis. De sponso sponsa nascitur, & vt nascitur, statim illi coniungitur, & tunc sponsa nubit, quando sponsus moritur & tunc illæ sponsæ coniungitur quando à mortalibus separatur. Quando ille super cœlos exaltatur, tunc ista in omni terra fœcundatur. Quid est hoc? Quis est esse sponsus absens, & præsens. Quis est iste sponsus præsens & latens, quem sponsa Ecclesiæ fide tantùm concipit, & sine vllo amplexu membra eius quotidie parit?]

*Epithalamium.*

828 Epithalamium, desiderati passus non est Spiritus sanctus cum per Dauidem, tum per Salomonem. Dauid insigne planè panxit Psal. 44. & idcirco ad eius titulum S. Augustinus. [Gaudeamus, (inquit,) in nuptiis & nos erimus cum iis qui fiunt nuptiæ, qui inuitatur ad nuptias, & ipsi qui inuitati sponsa est. Etenim sponsa Ecclesia est, sponsus Christus. Solem dici à Scholasticis carmina quædam, vxores ducentibus & nubentibus, quæ vocantur Epithalamia, quidquid ibi cantatur, ad honorem cantatur sponsi & sponsæ.]

Quod Ioanni Baptistæ hoc epithalamium adscribit apud Chrysostomum autor homiliæ de Turture, *sub finem* putatque comprehensum verbis illis, *qui habet sponsam sponsus est*, non adeò placet. Neque enim ea Verba redolent Epithalamium, sicut facit totus Psalmus 44. Et Canticum Canticorum Salomonis. Fuerunt hæc Epithalamia cantica dramatis, qualia olim recepta in nuptiis vt apud Philonem videre est lib. de vita supplicum propterea que S. Ambrosius serm. 25. de sanctis *sub finem* meminit chorearum & saltationum mysticarum in his nuptiis. Cæterum quod canticum canticorum Salomonis, inter Epithalamia Christo sponso & Ecclesiæ sponsæ decantata recenseo, ex sensu & iudicio feci SS. Patrum, qui Canticum Canticorũ Salomonis, (sic dictum eo quod contineat mysteria mysteriornm iuxta Nysseni doctrinam hom. 1. in Cant. ) nequaquam ad Salomonis cum filia Pharaonis carnale connubium spectare voluerunt, saltem vt ibi sistatur & crassè nimium & carnaliter philosophati sunt quidam, sed dixerunt esse Epithalamium pertinens ad has Christi cum Ecclesia nuptias. Diligenterque cauendum est, ne quod ante annos aliquod non sine stomacho nostro factum à quoppiam vidimus, ad nuptias profanas transferentes & profanantes augustissimum illud canticum, indigni fiamus quibus Spiritus sanctus Sacratissima mysteria, illis nostratium verborum affectum incensissimum prodentium inuolucris abdita, velit reserata. [ Nemo ergo (vt prudentissimè ait Nyssenus homilia 1. in Cant. Agen de vero illius cantici sensu ) perturbationibus animi obnoxius & Carnalis, veteris hominis mortuum adhuc olens fœtorem, ad beluinas trahat ineptias diuinitùs inspiratarum sententiarum

ac Verborum significationes : sed vnusquisque piè à seipso excedens,cum fuerit extra mundum materialem,& per impatibilitatē quodammodò redierit in paradisum , & per puritatem Deo similis euaserit,ita procedat ad adytum mysteriorum , quæ in hoc apparent libro. Quod si ad hæc audienda sit aliquibus imparatus animus, audiat Mosem lege cauentem , ne ad montem spiritualem audeamus ascendere,priusquàm cordium nostrorum lauerimus vestimenta, & conuenientibus cogitationum aspersionibus animas expiauerimus. Quamobrem nunc , dum in hac assidemus contemplatione, existimo oportere nuptialium obliuisci cogitationum,conuenienter præcepto Mosis qui lege cauit , vt qui initiarentur mysterijs, puri essent à nuptiis:& in omnibus suscipere precepta legislatoris eos qui sunt processuri ad spiritualem montem legis, in quo fœmininum genus cogitationum, cum apparatu materiali relinquitur in vita inferiori. Quæuis autem rationis expers mentis conceptio, si in hoc monte visa fuerit,tigidioribus cogitationibus,veluti quibusdam lapidibus , occidetur. Nam sic quidem vix audierimus vocem huius tubæ,quæ magnum & valdè mirandum edit sonitum , & supra vires eorum qui suscipiunt , quam emittit ipsa caligo obscuritatis in qua est Deus , qui igne comburit quidquid est in hoc monte particeps materiæ.]

### *Sponsæ per has nuptias prouectio , salua, vel etiam reddita integritate.*

829 Si iuxta hoc monitum, spiritualiter ac purè illud canticū scrutemur,liquebit perspicuè, celebrari eo Augustissimo Epithalamio, sponsi & sponsæ decora , diuinique cōnubij fœlicitatem;quæ tanta benignitatis sponsi gloria & aduentitia sponsæ sublimitate nitet , vt omnem fandi copiam longè tran cendat.Sed sponsi quidem maiestas crementi nescia, nouo duntaxat apud nos splendore profusissimæ charitatis , & beneuolentissimi, ac à nundinatione elongatissimi affectus,collucet. Sponsæ verò,incredibile est quantum ex hoc connubio accesserit ornamenti ac dignitatis.Reginam cæli ac terræ factam TheodorusMopsuestenus apud Facundum Hermian.lib.9.cap.2.tractans locum ex psal.44. colligit ex regia sponsi dignitate. Radiis enim maritorum collucere Augustas , Romanis legibus,& vsu omnium gentium,est proditum.Quare sic ratiocinatur Theodorus [Ad quem itaque hominum loquens inquiet,*sedes tua Deus in sæculum sæculi?* Si autem de Rege Deo dicit,manifestum quoniam & de Regina non muliere , sed Ecclesia,quam Christus sibi per fidem desponsauit,per affectum animæ,scilicet , sibi iungendam.Etenim moris est Scripturæ diuinę,eos qui per scientiam adiunguntur Deo, coniugem eius vocare,ad ostendendam eorum cum Deo plenissimam copulationem & vnitatem. ] Et mox [Quoniam igitur semper Dei coniux dicitur congregatio hominum, qui ei per scientiam copulantur,Regem autem Christum conuenienter appellauit:necessariò ergo est Regina, quæ Regis vxor est,non alia promotione circa illam procedente , quàm ea quam de viri dignitate communicat.Consequenter ergo Reginam vocat Ecclesiam,ostendens quantam sortita sit ex Christi adiunctione dignitatem, quæ ei accessit ex fide.]Hæc est sponsæ Christi Ecclesiæ , eminentissima ex hoc coniugio dignitas.

Neque verò( vt in humanis assolet ) sponsæ ex connubio decessit integritas:sed ingenti prodigio,sponsa vel si ante coniugium caruisset integritate , planè redintegraretur in Virginem. [O rem nouam! (exclamat S.Chrysost.hom.13. in 2.Corinth.) in mundo Virgines ante matrimonium manent:post matrimonium non item. Hîc autem non sic.Verùm etiamsi Virgines ante hoc matrimonium non sint,post initum matrimonium Virgines efficiuntur . Ad hunc modum,tota Ecclesia Virgo est. Etenim ad omnes & coniugatos & coniugatas Paulus loquitur.]

Ita Chrysost.Glossans illud S. Pauli ad vniuersam Ecclesiam ex vtroque sexu coagmentatam *despondi vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.* Eademque habet hom.in Eutropiū. Simili quoque sensu S.Augustt.tract.15.in Ioan. Eo quoque Apostoli loco allegato,ait.[Omnis Ecclesia Virgo appellata est , diuersa esse membra Ecclesiæ diuersis donis pollere videtis atque gaudere.Alij coniugati, aliæ coniugatæ:alij viduati vxoribus vltra non quærunt,aliæ viduatæ maritis vltra non quærūt;alij integritatemab ineunte ætate conseruant, aliæ Virginitatem suam deuouerunt. Diuisa sunt munera , sed omnes isti vna Virgo est. Vbi est ista Virginitas? non enim in corpore.In corpore paucarum fœminarum est.Et si dici Virginitas in viris potest, paucorum virorum sanctitas, integritas etiam corporis est in Ecclesia , & honorabilius membrum est.Alia autem membra , non in corpore, sed omnia in mente seruant Virginitatem.Quæ est Virginitas mentis?integra fides , solida spes, syncera charitas.Hanc Virginitatem timebat illo,qui zelabat sponsam à serpente corrumpi.] Fusè item Otig.in eandem sententiam disserit, lib.12.in Leuit.*ferè in fine*,eum de vxore magni Sacerdotis Virgine,nō vidua,aut meretrice.Religio sit missum facere Clementem Alexandrinum qui 1.Pædagogi c.6.in hanc rem sic exclamat.[O miraculum mysticum! Vnus quidem est vniuersorum Pater. Vnum est etiam Verbum vniuersorum,& Spiritus sanctus vnus,& ipse est vbique.Vna autem sola est Mater Virgo : mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola , quoniam sola non fuit mulier.Virgo est autem simul & Mater, integra quidem & inuiolata vt Virgo , amans autem vt mater:& suos accersens infantulos,sancto lacte, nempe Verbo infantili enutrit. Ideo autem lac non habuit , quod lac esset hic infantulus pulcher & appositus , scilicet corpus Christi, nouum cœtum Verbo nutriens.]

### *Inde sponsa prius quàm vxor dicta, & cur simul vidua quantum dilecta.*

830 Hæc porrò integritatis per hoc coniugium redintegratæ vel seruatæ prærogatiua, videtur in causa esse , cur passim Ecclesia, non Christi vxor,sed sponsa audiat.Quamquam alter philosophatur de his denominationibus auctor breuis dialogi de altercatione Synagogæ & Ecclesiæ tomo 6. Augustini Verbis illis.[ In Apocal. Ioannes ait;*veni ostendam tibi nouam nuptam sponsam agni.Et eduxit me in Spiritu in montem magnum & ostendit mihi ciuitatem sanctam,Hierusalem descendentem de cælo,habentem claritatem* autem

*claritatem Dei.* Sic etiam Ioannes ait; *Regnabit Dominus Deus omnipotens, exultemus & lætemur demus ei claritatem, quoniam venerunt agni nuptiæ & uxor eius se præparauit.* Vides ergo & sponsam & vxorem dictam fuisse per legem: sponsam, quòd spondeo fidem me reddituram Domino Saluatori: vxorem, quòd per conceptum baptismi Spiritu maritante, filios vteri mei lauacro turgente producam. In quo puerperio generationis gratioris, Spiritus & anima nuptiali Societate iunguntur.] Auctor item tractatus de passione Domini apud Bernardum cap. 3. aliunde quàm inde diximus, censet denominari Ecclesiam, non *vxorem*, sed *sponsam* Christi, tractans illud Cant. 4. *vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Sic enim scribit. [Sed quare soror & sponsa? An non poterat sufficienter sponsi amantis affectum ostendere solius sororis vel solius sponsæ positio? Vel quare sponsa & non vxor? Cum quotidie vel Ecclesia, siue quælibet fidelis anima, sponso suo Christo bonorum operum sobolem debeat generare. Paucis dico, solent sponsæ nondum alligatæ coniugali vinculo, amari ardentiùs quàm postea. Tempore enim procedente, amor ipse componitur, sponsus ergo noster, vt magnitudinem insinuet sui amoris qui tempore non decrescit, amicam suam, *sponsam* appellat, eo quod illius amor semper nouus sit. Sed quia sponsæ etiam carnaliter diliguntur; vt in amore sponsi nostri nil carnale sapias, ipsam sponsam suam, *sororem* appellat, qua sorores iam nequaquam carnaliter adamantur.]

Et hinc Autor sermonis de Virginibus apud eundem Bernardum, perpulchrè infert, quanto desiderio æstuandum sit Christi sponsis, Ecclesiæ membris, vt Christo in cœlis iungantur. [Sponsa ergo es (inquit) Iesu Christi; sed hoc nomen tuum diligenter attende. *Sponsa* vel *sponsi* nomen ab eo quod est *spondere*. Grãmatici deriuant. Dicuntur autem sponsus & sponsa, quia se sibi alterutrum spondent, vt nec ille nec illa alteri nubat. Porrò inter diem desponsationis huius, interponitur aliquando breue spatium, aliquando & productum; & tamen definita ac denominata est dies qua debeant conuenire: quod quidem sapienter atque vtiliter statutum est, vt interim mutuus amor augeatur & crescat, & impatiens desiderium cupitæ copulæ, quo amplius differtur, ignescat: & quia iuxta Sallustium, cupienti animæ nil satis festinatur, tempus dictarum nuptiarum properantius esse desiderent. Sic Iacob pro Rachele septenarium à die desponsationis labore desudat, cubat sub dio, gelu alget, solibus vritur, nec tanti ac tam diuturni laboris, amator vehemens cedit iniurię. Quorsum autem ista? vt & tu si iã sponsa Christi es, ardeas amore, æstues desiderio, Anheles suspirijs, dum tardat dies copulæ concupitæ. Ait quidem. *Palleat omnis amans*, vt pallor & macies sint amoris signa certissima. Quid tibi cum lautioribus epulis? Quid tibi cum vino? non est hoc Monachorum. Epulentur, splendidè ciues Babylonis. Si te viderit ob amorem suum sponsus marcescere, si pallescere, si, calescere impatienti desiderio, accelerabit copulæ diem, offeret oscula, iunget amplexus. O lætam diem nuptiarum! ô felicem sponsam tali coniugio!]

831 Cum autem huius sponsæ nobilis in portis vir, sit immortalis, mirum est quomodò Ecclesia psal. 131. v. 15. nominetur *vidua*, Verbis illis, *viduam eius benedicens benedicam*: quæ de Ecclesia dici S. Hilarius ibi, optimè docet, & confirmat ex Apostolo, qui mulierem, liberam per viri mortem, à lege liberatam, tradit esse Ecclesiam. Annuit ad eundem Psaltis locum, S. Augustinus, vbi causam quamobrem Ecclesia marito licet ac sponso numquam destituta, vocetur vidua, optimè expressit [Omnis (inquit) anima quæ intelligit se desertam omni auxilio, nisi solius Dei, vidua est. Quomodò enim Apostolus describit viduam? Quæ autem verè vidua est & desolata, sperabit in Dominum. Agebat autem de istis viduis, quas omnes dicimus in Ecclesia. Dixerat autem, *quæ in deliciis degit viuens mortua est* & non illam numerauit inter viduas. Describens autem viduas & sanctas, quid ait? *Quæ autem verè vidua est, & desolata, speravit in Domino, & perseuerat in precibus & obsecrationibus nocte ac die.* Ibi subiecit, *quæ autem in deliciis agit, viuens mortua est.* Vndè ergo vidua est? Quia non habet auxilium aliunde, nisi solius Dei. Illæ quæ habent viros, quasi superbiunt de auxilio virorum. Desertæ videntur viduæ, & robustius est auxilium earum. Ergo tota Ecclesia, vna vidua est, siue in viris, siue in fœminis, siue in coniugatis, siue in maritatis fœminis, siue in adolescentibus, siue in senibus, siue in Virginibus. Omnis Ecclesia vna vidua est, deserta in hoc sæculo, si sentit illud, si nouit viduitatem suam. Tunc enim auxilium præsto est illi.] Aptat eodem, quod de vidua iudicem iniquum interpellante, habetur Luc. 18. Sanctus tamen Cyrillus lib. 5. in Esaiam *initio*, viduam tantùm agnoscit fuisse Ecclesiam Gentium ante Christi mortem, quia tunc ab eo aliena erat. Postea verò sortitam esse virum profitetur, sicque factos esse plures filios desertæ ideò viduæ. Est itaque Ecclesia, Christi sponsi, sponsa simul & coniux, & viro etiam superstite vidua præter propositum huius denominationis sensum, Ecclesiam, quod Christo crucifixo, & in cœlum profecto, alteri viro non commiscetur dici viduam, & cum turture conferri, pulchrè Chrysostomus hom. de Turture *initio*.

Quanto amore & affectu, sponsam hanc suam Christus prosequatur, passim ex scripturis discimus. Huc enim spectat, quod *amica* & *columba* & *perfecta* nominatur: quæ omnia ad affectum incensum designandum adhibentur, *columbæ* præsertim nomen. Est enim columba, amoris perfecti coniugalis Symbolum, vt videre est apud Aldroandum in Ornithologia Multus est in hoc sponsi nostri affectu aperiendo, Hugo Victorinus opusc. de amore sponsi ad sponsam. Ex recentionibus verò Benzonius in psal. 86. c. 17. expendens illud *diligit Dominus portas sion.* Sed nihil æquè affectum sponsi nostri erga sponsam suam prodit, ac facta & perpessiones. [Propter multas animas, (inquit S. Bernardus serm. 68. in Cant.) in vnam Ecclesiam colligendas, in vnicam astringendas sponsam, Deus tã multa & fecit & pertulit, cum operatus est salutem in medio terræ. Charissima est illa viri, non adhærens alteri sponso, non cedens alteri sponsæ. Quid ista non audeat apud tam ambitiosum amatorem? Quid non ab illo speret, qui se quæsiuit è cœlo, vocauit à finibus terræ? Nec modò quæsiuit, sed acquisiuit. Adde & de modo acquisitionis, in sanguine acquisitoris.]

Mirum igitur non sit, si quod Origenes hom. 10. in Genes. pulchrè prosequitur, hic sponsus in sponsa sua, monile præsertim patientiæ deposcat: vt videlicet sponsi sui decus præcipuum, æmuletur.

*Christi connubium cum singulari pia anima*

832 Quæ de Christi cum Ecclesia connubio hactenus sunt proposita, non in vniuersam tantùm Ecclesiam, sed in quamlibet sanctam animam cadunt. Anceps admodùm circa hoc visus est S. Bernardus serm. 68. in Cant. concludit tamen serm. 69. [quoad hoc, in quo multi audent, audet & vnus, sed alta ratione. Nempe sanctam multitudinem causæ supradictæ fidentem faciunt, sanctam animam duplex quædam ratio. Primò quidem quòd habeat in natura simplicissima sponsi diuinitatis quasi vnum respicere multos, & quasi multos vnum. Nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus, nec ad diuersitatem diuisus, nec restrictus ad vnum nec auxius ad curas, nec perturbatus seu turbulentus ad sollicitudines. Sic sanè vni intentus, vt non detentus, sic pluribus, vt non distentus.] Nimirum sicut Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia vniuersa, & sanguine suo comparauit eam; ita pro vnaquaque anima seipsum tradidit, & pretiosissimam sanguinis sui dotem numerauit, eam priùs abluens. [Quemadmodum (inquit S. Macharius ho. 27.) si sit Rex, qui nactus puellam quandam pauperem, pannosis indutam, non erubescat, sed ablatis sordidis illius indumentis & nigredinem eius abluat, & splendidis eam induat vestimentis, quam etiam sociam Regis constituat, mensæque ipsius & conuiuij participem efficiat: Ad hunc quoque modum Dominus animam vulneratam ac cæsam offendit, præbuit ei medicinam, exuit eam attis vestimentis ac turpitudine vitiorum, induitque illam regijs, cœlestibus, fulgidis, ac gloriosis vestimentis diuinitatis, imposuit ei coronam, & mensæ regiæ sociam fecit, in gaudium & exultationem.] Nec si meretrix, & omni criminum illuuie sordens erat anima, ab hoc Christi coniugio arcetur, imo illico per ipsum coniugium fit sanctissima & nitentissima, vt exemplis S. Latronis & Publicani monstrat S. Chrysostomus, homil. in illud, *Astitit Regina*. Negat quidem Origenes homilia 12. in Leuit. Christi sponsam esse posse meretricem, aut eiectam, vel viduam, quo accommodat omnino eleganter quæ de talibus conditionibus sponsæ summi Sacerdotis ibi expendit. Sed hoc intelligit de sponsa quæ meretrix & pollutа, vellet peritare.

Plenissimè de hoc connubio, eiusque splendore, & necessario ad illud apparatu, Nyssenus l. de sancta Virgini. c. 19, & 20. nec non Laurentius Iustinianus libro de casto connubio Verbi & animæ, & Hugo Victorinus libro de Nuptiis spiritualibus. Sed quid pauços appendo? Scatent patrum scripta elogiis huius connubij cum vnaquaque singulari anima. Tertullian. multa paucis complexus est lib. de anima c. 42. dicens de anima. [Proinde cum ad fidem peruenit reformata per secundam Natiuitatem ex aqua & superna virtute detracto corruptionis pristinæ aulæo totam lucem suam conspicit. Excipitur etiam à Spiritu sancto, sicut in pristina Natiuitate à Spiritu prophano. Sequitur animam nubentem Spiritui Caro vt dotale mancipium, & iam non animæ famula, sed Spiritus, O Beatum connubium, si non admiserit adulterium.] Ita passim (vt Isidorus Peluf. obseruat lib 1. epist. 417.) passim inquam ita nominant scripturæ, adhæsionem hominis ad res creatas, spreto sponso Christo: quem ad inuidiam concupiscere, vt habetur Iacobi 4. idest flagrare huius sponsæ zelotypia, summum studium, eius in officio continendæ demonstrat. Itaque summopere ei cauendum est, ne quam sponso offensæ causam præbeat, qua ab eo abiungatur: sed in timore & amore perseuerans, exequatur accuratè monitum illud S. Macarij hom. 15. *initio* [Anima quâ Christus sponsus cœlestis sibi desponsauerit in societatem suam mysticam ac diuinam, quæque stauerit opes cœlestes, diligenter & ingenuè placere debet sponso suo Christo, ac ministerium Spiritus sancti sibi creditum, decenter & conuenienter implere, nempe Deo placens per omnia, & Spiritum in nullo contristans præclaram erga illum temperantiam ac dilectionem, sicut oportet conseruans, in domo Regis cœlestis rectè conuersans, quacumque potest beneuolentia sibi datam gratiam amplexa. Euiuoli anima omnium bonorum Christi Domina constituitur, fitque corpus eius præclarum diuinitatis illius habitaculum.] E contrario autem, quæ se à sponso per adulterium abiunxerit, vnus Spiritus fit cum Satana stupratore, omnibusque bonis diuinitùs sponsæ Christi si in eius fide perstitisset, prouisis, miserrimè excidit. Quare firmitati & stabilitati tam sanctæ Societatis, omni ratione prospiciendum est. Et quia illamet dispositiones quæ fouent formam in materia, ibique retinent, ad eam item inducendam sunt vsui, propterea præparationem animæ per similes dispositiones iis quibus cum sponso hæsura est, ad hoc connubium per eam ineundum, deposcunt Patres. estque ea optima ratio conciliendi inseparabilitati omnimodę tam Beati coniugii.

833 De præparatione animæ ad has nuptias per dispositiones earum quoque stabilitati congruentes, audi Cyrillum Catech. 3. initio. [Animæ quæ cœlesti sponso copulandæ sunt, præparentur: Vox enim clamantis in deserto; *parate viam Domini*. Res enim non parua est, neque vulgaris & temeraria coniunctio sed spiritus omnia perscrutantis secundùm fidem delectus. Nam mundana connubia, non omnino cum iudicio fiunt, sed vbi vel diuitiæ, vel pulchritudo, illuc statim sponsus aspirat. Hic verò, non vbi corporis pulchritudo, sed vbi irreprehensibilis conscientia: hic non mammonę damnatæ diuitiæ, sed pietas animæ quæritur. Credite itaque filij iustitiæ, Ioanni adhortanti & dicenti: *Parate viam Domini*, auferte omnia impedimenta & scandala.]

Nihil verò aptius ad incendendum Sponsæ talis affectum vt se ad has nuptias parare omni studio, & in eis semel initis perstare obstrmatissimè velit, quam quod S. Bern. ser. 1. in Dom. ptimam post. Epiph. his verbis ei considerandum obiicit. [Vnde tibi, ô anima, vnde tibi hoc? vnde tibi tam inæstimabilis gloria, vt eius sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli ipsi prospicere? Vnde tibi hoc, vt ipse sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur: ad cuius nutum vniuersa mutantur? Quid retribues

Domino

Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, vt sis socia mensæ,socia regni,socia denique thalami, vt introducat te Rex in cubiculum suum ? Vide iam quid de Deo tuo sentias: Vide quantum de Deo præsumas. Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit,qui tanti te æstimauit,imò qui tanti se fecit: de latere enim suo te reformauit, quando propter te obdormiuit in cruce,& ob hoc somnum mortis excepit. Propter te à Deo patre exiuit: & matrem Synagogam reliquit vt adhærens ei,vnus cum eo spiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia & vide & considera quanta sit erga te dignatio Dei tui: & obliuiscere populum tuum,&c. Desere carnales affectus,seculares mores dedisce; à prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliuiscere. Quid enim putas? Nónne stat Angelus Domini qui secet te mediam, si fortè, quod auertat ipse alterum admiserit amatorem? ] Meritò ergo exclamat S. Macar. ho. 27. *initio*. [ Agnosce nobilitatem,ò homo tuamque dignitatem,quàm pretiosus sit frater Christi, regis amicus, sponsa sponsi cœlestis.]

Zelum Christi pro hac sponsa, & bonitatis nouum genus in ea post fædationem ( si interueniat, ) recipienda, pulcherrimè prosequitur Orig. hom. 8. in Exod. *sub medium*. Copulam huius coniugij accipe ex S. Ephr. l. de iud. extremo & compunctione. [Qui anima indigna ad diuina participanda mysteria accesserit,seipsum condénat,non purificans se,vt te Regem ac Dominum in pectoris sui thalamum suscipiat. Est enim nostra anima,sponsa sancta facta immortalis sponsi. Nuptiarum autem copulæ, diuina sunt sacramenta, per quæ sancta anima iungitur sponso, dum cum timore atque tremore dignè sumuntur. Attende igitur tibi ipse frater, thalamúmque tuum iugiter immaculatum custodire, & cœlestem sponsum,Christum Regem,in eo suscipere contende.] Aponius lib. 6. in Cant. vsum sacramenti Eucharistiæ, ad animæ desponsationem, per annulum,& oculi traditionẽ referte maluit.

### *Prolis sacræ, ex his nuptiis conceptio, ac partus.*

834 De conceptione & partu prolis per animum ex hoc sponso, scitè omninò Hildebertus Epist. 41. ad Adelam Comitissam,quæ quod aliàs intemperanter vixisset monasteriùm ad anteriorem vitam expiandam cogitaret, hortatur illam Hildebertus, data fide coniugij nihilominus cũ Christo ineundi,& prolis ex eo concipiendæ ac patiendæ ; eo quod, etiam aliàs iam maritatas, aut etiam cum scelere corruptas, non dedignetur Christus habere vxores,ac etiam fœcundet. [ De longè, (inquit,) venientes zelatur sponsus tuus: eis etiam se maritum offerens, quæ numerum perdidere maritorum. Christo itaque multæ vxores. Eius vxor, Agnes & Agna & Susanna est. Agnes,nullius nisi eius: Anna, post alterum,tamen eius : Susanna similiter & alterius, & eius. Quæ enim plus diligit ; parit vberiùs ; quæ plus parit,dotatur ab eo sublimiùs : nulla tamen indotata, quia nulla infœcunda. Apud sponsas hominum (si verus est Physicus) in 50. anno fœcunditas omnium conquiescit; quibusdam nulla omnino filiorum benedictio est. Apud Christi coniugens,non sic,nullam natura, nullam tempus facit infœcundam; omnis ætas ab eo concipit,& parit: In ortu quippe, sumunt Christi nuptiæ principium. Virgines nascuntur omnes; cui sorti debetur in cœlesti thalamo principatus. Fœmina fœminam generans,ante Dei socius est quàm hominis. Festiuum tam festinum coniugium ! Fœlix vix nata, & iam nupta, Angeli enim neque nubunt, neque nubentur, quorum conditio sexum ignorat. Nam de cæteris Christi coniugibus,quid loquere,quibus exuberat in senectute fœcunditas? Anna fœcundior octogenaria quàm iuuencula fuit. Vnum Sara genuit Abrahæ filium ; Domino plures ; *Omnes*, (sicut Salomon ait,) *gemellis fœtibus abundant, & sterilis non est in eis*. Hæ sunt quæ cum Propheta dicunt; *à timore tuo concepimus & doluimus & peperimus, spiritum saluationis fecimus super terram*. ] Subdit de iusto metu ne quæ concepit, abortum faciat. [Delicatus profectò conceptus, & excuti facilis ante partum ! Mille sunt veneficia Dæmonum,quibus iniectis,vel rude semen penitus deficere, vel enecari iam formatum consueuit.] Concludit tandem. [ Fœlix si ludat & exultet apud te,tam beata progenies; fœlicior autem si de ea tuus triumphare non poterit inimicus. Fortassis ignoras : sed in masculos huiusmodi superstes adhuc Pharao debacchatur ; inuidiam quam cœpit ante partum constanter exercens & post partum : quos enim conceptos doluit, editos mergit in flumine, nesciens cum iam natis in gratiam reuersi, quos oderat nascituros. Persequitur ergo illos vsque in hodiernum diem,nec pudet congredi superatum, dummodò speret alium superare. Siue igitur parturias adhuc,siue iam educes quod peperisti, illum time Pharaonem, quo sicut nihil peruersius est, ita nihil astutius.]

Eadem mens Guerrico serm. de Ann. vbi *sub finem*, monstrat primò, concipi Christum à fideli anima exemplo B.M. & quam id sit sublime, expendit; tum concludit. [Gratias tibi sancti S. qui vbi vis spiras. Video munere tuo non vnam sed innumeras fidelium animas,illo generoso germine grauidas: custodi opera tua,ne aliqua aliarum abortiat,conceptúmq; diuinæ sobolis,informent aut mortuum excutiat. Vos quoque ô matres beatæ,tam gloriosæ prolis attendite vobis ipsis, donec formetur Christus in vobis: attendite ne qua foris offensa grauior fœtum tenerum lædat, ne quid ingeratis ventri,idest,menti quod spiritum quem concepistis extinguat. Parcite si non vobis, certè filio Dei in vobis, parcite inquam, non solùm ab operibus & sermonibus malis,sed etiam à cogitationibus noxiis,& delectationibus mortiferis,quæ planè suffocant semen Dei. Omni itaque custodia seruate corda vestra, quia ex ipsis vita procedet: cum scilicet maturus se partus absoluet,& vita Christi quæ nunc abscondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne vestra mortali. Concepistis spiritum salutis,sed adhuc parturitis, nondum peperistis. Si labor in parturiendo, magna de spe partus consolatio. *Mulier cum parit,tristitiam habet & labores,cum autem pepererit puerum,iam non memor erit pressuræ propter gaudium,quia natus erit homo*. Christus in mundũ exteriorem corporis nostri,quod & minor mundus solet appellari. Qui enim nunc conceptus est Deus in spiritibus nostris, configurans eos spiritui charitatis suæ, tunc velut homo nascetur in corporibus, configurans ea corpori claritatis suæ.]

Nec prolem sic conceptam, expertem admonitionis reliquit idem Guerricus serm. 3. eiusdem argumenti. Nam quamuis in conceptionibus corporeis, proles quippe rationis vsu destituta, incapax sit cui adhortatio adhibeatur, tamen de spirituali prole, etiam cum primùm concipitur, alia est ratio. Itaque diuinam hanc prolem haud absimili modo quo Christus eius pater editus est, variè ibi admonet Guerricus. Sed de hoc inferiùs.

### *Virgines Sacræ, speciali titulo Christi sponsæ.*

835 Quamuis autem Christus ad modum prædictum, cum quauis anima sancta immaculatum connubium ineat, speciali tamen titulo, Virgines sactæ, sponsarum Christi titulum reportant. In quam rem Acta S. Galli Abbatis, insigne planè exemplum subministrant, Frideburgæ Guzonis Ducis filiæ quam Rex Sigebertus 2. sibi desponderat vxorem. Verùm ante nuptias facta est acceptitia, postmodùm tamen S. Galli precibus sospes reddita, cum Rex denuò nuptias cum ea cogitaret, furtim induit Virginitatis professæ indicem vestem: & contestata semper sibi vnicum sponsum fore Christum Dominum, vti voto emisso per tempus Energuminismi receperat, tenuit cornu altaris. Nolui in Christi sponsi iniuriam, procus sponsæ eius, esse Sigebertus. Itaque fide data, puellam ab altari retrahit, & iussam Regiis (perindè ac veriùs Reginam,) indui vestibus, corona insuper redimitam, apprehensa eius dextera, denuò ad altare reductam, manus apprehensæ collocatione super altare, tradidit Christo, æternis cum ea nuptiis fœderandam.

Vnanimis est vox SS. Patrum, Virgines sacras quarum pudicitia religiosis nexibus Deo addicta est, sponsas Christi esse, & Christo nubere. Tertullianus lib. 1. ad vxor. cap. 4. inde prouocat vxorem ad Monogamiam, & vitandas iteratas cum sponso mortali nuptias. [Aduersùs concilia (inquit) concupiscentiæ carnis, adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum; quæ nulla formæ vel ætatis occasione pressæ, maritis sanctitatem anteponunt. Malunt enim Deo nubere: Deo speciosæ, Deo sunt puellæ.] Addit de dote quam Deo assignant, & muneribus maritalibus quæ inde reportant. [Indignaris (ait Hieronymus Epist. 22. matrem alloquens quæ filiæ Virginitatem captanti non annuit) quod filiæ voluit militis esse vxor, sed Regis. Grande tibi beneficium præstitit. Socrus Dei esse cœpisti.] Bachiarius sub finem Epistolæ ad Ianuarium, pro monacho & monacha lapsis recipiendis, sæpè iterat, virginem sactam tametsi pollutam virum habere Christum: & confert cum vxoribus Dauidis ab incestuoso filio pollutis, & cum illa Corinthia, quæ filio mariti, vxor fuit per fornicationem qualis nec inter Gentes. Eo sanè titulo quod sponsæ Christi sint, venerabilissimus semper fuit virginum gradus, vt & S. Cypriano sub initium libri de disciplina, & habitu virginum, apertè habetur: & ex illis quæ perofert S. Hieron. l. 1. in Iouin. ac sæpè alibi luculenter idem tradunt Gregorius Nyss. lib. de Vera Virginitate cap. 19. & 20. & S. Ambros. in vetnantissimo opere de Virginibus, quod splendido elogio cumulauit S. Hieron. Epist. 22. quæ est ad Eustoch. de castodia Virg. nec non S. Adelm. l. de laud. Virginitatis.

De prærogatiuis huius connubij multa paucis constipauit S. Fulgentius Epist. 7. cap. 9. & 10. agens de hoc vt vocat immortali connubio, quod tantum sustollit supra mortale & carnale, [Quantum similitudo pecorum ab imitatione discernitur Angelorum. In vno quippe ad terram Spiritus, terrena carnis voluptate deprimitur. in altero autem terrena caro, cœlesti delectatione spiritus ad cœlestia subleuatur. Ad placendum quippe carnali coniugio sæpè mundana mentem cura solicitat: ad placendum verò spirituali connubio, mens dulcedini cœlestis cogitationis intenta corpus suum spiritali pinguescens delectatione castigat. In opere corporalium nuptiarum, Virginitas carnis amittitur, vt ad carnis fœcunditatem veniatur: vbi tamen nonnunquam sic incertæ spei fructu fraudatur humana delectatio, vt quæ virgo esse destitit, mater esse non possit, & sterilitatis obstaculo coërcita, nec in corpore queat reparare quod perdidit, nec ex corpore valeat habere quod cupit. Plerumque (quod est grauius) grauiore dolore fœtus carnis perdit, quos graui dolore susceptit. Et ad hoc pariens pericula gemitúsque tolerat, vt amittens quos cum gemitu pepererat, deteriùs gemat. In copula verò matrimonij spiritalis cum sponso Christo sic coniugatur anima, vt etiam caro seruetur intacta. Quanto magis Virginalis integritas viget, tanto magis immortalis fœcunditas pollet. Sic enim ibi non est mortalis fructus ex corpore, vt immortalis fœtus non desit ex corde. Ibi maritalis accessus non vitiat corpus, quia Christi spiritalis amplexus, & animam seruat & corpus. In tali connubio nullus effectus æstuanti cupiditati conceditur, quia sanctæ charitatis feruore, refrigerio spiritali nutritur. O angelicæ imitationis in humana in hominibus virtus? O ineffabile superni sempiternique muneris decus? Quod qui accipiunt, hoc meditantur in carne mortali, quod sunt immortalitate sumpturi.]

Optatus item Mileuitanus l. 6. contra Parmenia: de his nuptiis sacrarum Virgin. cum Christo & prærogatiuis tam sancti commercij, pleraque & luculenter tradit, agens de mutatione mitrellæ in capitibus Sacrarum Virginum facta per Donastitas rerum potientes; quos queritur nuptias earum Christo rescidisse. Sed & Liberius Papa apud S. Ambrosium initio tertij de Virginibus, Marcellinam ipsius S. Ambrosij sororem, religiosum habitum induens, pulchrè de his nuptiis disserit. Has nuptias, Aprę filiæ suadet quantum potest S. Hilarius Epist. ad eam; in qua vtporè ad puellam scribens, demisit stylum, quod Erasmo imposuit vt illam Hilario abiudicaret; cum tamen ea Epistola à Venantio ante tot secula sit agnita pro legitimo fœtu S. Hilarij. In ea igitur Epistola sponsi Christi pulchritudinem, & insignes vestes, ac munera quo sponsæ tradit, sub ingemios commenti inuolucro proponit. S. Hilarius. Plenè item de his ornamentis Hugo Victor. l. 9. Velamen idcirco Sanctimonis Virginibus profitentibus Virginitatem incris Virginibus profitentibus Virginitatem impositum quod spiritualiter nubant ait Innocentius I. Epist. 2. ad Victricium cap. 12. est enim velamen (vt alibi plenius, dixi,) signum addictionis fœminæ ad vnum virum, à quo solo deinceps sit conspicienda, negato aliis suis conspectu

conspectu, qui meritum quærentibus præstat. Quare flammei impositio, perspicuum est mystici huius connubij Virginum cum Christo sponso argumentum. De huius sponsi dotibus & sponsarum fœlicitate egregie Hildebertus epist 36. quæ est ad quandam Virginem *sub finem*. De amore huius sponsi per Sacras Virgines, insigniter S. Augustl. lib. de sancta Virginitate cap. 54.

*Idem de quauis in religioso statu persona.*

836 Speciali item iure, ij qui religiosum statum capessunt, & calcato mundo addicunt se Christo, sponsarum eius nomen referunt: præsertim si religiosæ vitæ decora exprimant factis, nec vacuum & inane nomen ostentent. sanctus Bernardus serm. 85. in Cant. de vero religioso Christum vita & moribus referente, præfatus aliqua, ita statuit. [Ex quo iam gradu audet quæ eiusmodi est, cogitare de nuptiis. Quidni audeat, eo se nubilem, quo similem cernens? Non terret celsitudo, quam sonat similitudo, amor conciliat, professio maritat. Professionis forma hæc est: *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Hanc secuti Apostoli, aiebant *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Simile est illud quod in carnali quidem dictum, Christi & Ecclesiæ connubium spirituale significauit; *Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et apud Prophetam gloriatio maritatæ, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino meo spem meam.* Ergo cum videris animam relictis omnibus, Verbo votis omnibus adhærere, Verbo viuere, Verbo se regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo: quæ possit dicere. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum:* puta coniugem, verbóque maritatam. Confidat in ea cor viri sui, sciens fidelem, quæ pro se omnia spreuerit, omnia arbitretur vt sibi ipsum lucri faciat.] Præclarè quoque de his Christi cum Religiosa anima nuptiis Petrus Damiani Opusc. 10. cap. 1. occasione Blanchæ Comitissæ quæ relicto seculo & deliciis amplissimis Principatus, Christo se iunxerat in Religioso instituto.

Omnes has sponsas, ad Christi sponsi amorem vrgere licet verbis illi S. Ambrosij in cap. 5. Lucæ *sub finem*. [Bonus sponsus Dominus Iesus; hic nouo partu naturam nostram initiauit; huic desponsata, corruptelis carnis absolvitur. Non filios mortales requirit, non Euæ delectatur doloribus: non virum obnoxium culpæ, non hæreditatem condemnati patris requirit. Vidit enim carnis vlcera, quam antea concupiscebat: adiuertit non esse pulchritudinem veram, quæ vitiorum habeat deformitatem. Et ideò quid tibi cum tali sponso fœmina? Require diligenter, & in omni corpore inuenies cicatricem. Cognosce alium magis sponsum, qui circundatur luce, cuius species non potest interire. Hunc tolle in animum tuum, consecra in templo tuo, tolle in corpore tuo: sicut scriptum est, *Tollite Dominum in corpore vestro.* Huius thalamos ingredere nouos, huius spectato peregrinum decorem, hunc indue, hunc vide ad dexteram Patris, & gaude quia talem habes sponsum.]

## Vsus Doctrinæ.

*De Christo sponso.*

837 Non plura, de sponsæ Christi, cùm generatim tum speciatim dictæ, decoribus ac prærogatiuis. Quam verò è contrario infœlix est anima, quæ spreto tali sponso alium captat, & quidem tetterrimum & horrendum, ex quo horrendam sobolem edat. [Est execrabilis, (inquit Origenes hom. 2. in Numeros *sub initium*,) corporis etiam fornicatio. Quid enim ita execrabile, quam templum Dei violare, ac tollere membra Christi, & facere membra meretricis? Multo tamen magis execrabilis est generalis illa fornicario, in qua omne genus peccati pariter continetur. Generalis autem fornicatio dicitur, cum anima quæ in consortium Verbi Dei ascita est, & matrimonio eius quodammodò sociata, ab vllo, alieno scilicet, & aduersatio illius viri qui eam sibi despondit in fide, corrumpitur & violatur. Est ergo sponsus & vir animæ mundæ & pudicæ, Verbum Dei, qui est Christus Dominus, sicut & Apostolus dicit: *Volo autem vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.* Timeo autem ne fortè sicut serpens seduxit Euam astutia sua, sic corrumpantur sensus vestri à simplicitate quæ est in Christo Iesu. Donec igitur anima adhæret sponso suo, & audit Verbum eius, & ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit Verbi: & sicut ille dixit; *De timore tuo Domine in vtero concepi*, ita & hæc dicit, *de verbo tuo Domine in ventre concepi, & parturiui, & spiritum salutis feci super terras.* Si ergo sic de Christo concepit anima, fecit filios pro quibus dicatur ad eam, quia salua erit per filiorum procreationem si permanserit in fide & charitate & sanctitate, cum sobrietate, etiam si prius sicut Eua seducta fuisse anima videatur. Est itaque verè beata soboles, vbi concubitus factus fuerit animæ cum verbo Dei, & vbi complexus ad inuicem dederint. Inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia orietur, inde iustitia; inde patientia, inde mansuetudo, & charitas, atque omnium virtutum proles veneranda succedet. Quod si infelix anima, diuini Verbi derelinquerit sancta connubia, & & adulterinos se complexus Diaboli, aliorúmque Dæmonum illecebris deceptam tradiderit, generabit sine dubio etiam inde filios; sed illos de quibus scriptum est; *Filij autem adulterorum imperfecti erunt, & ex iniquo concubitu semen exterminabitur.* Omnia ergo peccata, filij fornicationis. Vnde & ostenditur, quod per singula quæque quæ gerimus, parit omnia nostra & generat filios, sensus scilicet & opera quæ gerit. Et siquidem secundùm legem est id quod gerit, & secundùm Verbum Dei, Spiritum parit salutis, & propterea saluabitur per filiorum generationem, & isti sum filij, de quibus Propheta dicit; *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Si verò quod agit, contra legem est, sine dubio ex conceptione contrarij spiritus malignam sobolem gignit. Parit enim filios peccati. Et istæ sunt maledictæ generationes, in quibus à nonnullis sanctorũ, maledicitur etiam dies in quo nati sunt. Nunquam est ergo quando pariat anima. Anima semper parit, semper generat filios. Sed illa quidem benedicta generatio

est, quæ de Verbo Dei concepta generatur, & ista est filiorum generatio, per quam salua fiet. Si autem, (vt diximus) ex contrario Spiritu concipiat, certum est quia pariat filios iræ, aptos ad interitum.]

Tali animæ, pro viro Christo, vir succedit Diabolus: quod concinnè expressit idem Origenes hom. 12. Leuit. *sub finem* & hom. 10. in Genesim tractans illud de Rebecca, *virgo erat & vir non cognouerat eam*, quod sic Glossat. [Nec hoc frustra scriptum est de ea. Verumtamen mouet me, quid est quod dicitur, *Virgo erat, vir non cognouerat eam*: quasi verò aliqua sit virgo quam vir contigerit. Et quid tibi videtur additamentum in Virgine, vt dicatur, *quia vir non cognouerat eam*: Est enim aliqua virgo quam contigerit vir? Sæpè iam dixi quod in his historiæ narrantur, sed mysteria contexuntur. Tale enim in hoc aliquid indicari puto. Sicut Christus animæ vir dicitur, cui venit ad fidem: ita & huic contrarius vir ille est, cui nubit anima cum declinat ad perfidiam. Ipse ille qui & inimicus homo dicitur, cum lolium superserit tritico. Non ergo sufficit animæ vt casta sit corpore; opus est, vt & vir hic pessimus non cognouerit eam. Potest enim fieri, vt habeat quis in corpore Virginitatem, & cognoscens istum virum pessimum Diabolum, atque ab eo concupiscentiæ iacula in corde suscipiens, animæ perdiderit castitatem. Quia ergo Rebecca virgo erat, sancta corpore & Spiritu, ideirco eius duplicat laudem, & dicit, *virgo erat, & vir non cognouerat eam*.]

838 Quæ eiusmodi non sunt Satanam virum fortiuntur, suntque eodem cum eo luctu dignæ. Iam quantus sit quámque acerbus esse debeat, audi S. Macharium hom. 15. post descriptam fœlicitatem animæ Christo sponso copulatæ. [Si verò quid aberret, aut in ministerio suo quippiam agat præter decorum, nec egerit quæ Domino grata sunt, & voluntati eius non fuerit obsecuta, neque cum gratia Spiritus secum habitante cooperata fuerit, tum contumelia atque ignominia afficitur, ac velut inutilis minimèque conueniens societati Regis cœlestis, vita priuatur: tandem illa tristitia, mœrore ac luctu cum omnibus sanctis ac spiritibus intellectualibus conficitur: Angeli Potestates, Apostoli, Prophetæ, atque Martyres, lugent eius causa. Quemadmodum enim *gaudium est in cœlo*, (vt inquit Dominus) *super vno peccatore pœnitentiam agente*; ita tristitia multa est & luctus in cœlo propter vnam animam ab æterna vita cadentem. Et sicut in hoc seculo si quis diues obierit, cum cantu lugubri, lamentatione & planctu effertur à vita per suos fratres, cognatos, amicos, & familiares: ita propter vnam animam omnes sancti lugent, lamentantur, ac voces lugubres emittunt. Atque hoc alibi subindicat Scriptura; *Cecidit Pinus, lugete Cedri.*] De exultatione è contrario dæmonum, ob deprædationem bonorum miseræ huic sponsa à cœlesti sponso collatorum, legesis Origenem hom. 8. in Ezech. *in fine*.

De Hæresi, & Paganismo, ac quacumque infidelitate vxoribus Diaboli, vnde infausta proles ex malo semine execrandorum seminum concipitur. Videndus Anastasius lib. 11. Hexaëm Gelasius Papa initio tractatus contra Andromacum Lupercalium restitutorem, ex eo quod quod Christianus quilibet sit membrum Ecclesiæ quæ est Christi sponsa, colligit omne mortale peccatum Christiani, esse adulterium eo corporali & carnali grauius, quo animam adeo sponso suo abiungere, tetrius est, quàm mulierem à viro mortali auellere. [Agnoscant, (inquit,) non tantùm corporali adulterij esse peccatum, quod & discuti debeat & iure puniri, sed esse longe maius fornicariis & adulteris genus, quod in quolibet Christiano, (quia membrum omnis Christianus Ecclesiæ est,) competenter, debeat vindicari. Tanto enim sacrilegij maius est crimen, quanto animæ fornicatio peior est corporis; Nam per animæ fornicationem ab ipsius Dei coniunctione disceditur, atque ad immundos spiritus, spiritualis adulterij genere, transitur.]

839 Et quia specialiter Religiosos sponsas Christi esse monstrauimus, audiendus est Petrus Damiani serm. 73. *in fine*, monstrans quanta verecundia & linguæ sobrietate, debeant exornari Religiosi, eo nominatim titulo perpenso, quod sint sponsæ Christi. [Anima nostra, (inquit,) superni Regis est sponsa, quæ accepto pignore sancti Spiritus, signaculo Fidei est dotata. Maneat ergo in suis penetralibus Virgo, non indecenter in publicum prodeat, non per oris limen egressa, in superuacua se verba, ac sæcularia inaniter fundat; ne se deuiare eam sponsus à modesta pudicitiæ suæ grauitate conspexerit, quandoque obiurgans, dicat; *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia greges tuos.* In cubiculo igitur suo Virginali more resideat, oris ostium clausum teneat, & nunquam, nisi quæ ad expectandum pertinent sponsi cœlestis aduentum, locutura procedat; sub vmbra se silentij reprimat, ne decolor videatur; ab omni se actu negotij secularis abscondat, vt non immeritò possit alacri voce cantare: *sub vmbra illius, quem desiderabam, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo: introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Solent autem sponsæ nobilium, diuersas pigmentorum species mandendo per ora reuoluere, vt aduenientibus procis, flagrantiùs valeant, ac suauiùs redolere. Anima etiam nostra cepas, allia, & quidquid terrenę prudentię acritudinem feruet, prorsus abhorreat: Cassiam verò assiduæ orationis, flatcem Sacræ lectionis, Psalmodiarum cinnama, & cuncta odoramenti spiritualis aromata ingiter flagrare contendat. Christus sit, omne quod loquitur, omne quod delectatur; omne quod sapit: omne quod viuit; Christum spiret, Christum flagitet, Christum æstuet, Christum ore pronuntiet, Christum assidua cordis meditatione pertractet. Amare alium nesciat, ad hunc solum, totis visceribus inardescat. Illum summis desiderij vocibus clamet, illum ad se venire, sui spiritu, & crebris gemitibus prouocet; illud diuersis adornata virtutibus, ipsa sui pulchritudine, vt ad se ingrediatur, inuitet: quatenus dum ad se cum, cui æstuat, cui anxiatur, cui inhiat, venire persenserit, protinus gratulabunda alacriter exclamat, dicens; *Vox dilecti mei pulsantis, aperi soror mea, amica mea, immaculata mea*; ac deinde subiungit: *surrexi aperire dilecto meo.* Felix anima, cuius thalamum, cœlestis ille sponsus ingreditur, ac indissolubile sibi perpetui amoris vinculo copulatur: quæ nimirum sine intermissione celebrat nuptiale conuiuium, & indeficiente copia

copia cœlestium fruitur epularum. Felix, inquam, anima, quæ dum diuinæ gratiæ rore perfunditur, cœlesti mox sobole fœcundatur. Sic nimirum arefacta carni, germinat sibi; mortua mundo viuit Deo, viuente, atque regnanti in sæcula sæculorum. Amen.]

## CAPVT II.

### *Christus, Pater futuri seculi.*

DONATVR hoc nomine Christus Isaiæ 9. sed de eius notione ambigi potest. Pro triplici namque notione nominis *Pater*, triplex sensus haberi potest illius denominationis Christo tributæ.

### *Patris notiones variæ, in Christum cadentes, pro Domino, Præceptore, ac Genitore.*

840 Interdum ergo, *Pater*, idem sonat quod *Dominum*, vt videre est in historia Naaman, vbi serui indignabundum Naaman iamque reuocantem gradum, abscessione prohibentes, sic affantur. *Pater etsi rem grandem dixisset tibi Propheta.* Vbi vox *pater*, idem planè sonat, ac Dominum. Et hoc sensu hunc Christi titulum in quo versamur, accepit Rupertus l. 1. in Matth. ad illud, *vocabitur nomen eius Emanuel.* Et lib. 2. in Esaiam cap. 3. Christum enim in altera vita, post exactum iudicium, non vt Dominum in seruos sed vt patrem in filios regnantem, patrem futuri seculi dictum censet. Tertul. lib. contra Iudæ. cap. 10. apertè suffragatur. Quod enim habetur apud Isaiam *pater futuri seculi*, vertit hoc modo, *nouus Rex seculorum Christus.* Nec dissimiliter lib. 3. in Marcionem cap. 19. in eiusdem loci Esaiæ expensione Christum *nouum regem, nouorum nouorum* appellat. sic accepit hanc Christi paternitatem Alcazarius in c. 1. Apoc. v. 4. not. 5.

Aliàs verò *pater* significat Magistrum; cum in Scripturis, vt habet S. Hieron. in cap. 16. Ezech. & alij Patres prolati lib. 4. de Virtutibus num. 426. tum etiam apud profanos, vt tradit Clemens Alexand. 5. Strom. cap. 2. *initio*, Vnus S. Basilij locus in cap. 1. Esaiæ ad illud, *Veh genti peccatrici semini nequam*, rem conficiet. [Consentaneum, (inquit,) proinde est & valdè secundùm naturam, semen referri ad filios. A semine enim ad hoc progreditur natura, vt generentur filij. Nec id modò secundùm generationes corporum, sed & iuxta animæ promotionem per doctrinæ semina, sicut auditores susceptis doctrinis eò vsque promouentur, vt morum similitudine suos exprimant Doctores; quare & filij appellantur, siue filij regni, cum exceptis salutaris doctrinæ seminibus, secundùm ea degentes perficiuntur, aut gehennæ filij: siquidem per peruersam & improbatam doctrinam, sibi ipsis concilient perditionem.] Et hoc sensu, esse Christum, futuri seculi, eius inquam orbis terræ futuri de quo Apostolus, parentem; ideſt præceptorem, sacra oracula sæpè produnt, vt infra videbimus. Insinuátque hanc Christi paternitatem S. Cyril. lib. 4. in Esaiam, eum supra formationem naturalem, & eam quæ est per Spiritus sancti infusionem, profert eam quoque formationem qua intelligibiliter conformamur per diuinam scientiam.

Est tertius, isque ex vocum cortice per se obuius sensus, quo Christus futuri seculi pater dicitur, quia de sponsa sua Ecclesia genuit beatam illam progeniem de qua Psal. 21. *annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cœli iustitiam eius, populo qui nascetur quem fecit Dominus.* Et hoc peculiari modo, considerandus hoc loco nobis venit Christus Dominus, vt pater futuri seculi. Huius rei gratia, obseruanda est multiplex generatio & natiuitas nostra. Triplicem proponit Nazian. carm. ad Vitalianum Filiorum nomine. Prima est, qua ex sanguinibus, & voluntate carnis ac viri procreamur. Secunda est, qua in Baptismo ex Deo nascimur, renati ex aqua. Tertia qua absterſis vitiis inter liberè agendum adnatis, formam nouam rectè operando nobis ipsi apramus ac inducimus, iuuante Deo. In quam rem egregiè philosophatur Nyssenus hom. 6. in Cant. Ex his tribus generationibus, prima non est ad rem præsentem, tametsi omittenda non fuit quia per ordinem ad eam præsuppositam, secunda vocatur regeneratio, & in ea dicimur renasci. Prima ergo illa apud Nazianzenum generatione dimissa, quia (vt dixi,) ad rem non facit, hæreamus in aliis, si tamen plures reuera statui debent, cum eodem relabantur ambæ, vt mox patebit. Duo autem hîc præstanda video; nempe primò vt liqueat, Christum esse patrem. Secundò vt constet esse patrem futuri seculi.

### *De Christo spirituum genitore, Testimonia.*

841 Patrem Christum, & Scripturæ densa testimonia, & manifesta ratio statuit. Ex Scripturis luculentus est locus Isaiæ c. 44. *memento horum Iacob & Israël, quoniam seruus meus es tu. Formauit te, seruus meus es tu Israel, ne obliuiscaris mei: deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Reuertere ad me, quoniam redemi te.* Eum locum de Christo esse, S. Cyrillus lib. 4. in Esaiam, colligit ex redemptione & remissione peccatorum, quæ Christi sunt opera. Et tamen disertè vocat se formatorem, ideſt patrem mystici Israëlis hac est, Christianorum. Origenes quoque hom. 6. in Exod. de Christo accipit illud *Deus Patris mei.* Quia enim Christus ipse, patrem vocat Deum suum, idcirco Origenes Deum patris nostri, interpretatur Deum Christi, qui pater noster est nósque fecit & genuit. Concinnissimè Bracharius *ferè in fine*, Epistolæ ad Ianuarium pro lapsis recipiendis, ait Christi filios esse Christianos in Ecclesiastici fontis vtero, & secreti perplexique vulua mysterij fatos, vt ex eo infra referam. Sed addit probationem ex verbis Christi in quo lapsus memoria est. Christum enim inducit, alloquentem his verbis Apostolos. *Iam non dicam vos seruos sed filios*, locus est Ioan. 15. vbi non *filios* sed *amicos* habet Germana lectio. S. Augustinus serm. 109. de temp. *sub finem*, agnoscit hanc Christi paternitatem. [Quia duo parentes non genuerunt ad mortem, duo parentes non genuerunt ad vitam. Parentes qui nos ge-

nuerunt ad mortem, Adam est, & Eua. Parentes qui nos genuerunt ad vitam Christus est & Ecclesia. Et pater meus qui me genuit ad mortem, Adam mihi fuit, & mater mea Eua mihi fuit. Nati sumus secundùm istam progeniem carnis, ex munere quidem Dei, quia & istud munus non est alterius, sed Dei: & tamen fratres quomodò nati sumus? Certè vt moriamur. Præcessores genuerunt sibi successores, nunquid genuerunt sibi cum quibus hìc semper viuant? Sed tanquam decessuri, qui illis succederent genuerunt sibi. Deus autem pater, & mater Ecclesia, non ad hoc generant; generant autem ad vitam æternam, quia & ipsi æterni sunt. Et habemus hæreditatem promissam à Christo vitam æternam, secundùm quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.] Non conuellit hanc S. Augustini doctrinam de Christo patre, quod esse Christum patrem, & simul ratione affectus, materni; tradit idem Augustinus in Psal. 101. ad illud. *similis factus sum pellicano solitudinis.*

Locus illustris pro Christo verò patre nostro, ex Ecclesia matre, habetur in vita Sanctorum Epidecti & Astionis cap. 5. & 6. in vitis Patrum. Eodémque recidit, quod Hierar. in actis S. Iustini interrogatus à Præside quos haberet parentes, respondit; *verus pater noster Christus est, mater verò fides, qua in ipsum credimus.* Huc pertinere quod Adam dicitur Christi similitudo, pulchrè his verbis notauit Gillebertus in Altercat. Synagogæ c. 4. *ferè initio.* [Adam dicitur similitudo Christi, quia sicut Adam à Deo solus constitutus est, vt ab eo procrearentur alij, & sicut de latere dormientis procreata est mulier; sic Christus à Deo Patre solus est omnium Spiritualis pater constitutus, & sanguis & aqua de latere fluens, Ecclesiam genetauit & consecrauit.]

### *Ratio, ex definitione Generationis.*

842 Eidem Christi titulo, suffragatur ratio luculenta ex notione Patris, & nostri diuina generatione per Christum, quæ latissimè & optimè exponitur à Cabasila in opere de vita in Deo. Vt autem eluceſcat, præmittendum est ex S. Ambrosio Epist. 77. superiùs adducto sect. 1. c. 2. hominem non esse vnum & simplicem sed duplicem. Profecit de more S. Ambrosius ex S. Hilario in Psalm. 118. ad illud *manus tuæ fecerunt me.* Et ex S. Basilio, cuius illa sunt hom. 10. Hexaëm. Post adductum Apostoli locum 1. Corinth. 4. à S. Ambrosio prolatum quo homo qui foris est, & corrumpitur; secernitur ab eo qui intus est, & renouatur de die in diem. [Qui possim istos duos internosse homines? Planè vnum, qui in conspicuo est omnibus: alterum, qui tectorio corporis ipsius palam cognobili conuelatus delitescit, inuisibilis ille interior homo. Introclusum itaque hunc habemus & arcanum hominem, deprehendimur hinc quadantenus esse duplices: ac proinde id verum, quod in omnium versatur ore, *intus sumus.*] Eadem habet Nyssenus lib. de Virginit. cap. 19. Hac ex causa interdum in Scripturis dici cum congeminatione *homo homo*, tradit pulcherrimè Origen. hom. 24. in Numer.

Cum sic igitur in nobis homo duplex, duplicem itidem eius generationem statui necesse est: externi nimirum hominis vnam, cuius causa sunt parentes, alteram interni hominis, quam pater Christus efficit. Et secundam quidem generationem insinuatam cap. 2. Genes. dixit loco proximè adducto Ambrosius: qui duas *creaturas*, idest duas formationes hominis exhibuit, priorem terreni & externi hominis, traditam Genes. cap. 1. posteriorem autem cap. 2. expressam. Nam intra adeò arctum spatium, bis eadem iterasse, mysterio non vacat. Vt autem superuacuæ iterationis insimulemus Mosem, absit vt vel in cogitationem admittamus. Siquidem vt alia occasione ait S. Basilius hom. 10. Hexaëm. [Intoleranda prorsus & grauis blasphemia fuerit, vel Verbum asserere in Scriptura inueniri otiosum.] Idem habet S. Bernardus ho. 1. super *Missus est*, initio. Quare existimat S. Ambrosius, iteratam illam descriptionem formationis hominis, pertinere ad productionem supernaturalem interni illius hominis, quem S. Petrus vocat *absconditum cordis hominem.* Idem breuiter tangit S. Hilarius in Psal. 118. ad illud *Manus tuæ fecerunt me*, in ipso initio. Optimè item hæc attigit S. Optatus l. 2. contra Parmenia. *sub medium*, vbi sic scribit. [De Ecclesiæ sanctis membris ac visceribus tacuisti (alloquitur Parmenianum Donatistam) quæ sunt procul dubio in sacramentis, & in nominibus Trinitatis: cui concurrit fides credentium, & professio quæ apud acta conficitur Angelorum; vbi miscentur cœlestia & spiritualia semina, vt sancto germine noua possit renascentium indoles procreari; vt dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat seculo, renascatur spiritaliter Deo. Sic fit hominum Pater Deus, sancta sic fit mater Ecclesia.]

Plenè hoc & eruditè versat Anastasius Sinaita l. 7. Hexaëm. Illud insuper quod ad rem præsentem maximè facit diligenter considerans, aliter opificij illius terreni auctorem, Deum nominari cap. 1. aliter secundi opificij molitorem cap. 2. idque ad Christi designationem pertinere, sic ostendit. [Ante factam à Deo hominis constructionem, simplici quodam nomine, diuina Scriptura vocat & appellat opificem, nempe *Deum*; ei nomini nullam addens compositionem aut additionem, vt quando dicit; *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Et rursus deinceps; *Et dixit Deus*: Et, *separauit Deus inter medium lucis.* Facto autem homine duplici, (qui est inquam, compositus ex terra & diuina insufflatione,) statim Scriptura compositum quoque, & duplex fecit nomen Opificis, cum appellans *Dominum & Deum*; idque non semel nec bis, nec septies, sed in septendecim capitibus ordine, & deinceps, ipsum nominauit *Deum & Dominum*, tanquam continuatione duplicationis & compositi nominis, Spiritu sancto nos docente & dicente, Cognoscite quod qui olim ante secula simplex erat & incompositus, sibi constructo humano tabernaculo, ei vnietur in Hypostasi in posterioribus temporibus, & fiet compositus qui erat ante simplex & incompositus; compositam portans appellationem per Incarnationem, vt qui appelletur Christus Deus; hoc est Deus & homo. Quem pulchrè cum palpasset & vidisset Thomas, & in eo perspexisset duarum naturarum coniugationem, exclamauit dicens; *Dominus meus & Deus meus.*] Et inferiùs, omni stupore & admiratione id plenum

num esse,manifestéque indè patere,eam vniuersam secundò narratam hominis molitionem ad Christum pertinere , fusè omnino prosequitur; & esse contra Iudæos argumentum ineluctabile,existimat.

843 Formamur autem & secundò generamur,producto in nobis interno homine , cum nobis per Christum communicatur gratia sanctificans. Nam generatio est processio viuentis à viuente,in similitudinem naturæ;gratia autem vt S. Maximus scitè dixit,centuria cap.ex variis cap.76. est diuinitas participata:quod aliter dicitur , gratiâ esse diuinitatem participatam.Non illo absurdissimo sensu quem Ioan. Vincentius Relectione de gratia Christi insinuauit , & ferè frustra explodit Suarez lib. 7. de gratia cap. 1. num.24.quod scilicet gratia habitualis sit participium diuinæ independentiæ & purissimæ actualitatis, ( prorsus quippe impossibilis est ea participatio diuinitatis;) sed quod gratia sanctificans eius sit naturæ , vt reddat nos proportionatos ad attingendum in se Deum , per fidem, spem, charitatem , aut etiam lumen gloriæ,quæ sunt eius connaturalia germina partim in hac vita, partim in alia. Vnde quia modus operandi sequitur modum essendi, sicut actiones principiorum illorum proximorum quæ gratiæ adiunguntur vt potentiæ , induunt aliquid Deo reciprocum , súntque Deo propriæ;ita essentia (vt ita dicam, ) cui illæ veluti potentiæ implantantur, censetur esse quædam participata diuinitas, vel diuinitas proportionalis. Hæc sunt illa Dei membra , quæ nobis communicari ait S. Macharius hom. 15. [ Si igitur ( inquit ) quis Deum diligit , Deus quoque cumeo suam ipsius commiscet dilectionem & eum semel crediderit in Deum, addit illi Deus fidem cœlestem,& ita homo efficitur duplex.Vt possis igitur ex membris tuis offerre Deo , ille ipse ex propriis veluti membrorum similia permiscet cum anima tua, vt omnia syncerè possis peragere , diligere , atque precari.Summæ enim dignitatis,est homo.]

Idem ergo proportione hîc cernitur ac in peccato , cuius admissione anima semine Diabolico grauidari , & homo in Diaboli filium formari dicitur , vt optimè tradit Origenes hom.8.in Exod.*ad finem*, & Oecumen. 1. Ioan. 3. Idem ex Mercurij Asclepio referre mimini in Morali dist.4.n.401. peccatum enim est semen Diaboli , æquè ac gratia semen Dei , vt expressè vocatur dicto cap. 3. Ioan. Sicut ergo Christus nobis gratiam sanctificantem tribuit, ita meritò censetur generare nos in similitudinem naturæ suæ diuinæ , & facere nos Dei filios.

Accipe vniuersam hanc de nostra ex Christo parte generatione doctrinam ex S.Paciano serm. de Baptismo post medium. [ Iam videbitis qualiter Christo parente generemur. Nouissimis temporibus animam vtique cum carne accepit Christus ex Maria , hanc venit saluam facere, hanc apud Inferos non reliquit , hanc spiritui suo coniunxit,& suam fecit. Et hæ sunt nuptiæ Domini vni carni coniunctæ,vt secundùm illud magnum Sacramentum fierent duo in carne vna,Christus, & Ecclesia. Ex his nuptiis Christiana plebs nascitur , veniente desuper Spiritu Domini : nostrarúmque animarum substantiæ, superfusa & admixta protinus semente cœlesti, viscéribus matris inolescimus,aluóque eius effusi,viuificamur in Christo. Vnde Apostolus;*Primus Adam , in animam viuentem , nouissimus Adam , in Spiritum viuificantem.* Sic generat Christus in Ecclesia , per suos Sacerdotes,vt ait idem Apostolus;*In Christo autem ego vos genui.* Atque ita Christi semen,idest, Dei spiritus , nouum hominem aluo matris agitatum , & partu fontis exceptum , manibus Sacerdotis effundit , fide tamen pronuba. Neque enim aut insertus in Ecclesiam videbitur , qui non credidit, aut genitus à Christo:qui spiritum ipse non recipit. Credendum est igitur , posse nos nasci.]

### *Per Christum , efficimur ad Dei imaginem.*

844 Hæc est productio imaginis Dei ad eius imaginem facta per Christum. Diuinè planè id prosequitur S. Ambros.serm. 10. in Psal. 11.ad v. 1. vbi plurimis præmissis de immensa hominis dignitate ratione spiritualis formationis qua est ad Dei imaginem , vt appareat Christum esse cui tanquam factori & patri vniuersa secunda generatio est adscribenda , addit. [Filius hominis Angelorum ore laudatur, quod Angelos malos vicerit & de nequitiis spiritalibus quæ sunt in cœlestibus, triumphauerit:quod fecerit similes Angelorum homines , in quibus ante erant contagia mortuorum.*Verbo*,(inquit,) *Domini cœli firmati sunt & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.*Homo quippè Spiritu Domini, perfectionem vitæ, consummationémque virtutis accepit. Inspirauit in eum Dominus spiritum vitæ , & factus est homo in animam viuentem. Vita ergo nostra cœpit ex inspiratione diuina: Sed vita hæc secessione animæ corporísque dissoluitur,inspiratio autem diuina non soluitur.Et ideò intellige aliud esse quod figuratum est, aliud quod factum est vel paratum. Meritóque dupliciter habes scriptum de homine. Primum enim scriptum est : *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* : & *dominabitur*, (inquit,)vel principatum habebit;*& fecit Deus hominem ad imaginem Dei.*Secundo autem loco ita scriptum est ; *Quia accepit Deus puluerem de terra,& plasmauit hominem.* Vbi puluis,ibi non terra,non materia,sed incorporeum,sed admirabile;ibi non materia , sed immateriale. Quod enim secundùm imaginem est , non est in corpore , nec in materia , sed in anima rationabili. Ibi operatur,ibi ostenditur homo ad similitudinem & imaginem Dei,vbi iustitiæ , vbi sapientiæ , vbi omnis forma virtutis assumitur. Si intelligas imaginem,videbis ad imaginem. Homo enim non est imago Dei , sed ad similitudinem factus. Alius est imago Dei inuisibilis , primogenitus vniuersæ creaturæ , per quem facta sunt omnia. Ille non ad imaginem,sed imago:tunon imago,sed ad imaginem.Habes ergo in tua substantia aliquid de imagine & similitudine Dei, quod sit diuinæ simile imagini. Propterea imago ad eum quo ad imaginem venit, & quærit imago eum qui est ad similitudinem sui , vt iterum signet, vt iterum conformet, qui amisisti quod accepisti. Insufflauerat enim tibi Deus, vt inspirationis suæ dono haberes gratiam , quam tibi tua culpa sustulerat : factus erat in animam viuentem. Audi quid dicat ; non in carnem, sed in animam viuentem. Sed quia peccator signaculum

culum tenere non potuit, & in crimine positus non sapiebant quæ Dei sunt, sed quæ hominum: propterea venit Dominus noster Iesus Christus. Legisti in Euangelio, & à mortuis resurgens cùm clausos discipulos reperisset, claustris ingressus est manentibus, & dixit; *Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Cùmque hoc dixisset, insufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum sanctum.* Vidésne ergo quæ manus fecerint hominem, aut quem hominem fecerint? Illum vtique, quem secundùm Christum induimus, expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur ad agnitionem secundùm imaginem eius qui creauit eum, vbi non est seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.] Subiungit quidem paulò post, manus Dei quæ plasmauerunt interum nobis hominem, duas esse; hoc est, Christum, & Spiritum sanctum. Sed hoc referendum est ad communicatum nobis per Christum Spiritum sanctum, quod superiùs expresserat, cum dixerat, Christum Spiritu oris sui nos viuificasse, & insufflando ac Spiritum sanctum impertiendo, formasse nos secundò, itavt Christus rationem Patris habeat; Spiritus verò sanctus rationem animæ, & causæ quasi formalis.

### *Quod à Spiritu sancto, aut à nobis effici dicamur, eodem recidit.*

845 Imo tametsi daremus spiritum sanctum habere se ad nostram hanc secundam generationem vt patrem, eodem reuolueremur. Nam Spiritus sanctus non operatur circa formationem nostram spiritualem, nisi per auxilia & influxum è Christi meritis debitum: vt proinde proxima & immediata moralis causa formationis nostræ internæ, sit Christus, iuxta Tridentinæ Synodi doctrinam sess. 6. cap. 4. qua sancitur, renouationem interioris hominis, vnde homo fit adoptione Dei filius, per misericordiam quidem Dei signantis & vngentis Spiritu promissionis sancto effici: meritoriam tamen eius causam, quæ moralis causa effectiua est, dilectissimum Patris filium esse, Iesum Christum Dominum nostrum. Itaque Spiritus sancti interuentus, non excludit Christum Patrem. Sicque accipiendi sunt, qui dicunt, filios Dei adoptiuos ad imitationem filij naturalis de Spiritu sancto procreari: quod Fulgentius insigniter prosequitur, lib. de Incarnat. & gratia Christi cap. 20. nósque infra plenius trademus, agentes de Christo fidei ac vitæ auctore.

Similiter tametsi interdum homo dicatur sibi ipsi pater esse, tamen nihil inde officitur titulo quem hîc Christo vendicamus. Nam idcirco tantum homo dicitur sibi Pater quia voluntarie se disponit ad susceptionem esse spiritualis, & internam suam effectionem Deus enim vt insigniter planè philosophatur Nazian. orat. 1. & orat. 37. num. 58. & S. Basilius hom. 10. Hexaëm. & Gregorius Nyssen. in Orat. Catech. cap. 30. noluit statum gratiæ & filiationem supernaturalem esse nobis ex necessitate, sed ex libertate Deo præuenienti cooperante, quod ad adultos attinet, vt locus esset merito nostro iustæque suæ remunerationi. Hanc igitur ob causam, adultus liberè admittens gratiæ sanctificantis infusionem, dicitur animam suam viuificare vt est apud Ezechielem & sanctificare se sicut & Christus sanctus est, iuxta Ioannem; Esséque sibi Pater, quod ex Nazianzeno retuli, huius capitis initio; fusiùs idem habet Gregorius Nyssenus hom. 6. in Eccles. tractans illud, *tempus parendi*, sic præter cætera philosophatus. [Mihi videtur maturus esse partus & non abortiuus, quando, vt dicit Esaias, cùm quispiam ex Dei timore concepit, per animæ in partu labores, suam salutem genuerit. Nobis enim ipsis quodammodò patres sumus, quando per bonum animi institutum, liberúmque arbitrium nos ipsos formauerimus & genuerimus, & in lucem ediderimus. Hoc autem facimus, ex eo quòd Deum in nos ipsos formauerimus, & genuerimus, & in lucem ediderimus. Hoc autem facimus ex eo, quod Deum in nos ipsos admittamus, effecti filij Dei, & filij virtutis, & filij altissimi: Et nos ipsos rursus abortiuos edimus, nósque imperfectos & subuentaneos reddimus, quando non fuerit in nobis formata, (sicut ait Apostolus,) Christi forma. Oportet enim integrum & perfectum esse hominem Dei. Integer autem ille omnino est, cui perfectæ naturæ completa fuit ratio. Si qui ergo per virtutem seipsum Dei filium fecerit, præclari huius ortus accepta potestate, is nouit tempus boni partus, & meritò gaudet, conuenienter Euangelio, quod natus sit homo in mundo. Qui autem natus est filius iræ, & filius perditionis, & fœtus tenebrarum, germen viperæ, malus fœtus & alia omnia, quibus malus malè audit partus, is non nouit tempus quod gignit vitalia; est enim vnum tempus pariens ad vitam & non plura. Qui ergo propter impotentiam, partum non est assequutus, sibi ipsi parturiit interitum, & ad mortem suæ est animæ obstreticatus.]

Addit lib. de vita Mosis, initio expositionis Tropologicæ, agens de malculis Hebræorum quos Pharao curabat perdendos, in quibus potestate esse in hac spirituali generatione, quod in corporea negatur, marem se aut fœminam facere; sexum enim masculum, robusti & perfecti animi symbolum esse docet: fœmineum mollis & imperfecti. Tum subdit. [Est autem vita humana, mutationi semper supposita: quare oportet, cùm non sit æterna & immutabilis, semper nasci non aliena fit appetitione, nec extrinsecùs, vt in corporali natiuitate, sed electione propria vnusquisque nascitur: vnde fit, vt nos ipsi Patres quodámodò simus nostri, qualescumque nos volumus electione gignentes, & aut matrem aut fœminam, vitij ac virtutis ratione fingentes. Itaque licet nobis profectò, cùm audiamus quanta hostis noster afficitur mœstitia masculinæ prolis, idest, virtute præditi viri natiuitate: licet inquam, nobis mares nos ipsos gignere, ac parentibus nostris, cogitationibus scilicet bonis, quæ virtutem pariunt, voluptatem afferre.]

Est ergo homo ad sensum prædictum, sibi Pater citra Christi veri & propriè dicti interuentu Patris, exclusionem: quod agnoscit idem Nyssen. in orat. Catech. cap. 38. & sequentibus, elegantissimè tradens hominem quoad hanc mysticam generationem, patrem sibi quem vult diligere, Christum aut Satanam. Non est ego homo reuera sibi Pater magisque propriè homo diceretur sibi mater, quia ex Christo concipit ejusque semine; quod ex Eusebio in illa verba Cantici Esaiæ *à timore tuo Domine concepimus*, nec non ex Richardo Victorino & S. Bernardo monstrate

monstrare memini in Defensione Valeriani Cemelensis cap. 5. n. 3.

### *Alij quidam, nostri in Spiritu Patres, sed in Christo, & extensa voce.*

846 Eandem denique ob causam etsi aliqui dicantur filios Christo gignere, quod de se Apostolus profitetur, cum ait, *in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*; & fideles, dicuntur *filij hominum*, Psalm. 77. idest Apostolorum interprete Tertulliano 5. contra Marcionem cap. 8. taléque sunt omnes viri Apostolici non adulterantes Verbum Dei, ideſt (interpretibus Etherio & Beato libro 1. contra Elipandum,) non quærentes solam voluptatem ex Dei Verbi tractatione, sed prolem & fructum spirituale. Id quod ante dixerat S. Gregorius Moral. c. 28. & fusè omnino ac benè prosequitur Agobardus lib. de modo regiminis Ecclesiastici. Has esse oues fœtas, quas se portaturum profitetur Deus, ait S. Hieronymus in cap. 40. Esaiæ. De Christianis Sacerdotibus ita scribit S. Chrysost. l. 3. de Sacerd. c. 5. [ Hi sunt, hi sunt inquam, quibus tum concreditæ sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus à Deo est commissus. Per hos ipsos Christum induimus, vnà cum Dei filio sepelimur: beati illius capitis membra efficimur: quo nomine Sacerdotes meritò non modò plus vereri debemus, quàm vel Principes vel Reges, verùm etiam maiori honore quàm parentes proprios honestare. Hi enim ex sanguinibus, & voluntate carnis nos genuerunt: illi verò autores nobis sunt natiuitatis eius quam à Deo habemus; beatæ generationis illius, libertatis vitæ, atque adeò adoptionis eius, qua nos per gratiam filij Dei sumus effecti. ] In eandem sententiam Clemens item 2. constitut. c. 30. agens de honore quo prosequendus est Episcopus. [ Is pietatis (inquit) magister est. Is post Deum pater videtur, qui per aquam nos regenerauit in adoptionem filiorum Dei. ] Omnes hoc modo tenentur patres esse. Propterea enim vetabatur Eunuchus ingredi Ecclesiam Dei; qui scilicet vitæ institutione aut sermone, sobolē Deo non procreat, instar Pauli in Christo Iesu multos gignentis, vt exponit Clemens Alexand. 3. Strom. *sub finem*. Ex duplici modo per spirituale matrimonium procreandi, hunc priorem proponit S. Bernardus serm. 85. in Cant. *in fine*. His ac similibus, *patris nostri* nomen quandoque datur; quia suscitant defuncto fratri semen, & prolem transcribunt. Audi S. Augustinum 32. contra Faustum cap. 10. [ Faustus in mandatis veteris Testamenti pro crimine obiecit, quòd vxorem fratris ad hoc frater iussus est ducere, vt non sibi, sed illi sobolem susciteret, eiusque vocaret nomine, quod inde nasceretur? quid aliud in figura præmonstrat, nisi quia vnusquisque Euangelij prædicator ita debet in Ecclesia laborare, vt defuncto fratri, hoc est Christo, suscitet semen qui pro nobis mortuus est, & quod suscitatum fuerit, eius nomē accipiat. Denique hoc implens Apostolus, non iam carnaliter in præmissa significatione, sed spiritualiter in completa veritate, quos in Christo Iesu per Euangelium se genuisse commemorat, succenset eis, & eos increpans corrigit, volentes esse Pauli. *Numquid Paulus*, (inquit,) *pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Tanquam diceret, Defuncto fratri vos genui, *Christiani* vocamini, nō *Paulini*.

847 Aliquando igitur, tametsi paulò infrequentiùs Prædicatores audiunt Patres; & quamuis audiunt, non nisi extensa voce patres sunt, quatenus nudum exhibent ministerium aptandi homines ad voluntariam diuini seminis per Christum transmittendi exceptionem. Vnde cōferuntur agricolis semen iacientibus, quos tamē nemo patres culmi, aut spicæ, ex iacto per eos semine germinantis dixerit, cum illud semen nō sit de agricolæ substantia. Christus autem meritò pater appellatur, quia omnium semen est, vt loquitur S. Ambrosius in Psalm. 43. ad illud *in gentibus dispersisti nos*. Eóque spectat, quod alibi filiorum in Christo matres, potiùs quàm patres appellantur, eósque parturire ob labores animarū conuersione ponendos dicuntur. Quod planè egregiè quoad S. Paulum; prosequitur S. Chrysost. hom. 10. de pœn. tractans illud ad Galat. 4. *filioli mei quos iterum parturio*; & eximiè describens Beatæ illius alui fœcunditatem, iugesque parturitionis dolores, ex tam numerosa prole quam Christo genuit Apostolus. Nec cessare cum partu harum matrum dolores, ait idem Chrysost. hom. 4. in 2. ad Thess. *in ipso fine*. Insigniter hæc omnia ad Gal. 4. expressit S. Hier. [ Quis putas nostrum ita de Discipulorū anxius est salute, vt non paucis horis, aut vt multùm, biduo triduóve, sed toto vitæ suæ tempore torqueatur, donec Christus formetur in eis. Exemplum fœtæ mulieris quod assumpsit, concipientis & formantis in se semina, diligenter tenendum est, vt possimus intelligere quod dicitur: Natura non erubescenda, sed venerāda est. Sicut enim in vuluam mulieris primùm semen iacitur informe, vt sulcis & fundo eius quasi quodam glutino adhæreat; de quo & Propheta initij sui recordatus ait; *Incompositum meū, viderunt oculi tui*; Deinde per nouem menses restricto sanguine, futurus homo coagulatur, corporatur, pascitur, atque distinguitur: vt quum in vtero palpitarit, statuto tempore fundatur in lucem; & tantis difficultatibus nascitur, quantis postea ne intereat enutritur: Ita & semen sermonis Christi, cū in animam audientis inciderit, per gradus suos crescit, & vt multa paternam (possumus quidem facilè corporalem descriptionem transferre ad intelligētiam spiritualem) tandiu in ancipiti est, quandiu pariat qui concepit. Nec statim finis industriæ est edidisse, sed tunc alterius laboris exordium est: vt lactentem infamiam sedulis nutrimentis & studiis, vsque ad plenam Christi perducat ætatem. ]

Quod porrò Christum ex Ambr. omnium sanctorum semen vocabam, benè concinit cum eo quod habet Abucara Opusc. 6. volens exemplo docere, quomodò ex Christo veluti semine nostrum, suauitas & dulcedo abiectioque amaroris, sit cōsecuta. [ Aiunt (inquit) si semen peponis melle tinctum seras, dulcedinem mellis in ipsum fructum transire. Ita Christus naturā ab oleosa qualitate, nimirum à peccato per sanctū Baptismum expurgata, assumpsit illam absq; labe & macula, qualis priùs erat, & condita fuerat, eáque melle diuinitatis & dulcedine, hoc est virtute Spiritus S. delibuta, nos etiam dulcedinis participes effecit, quemadmodùm grana peponis, quasi per traducem fructum participē efficiunt. ] Cur peccatum dixerit oleosam qualitatem, pen-

det ex antecedentibus, quibus propagationem peccati exemplo vuæ ex palmite in oleum immisso editæ, & oleum redolentis, declararat. Quorsum verò naturam à Verbo assumptam, dicât baptismo præpurgatam, & postea assumptam, non video! Accipio itaque dumtaxat exemplum de semine puro, & melle iuncto, è quo pura & mellita existant grana.

### *Proles ex Christo Patre, & eius sponsa S. Ecclesia.*

848 Ratum igitur esto, Christum esse patrem nostrum, qui sicut sponsam habet Ecclesiam, ita ex ea suscipit benedictam hanc prolem. Insigniter id prosequitur Stapletonius l. 8. de Principiis c. 19. Nos alia addemus. Egregiè ergo Ecclesiam sub schemate matris fidelium, depingit S. Augustinus. Epist. 38. demonstrans læto quem mater carnalis à stiua Euangelica reuocare conabatur, quàm potiùs astringeretur matri spiritus, siue Ecclesiæ.

Eadem ex causa S. Chrysost. in Psal. 38. *in fine*, tractans illud, *Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ*, Ecclesiam censet ibi *adiutorij* nomine significatam à Christo, tanquam vxorem Christi. [Auxilium, (inquit,) suum vocat Ecclesiam, ea etiam ratione saluam facere volens Adæ imaginem. Illi enim data erat vxor ad auxilium. *Faciamus enim*, (inquit Deus,) *auxilium simile sibi*. Et ideò Paulus quoque dixit de Christo, ea quæ de Adam & Euædicta fuerant; nempe, *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. Deinde quid his subiunxit? *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & in Ecclesia*. In hanc ergo vult partem intendere & respicere.] Liquet, Chryso. illam apud Mosem *vxoris* descriptionē, *adiutorium simile sibi*, hoc est *viro*; Ecclesiæ ad Christum comparatæ aptatā velle.

Imo S. Anast. Sinaita l. 9. Hexaëm. propriissimè in solam mysticam Christi vxorem cadere eam descriptionem scitè tradit. Reprehēdit enim primùm Anast. Manetem, qui blasphemè dixit Deum veteris Testamenti esse mentitum, cum mulierem vocauit *adiutorium simile viro*, quæ tamen virum non iuuit, sed perdidit. Reprehendit item Anast. Aquilam, qui non vertit, *faciamus ei adiutorium secundùm ipsum*; sed, *faciamus ei adiutorem ex aduerso eius*, ideſt aduersarium & hostem. Addit Anast. esse reuera perdifficile, monstrare mulierem quæ sit viri adiutorium, & non potiùs fossa, & insidiatrix, atque tentatio, & ruina. Tandem postquam diluuium malorum à fœmina viris immissum latè & grauiter proposuit, verum adiutorium simile homini, interpretatur S. Ecclesiam. Itaq; concludit. [Adhortor Iudæum & Græcum seu Gentilem, vt quærat & possideat illam adiutricem, quam Deus fecit ad ferendam opem toti generi hominum: adiutricē non carnis & voluptatis, non seminis & sanguinis. Adiutricem & coniugem, quæ nequaquam fuit insidiatrix, sed salutaris, sed conseruatrix, sed illuminās, sed benevola, peccata purgans non faciens, in regnum Dei introducens, non ex eo expellens; Adiutricem quæ parit filios vitæ & hæredes vitæ æternæ. Adiutricem quæ Magos fecit Apostolos. & facit Publicanos Euangelistas, Theologos. redditque meretrices Virginibus honestiores; Adiutricem, quæ viuificat mortuos, & orbem terræ excitat ex mortificatione Idololatriæ. Adiutricem inuictam, adiutricem inexpugnabilem, adiutricem certando insuperabilem & infractam. Omnia regna; omnes progenies, omnes tribus, & omnes linguæ gentium ab ea sunt seruatæ. Ipsa iacentes erexit, ipsa curauit infirmos, ipsa recreauit creaturam: Et ideò de ipsa dixit Dominus Deus, de Ecclesia, inquam, *Non est bonum, hominem esse solum*. Et propterea ei vnitus est Deus Verbum, vt non sit amplius homo solus, sed cum Deo totus, non solùm in vna quadam hypostasi, sed etiam quando ei per virtutem vnitur.] Addit inferiùs, nusquam in tota Scriptura, mulierem aliquam viri adiutorium vocari, sed tantùm eā vocē vsurpari, cum agitur de Ecclesia quæ verè fuit, & est, Christi viri sui adiutorium.

849 Sanè conuenticula malignantium, & synagogæ impiorū, (quod habet idem Anast. l. 11. eiusdem operis,) coniuges sunt Satanæ. [Dico (inquit,) quod sola quæ est Christianorum Ecclesia Christi, & hostis & inimica serpenti: reliquæ autem omnes quæ sunt in mundo religiones & fides gentium, (tam Iudæorum quàm Barbarorum,) sunt amicæ & contubernales, & coniuges, & propriæ Diaboli serpentis, ex eo natæ, & quæ ex eo conceperunt malum semen execrandorum dogmatum, adeò vt eis idem sit & pater & vir, qui introduxit execrandam sui inter se corruptionem: Hoc enim significant etiam quæ deinceps sequuntur Dei verba ad ipsum serpentem. Nam cum dixisset; *Ponam inimicitias inter te & mulierem*: subiunxit dicens; *Et inter semē eius*. Atqui debebat dicere: *Et inter semen eius*: si ad corporalem serpentem & mulierem corporalem solam essent ea quæ dicuntur. Mulier enim non emittit semen, sed cum acceperit, parit fœtum. Semina ergo Ecclesiæ, sunt pia dogmata, & disciplinæ quas seminauit ille Agricola, dicens: *Exiit qui seminat ad seminandum*. Rursus serpentis sunt mala semina & impia, hæreticorum mendacia & prædicationes.] Et inferiùs. [Cæteræ omnes quæ sunt in mundo fides, præter vnam & hanc Christi solam vxorem & Christianorum Ecclesiam; sunt amicæ serpentis. De cætero autē quando videris reliquas mulieres & fides, Iudeorúmque & Barbarorum Synagogas, psallentes, clamantes, dies festos celebrantes, vigilantes, ieiunantes, sacrificantes, adorantes, Deum nominantes, fidem prædicantes, dogmata statuentes, Scripturas legentes, Christum autem Deum verum ex Deo vero non confitentes, certò scias, quod eæ omnes sunt amicę Diaboli, (nempe serpentis,) & nulla ex iis est inimica & ab eo aliena, nisi ipsa eáque sola Christi Ecclesia & eius semen. Illæ enim omnes sunt fornicatrices & adulteræ, & ex semine serpentis, concipientes & parientes; Fortasse autem habentes etiam proprium & innatum semen, serpente deterius.]

Hæc cum ita sint, nemo nō videt, quanto iure Ecclesia, vxor illa Christi censeatur, quæ verè est adiutorium viro simile, estq; ei sicut vitis abundans, &c. Nec id negat Clem. Alex. 1. pædag. c. 6. cum de nouo cœtu ait. [Quem ipse Dominus carnali labore peperit: quem ipse fasciis alligauit Dominus, pretioso sanguine. O sanctas fecundinas, & partum sanctum. O sanctas fascias. Verbū est omnia infantū, & pater, & mater, & pædagogus & altor.] Et mox, Verbum vocat *mammillam patris*, vnde nobis illud lac rationabile & *verbale*, de quo vt ipse ex interprete habet 1. Petri

1.Petri 2. Et inferiùs addit. [ Nobis ipse Christus infantibus est alimentum,qui Verbum cœlorum exugimus. Hinc quærere Græcis dicitur μαστεύειν , quod infantibus qui Verbum quærunt,paterna benignitatis vbera , lac suppeditant.] Ista inquam non excludunt materna Ecclesiæ in nos officia , sed exponunt quæ à Christo accipimus per proportionem ad matèrnam efficientiam & charitatem , vt adæquetur vtcumque immensa vis Christi beneficientiæ in nos. Quo item pacto Valerius Soranus apud S. Augustinum 7.ciuitatis cap. 9. vocat Deum, *progenitorem & genitricem.* Gentiles apud Clementem 5.Strom.dixere μητρόπατρα.

850 Cadit profectò in Ecclesiam Christi, parientem tantam sobolem , appellatio illa quã Euæ suæ indidit Adam, vocans *matrem omnium viuentium* ; quod disce ex eodem Anastasio ad calcem libri 11. eiusdem operis. [ Quoniam per mulierem *Vitam* , quam ex suo peperit latere, somno sopitus qui naturam viuificat , & sic ea est exutus qui dicit ; *Ego sum vita* : hæc facta sunt,& venit in mundum, & per ipsam dissoluit mortem , & per ipsam viuificauit illa gentium animalia quæ in Paradisum ad ipsum fuerant introducta, & per ipsam viuificauit mortuos ex Inferis,& mortali naturæ vitam est largitus : ea de causa & pœnam mortis subiit nouus Adam, & nomen suæ vxoris (nempe Ecclesiæ,) posuit vitam, quoniam ipsa est mater omnium viuentium, absconsum in Christo vitam. Hinc docemur,magnam admirabilem Ecclesiæ gloriationem.Beata & ter beata est spes, & in altum elatio Christianorum. Nam per ea quæ dicta sunt, in mundo sunt mortuæ , & matres mortuorum populorum & gentium, vt quæ in se non habebant eum qui dicit, *Ego sum vita,* neque regenerant & viuificant per vterum aquæ & Spiritus suos filios & populos : sed sunt sine semine, & viduæ fontis vitæ,non fruentes aqua viua & saliente in vitam æternam. Sola ergo eius Ecclesia , dicitur & vita & mater omnium viuentium. Et propterea eius etiam vxor est mater, non mortuorum, sed omnium viuentium Christum veram vitam:& quicumque ex ea non nascitur , est mortuus peccato : Corporalis autem mulier Adami corporalis, non est mater viuentium sed mortuorum hominum. De hac autem matre spirituali , non dicit quod sit *mater omnium hominum* , sed *mater omnium viuentium,* vt quæ sit vita , & ea de causa omnino non nominauit Deus in eius pœna, mortem : quandoquidem cum sit vita secundùm naturam,est aliena à morte,permanens æterna.]

Subdit paulò post , tem consideratione dignissimam.[Oportet, (inquit,) præter hæc omnia aduertere, quomodò hæc spiritualis coniux secundi Adami,à deterioti nomine profecerit in melius. In principio enim vocata est *Costa,* & *secta* seu *diuisa*; significante , (vt arbitror, ) hac amputatione & diuisione defectionem à Deo, quæ erat ei euentura.Deinde post hoc ædificata & in meliùs excitata : propterea quod ad virum Christum appropinquarit , appellata est *mulier.* Postremò autem omnium appellata est *vita* , vt quæ à morte profecerit ad vitam.Vir autem eius non ita ; sed ex meliori nomine, accepit peius. In primis enim Adam magnum honorem & gloriam adeptus , vt qui sit appellatus *imago & similitudo Dei* : deinde postea appellatus est *homo* , & postea rursus *Adam :* & postremò omnium *Terra,* vt per hæc apertè, discamus & eruditamur,quæcumque sunt in protoplasto, referri ad Euam Ecclesiam,& Adamum Christum. Sic enim cum in principio *esset splendor & character substantiæ ipsius Dei inspectabilis , seipsum exinaniit serui formam accipiens* , vt Ecclesia ex mendicitate diceretur vita:id effecta , & ex ipso nominata, & in libro viuentium collocata.]

*Lauacrum aquæ , vterus fidelium.*

851 Quod Anastasius vterum Ecclesiæ quo ex Christo sobolem diuinam concipit,dixit esse vterum aquæ & spiritus , conforme est aliorum Patrum sensui.S. enim Dyonisius l.de Eccl.hierar.c.2.part.2. fontem sacrum,siue baptisterium *matrem adoptionis* appellat.S.Chrysost. in Epist. ad Galatas tractans illud , *secundum Isaac repromissionis filij sumus* , Ecclesiam cum Sara, Abrahamum eum Christo componens , in eo ponit comparationem , quod [ sterilem appellauit Esaias , & hanc ostendit factam complurium liberorum matrem. Idem sub figura accidit in Sara. Nam & hæc,quàm esset sterilis, numerosæ sobolis mater est facta. Cæterum hæc quidem Paulo sufficiebant, verùm etiam quomodò sterilis, mater sit facta disquirit;vt huic etiam ad veritatem accommodet figuram , eóque subdit dicens ; *Nos autem fratres , secundùm Isaac repromissionis filij sumus.* Non enim sterilis tantùm erat Ecclesia , quemadmodùm Sara , neque solùm multorum liberorum mater facta est vt illa , sed & ita genuit , quemadmodùm illa. Vt enim illam non natura, sed Dei repromissio fiat matrem suam qui dixit , secundùm tempus hoc veniam,& erit Saræ filius,idem ingressus in vterum infantem formauit) sic & nostra renascentia,natura quidem nulla est,cæterum verba Dei, quæ norunt fideles , hæc in aquæ lauacro per Sacerdotem pronuntiata , tanquam in vtero quodam formant ac regenerant eum qui baptizatur.] Idem hom.25. in Ioan. *ferè initio,* summam in nos Dei benignitatem demiratus, subdit. [ Non immeritò igitur Paulus. *O Altitudo,* ( inquit , ) *diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Non ampliùs mater , non enixus non somni, neque concubitus, non amplexus , nouum iam naturæ nostræ interitur opificium à Spiritu sancto & aqua. Aqua autem accepta est, partus genito facta. Quod enim est matrix Embrioni, hoc est fideli aqua. Siquidem in aqua fingitur & formatur. Nam primùm dictum est , *Producant aquæ reptile animæ viuentis.* Ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus,non ampliùs reptilia animarum viuentium , sed animas rationales & spirituales aqua producit. Et quod de sole dictum est , *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo;* hoc longè magis de fidelibus in præsentia dici potest. Multò namque quàm ille clariores diffundunt radios. At quod in marice formatus,tempore indiget:quòd in aqua, minimè sed momento omnia perficiuntur. Siquidem vbi caduca vita est , & à corporea corruptione principium accipitur , omnia mora temporis generantur. Ea namque natura corporis est,vt tempore perfectionem suam accipiat , sed non ita in spiritalibus.]

Bracharius non dissimiliter Epist. ad Ianuarium *sub finem.* [ Filios Domini nostri, Ecclesiastici

stici fontis vterus, & secreti ac perplexi vulua mysterij parturiuit; natos crucis cuna suscepit, Euangelij mammilla lactauit.] Consentit S. Leo serm. 4. de Natiuit. Domini cap. 3. [Terra carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum. Cuius spiritalem origenem in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascenti, aqua baptismatis instar est vteri Virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui repleuit & Virginem & peccatum quod ibi euacuauit sacra conceptio, hîc mystica tollat ablutio.]

852 Affinia sunt illa, venustissimè de more ab Eucherio prolata hom. de Trinitate. [Interrogat muneris magnitudinem, remuneratoris perspicis dignitatem. Ipse ad regenerãdas animas steriles benedicit aquas, ipse sacris fontis irriguum, illa qua dudum Mariam locupletauit, virtute fœcundat. Castos Ecclesiæ sinus maritat; nubit integrieas puritati, vt ad similitudinem Virginis genitritis etiam Ecclesia matris fructu donanda; sine sexu de sanctificatione concipiat, & sine corruptione parturiat, & regenerata pignora in filios Dei fœlici mancipatione transcribat. Quomodò hæc operari posset nisi Deus esset? Ecce secundùm illud propheticum, agente Spiritu, impletur in Baptismo; *Ego occidam & viuere faciam.* Quid est hoc? Occidit peccatum, & viuificat peccatum: fluentis in talibus eius abluitur, & reatus absoluitur: debitum originale vacuatur, pondus perditionis exnitur, & incomprehensibili miraculo de profundi fontis mortuo resurgente, in fonte mors moritur. Adoptiuus gratiæ perit, Diabolo acquiritur, Deo hæreditario crimine illigatus homo, consumpta primæ originis conditione, de occasu suo nascitur, & naturæ se agere vices, genitalis vnda miratur.]

Affinia item illa S. Paulini Epist. 12. in carminibus baptisterio inscriptis.

*Hîc reparandarum generator fons animarum*
*Viuum diuino lumine flumen agit.*
*Sanctus in hunc cœlo descendit Spiritus Amnem,*
*Cœlestique sacras fonte maritat aquas.*
*Concipit vnda Deum sanctámque liquoribus almis.*
*Edit ab æterno semine progeniem.*
*Mira Dei pietas, peccator mergitur vndis,*
*Mox eadem emergit iustificatus aqua.*
*Sic homo, & occasu felici functus & ortu,*
*Terrenis moritur, cœpetuis oritur.*
*Culpa perit, sed vita redit: vetus interit Adam,*
*Et nouus æternis nascitur imperiis.*

His versibus placet alios adiungere, quos à Sixto III. inscriptos sacro fonti Constantini, restatur in Sixti vita Anastasius, iámque situ & carie propè consumptos, descripsit Onuphrius lib. de septem vrbis Ecclesiis cap. de Basilica Lateranensi §. de baptisterio.

*Gens sacranda polis hîc semine nascitur almo*
*Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.*
*Virgineo fœtu genitris Ecclesia natos:*
*Quos spirante Deo concipit, Amne parit.*
*Fons hic est vitæ, & qui totum diluit orbem,*
*Sumens de Christi vulnere principium*
*Mergere peccator sacro purganda fluento,*
*Quem veterem accipiet, proferet vnda nouum*
*Insons esse volens isto mundare lauacro,*
*Seu patrio premeris crimine, seu proprio*
*Nulla renascentum est distantia, quos facit vnum*
*Vnus fons, vnus spiritus, vna fides*
*Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum*
*Terreat, hoc natus flumine, sanctus erit.*

853 Eodem recidunt, quæ alij non nihil, diuersis verbis produnt de verè facto, & fictis, in Baptismi figlina hominibus, ac nascentibus in aqua Christianis infantibus. E quibus paucos exhibebo per satyram. Zeno Veron. serm. 1. de Paschate [fons, vel sacrum cuius diuite ex alueo fauonio non vento sed Spiritu sancto generante odorem diuinum, Ecclesiæ flores historiam & dulces nostri nascuntur infantes.]

S. Ambrosius in exhortat ad Virgines. [Sit ergo vobis portio Dominus, Dominus qui sterilem & parientem facit. Vtramque faciet; sed altera in tristitia perit, altera in sterilitate lætatur, cui dicitur, *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis.* Habet enim filios sine partus dolore. Vnde & dicitur de Ecclesia; *Quis audiuit tale, si parturiuit terra vno die, & gens nata est simul?* Vno autem die terra non parturit, sed parit gratia. Venit Paschæ dies, in toto orbe baptismi Sacramenta celebrantur, velantur sacræ Virgines. Vno ergo die sine aliquo dolore multos filios & filias solet Ecclesia parturire. Ideóque pulchrè dicitur; *Et gens nata est simul*, de populo consecrato.]

S. Chrysostomus in Catecheſi ad Illuminandos. [Et ob quam causam, inquis, hoc quod nobis peccata concedit, non lauacrum remissionis peccatorum dicitur, nec purificationis, sed lauacrum lauacrum regenerationis? Quia non nobis simplicites peccata concedit, nec simpliciter nos purificat malis actibus implicatos, sed tanquam denuò generatos efficit. Nam denuò nos condit, & conficit: non de terra componens itegrum, sed alio nos elemento, ideſt per aquarum naturam progenerat. Non enim vas simpliciter purgat, sed interum nouat iterum. Nam cum vasa purgantur, etsi diligentia multa terguntur, quædam vestigia nihilominus retinent vetustatis, & pristimam macellam non amittunt. Illa autem quæ conflatorio committuntur, cum flamma fuerint renouata, omnem maculam præteritæ fœditatis amittunt, & nunc primùm confectis non dissimilia proferuntur.

proferuntur æquali fulgore micantia. Vt igitur statuam auri metallo confectam, aliquanti temporis metis fumo & puluere & æruginis sordibus coinquinatam, cum artificis manus acceperint, renouant fornacis ardore, & splendidam nobis lucidámque demonstrant: ita & nostram naturam Deus æruginatam mole peccati, & malorum gestorum fumo violatam, & omni pulchritudine quàm primò & donauerat, denudatam, in illos aquarum fontes, tanquam in conflatorium mittit, & pro flamma, spiritus gratiam subministrat, & exinde rudes effectos, etiam Solis radiis eleuat clariùs lucentes, veterem hominem continens, nouum autem ostendens longè meliorem. Et istam nobis quassationem & mysticam purificationem, obliquo sermone olim Propheta demonstrabat, dicens; *Sicut vasa figuli conteres eos.* Nam quia de fidelibus loquitur, superiùs nobis manifestè declaratur, quum ait; *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Vidisti quemadmodùm Ecclesiam Gentium commemorauit. Et vbique extentum Christi nominauit imperium. Et propterea ait; *Reges eos in virga ferrea,* non graui, sed forti; *& sicut vas figuli conteres eos.* Ecce & lauacrum sentitur mysticè. Non enim dixit, *sicut vasa fictilia*; sed sicut *vas figuli.* Et ideò attendamus, & diligentiùs audiamus. Nam confracta vasa fictilia, iam nulla emendatione corriguntur, ob duritiem quam semel per flammas sortita sunt. Vasa autem figuli, non sunt fictilia, sed argilla composita. Inde & si quo fuerint casu peruersa, facilè ad figuram pristinam artificis reformantur industria.]

Tertullianus de Baptismo cap. 1. [Nos pisciculi, secundùm ἰχθῦν nostrum in aqua nascimur.] Alludit ad Acrosticon Sybillæ de Christo carmen, de quo supra, tractando Christi innocentiam. Latè & egregiè Anastas. lib. 5. Hexaëm. Christianos piscibus confert, quod pisces absque semine generentur ex aqua tantùm & Spiritu sancto.

Athanasius Dialogo 3. de Trinit. *sub finem*, Apostolos omnes, imo & omnes Christianos, ait æquè ac Iacobum & Ioannem, dici posse filios tonitrui, idest baptismi, idque latè persequitur contra Macedonianum.

### *Ecclesia Porphyra, fideles Porphyrogeniti.*

854 Tandem spectat eodem, quod Theophanes Episcopus Nyssenus l. contra Iudæos exponens illud Apostoli, *accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis*, tradit de Ecclesia πορφύρα. Locus est planè insignis. Et quia liber vulgo non prostat, adscribam eius partem quam repræsentauit vir vndecumque Doctissimus Franciscus Turrianus l. 2. de Dogm. Charact. *initio.* [Hæc ciuitas (inquit) non est vt illa in Palæstina, non inquam locus est ex muro & lapidibus & calce ædificatus, plenus hominibus, sed potiùs cœtus naturæ rationalis piæ, tum incorporeæ, tum corporeæ, quæ Christum Deum habet artificem, autorem, Regem, Pontificem, Iudicem, Gubernatoré, Patrem, Nutricium. Verùm hic cœtus beatus qui Ecclesia Christi dicitur, non est totus in cœlis; imò parua eius pars in terra breui tempore, aliis alio tempore sibi succedentibus, versatur. Propterea quod capere generationem secundùm spiritum, & secundùm ætatem eius proficere & perfici, hoc quidem tantisper liceat dum in carne sumus: Ingredi verò intra velum ad regalem thalamum, idest in cœlum, non nisi perfectis. Hoc enim domicilium, & habitaculum mundanum quod est apud nos, beatæ huius ciuitatis & Ecclesiæ, tanquam domus quædam est, ædificata & constructa vt in ea viuant & alantur generati secundùm Christum, & gymnasium quoddam puerorum ætatis Christi, vbi docetur & traditur omnis spiritualis sapientia; cœlestis autem domus perfectorum spirituum, Regisque aspectu, & splendore ac lætitia fruentium, thalamus est. Vt enim olim Imperatoribus, locus quidam erat ad generandos filios separatus, quem πόρφυραν appellabant, & in eo loco natos πορφυρογεννήτας; erantque rursus aliæ sedes ad nutriendum infantes, vbi paulatim ætate proficerent, & omnem disciplinam regalem & Imperatoriam sub Magistris & pædagogis caperent; postquam verò ad perfectionem & ætatis & disciplinæ peruenissent, in ipsum regalem siue Imperatorium thalamum admittebantur, cum Rege & Patre regni versaturi, bonisque paternis vsuri; ad hunc modum filiis Regis cœlestis, mundus hic noster velut quædam domus ab ipso Rege, ad ortum, & educationem, omnémque spiritualem disciplinam & institutionem præparata est, ex quo sic nati & alti, atque educati & eruditi, propriè appellari poterunt *purpurati*; non quidem quasi solam purpuram regalem & paternam induti, sed potiùs Regem ipsum totum, cum vestitu eiusdem rubro ex sanguine. *Quicunque* (inquit) *in Christo baptizati estis, Christum induistis*, cuius pulchritudinem olim admirati Angeli; *cur* (inquiunt) *rubra sunt vestimenta tua?* Quando igitur qui hìc geniti sunt, benè iam educati & instituti filij Regis cœlestis, occurrerint in mensuram plenitudinis Christi, ingredientur deinde intra velum cœleste, quo præcursor Christus ingressus est, vt regno eius fruantur. Quia igitur qui in Christum crediderunt, non in cœlis tantùm sunt, sed pars quædam eorum in terra versatur, idcirco non sunt diuisi loci interuallo, sed potiùs totus cœtus, vna Ecclesia est, & vna ciuitas, ratione perfecti & imperfecti differens.]

855 Rectè omnino Theophanes, Ecclesiam, in qua, & ex qua, proles Christi nascitur, vocat *domum purpuræ*, alludens ad antiquum vsum Constantinopolitani Imperij à Constantino Magno inductum teste Luitprando lib. 1. historiarum c. 2. vbi *Porphyrogenitos* ait dictos, non quod nascerentur in purpura, sed quod ederentur in Palatio cui nomen erat *porphyra*, ædificato à Constantino, vt soboles Imperatoria ibi ederetur in lucem. Meritò ergo Theophanes, Ecclesiam in qua nascimur Christiani, πορφύραν appellat: tum quia Ecclesiæ ex Christo proles, regia est; tum quia omnis hæc natiuitas, & matris fœcunditas ex Christi sanguine ortum habet. [Quid est enim aqua sine cruce Christi? (ait S. Ambros. l. de iis qui initiantur myst. c. 4.) Elementum commune, sine vllo sacramenti effectu.] Itaque vt idem obseruat, meritò 1 Ioan. 5. Spiritus, aqua, & sanguis, dicuntur testimonium perhibere, & Christus dicitur non in aqua solùm,

lùm,sed in aqua & sanguine venisse, quia aquæ purpureo Christi cruore sanctificatæ,& admisto Christi Spiritu vegetate, effundunt prolem Ecclesiæ. Vt autem nemini esset dubia, hæc nostra per Christum in Spiritu generatio voluit Deus filium suum Deum verum,humanam generationem sortiri. Proponit præclarè hoc argumentũ S.Augustſerm.24.de diuersis à ca.4.[Ecce sunt, (inquit,) in quacumque sint ætate carnis.Videtis infantes ; videte & gaudete. Ecce sunt ; sed ex Deo nati sunt. Vulua matris, aqua baptismatis. Nemo pauperculo animo,sentiat,& voluat apud seipsum mendacissimas cogitationes , & dicat sibi, Quomodò in principio erat Verbũ,& Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum,omnia per ipsum facta sunt : & ecce Verbum caro factum est, & habitauit in nobis ? Audite vnde factum est. Ecce credentibus in nomine eius, dedit potestatem filios Dei fieri. Ipsi quibus dedit potestatem filios Dei fieri,putant impossibile esse filios Dei fieri ? Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Nolite putare multum esse ad vos,filij Dei fieri.Si factus est ipse,vt minùs esset qui plus erat;non potest facere ex eo quod minùs eramus , vt aliquid plus esse possimus? Descendit ad nos , & non ad illud ascendemus?]

Quia verò sanguinis Christi pro nobis fusi, & passionis, memoria est Eucharistia, idcirco eam quoque nostræ generationi deseruire optimè notauit Methodius in 10. Virginum symposio cuius hæc sunt verba. [Rectè Apostolus ad Christum retulit de Adamo , sic enim congruit, ex ossibus eius,& ex carne eius Ecclesiam esse factam , propter quod relicto patre in cœlo descendit Verbum , vt exhibeat sibi Ecclesiam gloriosam , & omnis maculæ expertem , emundans eam lauacro ad excipiendum Spiritum , ac beatum semen : quod ipse intonat & inserit in profundo mentis:excipit autem illud semen Ecclesia , & format instat vxoris ad generandam virtutem, & alendam. Hac enim ratione impletur illud,*Crescite & multiplicamini*,capiente Ecclesia incrementum,per congressum & communionem Verbi , quo adhuc ad nos se dimittit,& soporem capit secundùm commemorationem passionis,vt dixi , iterum moriatur descendens de cœlo,adhærénsque vxori suæ,præbeat virtutem quandam lateris sui , vt augeantur quæ in eo ædificati sunt omnes per lauacrum generationis.]

### *Renati in Christo, quam non iisdem interiùs.*

856 Sic igitur de Christo patre , & Ecclesiæ matre, proles benedicta concipitur & nascitur externa quidem specie planè eadem sed interiùs longè alia. Id quod egregiè his,verbis expressit Gregorius Nyssenus Orat. 1. de Christi Reiurr. [Apparuit alia generatio,alia vita , alius viuendi modus, ipsius naturæ nostræ commutatio.Quænam generatio?quæ non ex sanguinibus,neque ex voluntate viri,neque ex voluntate carnis,sed ex Deo facta est.Quinam,inquies,hoc fieri potest?Audi, nam paucis explicabo. Fœtus hic per fidem concipitur , per baptismatis regenerationem in lucem editur : nutricem habet Ecclesiam : huius doctrinam & instituta sugit tanquam vbera:illi cœlestis panis est cibus:ætatis perfectio est sublimis viuendi ratio , nuptiæ consuetudo sapientiæ ; liberi,spes : domus , regnum ; hæreditas & opulentia, deliciæ Paradisi: finis , non mors , sed vita illa quæ dignis parata est beatissima & sempiterna.]Appellat hanc generationem, aliam, & naturæ commutationem, quia homo est interiùs longè alius, quippe iam non caro , sed Spiritus. Nam quod natum est de Spiritu, spiritus est : Et vt idem Nyssenus Orat. 3. de Resurrectione ait. [ Deleuit Christus, & quasi erasit omnem penitùs memoriam contra nos factæ condemnationis. Tunc in doloribus partus edebatur:nunc absque parturitionis cruciatibus natiuitas existit. Tunc ex carne , carnei nati sumus:nunc quod natum est,Spiritus est ex Spiritu. Tunc filij hominum , nunc filij Dei nati sumus. Tunc; in terram de cœlis relegati sumus : nunc is qui cœlestis est , etiam nos cœlestes fecit.]

Sanè quum Christus rediuiuus factus sit in spiritum viuificantem,meritò Christiani, dicuntur spiritus , & Christus eorum Pater Hebræor. 11. vocatur *Pater spirituum*;patrémque referens proles,alter Christus,quamuis exteriùs appareat eadem. Scitè Eucherius hom. 5. de Pasch. probans panem & vinum commutari reipsa in Christi corpus,quamuis externa specie maneant eadem,sic philosophatur.[Vt tibi nouum & impossibile non debeat videri quòd in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, te ipsum qui iam à Christo es regeneratus interroga.Dudum alienus à vita,peregrinus à misericordia à salutis via intrinsecùs mortuus exulabas; subitò initiatus Christi legibus, & Salutaribus mysteriis innouatus, in corpus Ecclesiæ non viuendo, sed credendo, transisti , & de filij petitionis, adoptiuus Dei filius fieri,occulta pietate meruisti. In mensura visibili permanens , maior factus es teipso inuisibiliter , sine quantitatis augmento;cum ipse atque idem esses,multo aliter fidei processibus extitisti. In exteriore nihil additum est , & totus in interiore homine mutatus es,ac sic homo Christi filius effectus , & Christus in hominis mente formatus est. Sicut ergo sine corporali sensu , prætetita vilitate deposita,subitò nouã indutus es dignitatẽ , & sicut hoc, quod in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit , non oculis sed sensibus tuis credis, ita & tu cum ad reuerendum altare, salutari cibo potúque reficiendus accedis , sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice.]Idem habet Fulbertus Epist. ad Adeodatum *in fine*.

### *Discrimina primæ & secundæ procreationis, ac multiplicationis.*

857 Itaque hęc hominis per Christum ex Ecclesiæ vtero procreatio , ex parte quidem aliqua affinis est creationi primi hominis , aliunde tamen est longè sublimior , iudice Chrysostomo hom.6.in ad Colosſ. cuius hæc est oratio de homine baptismum susciptente. [Ad alteram redumitur creaturam. Nam quando confessus fuerit vitam æternam , confessus est aliam creaturam. Accepit puluerem è terra , & finxit hominem. De cœtero autem, non puluerem , sed Spiritum sanctum.Hoc fingitur : hoc componitur. Sicut & ipse in vtero Virginis. Non posuit in Paradiso,sed in cœlo. Non enim quoniam subiecta est terra,

terra, existimes esse in terra. Illuc translatus es in cœlum. Illic hęc fiunt inter Angelos. Sursum animã tuam sumit Deus. Sursum eam componens & concinnans. Te fistit ad sedem regiam. Fingitur ac formatur in aqua, animæ respondentem accipit Spiritum. Postquàm autem fuerit formatus, non ducit ad eum bestias, sed Dæmones & eorum principem: & dicit; *Calcate super serpentes & scorpiones.* Non dicit, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sed quid? Dat eis filios Dei fieri. Sed *ex Deo,* (inquit,) *nati sunt.* Deinde ne audias serpentem, statim doneris dicere: *Abrenũtio tibi,* pro eo quod est. Quidquid dixeris, tibi non audiam. Deinde ne per alios te expugnet, dicit: *Et pompæ tuæ, & cultui tuo, & Angelis tuis.* Posuit eum vt non ampliùs custodiret Paradisum, sed vt versaretur in cœlo. Quum primùm enim ascenderit, hæc verba loquitur; *Pater noster qui es in cœlis, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Non in faciem cadit puer. Non lignum vides, neque fontem, sed ipsum Dominum statim amplecteris, commisceris cum corpore, conspergeris cum corpore quod supra situm est, quo Diabolo non licet accedere. Non est mulier vt accedat, & decipiat tanquam imbecilliorem. *Non est enim,* (inquit,) *fœmina nec masculus.* Nisi tu ad ipsum descenderit, non poterit vbi es ascendere. Tu enim es in cœlo. Cœlum autem non patet Diabolo. Non habet lignum quod cognosci potest boni & mali. Sed solùm lignum vitæ. Non ampliùs à latere tuo mulier, sed omnes vnum sumus à latere Christi. ] Egregiè quoque idem prosecutus est Isidorus Pelus. l. 3. Epist. 195.

858 Multiplicationis item nostræ per Christum patrem, interuentu prædicationis ac baptismi, longè aliam rationem quàm multiplicationis corporeæ generis humani per Adamum, via generationis carnalis, obseruauit idem S. Chrysostomus in Psal. 147. ad illud *Benedixit filiis tuis in te,* verbis illis. [ Quemadmodùm cum dixisset in principio, *Crescite & multiplicamini, & replete terram,* vniuersam terram sermo peruasit: ita cum postea dixisset. *Ite & docete omnes gentes: & Prædicabitur Euangelium hoc in toto mundo:* ipsos etiam fines orbis terræ, breui momento temporis iussus eius occupauit. Quocirca ipse quoque dicebat, *Si granum frumenti in terram cadens mortuum non fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et rursus: *Quando exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum.* Atque in principio quidem ex vno multi nati sunt, cum lege naturæ crescerent multitudo, & ideò res tardiùs processit: tempore autem Apostolorum, non lege naturæ, sed gratia crescebat multitudo, & ideo vno statim die tria millia, deinde quinque millia, deinde innumerabiles, deinde vniuersus orbis terræ, per pulchram hanc regenerationem editi, aucti sunt, & multiplicati sunt, & quam acceperant benedictionem factis ipsis ostenderunt. Non enim ex sanguinibus; neque ex voluntate carnis, sed ex Dei gratia nati sunt.]

Non cum carnali nostra, ( vt factum à Chrysostomo vidisti, ) sed cum Christi generatione, per Lucam inter narrandum Christi baptismum descripta, nostram è Christi Patre generationem pulcherrimè componit Origenes hom. 28. in Lucam vbi dupliciter descriptam ab Euangelistis Christi generationem, obseruat; à Matthæo quidem, à superioribus infra deductam, insertis in ea serie peccatoribus vt Thamare, Rahab, Bethsabeè, Salomone, de cuius stirpe per peccatores, ait nasci voluisse Christum, cum pro nobis peccatum fieret, quod generatio per Matthæum descripta exprimit. Apud Lucam verò, quia generatio Christi exprimitur provt exemplar nostræ per baptismum generationis in Christo, sursum versùs texitur series & generationis vox toties apud Matthæum iterata tacetur: & Salomon ac peccatores Christi progenitores supprimuntur, & alia nostræ mysticæ generationis adiuncta, in descriptis apud Lucam, adiunctis generationis Christi adumbrantur, vt Origenes pulcherrimè prosequitur.

Destinaram hîc subnectere prolis ex Christo & Ecclesiæ procreatæ horoscopum cum Zenone Veronensi homil. 5. ad Theoph. & Anastasio Sinaita lib. 4. Hexaëm. Sed quod eum horoscopum alibi dem exponens mysteria *Agni Dei,* prius concilium abieci. Nec plura generaliter de genitis à Christo. De ea verò speciali generatione qua Religiosi à Christo generantur, consulendus est S. Bernardus serm. 2 de altitudine & bassitudine cordis, qui ait hanc esse generationem voluntariam, factam. Verbo veritatis.

### *Christum futuri seculi Patrem; Notio prima, quia Pater perpetuò.*

859 E duobus initio propositis, vnum, seu quomodò Christus sit Pater, executus sufficienter videor. Superest monstrandum, quid sonet adiunctum illud *futuri seculi,* Pater. Adamus Isaiæ 9. obseruat secundùm Hebraicum fontem, quod in vulgata legitur *futuri seculi,* verti potuisse pea aduerbium *vsque* aut *perpetuò,* itavt Isaiam Christum dixisse patrem futuri seculi, idem planè sit, ac si eum appellasset *patrem perpetuum,* vel *patrem vsque* quod idem est. Insigne autem in verbis hisce, Patris huius à cœteris discrimen, notatur; & quantoperè Pater iste circa prolem, vulgaritèr dictis patribus antecellat, ostendit. Exile namque est, si res pœnitùs inspiciatur, quod proles à carnali Patre accipit: Tametsi immensam nec vnquam dissolubilem nominum summam contrahit, ob illud tantulum quod ab eo habet. In primis enim animam, potissimam hominis partem, & quæ iuxta Platonicos est totus homo, non habet à Patre, sed inditur à Deo per creationem. Materia similiter non producitur à Patre, cum solius Dei opus sit fiátque ipsa quoque per creationem. Non aliud igitur circa prolem præstat Pater, quàm quod partem aliquam suppeditat materiæ è qua fœtus efformandus est, & dispositiones aliquas accidentarius eidem immittit; vnde materiæ & formæ substantialis nexus resultat. Id vnum Patris est erga prolem officium, quo defungitur tempore breuissimo; nec postea reliquo toto tempore quo proles fingitur, & crescit, ac durat, retinétque vitam, habet Pater quod circa eam præstare possit, præter educationem, & institutionem, ac curam prouidendarum ei opum, quæ misero patri angorum plurimorum sementis est: vt id circo præsertim S. Paulus (quod fusè prosecuti sumus in Tractatione de Martyrio parte 1. cap. 6.)

coniugibus tribulationem carnis non defuturam pronunciauit ; creatique non semel parentibus inde exitium æternum,Isidorus Pelus. lib. 3. Epist. 311. probè monuit. Iuges certe molestias, & spinas anxietatum indè existere , nemo inficias ierit: vt non abs re Varro lib. 4. de Lingua Latina *Patrem* , à *patiendo* dictum velit , quod patiatur multa pro liberis: Et S. Basilius lib. de Virginitate , dicat ad singulos partus discerpi in totidem veluti frusta , parentum animas : quod eò deinceps studium omne parentum sit conuertendum vt prospiciatur liberis, indéque animæ eorum veluti directio ac distractio consequatur. Educatione igitur, ac institutione, & thesaurisatione secluſa, nihil Patri reliquum est, quod erga prolem præstet, ex quo exiguum illud quod dicebam , contulit ad eius esse cui deinceps fouendo nulla ratione se immiscet, aut immiscere potest. Itaque si proles morbo corripiatur , nihil per seipsum conferre valet, quo eam liberet ægritudine. Multo minùs si morbo succumbens oppetat mortem, fas erit Patri, quamtumuis dilectam prolem, lethi viribus ereptam , reuocare ad lucis vsuram. Ita quidem ad prolem se habet homo Pater.

At Christus est Pater *vsque*, vel Pater *perpetuò*: & idcirco Orig. ho. 9. in Isaiam *ad finẽ*, sic scribit. [ Omnisqui facit peccatum , ex zabulo nascitur. Ex zabulo namque nascimur, quoties peccamus. Infelix ille qui semper generatur à zabulo. Rursumque multum beatus qui ex Deo semper nascitur. Neque enim semel dicam , istum ex Deo natum, sed per singula virtutis opera, semper iustus nascitur ex Deo. Hoc autem vt plenius possit probari , & de Saluatoris nostri quotidiana natiuitate dicamus, liquidò id in iustis obtinentes , quod in Deo præcesserit. Saluator noster splendor est gloriæ. Splendor autem non semel nascitur , & deinceps definit nasci ; sed quotiescumque ortum fuerit lumen ex quo splendor paritur, toties oritur & splendor gloriæ. Saluator noster sapientia est Dei. Sapientia verò splendor est lucis æternæ. Si igitur Saluator semper nascitur, & idcirco dicit, *ante omnes colles generat me*, non vt quidem malè legunt , *genuit*. Si semper ex Patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudine eius iam adoptionis habens spiritum, generaris à Domino per singulas intellectus, per singula opera, & efficeris filius Dei in Christo Iesu. ] Eadem iterat hom. 6. in Ieremiam. Nimirum Christus non tantum concurrit ad primum prolis esse, supernaturale ac mysticum, sed etiam ad eius iugem conseruationem , ad halitum vsque postremum. Omnes enim supernaturales benedictiones quibus diuinum esse aliquando collatum fouetur, sunt à Christo patre : nominatimque eximium illud & supra vires nostras & merita locatum perseuerantiæ donum , à Christo est. Nam esse spirituale, tametsi eo differt ab esse corporeo defluente sensim, ( propterea enim vita nostra , confertur flumini vt latè dictum est suo loco, quod non pedetentim diffluat: ) tamen alteri nec minori incommodo subiacet ; nempe iugis periculi quo totum pereat. Vt idcirco quod Bracharius Epist. ad Iannuarium scitè dixit, baptismi gratia quæ est primum nostrum supernaturale esse, Apocal. 15. *mari vitrei* nomine designeeur, quia in nobis citò periclitatur aut frangitur. Innumera sunt extrinseca & intrinseca pericula à quibus excidium eius imminet. Hinc interni appetitus efferatio natiua, inde Satanæ mille nocendi artes , & subsidiariorum Satanæ hominum seculi pellaces doli, & ad malum illecebræ , nusquam nos tutos esse ac indemnes sinunt: Ignis ille concupiscentiarum nobis consertus , cui restinguendo baptismum sub aquæ Elemento institutum esse dixit Clemens Roman l. 9. recog. & cuius extincti causa , virgo quod notauit Anastasius Sinaita cap. 2. ὁδηγ. , dicitur παρθένος quasi πῦρ θανον *ignis extinctus* aut *emortuus*; Ille inquam ignis , malo fomite plerumque redaccenditur in nobis, & inflammat rotam natiuitatis nostræ , inflammatus à gehenna , ideſt à Satana exitialis illius flamma iugi administro & incentore. Quare nisi Christus qui primò esse contulit per aquam, idem beneficium perpetuum esse vellet, mox miser homo cinereſceret, & in fumum ac fauillam abiret , Proindéque nomen sibi *patris vsque* seu *patris perpetui* omni iure vendicat.

## *Cura Christi erga sobolem editam, datis nutricibus, ac pædagogis.*

860 Ex quo liquet , non deesse Christo illud aliquale fundamentum paternæ denominationis, quo nonnulli interdum , *Patres* audiunt, quia curam illam in aliquem contulerunt, quam Patris fuisset conferre , si vel superstes fuisset, vel ad eam conferendam potens ac æque idoneus. Nullum enim est studij aut prouidentiæ genus , quod prætermissum à Christo citra nos videri possit. Ille nobis baptismo productis, cætera Sacramenta ad crementum & vndecumque consummatam perfectionem prouidit. Idem nutrices bonas curauit infantibus suis. Cum enim sint nutricis officia præsertim duo, cibandi nimirum pueri vnum, purgandi nitentémque seruandi alterũ; meritò ex vtroque capite sanctos Apostolos & Sacerdotes nutrices dixerimus Christianorum, cum Ruperto in c. 7. Cant. & Gregorio Nysseno hom. 1. de Resurrectione. Nam & eis immulgent vbera duo siue ea præcepta charitatis esse velimus cum sancto Gregorio in cap. primum Cant. ad illud *Meliora sunt vbera tua vino* ; siue duo Testamenta cum S. Epiphanio Orat. 2. in ramos palmarum; vel sanctissimorum Apostolorum Principes Petrum & Paulum , vt optimè persequitur Guericus serm. 2. de eorum Natali *initio*. Instillatur proli ex his vberibus cœleste lac, quo crescat in salutem: hoc est liquor purissimus Euangelicæ doctrinæ, de quo collato cum lacte plenè Clemens Alexandrinus 1. pædagogi cap. 6. vel Christus ipse quem lacti confert S. Augustinus serm. 38. de verbis Apostoli. Eúmque item nominat *montem incensatum & puniguem*, quia ex lactè est, quod gratiæ symbolum statuit in Psal. 67. Vt proinde videatur Christus mysticè esse mons ille Lactarius à Cassiodoro tantoperè laudatus lib. 11. Epist. 10. & lib. 12. Epist. 12. Nominatim verò in Eucharistia, lactis vicem tenere Christum & hoc esse vber spirituale , quod lactanei infantes Christi , sugere studiosè debent. S. Chrysost. hom. 83. in Matth. præclarè monuit; Et multis ex insigni loco Epistolæ Beati Petri prosequitur Turrianus lib. 2. de Eucharistia cap. 20. Vnum illud ex Clemente cap. illo 6. erit instar omnium. [Alimentum infantium,

tium, est Dominus qui est Spiritus & Verbum. Alimentum, ideſt, Dominus Iesus, hoc est, Verbum Dei, est Spiritus incarnatus caro cœlestis sanctificata. Nutrimentum est lac Patris, quo solo aluntur infantuli. Ipse itaque qui est dilectus, & altor noster, Verbum, effudit pro nobis suum sanguinem, salutem humanæ naturæ afferens, per quem qui in Deum credidimus, ad mammillam Patris, quæ curarum obliuionem inducit nempe Verbum confugimus. Ille autem solus, vt est consentaneum, nobis lac dilectionis infantibus suppeditat, Iique sun vere beati, qui hanc lactent mammillam. Et ideò Petrus quoque dicit; *Depoſito ergo omni vitio, & omni dolo & ſimulatione, & inuidia, & detractione, tanquam nuper nati infantes, verbale lac concupiſti, vt in ipſo creſcatis in ſalutem, ſi guſtaſtis quòd Chriſtus, Dominus.*] Alterum verò nutricis munus, quod Sacerdotes Christiano populo exhibent, abluendi nimirum & extergendi, adeò notum est, vt expositionem non deposcat; cum nemo adeò sit in re Christiana hospes, vt eum lateat balneum Ecclesiæ, quo elui homines defixos in sordibus suis, & à mysticis sordibus purgari, Christi beneficio est concessum.

861 Iidem Sacerdotes denominari possunt Christi liberorum pedagogi. Nam tametsi Christum ea erga nos partes obire, latè confirmat Clemens Alexandrinus lib. 1. pædagogi præsertim cap. 8. tamen quandoquidem Christo munus Patris attribuimus, satius est alium quærere pædagogum; Idque munus Sacerdotibus populi Dei demandare: qualé se non diffitebatur Apost. etiamsi ob primam in fide eruditionem, Pater potiùs quàm pædagogus audiebat. Alios nobis pædagogos adscribit S. Chrysostomus hom. 3. in ad Colosſ. nempè sanctos Angelos custodes, idque beneficij Christo referri vult. Gratulatus enim humano generi conciliationem inter homines, & Angelos per Christum factam, & redintegratam inter vtrosque benevolentiam, subdit. [Primò congruentes numero gentium erant Angeli. Nunc autem non congruentes numero gentium, sed congruentes numero fidelium. Vnde hoc constat? Audi Christum dicentem; *Videte ne deſpiciatis vnum ex iſtis puſillis. Angeli enim eorum perpetuò vident faciem Patris mei qui eſt in cœlis.* Vnusquisque enim fidelis habet Angelum. Nam etiam ab initio vnusquisque vir probus habebat Angelum; sicut dicit Iacob; *Angelus qui paſcit me, & liberat me à iuuentute mea.* Si ergo habemus Angelos, modestè nos geramus tanquam nobis adsint quidam pædagogi. Nam adest etiam Dæmon. Propterea oramus, & dicimus petentes Angelum pacis. Ita quidem S. Chrysostomus, Ægrè tamen possumus horum pædagogorum præfecturam referre in Christum, nisi si sensus sit; Angelos plures saluti hominum inuigilare post Christum, quia amore incenduntur in Christi quasi consanguineos tantoperè ab eo dilectos. Audi Origenem hom. 1. in Ezech. [Clausi erant cœli, & ad aduentum Christi aperti sunt, vt referatis illis veniret super eum Spiritus sanctus in specie columbæ. Neque enim poterat ad nos commeare, nisi primùm ad suæ naturæ consortem descendisset. *Aſcendit Ieſus in altum, captiuã duxit captiuitatẽ, accepit dona in hominibus. Qui deſcẽdit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos, & impleret omnia. Et ipſe dedit alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios paſtores & magiſtros in perfectionem ſanctorum.* Aperti sunt cœli. Non sufficit vnum cœlum aperiri: aperiuntur plurimi, vt descendant non ab vno, sed ab omnibus cœlis Angeli, ad eos qui saluandi sunt. Angeli qui ascendebant & descendebant super filium hominis, & accesserunt ad eum & ministrabant ei. Descenderunt autem Angeli quia prior descenderat Christus; metuentes descendere priusquàm Dominus virtutum omnium, rerúmque præciperet. Quando autem viderunt principem militiæ cœlestis in terrestribus locis commorari, tunc per apertam viam ingressi sunt sequentes Dominum suum & parentes voluntati eius. Qui distribuit eos custodes credentium nomini suo. Tu heri sub Dæmonio eras, hodie sub Angelo. *Nolite*, (inquit Dominus,) *contemnere vnum de minimis iſtis qui ſunt in Eccleſia. Amen enim dico vobis, quia Angeli eorum per omnia vident faciem Patris qui eſt in cœlis.* Obsequuntur saluti tuæ Angeli, concessi sunt ad ministerium filij Dei, & dicunt inter se: Si ille descendit, & descendit in corpus, si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus, quid parcimus nobis? Eia omnes Angeli descendamus è cœlo. Ideò multitudo militiæ cœlestis erat laudantium & glorificantium Deum quando natus est Christus. Omnia Angelis plena sunt.]

Hoc sensu Christus magistros & pædagogos nobis præfecisse Angelis dici potest: non tamen absolutè & simpliciter. In ea enim sententia sumus, quæ non Christianis tantùm singulis, sed etiam anteriorum ætatum hominibus concessum fuisse à Deo Angelum Custodem arbitratur, quod hic negat Chrysostomus vni tantum tòti genti concessum vnum Angelum existimans annuentibus Anastasio q. 1. in script. & Pantaleone diacono in Eucomio se Michaëli. Id quod etiam in vtramque Partem agitant Origenes tract. 5. in Matth. & autor imperfecti hom. 5. ac Primasius in cap. 5. ad Hebræ. Verùm quemlibet planè singularem hominem, ante Christum quoque, etiamsi non esset vir celebris ac probatus, cuiusmodi erat Iacob, nactum fuisse Angelum custodem, apertè habetur ex eo quod Christus Dominus de pusillis ad legem gratiæ nondum pertinentibus, dixit; Angelos eorum videre Deum; perspicuè tradens eos habere singulatim custodem Angelum: Antiquam traditionem & veterem verúmque sermonem, ferre attributum diuinitus vnicuique homini esse Angelum bonum, ex quo cecidimus, affirmat disertè Gregorius Nyssenus lib. de vita Mosis. Imo ad statum quoque innocentiæ id beneficium extendit D. Thomas 1. parte q. 113. art. 4. Quare etiamsi Angelos, pædagogos hominum non inficiamur quos tamen Christus filiis suis in noua lege præfecit pædagogos, necesse est alios cognoscere quàm Angelos; suntque reuera Sacerdotes, vt diximus. De reliquis Christi prouidentiæ in paruulos suos partibus, post tam multa superiùs variis occasionibus prolata, superfluum sit iterare quidquam.

*Emblema paternæ Christi prouidentiæ.*

862 Quare concludendum est, hoc item nomine Christum Dominum verè esse *patrem vsque*, aut *patrem perpetuò*, bellissiméque in illum verti posse, quod in antiquo nummo expressum lego; in quo ex vna facie visitur simulachrum prouidentiæ circumquaque pertinentis: id quod crux apposita, & oculi hinc inde appicti, aptè insinuant, adscripta in basi prouidentia: Ex altera verò facie apparet Augustus hoc addito Lemmate *D. Augustus Pater*. Aio longè sapientius aptandum Christo Patri hoc symbolum, quàm Augusto. Verè namque Pater noster Christus, quaquauersum prouidens charissimæ soboli, eique semper ac perpetuò inuigilans; cuius vsquequaque protensæ solicitudinis ac vigilantiæ symbola sunt, crux concluſa vndecumque, & circum eam oculi; quod docent alia exempla apud Gretserum lib. 1. de Cruce cap. 51. & apud Rosuedium in Epist. 12. S. Paulini. Fuisse autem id ex Ægyptiorum symbolis depromptum, notauimus in Naturali Theologia Dist. 1. num. 6. Elucet porrò in primis ea paterna prouidentia ex amore ortum habens, in numquam fatigata beneuolentia, erga liberos sæpè immorigeros ad bonam frugem reuocando. S. Paulinus Poëmate 5. quod est de S. Baptista *ad finem*, hoc paternum in nos perpetuum prouidentiæ & charitatis argumentum, egregiè expressit, Deo agens gratias. Eius affectum mihi opto.

*O Pater, ô hominum rerúmque creator,*
*Quot gradibus parcit pietas tua? Quis Pater vnquam*
*Sustinet erranti toties ignoscere nato?*
*Das genti sensum, quo vel bona, vel mala noscant:*
*Non satis innectis seruanda vincula legis,*
*Proponisque malis pœnas, & præmia iustis.*
*Hæc quoque quis spreuit? Redeat quandóque libebit,*
*In promptu venia est: Sanctum patet esse lauacrum,*
*Quod renouet vitam, veteréque obliteret æstus,*
*Quodque nouos homines faciat; Quid quærimus vltra?*
*Et tamen vlterior venia est: violauerit vllus*
*Hoc quoque polluto prolapsus corpore donum,*
*Quamquam iam nimius longè processerit error,*
*Desinat & redeat, cum se damnauerit ipse*
*Absolui meruit: si pœnitet irrita culpa est.*
*O verè, quod ais, pondus leue, quodque cohæret,*
*Suaue iugum, toties homini cum ignoscitur vni.*
*Et tamen erramus, finis nec criminis vllus,*
*Humano generi: sed crescit laus tua, nam quo*
*Maior culpa rei, parcentis gloria maior.*
*Grates ergo tibi referat mens omnis, & omnis*
*Lingua canat, quantúmque potest humana propago,*
*Si placuisse nequit, fieri vel grata laboret.*
*Panditur immensam, si demus vela, profundum*
*In laudes Pater alme tuas: sed conscia tanti*
*Mens oneris trepidat, propriasque bandit scia vires.*
*Consulit, & dignis potius dicenda relinquit.*

*Notio altera Patris futuri seculi, idest æternæ sobolis.*

863 Occurrit insuper alius sensus quo Christus *Pater futuri seculi* dictus sit. Notant enim boni interpretes, voces Hebræas rectè verti potuisse per Latinas voces *pater æternitatis*: idque approbat Boudinius in compendio vitæ Christi c. 1. *in fine*. Sensum autem non puto esse alium, quàm quem S. Bernardus serm. 2. de Circumcisione his verbis proposuit, cum Christum & admirabilem, & Conciliarium, & Deum, & Fortem esse præmisisset. Subdit enim, [Videtur ne iam aliquid deesse Saluatori? planè deesset quod maximum est, nisi & Pater esset futuri seculi: vt per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per præsentis seculi Patrem generamur ad mortem.] An alluserit ad illud quod ex Heraclito habet Clemens Alexand. 3. Strom. cap. 2. [Quoniam nati volunt viuere, & mortes habere, vel potius quiescere, filios quoque relinquunt, vt mortes fiant.] Refertque eodem Clemens, quod ex Orpheo habet Plato in Cratylo, corpus σῶμα dictum quasi σῆμα; quod scilicet anima in corpore sepeliatur, tanquam in monumento & receptaculo mortuorum. Generant igitur terreni patres in mortem, imo mortes procreant, vt apud Epitectum legere memini. At Christus æternitatis Pater, in vitam æternam, & beatitudinem nullo vmquam fine concludendam suscipit liberos. Idque Christo est futuri seculi Patrem dici, iuxta S. Bernardum. Astipulatúrque Iunilius lib. 1. de partibus diuinæ legis cap. 15. qui sic scribit. [Legitur de filio dictum *Pater futuri seculi*. Sed hoc secundum carnem dictum est, & non propriè & significatiuè, vt ostenderetur ipse causa & genitor beatitudinis nostræ, in quo per carnis resurrectionem humana natura futuram vitam & sperare incipit & sumere.] Nec difficile sit eodem adducere Clementem Alexandrinum lib. 7. Strom. cap. 5. qui eam Psal. 25. memoratam generationem, quærentium Dominum & faciem Dei Iacob, interpretatur Christianos germanam Christi patris sobolem, quæ ab eo sit edita ad habitandum in monte sancto Dei, & quiescendum in tabernaculo eius. Montem enim sanctum Dei, ac veluti Olympum Christianum, esse cœlum & æternam gloriam, prorritæ pleræque Scripturæ produnt. Eandem verò beatorum gloriam æternam, esse Dei tabernaculum, in quo ab æstu, & pluuia, ac turbine quiescitur,

quiescitur varij Patres notarunt. Non est igitur aliud, Christum esse futuri seculi Patrem, quàm vt dixit S. Petrus Epist. 1. cap. 1. Christianum populum quem fecit Dominus, regenerari in spem viuam in hæreditatem incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cœlis in nobis. Ideſt propter nos, & nostri causa. In illam quippe hæreditatem, siue in æternitatem, condimur & regeneramur à Christo, qui voluntariè genuit nos verbo veritatis vt simus initium aliquod creaturæ eius: quod planè consequimur, cũ æternitati transcribimur. Ibi nobis pater optimus, opes ac diuitias spondet immensas. Nam terrenas quidem opes, hîc non semper filiis suppeditat, diuino planè concilio, de quo alibi. Quod si olim Iudæis terrenas diuitias ostentabat, ad imperfectiones status illius pertinebat. Egregiè id vidit S. Chrysostomus in Psal. 4. ad illud, *dedisti lætitiam in corde meo*, sic scribens [Quando multi erant inbecillioris animi, sensibilia quoque hæc eis bona dedit. Populum itaque iudaicum, per eam vitæ agendæ rationem deduxit. Etenim eis affluebant diuitiæ, & ad senium vsque vita producebatur, & omnis morbus procul aberat, & hostium internecio, & pax alta, & triumphi, & victoriæ, fœlixque bonorum liberorum multitudo, & quæcumque eiusmodi aderant, iis qui Deo parebant. Postquàm autem accessit Dominus noster Iesus Christus, in cœlum nos vocans, & quæ hîc sunt, despicere persuadens, illorúmque nobis amorem immitens, & ab iis quæ ad hanc vitam pertinent nos seiungens, hæc meritò in angustum contracta sunt. In illis autem vniuersæ sunt sitæ diuitiæ, vt qui iam perfecti euaserimus. Nam etiam in pueris, iis quidem qui sunt adhuc paulò minores, patres præbent eiusmodi; calceos, vestes, aureas quasdam bracteas, & armillas: Postquàm autem creuerint, illis eis ablatis, dant alia maiora, benè discendi in suggestu gloriam, in ciuitate splendorem, in aula Imperatoria loquendi libertatem, magistratus & principatus, eos ab omni puerili ambitione abducentes. Ita enim fecit Deus, nos à paruis illis & puerilibus abducens, ea quæ sunt in cœlis pollicitus est.]

## *Vsus Doctrinæ de Christo Patre.*

### I.

### *Christi, & pudicitiæ amor.*

864 Hæc Christi Patris nostri consideratio, excitare in nobis duplicem affectum debet. Prior est erectionis animi & magnanimitatis omnino eximiæ, attenta stirpe è qua progeniti, seu Petræ è qua exsciſi sumus. Secundus est incensi desiderij fingendi nos ad tanti Patris formam, & à tam nobili indole non degenerandi. Addi potest & tertius, qui breuiùs expediri potest. Amorem enim castitatis, ex hac illimi & purissima Christianorum procreatione de Christo Patre, & Ecclesiæ Virgine casta Christo exhibita, egregiè eruit Zeno Veron. serm. de pudicitia, his præter cætera. [Si Ecclesia Christi sponsa est, quia pudica, ideò iugo thalami cœlestis honorata, quia etiam post nuptias manet postmodùm Virgo perpetua; nos qui nascimur de tanto coniugio, omnifariè adniti debemus, quemadmodùm prosapiæ ei nostræ nobilitatem non relatione tantùm, sed etiam fide similitudinis approbemus.] Ad Christi præterea amorem ex hoc titulo excitari Christianos, ferè frustra monuerim. Scitè Giselbertus in Altercat. Synagogæ & Ecclesiæ cap. 20. *in fine*. [Sicut portauimus imaginem terreni, de cœtero portemus imaginem cœlestis. Hoc singulare concilium, & salutare, omnibus in Deo renouari & reformari cupientibus. Qui enim nouit quis sit vetus, vel quid nouum ei dat Verbum caro factum, cognoscibile his qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, vel viri, sed ex Deo nati sunt? Vetus Adam, omnium generatorum, Christus pater omnium regeneratorum. Quo ergo amore, aut quo affectu ardentissimæ charitatis, tantæ gratiæ occurrimus? Filij mortis & iræ filij facti sunt firmioris gratiæ. Mors in vitam, casus in statum, vmbra in lucem, labor in requiem, Christo nato conuersa sunt, & antiqui Tyranni sceptra barbarica, Christo qui est vera pax, quieuerunt. Tanto amori amor noster occurrat, & Verbum carnem factum sinu latiore vel certè lætiore, excipiat.] Verùm de his alio loco opportuniore pleniùs. Nunc sistamus in duobus primis affectibus, quos hunc Christi titulum excudere in nobis debere, præmittebamus. Vterque enim effectus ex constituta nostra è Christo progenie, per se sequitur.

### II.

### *Pensanda generis nostri nobilitas.*

Ac primus quid dignius, quàm vt nobilitatem generis nostri agnoscamus, tam sublimi progenitore sati? [Vnicuique ergo nostrum (inquit Clemens Alex. 1. pædag. cap. 6.) Vnicuique inquam nostrum, qui infantes sumus, licet Domino gloriari, & eloqui; Patre bono, atque bono me sanguine glorior esse.] Sumus planè omnes quotquot Christiani dicimur, genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis. Vocamur *regale Sacerdotium*, ad apicem gentilitiæ nobilitatis designandum qui olim auctoribus Synesio de Regno, & Gelasio tomo de vinculo anathem. ex coniunctis regia & pontificia dignitate efflorescebat. Et nunc quoque in Christiani locum habet, vt S. Leo docet, his verbis serm. 3. de Anniuersario suæ Assumptionis. [In vnitate igitur fidei atque baptismatis, indiscreta nobis sociatas, dilectissimi, & generalis est dignitas, secundùm illud Beatissimi. Petri Apostoli Sacratissima voce dicentis; *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini in domos spiritales, Sacerdotium sanctum; offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Et insià, *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Omnes enim in Christo regenerato, crucis signum efficit Reges, sancti verò Spiritus vnctio consecrat Sacerdotes: vt præter istam specialem nostri ministerij seruitutem, vniuersi spiritales & rationales Christi, agnoscant se regij generis, & Sacerdotalis officij esse consortes. Quid enim tam regium, quàm subditum Deo animam corporis sui esse rectorem? Et quid tam Sacerdotale, quàm vouere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre?]

865 Iidem *gens sancta* nominamur, quia sanguine Christi creti. Nam *sanctum* vt est apud

Seruium 12. Æneid. ad illud *Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine sancit*, illud dicitur quod sanguine sancitum est. At Christianos sanguine Christi constitui, neminem latet. Dicimur item *populus acquisitionis περιούσιος populus pretiosus*, ac veluti *peculium Dei*: Quo pacto eadem vox exprimitur Exod. 19. vers. 5. Symmachus λαὸν ἐξαίρετον, *populum eximium* est interpretatus S. Ambrosius serm. 6. in Psal. 118. vers. 6. annuente S. Augustino de peccato. merit. cap. 27. legit *populus in adoptione*, quia ad tam sublimem prosapiam euecti sumus voluntaria Christi, Patris optimi adoptione. Itaque Apostolus ex generis nostri in Christo eminentia, ad erectionem animi nos cohortetur. Sicque per nos despuendum docet fastum ex terrena & carnali nobilitate, vt admonet S. Hilarius in Psal. 118. *Littera nun*, ad illud *humiliatus sum vsquequaque Domine*, vt simul nostri in Christo generis claritatem perspicientes, sancta superbia efferamur, ac dignos genere nostro sumamus spiritus, honorificantes Patrem nostrum. In quam sententiam Origenes Tomo 26. in Ioan. tractans illud Christi, *honorifico Patrem meum*, sic scribit. [ Dicemus verò etiam nos hanc vocem, si considerauerimus regenerationis lauacrum, lotique in eo, vt efficiamur filij Dei, non ampliùs vocabimus patrem super terram, eò quòd facti fuerimus filij Patris cœlestis, fratréque dicentis; *Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum Deum meum & Deum vestrum*. Quamobrem perspicuum est, quòd propriissimè & perfectissimè dicente Iesu; *Ego Dæmonium non habeo sed ego honoro Patrem meum*, vnusquisque nostrum, imitator eius quoad fieri potest, & omnia potens in Christo Iesu cum corroborante, dicturus etiam est; *Ego demonium non habeo sed cohonesto Patrem meum*. Cæterum quis inter mortuos versans, in sepulchrisque habitans dicere poterit; *Ego demonium non habeo*? Vel quis quidpiam aliud honorans præter Deum verbumque ipsius, ac præter id quod à verbo præcipitur cum sit necesse illi honorem tribuere, existimans dicturus est tanquam Iesu discipulus; *Sed honoro Patrem meum*? Cui dicto proximum est hoc: *& vos ignominia afficitis me.* ]

## *Consensus Ethnici, ac Hæretici, quoad rem propositam.*

Pupugit profectò animum meum Ethnici hominis hac in parte sensus, quem tametsi inter SS. Patres adducere, non secùs esse videtur quàm anserem inter olores strepentem proponere, iuuat tamen non omittere; vt veritas adeò eximia, testatior fiat, præsertim cum S. Chrysostomus, cæteroqui rerum Ethnicarum & externarum parcissimus, aliquoties tamen hunc adhibeat vel suffragatorem vel testem veritatum quas è sacris oraculis proposuerat. Epictetus est quem dico, è quo Arrianus lib. 1. cap. 3. philosophatur in hunc modum. [Si quis huic opinioni ex animo, atque ita vt ipsius præstantia postulat, assentiretur, nimirum nos procreatos à Deo quodam insigni naturæ principatu, ac præterea Deum, Patrem esse Deorum atque hominum; haud dubiè nihil humile aut abiectum de seipso cogitaturus esset. Quod si Cæsar te adoptaret, supercilium tuum nemo sanè ferret. Si ergo Dei te filium agnoscis, non te efferes? At istud nos non facimus iam, propterea quòd duo hæc in ortu nostro confusa sunt & coagmentata; corpus scilicet, quo communicamus cum animalibus reliquis, & ratio atque intelligentia, qua conuenit nobis cum Diis. Quare nonnulli, & maxima quidem pars, ad mortiferam illam atque infelicem cognationem naturæ, propensiores sunt. Quidam verò & perpauci, sese ad diuinam & beatam illam adiungunt cognationem naturæ. Cùm porrò sit necesse quemlibet re qualibet sic vti, pro eo vt de ea senserit, pauci nimirum illi qui se natos censent ad fidem, ad pudorem, ad cautionem prudentes vtendi visis, de seipsis nihil scilicet cogitant humile aut abiectum. ] Quam hic philosophus in homine diuinam prosapiam agnouerit quámque ea tenuis & minuta sit; quippe finibus naturæ coërcita nemo non videt, & tamen quos animos inde concipi velit, quámque idcirco se offerre hominem auctor sit, proposita eius verba docuerunt. Nobis qui verè cœlesti doctrina imbuti, quò pertingat nostri in Christo generis claritas edocti sumus, quanta inde animi excelsitas debet existere?

866 Quando Ethnicum illum solo corpore seruum, in hanc scenam produxi, volo ex eodem, alterius quoque affectus quem proponebam, incentiuum depromere, & docere, indignissimum esse si homo Christo Patre natus, cum prosapiæ suæ dedecore, obiiciat sese ad indigna. Quod enim ille ait de homine, Iouis semine ac sobole, ad sublimia quæque ob illum ortum aspirate astricto, hoc nos non mentito titulo, de Christiani ortu ex Patre Christo, qui verus Deus est, dicere possumus, multo potiore iure, aut etiam debemus locus est apud Arrianum lib. 2. cap. 8. Dixerat de brutis animantibus esse Dei opera; veruntamen partialia, nec Dei particulas. Subdit autem de homine appellans ipsum; [ Tu verò principale quoddam es delibatum ex diuina natura, habes eius aliquam partem in teipso. Quare ignoras prosapiam tuam? Nescis vnde veneris? Non meminisse vis, quando vescebaris, qui existens vescaris, & quem nutrias: & in cœtu viuens, & cum aliis versans, quando exerceris, quando disputas, an nescis te nutrire Deum, exercere Deum, circumferre Deum? Te ignoras ô miser? Censes me loqui de aureo quodam aut argenteo, quem extrinsecùs circumferas? In teipso, inquam, illum gestas, quem coinquinari abs te non sentis. Impuris enim cogitationibus, sordidisque actionibus id facis. Quòd si Dei effigies quædam adesset, non in animum induceres tale quid agere. Deo autem ipso præsente in penetralibus, & inspiciente omnia, atque audiente; non pudet te ista cogitare & facere, propriæ naturæ ignarum, & dignum cui Deus sit iratus? ] Deum vocat ipsummet hominem qui à Patre Deo satus est. Quam appellationem non respuunt Scripturæ ac Patres, vt nostram ex Deo in Spiritu generationem, nostrámque mysticam in Christo prosapiam insinuent, quod superiùs est notatum. Itaque cadit perbellè Epicteti expostulatio in Christianum, qui cum se genus Dei & Christi profiteatur, eam tamen gentilitiam nobilitatem, turpibus & indignis Christiano actionibus commaculat, eiurans Christum Patrem, vt anteriorem Patrem zabulum denuò habeat Patrem, vt luculenter philosophatur Origenes hom. vltima in Isaiam, & hom. 6. in Ieremiam ad illud *conuersi sunt ad iniquitates patrum priorum.*

Ead émque

Eadémque ratione extorqueri in Christianum potest,ea quam Epictetus inferiùs eodem capite subiicit, expensio eiusdem indignitatis ex consideratione statuarum numinis, quibus multo nobiliores, Dei imagines viuæ, sunt homines. [Si Phidiæ esses effigies, Minerua scilicet aut Iupiter, meminisses vtique & tui ipsius,atque etiam sculptoris. Ac si quem haberes sensum conaretis nihil indignum facere tuo opifice, neque etiam teipso,nec indecoro habitu te inspectorum oculis offerres.Iam nunc porrò Iupiter cum te fecerit,quî fit vt curæ tibi esse non patiaris, qualem te ostendas?& hac in parte quantum interest inter opifices,itémque inter opera & effectus. Aut quodam est opificium artificis, quod simul vt factum sit, suas habeat facultates in semetipso, quas præstare possit hac efformatione? Nonne lapis est,aut æs, aut aurum,aut ebur, adeóque Minerua Phidiæ, porrecta manu semel consistens, ac victoriam tenens, in perpetuum motu vacat?Sed opificia Dei,mobilia sunt & spirantia, vti visis possunt,nec carent facultate æstimandi. Talis artificis cum sis opificium, quare teipsum dedecora?]

Ethnico adiungo Hæreticum. Nota quippè ex Tertulliano est, Gentilium & Hæreticorum germanitas:nec est quod vetet, ex vtrisque hisce tribulis ficus legere. Pelagius ergo Epistola ad Demetriadem,nostram ex Deo per Christum generationem, potentissimum fœnum esse homini à peccatis reuocando rectè statuit si æstimetur suis momentis. [Non est(inquit) exhortatio vehementior, quàm qua nos Scriptura diuina filios Dei vocat.Quis enim non erubescat & metuat tanto Patre agere aliquid indignum vt qui Dei dicitur filius,ipse efficiatur vitiorum seruus.] Timenda verò consequens antecedentem scelestum pœna. Nam hoc quasi sacrilegium,& infame tam nobilis prosapiæ dehonestamentum, vltor à tergo Christus sequetur, quod apud Ieremiam cap. 3. his verbis exprimitur. *Ego autem dixi: Quomodò ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem præclaram exercituum gentium? Et dixit: Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis. Sed quomodò si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israël, dicit Dominus. Vox in viis audita est, ploratus & vlulatus filiorum Israël quoniam iniquam fecerunt viam suam, obliti sunt Domini Dei sui,*]

## III.

### *Filij degeneres,filij Satanæ.*

867 Hæc de Christo Patre esse accipienda, docet Theodotionis translatio, quam Christum innuisse S. Hieronymus ibi obseruat, aiens ad hoc in ea significantiùs haberi, pro *hæreditatem præclaram*, vt est in vulgata *hæreditatem inclytam fortitudinis robustissimi Gentium*. Quare Christus est qui in tempore ingratissimæ soboli,iam non soboli,vlulatum & ploratum rependet, non secùs ac Pater fidei Abraham, abiectum à Deo filium cuius olim in mendicum Lazarum ferrea viscera ipse quoque abiecit, & iam Pater dici eius noluit. Id quod etiam Petrus Chrysologus serm.66. ipsi diuiti cum Abrahamo colloquenti, in buccam, sin minùs in mentem venisse putat, cum dixit, *Non Pater, Abraham*: Iungit enim Chrysologus, negationem cum voce *Pater*;itaut sensus sit, diuitem vocare Abrahamum *non patrem suum*, qui non Abrahæ,sed gehennæ, idest Satanæ filius esset.Quod enim D. Augustinus in Psal.84.ad illud *Captiuitatem Iacob*, optimè tradit, & latè prosequitur Origenes hom. 4. in Ezech.ad illud, *si fuerint isti tres Noè Iob, & Daniel*. Eius filij in Scriptura nuncupamur,cuius facta æmulamur & imitatione exprimimus, eósque esse Patres ad quos apponi dicimur, & quorum peccata in filiis puniri traduntur; quamuis alibi cum de filiis per naturalem generationem agitur, negetur Patrum peccata in filij plecti, annotauit luculenter S. Hieron. & optimè Origenes hom.6.in Ezech.cum ait. [Quid futurum est misero mihi,si peccauero?Quis mihi erit Pater?aut quæ mihi erit mater?Tantæ talisque Hierusalem radix & generatio de terra Chananæorum; Pater eius Amorrhæus, & mater Cethea nuncupatur.Ego si peccauero qui in Christo Iesu credo, & tanto me magistro tradidi quis mihi futurus est Pater? Non vtique Amorrhæus,sed nequior quidam pater. Quis est iste. *Quiuis qui peccatum facit, ex Diabolo natus est*. Et iterum; *Vos ex Patre Diabolo estis*. Si igitur Hierusalem dicitur de radice & Natiuitate terræ Chananæa, quid dicetur ad nos?Inueniuntur & nobis patres, qui nos generant in peccatis. Vt enim si bonus fiero, & in optimo actu constitutos, dicit mihi Iesus;*Fili dimittuntur tibi peccata tua*, dicit mihi Paulus discipulus Iesu: *In Christo* enim *Iesu per Euangelium, ego vos genui*: ita si factus fuero peccator, generans me in peccatis Diabolus, & assumens sibi eam vocem qua Pater Deus ad Saluatorem locutus est,dicit ad me; *Filius meus es tu,ego hodie genui te*. Et alij autem plures patres mei erunt ad quos iturus sum. Vnusquisque ad suos proficiscitur patres. Si quis est ad Abraham,dicitur ad eum;*Tu autem vade ad Patres tuos cum pace, educatus in senectute bona*. Si quis verò egreditur de sæculo, non cum pace sed cum peccatorum bello,& senectute non bona, inueteratus dierum malorum, vtique dicitur ad eum,*Tu autem vade ad Patres tuos cum bello, nutritus in senectute mala*. Docemur à Deo sub aliis nominibus,quid facere debeamus.]

Insignem locum S. Ambrosij ex calce Commentarij in Psal. 48.ad illud, *Introibit vsque in progenies patrum suorum* quo hæc omnia perbellè confirmantur repræsento. [Qui est Pater impiorum,Dominus declarauit dicens, *Vos ex Patre Diabolo estis*.Sunt & illi Patres de quibus dicitur;*Relinque mortuos sepelire mortuos suos*.Ideò & Moabitæ vsque in tertiam & quartam generationem, prohibiti sunt introire in Ecclesiam Domini, vt filij eorum propter peccata patrum suorum,introirent in eorum generationem,quorum facta imitabantur & mores. Vnde & scriptum est; *Filij adulterorum in consummatione erunt*. Ergo qui non illum Patrem qui in cœlo est sequitur, sed illum terrena colluuione viuentem,in progeniem terrenis Patris intrat. Qualis enim terrenus,tales & terreni:vt sit eius vita terrena,requies nulla post mortem. *In æternum non videbit lumem*,quoniam temporale quæsiuit.Ille autem qui Christi secutus est gloriam, qui desiderauit illud lumen,quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, inueniet & videbit lumen æternum: quia eum Christus redemit à morte. Tunc ergo cogitabit secum,

quia *cum in honore esset intellexit*; & ideò erit similis iumentorum, qui similis debuit esse Angelorum, per Domini nostri Iesus Christi gratiam.]

868 Sed & S. Leo serm. 6. de Natiuitate Domini cap. 3. & 4. cum inuectus esset in rebelles Deo filios, subdit. [Non est iste animus filiorum Dei, nec talem sapientiam recipit adoptiua nobilitas. Genus electum & regium, regenerationis suæ respondeat dignitati. Diligat quod diligit pater, & in nullo ab autore suo dissentiat, ne iterum dicat Dominus; *Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit.* Magnum est, dilectissimi, huius muneris Sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem. Per has enim appellationes sentitur & discitur, quis ad tantam altitudinem ascendat affectus. Nam si in progenie carnali & stirpe terrena, claris parentibus genitos, vitia malæ conuersationis obscurent, & ipso maiorum suorum lumine soboles indigna confunditur, in quem exitum venient, qui propter amorem mundi à generatione Christi non metuunt abdicari? Si autem ad humanam pertinet laudem, vt Patrum decus in prole resplendeat; quantò magis gloriosum est, ex Deo natos in autoris sui imaginem refulgere, & illum in se, qui illos genera uit?]

Concludo cum S. Ambrosio serm. 44. de Tempore. [*Si Deus, Pater vester esset, diligeretis vtique me.* His verbis apertissimè demonstratur, quod mali & cupidi, nec Abrahæ, nec Dei filij sint. Nam cuius filij sint, sequentia manifestant. Ait enim: *Vos ex patre Diabolo estis.* Ac si dicat: Cur patrem mutatis? nunc Abraham, nunc Deum? Ego vobis ostendam patrem vestrum. Pater vester Diabolus est non creando, sed decipiendo. Fugite, fratres, talem patrem, fugite, sicut Propheta admonet. Ait enim: *Obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui.* Populum vocat vita atque peccata: domum verò Patris, dicit mundum, in quo regnat Diabolus. Ille obliuiscitur populum suum, qui relinquit vitia sua; & ille obliuiscitur domum Patris sui, qui mundi huius falsas diuitias contemnit, per quas eum Diabolus tenet captiuum. Patet quòd Diabolus non diligit filios suos, sed odit, quia non amat nisi vt perdat: sicut amat gluto porcellum vt comedat.]

## IV.

### *Charitas mutua erga omnes, vt fratres.*

869 Charitas mutua quantoperè ex hoc foueatur, quod Christum habeamus communem Patrem, idque intendere Deum, intelligi potest ex præclara S. Augustini serm. 14. ex 40. nouis, & serm. 20. itémque S. Chrysostomi ratiocinatione hom. 34. in 1. ad Corinth. vbi considerat, quorsum Deus voluerit genus humanum vniuersum, ex vno homine profluere. [Deus (inquit) ab initio innumerabilia est machinatus, vt eam nobis insereret. Nam & nobis vnum dedit caput, nempe Adamum. Cur enim nascimur omnes ex terra. Cur non perfecti, sicut ille? vt & partus, & filiorum educationes, & alium ex alio inter nos nasci, nos inter nos colligarent. Propterea neque mulierem fecit è terra. Nam quoniam non sufficiebat ad nos incitandos ad concordiam, quòd similiter essemus eiusdem essentiæ, nisi etiam eundem haberemus primum parentem, hoc quoque effecit. Nam si nunc solis disiuncti locis, nos à nobis inter nos existimamus alienos; si nostrum genus duo haberet principia, multo magis hoc fieret. Propterea tanquam ab vno quodam capite, ligauit totum corpus humani generis.] Hæc ratiocinatio, non minùs vrget quoad amorem inter nos conciliandum ex vnitate Patris vniuersorum spirituum, quàm ex vnitate Patris omnium corporum.

Inferunt sanè passim Patres, Christianis omnibus, ex eo quod vnum & eundem habeant Patrem Christum, commune esse fratrum nomen; sicque passim se appellasse piscos Christianos, nemo in veterum monumentis adeo hospes est, vt ignoret. [Nos quod inuideris (ait Minutius sub finem Octauij,) fratres vocamus, vt vnius Dei parentis homines, vt consortes fidei, & spei cohæredes.] Apud Iustinum in fine Apologiæ 2. Athenagoram orat. pro Christianis, & Tertullianum cap. 39. Apolog. Lactantium lib. 5. cap. 16. idem firmatur. Ex eoque vsu Lucifer Calarit. lib. 2. pro S. Athanasio, agens cum Constantio Imperatore. An erubescis (inquit) audire Athanasium fratrem tuum? Si Christianum te profiteris, debes omnes Christianos, fratres dicere; etiam quos videris stipem petentes.] Alia pleraque loca addensat Espencæus Digressione 26. in 2. ad Timoth. Catechumenis tamen quod nondum Christo patre in baptismo procreati essent, nomen *fratrum* non fuisse tributum, nec eis nisi post baptismum licuisse compellare Deum *Patris* nomine, fundendo orationem Dominicam, confirmat fusè Albaspineus lib. 1. Obseruationum Sacrarum c. 19.

Est verò aliqua difficultas quoad Hæreticos iam renatos. Cum enim non sint filij Dei, non videntur dicendi fratres nostri; Et tamen nonnulli Patres, volunt eos fratres dici. Ita S. Augustinus plerisque locis quæ signat Espencæus digressione 26. in 2. ad Timoth. quibus adde loca ex lib. 3. contra Parmen. cap. 2. & ex serm. 35. ex quadraginta nouis, vbi agit cum Donatistis qui nolebãt *fratres* Catholicorum audire: quos item eam ob causam egregiè corripit S. Optatus initio lib. 1. contra Donatistas verbis illis. [Nolunt se dici fratres nostros. Tamen nos recedere à timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus sanctus per Esaiam Prophetam dicens, *Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini*: sit qui vos odio habent & exècrantur, & nolunt se dici fratres nostros, vos tamen dicite eis, *fratres nostri estis.* Sunt igitur sine dubio fratres, quamuis non boni. Quare nemo miretur, eos me appellare fratres, qui non possunt non esse fratres.] Rursus initio lib. 4. sic alloquitur Paulinianum. [Si tu non vis esse frater, ego esse inuitus. Scipio impius, si de nomine isto tacuero. Estis enim fratres nostri, & nos vestri, Propheta dicente; *Nonne vos vnus Deus creauit & vnus Pater genuit?* Non enim potestis non esse fratres, cum omnibus dictum sit, *Dij estis & filij altissimi omnes.* Et nos & vos sumus qui præceptum accepimus, in quo dictum est, *Ne vocetis vobis quemquam patrem in terris, quia vnus est Pater vester*

*vester in cœlis*, Saluator noster Christus, solus natus est filius Dei: Sed & nos & vos, filij vno modo facti sumus, sicut in Euangelio scriptum est, *Venit filius Dei: quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem, vt filij Dei fierent.* Nos & facti sumus & dicimur: vos & facti estis, & non dicimini, quia pacifici esse non vultis. Nec audire ipsum filium Dei dicentem. *Fœlices pacifici, quia ipsi filij Dei vocabuntur.* Christus veniens, Deum & hominem reuocauit in pacem, & fecit ambos vnum: tollent mediam sepem parietis, Vos nobiscum, idest, cum fratribus; pacem habere non vultis. Non enim potestis non esse fratres, quos iisdem Sacramentorum visceribus, vna mater Ecclesia genuit: quos eodem modo adoptiuos filios Deus Pater excepit. Vnde huius temporis præscius Christus, quia futurum erat, vt à nobis hodie discordaretis, talia dedit orandi mandata, vt vel in oratione vnitas remaneret, vt preces iugerent, quorum discrepaturæ fuerant partes. Oramus pro vobis, quia volumus & vos pro nobis: & cum non vultis, aut dicat vnusquisque vestrum, *Pater meus, qui in cœlis es: & panem meum quotidianum da mihi hodie:* Et *dimitte mihi peccata, quomodo & ego debitori meo.* Igitur quæ mandata sunt, mutari non possum. Videtis nos non in totum ab inuicem esse separatos, dum & nos pro vobis oramus, volentes: & vos pro nobis oratis, & si nolentes. Vides, frater Parmeniane, sancta gemina vincula inter vos & nos, in totum erumpi non posse.]

870 Hæc euidenter conficiunt, Hæreticos quoque esse fratres nostros generatione & Natiuitate, tametsi mali & discoli sint fratres. Qua ratione satisfit difficultati in contrarium motæ, & aliis auctoritatibus Patrum, negantium Hæreticos esse fratres nostros: nempe dignos eo nomine, aut quatenus sicut filij Satanæ. Rem attigit S. Optatus priore loco; addit enim post verba citata. [Est quidam nobis & illis vna spiritualis natiuitas sed diuersi sunt actus. Nam & Cham, qui patris sui risit impiè nuditatem, frater innocentium fuit: & pro merito suo iugum seruitutis incurrit, vt esset fratribus frater addictus. Ergo hoc nomen fraternitatis, nec interueniente peccato deponitur.] Nyssenus quoque l. de Deitate Patris & Filij ac Spiritus sancti, agnoscit Hæreticos ex eodem nobiscum vtero Ecclesiæ editos esse, sed ait cum Psalte, errasse eos ab vtero. [Verum, (inquit,) opinor eorum qui secundùm Deum nascuntur, Ecclesiam dici. Hæc enim in vtero suo gestans eos qui ad perfectionem in ea perueniunt, in lucem per fidem producit. Sed peccatores quemadmodùm fœtus abortiui ab vtero abalienati sunt, & à vero atque germano ventre aberrauerunt. Non enim in materno sinu gremióque, video fidei desertores, & aio Prophetam de his loqui qui per fraudem seducti errant, nempe à ventre illos aberrasse. *Errauerunt eo quod loquuti sunt falsa.*]

Omnes igitur in Christo renati, sunt fratres nostri, ex eodem Patre Christo procreati, & in eodem lauacri vtero sati. Quare omnium fraternè diligendorum, ex hoc Christi titulo nobis necessitas iniicitur. Estque hic amor, stillicidium illius amoris quo in Christum communem patrem, omnes ferri tenemur, vt quæ sunt eadem vni tertio, sint eadem inter se. Non inficior tamen; præter hanc generalem omnium Christianorum fraternitatem, ipso nomine antiquo *Christianitatis* expressam, (*fraternitas* enim, idem passim est in veterum scriptis, quod *Christianitas* vel *congregatio Christianorum*) inuectum esse aliud speciale inter Christianos fraternitatis genus, substitutum à Patribus & impio fraternitatis ineundæ modo, quod per humani cruoris potationem fiebat: vsurpatúmque à Barbaris & Orientalibus prodidit Lucianus Dialogo de amicitia; itémque Romanis in vsu fuisse, ex Catilinæ coniuratione notum est. Instituere ergo Christiani, vt qui peculiari ratione fratres esse vellent, sibique certam fidem ac beneuolentiam spondere, simul ad sacram Eucharistiæ mensam accederent, simúlque sacrum calicem haurirent ἀδελφοποίαν vocabant: Et sic ineuntes amicitiam & fraternitatē ἀδελφοποιήτους Sic Vitalianus in Epist. ad Hormisdam, dicitur *Iustiniani frater*; non sanguine vt inconsultissimè conscripsit aliquis in S. Benedicti genealogia; sed hac quam dico, fraternitate ritu Christiano super sacram mensam inita, vt dixit Procopius in Historia Arcana pag. 30. Notans Iustinianum insignis perfidiæ, quod postmodùm fidem tam formidandam (sic appellat,) non esset veritus fallere, Vitaliano per suspicionem admissam trucidato. Eandem ob causam Strategius ærarij Præfectus Iustiniani frater dicitur, in historia de templo S. Sophiæ. Theodoricum Gotthum, hac ipsa ratione dictum esse Iustiniani fratrem, exposuit Theophilus præceptor Iustiniani. Hanc igitur specialiorem & nunc ferè obsoletam Christianorum fraternitatem, non abrogo cum omnes Christianos agnosco fratres; ad mutuum amorem, ex necessitudine tam arcta, firmissimè obstrictos. Sed illam fraternitatem exponere contentus fui, quæ omnibus communis est Christianum nomen præferentibus.

# CAPVT III.

## *Christus Magister.*

871 CONSEQVENTER ad titulum *Patris* proximè expositum, quandoquidem vt præmisimus initio capitis præcedentis, is quoque Pater dicitur qui est magister, ad Christi magisterium progredimur.

### *Christus fuit Magister, & quamdiu, ac quomodo, siue an etiam scripto.*

Vendicat sibi Christus *magistri* titulum, disertè Ioan. 13. verbis illis, *vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis; sum etenim.* Et Matth. 23. *Ne vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Id ipsum quoque Prophetæ sæpiùs prodiderant Isaias cap. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem & præceptorem gentibus* Ioel 2. *Filij Sion, exultate & lætamini in Domino Deo vestro quia dedit vobis doctorem Iustitiæ.* 70. habent, *dedit vobis alimenta Iustitiæ.* Sed idem est sensus, quandoquidem doctrina est pabulum

pabulum & cibus animæ. Idem ferunt omnia propè loca quibus Christus dicitur *Prophetæ*. Nam hoc nomen, ex vsu Scripturarum idem ferè sonat ac magistrum. Bene multa loca quibus Christus orbis Magister ac Doctor astruitur, colligunt Galatinus lib. 3. de arcanis cap. 29. Marinarius in Consonantia Christi & Prophetarum cap. de Christo prænunciato Doctore. Acosta. lib. 4. de Christo reuelato cap. 1. Quanquam non tam necessaria in hanc rem videntur testimonia; siue Prophetarum, omnes Dei docibiles aut discipulos fore prænunciantium; siue ipsius Christi magistrum se contestantis in actu signato, quàm munus ipsam docendi per aliquot annos à Christo obitum: non scripto quidem; sed voce, circumeundo Iudæam & Galilæam, vt filiis Israël quorum peculiariter magister erat delectus, propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, doctrinam salutis, & cœlestes disciplinas à se adinuentas, conuersans cum hominibus traderet, iuxta Baruchi Prophetiam.

Aio indefinitè Christum docuisse & magistrum populorum egisse per annos aliquot, ne in grauem & ancipitis resolutionis controuersiam de tempore prædicationis & magisterij Christi, cogar penitiùs descendere. Agitant eam diligenter Baronius in Appar. num. 83. & anno Christi 31. & 34. Ribera in cap. 13. Ioan. *initio*, Pererius lib. 11. in Danielem q. 6. Suarez Tomo 2. 3. partis disp. 30. s. 3. & passim Chronologi, apud quos ea nunc est receptior sententia, quæ Christum annis tribus & aliquot mensibus docuisse asserit. Ita enim colligi perspicuè videtur, ex eo quod Christus baptizatus fuerit, & prædicare cæperit natus annos circiter triginta; obierit autem anno ætatis 34. per menses aliquot inchoato, vt habetur ex subductione Paschalium festorum quibus Christum interfuisse, memorant Euangelia. Non priùs visum est Christo docere, quia vt ratiocinatur Autor sermonis de ieiunio & Tentationibus Christi *initio*. [Hac ætate, tempus doctrinæ insinuatum est rationabile, & ante has metas perperam inuadi magisterium, data est forma: quia non competit annis impubibus sedere in Cathædra, & in primogenitis boum, lege aratio est interdicta.]

872 Docuit itaque Christus per tempus, illud, & verbo, non scripto docuit; contra quam effutiuerunt quidam Ethnici, libros se Christi legisse mentientes; Euangelicæ historiæ, & iis quæ de Christo Apostoli scripserunt, aduersantes, vt refert S. Augustinus lib. 1. de consensu Euang. cap. 9. & 10. & 34. & admirationem aliorum cur Christus nihil reuera scripserit, referens cap. 7. retundens verò eam Pythagoræ & Socratis exemplis, qui cum haberentur Ethnicis sapientissimi magistri, nulla tamen scriptorum monumenta reliquerunt. Addit autem cap. 35. Christum videri posse scripsisse per suos. [Omnibus (inquit) discipulis suis, per hominem quem assumpsit, tanquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt quæ ille ostendit & dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognouerunt. Quidquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperauit. Hoc vnitatis consortium, & in diuersis officiis concordium membrum sub vno capite ministerium, quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Euangelio legerit quàm si ipsam manu Domini quæ in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit.] Quod negat Augustinus, ab ipso Christo per seipsum quidquam scriptis traditum, ad libros (vt vides) pertinet, quos à Christo conscriptos, fabulones illi cum quibus agit, mentiebantur. Inde verò nihil præiudicatur veritati Epistolæ quam à Christo conscriptam ad Abagarum describit Eusebius lib. 1. Historiarum cap. 15. memoratque in suo Testamento S. Ephrem, & S. Theodorus Studita Epistola ad Paschalem Papam, itémque Darius Comes apud S. Aug. Epist. 263. Et superstitem etiam non fuisse temporibus Michaëlis Paphlagonis, qui anno Christi millesimo trigesimo 4. auspicatus est imperium, scribit Cedrenus cũ de Michaële Paphlagone. Eam tamen Epistolam quòd ab Euangelistis relata non esset, ne canonica Scriptura haberetur, vetuit Gelasius cap. *Sancta Romana*, referens eam inter Apocryphas scripturas. Quod quomodo cum veritate huiusmodi Epistolæ non pugnet excutiunt Baronius anno Christi 31. num 60. & Iacobus Gretserus lib. de imaginibus non manufactis cap. 3. Sed quamuis vere Christi esset, nihil hoc ad rem præsentem, cum ea Epistola non tradatur doctrina vlla, sed officio duntaxat re pondendi, ei qui per litteras Christum adierat, fiat satis. Non docuit itaque scripto Christus, per seipsum; nec fuit necesse, vt ratio ex D. Augustino satis probat. Congruum autem non fuisse vt scriberet, ex facto potiùs colligendum est, quàm ex rationibus quas ad id profert D. Thomas 3. parte q. 42. art. 4. Facilè enim euerterentur, vt & alia quæ in eam rem accumulat Abulensis q. 2. in 1. Prologum. S. Hieronym. super Matth. Salmeron Tomo 2. Prolegom. 26. Anto. Peres Controuersia 1. in Euang. cap. 13. n. 91. Benzonius fuse lib. 1. in Cant. Deiparæ c. 15.

*Dotes veri Magistri in Christo eximiæ.*

873 Magisterij ergo Christi veritatem, statuamus vt certam; nec in ea, quippe explorata, vltra hæreamus. Illud potiùs versandum est, quanto iure, quámque præcellenter Christus Dominus hunc sibi titulum deposcat: quod eruendum est triplici capite perfectionum boni Magistri. Prima ad eius eruditionem ac idoneitatem ad docendum, spectat. Secunda ad doctrinam quam tradit. Tertia ad tractandi modum ac methodum. Clemens Alexand. Christum specie Doctoris nostri ac pædagogi describens lib. 1. pædagogi cap. 11. tres boni magistri prærogatiuas Christo proprias, aliter assignat. Postquam enim dixit, legem fuisse pædagogum puerorum indocilium nec nisi in ludos post saturitatem intentorum, addit quod lex eo munere fungebatur, aures [præparans, vt vero pædagogo obediret, qui est vnum & idem Verbum, legi quæ vrgebat conueniens. Datum enim dicit Paulus pædagogum ad Christum, adeò vt ex hoc apertum sit, vnum solùm, verum, bonum, iustum, ad imaginem & similitudinem Patris, Filium, Iesum, Verbum Dei, esse nostrum pædagogum; cui nos tradidit Deus tanquam Pater beneuolus, vero & germano pædagogo committens, & commendans filios, vt qui nobis diluciде præceperit: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Fide dignus est diuinus pædagodus, tribus rebus pulcherrimis

cherrimis ornatus. Scientia, beneuolentia, dicendi libertate. Scientia quidem, quoniam est paterna Sapientia. *Omnis enim sapientia est à Domino, & cum eo est in æuum.* Dicendi autem fiducia, quoniam Deus est & opifex. *Omnia enim per eum facta sūt, & sine ipso factum est nihil.* Beneuolentia autem, quoniam solus pro nobis seipsum hostiam tradidit.] Ego has tres boni magistri dotes, ad primam è tribus quas proposui, reuocabo: quia omnes spectant ad plenè formandum magistrum. Scientia enim qua pollere supponeretur, si deesset eam communicandi animus atque voluntas, perinde se haberet, ac si nulla esset. Quare insistamus tribus illis quæ dixi capitibus, eruditioni magistri, doctrinæ per eum traditæ, & modo tradendi quo vtitur. Penes hæc omnia capita, Christus præcellenti modo est magister.

### *Eruditio Christi Magistri.*

874 Ac primùm eruditio & scientia huius magistri, perspecta habetur ex latè disputatis de omnibus sapientiæ & scientiæ Dei thesauris in Christo abditis, vt est apud Apostolum Colos. 2. Et hac ex causa Psalm. 2. Christus vocatur *Disciplina*, verbis illis quibus Dauid totum psalmum obsignat, cohortans Reges & Principes vt Christo adhæreant, & datum cœlitùs magistrum audiant. *Apprehendite disciplinam* 70. *δράξασθε παιδείας, adorate disciplinam à Patre missam*; velut ibi monet S. Hieronymus verti posse Hebræas voces, *adorate filium*, siue vt alij volunt *osculamini filium*. Quas omnes lectiones eodem recidere, S. Hieronymus obseruat l. 1. Aduersùs Ruffinum à quo inconstantiæ notatus fuerat, quod nunc vno, nunc alio ex modis prædictis, expressisset eum Psaltis versiculum. Dicitur itaque Christus *ipsa disciplina*, eodem sensu quo ab Apostolo dicitur *Dei sapientia*, ob plenitudinem nimirum sapientiæ & scientiæ, quæ ex eo ad omnes exundauit: iuxta illud Ecclesiastici 24. quod de sapientia incarnata meritò accipiunt Interpretum plerique, *posuit Dauid puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum. Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistentem quasi Gehon in die vindemiæ. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmor non inuestigauit eam. Amari enim abundauit cogitatio eius, & consilium illius ab abysso magna. Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuij diorix, & sicut aquæductus exiui de paradiso. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & non desinam in progenies illorum vsque in æuum sanctum. Videte quoniam non soli mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem.*



Non potuit pleniùs ac magnificentiùs, exundantissima Christi sapientia, & obeundi ex eo capite magisterij aptitudo, proponi.

Eodem pertinent veteres typi duo, alter Cherubinorum arcæ appositorum, eámque contegentium, vt habetur 3. Regum 6. quæ causa est, cur Deus toties dicatur *sedere super Cherubim*, vt psalm. 79. & 98. & Isaia 39. monétque D. Hieronymus Epistol. 143. corrigendos esse eos, qui provt ait, errore dicebant *qui sedes super Cherubim & Seraphim.* Causa enim appositorum arcæ, non Seraphinorum, sed Cherubinorum fuit, quia arca Christum Dominum exhibebat è quo nobis diuina oracula insonuerunt: quique fuit nobis propitiatio. Cherubim autem sonat plenitudinem scientiæ, vt sæpè docet S. Hieronymus, & nominatim lib. 1. Commentariorum in Epist. ad Ephes. *ferè in fine*, & Epist. 103. & in c. 10 Ezech. Vt igitur constaret Christum esse sapientissimum, adiuncta est arcæ hinc & inde species Cherubinorum, non autem Seraphinorum, qui à scientia non sunt denominati. Vnde non dicitur Deus *sedere super seraphim*, quod Ribera (correcto. Abulensi in cap. 25. Exodi q. 19. qui aliter dubium illud enodat,) rectè annotauit.

Typus alter quem proponebam, est lapidum rationali insertorum, & pectori Pontificis appressorum. *Vrim & Thummin* vocabant, quos perbelle in Christum cadere diximus supra s. 2. c. 20. etiamsi alij præterea allegorici & mystici sensus prostent apud Riberam l. 3. de Templo cap. 12, Ad rem verò præsentem, optimè facit quod Esdræ 2. c. 7. Sacerdotes quidam cum non inuenissent Scripturam Genealogiæ suæ, expuncti sunt & prohibiti se gerere pro Sacerdotibus, & concedere de Sancto Sanctorum, donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus. In Hebræo est, *donec staret Sacerdos ad Vrim & Thummim*: id est, *donec aduenint Sacerdos habens perfectionem & doctrinam.* Quo pacto verti possunt voces illæ Hebreæ, vt liquet ex ca. 33. Deuter. vbi cum agitur de data Leui Pontificia dignitate, memoratur Vrim & Thummim. Latinè autem dicitur *perfectio tua & doctrina tua, viro sancto tuo.* Eum ergo Sacerdotem ad Vrim & Thummim, siue doctum & eruditum, qui expectandus pronunciatur, apud Esdram non est quilibet Sacerdos habens rationale & oraculum è lapidibus & appositis: nam vt notat Vatablus, Vrim & Thummim non fuerunt in secundo templo. Est ergo Christus Dominus, qui verè est Sacerdos doctus & eruditus, habens in pectore suo illuminationes & veritates.

875 Verè doctus & eruditus, qui ita doctus est, vt numquam fuerit indoctus: ita magister, vt numquam fuerit discipulus. Christus enim, vel spectatur provt Deus, vel provt homo. Neutro autem modo, fuit vmquam vel ignorans, vel Discipulus. Nam provt Deus, sicut habet eamdem cum patre substantiam, ita & scientiam. Vnde non laborauit vmquam ignorantia, nec scientia vmquam caruit, vt eam ab alio posset haurire. Provt homo autem diuinæ sapientiæ fontem, ab initio suæ productionis deriuatum in suam animam, habuit. Ratione enim vnionis ad Verbum, sanctissimus ille intellectus, iam ex primo momento collustratus est.

plenissimè, itavt non egverit discipvlvs esse, vel aliquid aliunde addiscere. Delitantque pro more Iudæi apud Osorium lib. 2. de Sapientia pag. 91 fingentes, Christum initio imperitum, euasisse dolo in virum sapientem. Nec saniores Ethnici illi, quos S. Augustinus Epist. 34. *in fine*, confutatos à S. Ambrosio scribit affirmantes Christum de Platonis libris profeciſſe: Id quod etiam in Celso ridet Orig. l. 6.

Alij, magistri & Doctores dicuntur, sed si sapiant, ac vel quantumlibet desipiant, cogentur frequentissimè de seipsis profiteri, quod de se Augustinus serm. 122. de Diuersis. [Doctores dicimur, sed in multis Doctorem quærimus.] Christus quia plenè doctus & eruditus, alium Doctorem quærere necesse non habuit, cui omnia nuda erant & aperta. Præ eo, omnes qui docti audiunt, pueri sunt habendi; eóque nomine donantur à Christo loquente per Esaiam *ecce ego & pueri mei*. Hoc nomine designatos omnes homines, eosque præ hoc magistro pueros esse, sic docet Origenes hom. 7. in Isaiam. [Factus in sanguine, puerorum causa qui communicauerunt carni & sanguini, quasi paruulis loquens, loquitur non diuina & ineffabilia, sed quæcumque capere possent paruuli. Paruuli autem omnes homines sunt, si eos comparas ad perfectionem Verbi: licet Moysem nomines; licet vnum dixeris de Prophetis; licet Ioannem quo maior in natis mulierum nemo fuit; licet ad Apostolos venias; Petrum, cui portæ inferi non inualescent, vel Paulum qui raptus est vsque ad tertium cœlum, & audiuit indicibilia verba, non deponis eorum gloriam, dicens, quia & ipsi in eis quæ intellexerunt, comparatione eorum quæ non intellexerunt, paruulorum disciplinis eruditi sunt, quæ hominibus traduntur. Dicit ergo Saluator, non de his quos Paulus in Christo paruulos nuncupat, & asserit lacte potandos, & non forti cibo, sed de omnibus simul hominibus; *Ecce ego, & paruuli mei quos mihi dedit Deus*. Verùm quomodò in pueris alij sunt aliis acriores, & ea quæ eis sunt tradita velociùs consequuntur: sic inquam similem ingeniosis pueris factum Moysem, & Prophetas, sed & Domini nostri Iesu Christi Apostolos. Propterea sentientes semetipsos, qui etiamsi profecerint, puerorum profecerunt, profectu, dixerunt. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Nec enim adhuc veritatis negotia, sed vmbras negotiorum conspiciebant, nec plenam lucem, sed obscuram imaginem. Ideóque repetebant, dicentes; *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Quis ergo hæc legens & intelligens, inflabitur & extollitur super scientiam, seu super quodcumque donorum? Etenim cuncta quæ ad pueros deuenerunt, multo inferiora sunt his quæ reposita sunt viris. Debent ergo non eleuari, & superbire ij qui videntur inter pueros acrioris ingenij & velocioris. Istos autem pueros, homines dicit omnes, quos & Saluator demonstrabat; *Ecce* (inquiens) *ego, & pueri mei, quos mihi dedit Deus*. Donum accepit & Saluator à Deo.] De eruditione magistri nostri puto liquere.

### *Perfectio doctrinæ Christi.*

876 Iam doctrinæ quam tradidit excellentia, (quod erat secundum caput prærogatiuarum boni Magistri,) perspicue demonstrati potest, ex eo quod perfecta doctrina, verèque eo nomine digna, duas ob causas dicitur. Nimirum primo quia vacat errore, secundo quia est veritas vtilis ad hominis perfectionem plenam. Eo enim tendit scientia creata vniuersa, vt hominem vndecumque perficiat: in se quidem & formaliter quoad intellectum, radicaliter autem quoad voluntatem, cui intellectus præluceat. Itaque nisi scientia hoc habeat, vt & errore sit libera, (alioqui intellectum non perficeret,) & possit saltem remotè, esse fomentis sanctorum affectuum, quod habent omnes veræ scientiæ, etiamsi speculatiuæ, digna non erit, quæ nomen sibi ac decus vendicet veræ scientiæ. Defectu puritatis ab erroribus, vix est disciplina vlla humana, quæ mereatur nomen *scientiæ*. Tam multi enim errores paucis veritatibus admixti sunt, vt non abs re Valerius (scitè certè & concinnè) nostrates doctrinas appellatas voluerit nomine *doctorum errorum*, laudans Socratem, quod naturalium quæ nobis sunt adeò imperuia studio abstinens, ad mores animum appulisset. S. Petrus non absimiliter, humanas disciplinas vocauit *doctas fabulas*, vt videatur sanè Cardinalis Cusanus non vnum illud inum opus, sed omnia quæ de naturalibus disciplinis conscribuntur volumina, inscribere potuisse, aut æquè etiam debuisse, *de docta ignorantia*. Meritò item S. Augustinus 1. Confess. c. 13. ait vela quæ olim in liminibus Grammaticarum Scholarum pendebant, non illa magis honorem secreti, quàm tegumentum erroris significasse. Erlumit *Grammaticam* pro recepto apud plerosque vsu, pro omnibus humanioribus disciplinis, vt factum est à S. Gregorio, increpante Sanctum Desiderium Viennensem, quod doceret Grammaticam. Idem verò multo potiore iure dicere poterat Augustinus, de superioribus naturalibus disciplinis; quæ vt circa res, non circa voces & orationem distinentur, ita multo magis scatent erroribus. At defectu vtilitatis, saltem remotæ, ad mores bonos, pleræque humanæ notitiæ, damnantur vanitatis, & sordent curiositatis labe; suntque eiusmodi, vt præstet ignorantia opposita laborare. [Melius enim est bene ignorare, quàm turpiter scire,] ait S. Chrysostomus hom. 5. de Prouidentia. Quod ipsum aliter dixit S. Augustinus cap. 17. Euchiridij. [Sunt quædam quæ nescire, quàm scire, sit melius.] Quid quod omnis scientia naturalis, etiamsi vere scientia, hoc habet vt nocere possit obnubilando, dum inflat. Id quod S. Greg. 25. Moral. cap. 16. pulchrè notauit.

### *Caret nauis omnibus scientiæ nostratis.*

877 Nullus horum scientiæ nostratis næuorum, locum habet in tradita per Christum magistrum doctrina. Est enim ab erroribus purgatissima, & nullo falsitatis fermento commaculatur. Nec tantùm prout à Christo primùm manauit, & ex eius sanctissimo ore profluxit, sed etiam

etiam provt ad nos vsque, per manus deuenit, puritatem fontis sui etiamnum retinet: itavt Satan quantumcumque omnibus artibus & machinis, imo & vi inpacta, conniſus ſit falſitate aliqua Chriſtianam veritatem inquinare, nihil tamen profecerit. Nam quod apud Hæreticos, doctrina Chriſti, videtur admixto errorum limo ſordere, non ita eſt. Nulla quippe apud eos eſt Chriſti doctrina, ſed merum vaniloquium, & figmentum obſcurati inſipientis cordis eorum, ſonantis externa ſpecie Chriſtum, eiúſque doctrinam: cum tamen diſtet ab ea quàm longiſſimè; nec nitatur eo vero ac firmo motiuo, quo Chriſtus voluit niſi doctrinam ſuam; nempe diuinæ auctoritatis reuelantis, ſed baculo arundineo proprij iudicij, vt pleniùs traditur 22. Itaque qui verè habent Chriſti doctrinam, eam habent omninò puram, & quorumuis errorum admixtione planè liberam. Nonnullis quidem luſciosis, alicubi continere videtur pugnantia, ac proinde falſitate infici aliqua ex parte. Tamen prorſus abeſſe omnem pugnam ab omni Chriſti doctrina, multi ex profeſſo demonſtrarunt. Ex antiquis S. Gregorius libello interrogationum triginta quatuor qui habetur in Editione Pariſienſi 1586. Iulianus Toletanus in opere ἀντιπαιμβολον Extat in appendice Biblioth. Coloniens. Ex nuperis verò Cumiranus, recénſque vno indice Tyrinus.

Eſt item Chriſti doctrina verè vtilis, vt iure potuerit Chriſtus profiteri apud Iſaiam cap. 48. *Dominus Deus miſit me & ſpiritus eius: hæc dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſraël ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia.* Nam alij plerúmque magiſtri nugis & inutilibus veritatibus, (ſi tamen veritatibus,) iis quos erudiunt inſtillandis, occupantur. Vnde animam macilentam, & huiuſmodi eduliis malè nutritam, dimittunt. Non item doctrina Chriſti, vt pulchrè pro equitur Clemens Alexandr. 1. Strom. cap. 2. *ſub finem:* Doctrinam phyſicam comparans nucibus, quarum maxima pars non eſt eſculenta. Ibidem autem cap. 9. placentulis & bellariis eam confert. libro autem 7. cap. 6. confert diſciplinæ Elementariæ; cóque Apoſtolum Coloſſ. 2. Sola Chriſti doctrina, quia ſucci plena eſt, ſicut adipe & pinguedine replet animam. Eiuſmodi mentis pabulum adipale, eſt recta de Deo doctrina, quæ ante Chriſtum planè abdita erat. [Imago & ſimilitudo Dei, multis laborioſiſque prouectibus, propriam ſibi indicat dignitatem. Ad hanc rerum adeò profundarum indaginem niſi incarnati Verbi magiſterium acceſſiſſet, humana defeciſſent ingenia: & neſcio ſi & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus aſſurgere: ſed aſſociata carni diuinitas, aſſumptam naturam ex parte, ſuæ voluit eſſe claritatis conſortem, & apertis cœlis ſuper Doctorem & Dominum noſtrum ad ſuperiora noſtrum introduxere aſpectum: & vidimus gloriá eius quaſi vnigeniti à Patre: & ei plenitudine gratiæ & veritatis quæ in ipſo eſt, inſtillata eſt nobis aliqua portio. Et cum Philippo audiuimus: *Qui videt me, videt & Patrem.*] Et ſerm. de Natiuitate Chriſti. [*Conciliarius* quoque dictus eſt paruulus iſte, qui & alibi dictus *magni concilij Angelus*, eo quod ſecreta Dei, quæ ab hominibus erant abſcondita, publicè reuelauit, & cum nemo noſſet patrem, niſi filius, ipſe arcana Dei reſerans, indaginem Trinitatis explicuit: loquens patri, & à Patre reſponſum accipiens, & Spiritum ſanctum infundens diſcipulis, generationis & & proceſſionis intimans rationes, ſubtiliter aſtruens perſonarum proprietates, & indiſſolubilis eſſentiæ vnitatem. Alia quoque inferiora, ſed tamen neceſſaria concilia edocens: vt beneficia collata homo intelligat, vt in eo quod ſtat, gratias agat, & quod poſſibile eſt ex Dei gratia, cùm ceciderit reſurgat.] Quæ vtilior tradi poteſt ab vllo magiſtro ſapientia?

*Theoph. Raynaudi de Attrib. Chriſti.*

Neque verò timendum eſt à Chriſti doctrina, damnum illud quod naturalibus quibuſuis ſcientiis velut ligno teredinem adnaſci dicebam; nempe inflationis, cum potiùs ſcientia ad humilitatem erudiat; hominémque in oculis ſuis vilem faciat quod S. Gregorius optimè aduertit 26. Mor. cap. 11. tractans illud, *qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cœli erudit nos.* Chriſtum ea ex cauſa, *Perfectum Magiſtrum*, quod doctrina eius innocentiam audientibus indat, nominat Tertull. c. 45. Apoleg.

## *Argumenta ſpecialia prælectionum Chriſti Magiſtri.*

878 Hæ ſunt (generatim loquendo,) lectiones quibus Chriſtus Magiſter optimus, imbuit diſcipulos tradens eis doctrinam frugaferam & innoxiam, pabulum ſanctum ingeniorum. Sanctæ dilectionis nomine, eas omnes lectiones comprehendit, ſic monſtrat Autor ſermonis de baptiſmo Chriſti apud Cyprianum n. 6. agens de præcepto dilectionis. [Verè, (inquit,) hoc mandatum legem complectitur & Prophetas, & in hoc verbum omnium ſcripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc, Domine, verbi tui clamat auctoritas: hoc ex ore tuo audiuimus; hîc inuenit conſummationem omnis religio; primum eſt hoc mãdatum & vltimum; hoc in libro vitæ conſcriptum, indeficientem & hominibus & Angelis exhibes lectionem. Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Chriſtiana religio, & inueniet ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanaſſe: & hinc naſci & huc reuerti, quidquid Eccleſiaſtica continet diſciplina, & in omnibus irritum eſſe & friuolum, quidquid dilectio non confirmat.] Nimirum tametſi ſunt aliæ prætetea virtutes, quarum exercitationem Chriſtus magiſter nos docuit: tamen in dilectionis ſanctæ veluti radice fundantur, & radicantur omnes aliæ, in quas Chriſti diſcipulis incumbendum nauiter eſt, ſi digni videri ac eſſe eius Schola, volumus.

Specialiter verò virtutum fundamentum, & totius innocentiæ baſim, humilitatem inquam, Chriſti magiſterio inſeri cùm alij Patres infinities tradunt, tum luculenter. S. Auguſtinus lib. de ſancta Virginit. cap. 35. tractans illud Matthæi 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Quod ſic expendit. [Cum magnitudinem ſuam ſupra commemoraſſet idipſum volens oſtendere, quantus propter nos quantillus effectus eſt: *Confiteor*, (inquit,) *tibi Pater Domine cœli & terræ, quoniam abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, ita Pater, quoniam ſic placitum eſt coram te; Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo, & nemo cognoſcit filium niſi pater, & nemo cognoſcit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me*

*quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ille ille cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoscit nisi Pater, & qui Patrem solus agnoscit, & cui voluerit reuelare; non dicit: *Discite à me*, mundum fabricare, aut mortuos resuscitare: Sed, *quia mitis sum & humili corde.* O doctrinam salutarem, ô magistrum dominúmque mortalium! quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est. Noluit docere, quod ipse non esset, noluit iubere, quod ipse non faceret. Video te bone Iesu oculis fidei, quos aperuisti mihi, tãquam in concione generis humani clamantem atque dicentem, Venite ad me & *discite à me.* Quid obsecro te, per quem facta sunt omnia fili Dei, & idem qui factus es inter omnia fili hominis? Quid vt discamus à te, venimus ad te? *Quoniam mitis sum,* (inquit,) *& humilis corde.* Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscónditi in te, vt hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itáne magnum est esse paruum, vt nisi à te qui tam magnus es fieret, disci omninò non posset? Ita planè. Non enim aliter inuenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando sibi sana non erat. Audiant te & veniant ad te, & mites atque humiles esse discant à te, qui misericordiam & veritatem tuam requirunt, tibi viuendo; tibi, non sibi.]

Et inferiùs cap. 37. conuersus ad Virginem: [Non ego te (inquit,) vt discas humilitatem, ad publicanos & peccatores mitto, qui tamen in regnum cœlorũ præcedunt superbos; non ad hos mitto. Indigni sunt enim, qui ab immundiciæ voragine liberati sunt, vt ad eos imitandos mittaris illibata Virginitas. Ad Regem cœli te mitto, ad eum per quem creati sunt homines, & qui creatus est inter homines, propter homines: ad speciosum forma præ filiis hominum & contemptũ à filiis hominũ, pro filiis hominũ, ad eũ qui dominans Angelis immortalibus, non dedignatus est seruire mortalibus. Eum certè, humilem non iniquitas sed charitas fecit: charitas quæ non æmulatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt: quia & Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est de illo; *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Vade, veni ad eum & disce, quoniam mitis est & humilis corde. Non ibis ad eum qui oculos ad cœlum leuare non audebat onere iniquitatis, sed ad eum qui de cœlo descendit pondere charitatis. Non ibis ad eam quæ Domini sui pedes lacrymis rigauit; quærens indulgentiam grauium peccatorum, lauit pedes seruorum suorum.] Superbum doctorem Simonem Tornacensem, cum de altissima doctrinæ Christi humilitate disereret, diuina vltione castigatum horribiliter, quod à tali doctrina abhorreret eius vita, refert Cantipratanus l. 2. Apum cap. 48. n. 5.

### *Modus docendi à Christo adhibitus, præcellentissimus.*

879 Prærógatiua tertia boni Magistri, spectat modum docendi, siue tradendi doctrinam bonam, de qua hactenus. Ex hoc quoque capite, Christus Magistri optimi decus tulit. Et inprimis ex eo perspicua est Christi in ducendo præcellentia, quod doctrinam suam accommodare notat audientiæ. In quo grauissimè peccant quamplurimi, non considerantes, pro qualitate audientium formari debere sermonem docentium, vt pulcherrimè disserit S. Gregorius. 30. Mor. cap. 5. & 6. eò aptans illud Iob. 38. *Quis dedit gallo intelligentiam?* Gallum exponens Doctorem sacrum; intelligentiam autem interpretans, eam discretionem qua nouerit quibus, quid, quando, vel quomodò, verbum veritatis inferre debeat. Hac intelligentia destituuntur, qui puteum siue lacum operiunt, nec adhibent aperculum, vt iubetur Exodi 22. idest Interprete S. Cyrillo lib. 7. de adorat. & S. Gregorio 17. Mor. cap. 13. Grandia sublimiáque mysteria proponunt rudibus supra eorum captum, vnde contingit eorum exitium. Non ligant isti aquas in nubibus, ne erumpant pariter deorsum; simul omnem prædicationis plenitudinem effundentes, quod magnæ imprudentiæ meritò damnat ibidem S. Gregorius. At Christus (quippè Dei sapientia,) doctrinam suam ad captum audientium accommodabat: iis, qui perfectiores erant, alciora proponens, rudioribus verò non aperiens mysteria regni Dei, nisi in parabolis. Cuiusmodi procedendi in diuina doctrina tradenda, S. Thomas, Opusc. 60. art. 14. congruitates pleraque adhibet: Et multas quoque proponit Sandæus de Christi parabolicis disputationibus latè agens, lib. 2. Theol. Symbolicæ, Commentar. 4. Exerc. 2. Sed ea quam proposui, videtur præcipua, & ab ipso Christo insinuatur in Euangeliis.

Conformabat se Christus ea in parte, æterno Patri: vt propterea Theodoretus lib. 5. Diu. Decreto. c. De eodem veteris & noui Testamenti conditore, quod Patris est Christo tribuens, dicat. [Quemadmodùm Grammaticus eos quidem qui discere incipiunt, docet literarum characteres; iis autem qui illas didicerunt, præbet syllabarum cognitiones, alios autem docens quomodò sint coniungenda nomina, & alios quomodò sit in legendo seruandus accentus, non affert leges doctrinæ repugnantes, sed præbet ætati conuenientem disciplinam; Ita etiam Dominus Christus, dedit vnicuique generationi leges conuenientes. Necessarias enim & primas, conscripsit in natura hominum. Habet enim vnusquisque boni & mali discernendi facultatem, & dum facimus quæ pati nolumus, eo ipso prædicamus, nos scire id esse malum quod fit à nobis. Qui enim occidit, vel adulteratur, scit id esse malum quod facit. Non modò enim vult occidi, sed nihil etiam non facit, ne id ei pati contingat, & stuprata vxore, eum qui violauit cubile, accusat adulterij, & si contumeliam acceperit, agit iniuriarum; & si cætera hoc modo examinauerimus omnes homines scire quòd malum est malum. Eas ergo in natura inseruit Deus, qui nos frabricatus est; alias autem varie dedit, in vnaquaque generatione. Adæ enim dedit legem de arbore; Noë autem legem de esu carnium; Circuncisionem verò Abrahæ Patriarchæ constituit; alias autem per Mosem magnum Prophetam conscripsit. In diuinis autem Euangeliis, de paruis rebus latas leges, veluti quorundam elementorum meditationem, cessare faciens, leges dedit perfectissimas. Et sicut matres recenter natis infantibus mammam præbent, paulò post autem cibum dentibus comminutum deinde cum pueri & adolescentes euaserint, solidum: Sic vniuersorum Deus iis qui illa didicerant, præbet perfectiorem disciplinam.]

*Simplicitas*

*Simplicitas locutionis Christi docentis, à Canonicis quoque Scriptoribus, & SS. Patribus adamata.*

880 Eadem ex causa, & cum diuinæ planè prouidentiæ, Christus dimissis Verborum phaleris, stylo simplici & inculto dicendi genere vtebatur, quod is esse soleat fructui colligendo accommodatior. Quid enim simplicius, etsi externum dumtaxat corticem spectes, quid humilius, oratione Christi Domini in vniuersis Euangeliis? Inde tamen nihil decedere maiestati sententiarum, eóque admirabiliorem esse debere Christum doctorem, qui cuiusque captui sese accommodans, simplicitatem illam orationis adamauerit, patere potest ex illis quæ disputat. S. Cyrillus l. 7. in Iulian. ad textum 4. demonstrans scripta Ethnicorum, hominum (vt Tertullianus c. 47. Apolog. dixit) solius eloquentiæ libidinosorum, non esse Scripturis sacris anteponenda, eo quod cultiùs sint conscriptæ. Ibique inter cætera. S. Cyrillus adhibet elegantissimam illam sententiam, [Si victoriam Græcorum sermonibus ideò tribuit, (Iulianus) quod multa apud illos sit ciuilitas, apud nos item, respondeat interroganti. Nunquid si quis aures cochleari elleborum infundat, & alteri non aureo, sed ex vilissima materia, apud laborem, hoc est mel imponat, & sorbere iubeat quod placuerit, nunquid materias inspiciens palmam dabit deteriotibus, vel rectè iudicans vtile nociuo præferat, etiamsi in vilissimo proponatur vasculo?]

Eius autem abiectionis sermonum in tanta rerum maiestate, causam quam tradidi, adhibet quoque Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 5. cuius hæc est insignis doctrina cum exponit thesaurum in vasis fictilibus. [Vide iam diuinam quoque sapientiam abiectis sermonibus & exemplis temperatam. Nam si Deus, dignitatis tantùm suæ rationem habuisset, ac non potiùs legentium vtilitati consultum voluisset cœlestibus profectò ac diuinis sermonibus & exemplis vsus fuisset. Quoniam autem hominibus, qui infirma & inbecilli natura prædita erant, atque humanis verbis (sic enim ea, quæ ipsorum captum excedebant, intellectu facilè consequi poterant,) opus habebant, leges perscribe, batidcircò rudibus & incultis verbis cœlestes disciplinas temperauit: vt & mulier, & puer, & omnium etiam mortalium indoctissimus, ex ipsa quoque auditione commodi aliquid perciperet. Siquidem plebeiorum ac gregalium hominum saluti prospiciens diuinus sermo, tanta ob Legislatoris humanitatem & benignitatem perspicuitate temperatus est, vt neminem ea quæ ipsius viribus respondeat, vtilitate priuet. Quanquam ne eruditiorum quidem commoda neglexit. Nam in tanta perspicuitate, tam arcani sermones, velut thesauri quidam insident, vt sapientissimi etiam & eloquentissimi quique homines, ad sententiarum profunditatem æstuent, animique vertigine afficiantur, atque etiam persæpe sapientiæ magnitudini, vt quam consequi ac percipere nequeant, cedendum sibi esse ducant.] Hoc de vniuersa quidem Scriptura valet, sed nominatim de Testamento Nouo, qua ex parte Christi dissertationes & sermones comprehendit.

881 Adamarunt semper eam loquendi simplicitatem à Christo adhibitam, Christiani Doctores omnes, quibus illud Chrysologi serm. 18. arrisit vehementer. [Verborum flosculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum: violæ, rosæ, lilia, narcissus, grati flores, sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est, auribus sermonis ornatus; quod dat panis vitæ, hoc scientia dat saluti. Seponenda est ergo eloquentiæ voluptas, quando scientiæ deposcitur fortitudo.] Ita portò simplicitatem locutionis adamarunt D.D. Christiani, vt non modò styli squalorem, & locutionis ruditatem, sed etiam errores Grammaticos, & solœcismos non refugerint, dum captui lectorum studiosiùs inuigilarent quàm inani cultui sermonis. Splendidè in hoc argumento versatus est Turrianus lib. 2. contra Magdeb. cap. 2. Pauca addo. Apocalypsim solœcismis non carere, & modis loquendi planè barbaris abundare, Dyonisius Alexandr. notauit, vt refert Eusebius lib. 7. hist. cap. 20. *in fine*. S. Paulus profitetur se imperitum sermone fuisse, sed non scientia; ita vt quod S. Chrysostomus lib. 4. de Sacerdotio *sub finem* considerat, quamuis subiecta verbis sensorum fortitudine, esset munitissimus, tamen si agatur de pigmentis orationis, videatur idiota: qualem quoque eum, Ethnici vocabant. Vide solœcismos, quos apud eum notat Origenes in Ioan. loco perillustri quem refert Turria. lib. 2. pro Epist. Pont. cap. 2. & Gagneius 2. Cor. 8. n. 19. & ad Galat. 6. num. & ad Thessalo. 3. num. 1. Nimirum Apostolus, naturalibus magis quàm vulgatis, aut secundùm artem vtitur verbis, vt ait S. Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 3. Et quod de his paucis diuinarum Scripturarum libris dictum est, æquè de aliis ferè omnibus dici poterat. Qua de re vide Origenem in Philocalia, qui integrum caput in eo insumit, vt ostendat, non esse huiusmodi solœcismos corrigendos. Neque verò egi hactenus de solœcismis & næuis Grammaticis, quibus interpretatio authentica librorum Cannicorum obsita est. Nester. quippe, interpres, in rei intentus corticem, Grammaticam plerúmque despexit; & cum ex Hebræo aut Græco aliquid vertit, sæpè casus & genera primigenij textus retinet, etiamsi minus Latinitati sint congruentia. Multa ad id exempla profert. Ribera lib. 2. de Templo cap. 2. num. 9. Nimirum vt probè monuit S. Hieronymus Epistola ad Pammachium pro libris suis contra Iouinia. Ecclesiastica interpretatio, etiamsi habet eloquij venustatem dissimulare eam debet & fugere vt non otiosis Philosophorum scholis paucisque discipulis, sed vniuersò loquatur hominum generi. Nec dissimilia habet. in Prologo aduersas abs se Origenis homilias in Ezechielem. Meritò autem Agobardus Opusculo contra Fredegisum Abbatem, exsibilauit hominis supinitatem, qui ausus erat affirmare sacros interpretes nunquam in Grammaticam peccasse.

882 Extra Scriptores Canonicos, eorúmque Interpretes, idem factitatum est ab aliis Christianæ doctrinæ secundùm Christum Magistris. Id aperio subiectis aliquot eorum sententiis. Anastasius. Sinaita cap. 3. ὁδηγ. [Si (vt probabilè futurum,) liber solœca quædam continet, venia dabitur. Dum autem auctor tota mente, & cogitatione insensu notando, & designando

defixus hæret;sæpè vsu venit vt solœcismos, & interpunctiones in postremis ducat.]

S. Hieronymus aduersùs Heluidium. [Non quæro eloquentiam, non flagito linguæ nitorem,animæ quæro puritatem apud Christianos enim, solœcismus est magnus, & vitium turpe quid vel narrare vel facere. S. Augustinus idem sæpè & luculenter tradit. Sed concinnè in Psalmum 138. tractans illud, *non est occultatum os meum à te.* Ipse legit,*ossum.* Et hinc videns se peritis fore risui,inde videns periculum obscuritatis,ne populus *os* quo effamur, intelligeret;non *os*,quod est corporis fulcrum,deligit seruire vsui & fructui populi, ac cum Grammaticæ oblæsione *ossum* dicere.[Sic enim potiùs loquamur,(inquit.) Meliùs est vt reprehendant nos Grammatici,quàm non intelligant populi.] Et lib. 3. de doctr. Christ. cap.3.agens de eodem Psalmi loco,post multa hæc habet. [Plerumque loquendi consuetudo vulgaris, vtilior est signandis rebus, quàm integritas literata. Mallem quippe cum barbarismo dici, *non est absconditum à te ossum meum*, quàm vt ideò esset minùs apertum quia magis Latinum est.

S.Gregorius Epist,ad S.Leandrum proœmiali in expositionem suam moralem ad Iobum c. 5. siue in calce Epistolæ. Quæso vt huius operis dicta, percurrens, in his verborum folia non requiras, quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosæ loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti proculdubio scimus, quia quotiens in foliis malè lætæ segetis culmi proficiunt; minori plenitudine spicarum grana turgescunt.Vnde & ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant,seruare despexi. Nam sicut huius quoque Epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem denoto,situs motúsque præpositionum, casúsque seruare contemno: quia indignum vehementer existimo, vt verba cœlestis oraculi, restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab aliis Interpretibus in Scripturæ sacræ auctoritate, seruata sunt. Ex qua nimirum quia nostra expositio oritur, dignum profectò est,vt quasi edita soboles, speciem suæ matris imitetur.] Quem Metacismum hîc dicit,Ioannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorij cap.77.eum locum describens, legit *miotacismum* estque vitium scriptionis, non autem pronunciationis, vt perperam censuit à Cerda cap.132 Aduersus.num.6.ibi enim S. Gregorius agebat de Scriptura,non de oratione pronunciata.

883 Appono Colophonem ex Arnobio, tametsi propositis proximè Patribus antiquiore. Is lib.1. contra Gentes num.39. & 40. quærentibus Ethnicis de Scriptorum Christianorum simplicitate; cum multa alia reponit,tum denique respondet in hunc modum. [Barbarismis, solœcismis,obsitæ sunt, (inquit,) res vestræ, & vitiorum deformitate pollutæ. Puerilis sanè,atque anguisti pectoris reprehensio: quam si admitteremus vt vera sit abiiciamus ex vsibus nostris quorumdam fructuum genera, quòd cum spinis nascuntur, & purgamentis aliis, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo,quod principaliter antecedit,& saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit ô quæso? aut quam præstat intellectui tarditatem? Vtrúmne quid leue,an hirsuta cum asperitate promatur? Inflectatur quod acuí, an acuatur quod oportebat inflecti? Aut quid minùs id,quod dicitur,verum est si in numero peccetur,aut casu, præpositione,participio,coniunctione. Pompa ista sermonis, & oratio missa per regulas, concionibus, libris, foro iudiciisque seruetur, detúrque: illis immo, qui voluptatum delinimenta quærentes, omne suum studium, verborum in lumina contulerunt.Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur, spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur:nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus vtilitates; maximè cum sciamus,etiam quosdam sapientiæ deditos,non tantùm abiecisse sermonis cultum, verum etiam cum possent ornatiùs atque vberiùs eloqui, triualem studio humilitatem secutos, ne corrumperent scilicet grauitatis rigorem, & Sophistica se potiùs ostentatione iactarent. Enim verò dissoluti est pectoris, in rebus seriis quærere voluptatem;& cum tibi sit ratio,cum malè se habentibus atque ægris, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere.] Retuli tam multa ex Arnobio, (quanquàm recisis multo pluribus quæ in eam rem disputat,) vt constaret, quorsum Christiani Doctores, & primi fidei nostræ magistri,ipséque etiam Christus quem isti omnes imitatione exprimere conati sunt, de humilitate ac simplicitate sermonis, non fuerint solliciti illud duntaxat studiosè captantes, vt qualiscunque esset testa verborum, margaritum pretiosum doctrinæ cœlestis contineret, conciliaretúrque eo amplior vtilitas ex tali disseminatione doctrinæ, quod ad plores per neglectum vocum & externi cultus abiectionem posset permanare.

### *Vis & efficacia,simplicissimæ locutionis, Christi,& Sanctorum.*

884 Sed illud in hac simplicissima & incomptissima docendi ratione à Magistro Christo inita, & ab eius Sectatoribus adamata, fuit admirabilissimum,quod fortissima & ad perfundendum potentissima apparuit;ita vt præ Christi doctrina, etiam per alios quàm per Christum ipsum tradita, omnis humana sapientia, flaccida & eneruis sit visa.Quod Gregorius Nyssenus hom. 1. in Cant. *sub finem*, signatum à sponsa putat verbis illis, *meliora sunt vbera tua vino*,quæ verba sic glossat. [Omnis humana sapientia,& eorum quæ sunt, scientia, & omnis virtus contemplatiua, & mente comprehendens phantasia,per comparationem non potest exæquari simplici nutrimento diuinarum disciplinarum.Lac enim fluit ex vberibus;est autem lac nutrimentum infantium. Vinum autem propter vim & calorem fruendum perfectioribus. Sed tamen quod est perfectum in externa sapientia, minùs est quàm diuini Verbi infantilis doctrina. Proptrerea vino humano,meliora sunt vbera diuina.] Idem confirmat Lucifer Calaritanus, si polita & pigmentata hæreticorum oratio, cum simplici Catholicorum dictione cóponatur. Sic enim habet l.quod moriendum sit pro Dei Filio, alloquens Constantium Imperatorem hæreticũ. [Scias vtique ex hoc ipso, quantum interfit inter verum & falsum,quando ipse cum sis,vt tibi videtur,peritus, habeasque dictatorum designatum

gnatum numerum, tamen persuadere nulli, nisi eis qui carnificinam tuam timuerunt te potuisse aduertamus. Nos verò quibus ad loquendum natura sufficit, alieni ab omni scientia, & hinc alieni literarum, ad omnem destruendam hæresim valemus, quia res ipsa ac veritas loquitur, tu ac tui adiutores literarum, & hinc aliam plenam auxiliis artem. Nos sumus tantùm sacras scientes literas, noster sermo est communis; contra vester politus, ornatus, qui etiam dici mereatur disertus, & tamen suadere dulcis, per artem quæsitus sermo vester, nulli potest Christianorum, nisi ei qui non sit, sed tantùm dicatur, vt tu, qui cum sis lupus, vnus esse de ouibus ab insciis iudicaris.]

S. Augustinus l. de vera Relig. c. 2. idem notauit quoad Platonem, [suauiorem (vt ait) ad legendum, quàm fortiorem ad persuadendum. Nec enim verba vitæ habebat, quibus audientes inescaret, & de nolentibus volentes faceret.] Sed plenius in Psal. 140. tractans illud, *absorpti sunt iuncti Petræ iudices eorum.* Vbi iudices electorum, interpretatur Reges ac Principes Philosophorum. Pytagoram, Platonem, Aristotelem, aliósque huiusmodi, ait absorptos Petræ Christo adiunctos, quia tandiu visi sunt aliquid dicere, quamdiu Christus latuit. Reuelato autem Christo, omnis eorum sapientia & facundia, derecta est inanis & elumbis; itavt posteri eorum, abiectis magistrorum dogmatibus, amplexarentur Christi doctrinam, & pro ea sanguinem funderent. Itaque contestatur Psaltes ex Christi persona, *Audient verba mea quoniam præualuerunt*; quem versiculum sic Glossat. S. Augustinus. [Præualuerunt verba mea, verbis eorum. Dicta sunt ab eis quædam dicere, sed à me vera. Aliud est laudare loquacem, aliud laudare veracem. *Audient verba mea, quoniam præualuerunt.* Vnde præualuerunt? Quis eorum comprehensus est in sacrificio, cum his legibus ista prohiberentur, & non negauit? Quis eorum comprehensus est adorare idolum, & non clamauit, Non feci, & timuit ne conuinceretur? Tales ministros Diabolus habebat. Vnde autem præualuerunt verba Domini? *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs eum timere, qui & corpus & animam potest mittere in gehennam ignis.* Dedit timorem, subiecit spem, inflammauit charitatem; *Nolite* (inquit) *timere mortem.* Mortem timetis? Prior morior. Ne vel capillus vester pereat, formidatis? Prius integer in carne resurgo. Meritò audistis verba eius, quoniam præualuerunt. Ducebantur & occidebantur, cadebant & stabant. Et quid est factum de tot morsibus Martyrum, nisi vt ipsa verba præualerent, & tanquam irrigata terra sanguine testium Christi, pullularet vbique seges Ecclesiæ?]

885 Ex hoc item capite, Isidorus Pelus. l. 4. Epist. 28. Christianarum Scripturarum efficacitatem, præ libris philosophicis Græcorum Sapientum, egregiè aperit. [Fugit, (inquit,) ratio Græcos qui non animaduertunt, se per ea quæ contra Christianos adferunt, semetipsos euertere. Nam pro nihilo habendam aiunt Scripturam diuinam, tanquam scilicet barbaris vocibus constantem, & peregrinis nominum fictionibus compositam, & necessariis coniunctionibus ac velut vinculis orationis destitutam, & superfluorum inculcatione, sensum eorum quæ dicuntur perturbantem. Sed ab his discant vim veritatis. Quî enim factum est, vt rustica ac simplex ipsa, eloquentiæ persuaserit assensum? Dicant Sapientes, quomodò ipsa tantis laborans & barbaris & solœcismis, tamen vincere potuerit errorem & falcitatem tam Attica instructam eloquentia? Quî factum sit, vt Plato ille Gentilium Philosophorum facilè Princeps, ne vnum quidem vincere & in suas partes traducere potuerit Tyrannum; hæc autem rustica scilicet & barbara, & tot solœcismos faciens veritas terram & mare sibi adiunxerit?]

Chrysostomus insigniter hom. de vno Legislatore. Quia Dei (inquit) cognitionem verbis vilibus, & è medio petitis promulgat, *Euangelium potentiæ* dicitur. Itaque Paulum differentem ausculta; *Non erubesco Euangelium: virtus enim Dei est ad salutem omni credenti.* Potentia siquidem tum demum verè elucescit, si qui ea in promulgat, rationes nequaquam humano iudicio congruentes adhibeat, & tamen orbem totum in suam sententiam protrahat. Atque hoc est quod Seruator ipsi Paulo dicit; *Sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur.* Neque enim magnum quippiam & illustre hoc fuisset, si Christus nuda sua naturâ diuinâ in qua Verbi potentia spectatur, orbem illustrasset: sed quia in corpore constitutus, inco rpoream & incomparabilem gloriam declarauit; hoc verò magnum & admirabile est.] Non dissimiliter, de vocalibus dissertationibus Christianis, incomptis quidem, sed ad persuadendum efficacissimis, disputat proximè laudatus Isido. Pelus. ibid. epist. 40.

886 Præiuerat Origenes, & quoad Scripturarum, & quoad quarumuis Christi, narum disputationum simplicitatem, pellectricem animorum, egregiè differens initio libri 6. contra Celsum, qui Platonicum orationis cultum prætulerat. Egregiè quoque lib. 7. *post medium* celebrat in eadem incompta doctrina, putitatis & castimoniæ decus, præ sapientia Ethnica. [Videre (inquit,) licet, isto sapientiæ professores edere magna stultitiæ specimina, dum post egregias illas disputationes in scholis agitatas, de Deo rebúsque intelligibilibus, mutant gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis hominis corruptibilis, atque etiam volucrum, quadrupedum, reptilium. Quapropter & ipsi à prouidentia deprehensi non dignè cognitione sibi reuelata viuere, volutantur in concupiscentiis suorum cordium & impuritatibus, dedecorantes sua corpora lasciuiis & turpitudinibus, eo quod veritatem Dei mutarint in mendacium, & venerati sint coluerintque creaturam magis quàm creatorem. Cæterùm homines idiotæ, ab eis pro nihilo habiti vt stulti & illiberales, si modò committant se in fidem Dei, & doctrinam Iesu recipiant, tantum absunt ab omni lasciuia, spurcitia, turpitudine libidinum, vt in morem perfectorum Sacerdotum ab omni cœtu abhorrentium, multi eorum in totum castè puréque viuant, alieni à congressu mulierum, etiam legitimo. Et apud Athenienses quidem, vnicus Pontifex, ne ipse quidem satis sibi fidens quod imperare possit masculis cupiditatibus, cicuta oblitis virilibus, putatur satis idoneus ad castè obeundas eius ciuitatis solemnes ceremonias: at apud Christianos, non desunt viri qui bus cicuta

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cuta ad hoc nil opus est, vt Deo caste seruiant, sed pro cicuta eis Verbum Dei sufficit, ad expellendas è cogitatione omnes concupiscentias, & vacandum precationibus. Apud alios quoque vt putantur Deos, Virgines exiguæ numero, siue ab hominibus custoditæ, siue non, (nec enim hoc nunc quæritur) videntur perseuerare in castitate, religionis gratia: Cæterum apud Christianos, non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter gloriolas, viget Virginitatis studium: & quamprimùm approbauerunt Deum habere in notitia, conseruantur à Deo in hac mente laudabili & pietatis officiis, pleni omni bonitate & iustitia.]

Hæc tanta doctrinæ Christi fortitudo, etiam cum non ab ipso fonte, sed per adiunctos veluti tubos permanat, multo auctior fuit, cum immediate profundebatur à Christo, cuius tanta erat in dicendo suauitas, & plusquàm nectarea facundia, vt miratos fuisse omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius, scribit S. Lucas cap. 4. quod pulchrè illustrat Bondinius lib. de Iesu Christi claritate & gloria cap. 10. Alibi autem ministri cum venissent Christum vincturi & alligaturi, ac daturi in carcerem; eo audito adeò commutati sunt animo, vt reuenientes ad principes Sacerdotum, & Scribas à quibus missi fuerant, non aliam redderent eius non abducti causam, quàm summam eius in dicendo facultatem, vt refertur Ioan. 7. *nunquam*, (aiebant) *sic locutus est homo.* Nimirum quia vt est apud Matthæum cap. 7. Christus *loquebatur sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.* Vt iam nullo loco possit haberi Hercules ille Gallicus, quem aureis catenis bracteatæ orationis, astrinxisse auditores, commentus est Lucianus: nec non Orpheus ille, qui præcantus sui, ideſt melicæ orationis suauitate, feras quoque ipsas demulsit. Id enim verè præstitit Seruator & Magister noster vt Clem. Alex. initio Protreptrici præclarè tradit.

### *Subita eruditio, informatorum à Christo Magistro.*

887 Illud insuper in modo docendi sapientissimi huius Magistri, fuit planè admirabile, quod citra auditorum laborem, doctissimos illicò & eruditissimos, potuit exhibere discipulos. Quàm exiguo enim spatio, Christus de crucis cathedra, (vt S. Augustinus serm. 87. de diuers. appellat) Magister bonus, latronem erudiit. [Crux illa (inquit) schola erat. Ibi docuit magister latronem. Lignum pendentis, cathedra factum est docentis.] Docuit autem illum illhuc vsque adeò rudem rerum diuinarum discipulum, tam grandia, támque sublimia mysteria, quibus non possint cogitari sublimiora: de Christi scilicet diuinitate, & regno, de remissione peccatorum in sanguine ipsius, de fructu pœnitentiæ; & alia quæ suo loco expendimus. Matthæum item & Paulum, quàm subitò sublimissimã Theologiam docuit, citra ipsorum laborem, & excruciationem ingeniorum, quanta in parandis humanis disciplinis necessaria est, quantum libet nauis & peritis magistris quis vtatur? Et idcirco Philo Iudæus initio libri de somniis, mysticè (vt solet,) exponens digressionem Iacobi à puteo iuramenti, puteum iuramenti in quo fodiendo tantoperè laborandum fuit, interpretatur humanam scientiam, inuentu, & paratu operosissimam, & vt Sapiens rectè affirmauit, & appellauit, *peßimã occupationem* ideſt molestissimam, & ærumnosissimam. Nimirum vt idem Hæbræorum Plato egregiè disserit l. de sacrif. Abelis & Caini, longè aliter se habet Deus, ad magisterium, & imbuendos disciplina animos eorum quos erudiendos suscepit; aliter verò homines, quicunque tandem sint illi. Non possunt enim præceptores, quemadmodùm qui in vas infundunt, implere mentem eorum qui introducuntur. Sed quando fons sapientiæ Deus, scientias tradit humano generi, sine mora facit, & ex tempore. Tum verò homines discipuli facti eius qui solus est sapiens, summa celeritate quod quærebant inueniunt.] Addit egregia multa, de celeritate verbi Dei, & quod illi dictum & factum idem sit. Vt mirum esse non debeat, si adeò promptè & abiecta cunctatione, instruit plenè & perfectè quem in disciplinam admisit. Christus itaque diuinus Magister & Deus verus, ea prærogatiua diuini Magisterij in docendo potitur, quam Deo esse præcipuam, nec inhumanos Magistros cadere, rectè aduertit Philo.

### *Et quidem, citra plagas.*

889 Spectare item ad modum docendi Christo præcipuum potest, quod non sicut passim qui aliorum Magistri audiunt, ad discendum verberibus & inflictis plagis vrgeat, quod olim multipliciter fecisse Magistros, videre est apud Theatrum Crefolij l. 5. cap. 6. & 7. & idem quoque fecit Moses, Synagogæ Pædagogus, plagosus reuera orbilius. Sed cum doctrina hæc Magistri nostri, sit doctrina amoris, quotquot in disciplinam suam admittit, ineſcat potiùs suauitatibus & benedictionibus dulcedinis, quàm terrore suppliciorum. Quæ causa est, cur eius doctrina & magisterium, in Scripturis dicatur *vnctio*, vt apud dilectum Discipulum *Vnctio docebit vos de omnibus.* Et alibi eodem sensu, *sub lingua eius mel & lac* esse dicitur. [O quis mihi det, (exclamat Richardus Victorinus annot. 2. in Psal. 118.) hunc habere magistrum, qui discipulos suos non tàm lædit, quàm linit, nec tam pungit, quàm vngit, quia vnctio eius docet nos, de omnibus. Quo mihi ad huc magistri quinò eruditiunt mentem, nisi ptiùs lacerent carnem. Sufficiunt Domine, sufficiunt vulnera à latronibus imposita, qui me spoliauerunt, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Sed ecce adhuc magistri nostri apponunt iniquitatem super iniquitatem eorum, addentes verbera super vulnera, vendentes pro verberibus verba. Eant, eant, recedant, recedant Doctores nostri; verè autem tortores nostri vani, & insani, docentes & despicientes. Illum quæro, illum desidero, qui me erudiendo inungat, vngendo eruditat.]

Nec hoc dico, de esse isti Magistro virgam disciplinæ, de qua sibi à Deo impensa, gratulatur sæpè Dauid: gratulatur quoque Autor sermonis de baptismo apud Cyprianum, sic Christum Magistrum affatus. [Audio te cum iraſceris, audio cum misereris. Siue parcis, siue flagellas, iustum & bonum te prædico: In ira te supplico, in clementia gratias ago, nec sanctis sermonibus contradico. Loquere, Magister bone, libenter te audio.

audio, & cum aduersaris mihi, etiam in plagis & doloribus intelligo disciplinam: nec latet me te docente, ad siccandas corruptionum mearum putredines prodesse cauterium, & mundare cicatrices veteres sal disciplinæ tuæ, Euangelio tuo medente infusum. Præcipis vt infundam corrupto pulmoni hyssopum, & spiritus tui suauitate epota, totius malignitatis inflatio detumescat. A te Deus bone humilitatem discentes, quasi mansuera animalia quieto gressu te baiulamus sessorem; nequaquam sub hoc onere lassitudinem, sed quietem inuenturi: quia iugum tuum non est graue, sed leue: & lex tua, & testimonia iustitiæ & præcepta, timor & iudicia, delectabilium in se rerum continent sacramenta.]

Virgæ igitur emendantis interuentum, cum res fert, non diffiteor: sed eam virgam, eodem quo vnctionem loco habendam statuo: cum Dauid quoque testetur, hanc virgam & baculum, ipsa consolari, & magna perfundere suauitate eos, qui sic emendantur. Clemens Alex l. 1. Pædag. c. 7. *in fine*, eam virgam Christo tribuit, & describit qualem dixi, consolatoriam & salutarem eius hæc est oratio, postquàm verba Mosis commendantis Prophetam à Domino suscitandum, de Christo Magistro accipienda docuit, tametsi extremæ specie & in primo literæ veluti cortice, ad Iosue pertinere admittat, tanquam ad Christi imaginem. [Nomen Iesu, quod in lege prædicabatur, erat adumbratio Domini. Subiungit itaque, quod populo vtile futurum erat consulens: *Ipsum audietis*, (dicens,) *Et homo qui non audierit Prophetam hunc*, ei minatur. Tale nobis prædicit nomen salutaris pædagogi. Propterea ei virgam adiungit Prophetia, Virgam disciplinæ, imperij & potestatis: vt quibus verbum suadens & admonens non medetur, eis minæ medeantur. Quibus autem non medentur minæ, eis virga medebitur. Quibus verò virga non medetur, eos ignis depascit. *Egredietur*, (inquit, *Virga de radice Iesse.* Vide pædagogi curam, sapientiam, & potestatem: *Non secundùm opinionem*, (inquit,) *iudicabit, neque secundum loquelam arguet, sed iudicabit humili iudicium, & arguet peccatores terræ.* Et per Dauid: *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* A Domino enim castigari, & tanquam à pædagogo eruditi, est à morte liberari. Et dicit per eundem Prophetam; *In virga ferrea pasces eos.* Ea quoque motus Apostolus in Epistola ad Corinthios, *Quid vultis*, (inquit,) *in virga veniam ad vos, an in dilectione & spiritu lenitatis?* Sed etiam *virgam potentiæ emittet Dominus ex Sion*, dicit per alium Prophetam. Pædagogica autem hæc *virga tua & baculus tuus me consolata sunt*, & dixit aliquis alius. Hæc est Pædagogi potestas, veneranda & grauis, consolatoria, salutaris.]

### *Christi, cum magnis seculi Magistris, collatio.*

890 Fuit ergo Christus, Magister optimus, & præ omnibus qui vnquam Magistrorum nomen & decus affectarunt, magistri titulo dignissimus. Quis enim Magistrorum nomen iis iure arroget, mentem nubilantibus, vt S. Paulinus iure cum Ausonio expostulat?

*Qui corda falsis, atque vanis imbuunt*
*Tantúmque linguas instruunt,*
*Nihil adferentes vt salutem conferant,*
*Quod veritatem detegat:*
*Quid enim tenere, vel bonum aut verum*
*queant,*
*Qui non tenent summæ caput?*
*Veri bonique fomitem & fontem Deum,*
*Quem nemo nisi in Christo ride?*

Pulcherrimè in hanc sententiam generatim disputat Petrus Cluniac. l. 1. Epistol. 9. auocans Magistrum Petrum, à studiis Humanæ Philosophiæ, vt operam poneret in Christiana doctrina & Christum (quem vocat *Magistrum totius mundi scholæ præsidentem*,) desertis vaniloquorum Ethnicæ sapientiæ Magistrorum libris audiret.

Sed attingamus aliquos ex præcipuis, in particulari. Mercurium Trismegistum, Physicorum omnium magistrum denominat Tertullianus lib. contra Valentin. c. 15. & fuisse inter seculi sapientes omnium iudicio eminentissimum, compertum est ex S. Augustino l. de 5. hæresibus cap. 3. & ex Lactantio l. 1. Instit. cap. 6. ac Cyrillo l. 1. in Iulia. *sub finem.* Pleraque in eam rem proferre memini in Prologo Natur. Theologiæ num. 63. Hunc tamen tantum Magistrum, S. Augustini iudicio Cœlestini Papæ Magister optimus, maximæ omninò insipientiæ reuincit 8. Ciuit. cap. 23. & 24. monstratque de numero eorum fuisse; quorum insipiens cor est, obscuratum; & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.

Secundùm Mercurium, Pythagoras ab Ethnicis Magister eximius est habitus; ita vt dicat etiam Saluianus l. 1. de Prouid. [Pythagoram tanquam Magistrum suum Philosophia ipsa suspexit.] Lymphatur verò in eius laudes Iamblicus in vita Pythagoræ, cum ait, Pythagoram datum esse à Deo, Deum sub humana forma, Magistrum humani generis, ne nouitate perturbati homines, doctrinam eius refugerent. Huic tamen in speciem adeò insigni Magistro, Tertullianus præter labem affectatæ apud Tyrios tyrannidis, quam ei inurit cap. 46. Apolog. mendacitatem quoque, & periurium in suæ doctrinæ diuulgatione impingit lib. de Anima c. 28. veréque adeò delira, de se priùs Euphorbo prodidit, vt iure Lactantius l. 3. instit. c. 18. eum nominet, senem ineptum; móxque etiam [senem vanum, qui sicut otiosæ aniculæ solent, fabulas tanquam infantibus credulis finxerit. Qui si benè sensisset de iis quibus hæc locutus est, si homines eos existimasset, nunquam sibi tam petulanter mentiendi licentiam vendicasset.] Itaque concludit Lactantius, deridendam esse hominis leuissimi vanitatem: addo etiam Magicam improbitatem. Nam fuisse Pythagoram, planum improbissimum, & Magum nefarium, S. Cyrillus testatur; ex quo id notare memini in Natur. Theologia d. 4. num. 279. & confirmat fusiùs Franc. Picus lib. 1. Exam. vanit. doctr. Gent. cap. 2.

Platonem, post Pythagoram, venerata est tanquam Magistrum eximium, Ethnica sapientia, vt dixerit sanè S. Ambrosius l. 2. de Abrah. cap. 7. Platonem esse Philosophiæ patrem. Altiùs etiam ac magnificentiùs, Philosophorum

Deum nominauit Tullius. Ab Arnobio lib. 2. columen & sublimis apex Philosophorum, indigitatur. Profero alia in hanc rem in prologo Natural. Theol. à num. 74. nec pauca Lipsius lib. 1. Manuduct. dissert. 4. Quantæ tamen huius Magistri sordes fuerint doctrinæ, doceo in Morali cum de amore. Tradit etiam accuratè Theodoretus, lib. 9. & 12. aduersùs Græcos.

Tandem ne per plures excurram, Aristoteles, Auerrois iudicio, finis humani intellectus, normaque & exemplar ingeniorum, miraculum hominis potiùs quàm homo habendus est. Nec hunc tamen, Magistrum optimum, aut cum Christo vllatenus componendum, admiserit Sanus quispiam: cum constet, eum præterquàm quod inani ferè minutiloquio, laborat, vt ei sæpè obiicit Tertullianus, non pauca etiam docuisse falsa, imo quædam quoque nefaria, & homine rationali indigna, nedum Philosopho.

Itaque mirum non est, horum patriciorum Philosophorum & Magistrorum primariorum discipulos, audito Christo, priores Magistros abiecisse, & Christo se subiecisse nouo modo erudiendos, & noua doctrina imbuendos. Quos esse pisces maris, perambulantes æquoris semitas, subiectos Christo à Patre, præter oues, & boues, & pecora campi, idest simplices Christianos, piè omninò commentatur S. Augustinus in Psal. 8. *sub finem*. Nec mirum. Horum namque Magistri anteriores, cum de terra essent, terrena locuti erant. At Christus cœlestis Magister, cuius cathedra cœlum est, (vt ait idem S. August. serm. 22. ex 40. nouis & serm. 23. de sanctis *initio*, vbi eius cathedram in cœlo, scholam in terra statuit: quod imitatus est S. Bernardus serm. 3. de S. Andrea;) tradebat cœlestia; eóque modo tradebat, vt vel reluctantes pelliceret, & quantumuis efferatos condocefaceret, ac curaret.

### *Solus Christus, Magister.*

891 Multum id quidem, vt Christus præ omnibus, Magistri decus & ornamenta possideat, quod hactenus demonstratum est. At. Rich. Victorinus Annot. 2. in Psal. 118. *sub finem*, & ante eum S. Augustinus etiam altius rem prouehit, eo libro quem de Magistro scripsit eo fine, (quod ipse lib. 1. Retract. cap. 12. testatur,) vt doceret Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum secundùm illud etiam quod in Euangelio scriptum est, *vnus est magister vester Christus*. Libri illius cap. 14. ex eo probat, nullum reuera purum hominem, esse alterius hominis magistrum, quod hoc sit Magistrum esse, infundere doctrinam. Hæc autem non aliter possit ab homine infundi, quàm propositione ordinata cogitationum suarum de re quapiam. Eas namque cogitationes cum exceperit auditor, & apud se considerauerit, veráque esse suo Marte perspexerit, doceri & discere dicitur. At hoc reuera non est doceri, & doctrinam haurire; sed nudam terminorum notionem excipere, permissa deinde cura Auditoris ingenio vt circa illos terminos negotietur, & statuat verè an secus de eorum nexu pronunciatum sit ab eo qui Magister audit. Vt autem ipsum per se nexum terminorum, & certum de eis iudicium auditori imprimat qui Magister dicitur, fieri humana arte non potest. Potuit autem à Christo effici, & verè effectum est: qui idcirco, in schola cordis alta & secreta docere dicitur. Hoc est vt de S. Augustinus cap. illo 14. eruit, quod solus Christus sit verè & propriè Magister. [At ipsum omnes (inquit) disciplinas, quas se docere profitentur, ipsiúsque virtutis atque sapientiæ cum verbis explicauerint, tum illi qui discipuli vocantur, vtrum vera dicta sint, apud ipsum ipsos considerant, interiorem scilicet illam veritatem pro viribus intuentes; Tunc ergo discunt. Et cum vera dicta esse intus inuenerint, laudant, nescientes non se Doctores potiùs laudare quàm doctos, si tamen & illi quod loquuntur sciunt. Falluntur autem homines, vt eos qui non sunt, magistros vocent; quia plerumque inter tempus locutionis & tempus cognitionis, nulla mora interponitur. Et quoniam post admonitionem sermocinantis citò intus discunt, foris se ab eo qui admonuit, didicisse arbitrantur. Sed de rota vtilitate verborum, quæ si benè consideretur non parua est, alias si Deus fuerit, requiremus. Nunc enim ne plus eis quàm oportet tribueremus, admonui te: vt iam non crederemus tantùm, sed etiam intelligere inciperemus, quam verè scriptum sit auctoritate diuina, ne nobis quenquam Magistrum dicamus in terris, quòd vnus omnium magister in cœlis sit.] Sit inferius, Adeodatus collocutor, in libri clausula, sit profitetur eo se Augustini disputatione prouectum vt hoc agnosceret, à quo verè doceamur. Ego verò didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quàm admoneri hominem vt discat, & perparum esse quòd per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet. Vtrum autem vera dicantur, eum docere solum, qui se intus habitare cùm foris loqueretur, admonuit.]

Quid quod, ne ipsam quidem terminorum expositorum perceptionem, præstare discipulis possunt, qui *magistri* dicuntur? ] Penè quotidie (inquit Philo l. de congressu) plena sunt theatra & auditoria: & Philosophi sine respiratione de virtute copiosè verba faciunt. Sed quænam est horum sermonum vtilitas? Cùm enim deberent attendere, auocantes animum, quidam de nauigatione ac negotiatione, quidam de agricultura & reditibus, quidam de honoribus & Republica, quidam de lucris ex opificiis, quidam de plectendis inimicis, quidam de amoribus, omnes de aliis rebus cogitant: vt quantum ad rem præsentem attinet, surdi sint, corpore tamen occupantes suum locum; peregrinantes animo, & nihil differentes à statuis ac imaginibus.] At hic Magister, attentos præstare potest auditores, sibíque cum libet, certam apud eos audientiam facere. Pulchrè in hanc rem S. Thomas serm. in Dom. 22. post Pentec. qui est de Christi præcellenti magisterio.

## VSVS MVLTIPLEX *Doctrinæ de Christo Magistro.*

### I.

### *Gaudendum de tali Magistro, & studendum sub eo nauiter.*

892 Habemus Christi Magistri præcellentiam,imo singularia & planè præcipua Magisterij decora. Est in primis quod de tanto Magistro nobis diuinitùs concesso lætemur, vt monet Petrus Venerab. in calce sermonis de Transfiguratione,verbis illis.[Gaude pretiosa portio creaturæ cœli: lætare quia non viluisti in conspectu Dei. Noli vltra sequi viam erroris, à quo te reuocat præceptum doctoris. Esto docilis auditor,quia perfectus est tibi datus præceptor.Ne contemnas tantum doctorem, ne experiaris sui contemptus vltorem. Acquiesce in terra docente, vt conregnare possis in cælo sedenti. Neque enim aliter ibi Regis obtinere poteris gloriam, nisi hîc audias Magistri doctrinam. Nam qui ibi Rex apparebit excelsus, hîc primùm apparuit Magister benignus. Magister apparuit, sicut ipse cœlestis Magister discipulis ait;*Non vocemini Magistri, quia Magister vester, vnus est Christus.* Hunc tibi hodierna die Magistrum dedit Pater,quando de cœlis clamauit,*Ipsum audite.* Audite(inquit,)eum,vt filium meum;audite eum vt verè Deum;audite vt summum doctorem;audite eum vt vitæ largitorem. Audistis olim serpentem,& amisistis Paradisum; audite nunc Saluatorem, & possidete cœlum. Audistis hostem, & incurristis mortem; audite vitam & redite ad vitam. Est enim vera vita, iste filius meus,quia est vt est vt ego,& ipse, verus Deus. Credidistis tunc illi falsam promittenti Diuinitatem, credite nunc isti veram danti fœlicitatem.Audistis callidum deceptorem, audite benignum præceptorem.]

Ita planè,quoniam iuxta S. Ambrosium initio secundi de Virginibus, primus docendi ardor,nobilitas est Magistri, est quod incendamur cupiditate excipiendi doctrinam tanti Magistri, & in ea progressiones semper facere maiores, vt cum aderit tempus examinis, & reposcetur nauati studij ratio,non simus)vt sic dicam,)probro, ei qui nos docuit, quantum quidem est ex nobis. Nam quamuis eius decus sit vndecunque immarcessibile, tamen non stat per discipulum ignauum & torpentem, qui Magistri corona esse debuerat, vt sæpè loquitur Apostolus,quominùs Magister, nauus licet, & omnibus optimi Magistri muneribus exquisitè erga discipulum perfunctus,suffundatur rubore,ob malè collocatam & perditam operam, nullo extante eius pretio. Exprobantem malis suis discipulis Christum, & quod non profecerint mera sua culpa vrgentem,fusè inducit autor libri de malis Doctoribus;Et est profectò copiosa obiurgationis materia, non proficere sub tali magistro, iuxta illa S.Chrysost.ho.32.in Gen.*initio.*[Quomodò non fuerit absurdissimum,quòd à pueru-



lis nostris quotidiè à scholis redeuntibus petimus,quid ampliùs discendo profecerint,& adiecerint(neque enim sineremus eos frustra & absque vtilitate in scholam ire, nisi fructum ampliorem inde consecuturos videremus;) nos autem qui iustam ætatem habemus, & in spiritualibus scholis sumus, non par illis studium exhibemus, maximè cum hæc in lucrum & salutem animarum spectent?]

Itaque quod Pater, hunc doctorem mundo proponens in Baptismo & Tran figuratione, dixit, ipsum audiamus. Egregiam horum verborum ponderationem, subiicio ex Oratione S. Augustini de S.hæres. cap.7.sic enim habet.[ *Et ecce vox de nube dicens.* Omnes audiamus,nemo aures claudat. Audiant Pagani irrisores, audiant Iudæi persecutores,audiant Manichæi phantasmatum somniatores, audiant hæretici erronei litigatores, audiant & maximè audiant etiam Catholici, fideles Dei cultores. Isti audiant vt instruantur,illi vt corrigantur: aut isti audiant ne subducantur;illi ne puniantur.Quid dicit vox de nube?]

Et inferiùs.[ Domine,audiamus quid dicis de filio tuo:*Hic est,* (inquit,) *filius meus.* Vide in terra hominis Filium, audi de cœlo Dei esse filium. Meus delectus,in quo mihi benè complacui;Et quid aliud;*Ipsum audite.* Deo gratias. Intonuit præceptum Dei, & remotum est consilium Petri.Gratias tibi Deus,gratias tibi vera & vna Trinitas, vna & trina veritas, trina & vna vnitas,gratias tibi Deus Pater,qui & Filiũ tuum ostendisti, & mihi doctorem dedisti. Recedat Sabellianus, recedat Arrianus, recedant cæteræ pestes, cedat omnis iniqua doctrina. Doceat Deus,non iniquus Arrius:doceat Dei filius, non filij aduersarius, Dic Domine meus Iesu; doce, discam quod doceam.] Hoc vnusquisque nostrum, alloquendo Magistrum optimum, dicat. Sic Magistro sapientissimo audientes erimus, sic eius doctrinam amplectendo fœliciter beabimur.

### II.

### *Succensendum ingratis ignauisque Christi discipulis.*

893 Quàm verò deterrima sorte ij sunt, qui adeò eximij Magistri documentis nihili factis,adamant potiùs peregrinam doctrinam, & contraria planè iis quæ ab eo traduntur à Magistris erroris & falsitatum propolis, cupidè hauriunt?[Scolarem Dei(ait Philo de sacrif. Abelis & Caini)impossibile est tolerare præceptiunculas mortalium.] Quî igitur auidit, vt quos Dei sapientiæ eruditum venit, mortalium peruersa dogmata, & magisterium erroris diuinos Christi Magisterio anteponant? Vnde illud tam ardens studium circa doctrinas dæmoniorum & sæculi leges, eorum verò quæ à Christo tradita sunt dogmatum, tanta conculcatio? Indicit Magister nequam pruriens auribus,à *Magistro Magistrorum iniquitatis.*edoctus; (sic Satanam nominat Theodoretus Dialogo 3.) de superbia, de carnis cura in desideriis, de acetuandarum inutilium opum immenso cumulo, lectiones: Auidè omnes in eas incumbunt, cum tamen sint pestiferæ, & in animæ certum exitium & mortem cedant.Sed Christi doctrinam subleuantem ani-

mas, & laborantium exoneratricem, torpent omnes, & vix est qui eam admittere inducat in animum. Et humanas quidem disciplinas ita omnes capessimus, vt errorum contrariorum illicò pudeat, quamuis neque tanti sint reuera, neque damnum ex eis existat, nisi in hominum existimatione. De erratis verò aduersùs leges cœlestis disciplinæ, pauci sunt solliciti. Hanc esse maximam miseriarum nostrarum causam, S. Augustinus 1. Confess. cap. 18. his verbis deplorat, studia sua iuuenilia, & quæ in eis peccarat, describens. [Quid autem mirum quod in vanitates ita ferebar, & à te Deus meus ibam foras, quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta sua non mala, si cum barbarismo aut solœcismo enuntiaret, reprehensi confundebantur; Si autem libidines suas, integris & ritè consequentibus verbis copiosè ornatéque narrarent, laudatè gloriabantur?] Rursúsque paulò post. [Vide Domine Deus, & patienter vt vides, vide quomodò diligenter obseruent filij hominum pacta literarum & syllabarum accepta à prioribus locutoribus, & a te accepta æterna pacta perpetuæ salutis, negligant: vt qui illa sonorum vetera placita teneat aut doceat, si contra disciplinam Grammaticam, sine aspiratione primæ syllabæ *ominem* dixerit, displiceat magis hominibus, quàm si contra tua præcepta hominem oderit cum sit homo.] Egregiè quoque mox ibidem. [Cum homo eloquentiæ famam quærit astans ante hominem iudicem, circumstante hominum multitudine, inimicum suum odio immanissimo insectans; vigilantissimè cauet, ne per linguæ errorem dicat, *inter homines*, & ne per mentis furorem hominem auferat ex hominibus, non cauet?] Videndus insuper lib. 2. doctor. Christ. cap. 13.

Simili sensu, in huiusmodi non probos discipulos concitabatur Richardus Victorinus in Beniamino Minore cap. 46. sic scribens de malè verecundantibus. [Qualis putas pudor est, erubescere paupertatem, erubescere humilitatem? Illud non pudet eos erubescere, ad quod docendum, non puduit cœlestem magistrum de cœlo descendere. *Discite à me*, (inquit,) *quia mitis sum & humilis corde*. At isti è contra, magis abominantes quàm sectantes humilitatem, multo ampliùs erubescunt habere sordidam vestem, quàm sordidam mentem. Quàm multi hodie sunt quos magis puderet in oratione feciſſe barbarismum contra regulam Prisciani, quàm protulisse mendacium in suo sermone contra regulam Christi? Sed quid hæc de istis loquimur, qui sæpè sua etiam crimina iactant; quandoquidem illi etiam qui spirituales videntur hunc pudorem haud facilè superant? Sæpè dum in prædicationis officio proximorum vtilitati deseruiunt, dum fortè contra superbiam disputant, contingit eos sæpè superbire, vnde constat eos contra superbiam subtiliter disserere. Et si fortè inter loquendum (quod fieri solet,) breuem accentum producerent, magis eos fortassis puderet de vitio orationis, quàm de vitio elationis.]

III.

*Virga disciplinæ non refugienda.*

894 Est præterea officij nostri, docilem & patientem culturæ animum præbere. Nam interdum, vt virga disciplinæ admoueatur necesse est; Et tunc plerúmque accidit, vt malè moratus discipulus exacerbetur, & disciplinam fastidiat. [Ij non sunt discentium mores, (ait Nyssenus Orat. in ægrè ferentes repreh.) neque obidientiâ discipulorum, sed seditiosorum & pugnacium contentio. Puelli enim vicem discipulus subire debet, qui artem vel scientiam aliquam de externis desiderauerit: qui verò pietatẽ meditatur, maiori cũ accessione infans esse debet: præsertim cum etiam Dominus, illam ætatem veluti ad obedientiam paratam, suis ipsius laudibus ornauerit. Atqui puellus non insurgit in characteres & lineamenta quæ præceptor in cera inscripserit, neque noua molitur elementa, aliquid noui in literis licentia stolida attentans, sed primam graphio in notis præceptoris manum exercet: nomina verò non alia ex elementis colligit, quàm ea quæ audiuit; sed omni modo, ratione ac opera, magistri traditionem imitatur. Quòd si, quando negligentiùs quid egerit; cuiusque eius verberibus afficiatur, plagis comitmax non efficitur, neque perfractis tabellis à magistro abit, sed aliquandiu doloti amaras instillans lachrymas, disciplinis adhæteſcit, versatúrque acrior in meditatione, non autem negligentior euadit. Aliàs rursum si tanquam inuenis ac nouus, parum rem curet, à cibis abstinere iubetur & famis pœna propter socordiam damnatur: permanet verò in ludo, etiam solus, alijs ad prandium discedentibus pueris, præceptum religiosè obseruans. Christianus autem non sic qui audiuit tamen, *Nisi conuertamini, & quasi puelli fiatis, non intrabitis in regnum cœlorum.*] Dicendum cum Autore sermonis de Baptismo, apud Cyprianum *sub finem*. [Loquere magister bone libenter te audio, & cum aduersaris mihi, etiam in plagis & doloribus intelligo disciplinam: nec latet me, te docente ad siccandas corruptionum mearum putredines prodesse cauterium, & mundare cicatrices veteres sal disciplinæ tuæ, Euangelio suo medente infusum.

IV.

*Adhibenda ad examen, præparatio.*

De examine ad finem prælectionum, & promotione subsecutura, locorumque congruentium distributione per hunc Magistrum, actum cum de iudicio, post Gulielmum Parisiensem. Hic adduco Robertum de Sorbona l. de Conscientia cap. 18. sic enim scribit postquam à cap. 7. contulit vltimum nostrum examen, cum examine promouendorum ad gradus in Academiis. [Cancellarius non audit omnes qui licentiantur in propria persona, sed facit eos audiri ab aliquibus aliis Magistris. Multi autem benè respondent coram aliquibus simplicibus, qui malè responderent coram Cancellario, perterriti & stupefacti propter magnitudinem suæ sapientiæ. Exemplum de Monacho qui erat electus in Abbatem & præsentatus fuit à suis Monachis

Guiardo

Guiardo Episcopo, qui voluit eum examinare, sicut mox suus erat de omnibus. Non parcebat alicui,& dedit ei Missale, docens; verte in quacumque parte volueris:Et electus stupefactus & tremens, sicut tremit folium super arborem quando ventat fortiùs,vix potens tenere librum, dixit, ad quid verterē in libro?Nihil scio in illo. Et dixit Episcopus, quod erat Missale in quo multoties legerat; non enim erant Priora, aut Posteriora,vel decretales,vel leges.Qui respondit,quod nec in Missali, nec in alio libro aliquod sciret dicere, nec in suo *Paternoster*. Quæsiuit Episcopus,quare:qui respondit,quod pro timore quem habebat de illo Episcopo pro magnitudine scientiæ suæ, cum esses vnus de maioribus de mūdo.Et rogauit Episcopū, vt istā gratiā ei faceret,quod faceret eū audiri ab aliquibus sociis suis, quia meliùs se haberet coram sociis Episcopi,quàm coram Episcopo. Quod concessit ei prædictus Episcopus. Sed ecce Deus in die iudicij,omnes singulariter examinabit in propria persona, & in plena Vniuersitate;nec alij committet,aliquo modo, cuiuslibet sit scientiæ. Ad scientiam cuius Dei, nulla est comparatio prædicti Episcopi, vel cuiuscunque magni Clerici. Psalmographus; *Sapientiæ eius non est numerus*. Et Ioannes:*Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, idest iudicium de omni Iob:*Omnipotens singulorum causas diligenter intuetur*. Si ergo ita stupefactus fuit,& ita timuit Monachus coram prædicto Episcopo, quid faciemus in die iudicij, vbi non erit querela de Abbatia vna,sed de regno Paradisi, & patibulo Inferni,in quo nulla est redemptio. ]

V.

### *Audiendi etiam, suffecti à Christo Magistri.*

895 Cæterum quod Christus ita per scipsum obuierit magisterium de quo hactenus, vt tamen etiamnum doceat, & qui organa quæ ad id submittit, audit; Christum ipsum docentem audiat; tradit perpulchrè Origenes hom. 32. in Lucam *initio*.[Caue,(inquit agens de iis qui docentem Christum audierāt,)ne beatos illos tantùm iudices,& te arbitreris priuatum esse doctrina.Si vera sunt quæ scripta sunt,non solùm tunc in congregationibus Iudæorum, sed & hodie in hac congregatione Dominus loquitur:& non solùm in hac,sed etiam in alio cœtu, & in toto orbe docet Iesus, quærens organa per quæ doceat, Orate, vt me quoque, compositum ad canendum,aptúmque reperiat. Sicut enim quærit omnipotens Deus Prophetas, eo tempore quo prophetia mortales indigent.& inuenit; Verbi gratia,Esaiam,Hieremiam,Ezechielem, Danielem; sic quærit Deus organa per quæ doceat sermonem suum, vel erudiat populos in Synagogis eorum, & glorificetur ab omnibus. ]

Sic ergo Apostolos audiens, Christum ipsum audit; sicque vnus est magister noster, quamuis verè dicatur S. Petrus *Magister inter Magistros* à Cassiano lib. 3.de Incarn.cap. 12. de eodem,& B. Paulo,ita S. Bern. sermone 1. in eorum festo. [Hi sunt magistri nostri, qui à Magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt & docent nos vsque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt, vel docent nos Apostoli sancti? Non piscatoriam artem, non sænofactoriam, vel quidquid huiusmodi est?Non Platonem legere,non Aristotelis versutias inuersare, non semper discere, nunquam ad veritatis scientiam peruenire. Docuerunt me viuere. Putas parua res est, scirè viuere?Magnum aliquid,imo maximum est.Non viuit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus;quoniam non est hoc viuere, sed vitam confundere; & appropinquare vsque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati,& bona facere, & sic perseuerare vsque ad mortem.Dicitur vulgo, quia *qui benè depascit, benè viuit*,sed mentita est iniquitas sibi:quia non benè viuit, nisi qui bonum facit.]

## CAPVT IV.

### *Christus Sol Iustitiæ, Lux mundi, Autor & consummator fidei.*

ET hic quoque titulus, ad Magisterium pertinet. Cum enim sit duplex docendi modus; vnus propositione doctrinæ voce,aut scripto;alter qui ad res morales accommodatissimus est, exemplo & factis, par fuit Magistrum vndecunque perfectum, docendis bonos mores mortalibus diuinitus prouisum, vtroque illo modo doctrinam suam expromere,quod & præstitit. Et inde, ratione posterioris modi docendi,denominatur *Sol Iustitiæ*, (nempe vniuersalis,virtutes omnes comprehendentis;)& *lux mundi*. [Non vtique lux visibilis, sait S. Ambrosius Epist 11. sed animarum quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo,quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentiæ;& vt prædicatur in Euangelio,incorporeæ virtutis inflammans vapore secreta mentium, animorúmque penetralia. ] Eodem item referendum arbitror,quod Heb. 12. Christus appellatur *autor & consummator fidei*. Sed reguste-mus singula.

### *Christum, exemplo quoque docere, congruentissimum.*

896 Primùm, par fuisse eiusmodi nobis iustitiæ Doctorem obtingere,qui factis & exemplo doceret, fusè confirmaui lib. 3. s. 1. cap. 1. agens de fine aduentus Christi ad nos docendos. In quam rem; longum & perpulchrum Lactantij aduersùs Ethnicos argumentum pro Christo doctore,Deo corporato,protuli, & communiui.Nunc addere possumus aliud argumentum ex illa Lactantij disputatione lib. 5. instit.c. 18. vbi Lælium iustitiæ malè patrocinatum præfatus, quia caput ipsum fontémque iustitiæ non tenebat,subdit.[Nobis autem facilior est ipsa defensio, quibus cœlesti beneficio familiaris est, ac penitùs nota iustitia est:quanquam illam non nomine sed re nouimus.Nam Plato & Aristoteles, honesta quadam voluntate iustitiam defendere cupierunt:effecisséntque aliquid, si conatus eorum bonus, si eloquentia, si virtutem ingenij diuinarúmque rerum doctrina iuuisset. Itaque

opus illorum inane atque inutile iacuit, nec cuiquam hominum persuadere potuerunt, vt eorum præscriptio viueret: quia fundamentum à cœlo disciplina illa non habuit. Nostrum opus certiùs sit necesse est, quod Deus docuit. Illi enim depingebant verbis, & imaginabantur iustitiam quæ in conspectu non erat: nec præsentibus exemplis conformare poterant quæ differebant. Responderi enim posset ab audientibus, non posse ita viui, sicut illi sua disputatione præscripserant: adeò vt nulli adhuc extiterint, qui id genus vitæ sequerentur. Nos autem non verbis modò, sed etiam exemplis ex vero petitis, vera esse quæ à nobis dicuntur, ostendimus. ]

At non aliam præsertim ob causam ostendimus, quàm quia præiuit Christus exemplis, eiúsque nos vestigia relegimus, & magna cum facilitate iisdem insistimus, Christo præeunte. Quod enim in S. Vepeslai rebus gestis scriptum memini à Pubrauio l. 4. hist. Bohem. huc non incommodè aptauerim. Narrat ille Podiuinum sancto Regi assiduum comitem, cum noctu, calceatus ipse, præeuntem ad templa, Venceslaum nudipedem, per loca niuibus & gelu rigentia pone sequeretur, frigore ambustum, ac propè rigentem pedes, calorem, illicò concepisse, cum primùm vestigia præeuntis Venceslai relegit; & eo loco pedem posuit, quem nudæ S. Principis plantæ pressissent. Hoc nobis quoque, in via virtutis, per hybernos quibuscum hic semper conflictamur rigores, & cœli inclementiam, vsu venit. Cùm primùm enim tendentibus per virtutum viam frigoris asperitas, indéque obrepens torpor incommodat, reculescimus confestim & ad iter prosequendum alacritatem ac vigorem necessarium concipimus, vbi subit animum cogitatio, institisse Christum ea via, & qua incedendum esset, suis gressibus iter signasse, factum exemplis viæ ducem, & caloris conciliatorem; eum ea ratione, tum maximè per interna virtutis subministrationem. Et hac ratione S. Hieronymus cap. 38. Iob, perpulchrè de Christo exponit illud, *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti.* Sic enim habet. [ Posuit Dominus de aduentu suo in carne, hoc dixisse, quo vt ignis æternus & ignis cœli, ignisque diuinus, per quem omnes creaturæ rationabiles concalescunt, dignatus est ad terram descendere: qui velut ad niueam regionem, & frigidam mundi huius, atque instar grandinis nimio infidelitatis frigore duratam, exclamauit & dixit; *Ignem veni mittere in terram.* Proinde huiuscemodi humanorum cordium thesauros, obliuione videlicet Dei sui frigidissimus, ingressum se profitetur, vt expulso perfidiæ frigore, delectione eius flagrarent & dicerent; *Concaluit cor meum intra se, & in meditatione mea exardescet ignis.* ]

### *Reipsa Christus, exemplo docuit sanctitatem.*

897 Par itaque fuisse, Christum exemplo nobis ad omnem iustitiam & virtutem prælucere, ratum esto. Id verò Christum reipsa præstitisse, ( vt præterea addebam, ) cùm vniuersa Christi vita attentiùs perpensa demonstrat, tum Patres perspicuè obseruant. S. Basilius egregiè id tradit in Psalm. 33. ad illud, *iste pauper clamauit.* Præmisso enim alio sensu verborum illorum, subdit. [ Potest hic sermo, & ad Christum referri, qui cum natura diues esset, propterea quòd omnia quæ Patris sunt, ipsius sunt; *Propter nos, pauper factus est, vt nos eius paupertate diuites essemus.* Omnis enim actionis quæ nos ad beatam vitam perducit, autor ipse primus Dominus fuit, sese discentibus exemplum præbens. Ad eas recurre, quas beatitudines nominauit, his singulis sedulò expensis, inuenies sui sermonis doctrinam, ipso anteuertisse opere, *Beati mites.* Quoniam igitur modo hanc mansuetudinem didicerimus? *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Beati pacifici.* Qui nobis pacis bonum ostendet. Ipse pacificus qui pacem fecit & conciliauit duos in vnum nouum hominem, & pacificauit per sanguinem crucis suæ, omnia siue quæ in cœlo, siue quæ in terris sunt. *Beati pauperes.* Ipse pauper vixit, séque assumpta seruili forma exinaniuit, vt nos omnes ex eius plenitudine gratiam pro gratia acciperemus. ]

Magnificè planè idem tradit S. Augustinus l. de vera Relig. cap. 16. [ Cum omnibus modis, (inquit,) medeatur animis Deus, pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia eius ordinantur, de quibus aut non est tractandum, aut inter pios perfectósque tractandum est, nullo modo beneficentiùs consuluit generi humano, quàm cum ipsa sapientia Dei, ideſt vnicus filius consubstantialis Patri & coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, & Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ita enim demonstrauit carnalibus, & non valentibus intueri mente veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura; quòd non solùm visibiliter, nam id poterat, & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit. ] Et paulò post, monstrans in particulari quibus in rebus Christus, exemplum sobriè, & iustè, & piè viuendi præbuerit, sic scribit. [ Satellites voluptatum, diuitias pernicioſe populi appetebant: Pauper esse voluit. Honoribus & imperiis inhiabant! Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant: Tale coniugium prolémque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant: Omne genus contumeliarum sustinuit. Iniurias intolerabiles esse arbitrabantur: Quæ maior iniuria, quàm iustum innocentémque damnari? Dolores corporis execrabantur; Flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant! Morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: Crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilia fecit. Omnia quæ vitare cupientes à studio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ illo contempsit, aut fugiuntur quæ illo sustinuit. Tota itaque vita eius in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. ]

Nomina

*Nominatimque patientiam, & maximè humilitatem.*

898 Sigillatim, in patientia & fortitudine tolerandi, voluisse Christum, non verbo tantùm, sed & exemplo nos docere, aperit in Psalmum 63. ac Epist. 120. cap. 10. & 11. & benè Laurentius Iustinianus, in Ligno vitæ Tract. de patientia cap. 5. in fine. Fulgentius optimè serm. de Martyribus tractans illud, *qui seminant in lachrymis*, quod sic enuceat. [Vbi seminant in lachrymis, nisi iuxta arborem crucis, vbi est fons proximus Saluatoris? Inde de latere eius sanguinis guttæ stillarunt, & pluuia cruoris & aquæ seminata est, tolerantiæ confessorum. De ipso ligno viuentis, iuxta fontem sanguinis, plantata Virginitas floruit castitatis: inde plantata Martyrum tolerantia, cœpit seminis sui germina colligere purpurata. Nam vnde Martyres tolerant, nisi per Dominicam crucem? Vnde Martyres, in quorum cordibus lex Dei est, maledictiones non timent hominum, nisi quia Christus Dominus pertulit patienter improperia Iudæorum? Vnde Martyres carcerum custodias delectabat intrare, nisi quia Dominus ductus est ad prætorium Principis Caiphæ, & nocturnum crudelis prætorij carcerem non dedignatus est sustinere; sed dicebat! *Traditus sum, & non egrediebar?* Vnde Martyres de catenis & vinculis ferreis non curabant, nisi quia Christus Dominus teneri & & alligari passus est à Iudæis, quia catenas mortis disrupit à mortuis iam sepultus; quid dixit eis. *Qui in vinculis sunt, exite, & qui in tenebris sunt, vt videant lumen*; & qui dixi Lazaro post quatriduum iam sepulto; *prodi foras?* Traditus non egrediebatur foras, quia erat liber intùs & foris. Inde Martyres alapas non horruerunt, quia Christus maxillas suas ad alapas præbuit impiorũ. Inde non nocuit Martyribus, infusa aceti vel sinapis acerrima violentia, quia acetum & fel Christi degustauerunt labia, non tali digna potatione à pincernis impiis, quibus *rupit petram & fluxerunt aquæ, & potauit eos sicut in abyssо multa.* Vnde Martyres nudati sustinuerunt, flagellati non fleuerunt, nisi quia Dominus nudatus est & flagellatus atque præcinctus sub Pilato iudice, de quo ipse iudicium veniet iudicare? Vnde equuleis appositi cum vngulis sulcarentur, apportati dulcissimis decantationibus laborem facicbant cum pudore tortoribus, nisi quia crucem Christus Dominus ascendi, inimicos non accusauit, pro sua iniuria non defleuit, sed inimicis veniam postulauit, pio cantico psallens in ligno; *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt?* Ista ergo seminatio sanguinis Christi, fecit semina Martyrum pullulare in campo matris Ecclesiæ.]

Tandem S. Bernardus serm. 22. in Cant. *sub finem*,] Fruſtra huius seculi sapientes, de quatuor virtutibus tam multa disputauerunt, quas tamen apprehendere omninò nequiuerunt, cùm illum nescierint, qui factus est nobis à Deo sapientia docens prudentiam, & iustitia delicta donans, & sanctificatio in exemplum temperantiæ continenter viuens, & redemptio in exemplum patientiæ fortiter moriens.] Et mox. [Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Vbinam quæso vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Vnde vera iustitia, nisi de Christi misericordia? Vbi vera temperantia, nisi in Christi vita? Vbi vera fortitudo, nisi in Christi passione? Soli ergo quę eius doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt: soli iusti, qui de eius misericordia veniam peccatorum consecuti sunt: soli temperantes, qui eius vitam imitari studeut: soli fortes, qui eius patientiæ documenta fortiter in aduersis tenent. In cassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quàm à Domino virtutum, cuius doctrina, seminarium prudentiæ: cuius misericordia, opus iustitiæ: cuius vita, speculum temperantiæ, cuius mors, insigne est fortitudinis.]

899 Sed quod omnium maximè necessaria sit humano generi humilitas, quandoquidem per superbiam cecidimus cui humilitate Dei hominis, & nostrorum humilium operum eius exemplo perficiendorum medendum fuit; eo præsertim exempla Christi collimasse S. Augustinus præclarè prosequitur hom. 34. & 50. Exhibeo plagulam duntaxat prolixæ in eam rem disputationis, qua illud Christi monitum explanat, *Venite ad me omnes qui laboratis.* Ea igitur verba sic glossat. [Sarcina vobis, tumor vester est. *Venite ad me omnes qui laboratis & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos & discite à me.* Clamat magister Angelorum, clamat Verbum Dei, quo rationales omnes mentes sine defectu pascuntur. Cibus reficiens & integer permanens, clamat & dicit, *Discite à me.* Exaudiat populus dicentem, *Discite à me.* Respondeat, Quid discimus à te? A magno enim artifice, nescio quid audituri sumus, cùm dicit. *Discite à me.* Quis est qui dicit, *Discite à me?* Qui formauit terram, qui diuisit mare & aridam, qui creauit volatilia, qui creauit animalia terrena, qui creauit omnia natantia, qui posuit in cœlo sydera, qui distrinxit diem & noctem, qui formauit ipsum firmamentum, qui lucem à tenebris separauit; ipse dicit, *Discite à me.* Nunquid fortè hoc nobis dicturus est, vt ista cum illo faciamus? Quis hoc potest? Solus Dei facit. Noli, (inquit,) timere, non te onero. Hoc à me discе quod propter te factus sum. *Discete à me*, (inquit,) non formare terram, quæ per me facta est: nec illa quidem dico discatis, quæ quibusdam donaui quibus volui, non omnibus; suscitare mortuos, illuminare cæcos aperire aures surdorum; nec ista pro magno velitis discere à me. Gauisi discipuli & exultâtes, redierunt dicẽtes. *Ecce in nomine tuo & Dæmonia nobis subiecta sunt*, Ait illis Iesu. *Nolite in hoc gaudere, quia Dæmonia vobis subiecta sunt: gaudete potius, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Quibus voluit donauit expellere Dæmonia, donauit quibus voluit mortuos suscitare. Sic ergo dedit cuidam mortuos suscitare, alij dedit disputare, omnibus tamen quid dedit? *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Fratres mei, tota medicina nostra ista est, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*]

Vides cur præsertim Christi magisterium per exempla, in exercendis illustrissimis humilitatis actibus sit versatum. Ita enim ferebat summa necessitas nostra, quam omnis illa exemplorum Christi exhibitio spectabat. Sicut ergo tota ægritudo & morbositas nostra per superbiam fuit, ita humilitatis præsertim illustrissimis specimínibus propositis, curandi fuimus. De quo

rursus idem Augustinus lib. de Catechiz. rud. capite 22. his præter cætera. [ Omnia ergo bona terrena, contempsit homo factus, Dominus Christus, vt contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat: vt neque in illis quæreretur fœlicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quæ quamuis à viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus etiam in ciuitate Bethleem, quæ inter omnes Iudææ ciuitates ita erat exigua, vt hodiéque villa appelletur, noluit quemquam de ciuisquam terrenæ ciuitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cuius sunt omnia, & per quem creata sunt omnia, ne quisquam cum in eum crederet, de terrenis diuitiis auderet extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri, quia humiliratis ostendebat viam miseris, quos ab eo superbia separauerat; quamuis sempiternum eius regnum, vniuersa creatura testetur. Esuriuit qui omnes pascit; sitiuit per quem creatur omnis potus, & qui spiritualiter panis est esurientium, fons est sitientium. Ab itinere terrestri fatigatus est, qui seipsum nobis viam fecit in cœlum. Velut obmutuit & obsurduit coram conuinciantibus, per quem mutus locutus est, & surdus audiuit: vinctus est, qui nos de infirmitatum vinculis soluit: flagellatus est, qui omnium dolorum flagella de hominum corporibus expulit: crucifixus est, qui cruciatus nostros finiuit: mortuus est, qui mortuos suscitauit. Sed & resurrexit nunquam moriturus, ne ab illo quisquam sic discceret mortem contemnere, quasi nunquam victurus. ]

*Christum à præstitis totius sanctimoniæ exemplis, dictum, Solem Iustitiæ, monstratur, præsuppositu pluscula de Christo Sole.*

900 Sequitur monstrandum, ex hac omnis virtutis exemplorum expressione in Christo, nomen illi, *Solis iustitiæ*, & *lucis mundi*, inditum esse. Hæc enim esse in Scripturis Christi nomina, nemo in eis adeò hospes est vt ignoret. Sic apud Malachiam c. 4. Spondet Deus timentibus nomen suum, exoriturum solem Iustitiæ, sub cuius pennis est sanitas; ideſt interprete. D. Augustino, à cuius pennis seu radiis, non sit timendum capiti, vt experimur accidere in Sole corporeo; quin potiùs cuius pennæ sanitatem conferant. In eum Malachiæ locum Augustinus de Quiros, alias Scripturas in eum sensum addensat; itémque Sol Maior in præclara Solis & Christi comparatione, quam instituit in illa verba Cant. 1. *decoloravit me sol.* Ipsa Christi Conceptio, Solis fuit delapsus, à signo Leonis ad signum Virginis, vt huc quoque aptemus Astrologicas picturas. Christi exortus temporalis, fuit tanquam Solis noui, itavt nescientes propherarent, Ethnici illi quos S. Leo serm. 2. de Christi natiu. *sub finem* & S. Aug. serm. 61. de diuers. c. 1. referunt in die Natalis Christi celebrasse festum Solis noui, ea die exorti. Ex quorum vsu manarat apud vulgus Christianorum, vt diem Domini Natalem, festum Solis noui appellarent, vt scribit S. Ambrosius serm. 10. Dixisset eis tunc iure quispiam; Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Verè enim Sol nouus ea die ortus est in tenebris lumen rectis, misericors & miserator & iustus. Nascente Augusto, Solem è coniugis vtero prodeuntem, visus est videre Pater, vt ex antiquioribus ait Constantinus Manasses in Annal. num. 72. Hoc de Augusto fabulosum, vel ad gratiam captandam excogitatum, est de Christo verissimum. Quod autem Ægyptij apud Photium Cod. 242. fabulantur solem ex matris vtero prodiisse, indice silentij digito labiis adhærente; quomodò etiam Orum, & postea Heraïscum aiunt natum, verissimè & citra fabulam hîc locum habet, vbi verbum Dei infans est.

In eo Solis nostri exortu, iuxta B. Gregorij interpretationem 29. Mor. c. 1. locum habuit, quod dixit Iobum interrogans Deus, *numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum.* Verè enim Christo oriente diluculum pariter ortum est, iuxta illud Oseæ 6. quod vtraque Glossa de Christi Natiuitate accipit, *quasi diluculum præparatus est egressus eius.* Ortum igitur est diluculum depulsa nocte, quam Idololatriæ fuisse imaginem docet Lactantius 2. instit. c. 10. *sub finem*, & solius veri Dei, tanquam Solis tunc apparentis, perstrictis non plenis & frigidis luminibus quæ illhuc vsque micuerant, exortu cessauit. Illhuc vsque sanè, præter Idololatriam, horrenda aliorum peccatorum tenebræ, ( & est peccatum, quod S. Chrysostomus hom. 4. in Ioann. *sub finem*, benè considerat, prototypum tenebrarum,) orbem vniuersum occupauerant. Omnes bestiæ sylvæ, per eam noctem ac tenebras, pertransibant. Christo autem Sole, orto, in sua le latibula abdere sunt adactæ. Sic enim eum Psalis locum, ad Christum accommodat S. Gregorius 27. Mor. c. 19. qui item lib. 5. eiusdem operis c. 37. ait Patres veteris Testamenti vocari *abortiui*, quia concepti non viderunt lucem, siue Solem Christum, & quia de tenebris ad tenebras inferni transferebantur, vt proportione de damnatis philosophatur, autor libri tertij in Iob, apud Origenem *in fine*. Non ergo viderunt Solem, qui fecit. ] c Solem vt loquitur S. Augustinus serm. 2 e sanctis *in fine*. Hic est Sol. quem impij vt S. p. 5. habetur, expostulabunt à se non fuisse visum, cum errarent à via veritatis. Et idem ipse est Sol, vt exponit D. Aug. in Psal. 57. de quo dictum ibi est, *super cecidit ignis, & non viderunt solem*: quia nimirum vincente impios concupiscentia carnis, & excitato inde fumo, solem non viderunt; non illum quem vident nobiscum muscæ & pecora, sed Solem Iustitiæ Christum.

Plenè de hac Christi denominatione, Anast. 4. Hexaëm, & Berengosius initio Tractatus de luce visibili, & inuisibili, itémque iam olim Origenes Tomo 1. in Ioann. ad illud *In principio erat Verbum*, inter explicandum varia Christi nomina, obseruans Christum in variis scripturis, modò denominari lucem hominum, modo lucem veram in tenebris lucentem & à tenebris non comprehensam, modò lucem gentium. Et cum lux mundi sub sensum cadens sit Sol, idem censet esse Christum dici lucem mundi, ac dici Solem mundi, non sensibilis, sed intelligibilis. [Seruator noster (inquit,) illuescens his qui rationis sunt capaces, præstantissimis animarum

eorum

videre, & non viderunt? Quæro ? nisi quia nox eorum partibus, vt ipsorum mens propria aspectabilia cernat, intelligibilis mundi lux est. Nimirum animarum rationis capacium in hoc mundo sensibile existentium, & si quid præter hæc mundum complet: & hoc Seruator noster esse nos docet. Fortasse ipse, illius præcellens præstantissimáque pars existens, vt ita dicam, Sol qui facit diem Domini magnum, cuius diei causa ad eos dicit, qui lucis suæ participes erant, *Operamini dum dies est, veniet nox, quando nullus poterit operari: quandiu sunt in mundo, lux sum mundi.*]

### *Nox ante Christum Solem; Ecclesia ad eum, vt Luna.*

901 Et ideirco mundus ante Christum erat in vespere, ait S. Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 6. [Vesper (inquit,) erat antequàm Christus veniret: quia totus erat mundus in tenebris. Vesper erat omnibus, quos immanium delictorum squalor tenebrosus vrgebat. Venit Dominus Iesus, redemit sanguine suo mundum, lucem attulit. Idem habet Anastasius Sinaita lib. 1. in Hexaëm: tractans terram incompositam & inuisibilem, creatione solis mystici illustratam. Concinne quoque illud in hanc rem legitur apud S. Athanasium in fragmento de Sabathorum obseruatione. [ Cum creaturam intra sex dies conditam renouatione interpolasset; diem illam (dominicam) huic instaurationi consecratam voluit, quam in Psalmo Spiritus prænunciat. *Hæc est dies quam fecit Dominus;* Solis enim instar Deus exoritur, illustrans vniucuiusque animum. Quocirca & in salutifera passione non apparuit Sol, indicans finem prioris creaturæ adesse, & principium alterius superuenire, quæ diluculum suum & exortum in Saluatore consecuta est. Hanc cum vidisset Propheta, ita locutus est. *Ecce vir, oriens illi cognomen.* Ac rursum. *Vobis timentibus eum, exorietur Sol iustitiæ.* Non enim omnium hæc dies est, sed eorum qui mortui sunt, peccato & viuunt Deo.

Addit insuper Origenes Tomo illo 1. in Ioan. Ecclesiam, & Apostolos, sanctósque omnes, non secus se habere ad hunc Solem, quàm se habeant Luna & astra ad Solam corporeum, à quo omnem lucem suam repetunt: ita vt eo non allucente, sint in tenebris. In quam comparationem multa præclarè tradit hom. 1. in Genes. exponens productionem luminarium. Insigniter item in eam rem disserit S. Augustinus in Psal. 10. tractans illud, *vt sagittent in obscuro rectos corde.* Ipse legit *vt sagittent in obscura Luna rectos corde*; & Lunam interpretatur Ecclesiam; siue quod ex parte lucet & ex parte obscura est, vt aliqui quos ibi refert de Luna materiali opinantur: siue quod Luna, lumine proprio omnino carens, à Sole mutuum lumen accipiat. [Qua ratione Luna intelligitur Ecclesia? (ait ibi S. Augustinus.) Quod suum lumen non habeat sed ab Vnigenito Dei Filio, qui multis locis in Sanctis Scripturis Sol allegoricè appellatus est, illustretur. Quem nescientes, & cernere non valentes Hæretici quidam, ad istum solem corporeum & visibilem, quod commune lumen est, oculis carnis hominum atque muscarum sensus simplicium conantur auertere, & nonnullorum auer-



tunt. ] Significat Manichæos de quibus tract. 34. in Ioann. *initio*, & Cyrillus Catech. 6. illud insanum commentum memorant, censuisse illos Christum esse Solem hunc corporeum, quem conspiciunt & pecora; & in illud absurdum deductos esse, ex Scripturis quæ Christum solem denominant; quod tamen de sole intelligibili & vt ex aliis Scripturis diximus, de sole Iustitiæ, fuerat accipiendum. Huc facit, quod varios Lunæ ad solem comparatæ status, ad multiplicem Ecclesiæ statum sic accommodat Petrus Blesensis Epistol. 8. *sub initium.* [ Varios militantis Ecclesiæ status, quia frequenter in sacro eloquio per Lunam solet Ecclesia præsens intelligi; quasdã proprietates Lunaris exeuntes Ecclesię coaptiui. Sicut enim in Astrologia Martiani Luna in sua nouitate *minoides* dicitur: in augmẽto, cùm iã ad medium creuit *diatomos*: cùm accedit ad circulum, dicitur *amphicyrtos*: cum verò in plenitudine sua tota est serena, *panselenos*: Sic Dei Ecclesia, quæ Lunari exemplo lumen suum mendicat à Sole iustitiæ, in Abel & Patriarchis *minoides*; in tempore Prophetarum *diatomos*: in aduentu Christi, *amphicyrtos*: in eius resurrectione & fidei confirmatione satis tolerabiliter poterat *panselenos* nuncupari: Quod enim Ecclesia perfecta, & perfectè ordinata tunc demum fuit, quando Christus cœlos ascendit, Propheta satis expressè exemplo consimili manifestat. *Etenatus est*, (inquit) *Sol, & Luna stetit in ordine suo*; ideest, ascendit Christus & Ecclesiam in ordine sanctitatis per Apostolos stabiliuit.]

### *Christus est orbis mystico, in dies, tempora, & annos.*

902 Sunt nobis hic Sol, & hæc Luna, in dies, tempora, & annos, vt pulchrè tradit Berengesius, *sub initium* operis de luce visibili. Quomodò autem recessu vel appulsu Solis Christi, omnes mundi intelligibilis tempestates, extiterint, attigi exponens quomodò Christus dicatur *noua creatura*, Idem fusè prosequitur Nicetas ad orat. 42. Nazianzeni. Non tamen quærenda ab hoc Sole, anni tempestas hyemalis, hæc enim abiit. Itaque Bernardus serm. 33. in Cant. dictum suum corrigit, quo hyemem quoque ab isto Sole factam admiserat. Cæteras tempestates, ab eo in cœlo procreandas, perpulchrè tradit. In cœlo tamen non fore nobis hunc Solem in dies noctibus interpolatos, & menses ac annos, sed iugem ibi fore ac plenam nec vnquam ad occasum declinaturam meridiem, ad quam per progressiones lucis in hac vita crescentis vsque ad perfectam diem, ab aurora concepti Christi deuentum sit, sic prosequitur idem S. Bernardus. [Quæso, *indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie*, hoc est, tota die. Etenim illa meridies tota est dies, & ipsa nesciens vesperam. Et ideò *melior dies illa in atriis, tuis, super millia*, quia nescit occasum. At matutinum forsitan habuit, cum primùm videlicet, dies sanctificatus illuxit nobis, per viscera vtique misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Verè tunc suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, cum in medio vmbræ mortis, exortus matutini lux orta est nobis, & manè vidimus gloriam Domini. Quanti Reges, & Prophetæ voluerunt

erat, & necdum venerat illum expectatum mane cui fuerat repromissa misericordia? Vnde & orabat qui dicens; *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speraui.* Fuit namque quædam huius aurora diei, ex quo Sol Iustitiæ per Archangelum Gabrielem nunciatus est, & Virgo Deum in vtero de Spiritu sancto concepit, & peperit virgo: ac deinceps quoad in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Nam vsque adeò per totum id temporis lux pusilla & tanquam lux reuera Aurore apparuit, vt diem esse interim apud homines, penè vniuersitas ignoraret. Denique si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Et vtique paucis ipsis discipulis dicebatur, *Adhuc modium lumen in vobis est*; eo quod aurora esset & initium, vel potiùs indicium diei, dum sol adhuc absconderet radios suos, & minimè eos spargeret super terram. Paulus quoque dicebat Quoniam *nox præcessit, dies autem appropinquauit*; Significant esse tunc adhuc adeò modicum lumen, vt propinquasse quàm venisse diem, dicere maluerit. Quando autem hoc dicebat? Profectò quando sol reuersus ab inferis, iam se ad alta cœli sustulerat. Quanto magis cum adhuc similitudo carnis peccati, instar densæ nubis operiret auroram, iuxta omnes nimirum nostri corporis passiones, ita vt neque amara mors, nec crux proposa defuerit: quanto magis, inquam, tunc exigua tenuisque admodùm lux fuit, & quæ de auroræ magis quam de Solis prodire præsentia videretur? Erat ergo aurora, & ipsa subobscura satis, tota illa Christi conuersatio super terram, vsque dum occumbens & rursum exoriens, solaris suæ præsentiæ lumine clariore fugauit auroram, & manè facto, absorpta est nox in victoria. Denique habes: *Et valdè mane vna sabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam sole.* An non mane fuit, quando ortus est Sol? attulit autem nouum de resurrectione decorem, & sereniorem solito lucem: quoniam etsi noueramus eum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus. Et scriptum in Propheta; *Decorem induit, induit fortitudinem & præcinxit se*, quod carnis infirma, tanquam nubila quædam excusserit, stolam gloriæ induens. Sanè ex tunc eleuatus est Sol, & sensim demum diffundens suos radios super terram, cœpit paulatim vbique clarior apparere, Feruidiórque sentiri. Verùm quantumlibet incalescat, & inualescat, multiplicet & dilatet radios suos super omnem huius nostræ mortalitatis curriculum, (erit enim nobiscum vsque ad consummationem seculi,) non tamen ad meridianum perueniet lumen, nec in illa sui plenitudine videbitur modò, in qua videndus est postea, ab his duntaxat quos hac visione ipse dignabitur. O verè meredies, plenitudo feruoris & lucis, solis statio vmbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio. O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies; ô lumen meridianum; ô vernalis temperies; ô æstiua venusta, ô autumnalis vbertas, & (ne quod videar præteriisse,) ô quies & feriatio hyemalis Aduerte, (si hoc magis probas, sola tunc hyemis abiit & recessit.

*Sancti, ad Christum Solem, Stellæ.*

903 Sanctos quoslibet, se habere ad hunc solem sicut stellas, sic tradit Anastasius 4. Hexaëm. *ad finem.* Sunt duæ tabulæ cœlorum, quę intrinsecùs quidem ferunt ratione præditas stellas, & Angelorum & Angelicorum mysteriorum ac rationum: extrinsecùs autem stellas quæ cadunt sub aspectum, & earum describentes ænigmata per eas quæ sunt in ipsis figuris, locáque & cursus differentias, nos docentes differentias, & tempora, & loca, & mores, & cursus, & apparitiones sanctorum qui illuxerunt in firmamento fidei, qui ex alto nos illuminarunt. Propterea aliæ quidem ex stellis, nocte adhuc crescente (errore, inquam,) exoriuntur, cuiusmodi fuerunt Abel, & Enoch, & Noë & Abraham. Aliæ autem rursus in medio lucis & tenebrarum, quales nouimus eos qui fuerunt in lege. Aliæ autem rursus procedente nocte, & die appropinquante, qui sunt B. Prophetæ; & Baptista, & maximè qui erant propinqui splendori ortus Domini. Quorum quidem Prophetarum vltimus & omnium clarissimus, tanquam Lucifer matutinus, Solis (nempe Christi,) præcursor Ioannes dicens; Ecce post me oritur mundo Sol iustitiæ: Qui cum esset exortus & egressus ex aquis Iordanis, diluculo ostendit duodecim domus discipulorum, qui sunt stellæ quæ continent & dominantur omnibus stellis firmamenti, nempe Ecclesiæ.] Aptat mox Ecclesiæ, stellas Zodiaci, de quo cum de Christo Patre. S. Gregorius Præfatione in Iobum cap. 6. multus est in ostendendo, antiquos Patres qui Christum antecesserunt, fuisse præ Christo stellas, super peccantium tenebras diuinitùs prouisas, quousque verus Lucifer surgeret qui æternum nobis manè nuncians stellis cæteris clariùs ex diuinitate radiaret.

In eandem sententiam de sanctorum cum stellis comparatione, sic disserit Isido. Pelus. lib. 3. Epist. 4. [Apostolus stellas eos appellat, qui per optimam viuendi rationem spectantium animos illuminant, his verbis vtens: *inter quos estis vt luminaria in mundo*: sic etiam Daniel, stellas eos vocat, qui & pietate clari sunt, & vitam optimè constituunt. Ait enim, *Et cecidit in terram à stellis & à virtute.* Non quòd stellæ ceciderint, vt quidam opinati sunt, (absit;) sed quòd Antiochus Epiphanes (nam de eo Angelus sermonem habebat,) à Machabæis insigniter superatus sit, ac Iudaico imperio exturbatus. Non enim dixit *Stellæ ceciderunt*; verùm *ille à stellis præclarè pugnantibus cecidit*, hoc est, victus ac profligatus est. Quod si quis vocabulum istud ἔπεσεν, pro ἐπλήγη, ideſt *percussus*, accipiat, nam hoc quoque sensu persæpè vsurpatur, vt in hoc loco, ἔπεσεν, ideſt, *percussit*, & *manus eius sanauerunt*; secunda videlicet syllaba per diphthongum scripta, potest, illud, dici, quòd sepphthongum scripta, potest, illud, dici, quòd septem fratres, ac matrem & sacerdotem Eleazarem fratres, ac matrem & sacerdotem Eleazarem, qui præclaram ac fulgidam vitam ostenderunt, atque siderum instar in terra exiterunt, percusserit.]

Præmissa

*Præmissa Christi Iustitiæ Solis notio, à virtutum & totius Sanctimoniæ exemplis petita seruitur.*

904 Sic constituta Christi Solis appellatione, monstrandum superest, quod receperam; nempe dimissis tribus aliis illius expositionibus quas profert Quiros in cap. 4. Malachiæ num. 2. illam peti ex eo quod Christus Ecclesiæ & sanctis omnibus tanquam Lunæ & astris minoribus exemplo præluceat, ad omnem sanctitatem atque iustitiam. Colligere id in primis licet ex S. Paulino Epist. 2. ad Ausonium, siue Carm. 10. vbi cum dixisset, Deum esse veri boni fomitem ac fontem, quem nemo nisi in Christo videt, subdit.

*Hic veritatis lumen est, vitæ via*
*Vis mens, manus, virtus Patris,*
*Sol æquitatis, fons bonorum, flos Dei.*
*Natus Deo, mundi sator;*
*Mortalitatis vita, nostra & mors necis;*
*Magister hic virtutum.*

Vides quid vocet *solem æquitatis*, siue *Iustitiæ*. Non aliud planè quàm esse virtutum Magistrum, quod Christus tota vita sua abundè præstitit; non tam de virtutibus disserendo in actu signato, quod parum fecit, & ita vt pleraſque virtutes vix attigerit; quàm præclara & luculenta earum exempla obiiciendo hominibus, quæ imitatione exprimentes, splendere Spiritualiter, & diuina luce perfundi queant. Eodem sensu idem Paulinus Epist. 38. Christum nominat *veri luminis fomitem*, Pulchrè Gregorius Nyssenus lib. de perfecta Christiani forma. [Christum (inquit,) esse lucem veram, & à mendacio remotissimam considerantes, discimus vitam quoque nostram veræ lucis radiis tractari oportere. Solis autem iustitiæ radij, sunt illæ virtutes, quæ ad nos illuminandos emanant, vt abiiciamus opera tenebrarum, & tanquam in die honestè ambulemus, & repudiantes abscondita turpitudinis, atque omnia in luce facientes, ipsi quoque lux euadamus, & quod proprium est lucis, aliis per opera splendeamus.] Quod Christi virtutes, eiusdem vt Solis mystici radios statuit, aptissimè cadit in rem præsentem. Nec refragatur Zeno Veronensis serm. 3. de Natiu. Dom. cum radios Christi Solis, ait esse Apostolos. Id enim tantùm pertinet ad summam Apostolorum à Christo dependentiam ostendendam; saluo internis Christi virtutibus iure potiore ad eam denominationem.

Hoc esse matutinum in quo Dauid omnes peccatores terræ interficiebat, ait Origenes ho. 8. in Iosue *in fine*. [Siue (inquit,) ciuitas Domini Ecclesia Dei viuētis accipitur, eiiciūt Doctores de Ecclesia, & interficiunt eos qui operantur iniquitatem, contrarios Dæmones aduersariasque virtutes, qui cogunt homines ad peccatum, docendo, instituendo, & occultata in diuinis literis ex locis talibus in qualibus nunc sumus, mysteria reserando: siue ciuitatem Domini vniuscuiusque nostrūm animam intelligamus, quæ ædificatur à Domino ex lapidibus viuis, idest ex virtutibus variis & diuersis; de ipsa quoque ciuitate, sanctus quisque & diligens eiiciet peccatores, idest cogitationes pessimas, & cupiditates prauas interficiet in matutino. Iustus enim dicit, *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.* Quod est istud matutinum nisi Dominus noster Iesus Christus, qui est lux vera, & exoriens in cordibus nostris, atque illuminans ignorantiæ nostræ tenebras, & huiusmodi, nobis mysteria reuelans, facit nos in suo lumine videre]

*Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.*

Idem præclare ibidem hom. 16. *initio*, qui sint dies à Christo Sole procreati, ad hunc modum aperit, accommodatè ad præsens negotium. [Arbitror quod sicut Sol iste dies facit mundo huic, ita & Sol iustitiæ faciat aliquot dies spirituales, qui fulgore veritatis & lampade sapientiæ illustrentur. Si quis ergo in præceptis Dei vitam hanc præsentem, quæ (sicut Iacob dicebat,) paucorum & malorum dierum est, transegerit, & immaculatum se ab hoc mundo custodierit, atque omnes aduersarios, & hostes suos subegerit spirituales ab istis paucis & malis diebus, proficitur & promouetur ad illos dies æternos & bonos, æterni Solis luce signatos.] Videris præterea quæ habet hom. 3. in Psal. 36. de diebus charitatis, veritatis, & iustitiæ, ad illud, *nouit Dominus dies immaculatorum.* Idem hom. 1. in Psal. 38. ad illud, *& numerum dierum meorum* sic scribit. [Sicut in hoc cœlo, Sol exortus, & vniuersum mundum illustrans, diem facit, ita & in corde iusti, quod pro constantia & firmitate, Dei firmamentum meritò appellatur, si exoriatur Sol iustitiæ Iesus Christus, & illuminet eum lumine scientiæ veritatis diem facit in corde eius.] Idem habet homilia, 1. in Iudic. *initio*. Exoritur autem alicubi Sol Iustitiæ Christus, cum exemplis virtutum suarum prælucet ad bonum. Accedit ad hæc Origenis dicta quod S. Gregorius, scribens annum illuminationis nostræ, & coronam benignitatis anni à Deo benedicti, lib. 4. moral. cap. 22. ad illud, *non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus*: menses in eo illuminationis anno, ac dies, statuit esse; Dies quidem singulas quasque virtutes, illuminante Sole Iustitiæ procreatas; menses autem multiplicia facta virtutum, quibus noctes malo nostro succedunt, cum tenebrosa confusio malorum quæ admittimus lucem virtutum caligine suffundit: Quod ne sibi in extremo Iudicio, vitio verteretur, exposebat Iob verbis propositis, interprete S. Gregorio.

905 Verùm quomodo exemplis virtutum Christi, vt luce Solis Iustitiæ, dirigamur ad omnem sanctitatem, tradit insigniter S. Augustinus 7. seruit. cap. 3. vbi præmittit, Christum esse lumen de Patre lumine: lumen verò non corporale, sed spiritale; neque ita spiritale, vt illuminatione factum si, (quale lumen sunt Apostoli,) sed lumen primigenium quod eum ab æterno, lumen in se esset inexhaustum, nobis in tempore factum est lumen, ad quod conuertere-mur velut ignes minores ad Solem nostrum, filium boni, (quo pacto Solem Plato appellabat,) & viuam ac expressam Dei imaginem: subdit post hæc S. Augustinus. [Cuius imaginis exemplo & nos non discedamus à Deo, quia & nos imago Dei sumus; Non quidem æqualis, facta quippe à Patre per filium, non nata de Patre sicut illa. Et nos quo illuminamur lumine, illa verò quia lumens illuminans; & ideò illa sine exemplo nobis exemplum est. Neque enim imitatur

imitatur præcedentem aliquem ad Patrem, à quo nunquam est omninò separabilis, quia idipsum est, quod ille de quo est. Nos autem nitentes imitamur manentem, & sequimur stantem, & in ipso ambulantes tendimus ad ipsam: quia factus est nobis via temporalis per humilitatem, quæ mansio nobis æterna est per diuinitatem. Quoniam quippè spiritibus mundis intellectualibus, qui superbia non lapsi sunt in forma Dei, & Deo æqualis & Deus præbet exemplum, vt se idem exemplum redeundi etiam lapso præberet homini, qui propter immunditiam peccatorum pœnámque mortalitatis Deum videre non poterat, semetipsum exinaniuit, non mutando diuinitatem suam, sed nostram mutabilitatem assumendo: & formam serui accipiens venit ad nos in hunc mundum, qui in hoc mundo erat, quia mundus per eum factus est: vt exemplum sursum videntibus Deum, exemplum deorsum mirantibus hominem exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad conualescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum esset, in omnibus ipse primatum tenens. Quia enim homo ad beatitudinem sequi non debebat nisi Deum, & sentire non poterat Deum, sequendo Deum hominem factum, sequeretur simul, & quem sentire poterat, & quem sequi debebat.]

Non potuit luculentiùs exponere, quomodò Christus Sol iustitiæ, prælucens nobis exemplo virtutum omnium, vt eum sequentes non ambulemus in tenebris, sed lumen vitæ habeamus: quod Christus ipse de se dixit; apertè insinuans illuminationem illam mundi quam Christus sibi tribuit, non tam ad speculatiuas notitias digi (etsi ad has quoque,) quàm ad practicas, exercitationémque virtutum, per earundem insignia facinora præmonstrata, veluti lucem fulgentissimam, post quam ambulare, non sit operosum. Ea enim ambulatio & sequela Christi, imitationem eius; & expressionem exemplorum ab illo exhibitorum, insinuat apertissimè Idque esse ambulare per tergum Dei, non ante faciem eius, vt Mosi dictum fuerat, scribit Nyssenus l. de vita Mosis declarans quid sit Mosem vidisse posteriora Dei.

### *Vsus Doctrinæ de Christo Sole Iustitiæ.*

906 Sic Soles Iustitiæ efficimur, per Christum Solem, ad quod astringi Christianos, S. Chrysostomus hom. 4. in 1. Cor. *in Morali*, in hunc modum tradit. [Exhibeamus rectas vitæ gerendæ actiones, virtutísque ignem copiosum accendamus. *Estis enim*, (inquit,) *luminaria in medio mundo lucentia.* Maiorem vnicuique nostrum Deus tradidit vsum, quàm Soli, maiorem quàm cœlo, & terræ, & mari; & eo maiorem quo præstant spiritualia sensilibus. Quando ergo orbem Solis aspexerimus, & astri pulchritudinem, corpúsque & decorem ac alacritatem admirati fuerimus, rursus consideremus esse maiorem quæ est in nobis lucem: sicut etiam grauiores & molestiores tenebras, nisi attendamus. Nam nox profunda, occupat vniuersum orbem terræ. Nox est non solùm in Hæreticis & Græcis seu Ethnicis, sed etiam in multis apud nos & propter dogmata, & propter vitam. Multi enim resurrectioni non satis credunt: multi Genethliacis multùm tribuentes, iis quæ de suo ortu dicunt, nituntur: multi obseruationes quasdam obseruant, sortibúsque & augurijs signísque & omnibus: alij etiam vtuntur amuletis & incantationibus.]

Sumus ergo iustitiæ Soles per Christum Solem in nobis expressum, & eius veluti Parelia. Nec mireris, hoc Christi attributum nobis communicari aliqua ratione. Audi S. Basilium ho. de pœnitentia. [Axiomata sua IESVS, largitur aliis. Largitur autem ea non euacuatis, sed nihilominus habẽs. Lux est. *Vos estis lux mundi*; inquit. Sacerdos est & facit Sacerdotes. Ouis est, & dicit: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Petra est, petram fecit. Quæ sua sunt largitur seruis suis. Argumentum hoc est opulenti; habere videlicet, & alij dare. Vetùm qui apud nos diuites sunt, vbi sua largiuntur aliis, quæ habent imminuunt. Diuites enim non sumus. Nam aliena possidemus. Christus verò ita dives est, vt quantum aliis elargitur, tantum nihilo secùs ipse dives permanet. Est enim instar fontis perpetuò fluentis. Quantocunque hauseris, non tamen riuus illius minuitur.]

907 Quam indignum est, plerosque mortalium diligere magis tenebras quàm lucem, & cum deberent exemplis virtutum omnium, tanquam vestigiis per Christum pressis insistere, malle tamen abiecto Sole, cicindelas, mundanorum iudiciorum consectari, aut in lumine ignis sui ambulare. Expostulat grauiter & meritissimò de hac tanta cæcitate & indignitate, Celsus ille, qui in altercationem Iasonis & Papisij abs se Latinè factam, præfatur apud Cyprianum. [Palam cunctis (inquit,) sicut ipse prædixit, apparuit, & sedentibus in tenebris manifestum vitæ lumen effulsit & iustitia: perfidorum pectus obsessum postposita propria ac reiecta salute, tenebras potùs cæcitate cordis elegit. Frequentatur vbique atque manifestatur prophetatio cunctorum, qui sancto Spiritu præmonente, aduentus Domini metatores esse fortiti sunt. Hoc lumen sæculo datum, & diem nobis salutis exortum, vinificandis quoque in eum credentibus destinatum. Docet hoc in Psalmis Spiritus sanctus, & ostendit dicens; *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli. A Domino factum est istud, & est admirabile in oculis nostris. Ipse dies est quem fecit Dominus, ambulemus & incundemur in eo.* In hoc die nos ambulare, Paulus quoque Apostolus præcipiens & docens ac præmonens dicit; *Nunc enim propriùs est nobis salus quàm cum credidimus: nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo operatenebrarum, & induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus*, ideſt, in Christo & mandatis eius, cuius lumine ac monitis luminati, & in claritate diei eius inuenti, proximam nobis salutem, credulitatis in eum mente conspicimus. Solem quoque esse Christum cunctis timentibus eum, Malachias Propheta testatur, & promittit dicens; *Vobis autem timentibus nomen meum orietur Sol Iustitiæ & sanitas in alis eius*; ostendens ex nullo nobis salutem posse conferri, nisi in passione Crucis eius, qua extendit manus, cuncta sæculi Saluaturus.] Has tenebras quas mortales consectantur, Lu[illegible] esse à Lucifero qui manè oriebatur defi[illegible], & orientem appositum orienti illi qui se lucem mundi dixit,

dixit, notauit pulcherrimè Origenes hom. 15. in Num. ad illud, *de montibus orientis*.

Fugiamus hanc insidiosam lucem, assectemur verò synceram, a[illegible]us mentis oculum ad cœlestem Epiphaniam, & conspectum Solis iustitiæ. [Si quis diligit, (ait S. Chrysostomus hom. 9. in 2. ad Timoth.) aduentum eius, omnia aget, vt ipsum ad se inuitet & habeat, vt illi perpetuum luceat lumen, nihil in nobis resideat præsentia tantæ maiestatis indignum; & continuò ad nos veniet, nobiscúmque morabitur. Dicitur autem aduentus iste Græco vocabulo ἐπιφάνεια, quod scilicet appareat desuper, ac supernè oriatur. Inquiramus ergo quæ sursum sunt, & radios illos celeriter ad nos attrahemus: nullus qui ad inferiora defigat obtutus, ac seipsum in humum suffodiat, Solis lucem aspicere poterit. Nemo qui seipsum sæculi negotiis inquinat, intendere aciem valebit in liquidissimum iustitiæ Solem; nulli ex his lucis suæ l[illegible]er gratiam, qui in hisce versatur: respice parumper, & ex huiusmodi profundo, atque ex sæculi turbine & tempestate te recipe, si Solem intueri cupis, si superni aduentus gratiam appetis: si hoc interim suauissimo fruaris aduentu, magna postmodùm fiducia illum aspicies.] Ne abutamur beneficio nobis oblato præ antiquis; qui idcircò dicti sunt *abortiui*, quia non viderunt lucem. Expositio est S. Greg. 4. mor. c. 37.

### *Christum esse fidei Autorem & consummatorem, idem quod esse Solem Iustitiæ.*

908 Vt quod exequendum postremò receperam, planum faciam, Christum eadem ex causa ex qua hactenus monstratum est, eum dici Solem Iustitiæ, dictum quoque esse ab Apostolo Hebr. 12. autorem & consummatorem fidei; assumendum est ex D. Augustino 11. Ciuit. c. 2. & lib. 1. de Consensu Euang. c. 35. quorsum à nobis fides quæratur, & quomodo in nobis per Christum sit consita. [Quapropter (inquit, hoc secundo loco,) cum sit ipse Christus sapientia Dei, per quem creata sunt omnia, cúmque nullæ mentes rationabiles, siue Angelorum siue hominum, nisi participatione ipsius sapientes fiant, cui per Spiritum sanctum, per quem charitas in cordibus nostris diffunditur, inhæremus, quæ Trinitas vnus Deus est: consultum est diuina prouidentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus & occidentibus occupata tenebatur, vt eadem ipsa Dei sapientia ad vnitatem personæ suæ homine assumpto, in quo temporaliter nasceretur, viueret, moreretur, resurgeret: congrua saluti nostræ dicendo, & faciendo, patiendo, & sustinendo, fieret & deorsum hominibus exemplo redeundi, & eis qui sursum sunt Angelis exemplum manendi. Nisi enim & in animæ rationalis natura temporaliter aliquid oriretur, ideſt, inciperet esse quod non erat, nunquam ex vita pessima & stulta ad sapientem atque optimam peruenirent. Ac per hoc cum rebus æternis contemplantium veritas perfruatur, rebus autem ortis fides credentium debeatur, purgatur homo per rerũ temporalium fidem, vt æternarum percipiat veritatem. Nam & quidam eorum nobilissimus Philosophus Plato, in eo libro quem Timæum vocant, sic ait. Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. Duo illa sursum sunt, æternitas & veritas: duo ista deorsum; quod ortum est, & fides. Vt ergo ab imis ad summa reuocemur, atque id quod ortum est recipiat æternitatem, per fidem veniendum est ad veritatem. Et quia omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquod medium reducuntur, ab æterna iustitia temporalis iniquitas non alienabat. Opus ergo erat media iustitia temporali, quæ medietas temporalis, esset de imo mixta & summis; atque ita se nec abrumpens à summis, & contemperans imis, ima redderet summis. Ideò Christus mediator Dei & hominum dictus est inter Deum immortalem & hominem mortalem, Deus & homo, reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat. Ipse est nobis fides in rebus ortis, qui est veritas in æternis.] Ex hoc D. Augustini discursu, habemus fidem esse homini viatori necessariam, vt purgetur, & redeat ad Deum veritatem æternam; ad quem reditum sine offendiculo capessendum, Christus viæ autor & dux præiuit; vniuersa quippe sua vita, & claris per eam actionibus, exemplum redeundi & temporale medium nobis est factus; ita docens & prælucens verbo, vt simul factis & exemplis, quæ dicebat & docebat firmaret ipse; ne quis doctrinæ impossibilitatem, vel difficultatem insuperabilem, causaretur.

909 Hoc ipsum est quod Apostolus voluit, cum Christum autorem fidei & consummatorem vocauit. Quod enim creditus Anselmus rectè vidit, & ex textura capitis perspicuum est, scopus Apostoli eo loco erat, Hebræos ad Christum conuersus firmare, ne aduersis frangerentur: Hanc quippè esse certam, & regiam salutis viam, spinosam licet, & dumis ac rubis obsitam, quam Moses & omnes retrò Patres inuiissent: alij ludibria, alij verbera, carceres alij, etiam sertas & lapides, & gladios constanter passi, quamuis ij veri essent, quibus dignus non erat mundus. *Ideóque & nos* (inquit Apostolus,) *tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta: Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùs semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Exemplis sanctorum, subnectit omnium potentissimum exemplum Christi, qui cum esset innocentissimus & piissimus, ab impiis tanta passus est, tam dura tamque indigna tolerauit, exemplo formans quod verbo docuerat; & excipiens patienter, sicut doctrina eius fert esse patiendum.

Itaque fecit Christus quod docuit, nec tantùm fuit autor siue princeps fidei nostræ, ideſt magister obiectorum fidei ad mores & patientiam spectantium, sed etiam consummator & executor. Quod enim *fidem* pro fidei obiecto in hoc Apostoli loco, non pro actu fidei, aut habitu sumi volo, conforme est aliis plerisque locis, quibus fides similiter pro re credita & sub fidem cadente sumitur, vt apud Iudam cum hortatur Christianos, vt supercertent semel traditæ sanctis fidei; Et apud Apostolum ad Galatas 1. cum ait, fidem Christianam Euangelizari; Ac

denique apud S. Athanasium, cum in Symbolo ait, hanc esse fidem Catholicam, quam in suo Symbolo de Trinitate & Verbi Incarnatione expresserat. Similiter ergo hoc loco, Christus fidei autor & consummator dicitur, quatenus doctrinam fidei de patientia quam verbo tradiderat, suo quoque exemplo roborauit, patiens sicut docuerat patiendum. Et ita Apostolum intellexit S. Gregorius 21. Mor. cap. 6. sic scribens in illud *appendat me in statera iusta.* [Quis *stateræ* nomine, nisi mediator Dei & hominum designatur? In quo æqua lance omnia merita nostra pensantur, & in cuius præceptis agnoscimus, quid in nostra vita minùs habeamus. In hac autem statera appendimur, quoties ad vitæ eius exempla prouocamur. Hinc namque scriptum est; *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non maledicebat: dum pateretur, non comminabatur.* Hinc per Paulum dicitur; *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Ad hoc itaque Dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.

### *Alia notio autoris & consummatoris fidei, apud Augustinum.*

910 Non me latet, D. Augustinum l. de prædest. SS. cap. 15. aliam innuere huius Christi attributi significationem. Probans enim fidem nostram actualem esse ex Deo, nec retribui meritis quod per fidem regeneremur, præmittit exemplum Christi, quem negat esse prædestinatum Dei filium per merita sua. Subdit verò. [Sic & nobis vt ex aqua & Spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum: & si nos ad lauacrum regenerationis fides duxit, non ideò putare debemus, priores nos dedisse aliquid, vt retribueretur nobis regeneratio salutaris: ille quippe nos fecit credere in Christum qui nobis fecit in quem credimus Christum: ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Iesum, qui fecit hominem principem fidei & perfectorem Iesum; sic enim est appellatus, (vt scitis,) in Epistola quæ est ad Hebræos.] Videtur. D. Augustinus, Christum autorem & consummatorem fidei intelligere, quia est in nobis causa fidei, & primæ, & cuiusuis initij ac rudimenti eius, non autem duntaxat consummationis; contra quàm ferebat hæresis semipelagianorum quos D. Augustinus eo libro exagitat.

Indiuiduus certè D. Augustini assectator Fulgentius lib. de Incarn. & gratia Christi cap. 20. ita planè accipit hunc Apostoli locum, & sic ex eo argumentatur, vt planè videatur propositum D. Augustini locum expressisse. [Vita nostra (inquit,) à fide sumit initium, quia iustus ex fide viuit. Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per Spiritum sanctum vnicuique dari, Beatus Paulus ostendit, dicens; *Alij quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu.* Non ergo Spiritum sanctum, quia credimus, sed vt crederemus, accepimus. Forma enim præcessit in carne Christi, quam in nostra fide spiritualiter agnoscimus. Nam Christus filius Dei secundùm carnem de Spiritu sancto conceptus & natus est. Carnem autem illam, nec concipere Virgo posset aliquando, nec parere, nisi eiusdem carnis Spiritus sanctus operaretur exortum. Sic ergo in hominis corde nec concipi fides poterit nec augere, nisi eam Spiritus sanctus infunder & nutriat. Ex eodem namque Spiritu renati sumus, ex quo natus est Christus. Eodem igitur Spiritu Christus formatur secundùm fidem in corde vniuscuiusque credentis, quo Spiritu secundùm carnem formatus est in vtero Virginis. Ideò Propheta ex persona fidelium clamat ad Dominum; *Propter timorem tuum Domine in vtero concepimus & parturiuimus, Spiritum salutis tuæ fecimus super terram.* Sicut autem non solùm priusquàm Virgo Maria Christum conciperet, sed etiam priusquàm se concepturam agnosceret, gratia plena Angeli voce nuncupata est, cum nulla eius præcederet concipiendi filij Dei vel cognitio, vel voluntas, vt agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens voluntas Virginis quàm conceptio Domini Saluatoris; Sic homo priusquàm credere velle inciperet, gratia donantis infunditur cordi, vt incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in vnoquoque formatur, ipse se formar, quia ipse fidem in corde vniuscuiusque credentis initiat. Propterea in Epistola quæ ad Hebræos scripta est, admonemur; *vt aspiciamus in autorem & consummatorem Iesum*: qui proculdubio sic est autor fidei nostræ cum ipse fidem non habentibus donat; sicut est eiusdem fidei consummator, cum eam in habentibus augendo multiplicat, & sancta operatione consummat. Dicit enim B. Apostolus, *quia fides Abrahæ Patris nostri, ex operibus consummata est.* Autor est ergo fidei nostræ consummatorque Iesus, quia ipse operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.] Manifestè Fulgentius expositioni loci Apostolici ex D. Augustino prolatæ suffragatur vt scilicet voluerit Apostolus, fidei nostræ actum à Christo initium & fidem sumere, vt à causa sua prima & consummatiua. In quem sensum, eundem locum vsurpant plerique Scholastici argumentantes aduersùs Pelagianos. Vnde expositio tanto suffragio munita, repudianda non est. Ea tamen quam proposuimus, videtur texturæ capitis accommodatior; nempe quod Christus eam ipsam seruanda patientiæ fidem atque doctrinam, quam verbo docuit, exemplo item suo & factis expresserit.

911 Cadit perbellè hac ratione in Christum; quo de templi euersi instauratore Zorobabele lapidem stanneum manu præferente, habet Zachatias cap. 4. *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam, & scietis quia Dominus exercituum, misit me ad vos. Quis enim despexit dies paruos? Et lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.* Fuisse Zorobabelem figuram Christi, cum alia pleraque demonstrant, tum illud quod notatum est à Niceta ad Orationem 44. Nazianzeni. Nimirum quod sicut Zorobabel non abductus captiuus, sed tamen ex captiuis Babylone editus, populi Dei redemptor fuit, ita Christus

stus nulla inquinatus labe peccati, populum Dei ab exitiali Satanæ imperio in libertatem veram vindicauit. Verus hic Zorobabel, fidei Christianæ autor & consummator est: propterea que fundasse & perfeciſſe dicitur domum Dei, & vt fundamenta illa fidei non intelligantur tantùm facta per doctrinã à Christo disseminatã, sed etiã per executionẽ doctrinæ morũ, disseminatæ per Christum; attendendum est ad lapidem stanneum in manu Zorobabel. Est enim lapis ille fides de Christo, vt Nicetas conceptis verbis exponit. Nec repugnat, quod præmiserat, lapidem illum stanneum, esse ipsum Christum, rectè compositum cum stanneo lapide, ob mixturam plumbi & æris; quarum materiarum altera durissima & firmissima, altera verò mollis & flexilis; sicut Christus ex duplici natura compingitur quarum vna immutabilis est, altera mollis & affectibus ac alterationibus obnoxia, præter vim purgantem, & à combustione protegentem alia metalla insita stanno, quæ bellè quoque in Christum cadit, vt Nicetas tangit, & plenius tradit S. Hieronymus Zach. 4. & 5. Cyrillus l. 3. de adorat. *in fine*, de quo nos inferiùs. Quid inquam Christus stanneo illi lapidi conferatur iuxta. Nicetam, non dissidet ab eo quod subdit, lapidem illum esse ip am fidem de Christo. Num res fidei obiecta, rectè dicitur *fides*, vt circa locum Apostoli proximè propositum notauimus. Christus ergo cum sit primarium obiectum materiale fidei, optimè appellatur *fides nostra*: sed illa ipsa fides qua in Christum credimus, & quæ à Christo sunt reuelata confitemur, fuit in manu Zorobabel. Neque enim Christus, ea quæ docuit facienda, alibi habuit quàm in manu, sed in intellectibus manuum suarum deduxit nos. Vnde quod Theodoretus in Psal. 39. rectè considerat, ad illud *sacrificium & oblationem noluisti*, recusanti Ioanni dexteram super Christi caput tollere, reposuit Christus, sic dicere vt impleretur omnis iustitia; eo quod iustissimum censeret, humilitatem quam verbo docturus erat, factis primùm & exemplo plantare. Atque ita vides, hoc quod est Christum esse fidei autorem & consummatorem, iuxta Apostolum; idem prorsus esse, ac Christum esse Solem Iustitiæ, & lucem mundi: quia scilicet non solùm illuminauit orbem, docens quæ recta & iusta sunt, sed etiam præluxit exemplo.

Nimirum non fuit Christus de numero illorum Doctorum qui dicunt & non faciunt: qui alligant onera grauia & importabilia super humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere: Quales scribæ erant & Pharisæi, vnde in nullo pretio erant apud Iudæos, quia dicta factis deficientibus erubescebant, vt Tertullianus loquitur. Non fuit Christus de numero Doctorum illorum buccarum tenus, quos Etnici quoque deridebant, & *Glossaria mortuaria* nominabant. Videsis quæ refero in Prolog. ad Moralem, cum de Magistro morum.

### *Vsu doctrinæ de Christo fidei Autore & consummatore.*

912 Et vtinam desiisset inter Christianos illud Magistrorum inutile pondus, & imbelle genus. Qui tamen digni sunt, Doctorum Christianorum appellatione, meminisse debent, sibi quoque dictum esse, *vos estis lux mundi* de quo S. Cyrillus in c. 49. Isaiæ & optimè Orig. hom. 1. in Iudices, monstrans Apostolos & Apostolicos viros, cum sint sub Christo Soles, debere suos in aliis dies efficere indeficienter. Nam arctans illud, *Seruiuit populus Domino, omnibus diebus* IESV, *& seniorum qui fuerunt post* IESVM, sic ait. [ Seniores qui vel cum IESV, vel post IESVM fuerunt, qui sunt nisi Apostoli, qui & ipsi scriptis & præceptis suis, illuminant corda nostra, & faciunt etiam ipsi dies quosdam in nobis, ex illa luce quam ipsi ex vera luce participati sunt, venientes? Qui ergo illuminatur & instruitur ex Apostolorum præceptis, & ad seruitium Domini, Apostolicis regulis instruitur, iste est qui seruire dicitur Domino, in diebus seniorum qui fuerunt per Iesum. Vis autem videre, quia sicut Saluator erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ita & Apostoli lux erant mũdi? In Euangelio scriptum est, dicente Domino ad eos, *Vos estis lux mundi*. Quod si etiam Apostoli lux sunt mundi, sine dubio per præcepta & mandata sua, illuminant nobis dies, in quibus Domino seruiamus. ] Idem de viris Apostolicis dictum esto, cuiusmodi sunt in Ecclesia Dei, Doctores omnes legitimi; ac proinde omnes tenentur, esse Soles, & illucere orbi terrarum, præstantes operibus quod verbis enunciant. Quod si lumen quod in Ecclesia est, tenebræ quantæ erunt? Si inquam ij per quos Christiana doctrina firmanda est, depreciant illam malis exemplis diserti contra semetipsos, quam densa caligo operiet orbem terrarum? Tales, alia comparatione adhibita, vocantur à Christo sal infatuatum; quorum damnatio iusta est, quia cum alios condire deberent, malis exemplis infatuant, & virtutis saporem ab eis eliminant. Itaque iustissimè mittentur foras, & conculcabuntur ab hominibus, tanquam ad nihil vltra valentes. Petrus Damiani in horum insectatione egregiè laborat serm. de S. Stephano Papa, & totidem verbis serm. de S. Anastasio, monstratque huiusmodi, esse filios Ephrem conuersos in die belli, quamuis in pace intendant & mittant arcum. Addit eos peccare contra illud Domini præceptum Deuter. 20. quo Sacerdos concionaturus ad milites, iubebatur stare ante aciem, vt præuius ipse antecedat quos ad pugnandum adhortationibus prouocat. Subdit quoque tales ei se maledicto subiicere, quo feriuntur qui habent pondus duplex, & stateram dolosam, quandoquidem quæ alios docent facere, exequi refugiunt. Hæc omnia sub diuersis imaginibus, idem ferunt; quod dicebamus, de cauenda tenebricositate iis qui iubentur esse Soles iustitiæ & lumina mundi. Idem Petrus Damiani lib. 4. Epist. 15. Pulchrè in hanc rem disserit his præter cætera. [ Curandum est Rectoribus Ecclesiarum, vt filios generent in Israël & non qualemcumque, sed virilis sexus sobolem nutriant, quæ videlicet ad præliandum bella Domini, fortiter conualescat. Quisquis enim per iniunctæ prædicationis officium, ad pugnandum alios incitat sed ipse non pugnat, illi similis est qui buccinæ clangoribus obstrepit, sed congredi cominus non præsumit. Hic itaque non virilem generat sexum cum sit pater ignauus. Quem profectò Salphaat ille signauit, qui non filium sed quinque filias moriens dereliquit. Salphaat siquidem

dem interpretatur, *vmbra in ore eius*. Quisquis enim fortia prædicat & eneruiter viuit, ne turpis appareat, quasi sub foliis se honesti sermonis occultat. Sub vmbra se propri oris abscondit, dum in campum certaminis per sui torporis ignauam non procedit. Hic itaque quantum ad se, non ibidem, sed muliebrem sobolem, & hanc sub quinario numero generat, dum sequaces suos non ad robur spiritualis audaciæ, sed ad ortum educat ignobilis vitæ.] Plura in hanc rem in dissertatione de Verbi Dei Tractatione non hæteroclita.

## CAPVT V.

### *Christus Mediator Dei & hominum; Pax nostra, qui fecit vtraque vnum?*

NOMEN *Solis iustitiæ* de quo proximè actum, alia quoque ratione cum nomine *Mediatoris* recurrente, in Christum cadit. Auanum aperit Anastasius Sinaita lib. 4. Hexaëm. *in ipso fine*; Conferens enim opus materiale quartæ diei, cum opere mystico diei quartæ in Cosmopœia spirituali, quam prosequitur; Solem qui quarto die in mundi natalibus est creatus, confert cum Christo: quartam verò diem, quippe mediam cosmopiæ, respondere ait cum Christo Sole Iustitiæ, qui eductus à Deo est medio tempore; hoc est [in quarto millenario, qui est medius dies seculi: quomodò etiam in initio creationis, quartus dies fuit medius septem dierum. Propterea in eo fuit præfiguratus Sol iustitiæ, mediator Dei & hominum, & medius, vt Dominus tam eorum quæ cadunt sub aspectum, quàm eorum quæ non cadunt: & medius Patris & Spiritus sancti, & intermedius lapis angularis duorum populorum. Qui etiam in cruce fuit in altum sublatus in medio duorum latronum, & fecit salutem in medio terræ cum esset medius dies.] Quare ad considerationem Christi, provt mediatoris accingamur.

### *Mediationes impropriæ, dimissæ.*

913 Mediatorem porrò hîc accipio propriè, non ea duntaxat ratione, quam tradit S. Cyrillus lib. 3. de ador. nimirum pro gubernatore & protectore, qui medius incedat inter suos clientes & eorum aduersarios, prohibens hostes incursione, suas verò tegens ac viuans. Est quidem Christus, hac quoque ratione mediator; rectéque S. Cyrillus, ad Christum hoc modo spectatum accommodat illud de columna nubis sublata, & Ægyptios inter ac Hebræos, per totam noctem interposita. Sed non est hæc illa propriè dicta *Mediatoris* notio, quam quærimus. Vt neque illa quæ peti potest ex Gulielmo Parisiensi lib. de monibus cap. 3. cum ait, in Dei Logica nullum esse medium siue argumentum validius, ad bene syllogizandum atque probandum quidlibet, vel contrarias obiectiones elidendas, quàm Christi mortem. Christus quidem, hoc item modo, est Mediator. Nos tamen nunc aliam mediationem eius attendimus. Quanquam video non fore operosum, hanc mediatoris notionem reducere ad propriam mox proponendam. Quod intelligi potest ex alio eiusdem Gulielmi loco, nempe ex Lcur Deus homo cap. 7. *ad finem*, vbi ita habet. [Per Dei sapientiam, Diabolo qui concluserat omnia sub peccato, concludendum fuit conclusione confusionis perpetuæ, & fuit Syllogizanda maior extremitas, scilicet Deitas de minore, scilicet de homine; & non tam inferenda vita argumento huiusmodi, quàm etiam confetenda. Non enim solummodò inferenda erat neganti vel dubitanti homini Deitas, sed etiam conferenda eodem modo quo illum eam recipere fas fuit. Medium ergo terminum huius syllogismi, sic oportuit inter duas extremitates esse, vt maior de illo prædicaretur, & ipse de minore; quod est dicere, quod Christus est Deus & quidam homo est Christus. Per hoc medium, Deitas homini non tam illata est, quàm etiam collata, & conclusum est morti atque Diabolo.] Vides mediationem illam syllogisticam, extrahi à Gulielmo, ab impetrandi per Christum efficacitate quò primùm fuerat adhibita, & accommodari ad mediationem qua per Christum mors elisa est, & Satan mortis autor prostratus: quod pertinet ad germanam illam mediationis Christi notionem, de qua hîc est agendum, etiamsi provt sub illis terminis proponitur, non planè perspiciatur, sed lux aliqua superfit affundenda, quod sic præsto.

### *Vera mediatorii notio, per sublationem dissidiorum, Deum inter, & homines, intercedentium Christo vendicata.*

914 Intercedebant homines inter ac Deum, inimicitiæ capitales, partim Adami peccato excitatæ, in quo omnes mortui sunt & à Deo abalienati; partim quoad plerosque rationis compotes, subortæ ex peccatis quibus maiestatem diuinam ingratis simè violarant. Iniquitates enim nostra diuidere, inter nos ac Deum, contestatur Scriptura. Eadémque, hominem ideirco à Deo fugere peccando docet: quod planè est, hominem fieri inimicum Deo per peccatum. [Deum enim fugere, (ait S. Chrysost. hom. 11. in ad Phillij *(in morali)* non fit loco, (nam vbique est,) sed operibus. Etenim loco quidem ab eo discedi non posse, audi Prophetam dicentem, *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Quomodò igitur pote est à Deo fugere? Eodem modo, quemadmodùm pote est procul à Deo proficisci, ac longè abesse. *Qui se elongant*, (inquit,) *à te peribunt.* Et rursus. *Nonne iniquitates vestræ diuiserunt inter me & vos?* Quomodò igitur fit iste longinquus discessus? & quomodò intercedit interuallum? Electione & animo. Loco enim pote non est. Quomodò enim quis ab eo, qui vbique adest, fugiat? Peccator igitur fugit. Hoc est quod Scriptura inquit. *Fugit impius nemine persequente.* Valdè fugimus Deum, tametsi semper ille sectatur nos. Apostolus cursum suum eò intendebat, vt propè ad illum accederet: nos eò intendimus, vt procul discedamus. Ergo non hæc digna lamentis? Quò fugis infelix, & miser? quò fugis à vita, & salute tua?

Si

Si à Deo fugias, ad quem confugies? Si à luce fugias, quò respicies? Si à vita fugias, vnde post hac viues? Fugimus hostem salutis nostræ. Quum peccamus, à Deo fugimus: fugitiuorum more erramus; ad alienam abscedimus terram, quemadmodùm ille, qui comederat paterna bona, & abierat in alienam terram.]

Odimus ergo Deum, peccando, & ab eo auertimur, vicissimq; Deus adit nos. Nam quomodò non oderit Deus, cum à quo per summum scelus, tam perfidè abiicitur, pro re tantula; ideſt pro gutta suauitatis, innumeris amaritudinibus infosa? Si Deus summè sanctus ac bonus iniquitatem non potest non auersari, necessarium prorsus est, vt homini iniquitatem admittenti, fiat inimicus. Quod recte considerans Lucifer Calaritanus lib. 1. pro sancto Athanas. ita alloquebatur Constantium Imperatorem, suadentem aduersari mandatis Dei. [Quid est aliud, dicere, fac quod Deus fieri prohibuit, nisi estote inimici Deo, acquirite vobis Diabolum amicum, date operam ne consequamini paradisum, ne denique regnum cœlorum quod vobis promisit si mandata eius seruaueritis Deus amate inferna, diligite stagnum ardentem, desiderate esse cum omnibus qui sunt semper dantes pœnas, desiderate dici homines Diaboli.] Cum igitur præter illud vniuersale naturæ peccatum quod omnes Deo exosos fecerat, multorum insuper grauium actualium peccatorum superpondium in plerisque accessisset, intercedebant Deum inter & humanum genus inimicitiæ, quibus tollendis, & cociliandæ paci, necessaria fuit persona quæ poneret manum suam in ambobus. Ita enim fieri in humanis videmus, cum duæ personæ dissidentes, ad amicitiæ & concordiæ redintegrationem, sunt reducendæ.

Hoc munere Deum inter & homines fungentem Christum, *mediatorem* appellamus, secuti Apostolum. Tomo. 2. cuius locum expendens Nyssenus orat. 1. (vetiùs 2.) contra Eunom. multas mediationes fabulantem, sic scribit cap. 12. [Quænam hæc etiam multimoda mediatio quam in Deo iactat, dicens mediatorem in decretis, mediatorem in lege? Non hæc ab alta voce Apostoli sumus edocti, qui ait, quòd legem mandatorum euacuans suis documentis, hic est, mediator Dei & hominum, cùm dixit, hoc ipsum Verbum, quòd vnus Deus est, vnus mediator Dei & hominum, Homo Christus Iesus. Totum nobis hic mysterij scopum, mediatoris nomine complexus, reuelauit: hic autem scopus est; Aduersarij malitia quondam humanum genus à Deo defecerat, & peccato seruierat, & à vera vita alienatum erat. Reuocat postea suum figmentum, qui figmenti Dominus est, & fit homo cum eo qui est Deus: & illud totum cùm esset, & hoc totum factus est: & sic quod humanum est, cum Deo temperatum est, mediationem operante. Cui per assumptas a nobis primitias, tota virtute contemperata est massa. Quoniam igitur mediator vnius non est, Deus autem vnus est, neque in personis in fide traditis in partes distributus: (vna enim Deitas in Patre, Filio & Spiritu sancto:) propterea sit mediator semel Dominus, Dei & hominum, copulans hominem per semetipsum Deitati. Quin etiam notione per mediatorem concepta, fidei pietatem didicimus: mediator enim Dei & hominum, quemadmodùm humanæ naturæ communionem accepit, non putatus homo, sed natus secundùm veritatem, sic etiam verus Deus est, non cognomento tantùm honoratus nudæ veritatis, vt vult Eunomius.]

### *Mediatori Synonimæ voces, apud varios Patres.*

915 Quem mediatorem ex interprete vocant Apostolus & Nyssenus, passimque alij, Tertullianus *sequestrum* amat dicere, vt notauit Pamelius ad lib. de Resurr. car. cap. 51. vbi ita de Christo Tertullianus. [Hic, sequester Dei atque hominum appellatus, ex vtriusque partis depositi commisso sibi; carnis quoque depositum seruat in semetipso arrabonem summæ totius. Quemadmodùm enim nobis arrabonem Spiritus reliquit, Ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in cœlum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ.] Benè sequester Christus, ex commisso vtrinque depositio. Nam vt Modestinus Iuris-consultus definit is est sequester, apud quem plures, rem de qua controuersia est, deponunt. Sic dictus autore Lauinio, quem citat Agellius lib. 20. cap. 1. quod eius fidem, pars vtraque sequatur, quamuis eam nominationem minùs probet Alciatus, referente Corræsio 5. miscell. cap. 2. num. 3. Eodem sensu cap. 63. eiusdem libri, idem Tertullianus sic loquitur. [Resurget igitur caro; & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra. In depositio est vbicumque apud Deum, per fidelissimum sequestrem Dei & hominum Iesum Christum, qui & homini Deum, & hominem Deo redder, carni spiritum, & spiritui carnem. Vtrumque autem in semetipso fœderauit.] Denique lib. contra Praxeam cap. 27. probat Christum alium fuisse à Patre, quia Apostolus eum vocauit *sequestrum Dei & hominum*. Locus est ex 1. Timo. 2. quem tamen ipsum locum l. de carne Christi cap. 15. allegat eodem modo quo habetur in editione vulgata, adhibita non *sequestri*, sed *mediatoris* appellatione; à qua proinde non prorsus abhorret, etiamsi frequentiùs, quem eo loco *Mediatorem* dixit, *sequestrem* vel *sequestrum* nominet: Vtitur ea item voce Phœbadius lib. contra Arrianos verbis illis. [Scimus quod omnis illa passio, propriè carnis & animæ, ideſt hominis fuit: in quo quidem homine cum pateretur, erat & filius Dei, cohærens illi per naturam à quo venerat Patri, & vnitatis vinculum seruans in terris; hominem gestabat; nec aberat à cœlis. Sic mediator dictus, sic sequester vtriusque substantiæ.] Omnino videtur ad Tertullianum alludere.

916 Quem Tertullianus sequestrum, D. Augustinus aliquando *conciliatorem*, aliàs *arbitrum*, frequentissimè *Mediatorem* appellat. Reconciliatorem appellat cap. 33. Enchir. vbi post alia de ira Dei, manente super omnes non credentes, subdit. [Non ait, *veniet*, sed *manet super eum*. Cum hac quippe omnis homo nascitur, propter quod dicit Apostolus: *Fuimus enim & nos natura filij iræ sicut & cæteri*. In hac ira cùm essent homines per originale peccatum, & tanto grauiùs & perniciosiùs, quanto maiora vel plura insuper addiderunt, necessarius erat mediator, hoc est reconciliator; qui hanc iram,

sacrificij singularis, ( cuius erant vmbræ omnia sacrificia legis & Prophetarum, ) oblatione placaret : vnde dicit Apostolus ; *Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati nunc in sanguine eius, salui erimus ab ira per ipsum.* Cum autem Deus irasci dicitur, non eius significatur perturbatio qualis est in animo irascentis hominis : sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta eius, quæ non nisi iusta est, *iræ* nomen accepit. Quod ergo per mediatorem reconciliamur Deo, & accipimus Spiritum sanctum, vt ex inimicis efficiamur filij ; ( quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei ; ) hæc est gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. De quo mediatore longum est, vt quanta dignum est, tanta dicantur, quamuis ab homine dignè dici non possint.]

Pulchre item conc. 2. in Ps. 90. cum proposuisset, Christũ solum natum ex Virgine, caput Ecclesiæ, mediatorem inter Deum & homines, addit. [ Ad hoc mediator est, vt eos qui recesserunt, per se reconciliet : medius enim non est nisi inter duos. Recesseramus à Maiestate Dei, & peccato nostro offenderamus eum : missus est filius mediator, qui sanguine suo solueret peccata nostra, quibus separabamur à Deo, & interpositus redderet nos ei, & reconciliaret à quo auersi in peccatis nostris & delictis tenebamur.] Eadem habet Tract. 41. in Ioann. & cap. 108. Enchir. & in cap. 3. ad Galatas, nec semel alibi.

Concinnè cõcione 4. in Ps. 103. obseruat, à Iobo, quẽ *mediatorẽ* passim dicamus, vocatum *arbitrum*. Refert enim, plerosque Iobum insimulasse impatientiæ aduersùs Deum. [ Nam inter multa etiam hoc dixit, velut stomachans aduersùs Deum, sicut videbatur non intelligentibus. Ille autem gestabat personam magnam magnæ Prophetiæ : *Vtinam* ( inquit, loquens ad Deum, ) *vtinam esset nobis arbiter.* Quid est, *vtinam esset nobis arbiter* ? Quasi qui inter nos iudicaret, & quo iudicaretur causa mea vinceret. ] Hoc enodans, & purgans Iobum, sic continenter subdit. [ Sic accipitur ad primum sonum : sed discute te, ne labaris : attendit enim serpens ille semper calcaneum tuum. Quid visus est dixisse Iob ? *Vtinam esset nobis arbiter* ; vtinam esset medius aliquis, qui iudicaret inter me & te. Hoc Deo homo, hoc in stercore homo, vel in cœlo Angelus Deo ; *Vtinam esset nobis arbiter* ? Sed quid præuidebat ? quid optabat ? *Multi*, ( inquit, Dominus ) *iusti & Prophetæ voluerunt videre quæ videtis & non viderunt.* Arbitrum desiderabat. Quid est arbiter ? Medius ad componendam causam. Nonne inimici eramus Dei, & malam causam habebamus aduersùs Deum ? Quis finiret causam istam malam, nisi ille medius arbiter ? Qui nisi veniret, misericordiæ perierat iter, de quo Apostolus dicit ; *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum Christus Iesus.*] Vsurpauit eum quoque loquendi modum, & Christum mediatorem, vocauit *arbitrum*, creditus Ambrosius, verè Hilarius Diac. ad Rom. 5. ad illud, *per quem & accessum habemus* ; Et ad Galatas 3. circa illud, *mediator autem vnius non est.*

*Mediatoris vox, vulgatissima, ad experimendum munus Christi, Deum inter & homines, fœdera nectentis.*

917 Nihil tamen apud D. Augustin. & alios Patres frequentius, quam vt notio subiecta vocibus prædictis, *sequestri*, & *arbitri* efferatur ab eis, voce *mediatoris* ; siue vt Theodoreti interpres Dialo. 2. & 3. vertit, *intercessoris*. Non malè, si abesset homonimiæ periculum, ita vt cenſeret quis intercessorem Dei Christum à vulgari vsu illius vocis, & deprecatione interposita. In quo sensu, non sumimus hîc *intercessionem* ; sed pro interpositione, ac veluti interiectu, vnius qui inter duos intercedat, ideſt interueniat, & operam suam collocet ad eos conciliandos. Eáque est vera notio mediatoris, conciliationem Dei ac hominum spectans. Nec enim audiendus est Eusebius qui l. 1. contra Marcellum Ancyr. c. 1. ex distorta interpretatione loci Apostolici ad Gal. 1. de lege ordinata per Angelos in manu mediatoris, collegit, Verbum priusquàm homo fieret, fuisse mediatorem inter Deum & Angelos. Hoc inquam repudiandum est, cum Apostolus non cogitarit de meditatione Mosis, inter homines & Deum, datáque ei per Angelos lege quam erat promulgaturus. Cœteroqui quorsum mediaret Verbum inter Angelos & Deum, vbi nullum erat dissidium ? Aut quomodò Verbum, medium esset inter Deum & Angelos, cum ipsum Verbum, Deus esset ? Ex quo argumento non poterit Eusebius se extricare absque illo execrando Arianismo, quo ibidem admittit, Verbum esse Deum secundarium, Patréque inferiorem, mediũque inter Deum & Angelos conditionis ; quam blasphemiam his chartis illinere, non absque veniæ à Deo expetitione fas fuit. Non fuerit porrò impio Eusebio, S. Hieronymus ad Galat. 1. cum mediationem admittit ante peractam Incarnationem. Agit enim de mediatione inter Deum & homines, per Christum iam tunc præscitum, non autem de Verbi mediatione Deum inter & Angelos.

Propria ergo mediatoris notio, quæ Christo aptissimè quadrat, est per comparationem ad Deum cum hominibus reconciliandum. Fuit enim propterea compactus ex duplici natura, quarum altera ad vnum duorum illorum dissidentium attinet. In quam rem fusè & egregiè disserit Ferrandus Epist. 1. ad Anatolium. Breuiùs sed benè S. Chrysostomus hom. 7. in 1. ad Timoth. vbi sic habet. [ Enimuerò mediator, vtrisque eis debet societate coniungi, quorum mediator est. Id quippè mediatoris est proprium vtrorumque participem fieri quorum fuerit mediator. Quòd si vnum quidem societate contingat, ab alio verò fuerit separatus, mediator iam dici non potest. Nisi igitur consors sit paternæ naturæ, mediator profectò non est, quippe cum à Patris sit substantia separatus. Quemadmodùm enim humanæ naturæ consortium accepit, quando ad homines venit ; ita & à Dei substantia non abscessit, quoniam à Deo venit. Nam quia duorum naturarum medius fuit, amborum oportuit esse participem. Quemadmodùm enim loci cuiuslibet medium, vtramque partem contingat necesse est ; ita & naturarum amborum

ambarum medium, oportuit vtrasque naturas contingere, atque connectere. Quemadmodùm igitur homo factus est, ita etiam Deus erat. Homo quippe purus, mediator nunquam penitus fieret: Oportebat enim huiusmodi mediatorem cum Deo colloqui. Deus item solus, mediator esse non posset; neque enim ipsum susceptissent hi, quorum mediator accederet. ] Et serm. 10. Tomi quinti Græcol. [ Quo pacto nos, qui tantam clementiam offenderamus, terráque ipsa videbamur indigni, ac terreno omni participatu atque honore excideramus, ad tantam altitudinem sumus euecti? Quo pacto bellum dissolutum est? Quo pacto ira sublata: Quomodò? Nam istud admirabile est. Nam non iis quibus irasceretur Deus, sed ipso Deo qui iure nobis succensebat, prouocante nos atque inuitante, pax facta est. *Pro Christo enim legatione fungimur*, (inquit Apostolus,) *tanquam Deo exhortante per nos.* Quid istud? Ipse est violatus iniuria, & ad pacem inuitat. Ita sanè: quippe quod Deus sit: atque ob id, vt humanus Pater hortatur, & allicit. Sed vide quis interceſſerit mediator; Ipse vtique inuitantis & adhortantis filius, non homo purus, non Angelus, neque Archangelus neque famulorum vllus. Et quid efficit mediator. Opus mediatoris. Quemadmodùm enim duobus aliquis se inuicem auersantibus, & ad concordiam pacémque mutuam adduci nolentibus, tertius quispiam veniens & se medium interponens, vtriusque inimicitiam diluit; Ita & Christus egit. Iratus siquidem nobis erat Deus, & nos Deum benignissimum Dominum auersabamur; Medius igitur se Christus interponens, vtramque naturam conciliauit. Sed quo pacto se mediatorem constituit? Pœnam quæ nobis à Patre infligenda erat, ipsemet in se suscepit, contumeliásque ac opprobria quibus afficiebatur, proper nos ipse sustinuit. ]

Et serm. 9. de Ascens. [ Vide quis interceſſerit mediator. Ipse vtique inuitantis & adhortantis Filius, non homo purus, non Angelus, neque familiarum vllus Et quid efficit mediator? Opus Mediatoris Quemadmodum enim duodus aliquibus se inuicem auersantibus, & ad concordiam pacémque mutuam adduci nolentibus, tertius quispiam veniens, & se medium interponens, vtriusque inimicitiam diluit; Ita & Christus egit. Iratus siquidem nobis erat Deus, & nos Deum, benignissimum Dominum auersabamur. Medium igitur se Christus interponens; vtramque naturam conciliauit. Sed quo pacto se mediatorem constituit? Pœnam quæ nobis à Patre insligenda erat, ipsemet in se susceptit, contumeliásque ac opprobria quibus afficiebatur, pro nobis ipse sustinuit. Vis nosse, quomodò vtraque ipse susceperit? *Christus* (inquit Apostolus) *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Vides quo pacto, pœnam cœlitùs latam ipse susceperit? Vide etiam quomodò opprobria in terris sustinuerit. *Opprobria exprobrantium* (inquit) *tibi ceciderunt super me.* Cernis quo pacto diremerit inimicitiam; Quo pacto non ante distitit quiduis agere, pati, atque moliri, quàm hostem & inimicum, cum Deo reduxit in gratiam?

918 Eodem planè modo ratiocinantur S. Irenæus lib. 3. cap. 20. & Theodoretus Dialo. 2. qui obiter quoque ex Apollinare idem argumentum attingit Dialo. 3. *sub finem*, & pulchrè. Nouatianus lib. de Trinit. cap. 18. hinc probans, Christum debere admitti Deum simul & hominem. [ Quoniam si ad hominem veniebat; vt mediator Dei & hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, & Verbum carnem fieri, vt in semetipso concordiam confibularet terrenorum pariter atque cœlestium, dum vtriusque partis in se connectens pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet: vt meritò filius Dei per assumptionem carnis filius hominis; & filius hominis per receptionem Dei verbi, filius essici possit. Hoc altissimum atque reconditum Sacramentum, ad salutem generis humani ante secula destinatum, in Domino Iesu Christo Deo & homine inuenitur impleri, quo conditio generis humani ad fructum æternæ salutis posset adduci. ]

Nec tantùm ex duplici natura duobus extremis dissidentibus consentiente, compactus est Christus Dominus sed etiam ita vt in sua vnitate composita, duplicem vnitatem vtriusque extremi æmularetur. Quod pulcherrimè in hunc modum exponit S. Bernardus S. de Consid. cap. 9. [ Dico in Christo, Verbum, animam, & carnem, sine confusione essentiarum vnam esse personam, & item absque præiudicio personalis vnitatis in sua numerositate manere. Nec negauerim hanc ad illud quoq; genus vnitatis pertinere, qua anima & caro vnus est homo. Decuit quippe familiarius similiúsque cũ hominis conuenire constitutione, quod pro homine constitutum est Sacramentum. Decuit & cum summa quæ in Deo est, & Deus est, vnitate congruere, vt quomodò ibi tres personæ vna essentia, ita hîc conuenientissima quadam contrarietate, tres essentiæ sint vna persona. Videsne pulchrè inter vtramque vnitatem hanc collocari, in eo vtique, qui *constitutus est mediator Dei hominúsque homo Christus Iesus*: Pulcherrima, inquam, conuenientia, vt salutare Sacramentum congrua quadam similitudine ambobus respondeat, & saluanti videlicet & Saluato. Ita hæc vnitas duarum consistens media vnitatum, alteri succumbere, alteri præeminere cognoscitur, quantum superiore inferior, tantum inferiore superior. ]

Hæc ergo est notio germana *mediatoris*, secundùm quam Christus quia per vnionem suæ personæ cum vno naturæ nostræ individuo, fecit nos suum corpus; animauit nos suo Spiritu, & vnum cum Patre fecit, iuxta egregiam Nysseni ratiocinationem, Orat. de Filij subiectione. [ Vita est Christus, (inquit,) per quam conuenienter ei quod dicit Apostolus. Vniuerso eius corpori aditus fit ad Patrem, quando tradiderit regnum Deo nostro, & Patri. Corpus autem eius, (sicut sæpè dictum est,) omnis est humana natura, cui est admistus. Propter hunc ipsum autem sensum, nominatur Dominus à Paulo, *mediator Dei & hominum.* Nam qui est in Patre, & versatus est inter homines, in hoc impler suam intercessionem quòd omnes sibi vniuerit, & per seipsum Patri, sicut dicit Dominus in Euangelio, ad Patrem verba faciens, *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi vnum sint in nobis.* Per hoc enim aperte ostendit, quod nobis sibi vnitis, qui est in Patre, per se efficit nostram cum Patre coniunctionem. Sed & quæ deinceps sequuntur in Euangelio, conueniunt cum iis quæ dicta sunt; nempe, *Gloriam quam*

*dediſti mihi, dedi eis.* Suam enim vt puto; hîc dicit gloriam, Spiritum ſanctum, quem dedit Diſcipulis per inſufflationem. Neque enim poſſunt aliter vniri qui ſunt à ſe inuicem diſiuncti, niſi vnitate Spiritus ſimul in vnam coniungantur naturam. *Si quis enim Spiritum Chriſti non habet, is non eſt eius.* Spiritus autem eſt gloria, vt alibi dicit Patri; *Glorifica me gloria quam habui apud te ab initio, antequàm mundus eſſet.* Deus enim Verbum, qui ante mundum gloriam Patris habebat, poſtquàm in vltimis diebus caro factus eſt; oportebat autem carnem quoque, per contemperationem cum Verbo, illud effici quod eſt Verbum; fit autem accipiendo, id quod ante mundum habuit, Verbum. Id autem erat Spiritus ſanctus: neque enim aliud eſt ante ſecula, præter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum: propterea hic quoque dicit, *gloriam quam dediſti mihi, dedi eis*, vt per ipſam mihi eſſent vniti, & per me tibi.]

Vides quam dixi, notionem *mediatoris*.

### *Imperfecta mediatoris notio, ex Lactantio.*

919 Minùs autem appoſitè ad Apoſtoli & Patrum cæterorum mentem quoties de mediatore agunt, Lactantius 4. Inſtit. c. 25. notionem mediatoris ſic explicat. [Fuit igitur Chriſtus, & Deus & homo, inter Deum atque hominem medius conſtitutus. Vnde illum Græci. Μεσίτην vocant, vt hominem producere ad Deũ poſſet, ideſt ad immortalitatem: quia ſi Deus tantùm fuiſſet (vt ſupra dictum eſt,) exempla virtutis homini præbere non poſſet: ſi homo tantùm, non poſſet homines ad iuſtitiam cogere, niſi autoritas, ac virtus homine maior accederet. Etenim cum conſtet homo ex carne & Spiritu, & oporteat Spiritum iuſtitiæ operibus emereri, vt fiat æternus: caro, quoniam terrena, ideóque mortalis, copulatum ſibi ſpiritum trahit ſecum, & ab immortalitate ducit ad mortem. Ergo ſpiritus carnis expers, dux eſſe homini ad immortalitatem nullo pacto poterat, quoniam caro impedit ſpiritum, quò minus Deum ſequatur. Eſt enim fragilis & ſubiecta peccato: Peccatum autem pabulum mortis eſt. Itaque idcircò mediator aduenit, ideſt Deus in carne, vt caro eum ſequi poſſet, & eriperet morti hominem, cuius eſt dominatio in carnem. Ideò carne ſe induit, vt deſideriis carnis edomitis, doceret, non neceſſitatis eſſe peccare, ſed propoſiti & voluntatis.]

Hæc etiamſi verè diceret, (quod cum S. Auguſtinus l. de natura & gratia c. 61. extrema hæc Lactantij verba ſupereſſe autore pro ſe citaſſet, Pelagius non admittit:) nego tamen quadrare Apoſtolo, & cæteris Patribus conſentire. Venit quidem Chriſtus mediæ inter nos ac Deum ſtructuræ, ſeu potius ex ſubſtantia vtrorumque illorum extremorum compaginatus; & ſic compactus exempla illa quæ Lactantius memorat, prætulit hominibus. Primaria tamen ratio ob quam Chriſtus venit ſic medius, & ſola ob quam denominatur *mediator*, non eſt ea quam Lactantius protulit; nempe prælucendi hominibus exemplo; ſed ea quæ ex Dei & hominum reconciliatione ducitur. Ad eum namque effectum primariò ſpectabat Chriſti aduentus; & ex eo ſolo effectu, dictus eſt *mediator*; quatenus ita per humanitatem Verbo coniunctam eliciebat opera Deum placantia & reconciliantia nobiſcum ſalua iuſtitia, (quippe exæquato & ſarto per ea opera iure Dei,) vt nihil deſideratum ſit, ad plenam amicitiæ Deum inter ac homines redintegrationem.

### *Quæ partes extremorum Chriſtum compingentium, in obeunda meditatione, pro nobis.*

920 Vides quas partes in exercendo mediatoris munere, tribuendas velim cuilibet Chriſti naturæ. Humanitati enim tribus actiones ſatisfacientes diuino iuri, Deumque placantes, quæ cum eſſent demiſſionis & abiectionis opera, non potuiſſent in Deum cadere, ſi in ſola Deitate perſtitiſſet. Deitati autem ac perſonæ Verbi, tribuo actuum illorum eminentiſſimam honeſtationem, & ſubuectionem ad exequendam offenſam. Vt proinde neceſſarius ſit vtriuſque naturæ concurſus ad hoc munus mediatoris, quod egregiè docuit D. Auguſtinus verbis illis l. 10. confeſſ. cap. 42. [Mediator inter Deum & homines, vt oportebat vt haberet aliquid ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus, ne in vtroque Deo ſimilis, longè eſſet ab hominibus, atque ita mediator non eſſet.]

Idipſum voluit idem D. Aug. cum aliquoties dixit, Chriſtum fuiſſe mediatorem, non prout erat æqualis Patri, ſed ſecundùm quod homo. Ita enim habet in c. 3. ad Galatas verbis illis. [Mediatorem Ieſum Chriſtum ſecundùm hominem dici, ex illa eiuſdem Apoſtoli ſententia fit planius, cum ait, *Vnus eſt enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Mediator ergo, inter Deum & Deum eſſe non poteſt, quia vnus eſt Deus, mediator autem vnus non eſt, quia inter aliquos medius eſt. Angeli porrò, qui non lapſi ſunt à conſpectu Dei, mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. Item Angeli qui nullo ſuadente, ſponte a præuaricatione ſic lapſi ſunt, per mediatorem non reconciliantur. Reſtat ergo, vt qui mediatore ſuperbo diabolo, ſuperbia perſuadente deiectus eſt, mediatore humili Chriſto humilitatem perſuadente, erigatur. Nam ſi filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec ſe exinaniret, formam ſerui accipiens, non eſſet mediator Dei & hominum. Quia ipſa Trinitas vnus Deus eſt, eandem in tribus, Patre & Filio & Spiritu ſancto, Deitatis æternitate & æqualitate conſtanter. Sic itaque vnicus filius Dei, mediator Dei & hominum factus eſt, cum Verbum Dei, Deus apud Deum, & maieſtatem ſuam vſque ad humana depoſuit, & humilitatem humanam vſque ad diuina ſubuexit, vt mediator eſſet inter Deum & homines, homo per Deum vltra homines. Ipſe enim eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum, & vnctus oleo exultationis præ participibus ſuis. Sanati ſunt ergo ab impietate ſuperbiæ, vt reconciliarentur Deo, quicumque homines humilitatem Chriſti, & per reuelationem antequàm fieret, & poſt Euangelium poſteaquàm facta eſt, credendo dilexerunt, diligendo imitati ſunt.] En mediator Chriſtus, ſecundùm hominem. Et pulchrè l. 2. de peccato orig. cap. 28. [In Adam imnientibus mortem, per hoc prodeſt Chriſtus quòd

eſt

est mediator ad vitam. Non autem per hoc mediator est, quòd æqualis est Patri: per hoc enim, quantum Pater, tantum & ipse distat à nobis. Et quomodò erit medietas, vbi eadem ipsa distantia est? Ideò Apostolus non ait; *Vnus mediator Dei & hominum, Christus Iesus:* sed, *homo Christus Iesus.* Per hoc ergo mediator, per quod homo inferior Patre, per quod nobis propinquior; superior nobis, per quod Patri propinquior. Quod apertiùs ita dicitur; Inferior Patre quia in forma serui: superior nobis, quia sine labe peccati.]

Denique lib. 10. Confess. c. 43. [Verax mediator, quem secreta tua misericordia demonstrasti humilibus, & misisti vt eius exemplo etiam ipsam discerent humilitatem, mediator ille Dei & hominum homo Christus Iesus, inter morales peccatores, & immortalem iustum apparuit, mortalis cum hominibus, iustus cum Deo, vt quoniam stipendium iustitiæ, vita & pax est, per iustitiam coniunctam Deo, euacuaret mortem iustificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Hic demonstratus est antiquis sanctis, vt ita ipse per fidem futuræ passionis eius, sicut nos per fidem præteritæ salui fierent. In quantum enim homo, in tantum mediator; in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu sancto vnus Deus.]

921 His aliisque locis, quibus Christum esse mediatorem *secundùm hominem*, vel *per quod homo*, affirmat D. Augustinus, non est censendus, voluisse excludere necessitatem diuinitatis ad exercendum munus mediatoris; (sic enim purus homo potuisset mediatorem agere, quod D. Augustinus sæpissimè diffitetur, & omnino verè; vt monstratum est.) Affirmat ergo Christum egisse mediatorem, secundùm quod homo, vt significet Christum non esse spectandum in in sola forma Dei, in qua per æternitatem præextitit: sed iungendam esse Deitati, & personæ Verbi eam terminanti, humanitatem: quæ duo enuntiantur in Christo, cum homo dicitur: Nam forma totius illi nomini subiecta, est *humanitas*. Suppositum verò, seu persona cui diuinitas identificatur, concretione eiusdem vocis exprimitur. *Homo* quippe in Christo, cum sit nomen suppositi, præter humanitatem quam apertè enunciat, importat quoque diuinam personam, & Deitatem, vt Vigilius lib. 4. contra Eutych. *sub initium*, benè ratiocinatur. Aperit perbell mentem hanc suam, idem D. Augustinus lib. de ouibus cap. 12. tractans illud. *Ego Dominus ero illis in Deum, & seruus meus Dauid, Princeps in medio eorum*; quem locum accommodat Christo, & sit expendit. [Quare *in medio eorum?* Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Princeps in medio eorum*: inde & mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter Deitatem, non mediator Deus præter humanitatem. Ecce mediator. Diuinitas sine humanitate, non est mediatrix; humanitas sine diuinitate, non est mediatrix: sed inter diuinitatem solam, & humanitatem solam, mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi.] Idest, conflatum ex ambabus illis naturis; siue homo qui in Christo simul est Deus; iuxta illud Fulgentij lib. ad Donatum cap. 16. [Qui sic dicit Christum hominem, vt Deum neget, non est Christianus Catholicus, sed Photinianus Hæreticus. Christus enim quemadmodùm secundùm veram diuinitatem Deus creator est hominum, ita secundum veram carnem, mediator est Dei & hominum. Mediator enim nullatenùs esset, si vel cum Patre diuinitatis naturam, vel cum hominibus communem carnis & animæ substantiam non haberet. In eo autem verus mediator est hominum homo Christus Iesus in quo & de Patre formam Dei (per quem saluataret) naturaliter habuit; & ex Virgine formam, serui, (quam in nobis saluaret,) accepit. Nunquam autem homo à Deo gratiam salutis acciperet, si in vna persona Christi, diuinæ humanæque naturæ communio non maneret.]

Subscribunt Latinorum ac Græcorum Patrum proceres, quos longis agminibus educit seorsim Espencæus Opusc. de Mediatore cap. 2. & 3. Addo Giselbertum cap. 19. Altercationis. [Constitue duos simul, summum & imum Trinitatem & hominem. Itaque inter illam Trinitatem & hominem, infirmitatem & iniquitatem, mediator factus est, homo non iniquus, tamen infirmus; vt ex eo quod non iniquus, iungeret te Deo: Ex eo quod infirmus, propinquaret tibi, atque ita inter Deum & hominem, filius Dei mediator existeret. Oportuit autem mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem habere transeuntem, & beatitudinem permanentem, vt per id quod transit, congrueret morituris; ad id quod permanet, transferret ex mortuis. Media igitur iustitia temporali opus erat, quæ medietas temporalis esset de imis, iusta de summis; & contemperans se imis, ima redderet summis, Deus & homo reconcilians hominem Deo, manens quod erat, factus quod non erat.]

### *Pugnantes Sectariorum errores, circa mediationis principium.*

922 Deprehendere verò hinc licet, stuporem Sectariorum superioris seculi, quorum aliqui à Francisco Stancaro Mantuano erroris autore, dicti *Stancariani*, negarunt, diuinitatem aut Verbi personam quicquam contulisse ad obeundum munus mediatoris, id totum tribuentes soli humanitati, nisi quod fatentur eam fuisse à Verbo fultam & roboratam, ne immenso dolorum pondere inter satisfaciendum opprimeretur; quod satisfactioni, & exercitio muneris mediatoris, est planè extrinsecum ac per accidens. Alij verò ex Sectariis, Lutherani nimirum, & Tigurini, ac Caluinistæ, ac disertè Ioannes Langius ad Expositionem fidei S. Iustini *pag.* 16. contenderunt, Christum ratione vtriusque naturæ, tanquam formalis principij operum satisfactorum, exercuisse munus mediatoris, ita vt diuina persona non tantùm interueniat honestando, & infinitum pretium impertiendo illis operibus per humanitatem ipsi coniunctam elicitis; sed etiam eliciendo eas per modum formalis principij: aliquas quidem simul cum humanitate, vt perpessionem & mortem, quas totam efficacitatem à Verbo habuisse dicunt; prodiisse tamen & à Verbo simul & ab humanitate; alias autem à sola Deitate, vt offerre sacrificium humanitatis tanquam victimæ, Deo in satisfactionem oblatæ, per diuinam

Verbi naturam. Hos *Antistancarianos* dictus prodit Prateolus V. *Stancariani.*

Sed vtrorumque error, deprehenditur ex dictis. Si enim secreuissent quæ Deo, quæ humanitati, in obeundo mediatoris munere sunt propria non adeò absurdè impegissent; nec priores in apertum Nestorianismum, posteriores verò in Arrianismum, aut Eutichianismum deflexissent. Horum quippe errorum, Sectarios prædictos reuincere, non est operosum. Si enim sola humanitas ad satisfaciendum idonea fuit, vt ait Stancarus; quorsum vnio eius cum diuino suppositio? Nam facilè fuit Deo, aliter inter patiendum roborare humanitatem Christi, quàm eam supponendo. Quinetiam suppositatio præcisè sumpta, non plus contulit humanitati roboris ad patiendum, quàm se fuisset suppositatio creata quia suppositare, est mere terminare substantialiter, non roborare. Itaque humanitas Christi non debuisset Verbo suppositanti vniri; sicque Christus homo, esset persona creata, qui est error Nestorij, in quem miserè se induit Stancarus.

At si operatio mediatoris, siue satisfactio, conuenit Christo ratione vtriusque naturæ, vt aiebant errones, secundo loco adducti; Ergo Deitas in Christo supplicauit, satisfecit, sacrificauit, quæ sunt propriæ mediatoris actiones, maiori à minore exhibendę cultus enim & sacrificium, & satisfactio, non exhibetur æquali, sed ei tantùm cui te submittas, sicque Deitas in Filio esset inæqualis Deitati quæ est in Patre, quod est Arrianum hypobrichium. Vel si Deitatem & humanitatem in vnam massam conflent cum Eutychete, præterquàm quod æquè vrgentur argumento aduersùs Arrianos intorto, locum aduersus illos habebit potens illa Vigilij raciocinatio lib. 3. *sub finem.* [ Libet etiam illud Apostoli tractare sermonem, quo pro nobis Christum, Mediatorem adserit factum. Quod officium nisi ex veritate naturæ carnis, quam ex nobis habuit, implere non potuit. Quoniam per ipsam, inter Deum & homines medius apparuit. Et quia, vt Apostolus ait, & rerum docet, mediator non est vnius. Habens autem Christus secundùm vos vnam naturam, ostenditur vnde sit medius inter nos, & illam. Quia si, vt impiè sapitis, vna est eius natura mediatoris, in eo quod est vnum & singulare salutis nostræ remedium, frustrabitur Sacramentum. Vnde enim medius erit, si vtramque non habuerit? Quia nisi talem dederis inter Deum & homines, qui ita sit medius, vt ex vtróque vtrúmque sit, ideſt, vt & Deus sit propter diuinitatis naturam, humana diuinis quemadmodùm reconcilientur non ostendis. Nam quia trangressione mandati, inimici Dei extiteramus, & in contrarium animis discordantibus vergebamus, à supernis declinantes, & ad ima tendentes, necesse fuerat interuentu miserationis diuinæ, solutis inimicitiis, contraria in vnum rouocari, & supernis ima restitui; quod non aliter fieri potuit, nisi talis mediator existeret, qui de cœlestibus veniens, coniretur terrenis, retinens in se id quod non erat. Qui vnus fieret in vtroque, & ita per vtriusque naturæ communionem, in vna eadémque persona, & humana diuinis, & diuina sociaret humanis priùs vtrumque, sine vtriusque abolitione, vniens in scipso. Dein omnes fideles Patri reconcilians Deo. Et quia reconciliationis sacramentum, immaculatum flatigabat sacrificium, talis hostia requirenda fuerat, quæ ita media esset inter Deum & homines, vt & morti succumberet per illud quod hominis habebat, & mortem reuinceret per id quod in se diuinitatis tenebat. ] Nihil potest huic argumento, ab Aduersariis, accommodatè responderi.

923 Non est autem operæ pretium, gerras horum Sectariorum ad huiusmodi errores stabiliendos, hîc ventilare Legesis fusè in eos agentem, & argumenta eorum conterentem, validissimum hæreticorum malleum Bellarminum l. 5. de Christo à cap. 2. ad 8. quæ mihi expediri sufficienter videntur vno illo. D. Leonis pronunciato, quod habet Epist. 10. cap. 4. vt liquet ex Vigilio lib. 4. Contra Eutychem, tam malè vexauit Eutychianos. [Inuicem sunt, & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit.]

Hæc vna sententia rectè expensa, monstrat, necessarium vtriusque Christi naturæ interuentum, ad munus mediatoris; vnius quidem ad exercendum quæ sunt infra Deum, nec cum eo in Deitate sumpto cohærent alterius verò, ad sustollendas operationes illas, vt sint instum pretium pacis nostræ, & litrum humani generis, ac placationis Dei offensi; quod habere non possunt, nisi à diuina persona, naturam formaliter satisfacientē terminante absq; confusione, & cum omnimoda intermistione: saluo tamen verò inter eas nexu ac substantiali vinculo in humanitate recepto, & ad diuinum Verbi suppositum immediatè ac directè terminato: Qua ratione omnes difficultates hostium veritatis catholicæ, & veræ Christi pro nobis mediationis, euanescunt. Alios antiquiores Hæreticos, ex ratione mediatoris, ad inæqualitatem Patris & Filij blasphemè inuehendam progressos, refert & arguit S. Cyrillus lib. 1. de Trinitate, qui quoniam censebant Verbum esse mediatorem, explosi ex dictis manent.

### *Pius affectus erga Christum mediatorem, déque eius contrapositione cum, Satana mediatore.*

924 Sed dimissis muscis hisce morientibus, vnguenti suauitatem exterminantibus, illud potiùs palato mentis gustandum & suauiendum admoueamus cum S. Bernardo l. de dignitate amoris diuini cap. 11. & 12. quanta miseratione & bonitatis immensitate, Verbum Dei ductum sit, vt nostrarum cum Deo inimicitiarum, conciliator; & Deum inter ac nos, per humanam naturam assumptam, mediator esse dignaretur; quāque viam iniecerit ad nos eo seducendum. Esse namque hanc sapidissimam benè affectis animabus considerationem, S. Bernardus sic prosequitur. [ In auctore omnium bonorum Christo, primùm ei sapit sua ad Deum conuersio, deinde peccatorum remissio, postmodùm pro

pro ira cuius filij eramus, gratiarum multiplex argumentatio; & hæc omnia non nisi per Dominum nostrum Iesum Christum. Ipse enim est mediator noster, & sapientia nostra, cuius quod stultum est, sapientius est hominibus. Nam cum talibus bonitas Dei abundaret & offerretur omnibus, nec esset qui reciperet, vel sciret recipere, vel recipere doceret, nec qui illuc posset ascendere vbi bona hæc distribuuntur, vel qui huc posset deferere; opus erat mediatore inter nos & Deum, per quem nostra appropinquarent Deo, & bona Dei nobis. Iniit ergo consilium tota Trinitas, consilium illud de quo Propheta dicit; (*Consilium tuum antiquum, verum fiat.* Videbat quippe Dominus, quantum ad hominem omnia confusa, omnia turbata, nihil stare in loco suo, nihil procedere ordine suo: videbat hominem abiisse in regionem dissimilitudinis, tam longè, vt per se, nec sciret nec posset redire. Angelus enim præsumpserat similitudinem Dei, dicens; *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo.* Homo similiter Deus esse voluit, cui persuasum erat esse sicut Dij. Ergóne (inquit Deus Pater,) filius meus, splendor gloriæ meæ, & figura substantiæ meæ, in ipsa mei similitudine tot æmulos habebit, & pares & socios? Præcipitatus est vterq; Videns imago Dei, Deus filius, Angelum & hominem qui facti erant ad ipsam, (ideſt imaginem Dei, non tantùm quod ipsa, (ideſt, imago Dei,) per inordinatum imaginis & similitudinis eius appetitum periisse: heu! (inquit,) sola miseria caret inuidia, sed subueniendum est ei, cui subuenire non prohibet iustitia. Exhibeo me igitur bonum hominem, despectum & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, vt zelet & impletur in me humilitatem, per quam perueniat ad gloriam, ad quam præproperè festinat, vt possit audire à me! *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Accinxit ergo se quodammodò Dei filius, & aggressus est per humilitatem recuperare eum qui recuperari poterat, qui per superbiam perierat. Itaque inter Deum & hominem medium se faciens, qui recedens à Deo captus & ligatus à diabolo erat, hoc modo boni Mediatoris & personam induit, & actutum factus est homo.] Pergit c. 12. mellitissimè exponere, Spiritus sancti dona, quorum vsus fuit in huius mediatoris exercitio.

925 Sed quod in meta loci adducti, obiter tantùm attigerit S Bernardus, antithesim ex vna quidem parte Christi mediatoris, & viæ quam iniuit ad parandam nobis Dei amicitiam & salutem nostram; ex altera verò parte, Sataneæ mediatoris, & viæ qua præcipitauit nos in exitium & cladem nostram; quod inquam eam contrapositionem obiter duntaxat insinuarit S. Bernardus, egregiè verò expresserit S. Augustinus 4. Trin. c. 12. iuuat eum audire. Egerat c. 10. de mediatore mortis, Satana, (Sic enim eum nominat;) déque falsò proposita per eum purgatione animarum, & reconciliatione cum Deo, per eas quas θελετὰς, appellabant Magi; Tum subdit cap. 12. [Nequaquam igitur per sacrilegas similitudines, & impias curiositates, & magicas consecrationes, animæ purgantur & reconciliantur Deo: quia falsus mediator non traiicit ad superiora, sed potiùs obstans intercludit viam per affectus, quos tanto maligniores, quanto superbiores suæ societati inspirat: qui non possunt ad euolandum pennas nutrire virtutum, sed potiùs ad demergendum pondera exaggerare vitiorum, tanto grauiùs animæ ruituræ, quanto sibi videtur euectæ sublimiùs. Proinde sicut Magi fecerunt diuinitùs moniti, quos ad humilitatem Domini adorandam stella perduxit, ita & nos, non quà venimus, sed per aliam viam in patriam redire debemus, quam Rex humilis docuit, & quam Rex superbus humili Rege aduersarius obsidere non possit. Et nobis enim vt adoremus humilem Christum, cœli enarrauerunt gloriam Dei, cum in omnem terram, exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Via nobis fuit ad mortem, per peccatum in Adam. *Per vnum quippe hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Huius viæ mediator Diabolus fuit persuasor peccati, & præcipitator in mortem. Nam & ipse ad operandam duplam mortem nostram, simplam attulit suam. Per impietatem namque mortuus est in spiritu, carne vtique mortuus non est: nobis autem & impietatem persuasit, & per hanc, vt in mortem carnis venire mereremur, effeci. Vnum ergo appetiuimus iniqua suasione, alterum mox secutum est iusta damnatione. Propterea quippe scriptum est, *Deus mortem non fecit*, quia causa mortis ipse non fuit: sed tamen per eius retributionem, iustissimè mors irrogata est peccatori. Sicut supplicium reo irrogat Iudex, causa tamen supplicij, non est iustitia iudicis, sed meritum criminis. Quò ergo nos mediator mortis transmisit, & ipse non venit, ideſt, ad mortem carnis: ibi nobis Dominus Deus noster medicinam emendationis inseruit, quam ille non meruit, occulta & minus arcana ordinatione diuinæ altæque iustitiæ. Vt ergo sicut per vnum hominem mors: ita & per vnum hominem fieret resurrectio mortuorum, quia magis vitabant homines quod euitare non poterant mortem carnis, quàm mortem spiritus, ideſt, magis pœnam quàm meritum pœnæ. Nam non peccare, aut non curatur, aut parum curatur: non mori autem quamuis non obtineatur, vehementer fatagitur. Vitæ mediator, ostendens quàm non sit mors timenda, quæ per humanam conditionem iam euadi non potest, sed potiùs impietas, quæ per fidem caueri potest, occurrit nobis ad finem quò venimus, sed non quà venimus. Nos enim ad mortem per peccatum venimus, ille per iustitiam: & ideò cum sit mors nostra pœna peccati, mors illius, facta est hostia pro peccato.] Et mox cap. 13. [Ille itaque deceptor qui fuit homini mediator ad mortem, falsóque se opponit ad vitam nomine purgationis per sacra & sacrificia sacrilega, quibus superbi seducuntur, quia nec participationem mortis nostræ habere potuit, nec resurrectionem suæ, simplam quidem suam mortem, ad duplam nostram potuit afferre. Simplam verò resurrectionem, in qua & sacramentum esset renouationis nostræ, & eius quæ in fine futura est eiulationis exemplum, non vtique potuit. Ille proinde qui spiritu viuus, carnem suam mortuam resuscitauit, vertus vitæ mediator, illum spiritu mortuum & mortis mediatorem, à spiritibus in se credentium foras misit, vt non regnaret intrinsecùs, sed forinsecùs

oppugna

oppugnaret, nec tamen expugnaret.] Disserit luculenter in eandem sententiam 9. Ciuit. capite 15.

926 Ex his igitur liquet, de veri mediatoris Christi, & Satanæ falsi mediatoris, contrapositione proposita; déque via & ratione obeundæ vtriusque mediationis. Quid aptiùs nunc exclamarim, quàm repetitis iis Apostoli verbis quæ S. Bernardus serm. 5. in Natali Domini, ad sensum suum hac in re aperiendũ adhibuit, sic auspicatus. [Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Benedictus, qui propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, filium suum dilectum, in quo ei benè complacuit, misit, per quem reconciliati, pacem habemus ad eum. & idem sit nobis reconciliationis huius & mediator & obses. Non est quod vereamur fratres mei, sub tam pro mediatore, non est quod de tam fido obside dubitemus. Sed qualis mediator est, inquies, qui in stabulo nascitur: in præsepio ponitur, pannis inuoluitur, sicut cæteri. plorat vt cæteri: denique infans iacet, vt cæteri consuerunt? Magnus planè mediator est, etiam in his omnibus; quæ ad pacem sunt, non perfunctoriè, sed efficaciter quærens.] Nimirum quia vt proximè dictum est reueniendum nobis erat ad pacem Dei, per humilitatem, sicut ea excideramus per superbiam. Tam strenuè igitur iam a cunis, studium humilitatis arripiens Christus, susceptum mediatoris munus auspicatus est ea humilitatis prolusione, cui catastrophe per confixi Dei despectionem, & mortem, inaudito humilitatis ostento, erat apponenda.

### *Vnicus verus mediator Christus; Alij analogicè ac typicè tantùm, vt Moyses & Aaron.*

927 Satis de Christo, vero ac vnico inter Deum & humanum genus mediatore. Vnicum dico, quia munus proprium mediatoris, quale expressimus, in solum Christum cadit. qui solus structuram geminæ substantiæ ad mediandum necessariæ, nactus est, solusque fuit homo Deus. Est quidem in Scripturis, & apud Patres, interdum mentio quorundam aliorum mediatorum; sed qui non nisi per rudem analogiam & aliqualem cum Christo proportionem, nomen & rationem mediatorum obtineant. Sic Moses ab Apostolo ad Gal. 3. dictus est mediator; cum legem dixit, *ordinatum per Angelos in manu mediatoris*, idest Mosis. Nam quod Oecumenius, mediatorem, Christum exponit; non videtur quadrare contextui, cum lex non sit in manu eius ordinata per Angelos; sed in manu Mosis qui mediator dicitur, quatenus per eum Deus mandata sua atque iudicia populo Hebræorum nota fecit; itémque sæpè per eum placatus est, & abductus ne sumeret vindictam ex eo populo à quo violatus fuerat, & prouocatus ad iracundiam. Qua ratione Moses, rectè dicitur fuisse vmbra Christi mediatoris. Vnde Tertullianus libro 2 in Marcio cap. 26. Stomachatur aduersus Marcionitas, quod Christũ Mosi diuinæ iræ prohibitori postha berent; cum deberent agnoscere, Christum in persona Mosis figuratum pro peccatis deprecatorem, & oblatorem animæ suæ pro populi salute.

Idem habet S. Cyrillus lib. 1. Glaphir. in Exodum, qui totus in ea Mosis & Christi mediatorum comparatione insumitur. Breuiùs, sed tamen accuratè lib. 2. de adorat. *ferè initio.* [Moses ille (inquit S. Cyrillus,) vir sanè admirandus, à carnali seruitute eripuit Israëliticum populum, & à laboribus coquendorum laterum; operibus etiam de terra extruendis eximit, ac velut medius quidam limes inter Deum, & homines interiectus, ad illos, cœlitùs exauditas voces perferebat. Dominus verò noster Iesus Christus, ea quæ in figura & vmbris tradita fuerant, ad veritatem immutans, à spirituali seruitute nos extrahit, in eo quod, peccatum quod diu nobis dominatum fuerat, expellit; Diabolique imperium euertit, & sectatores suos à terreno sensu rerúmque carnalium studio refugere suadet; eosque quodammodò ad studium virtutis; apertissiméque nobis Dei ac Patris voluntatem annunciat, ideóque dixit; *Verba quæ ego loquor vobis, non sunt mea; sed eius qui misit me, Patris;* Itémque *: A me ipso non loquor, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar.* Ac Moyses certè in suis rebus, imaginem atque formam quandam se gerere illius Christi interuentionis intellexit, cum dixit filij Israël; *Prophetam ex fratribus tuis excitabit tibi, sicut me, Dominus Deus tuus; illum audietis per omnia quæcumque expetisti à Domino Deo tuo in Horeb, in die concionis.* Igitur quæcumque per Moysem agebantur, illaque vis interuentionis eius figura quædam erat & imago; At Christi interuentionis forma, excellentior est. Ille enim legis & vmbræ ministet fuit & acceptæ diuinitùs institutionis interpres: Christus autem, vt legis ac Prophetarum Dominus, quæ sibi videntur, decernit. Ac mediator quidem fuit, cum in eo concurreret, atque in vnum quodammodò conueniret, tum diuina, tum humana natura. Hos enim ambas simul iunctas intelligimus Christum. Et Moyses quidem, vt seruus in totam eius domum fidelis; Christus autem vt filius in domo sua, cuius domus nos sumus, qui per fidem quam in illum habemus, ad veram adducti sumus libertatem. Constat igitur mediatorem carnalis libertatis, literæque vmbræ fuisse Moysem illum, Sacrarum rerum interprerem: Dominum verò nostrum Iesum Christum, earum rerum autorem quæ sunt supra legem; ac spiritus libertatem, libertate illa carnali multis partibus præstantiorem esse largitum. Illustrissime omninò idem prosequitur lib. 11. in Ioan. cap. 19. & lib. 3 cap. 9. ac plenè Dialogo 1. de Trinit. vbi præterea ad hanc imaginem mediationis Christi in Mose perspiciendum, considerat Mosem educentem populum ablutis vestimentis nitentem, in occursum Dei ad pedem montis. [Res autem hæc, typus erat mediationis Christi. Dicit enim manifestè; *Nullus venit ad Patrem, nisi per me.* Accedimus enim non aliter ad Deum ac Patrem, quàm per Christum, dum omnem veterem abolemus cicatricem, & omne inquinamenti genus eluimus; induimus verò quodammodò mentem in puritate, quæ est in Christo; *Induimini enim Dominum Iesum Christum,* diuinus nobis ait sermo: sic sanè spirituales puritatis vim, vestimentorum ablutio figurabat.]

Profert

Profert multa, quibus munus mediationis Mosis, vtrumque respondens mediationi Christi, exponat; addítque etiam, Aaronem mediatoris Christi typum fuisse, cum in tempore iracundiæ factus est reconciliatio per deprecationem & incensum, medius stans inter viuentes & mortuos, & iram sistens: In quam rem audi S. Augustinum serm. 98. de tempore. [Si intellexisti historiæ ordinem, & oculis, (vt ita dicam,) cernere potuisti stantem Pontificem, medium inter viuos & mortuos, ascende nunc ad verbi huius celsiora fastigiæ, & vide quomodò verus Pontifex Iesus Christus, assumpto thuribulo carnis humanæ, & superpositò igne altaris, anima sine dubio illa magnifica, cum qua natus est in carne, adiecto etiam incenso qui est spiritus immaculatus, medius inter viuos & mortuos steterit, & mortem non permisit vltra grassari: sed sicut Apostolus dixit, *destruxit enm qui habebat mortis imperium*, id est Diabolum, vt qui in ipsum Pontificem Christum credit, iam non moriatur, sed viuat in æternum. Hoc fuit ergo mysterium, quod futurum, iam tunc Angelus ille qui populum vastabat, expauit. Agnoscebat enim figuram thuribuli, & ignis, & incensi, & qualis offerenda esset Deo hostia, ab eo qui medius mortuorum viuorúmque constituendus erat, præuidebat: & illos tunc imago præfigurata saluauit, ad nos autem, salutis veritas ipsa peruenit. Neque enim indumenta Pontificis purpura ac lana byssóque contexta erubuisset Angelus ille vastator: sed ista quæ futura erant indumenta Domini & Saluatoris nostri, singularis & magni Pontificis, intellexit, & his cessit.]

### *Prophetæ, Apostoli, & Baptista, quatenus mediatores.*

928 Apostolus mediatorum nomine insignit S. Bernardus serm. 1. de SS. Petro & Paulo. [Hi (inquit) traditi sunt in magistros, & in mediatores quibus securè me committere possim, quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum & quæ in cœlis & quæ in terris sunt. Ille enim in vtraque natura purissimus est, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quomodo ad illum accedere audebo, qui sum supra modum peccans peccator: qui peccaui supra numerum arenæ maris, cum ille purior, ego impurior esse non possim? Verendum ne incidam in manus Dei viuentis, si illi appropinquare vel inhærere præsumpsero, quem à me tanta differentia diuidit, quantum distat inter bonum & malum; Propterea dedit mihi Deus homines istos.]

Eadem ratione, Prophetæ, mediatores sæpè sunt dicti & nominatim Ioannes Baptista, à D. Chrysostomo orat. de eius conceptu, (habetur Tomo 6. Græcol.) dicitur mediator Dei & hominum. A S. Damasceno orat. de Transfigur. vocatur mediator vtriusque Testamenti. In oratione ad Deum quæ extat, inter Græcanicas à Buteone Latinè factas, inter mediatores salutis qui ibi interponuntur, numerantur Prophetæ; & inter hos ipsum sigillum Prophetarum, magnus veritatis spectator, & præco, Baptistaque Ioannes. Potuitque multo magis is titulus, in eum quippe Prophetam & plusquàm Prophetam, cadere. Quo enim sanctior fuit eo aptior fuit ad mediandum.

### *Specialis ratio mediatorem dicendi, Baptistam.*

929 Quanquam præterea speciali quadam ratione in alios nullos sanctos cadente, S. Ioannes *Mediator*, & *medius*, à quibusdam Patribus dictus est. [Ioannes, mediator ante mediatorem,] (inquit Naz. orat. 21. & 32.) Sensus est; Ioannem fuisse inter duo Testamenta medium, vt idem Theologus loquitur orat. 20. num. 102. [Noui & veteris Testamenti idoneus mediator.] dicitur ab Augustino serm. 10. de sanctis. [Totius medius Trinitatis.] Vocatur à Petro. Damiani serm. 23. qui est 1. de S. Ioanne, tractando octauum eius honorem, quem fuisse ait, quod primò per eum, & in eius baptismo, innotuit orbi Trinitas. Non priùs autem manifestari apertè debuit tam arcanum sublimèque mysterium, quàm plenitudo temporis aduenisset, & lex noua legi antiquæ substitueretur; vt perinde profectò sit, Baptistam esse medium totius Trinitatis, in Christi baptismo per Ioannem administrato proditæ; ac Baptistam esse medium inter duo Testamenta, vel vt habet Petrus Chrysologus serm. 91. fuisse [legis & gratiæ fibulam,] aut iuxta Guerricum, fuisse [limitem medium temporâ legis & gratiæ disterminantem.] Eodémque respexerunt, qui Ioannem contulerunt cum Lucifero, seu Phosphoro, quę stella est Soli præuia, noctem inter & adultam diem media; sub auroram enim exurgit. Compellant ea ratione Baptistam, Anastasius lib. 4. in Hexaëm & latè S. Bern. serm. 3. de verbis Esaiæ Inque eius rei symbolum, Amalarius & alij apud Baronium in Rom. Martyrol. 24. Iunij, scribunt olim in Ecclesia, è tribus sacris quæ celebrabantur; vnum eo temporis puncto quo Lucifer apparet, & aurora cubile roseum pandit, fuisse celebratum. Eodem pertinuisse quod Baptista dictus est, [vox Christi verbi,] monstrant illa Epiphanij hæc 69. [Vox est præparatiua auditus hominum. Primùm enim inarticulatam vocem sonantem reddere solent clamantes, è longinquo vocantes eos qui ab ipsis aliquid audire debent. Et vbi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum conuerterint, auréisque præparauerint, tunc is qui sonantem vocem emisit; de cætero distinguit sermonem quem dicere voluit. Sic etiam Ioannes vox fuit, aures hominum præparans. Non enim erat ipse Verbum, sed post ipsum venit Verbum; propter quod præparatiua vox fuit, siue facta est. Et propterea dicit; *Vox clamantis in deserto, præparate vias Domini.* Vox enim præparat Dominus autem ingreditur vias præparatas. Et vox loquitur vt præbeant audiętiam. Vbi verò auditus otium egerit, tunc sermo in aurem susciplentium mittitur.] Igitur esse vocem Verbi, est esse medium, & mediatorem verbi, & hominum.

### *Inde illata eius sanctitas, præ anterioribus quibusuis,*

930 Non videtur potuisse altiùs sustolli sanctitas Baptistæ, quàm ea inter duos limites

constitutione: nam ad eum modum, & sanctior omnibus anterioribus in quacumque lege vixerint, & omnibus in lege noua subsequentibus, secundùm Christum & Deiparam, æqualis saltem esse debuit. Quod vt dispiciatur, statuendum est cum S. Ambrosio epistola 12. qua relationi Symmachi respondet, non aliter ferè se habuisse Ecclesiam, quàm messem, quæ à rudibus initiis præuehitur ad auream maturitatem: vel quæ fuerat Tertulliani comparatio, non aliter se habuisse Ecclesiam, quàm fructus, qui primùm acerbi eruditurtur pedetentim in mansuetudinem saporis; Vel quàm lignum humens & viride, quod sensim aptatur ad ignitionem. Leges igitur anteriores; ea inquam quæ naturæ dicitur, & cuius Moses fuit promulgator, ita se habuerunt ad nouam, vt prima admodùm imperfecta fuerit; perfectior secunda, sed omnium perfectissima, lex gratiæ, quæ verè fuit ignea lex, nec nisi sensim siccato subiecto, & humore depulso, concipi ignis potuit. Extrema verò dispositio & subiecti præparatio, fuit Ioannes: proindéque omnibus qui antecesserunt perfectior meritò supponitur.

Et *multam* quidem *gloriam fecit Deus magnificentia sua à sæculo*, ait Ecclesiasticus cap. 44. agens de priscis Patribus: Fuit in lege naturæ Enos, qui cœpit in cœtum congregare homines ad cultum Dei publicum, & inuocare nomen Domini per vim Deo gratam. Fuit Noë vir planè sanctissimus, quod S. Cyrillus fusè prosequitur lib. 2. Glaphyrorum in Genes. ac Chrysostomus hom. 23. in Genes. egregiè ex Scriptura eruit; de ea (vt vocat) hom. 34. in 1. Corinth. generis humani scintilla, fusè differens; nec aliter Theodoretus serm. 5. de Prouid. nominans eum, fomitem ac scintillam humani generis, secundùm hominum conditorem. Fuit in eadem naturæ lege Abraham, credentium pater, cuius elogiis scatent Scripturæ, vt Patres fileam; præsertim Chrysostomum integra de eo oratione t. 1. Græcol. S. Ephrem oratione de eo, Ambrosium duplici libro de Abraham, Basilium Seleuciæ orat. 7. Philonem l. de Abraham. Fuit Isaac, Iacob, & Ioseph, quos vberrimè à S. Ambrosio plenis tractationibus collaudatos, à me sileri præstat. Fuit Iob, qui vniuersam Diaboli potentiam concidit, & pharetram exhausit, iuxta Isidorum Peluſiotam lib. 3. epist. 106. & 11. Iam legem scriptam, exornarunt, Moses cuius virtutes Philo & Nyssenus plenis voluminibus celebrarunt, Iosuè de quo insigniter Origenes hom. 24. in eius librum; Samuel, & Regum Prophetarúmque maximus, (vt nominat Philo l. de temulentia) Dauid, cuius plenum encomium Basilius Seleuciæ pangit oratione 14. 15. 16. & 17. Et vno verbo omnia complexus est Sapiens, cum dixit, sic fuisse Dauidem in filiis Israël, vt adipem à carne separatum. Elias, [qui vere nubes concussit, & cœlo interminatus est ne pluetet, & verbo ligata creatura auriga elementorum factus, lingua ingenti, creaturæ gubernaculum moderatus est;] ait S. Athanasius orat. de Ascens. Vt cæteros præteream, Fuere in veteri lege tres pueri, de quibus S. Ephrem in eorum encomio, Eucher. hom. 3. de Epiph. Chrysost. epist. 1. ac hom. 18. num. 1. Cor. & hom. 8. in ad Ephes. Fuere Mater Machabæorum, & Machabæi, de quibus splendidissimè Eucher. hom. 4. de Epiphan. Ambros. libr. secundo, de Iacob à cap. 10.

Hi omnes qui velut stellæ per noctem legis naturæ & scriptæ, fulserunt, Lucifero matutino, Ioanni legis clausulæ, concedant de sanctitate necesse est; sicut qui montem altum subeunt, nisi pertingant ad verticem, depressiores sunt eo qui occupauit montis apicem. Sic lex Euangelica, mons est editissimus, iuxta S. Augustinum, de loco in quo propositæ sunt Euangelicæ beatitudines, differentem. Pars quà conscenditur, lex vetus fuit. Qui ergo sursum peruenit Ioannes, omnibus qui inferiùs hæsere, fuit sublimior. Quanquam ex Christi quidem pronunciato, illud vnum habemus, nemini anteriorum cessisse Ioannem. Ait enim Christus, *non surrexit maior Ioanne Baptista.* [Excluditque maiorem, non negauit æqualem,] ait Petrus Damiani serm. 14. Nihilominus, ratio proposita suadet quod dixi. Et quamuis sola cum anterioribus sanctis æqualitas, in B. Ioanne rata esset, liquet ex dictis, quàm sublimis esset S. Ioannes, nemini cedens anteriorum, quorum pletique adeò fuerunt eminentes, vt propterea S. Cyrillus catech. 3. audaciæ in eo pronuncieto suspicionem, inde tantùm amoliatur, quod ipsamet veritas, maiorem Ioanne inter natos mulierum non surrexisse, clarè edixerit Matth. 11. quod ibi Maldonatus, & latè Antonius Peres Controuers. 4. Expositiua, probant accipiendum esse de magnitudine quoad sanitatem, non autem de magnitudine sola muneris Præcursoris, quæ est in eum locum, Iansenij, & Francisci Lucæ expositio, approbata à Vasque 1. part. disp. 47. & magno plausu excepta à Nouatoribus, deprimendi Baptistæ studiosis. Quamquam cum solemne sit Deo, muneribus interna decora proportione respondentia conferre; æquè ex ea interpretatione dicti Christi, sanctitas summa S. Ioannis concluderetur.

### *Indidem illata sanctitas Baptistæ, collati cum SS. Noui Testamenti.*

931 Ex eodem principio, summa eiusdem Baptistæ perfectio & eminentissima sanctitas, per comparationem ad eos qui in nouo Testamento floruerunt, (Christo & Deipara semper exceptio,) facilè erui potest, de quo latè certatur à Philippo Abbate l. de Contin. cleric. à cap. 73. Nimirum fuit Ioannes medius inter vtramque legem, limes vtrique communis, vt de mediis terminis quantitatis tradunt Philosophi. In lege porrò noua, pro maiore ad Christum vicinia, vberior & plenior fuit sanctitas: Ex quo fundamento, summam Apostolorum sanctitatem, Ecclesia præ omnibus consequentibus Sanctis, semper ratam habuit. At nemo Christo propinquior Ioanne, vt Petrus Damiani serm. 3. de eo, *in calce*, docet, & optimè S. Bernardus serm. de S. Ioanne; perpendens vocis & verbi mortalis immediationem. Et necis & verbi mortalis immediationem. Et neglecta carnis propinquitate, ac consuetudine iam ex vtero, considerandæ est cooperatio, quæ Christum in Ecclesia fundanda adiuit. [Hunc enim, (ait ibidem Damiani paulò superiùs,) insignem atque egregium totius humani generis virum ad currendam vt gigas mortalis

mortalitatis nostræ viam, quasi conuiatorem, sibi Saluator adsciuit, & ad peragendum redemptionis nostræ negotium, quodam modo vt particeps esset,& collaborator elegit.]Eóque titulo,in officio Mozarabum,aduentus ante eius natiuitatem decernitur : Et in Concilio Salegumstadiensi cap. 1. & 3. Itaque quicquid sit, an præferri possit Apostolis, de quo non pronuncio; eis tamen cedere negatur absque temeritate, vt videre est apud Iustinianum disp. de Apostolatu cap. 5. Imo Petrus Damiani serm. 24.qui est 2.de S.Ioanne, omnibus Sanctis noui Testamenti, Ioannem anteponit, verbis illis. [Ioannes humanorum limes est meritorum. Quantumcumque enim Apostolici Senatus excellat auctoritas, quantumcumque vel Patriarcharum fides in diuina agnitione proficiat, vel Prophetarum oracula ad referanda arcana mysteria conualescant, quamtumlibet certè cumuletur triumphantium gloria martyrum, quamtumuis efflореat vernans pudicitia virginum, vel in verbis vitæ se exerceat lingua Doctorum; citra metam Ioannis omnia cohibentur, nihilque virtutis humanæ,nihil religionis, nihil perfectionis vltra progreditur.] Plenius,comparatione magis in particulari institutа,eadem iterat serm. 25. *in fine*. Optimè item Guerricus serm. 1.de S.Ioanne.

932 A Dauide, Psalm.67. in præclara, sed obscurissima, eminentissimorum nouæ legis sanctorum recensione,collocatur ante Apostolos; fortassis habita ratione temporis, quo eis præiuit. Describit ibi Psaltes primo loco, Regem virtutum dilecti, Christum inquam Regem exercituum Ecclesiæ, & matrem eius sanctissimam, quam velut Reginam, & totius Dei familiæ matrem, cognomine in Scripturis recepto ( vt apud Iobum cum ait, *visitans speciem tuam, non peccabis* ) speciem siue ornamentum domus Dei, nominat Psaltes, Illi antonomasticè victori,& huic (potiore iure quàm illa olim Antonini coniux Faustina, ) matri castrorum,spolia de Satana & Tartaro diuidenda, vult referri. De Apostolis quasi Regibus à summo & cœlesti Rege super Ecclesiam discretis, & in vmbra corporis Christi,in Selmon inquam qui *vmbra* exponitur, supra niuem dealbantibus populos Æthiopas, agit tertio loco. Secundùm vt Hugo Victorinus serm.97. rectè tradit, dedit Baptistæ, eo versu in quo fixam omnibus Interpretibus crucem dixit Alphonsus Mendoza quodl. 2. Exposit. *si dormiatis inter medios cleros,*(hoc est inter duas sortes, inter duo Testamenta,vt exponunt Hieronymus,Augustinus Theodoretus, Euthymius, fuitque id Ioannis proprium, vt hactenus vidimus : ) eritis sicut *pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius, in pallore auri.* Benè quod vox Hebræa *Ioanna* ( vt notat Nicetas in orat. 42. Nazianzeni ) *columbam* sonat, animal innocuum, & pudicitiæ exemplar, vt dixerunt Augustinus tractat. sexta, in Ioann. Nyssenus lib.de Virginit. capit. vndecimo, & apud Cyprianum Autor sermonis de Spiritu sancto. Adde etiam nuncij munere functas sæpè columbas, vt Aldrouandus l.15.Ornithol. fusè docet. Non potuit hominis missi à Deo, & innocentissimi, ac purissimi,Symbolum aptius proferri. Sed de speciali iure, quo Baptista mediator audire potuit,



dèque consequentibus ad eum titulum decoribus,plus satis,hoc quidem loco.

### *Alij præterea mediatores analogici, vt Sacerdotes, & iusti quique*

933 Sunt & alij quidam infra Christum mediatores. Nam nunc quoque, Sacerdotes, mediatores audiunt inter Deum & nos.Ita locutos plerosque Patres, constat; Hieronymum in cap. 2. Malachiæ,& Epistol.ad Fabiolam ; Gregorium Magnum in Pastor.part.1.cap.11.Chrysostomum lib. 6. de Sacerdotio. Nazianzenum in Apologetico, & in S. Basilij laudatione, & alios quos profert Espencæus l. de Mediatore cap.1.& multos etiam refert Hosius lib.2. contra Brenlium *ante medium* ; quibus adde, Clementem Romanum ib.2. Constit. cap. 30.Isidorum Peluſiotam lib. 3. Epist.290. Blesensem Epistol. 139. *sub finem*. Iuonem Carnotensem serm.de excellentia sacrorum ordinum, egregiè distinguentem in his mediatoribus duas naturas, Bernardum pulchrè epist.42. quæ est ad Henricum Episcopum Senonensem, (vbi de Pontifice mediatore, ac ponte inter Deum & homines, ) Et literas Episcoporum Ægypti ad Leonem Imperatorem, quas exhibet Nicephorus lib.13. cap. 17. Ibi enim S. Proterius Patria vita Alexandrinus, nominatur mediator inter Deum & homines, & Sacerdotum definitur mediatio & interpositio inter Deū & homines. Præiuerat. Philo sub finem libri 2. de Monarchia,sic scribens præter cætera. [ Postulat in eo viro lex præstantiorem homine indolem; quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam diuinæ humanæque naturæ, (si verum fateri licet, ) confinio ; vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus,eiusdem ministerio porrigat eis largiaturque suam gratiam.]

Pulcherrimè verò de Christiano Sacerdote agens S.Chrysostomus hom.5. de verbis Esaiæ, hinc inferens quantoperè Sacerdos Regi præcellat. [Sacerdotium, ( inquit,) principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac maius. Ne mihi narres purpuram,neque diadema, neque vestes aureas,vmbræ sunt istthæc omnia,veriúsque flosculis leuiora. *Omnis enim,* (inquit,) *hominis gloria sicut flos graminis*, etiamsi ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista, sed si vis videre discrimen, quantum absit Rex à Sacerdote, expende modum potestatis vtrique traditæ, videbis Sacerdotem multò sublimiùs Rege sedentem. Quanquam enim nobis admirandus videtur thronus regius ob gemmas ei affixas, & autum quo obciñctus est, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est, nec vltra potestatem hanc præterea quicquam habet autoritatis. Verùm Sacerdoti thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotiis pronuntiandi habet autoritatem. Quis hæc dicit ? Ipse cœlorum Rex : *Quæcumque enim ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Quid cum hoc honore conferri possit? Altera,iudicandi principalem autoritatē, sumit cœlum. Nam iudex sedet in terra,Dominus sequitur seruum;&quidquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat Sacerdos inter Deum & na-

turam humanam ; illinc venientia beneficia ad nos deferens,& noſtras petitiones , illùc perferens ; Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ ; nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Eóque Deus ipſum regale caput Sacerdotis manibus ſubiecit , nos erudiens , quòd hic Princeps eſt illo maior. Siquidem id quod minus eſt , benedictionem accipit ab eo quod præſtantus eſt.]

934 Vides Sacerdotem eſſe mediatorem, & hoc quantum. De quouis Chriſtiano Doctore , ſimiliter loquitur Clemens Alex. 7. Strom. De quocunque pio viro aliis præpoſito , ſplendidè Gregorius Nyſſenus Tract. 1. in titulos Pſal.cap. 7. Nec refragatur S. Auguſtinus lib. 2. contra literas Parm.cap.8. cum latè refellit quod Parmerianus, Epiſcopum dixerat eſſe,mediatorem inter hominem & Deum : quod & à S. Paulo 1. Cor. 12. & vbiuis aliàs , ſtudioſè vitatum obſeruat. Hæc enim non interquentur in eam mediationem quam Patres cæteri Sacerdotio tribuunt ; ſed in illam duntaxat , ſuperbam & typhi plenam , qua Donatiſta Permenianus, ſe & alios eiuſdem ſectæ Epiſcopos , tanquam puros , ita Deum inter & homines interponebat , vt eos iuuari fidelium orationibus nollet: Quod S. Auguſtinus meritò auerſatur,tanquam plenum inſani tumoris: [Homines enim omnes Chriſtiani , inuicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat , ſed ipſe pro omnibus ; hic vnus verúſque mediator eſt, cuius typus quoniam præfigurabatur in Sacerdote veteris Teſtamenti,nullus illic inuenitur oraſſe pro Sacerdote. ] Modeſtam itaque illam & ſobriam mediationem , quæ aliorum apud Deum interuentionem admittat , non negat Sacerdotibus & Epiſcopis , D. Auguſt. Sicut neque diffitetur,imo vt audiſti, expreſsè admittit , eam mediationem qua membra Chriſtiani populi apud Deum pro ſe inuicem intercedunt.Dici etiam poſſet,S. Auguſtinum negaſſe mediationem Epiſcopi inter Deum & homines,in alio ſenſu apud Donatiſtas recepto;nempe itavt Epiſcopus bonus , ſanctificet plebem baptizando,& miniſtrando Sacramenta ; malus autem non ſanctificet;quod eſt conſtituere Epiſcopum mediatorem redemptionis ; cum tamen non ſit niſi legatus & quoad hoc purus miniſter.

Iuſtos quoſlibet , mediatorum pro humano genere perfungi munere , & vrbium in quibus degunt mediatores apud Deum eſſe, intelligitur ex grauiſſima oratione S. Ambroſij lib. 2. de Cain c. 3. quam expreſſit ex Philone lib.de Sacrificio Abelis & Caini, & lib. de migrat Abraham.Eo loco.S.Ambroſius,cum præmiſiſſet rationem vnam , ob quam vir ſapiens, eſt leuites ſiue redemptio ſapientis, ſubdit ſenſum tropologicum in hæc verba.[Plurimùm tamen refert, & moralem ædificat affectum , ſi etiam numerum iuſtorum , ſimpliciter accipiamus prodeſſe populorum ſaluti. Comprimit & reſecat inuidiam , confundit improbitatem , virtutem incitat, auget gratiam. Nemo enim inuidere debet alteri laudem quæ ſibi profit : atque improbus quiſque , redemptorem ſuum dum ſuſcipit, frequenter imitatur. Certè veneratur, plerúmque etiam diligit. Ipſe etiam ſi ſe aliis profuturum ſciat,ſtudiis augetur,eáque gratia connectit populos , accumulat charitatem ciuium , vrbium gloriam. Quàm beata ciuitas quæ plurimos iuſtos habet;quàm celebrabilis ore omnium;quomodò benedicitur tota de parte,& beatus atque perpetuus eius ſtatus exiſtimatur. Quàm gaudeo , cùm aliquos mites ac ſapientes diu viuere video;cùm Virgines caſtas , viduas graues aſpicio longæuas,velut quandam incanam Eccleſiæ curiam prætendant ipſo quodam vultu & ſpecie grauitatis , quod reuereantur , quod imitentur, quoad omnem morum gratiam colorentur. Non enim ipſis gaudeo , cùm viuendo multa ſubeant tædia ſeculi huius,ſed quia profunt pluribus. Similiter cum aliquis huiuſmodi decidit, quamuis longa ſenectute depoſitus, afficior; quia deſtituitur grex iuuenum muro ſeculi. Denique perituræ vrbis , aut malorum imminentium,vel futuræ labis,hoc primum indicium eſt,ſi decedant viri conſultores , vel etiam grauiores fœminæ. Hinc primùm ingruentium porta aperitur malorum.] Nimirum quia ſublati ſunt mediatores.

### *Beati,ac præſertim Deipara, eodem modo mediatores.*

935 Multo iuſtiùs ſancti , qui iam beatitudine potiuntur, nec egent pro ſe ſuiſque æruminis deprecari, mediatores humani generis apud Deum nominantur. Quo pacto locutus eſt S. Baſilius orat. in SS. 40. Martyres , & S. Greg. Naz.orat.6.num.16. vocans Martyres *mediatores diuinitatis*. S. Victorem nominat mediatorem,S. Bernardus ſerm.2.de S. Victore. Deiparam mediatricem noſtram ad Chriſtum,tingentibus licet Hæreticis , paſſim vocamus, præuntibus Patribus , Bernardo ſerm. 2. de Aſſump. *initio* ,& ſerm. de verbis, Apocal. & Epiſtola. 174. Baſilio Seleuciæ orat.de Annunc. Virg.S. Ephrem orat. de laud.Deip. Anſelmo de excell. Virg. cap.9. Diſſerit latè de eo Deiparæ titulo, Salazarius lib. de Conceptione cap. 21. & qui hunc titulum, viribus Chriſti nihil officere optimè demonſtrat Caniſius lib. 3. Marialis cap. 12. Ego pro eo Giſelbertum inſuper adduco in Altercatione Synagogæ & Eccleſiæ *ſub finem* ad illud,*cum eſſet deſponſata*.Eximium enim Deiparæ elogium ſtruit, quo hunc titulum non omiſit.Nec omittendus Richardus à S. Laurentio;cuius hæc eſt oratio lib. 2. de Deip. [Sicut filius eſt mediator Dei & hominum, ſic & ipſa, noſtra ad filium eſt mediatrix , qua ſcilicet mediante, venit ad nos Filius Dei,& qua mediatrice ad Filium peruenitur. Ad quod inuendum, Chriſtus moriens ipſam habuit ab Aquilone, quo ſignificantur peccatores : quaſi hoc ipſa diceret,quod ipſa mediante, dexteram ſuæ propitiationis extenderet peccatoribus congelatis.] Et inferiùs.[Dixit Pater Geneſ. 2.*non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*,ideſt non ſufficit vnicus Adhominem vocatus , aut mediator, aut interceſſor humano generi in cœlo, cum tot & tam periculoſas habeat cauſas coram me. *Faciamus ad adiutorium*, ideſt B. Virginem , quæ alleget pro genere humano coram Filio,ſicut Filius coram me. Propter hoc dicitur de ipſa Pſal. 88. *teſtis in cœlo fidelis*. ] De omnibus æquè ſanctis , idem ſtatuit S. Baſilius, verbis illis in Epiſtola ad Iulianum Apoſtatam.[Suſpicio SS. Angelos , Prophetas, &

& Martyres,qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem,propitius sit mihi Deus noster, & remissionem mihi peccatorum gratis largiatur.] S.Cyrillus qui 12.Thesauri cap.10. aliquos duntaxat Sanctorum, donat titulo mediatorum, de iis duntaxat sanctis agit qui dum viuerent mediatorum personam sustinuerunt,intercedentes pro populo,proponitque exempla Mosis,Ieremiæ, & multorum Prophetarum quos pro Iudæis interuenisse apud Deum produnt Scripturæ. De sanctis autem in termino constitutis,non agit eo loco;nec quibusdam eorum tribuit mediandi & interueniendi partes, aliis non item.Sunt itaque sancti, iam cœlo illati, nostri apud Deum mediatores.

Quod si aliquando nonnulli Patres,vt Hilarius Diaconus in c.1. ad Rom. beatis cœlitibus negare videntur titulum *mediatorum*, perspicuè egerunt de mediatoribus acceptis in sensu Platonico. Statuebant enim Platonici,Genios mediatores,per quos tanquam per internuncios & interpretes, perueniendum esset ad Deum summum, de quibus & super tactum est aliquid ex Augustino, & plenius etiam est actum in Naturali Theologia d. 8. num. 45. & latè quoque Espencæus l. de Mediatore cap.12. Eam Platonicam Sanctorum mediationem, non illam quam admisimus, repudiat Hilarius Diaconus, & nonnulli alij Patres, quos ridiculè Sectariis nostratres aduersùs cœlitum inuocationem allegant. Nec defuisse qui talem Angelorum pro nobis mediationem inueherent, quæ Christus mediator excluderetur, tradit disertè S. Chrysostomus hom.7. in ad Coloss. Quos proinde ferire quoque potuerunt nonnulli Patrum; negantes Angelis munus & nomen mediatorum, quamuis eos æquè ac reliquos cœlites, suo modo esse necessarios apud Deum mediatores, non inficientur. Alia responsio,tametsi communior, non videtur adeò esse ad mentem Patrum prædictorum; nempe quod negent duntaxat vllum alium esse mediatorem per modum Redemptoris. Adhibent eam responsionem Hæreseologi passim, & Suares, lib. 1. de orat. cap.10. à num. 11.

### *Concluditur,vnicum Dei nobiscum mediatorem, esse Christum.*

936 Quamuis autem & Moses, & Prophetæ,& Sacerdotes,& iusti omnes, ac Beati, mediatorum rationem & nomen vtcunque participent,tamen propriè & simpliciter loquendo, verissimè dictum est ab Apostolo 1. Timoth.2. *Vnus Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Eius loci insignem Glossam ex D. Cyrillo accipe l.12. Thesaur. cap. 10. [ Mediator Dei & hominum Iesus Christus est, non solùm quia reconciliauit homines Deo, verùm etiam, quia naturaliter & substantialiter & Deus & homo in vna hypostasi est. Hoc enim modo naturam nostram sibi Deus reconciliauit. Nam aliter, quomodò vnum mediatorem Christum,Paulus dixisset? Multi enim Sanctorum, mediationis ministerio vsi sunt, & ipse Paulus clamat; *Rogamus pro Christo,reconciliamini Deo.* Mosis quoque mediator fuit, ministrauit enim filiis Israël legem, datam à Deo. Mediator etiam fuit Beatus Hieremias, præcipuè quando clamabat ad Deum: *Recordare mei,stantis coram te,ad loquendum pro ipsis bona.* Quid multa? Singuli Prophetarum mediatores fuerunt; Apostolorum quoque singuli. Quomodò igitur vnicus mediator Dei & hominum Christus est, nisi noua inauditáque in aliis mediatio sua sit? Sed modum quoque perstringere non alienum est. Quòd igitur duo quædam sicut medium coniungit, ab vtroque necessariò tangitur: & hoc modo diuersa per medium coniunguntur. Est autem Christus mediator Dei & hominum,quia in eo vno Deus & homo coniunguntur. Non est tamen ipse aliud tertium præter Deum & hominem, sed Deus verè, & homo verè; *Ipse enim est pax nostra.* Et quoniam naturaliter nobiscum coniungitur, diuinæ substantiæ natura nostra in ipso coniungitur, & hoc modo diuina natura communicamus.] Videsne veram germanamque causam, cur Christus sit vnicus solúsque mediator inter Deum & homines,mediatione illa peculiari, per quam consecuti sumus ex iustitia, reconciliationem cum Deo.

### *Per Christum primarium mediatorem,pax nobis cum Deo.*

937 Nec cum Deo tantùm, sed etiam cum Angelis, per hunc mediatorem reconciliati sumus. Inter nos ipsos quoque,ac inter vnius hominis binas partes, pax conciliata est, eiusdem interuentu. Hoc sensu Christus Zachar 8. dicitur *semen pacis.* Ab Apostolo ad Ephes. cap.2. dictus est *pax nostra*, verbis illis omni sesamo sapidioribus, *Memores estote quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta: quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra,qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua:legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore,Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens Euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis qui propè, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno Spiritu ad Patrem.* Quibus verbis Apostolus triplicem illam humano generi collatam per Christum pacem insinuat.

In primis quidem cum Deo qui cum intercedebant nobis inimicitiæ, iuxta illud, *Peccata vestra diuiserunt inter me, & inter vos.* Sed de hac pace,hactenus satis multa. Nunc duntaxat, addo S. Paulinum epistol. 4. cum Sampsonem Christi fuisse typum monstrat. [ Iuuat (inquit) indulgere sermoni, & illum Domini fortem, vsque ad finem suum prosequi. Nam in cæcitate ipsius & in morte, diuini sacramenta mysterij prælineata mirabimur: qua quod scriptum est, plures illum hostes strauisse morientem, quàm toto priùs vitæ suæ tempore perculisse: sed arbitror principe loco vim Dominicæ passionis interpretandam, qua zabuli domus cecidit.& regnum mortis solutum est, quod viuente semper (vt viuit) Christo, & ante carnalem aduentum suum in Maiestate naturæ suæ apud

Dominum Patrem Deo Verbo, tamen disposítis in ordinem suum seculis ab Adam vsque ad Moysem, mortis potestas licentia bacchanti regnauerat, & de lege intellecto nos euitato peccato creuerat hoc regnum, Rex Regum & dispensator temporum Dei filius passione sua diuisit ac diruit; Deus, factus sub lege, vt subiugatos legis solueret; factus per mulierem, sed mulierem, sexu, Virginem partu, vt sanctificaret vtrumque sexum creator vtriusque, suscipiendo virum, nascendo per fœminam. Itaque mortem ipsam moriendo destruxit, soluens (vt scriptum est) inimicitias in carne sua, & faciens vtrumque vnum, ideſt hominem & Deum, quem in seipso connexuit, Deus & homo, Christus. In quo vtramque substantiam naturæ discordiam posuit, & viuificantis gratiæ æternum fœdus agnouit.]

Et hanc ob causam, Christum lapillo stanneo esse collatum dicet S. Cyrillus 3. de Adorat. his verbis. [Coniunxit etiam nos per se Deo & Patri, solutis inimicitiis in corpore suo, vt scriptum est, idcóque ad Patrem, qui in cœlis est, ac Deum, de iis qui iustificati erant per fidem, qua in ipsum credebant, dixit. *Pater volo vt, sicut ego & tu vnum sumus, sic ipsi quoque in nobis vnum sint.* Hac ratione vocatus est lapis stanneus, quod stanno conglutinantur quæ conglutinanda sunt. Dixit autem profectò Deus per Zachariam, cum filium suum nobis demonstraret aliquando venturum atque affuturum: *Et lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorababel.* Ad eundem modum hoc igitur loco plumbi talentum, eundem vocat.]

### *Pax item cum Angelis.*

938 Deinde verò pax nobis per Christum obtigit, cum Angelis, qui pro Deo stantes, gerebant nobiscum simultates, Cum iis ergo nos conciliauit Christus, & ex inimicis fecit tutores, & custodes sollicitos: quod alibi quoque expendit idem Apostolus, vt Coloss. 1. dicens *Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Pulchrè Etherius & Beatus lib. 1. contra Elipandum. [Prius quam Redemptor noster per carnem nasceretur, discordiam cum Angelis habuimus; à quorum claritate, atque munditia, per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longè distabamus. Quia enim peccando, extranei eramus à Deo, extraneos nos à suo consortio deputabant Angeli, ciues Dei. Sed quia nos cognouimus Regem nostrum, recognouerunt Angeli ciues suos. Quia enim cœli Rex terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa iam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram Angeli redeunt: Intentionem prioris discordiæ, postponunt. Et quos infirmos prius abiectósque despexerant, iam socias venerantur; cum naturam nostram in sede dominica, immortali fulgentem gloria peruiderunt. Planè illa natura quę audiuit; *Terra es, & in terram ibis.* Quoniam naturæ humanæ gratulandum est; eò quòd sic assumpta est à Verbo vnigenito, terra mortalitatis nostræ, vt immortalis constitueretur in cœlo, vtique ita fieret terra sublimis, vt incorruptibilis puluis rediret ad dexteram Patris. Et hoc est quod clamant Angeli, & omnis Ecclesia; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Bonæ voluntatis*, ideſt, qui benè volunt, non qui malè volunt. Qui benè credunt, vt cum Angelis socientur; non qui malè credunt, vt cum Diabolo damnentur.]

In eandem sententiam de Angelorum & hominum per Christum pacificatione andi Chrysostomum homil. 3. in ad Colossenses circa testimonium Apostoli prolatum, quo dixit pacata per Christum fuisse omnia in cœlo & in terra. [Quid est autem illud, *Quæ in cœlis?* Nam quæ in terra quidem sunt, meritò. Repleta enim erant inimicitiis, & diuisa erant in multa, & vnusquisque nostrum secum dissidebat, & cum multis. Quæ autem sunt in cœlis, quomodò pacificauit? Illic quoque erat bellum & pugna. Et quomodò oramus dicentes, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra?* Quid ergo est? Abscissa erat terra à cœlo, bellum gerebant Angeli aduersùs hominē, videntes suum Dominum probro & contumelia affectum. Dicit omnia instaurari in Christo quæ sunt in cœlis & quæ sunt in terra. Quomodò ea quæ sunt in cœlis? Illuc commigrare fecit hominem: inimicum qui odio habebatur, illis reddidit. Non solùm quæ sunt in terra fecit pacem agere, sed ad ipsos sustulit hostem & inimicum. Hoc pax profunda. Angeli de cætero rursus cernuntur in terra, quoniam homo quoque apparuit in cœlo. Mihi autem videtur ea de causa fuisse raptus Pauli; & vt ostenderet quòd filius quoque illuc est assumptus. Nam in terra, pax est duplex & cum cœlestibus & inter se. In cœlis autem simplex. Nam si propter vnum peccatorem pœnitentiam agentem lætantur Angeli, multo magis propter tam multos.] Et mox. [Vis scire quantum Angelorum esset in nos odium, & quomodò non semper auersantur? Mittuntur ad supplicium aduersùs Israëlitas, aduersùs David, aduersùs Sodomitas, aduersùs vallem luctus. Sed non nunc. Sed contra, in terra canebant valdè lætantes, & hos deduxit ad ipsos; & homines illos sustulit. Et mihi contemplare id quod est præter opinionem. Hos primos hoc deduxit, & tunc hominem ad eos sustulit. Cœlum facta est terra, quoniam quæ erant terræ, cœlum erat susceptura. Propterea gratias agentes dicimus. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Ecce, (inquit.) apparuerunt etiam homines de cætero benè placentes Quid est *beneplacitum*? Reconciliatio. Non est ampliùs cœlum paries intermedius.]

939 Hoc Petrus Damiani serm. 1. de Exalt. S. Crucis, in erecta, & à terris in cœlum surrecta crucis forma expressum censet, sic scribens. [Respice crucem stantem, & vide quàm recta cacuminatione de terris erigatur ad cœlum, & veritatem rei ipsa imagine protestetur. Nónne tibi videtur figura, eius cœlum, & terram sublimi continuatione coniungere? Hæc est firmissimum ac indissolubile gluten, quo conglutinantur rationales creaturæ, vt ex vtrique fiat illa ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.] Et inferius. [Scriptum est in Regnorum Historia, quia beata illa mater ait ad Eliam: *En collige duo ligna.* Duo ligna, duo Crucis brachia sunt. In his duobus, humanam & Angelicam naturam intellige. Et illud qui-dem lignum, quod recta sublimitate tendit ad cœlos,

cœlos, superiorem accipe naturam, quæ stetit in rectitudine, & officiosissima deuotione voluntati Dominantis adhæsit. Illud verò quod transuersum est, humanam designat, quæ transuersa, immo vt verius dicamus, euersa, statûs sui perdidit æquitatem. Intuere cum quanto Sacramento iungantur. In vtroque ligno fit scissio, & ex occasione vulnerum, iunctior iunctura componitur. Super cœlestes Spiritus non mediocre vulnus acceperunt, cum Deus in Angelis suis reperit prauitatem: nec contemnenda plaga, cum eam resarciri oporteat, quia non restituto sociali numero, numerositas cadens facta videtur in vnum. Inferior verò natura, à planta pedis vsque ad verticem, ita venenifera fermentatione infecta est, vt nesciat vnde veniat, aut quò vadat. Vtrorumque Spirituum igitur vtrisque vulneribus non mediocriter hiantibus, impressio facta est iuncturalis, quæ Christo coniungente ita est resarcita, vt nihil vulnificum videatur inesse. Christus enim in vtrisque & pro vtrisque confixus, vtrosque cauilla corporis sui validus nectit, & corpus proprium iuncturis opponit, ne valeant resilire. Crux igitur iungit cœlum & terram: Christus in Cruce trahit omnia: Leo rugiens ibi ligatur: Angelus confœderatur, & homo; totúmque per eam reficitur, quidquid fecit manus Altissimi.]

S. Cyrillus 11. de Adorat. huc refert nexum superhumeralis & rationalis. Iam verò, (inquit,) quod supernaturali aptatum est rationale, ea re significari opinor, Christo interposito mediatore, superis infera esse connexa. *Ipse est enim pax nostra qui fecit vtráque vnum*, vt Scripturæ tradunt, & Angelorum cœuit humanam naturam charitatis vinculo deuinxit.]

### *Pax insuper, hominibus ad homines, & ad seipsos.*

940 Tandem etiam Christus, genus nostrum in duas partes discissum, connexuit & pacem fecit. Erant enim Gentiles à Iudæis auulsi, & vtrosque in vnum compaginauit. Hoc pulcherrimè exponit apud S. Ambrosium Hilarius Diaconus ad Galat. 3. tractans illud, *mediator autem, vnius non est.* In quem locum sic scribit. [Sine dubio mediator, hoc est arbiter, non est vnius, sed duorum. Cum enim duo populi inuicem aduersùm se dimicarent, semper dissidentes & inimici aduersitate doctrinæ; Saluator horum arbiter venit, amputans vtrisque populis per quod discordabant, vt possent esse pacifici. Abstulit ergo gentibus, numerum Deorum, & famulatum elementorum, quod scandalum erat Hebræis. Abstulit & Iudæis opera legis, idest, neomenias circumcisionem, & curam Sabbati, & discretiones escarum, & cætera quæ abominabantur Gentiles, & sic facti sunt pacifici, qui priùs fuerant inimici.]

Quin etiam lege nouæ charitatis, de qua mox, constabilita; & Spiritu charitatis infuso, omnium hominum cum omnibus hominibus, & partis superioris cum nostra parte inferiori, pacem formauit atque perfecit. Vnde illa sanè egregia Nysseni ad pacem & concordiam inter nos cohortatio lib. de perfecta Christiani forma. [Christum esse pacem cogitantes, veram Christiani appellationem ostendemus, si per eam pacem quæ in nobis est, Christum vita nostra expresserimus. Ille interfecit inimicitiam, vt inquit Apostolus. Ne igitur eam in nobis vllo modo reuiuiscere patiamur, sed planè mortuam esse declaremus. Ne præclarè pro salute nostra interfectam à Deo, nos in nostrorum perniciem animorum irascentes, & iniuriarum reminiscentes excitemus; ea quæ benè mortua iacent, improbè in vitam reuocantes. Sed cùm habeamus Christum qui est pax, nos item inimicitiam occidamus, vt quod in ipso credimus, id in nostra vita prosequamur. Ille enim medium parietem maceriæ soluens, duos condidit in semetipso, in vno homine faciens pacem: sic & nos reconciliemus, non eos tantùm qui nos extrinsecùs oppugnant, sed illos etiam qui in nobis ipsis seditiones commouent, vt ne concupiscat ampliùs aduersùs Spiritum caro, & Spiritus aduersùs carnem; sed prudentia carnis legi diuinæ subiecta in vnum nouum & pacificum hominem reædificati, & ex duobus vnus effecti, in nobis ipsis pacem habeamus. Hæc enim est pacis definitio, vt dissidentium concordia esse dicatur. Quamobrem quando naturæ nostræ bellum intestinum sublatum est, in nobis pacem colentes, pax efficimur, & veram ac propriam in nobis hanc Christi appellationem declaramus.]

Specialiter de pace cuius interna, sic S. Paulinus Epistola 21. [Cruci ergo, fixus est Dominus: quo mysterio pietatis atque concilio, Apostolus docet, *vt solueret* (inquit) *parietem valli, interficerétque inimicitias*, & omnem huius mundi ambitum dispoliaret, ac de vniuersa inimici potestate captiuans ipsam captiuitatem, triumpharet. *In sua cruce susci piens* (inquit) *similitudinem carnis peccati.* Non vtique similitudinem carnis, quia in omnibus Deus veritas, & ideò verè & corporaliter, Verbum caro factum est: in similitudinem carnis peccati, vt qui peccatum non fecit, per suam inuiolabilem impassibilémque naturam propter nos tamen (vt scriptum est) peccatum faciens, idest, peccatorem susceptum in forma serui gerens. Factus enim est pro nobis maledictum, vt nos maledicto legis absolueret: de peccato damnauit peccatum, idest peccati materiam, quæ adhuc in illa Adæ carne viuebat, in ipsa quam susciperе dignatus est Adæ carne vacuauit, ac sic parietem valli, hoc est peccatum quod inter nos & Deum separabat, destruens, fecit vtraque vnum; non solùm vt Iudæorum & gentium fides in Christo coiret, sed vt in vnoquoque nostrum qui crederemus, natura sibi nostra congrueret, & discordia quæ priùs versabatur in nobis, cum spiritali adfectui carnalis anima repugnaret, pace fidei solueretur. Nunc enim bellum illud antiquum quo lex peccati repugnabat legi Dei, aboletur in Christo, cùm spiritus Deo seruiens, subactam sibi animam, Deo seruientem, in omne obsequium caro ministra comitatur.]

Optimè quoque S. Cyrillus lib. 11. de Ador. tractans benedictionis formulam num. 6. præscriptam, cuius vnum caput erat, *det tibi pacem Dominus*, quod sic exponit. [Eleuatio vultus conciliatrix est pacis, cuius donator est & arbiter Christus, qui hoc tanquam proprium ac peculiare bonum, in se credentibus, & proponit & donat; *Pacem enim*, (inquit,) *meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Cùm enim tanquam in sublimi posuit Filium Pater, dans illi nomen,

quod

quod est super omne nomen, ac dicens illi *Sede à dextris meis*: tum verò sublatis inimicitiis, quæ nos disiunctos tenebant, in pacem connexi sumus, eò quòd quæ ipsius sunt, sapere studemus, & in Spiritu ambulare, in quo & per quem diuinæ naturæ consortes effecti sumus, Christo nos in vnitatem connectenti: Is enim profectò ait ad Patrem, *Volo vt sicut ego & tu vnum sumus; sic etiam in nobis vnum sint; Vnum enim corpus omnes sumus in Christo; & qui adhæret Domino, vnus spiritus est* vt est in Scripturis. Deo autem & Patre suam quodammodò faciem eleuante, idest, glorificante Filium, pacem cum eo compositam nos adeptos esse, declarat ipse dicens: *Cum exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum.*]

Ratum id habet Palladius, quî cum ibi Dialogum texit S. Cyrillus, subditque id esse quod dictum est de Christo, *Ipse est pax nostra*; Et *per ipsum accessum habemus in Spiritu ad Patrem.* Quæ porrò de vno, ex duobus in nobis per Christum efficiendo, habet supra Nyssenus, clariùs ab eo exponuntur orat. 7. de beatitud. *in ipso fine.* Subdit, & erit iste pax. Et Angeli Lucæ. His de causis, Christus pax dictus est. Nam & Michæas cap. 5. præmissa Christi Natiuitate in Bethleem, subdit, *Et erit iste pax.* Et multitudo Angelorum statim ab ortu solis Christi, Lucæ 2. gloriam Deo esse denunciant in altissimis, ex tanto mysterio; in terris autem, esse pacem hominibus, ex bona voluntate Dei oriundam, qua filium suum nullis adductus humanis meritis, demisit in terras. In quam sententiam sic disserit Chrysologus serm. 149. [Christus qui est Rex pacis, cum sua pace procedens, fugauit omne dissidium, dissensiones depulit, discordiam perturbauit, & sicut cœlum splendor Solis, ita Ecclesiam fulgore pacis illuminat. *Quia natus est vobis hodie,* (ait) *Saluator mundi.* O quàm desiderabile nomen pacis: quàm Religionis Christianæ stabile fundamentum, & altaris Dominici cœlestis ornatus. Et quid dignum possumus de pace proloqui? Pax nomen est ipsius Christi, sicut & Apostolus dicit; *Quia Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*; quæ non sententiis, neque fide, sed inuidia Diaboli dissidebant.]

941 Hæc est pax super pacem, de qua hominibus conferenda à placato Deo illustris locus est Isaiæ 57. ad quem alluisse Apostolum loco prolato ex cap. 2. Ephesiorum, existimat ibi Hieronymus. Sic autem habet locus Esaiæ. *Hæc dicit excelsus, & sublimis, habitans æternitatem: & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humili Spiritu: vt viuificet Spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Non enim in sempiternum litigabo, neque absque ad finem irascar quia spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam. Propter iniquitatem auaritiæ eius, iratus sum, & percussi eum: abscondi à te faciem meam, & indignatus sum: & abiit vagus in via cordis sui. Vias eius vide, & sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius. Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longè est, & qui propè, dixit Dominus, & sanaui eum.* Apostoli hanc pacem Euangelizarunt, vt ex Isaiæ traditur Rom. 10. aptato ad Apostolos eo Isaiæ vaticinio, *quam pulchri sunt pedes Euangelizantium pacem.* Sic in Christo Iustitia & pax osculatæ dicuntur, & disciplina pacis nostræ super eum fuisse proditur. Christi figuram ob huiusmodi pacem inductam, gestasse pacifici cum Regem Salomonem, censet Angelomus 3. Reg. 2.

Hinc gratulatos sibi veteres Patres, quod in Christi aduentu, pax futura esset in terra nostra prosequitur optimè S. Bernardus serm. 2. in Cant. his præter cætera. [Non latuit sanctos & ante aduentum Saluatoris, Deum super mortalium genus cogitare cogitationes pacis. Nec enim faceret verbum super terram, quod non reuelaret seruis suis Prophetis. Erat tamen verbum hoc absconditum à multis. Fuit namque in tempore illo rara fides in terris, & tenuis admodùm spes, in pluribus quoque illorum qui expectabant redemptionem Israël. Qui verò præsciebant, ipsi & prædicabant Christum in carne venturum, & cum ipso pacem. Vnde quidam eorum, *Et pax erit,* inquit, *in terra nostra cum veneris.* Immò per ipsum Dei gratiam homines recuperaturos, cum omni fiducia, sicut diuinitùs acceperant, prædicabant. Quod & præcurrit Domini Ioannes, suo tempore impletum agnouit & perhibuit, *Gratia* (inquiens) *& veritas per Iesum Christum facta est,* & ita verum esse, omnis nunc Christianus populus experitur. Cæterùm illis prænunciantibus pacem, moram autem faciente autore pacis, nutabat populi fides, dum non erat qui redimeret, neque qui saluum faceret. Itaque causabantur homines moras, quòd ille toties nunciatus, necdum veniret *Princeps pacis*, sicut locutus fuerat per os sanctorum qui à seculo sunt Prophetarum eius; & suspectas habentes promissiones, signum promissæ reconciliationis (quod est osculum,) flagitabant: ac si nunciis pacis vnus quilibet reponderet de populo; Quousque tollitis animas nostras? Iam olim prædicitis pacem, & non venit; promittitis bona, & adhuc turbatio. Ecce hoc ipsum multifariè multisque modis, & Angeli Patribus, & Patres nostri annunciauerunt nobis, dicentes; *Pax pax, & non est pax.* Si mihi vult esse persuasum Deus, quod de suæ beneplacito voluntatis, tam crebra iam legatione spondet nec exhibet, osculetur me osculo oris sui, sic que in signo pacis, faciat de pace securum.]

Est ergo Christus nobis datus, *pax.* Nec contentus Pater filium suum pacarum dare, adiunxit pignus pacis pactæ, Spiritum sanctum. Quemadmodùm enim (ait S. Chrysost. homil. 2 in ad Ephes.) [Perinde ac si gentibus bellum esset aduersùs gentes, dant obsides; ita Deus dedit filium suum pignus pacis & fœderum, & Spiritum sanctum qui est ex ipso.]

### *Christus mediator, idem quod lapis angularis.*

942 Mediationi Christi inter nos ac Deum, adiuncta quoque fuit mediatio multiplex, quam Apostolus post Psaltem aliis verbis expressit, docens Christum factum lapidem anguli, fecisse vtraque vnum, hoc est nexum adhibuisse homines inter ac Angelos: itemque inter ipsos homines qui ante cum aliis plerisque, tum etiam religiosi cultus ritibus disiuncti, & in Iudæos ac gentes diuisi, rixas inter se ac prælia agitabant, quinetiam idemmet homo, à seipso mirè

miserè diuisus in externum ac internum distractus, bella secum ciebat, expers pacis. Composuit omnes, Christus; & quæ in cœlis, & quæ in terris, cuncta pacificauit, autore Apostolo, factúsque lapis angularis, & iuxta Psaltem caput anguli, fecit vtraque vnum; vnde plena & omnibus numeris absoluta pax conciliata. Scio quàm multiplex sit interpretatio verborum illorum, *lapis angularis* & *caput anguli*; Nec me latet, lapidem angularem à pleríque accipi pro fundamentario, de cuius ad Christum accommodatione, dictum est tractando titulum Regis gloriæ, ex ædificiis per eum constructis. Non ineptè tamen cum nonnullis Patribus & Doctoribus, quos profert Pineda in cap. 38. Iobi digressione de lapide angulari, & Villalp. t. 2. lib. 5. disp. 2. cap. 34. licet refragetur Cornelius Ephes. 2. accipitur quoque pro lapide, fastigium duorum parietum nectente, & vtrísque medio, qui *caput anguli* appellatur; atque adeò est reuera *angularis*, non minùs quàm lapis demissus in fundamentum, nectens in imo duos parietes. Hoc munus, Dauid Psal. 117. & Apostolus Ephes. 2. Christo tribuunt; ipséque etiam Christus de se exposuit verba Psaltis, de lapide ab ædificantibus reprobato, tandem facto in caput anguli: quod ridiculè Hebræi, de lapide quopiam materiali, nonnulli de Dauide, accipere voluerunt. Nos Christum audimus, & de eo accipimus. Tantùm super est attingendum, quorum respectu parietum, & quando, factus sit Christus lapis angularis, & caput anguli, nectens illos vt medius, atque coniungens, & faciens vtraque vnum.

De Angelis & hominibus, duos parietes accepere, Hieronymus, Laurentius Iustinianus, Otho Frisingensis, & Petrus Blesensis, allegati superiùs, tractando de Christo, capite Angelorum & hominum. Nyssenus l. de perfecta Christiani forma, de duobus eiusdem hominis portionibus, siue de homine externo & interno accepit, quem quod vulgaris non sit interpretatio, iuuat audire. [Quod à sapiente (inquit) Architecto fundamentum fidei & anguli caput nuncupatur, id quoque nobis ad vitam ex virtute instituendum expediet. Sic enim bonarum omnium & administrationum ciuilium, & disciplinarum, & institutorum tum principium, tum etiam finem esse Dominum dicimus. Nam & spes, quam pro capite accipimus, ad quam rectæ honestæque actiones nostræ tendunt, ille nominatus est à Paulo: & in principio huiusce vitæ ædificij, quod ad ipsum dirigitur, fides, in qua vitæ principia tanquam fundamenta iacimus, & quotidianis officiis, puras tum cogitationes tum actiones nostras moderamur; atque ita, quo vniuersi est caput, nostrum etiam caput efficitur, cùm duobus vitæ nostræ, corporis videlicet atque animi muris per honestatem & puritatem constructis, angulari coniunctione aptè cohæret. Quod si altera pars desit ædificio, vt vel animi puritas conspicuam extrinsecùs honestatem non habeat, vel hæc, quæ videtur animi virtute vacet, eius mancæ inchoatæque vitæ caput, non erit Christus, quippe qui duplici angularique fabricæ, tantummodò quadrat: neque enim, nisi duo concurrant parietes, angulus fieri potest. Quare tunc imponetur ædificio nostro summi angularis fastigij pulchritudo, cum ex vtraque parte, ad rectam virtutis normam, duplex vita & recta & constans, & nihil obliqui curuíque habens, perpendiculo concinnè erit accommodata.]

943 Communissima expositio & germanissima, duos parietes à Christo nexos, accipit duos populos, Gentilem scilicet & Iudæum, quorum dissidia ob cultus disparitatem, Christus vno ouili & vno pastore; vna inquam pro omnibus religiosi cultus ratione constituta, diremit; & vtrosque Deo concilians, factos eosdem cum vno tertio, eosdem quoque inter se fecit. Nyssenus orat. de Christi Natiuit. existimat, Christum, vt sic duorum populorum vnio per ipsum facienda innotesceret, natum esse inter bouem & asinum. [Præsepè (inquit) in quo Verbum gignitur, bestiarum est domus, vt cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Per bouem, intellige illum qui legis iugo subiectus est: per asinum autem, quod est animal ferendis oneribus natum, eum qui simulachrorum cultús onustus est crimine. Cæterum commune rationis expertium animalium pabulum, (inquit Propheta,) fœnum iumentis. Quod autem ratione præditum est animal, vescitur pane. Idcircò in præsepi, quod est animalium ratione vacantium sedes, è cœlo delapsus vitæ panis proponitur: vt & quæ à ratione remota sunt animalia, rationis cibo nutriantur, atque ita ratione decorentur. Medium igitur in præsepi se inter bouem & asinum vtríusque Dominus locat, vt medium parietem maceriæ soluens, duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem; ab altero graue legis iugum eripiens, alterum simulachrorum cultûs onere liberans.] S. Bernardus serm. 4. de Epiph. eodem refert, susceptum à Christo baptismum & circumcisionem, & celebratum Pascha figurale subiuncto nouo. Sic enim benè oculatis patefactum est, Christum duo illa nexuisse, & ambos parietes coniunxisse.

Inchoata est ea compaginatio, in momento productionis Christi, quo se Patri obtulit nexum tam discrepantium extremorum. Itaque mox à Christo nato, ea consociatio ante tam dissidentium populorum, manifestari cœpta est, hinc pastoribus Iudæis, inde Gentilibus Magis, ad Christi compagem accurrentibus. Dixit id eleganter S. Augustinus serm. 34. de temp. & serm. 13. de verb. Apostolis vbi sic habet. [Quid sibi vult *Abba Pater*? Si enim quæris quid sit *Abba*, respondetur tibi, *Pater*. *Abba* enim Hebraicè, *Pater* dicitur. Quare voluit Apostolus vtrumque ponere? Quia videbat lapidem angularem, quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli: non sine causa angularem dictum, nisi quia in osculum recipit vtrumque parietem de diuerso venientem. Hinc circumcisio, inde præputium, tantum à se & inter se longè, quantum ab angulo longè: quantum autem ad angulum propè, & inter se vtrique propè, in angulo autem inter se iuncti. Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ergo inde circumcisio, inde præputium, Parietum concordia, anguli gloria.]

Profecit ex Augustino Fulgentius serm. de Ephiph. verbis illis. [Apostolica testatur auctoritas, quia *vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Circumcisionis* nomine Iudæos, *præputij* nomine Gentes indubitanter ostendens, Isti sunt duo pa-

rietes, qui ex diuerso venerunt, & in lapidem qui factus est caput anguli, in vnitate fidei conuenerunt. Vnus paries, venit ex Iudæis, alter ex Gentibus: longè à se diuersi erant, quando diuersa credebant. Positus est in medio lapis angularis, qui ad se vtrumque parietem duceret, & vtrumque vno nomine nuncuparet, essentque vnum communione vocabuli, qui fierent vnum in vna gratia sacramenti. *Per Christum enim qui est pax nostra, faciens vtraque vnum,* Iudæi & Gentiles facti sunt vnum, quibus fidei vnitas, vnum indidit nominis Christiani vocabulum. Ad lapidem ergo angularem vterque paries venit, & verum Angulum, fidei vnitas fecit. Horum duorum parietum vnus adductus est, quando pastoribus Iudæis, Christum natum Angelus nunciauit: alter paries adductus est, quando Gentilibus Magis, nouum sidus apparuit. Illi fuerunt primitiæ Iudæorum, isti facti sunt primitiæ Gentium. Illi de proximo adducti, isti de longinquo reducti.]

Ad pleniorem & luculentiorem eiusdem veritatis manifestationem, spectauit Autor sermonis de Christi Resurrectione apud Cyprianum, cum de die qua Christus rediuiuus ad vitam rediit, sic philosophatur. [In hac rerum conuenientia, honorificatus est Christus, & gloriosæ laudis triumphos lætabunda hodie canit Ecclesia, in lapide angulari consocians disiunctos olim parietes: quos in vnum mirabilis artifex fuso sanguine glutinauit, & reprobato diu à malignis fidei fundamento, charitatis suæ nexibus diuisas copulauit macerias, & redegit partes in totum, & multa in vnum: & facti sunt vna domus, confœderati parietes, & stabile fundamentum.] Denique Tertullianus lib. contra Iudæos cap. vltimo, quia in mundi meta & extrema iudicij die, congregatis vndecunque electis ex omnibus gentibus, tribubus, populis & linguis, manifestissima erit dissidentium populorum adunatio per Christum; tempus illud assignat, quo prodatur Christum anguli lapidem, fecisse vtraque vnum, & pacem perfectam fecisse in omnibus, ac inter omnia, tam quæ in cœlo, quàm quæ in terra sunt.

### *Vsus doctrinæ, de Christo mediatore, & pace nostra.*

944 Quam pacem procul odorati, gratulatione tanta exceperunt prisci Patres, ne vitio nostro velimus perditam; facti partiarij rebellium lumini, & factiosorum principis Satanæ; ac fœdifragi, qui pactam & firmatam per Christum pacem nulla ex causa violemus. Nihil melius quàm pax in Christo, ait S. Ignatius Epist. ad Ephes. Nulla salus bello. Pacem ergo redintegratam custodiamus studiosè, sicut docet nos Ecclesia, pacem & dandam & conseruandam frequentissimè pascens. Audi S. Chrysostomum hom. 3. in ad Colossi. [Propterea oramus, ac dicimus petentes Angelum pacis, & semper pacem petimus. Nihil enim potest ei æquiparari. In Ecclesiis pacem, in supplicationibus, in salutationibus, & semel, & bis, & ter, & sæpè eam dat is qui præest Ecclesiæ, dicens; *Pax vobis* Quamobrem? Quoniam ipsa est mater omnium bonorum, ipsa est gaudij materia & argumentum. Propterea Christus quoque, Apostolis domus ingredientibus, hoc iustis statim dicere, tanquam aliquod bonorum symbolum. *Intrantes enim,* (inquit,) *domos dicite, Pax vobis.* Nam si ea non sit, omnia sunt supervacanea. Et Christus dicebat Discipulis, *Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.*]

Mox verò autor seriò est, vt de pace plena & perfecta, simus solliciti. Hanc enim esse, quam Christus redintegrare venit, idque insinuari docet, prisca salutatione, qua Episcopus publicè impertiebat populum. [Non dicit Ecclesiæ præsul. *Pax vobis* solummodò, sed *pax omnibus.* Quid enim, si cum hoc quidem panem habeamus, cum illo autem bellum & pugnam, quid luci fieremus? Neque enim in corpore, si ex elementis alia quidem quiescant, alia verò seditionem agitent, fieri potest vt vnquam consistat sanitas, sed per modum omnium ordinem, & consensum & pacem: & si non omnia quiescant & in suis maneant terminis, omnia euertentur. In nostra quoque mente, nisi omnes quiescant rationes, pax non erit. Tale bonum est pax, vt *filij Dei* vocentur, eius effectores & opifices. Et meritò. Nam Dei filius ideò quoque venit in terram, pacificaturus quæ in terra & quæ in cœlis. Si autem pacifici, sunt filij Dei, qui res nouas studeant facere, sunt filij Diaboli.] Et paulò post. [Quum ingressus fuerit is qui præest Ecclesiæ, statim dicit; *Pax omnibus.* Quando sermonem facit ac concionatur, *Pax omnibus.* Quando benedicit; *Pax omnibus.* Quando iubet salutare; *Pax omnibus.* Quando peractum fuerit sacrificium; *Pax omnibus.* Et rursus in intermedio, *Gratia vobis & pax.* Quomodò ergo non absurdum, si toties audientes habere pacem, inter nos bellum geramus? Accipientes & reddentes, cum eo qui dat pacem, bellum gerimus. Dicis, *Et spiritui tuo,* & cum fotis calumniaris? Hei mihi, Quæ sunt Ecclesiæ honesta ac veneranda, facta sunt figuræ tantùm rerum, sed non aliqua veritas. Hei mihi, vsque ad verba manent symbola horum castrorum. Vnde etiam ignoratis cur dicatur, *Pax omnibus.*] Isidorus Pelus. l. 1. Epist. 122. responsum illud plebis Christianæ, *& cum spiritu tuo,* putat dirigi ad ipsum Deum, sensúmque responsi esse; cum nos Domine inter nos connexueris, item cum teipso, ac spiritu tuo, nexos velis. Sed sensus Chrysostomi, videtur simplicior.

945 Cauendum ergo est, pacem dantiue reddenti ex Christi præscripto, ad memorandam & imitatione exprimendam pacem à Christo factam, ne nominibus nudis contentus, & à pace alienus, *pacidicus,* non *pacificus* iuxta Bernardum serm. de Conuers. ad Clericos c. vltimo, audiat opprobrium illud quod ab Optato lib. 3. Donatistis est ingestum. [Vtique dixistis, *pax vobiscum:* cum Deus contra: Pax? Et vbi pax? Hoc est dicere: Quid salutas, de quo non habes? quid nominas quod exterminasti? Salutes de pace qui non amas? [In hanc rem egregiè S. Chrysostomus hom. 21. in ad Rom. Quàm sit Christo cordi, non vt verbo tantùm, inuicem pacati simus, sed reipsa, atque adeò vt syncera pacem inuicem habeamus, colligit Isidorus Pelusiotes l. 4. Epist. 111. ex eo quod Christus reipsa, non verbo tenus, cœlum & terram pacauerit, & conciliauerit. [Maximè (inquit) caræ sunt Deo Verbo, hominum in se reconciliationes. Nam idem ille qui cœlestium cum terrestribus gratiam redintegrauit, odia quoque hominum dissoluit,

dissoluit, neque enasci ea permittens; etsi fortè germinauerint, radicitùs illa concutiens atque euellens. Ait enim, *Noli irasci fratri tuo temerè.* Quia verò probè cognitam habet humanam infirmitatem, quæ leui momento ad lapsum impellitur, etiam exortis inimicitiis, dissoluit earum radices, adeóque proprium munus imperfectum manere æquo animo fert, quoad vsque inter nos in concordiam redeamus.] Hoc recogitandum, pacem dantibus ac reddentibus non qualem Christus dedit, synceram & ex animo, sed qualem Iudas præbuit fucatam & labiorum tenus.

At iis qui pacem synceram, & in se habuerint ipsi, & circa alios seruauerint & curauerint, Christi pacis nostræ imitatio perfecta, & diuina filiatio reposita est de quo audi Isidorum Pelusiotam lib. 4. Epist. 169. [Pacificos beatos prædicauit Saluator, & filios Dei futuros esse promisit: qui primò quidem in semetipsis pacem colunt, nec laborant seditione, sed bellum quasi ciuile & intestinum dirimunt, dum corpus spiritui subiiciunt, & partem sui inferiorem eò adducunt, vt præstantiori seruiat seruitutem quauis libertate, adeóque & regno quouis, potiorem. Deinde, qui aliis quoque, vel secum ipsis, vel cum aliis dissidentibus pacis sunt autores. Nemo autem ad id alteri conciliandum idoneus fuerit, quod ipse non habet. Vnde fit etiam, vt immensam diuinæ bonitatis vim demires, quæ bonas retributiones non tantùm laboribus ac sudoribus, sed quodammodò etiam voluptatibus sese daturam polliceatur; siquidem fastigium rerum delectabilium omnium pax continet, quâ absente, nihil quicquam eorum valebit, quæ ad animum demulcendum sunt comparata, bello videlicet pacem extinguente. Sed & hoc pulchrè atque concinnè dictum esse putandum est. Filios Dei vocatum iri pacificos; quódque illud præmium huic certamini sit tributum. Cum enim ipse, vt qui genuinus sit filius, ad pacem composuerit omnia, dum & corpus reddidit virtuti pronum atque obediens, & populos duos, qui inquam, ex Iudæis pariter ac Gentilibus erediderunt, in vnum nouum hominem condidit; & denique cœlestia terrenis compaginauit, rectè atque ordine fecit, quod eadem, quantum quidem in ipsis est præstantes, eadem quoque appellationis dignitate decorandos pronuntiant, & in filiationis honorem coaptandos; qui supremus est beatitudinis terminus.]

## CAPVT VI.

### *Christus Via, & iter quo ostenditur salutare Dei terra, marique.*

946 Ic Christi titulus, quomodò nexus sit cum titulo mediatoris, apetio verbis S. Greg. 22. mor. c. 18. vbi tractans illud, *quis mihi tribuat adiutorem, vt desiderium meum omnipotens audiat?* interpretatur ea verba de desiderio Christi adiutoris, quo Iob flagrabat. Quod autem Christus adiutor fuerit, sic exponit S. Gr. [Ipse quippè adiuuit hominē, factus homo: vt quia puro homini via redeundi non patebat ad Deum, via redeundi fieret per hominē Deum. Longè quippe distamus à iusto & immortali, nos mortales & iniusti. Sed inter & immortalem iustum, & nos mortales iniustos, apparuit mediator Dei & hominum, mortalis & iustus, qui & mortem haberet cum hominibus, & iustitiam cum Deo: vt quia per ima nostra longè distabamus à summis, in seipso vno, iungeret ima cum summis: atque ex eo nobis via redeundi fieret ad Deum, quo summis suis ima nostra copularet. Hunc ergo Beatus Iob, per totius Ecclesiæ significationem loquens mediatorem requirit, qui cum dixisset, *Quis mihi tribuat adiutorem*, aptè subdidit; *vt desiderium meum omnipotens audiat.*] S. item Augustinus. 9. Ciuit. cap. 15. cum pulcherrimè tradidisset Christi mediatoris munus, idque contra Platonicos negasset Angelis, concludit disputationem in hunc modum. [Nec tamen ob hoc mediator est, quia verbum: maximè quippè immortale, & maximè beatum Verbu, longè est à mortalibus miseri, sed mediator per quod homo: eo ipso ostendens vtique ad illud non solùm beatum, verùm etiam beatificum bonum, non oportere quæri alios mediatores, per quos arbitremur nobis peruentionis gradus esse moliendos; quia beatus & beatificus Deus, factus particeps humanitatis nostræ, compendium præbuit participandæ diuinitatis suæ. Neque enim nos à mortalitate & miseria liberans, ad Angelos immortales beatósque ita perducit vt eorum participatione etiam nos immortales & beati simus; sed ad illam Trinitatem, cuius & Angeli participatione beati sunt. Ideò quando in forma serui, vt mediator esset, infra Angelos esse voluit, in forma Dei super Angelos mansit; idem in inferioribus via vitæ, qui in superioribus vita.] Quare appositè hoc loco, consequenter ad titulum mediatoris, exponemus, quomodò Christus dicatur *via, & iter ad salutare Dei.* Et cum iter, aliud sit terrestre, aliud maritimum, (soli quippè sunt duo modi longinquas pletasque terras adeundi:) vtrumque hîc prosequemur, initio facto à priore, quod & frequentius est, & vniuersalius.

### *Omnes hîc peregrini, & viatores,*

947 Vt autem solidè procedamus, rémque eruamus ab ipsa radice, præmittendum est, omnes nos hîc peregrinari, & extorres esse à patria. Traditum id à Seneca, cuius id in Centone de remediis fortunæ producitur, sanè præclarum. [Peregrinatio est vita; multum cum deambulaueris, domum redeundum est.] Piget, de Ethnico homine, tametsi sæpè nostro, eam veritatem discere, cum in Scripturis & apud Patres, illam habeamus testatissimam. Princeps Apostolorum, Christianos obtestatur, meminerint tanquam aduenæ & peregrini, abstinere à carnalibus desideriis. Coapostolus eius Paulus Heb. 11. celebrat fidem Abrahæ cæterorúmque antiquorum Patrum, qui super terram habitauerant vt peregrini. *Iuxta fidem* (inquit,) *defuncti sunt omnes isti non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent de qua*

*exierunt, habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt, ideſt, cæleſtem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum, parauit enim illis ciuitatem.* Illam inquam fundamenta habentem ciuitatem, cuius verſu 10. meminerat. Nam omnes quidem huius orbis ciuitates, quaſi fundamento carentes, videntur quidem ciuitates, ſed non ſunt, vt aiebant Stoici apud Clementem Alexandrinum 4. Strom. *in fine*: ſolùm autem cœlum, à quo exalamus, eſt ciuitas. Quod Apoſtolus, generatum de veteris Teſtamenti Patribus peregrinos ſe eſſe agnoſcentibus profitetur, dixerat diſertè Dauid pſalm. 98. *Aduena*, (inquit) *ego ſum apud te & peregrinus, ſicut & omnes Patres mei.* Et pſalm. 118. *Incola ego ſum in terra.* Neque enim *incolæ* nomen in Scripturis, alium habitatorem ſonat, quàm peregrinum. Sicut & *incolere*, idem eſt in Scripturis quod *peregrinari*, & *incolatus* idem quod *peregrinatio*, vt videre eſt apud S. Auguſtinum quæſt. 126. in Geneſ. Quamquam Iob. cap. 14. *populum peregrinantem*, vocat, non omnes hîc viuentes, etiamſi fideles, ſed electos, qui ſoli viam ad cœlum patriam ſuam ineunt, & in ea progrediuntur. *Lapidem caliginis* (inquit) *& vmbram mortis, diuidit torrens à populo peregrinante.* In quæ verba S. Gregorius 18. Mor. cap. 18. multa præfatus de electorum peregrinatione per huius vitæ tempus, ſubdit; populum peregrinantem electorum, interuentu torrentis ignei egredientis à Chriſti iudicis facie, (vt habetur Dan. 7.) diuidendum quandoque fore, à lapide caliginis & vmbra mortis: ideſt à quibuſuis infidelibus, & à quibuſuis mortis, ideſt Diaboli imitatoribus, etiamſi fidelibus. Niſi ſi torrentem illum electos à reprobis diuidentem, malimus cum D. Auguſtino in Pſal. 109. *ad finem*, exponere de profluxione mortalitatis humanæ: vt ſenſus ſit, in morte ſeiungendos eſſe electos à reprobis, qui hîc externa ſpecie peregrinari ſimul videntur, tametſi ſoli electi, qui ſoli tendunt in patriam peregrinentur reuera, & quod peregrinorum reipſa eſt, ſoli obeant. Id quod habet etiam idem S. Gregor. 15. Mor. cap. 25. & S. Auguſtinus conc. 9. in pſalmum 118. & Hieron. epiſt. 129. obſeruans qui dicantur habitatores terræ. Itaque omnes quidem ſtatu & debito peregrini ſumus; etiamſi non omnes, quod profitentur, & quæ ſuarum eſſent partium, exequantur.

948 Extra Scripturas, eadem veritas eſt teſtatiſſima apud Patres, vt videre eſt apud Damaſcenum 2. partall. cap. 27. Hoc conteſtatum morti proximum Gregorium Neocæſarienſem, prodit his verbis in eius vita Gregorius Nyſſenus. [Ex vita humana ad Deum migrat, obteſtatus neceſſarios ſuos, ne peculiarem ſibi locum compararent. Nam ſi viuus, nullius loci Dominus vocari voluiſſet, ſed in alienis tanquam inquilinus & peregrinus habitans vitam tranſegiſſet, ne poſt mortem quidem, prorsùs inquilinatum ſibi dedecori fore putare: ſed in ſequenti, (inquit,) ſeculo, fama prodatur, quòd Gregorius nec viuens quidem, ab aliquo loco cognominatus ſit, & poſt mortem alienorum locorum fuerit inquilinus, cùm ab omni terrena poſſeſſione ſeſe abſtinuiſſet, adeò vt ne ſepeliri quidem in proprio loco ſuſtinuerit.] Non diſſimili imbutus doctrina Baſilius Magnus, vt eſt apud Gregorium Nazianzenum orat. 20. n. 74. minitanti exilium Valentis præfecto. [Exilium (inquit,) haud cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum; ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo; & eam omnem in quam proiectus fuero, pro mea duco: imò, vt rectiùs loquar, vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ego ſum & peregrinus.] Chriſtiani peregrini, veſtes, calceos, circulum, baculum, perpulchrè aperit Baſilij frater Nyſſenus l. de vita Moſis, deſcribens ritum comeſtionis agni. Olympius vir ſanctiſſimus in Prato Sophronij cap. 12. id vnum habebat pro ſpiritualitatis teſſera, *peregrinus ſum.* Nunquam finis fuerit, ſi velim quæ apud varios Patres, de ſpirituali peregrinatione & myſticis peregrinis proſtant, colligere accuratè. Videſis ſplendidè in hoc argumento verſantem Chryſoſtomum hom. 24. ad Hebr. & Auguſtinum ſerm. 32. de verb. Dom. & in pſalm. 38 & latè concione 8. in pſal. 118. Ambroſium ſerm. 51. Totus liber quartus Iacobi Gretſeri de ſacris peregrinationibus, in hoc argumento conſumitur. Vnde plura licebit petere.

Omnes itaque quotquot hîc fide dirigimur, ambulamus & peregrinamur ſuper terram, & vt Scholaſtici paſſim loquuntur, omnes ſumus viatores: qui quantus ſit ad omnem virtutum ſtimulus, egregiè proſequitur S. Gregorius 15. mor. cap. 27. ad illud *Interrogate quemlibet de viatoribus*, vbi quis verè & legitimè *viator* dicatur, pulchrè exponit: idque quiſquis agnouerit, acerrimè ad omnem virtutem incenditur, quia de ambulando & progrediendo ſollicitus, in nullo creato bono pedem figit, quod eſt in virtutum omnium exercitatione verſari. Audi Origenem hom. 27. in Num. ad illud, *& ſcripſit Moſes perfectiones.* [Scripſit ergo hæc per Verbum Domini, vt legentes nos, & videntes quantæ nobis immineant profectiones, ad iter quod ducit ad regnum, præparemus nos ad vitam hanc, & conſiderantes iter quod nobis imminet, non ſegniter nec remiſsè, vitæ noſtræ tempus permittamus abſumi; nec fortè dum in his mundi vanitatibus immoramur, & ſingulis quibuſque quæ ad viſum, vel auditum, vel etiam quæ ad tactum atque odoratum, guſtúmque veniunt delectamur; labantur dies, tempus prætereat, & non occurramus omne ſpatium imminentis itineris explicare, & deficiamus in medio; atque accidat nobis illud quod de quibuſdam refertur, qui peruenire non potuerunt, ſed actus eorum ceciderunt in deſerto. Iter ergo agimus, & idcircò deuenimus in hunc mundum, vt tranſeamus de virtute ad virtutem, non vt permaneamus pro terrenis in terra.] Idem piiſſimè proſequitur Theodorus Studita Catech. 23. & S. Chryſoſtomus Epiſt. 105. nec non S. Columbanus homil. de Fallacia præſentis vitæ, ac ſanctus Baſilius homil. in pſalm. 1. & ibid. S. Ambroſius ad illud *in via peccatorum.*

Ethnicos quoque Philoſophos, in eam ſententiam laudaui in Mor. diſt. 1. à numero 188.

Via

*Via peregrinis nobis necessaria, & quomodò vna, cum Scriptura tot via memoret.*

949 Portò peregrinanti & ambulanti, præter ea quæ ex parte eius sunt necessaria, requiruntur, aliqua se tenentia ex parte ipsius motus, sine quibus is nequeat consistere; nempe terminus à quo, terminus ad quem, & via interiacens, duósque illos extremos terminos connectens. Extremi hi termini, non sunt obscuri. Terminus ad quem tendimus, Deus est. Eò enim collimamus omnes, isque est finis propositus creaturæ rationali. Terminus à quo ad Deum tendimus, terra est, & status terrenus; status peccati & miseriæ, quæ apud Lucam dicitur *regio longinqua*, in quam abiit filius prodigus. Inter eos extremos terminos tantopere dissitos, assignanda est via.

Hîc nonnulla in speciem implexitas est. Nam vt omittam vias malas quibus ad Deum non tenditur; vias inquam filiorum Adam, & vias Dæmonum, de quibus fusè S. Bernardus serm. 11. in Psal. *Qui habitat*, ad illud, *in omnibus viis tuis*; vt inquam omittam has vias, insuper Sancti dicuntur *viæ*, iuxta illud eiusdem S. Bernardi serm. in Vigilia SS. Petri & Pauli, agentis de vno quopiam sancto. [Debemus etiam attendere exemplum eius, quia quandiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, non declinauit ad dexteram, neque ad sinistram, sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit; *Ego sum via, veritas & vita.* Intuemini humilitatem operum eius, autoritatem verborum eius, & tunc videbitis quomodò tam verbo, quàm exemplo luxerit inter homines, qualia nobis vestigia dereliquerit vt ambulemus per ea, & non erremus in eis. Verè iuxta Propheram, *semita iusti, recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.* Sed & diligentiori intuitu confusionem nostram inspiciamus, quia homo ille similis nobis fuit, passibilis, ex eodem luto formatus ex quo & nos. Quid ergo est quod non solùm difficile, sed & impossibile credimus, vt faciamus opera quæ fecit, vt sequamur vestigia eius?] Adhæc in Scripturis, sæpissimè memorantur variæ viæ iustorum, aut semitæ; aliàs autem vna peræfertur via veritatis, quam se elegisse profitebatur Dauid, via iustificationum, via æterna, via mandatorum, via iustorum. Nimirum viæ sunt actiones bonæ, vt docet S. Gregorius Mor. cap. 4. ad illud, *ipse considerat vias meas, & gressus meos dinumerat*, sic scribens. [Quid viarum, nomine, nisi actiones denunciat? Hinc enim per Hieremiam dicitur: *Bonas facite vias vestras, & studia vestra.* Quid verò gressuum appellatione, nisi vel motus mentium, vel profectus accipimus meritorum? Quibus profectò gressibus ad semetipsam nos veritas vocat, dicens; *Venite ad me, omnes qui laboratis & onerati estis.* Ad se quippe venire nos Dominus præcipit, nimirum non gressibus corporis, sed profectibus cordis. Ipse namque ait; *Veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et paulò post: *veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.* In corde ergo esse gressus insinuat, quando & vt veniamus vocat; & tamen motu corporis nequaquam nos ad alia transire denunciat.] Quot ergo sunt actiones bonæ, totidem & viæ, ita vt numerus ille viginti quinque viarum bonorum quas recensebat Arnobius lib. 1. conflictus cum Serapione, nequaquam plenus videri debeat. [Viæ Domini (inquit) istæ sunt; prima fides, secunda spes, tertia charitas, quarta perseuerantia, quinta bonitas, sexta timor Domini, septima constantia, octaua patientia, nona lenitas, decima quies, vndecima pax, duodecima obedientia, tertiadecima longanimitas, quartadecima solitudo sancta, quintadecima contemptus ventris, decima sexta studium mentis, decima septima castitas, decima octaua benignitas, decima nona misericordia, vigesima iustitia, vigesima prima liberalitas, vigesima secunda studium scientiæ legis Dei, vigesima tertia amor optimarum rerum, vigesima quarta contemptus temporalis gloriæ, vigesima quinta affectio gloriæ sempiternæ. Hæ omnes viæ Dei sunt, in quibus ipse Pater quotidie deambulat, sicut per Prophetam dicit, *viuo ego dicit Dominus, quia ambulabo in eis.*] Addit has esse vias quarum se esse principium profitetur sapientia, vias quas sibi notas fieri volebat Dauid. Sed certè multo plures quàm viginti quinque recenseri potuissent, si Arnobij vestigiis insistendo, recensere virtutes placuisset. Quomodo ergo in tanta virtutum & actionum bonarum atque adeò primarum bonarum multiplicitate, vna via?

950 Enodat hanc difficultatem S. Augustinus in Psalmum 141. ad illud, *& tu cognouisti semitas meas.* Præfatus enim eadem eo loco dici *semitas*, quæ alibi dicuntur *viæ quas nouit Dominus*, subdit. [Quæ ergo dictæ sunt viæ quas nouit Dominus ipsæ hîc dictæ sunt semitæ, quum ait, *tu cognouisti semitas meas.* Omnis enim semita, via est; non omnis via, semita est. Quare viæ illæ semitæ sunt dictæ, nisi quia angustæ sunt? Via lata impiorum, via angusta iustorum. Quæ via, ipsæ & viæ; quemadmodùm quæ Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ, & quòd cœlum, ipsi cœli. Pluraliter dicuntur, & singulariter dicuntur. Propter vnitatem Ecclesiæ, vna Ecclesia; *Vna est columba mea, vna est matri suæ.* Propter congregationes fraternas per loca, multæ sunt Ecclesiæ. *Ecclesia*, (inquit,) *Iudæa quæ erant in Christo, gaudebant quod ille qui nos persequebatur, nunc euangelizat fidem, quam aliquando vastabat, & in me glorificabant Deum.* Ecclesias sic dixit; & vnam Ecclesiam sic dicit; *Sine offensione estote Iudæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei.* Sic ergo & viæ & via; & semitæ, & semita. Quare semitæ, & quare semita? Quomodò Ecclesiæ & Ecclesia? Rationem reddidimus, debemus & hîc reddere rationem. Semitæ dictæ sunt Dei, quia multa præcepta sunt, & quia eadem multa præcepta ad, vnum rediguntur, quia, plenitudo legis charitas, propterea viæ istæ in multis præceptis ad vnam colliguntur, & vna dicuntur, quia via nostra charitas est. Videamus si charitas, via est: Audiamus Apostolum. *Et adhuc supereminentiorem viam, vobis demonstro.* Quam dicis, ô Apostole, supereminentiorem viam? Quam dico audi; *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens: & si habuero prophetiam, & sciero omnia Sacramenta & omnem scientiam, &*

*si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum; & si distribuero omnia mea pauperibus, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Ergo charitatem dixit supereminentiorem viam. Magna via ista, fratres, magnum miraculum habet, Hæc via certè, quia supereminentior est, excellentior est: hoc enim supereminet, quod excelsum est. Nihil excellentius est via charitatis, & non in illa ambulant nisi humiles. Has ergo semitas, dicit præcepta charitatis.]

### *Variæ virtutum viæ, recidentes in Christum, viam regiam.*

951 Tollitur ex his difficultas proposita, de vna & multiplici via bona, in variis Scripturis memorata. Sed quod hanc vnam viam cæteras complexam, vocauit D. Augustinus *charitatem*, difficultatem nouam infert; cum vna & sola via qua hinc ad Deum tendimus, infinities in Scripturis, & apud Patres, Christus esse dicatur. Solutio ducenda est ex optima doctrina S. Zenonis, serm. in Psal. 127. sic scribentis. [Multæ sunt viæ Domini, cum ipse tamen via sit. Sed cum de se loquitur, viam seipse nuncupat: & rationem cur se viam nuncupasset, ostendit dicens; *Nemo enim potest ad Patrem venire, nisi per me.* Verùm cum de Prophetis, ac scriptis eorum, quibus ad Christum pergitur, sermo est; tunc viæ plures sunt in vnam viam vndique congruentes. Quod vtrumque, eodem per Hieremiam Prophetam loco significatum est, dicentem: *State in viis Domini, & interrogate semitas Dei æternales, & videte, quæ est via bona, & ambulate in ea.* Multæ itaque viæ interrogandæ sunt, & in multis insistendum est, vt vnam, quæ bona est, inueniamus, per multorum scilicet doctrinam, vnam viam vitæ æternæ reperturi. Viæ enim in lege, viæ in Prophetis, viæ in Euangelisi, viæ in Apostolis sunt: viæ quoque in diuersis præceptorum operibus sunt.]

Est ergo & charitas via, & reliquæ item virtutes viæ; & tamen Christus via, iuxta illud quod in Scripturis prottitum diximus. Ipséque Christus profitetur, *ego sum via.* Locus item vulgatus ex Isaiæ 40. quo Baptista vsus est ad populum præparandum, excipiendo Messię clamans & dicens, *parate viam Domini*, iuxta interpretationem 70. vt ibi monstrat Leo Castrius, idem sonat, ac si dictum esset, *excipite Christum viã Domini.* Et vt ea verba paraphrasticè exponit S. Cyrillus 1. in Ioann. cap. 24. [Ambulastis hactenus in via Mosis modò viam Christi susçipite quam Prophetæ omnes vobis prædixerunt. Esaias enim hortatur vos, dicens; *Venite ascendamus in montem Domini, & in domum Dei Iacob, & annunciabit nobis viam suam, & ambulabimus in ipsa.* Et rursus; *Erit ibi in via munda, & via sancta vocabitur: non erit ibi leo, nec parua illuc ascendet bestia; & qui dissipati sunt, ambulabunt in ea.* Et rursus; *Principium dabo Sion & hortabor Hierusalem ad viam.* Hieremias quoque similiter, *state*, (inquit;) *in via & quarite semitas Domini sempiternas, & videte quæ sit via bona, & ambulate in ipsa, & inuenietis purificationem animarum vestrarum.* Quænam igitur est via bona, quæ ambulantes in ipsa purificat: Ipse Christus clamat; *Ego sum via.*]

Hæc apud Isaiam cap. 26. dicitur, *semita iusti recta, rectus callis eius ad ambulandum.* De Christo namque via iusta, eum locum accepit S. Cyrillus lib. 10. de Ador. *initio.* Sed luculenter cap. 35. eiusdem Isaiæ. *Erit ibi semita, & via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus, & hæc erit nobis directa via, ita vt stulti non errent per eam.* Ex Hebræo simpliciter verteretur, *& erit ibi via alta, & via, & via sanctitas vocabitur:* quam viæ altitudinem, ad illimem eius nitorem pertinere constat. Apud Paulum Hebr. 10. hæc dicitur esse *via noua* nobis initiata, & *vias viuens*, hoc est herbida & amœna, vel quæ non sit emortua, & tantùm calcetur pedibus ambulantium, sed vitam suam illis inuandis prodat: quod attigit pulcherrimè Origenes Tomo 1. in Ioann. ad illud *in principio erat verbum*, exponens quomodò Christus dictus sit *via.* Sic enim scribit. [Quinetiam via quæ est in sapientia, & actione eorum qui seruantur in ipso facta circa permeationes, & explicationes de veritate in diuino Verbo, & circa actiones existentes in vera iustitia, vim exhibet nobis intelligendi, quomodò Christus via dicatur, in quam viam nihil gestare debet, neque peram, neque pallium, ac ne baculum quidem, vel calceos, quibus induat pedes iter facturus. Sufficiens enim per se est hæc via ad omnia suppeditanda itineri necessaria: nulláque re omnino indiget, quisquis hanc ingreditur ornatus eo vestimento, quo ornatum eum esse decet, qui inuitatus vadit ad nuptias; cum nulla res similiter molesta, possit in hac via occurrere facilè enim factu non est, teste Salomone, vt serpentis, & vt ego arbitror, cuiusuis etiam feræ, viam inueniat quis supra petram. Quare nihil opus est baculo in via hac, quæ tantùm abest, vt contrariorum vestigia habeat, vt ne illorum quidem quæ mala sunt, ob soliditatem, vnde etiam petra dicitur, sit capax.] Christus igitur viam esse, ex Scripturis ratum esto.

### *Christus simul semita, & Regia via.*

952 Et interdum quidem in Scripturis Christus *semita* vocatur, quod nomen à via differt, nam via est longè laxior, semita autem angustior: vnde illud, *viam fecit semitæ suæ*, id est amplificauit suam iracundiam. Neque tamen idcirco Christus non est iua, sed est via arcta ob humilitatem: sicut Satanas ob superbiam, patentissima & latissima via est, per quam multi intrant, vt disserit Autor imperfecti hom. 18. Eandem ob causam, via hæc à Dauide in man esse dicitur, quia ob humilitatem & tenuitatem ægrè aduertitur, vt exponit S. Cyrillus 9. de Ador. & S. Chrysostomus in Psal. 96. vnde agnoscentes Sancti, magnam Dei gratiam necessariam esse, vt via hæc angusta oculos non effugeret, orabant interprete. D. Augustino in Psal. 66. vt cognoscerent in terra viam Dei: quam non esse aliam à Christo, docet quod sequitur, *in omnibus gentibus salutare tuum.* Idem S. Augustinus despectui idcirco habitam hanc viam, ita docet libro primo doctrin. Christ. capite 10. [Purgandus est animus, vt perspicere illã lucem valeat & ei inhærere perfectè. Quam purgationem, quasi ambulationem quandam, & quasi nauigationem ad patriam esse arbitremur. Non enim ad eum qui vbique præsens est, locis mouemur,

mouemur, sed bono studio bonisque moribus. Quod non possemus, nisi ipsa sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, & viuendi nobis præberet exemplum, non aliter quàm in homine, quoniam & nos homines sumus. Sed quia nos cùm ad illam venimus, sapienter facimus: ipsa cum ad nos venit, ab hominibus superbis quasi stultè fecisse putata est. Et quoniam nos cùm ad illam venimus, conualescimus: ipsa cùm ad nos venit, quasi infirma existimata est. *Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Cùm ergo ipsa sit patria, viam se nobis quoque fecit ad patriam. Et cum sano & puro interiori oculo vbique sit præsens, eorum qui oculum illum infirmum immundúmque habent, oculis etiam carceris apparere dignata est.]

Verùm quamuis hæc via, arcta & angusta, nec nisi semita videatur ob Christi humilitatem, est tamen via amplissima, si spectetur multitudo incuntium illam, & huius viæ ad illos, ac etiam multo plures excipiendos capacitas. *Regiam viam* hac ex causa Christum nominat Origenes hom. 12. in Num. *ad finem*, & Theodoretus lib. 10. contra Græcos, expendens illud Hieremiæ 3. *state super vias, & videte quæ sit via bona.* In quæ verba sic scribit. [Deus qui per Prophetam loquebatur, antiquos Prophetas, *Vias* appellauit, *bonam* autem *Viam*, ipsum mundi Seruatorem, Christúmque Dominum. Sicut enim in regiam, militarémque viam, reliqui calles à pagis agrique perueniunt; Ita & Prophetæ omnes, hunc tanquam viam cunctis credere volentibus, indicarunt. Ipse etiam Dominus Deúsque noster, in sacris Euangeliis clamat; *Ego sum via veritas & vita.*]

953 Nec dissimiliter ea verba Christo accommodat Origenes hom. 8. in Ezech. In Exhortatione tamen ad Principem non ita pridem edita per Loaysam, & à Binio præfixa suæ Conciliorum editioni, multa omnino de via Regia ad Deum colliguntur, absque explicita ad Christum aptatione. Sed præclarè S. Hilar. in psal. 118. *litera Alph.* circa illud, *non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.* [In primo versu, (inquit,) (videlicet, *Beati immaculati in via,*) singulariter *via* commemoratur, via in hoc tertio plures. Ex quo intelligendum est, per multas vias ad vnam perueniri, in qua quisque immaculatus si sit, hic beatus est. De plurimis autem viis atque vna, Hieremias paria testatus est, dicens; *state in viis, & interrogate vias Domini æternales, & quærite quæ sit via bona.* In plurimis ergo viis standum est, & plurimæ interrogandæ sunt: & hæ quidem plures, & Domini sunt & æternales, & in his cernendum est quæ sit via optima. Viæ plures sunt, & plurima Dei mandata, plures Prophetæ per quos omnes in vnam viam pergitur, sed in his operarij iniquitatis non ambulauerunt. Nam si in lege mansissent, vsque ad optimam illam noui Testamenti viam peruenirent. Est via per Mosem, est per Iesum, est per Dauid, est per Isaiam, est per Hieremiam, est per Apostolos, & per has omnes ad eum necesse est peruenire, qui dixit: *Ego sum via*, Et, *Nemo vadit ad Patrem nisi per me.*]

Christum, *viam nostram* dici, satis ex variis Scripturis monstratum est. Vt taceam, quod hîc non ago, humanitatem Christi dici *iter eius*, quia in ea factus est viator, iuxta illud Augustini tract. 15. in Ioann. cum tractat satigationem Iesu, ex itinere. [Iter ipsius, est cato pro nobis assumpta. Quomodò enim iter habet qui vbique est, qui nusquam deest? Quò it, aut vnde it, nisi quia non ad nos veniret, nisi formam visibilis carnis assumeret? Quia ergo venire ad nos eo modo dignatus est, vt in forma Dei, assumpta carne appareret; ipsa carnis assumptio est iter ipsius. Ideò *fatigatus ab itinere*, quid est aliud, quàm *fatigatus in carne*?] Sed vt dixi, hîc non ago quæ sit Verbi via ad nos, sed quomodò Christus sit via nostra ad Verbum; quod cum sit satis firmatum ab autoritate, adiungenda supereſt eiusdem denominationis ratio, quam duco ex nonnullis viæ attributis. Est enim via, nexus duorum terminorū motus, & inter vtrūq; interiacet; vnde & viatore protensior, est ac productior & necessariò est decurrenda, vt terminus ad quem attingatur. Est item via publicum quid, omnibúsque impenditur texenda & calcanda, magno planè adiacentium camporum bono, nam alioqui conculcarentur & non facerent fructum. Vnde semen iactum quod cecidit secùs viam, conculcatum est; & inter sortes fœlicitatis temporalis improborum, ponitur, quod non sit ruina maceriæ, neque transitus in plateis eorum; sed arceantur viatores ingressu, quo campus infertilis, & infrugifer redderetur. Hæc omnia in Christum optimè quadrant, vnde meritissimò *via* dicitur.

### *Viæ attributa in Christo. Est nexus extremorum terminorum.*

954 In primis quadrat in Christum ratio illa, quam in via primùm distinximus, quod scilicet sit nexus duorum hominis extremorum; nempe nihili nostri, & Dei: quod varij Patres pulcherrimè considerant, eaque ex causa, Christum aliqui vocant *pontem inter nos ac Deum.* Præclarè S. Paulinus Epist. 35. *sub finem.* [Ita per Christum Deo iuncti & insiti sumus, vt Dei arrabonem teneamus in terra nostra, Spiritum sanctum, quem dedit nobis, & nostri pignus habeamus in Deo carnem Christi; quia interuallum istud immensum, quo à diuinis mortalia disparantur, medio, & inter vtraque communi interuentu suo velut quodam (vt sic dixerim,) ponte continuat, vt eius tramite terrena cœlestibus conserantur, cum hoc corruptibile nostrum, incorruptio. Superna perfuderit, & mortale nostrum (vt scriptum est) immortalitas hauserit, mortémque deiectam, victrix in Christo, & à Christo, nobis vita sorbuerit.]

Concinit pulcherrimè Gulielmus Paris. l. cur Deus homo cap. 7. *ad finem.* [Chaos (inquit,) magnum peccati, inter Deum & hominem, firmatum erat. Pontem igitur & viam necesse fuit interponi, per quem homo à seipso transire posset ad Deum, qui pondus tantæ multitudinis transituræ portare sufficeret; & adeò longum qui vtramque ripam contingeret, & vtrinque firmiter se teneret. Altera ripa, erat humanitas; altera Deitas: Pontem igitur inter duas istas ripas medium, oportuit vtique ripæ vnitum esse, atque continuum: quod est, Deum & hominem dicere: Et hoc videtur sonare illud Sap. 8. *Attingit sapientia, à fine vsque ad finem fortiter,*

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributi
Christi
A. VII
3



ter, quasi ripa ad ripam: Et iste pons sub ponderе tantæ multitudinis fractus est, & fractus mansit per triduum; per quam eius fracturam, in chaos infidelitatis, multi prolapsi sunt.]

955 Idem sub nomine *viæ* expressit S. Augustinus 11. Ciuit. c. 2. verbis illis. [Quia ipsa mens cui ratio & intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis & veteribus inualida est, non solùm ad inhærendum fruendo, verùm etiam ad perferendum incommunicabile lumen, donec de die in diem renouata atque sanata, fiat tantæ felicitatis capax; fide primùm fuerat imbuenda atque purganda. In qua vt fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus, Dei filius, homine assumpto, non tamen Deo consumpto, eandem constituit atque fundauit fidem, vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Per hoc enim mediator, per quod & homo, per hoc & via. Quia si inter eum qui tendit, & illud quò tendit, via media est, spes est perueniendi. Si autem desit, aut ignoretur qua eundum sit, quid prodest nosse quò eundum sit? Sola est autem aduersùs omnes errores via munitissima, vt idem ipse sit Deus & homo, quò itur Deus, quà itur homo.] Eodem sensu 1 de Trinit. cap. 12. dixerunt Christum secundùm formam Dei esse veritatem, secundùm formam verò serui, esse viam. [Quia enim ipse est primogenitus ex mortuis, iter fecit Ecclesiæ suæ ad regnum Dei, ad vitam æternam, cui caput est, ad immortalitatem etiam corporis, & ideò *creatus est in principio viarum Dei in opera eius.*] Diligenter pensandum est, quod hîc ait D. Augustinus, Christum factum esse in principio, siue principium viarum Dei. Inde enim non modò habetur Christum esse viam, mediam inter nos ac Deum, sed etiam aliquid plus.

Profecit haud dubiè D. Augustinus ex S. Athanasio quem distinctius exponentem egregiam doctrinam de Christo viarum Domini principio, iuxta illum Prouerbiorum locum ad quem hîc ab Augustino alluditur, inuat adscribere. [Quemadmodùm porrò (inquit Athanasius,) inter fratres primogenitus, & ex mortuus primitiæ dormientium factus est; ita quoque, quia oportebat eum in omnibus primatum habere, etiam principium viarum creatus, vt qui in ea insistimus, perque eum (qui ita de se loquitur. *Ego sum via & ianua,*) ingredientes, participésque redditi cognitionis de Patre, audiamus & nos quoque, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.* Iam cùm ipsa veritas declaret, Verbum non esse ex natura rem conditam, consequens est, vt deinde dicamus, cur *principium viarum* appelletur. Quoniam prima per Adam & via, & ianua, perierat, & ex Paradiso ad mortem deuergebamus dictúmque nobis fuit. *Terra es, & in terram abibis*; ideò Verbum Dei hominum amore, & Patris voluntate, induit creatitiam carnem, vt eam quam mortalem reddiderat primus homo præuaricatione, ipse proprio sanguine sui corporis viuificaret, & renouaret nobis viam recentem & vinam per velum (vt Apostolus dixi) hoc est, per carnem suam. Quod etiam aliis verbis significat, vbi ait: *Si qua in Christo noua creatura.* Et. *Vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia.* Quod si creatio innouata fuit, oportuit in hoc genere aliquem esse primum. Murus igitur homo & puluereus, quales nos facti eramus ex præuaricatione, is esse non poterat, eo quod in prima creatione fides ab hominibus seruata non fuit, eorúmque culpa prima creatio perierat. Opus ergo fuit instauratore priotis creaturæ, & qui nouam creaturam conseruaret. Non igitur ex genere hominum alius quispiam, sed ipse Dominus vt principium esset, condi voluit, quo efficeretur via nouæ creaturæ, ac de se meritò diceret; *Dominus creauit me principium viarum suarum, ad opera sua*, ne vlteriùs secundùm primam illam viam homo viueret, sed quasi subsistente nouæ creaturæ exordio, Christum in se possidens huius nouæ creaturæ principem, in reliquum tempus se ei comitem præberet, qui ita de se loquitur, *Ego sum via.*] En cur Christus, iuxta S. Athanasium dictus est, *principium viarum.*

Accedítque ad eam interpretationem Marcellus Ancyranus, ex quo eiusdem dicti Salomonis interpretationem exhibet Eusebius lib. contra eum 3. cap. 2. *in fine.* [Quænam sint illæ viæ docet in sequentibus; ita enim ille nobis, qui secundùm rationem iustam instituere vitam volumus, pietatis viâ factus est principium viarum omnium posteriorum. Addit autem *principium viarum*, ob hoc ipsum Dominum esse, & Seruatorem nostrum; propterea quod viarum, quas ingressi sumus post primam viam, principium extitit. Innuit autem traditiones, acceptas à diuinis Apostolis, qui secundùm Prophetias, vna cum altissimo illo præconio, nouum hoc mysterium nobis annunciarunt.] Non ait Marcellus, carnem Christi esse vias Domini, quarum principium se vocat Sapientia carne vestita, quam viarum interptetationem Eusebius cap. sequenti, Marcello tribuit & latè refellit: sed vias vocat, instituta Christiana, & Metonymicè ambulátes in eis Christianos, tendentes per Christum ac Christi semitas, ad Deum, quæ fuit adducta ex SS. Augustino & Athanasio interpretatio, malè ab Eusebio reprehensa, argumento sanè leui, quod ante Christum plerique vias Domini ambulauerint. Quasi verò, agnus non sit ab origine mundi occisus, & ij ipsi qui tempore Christum præcesserunt, per Christum non incesserint, vt ad Patrem peruenirent, ad quem nemo venit nisi per Christum. Est igitur Christus principium viarum Dei, idest iustorum tendentium ad Deum, qui omnes, ineant hanc primariam viam necesse est: Atque ita habemus plus aliquid quàm propositum esset: nempe omnibus incedendum esse per Christum; de quo plenius paulò post. Nunc enim obiter duntaxat est tactum occasione loci Prouerbiorum à S. Augustino adducti. Est autem per se euidens, quod inde collegimus, aliquod plus esse, quàm quod susceperamus monstrandum, nempe Christum esse viam eo quod iungat Deum & hominem, tanquam iter intermedium vtrique extremo continuatum & attingens à fine vsque ad finem, quod est de ratione viæ.

Christus

*Christus via, quocunque viatore prouectior.*

956 .Hinc sequi dicebam, Christum, quocunque per eum tanquam viam incedente, longiùs prouectum esse. Nam via, semper est productior eo qui viam decurrit: alioqui decurrenda non esset, nec interiaceret inter extremos terminos. Christus itaque cum sit via nostra ad Deum, vlteriùs semper prouectus est, quàm quilibet viatorum, ita vt quantumcunque quis ambulauerit, donec terminum attingat, si Christum viam tenet, supersit semper ei quo vlteriùs in quo prouehatur, & quò pergere porrò debeat. Hanc in Christo viæ rationem insinuat S. Basilius lib. De Spiritu sancto cap. 8. cum ait. [Quoties Dominus appellatur, appellatur, *Via*, ad iu blimiorem intelligentiam potiùs quàm ad vulgarem, atque è medio sumptam, animo ferimur. Audientes enim *Viam*, seriem & ordinem intelligimus per opera iustitiæ, pérque illuminationem scientiæ ducentem ad legitimum profectum, semper ad anteriora festinantes, & ad ea quæ restant nosmetipsos extendentes, donec peruenianus ad beatum finem, quæ est Dei cognitio, quam Dominus per sese in ipsum credentibus largietur. Reuera enim bona est via, exorbitationis erroriſque nescia, Dominus noster Iesus, ad Patrem qui verè bonus est perducens; *Nemo*, (inquit,) *venit ad Patrem nisi per me.* Talis est noster ad Deum reditus, per Filium.]

Hinc liquet, quàm insaniuerint Beguardi, damnati in Concilio Viennensi, quibus visum est, viatores posse hîc eas in virtute & gratia progressiones facere, vt Christi gratiam non æquarent modò, sed etiam superarent. Qua de re, non est quod hic iteratò agam, discussa enim sufficienter est, agendo de gratia Christi, & sanctitate. Videsis insuper Suarem lib. 9. de gratia cap. 6. Nec verò fieri potuit, vt iusti Christum sanctitate superarent, à quo omnis ipsorum sanctitas & gratia ortum habet; Sic enim riuus fontem superaret. Omnem autem Sanctorum viatorum gratiam à Christo esse, fusè superiùs est confirmatum, & egregiè traditur à S. Gregorio lib. 1. in 1. Reg. ad illud, *non est sanctus vt est Dominus, neque est alius extra te*, affirmans id dictum esse. [Quia quisquis potuit sanctus existere, eius accepit manere vi sanctus esse potuisset. Hoc namque Sancta Ecclesia subsequenti verbo insinuans, ad eundem Redemptorem ex nimia charitate conuertitur, dicens; *Neque enim est alius extra se.* Subauditur, *sanctus.* Extra eum sanctus aliquis esset, si absque dono Vnigeniti, sanctificationis spiritum habere potuisset. Sed quis hoc asserere audeat de hominibus, quod de Angelis nequaquam constat? Scriptum quippe est; *Verbo Domini, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* Verbum Domini est Vnigenitus Dei. Quem profectò Euangelista Ioannes insinuans, ait; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Si ergo etiam Angeli sanctificati creduntur in Filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum, sanctificationis gratiam inuenire non possunt.] Et mox [Potest hoc & ad iustitiæ statum pertinere, quia electorum esse, est in Deo per iustitiam manere. Et quia Vnigenitus Dei, Deus est, extra eum non est aliquis; quia nemo electorum, nisi in ipso est. Quod sic referatur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intellectum humanitatis eius euacuet: quia iustus esse non potest, qui fidem non habet diuinæ Incarnationis.]

*Per Christum viam, omnis ad Deum progressio.*

957 Idipsum porrò est, quod præterea aiebam insinuari per Christum viam. Progredi namque ad Deum, idipsum est quod sanctitatem & gratiam parare, vel augere. Sicut ergo nemo ad terminum progredi & pertingere potest nisi per viam ita omnis nostra ad sanctitatem progressio est per Christum, vt ipse de se conceptis verbis professus est cum dixit, *Ego sum via. Nemo venit ad Patrem, nisi per me*, quæ verba S. Aug. 1. doctr. Christ. cap. 34. sic interpretatur. [A Christo aggrediendum & exordiendum iter est omnibus qui ad veritatem peruenire, & in vita æterna permanere desiderant. Sic enim ait, *Ego sum via & veritas & vita*: hoc est, per me venitur, ad me peruenitur, in me permanetur. Cùm enim ad ipsum peruenitur, etiam ad ipsum Patrem peruenitur: quia per æqualem ille cui est æqualis agnoscitur, vinciente & tanquam adglutinante nos Spiritu sancto, quo in summo atque incommutabili bono permanere possumus: ex quo intelligitur quòd nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, inquantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire, ne rebus temporalibus quamuis ab illo pro salute nostra susceptis & gestis hæreamus infirmiter, sed per eas potiùs curramus alacriter: vt ad eum ipsum qui nostram naturam à temporalibus liberauit, & collocauit ad dexteram Patris pronchi atque peruenire mereamur.]

Eadem Christi verba quæ proponebam, non malè in hunc modum glossat Auctor sermonis septimi de Cœna Dom. perperam adscripti D. Bernardo, postquàm multipliciter exposuit, cur & quomodò Christus dicatur via, veritas & vita. [Ego sum via reconciliationis, veritas retributionis, vita æternæ beatitudinis. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ac si dicat, nemo venit ad me veritatem & vitam, nisi per me viam: & nemo venit ad me Deum, nisi per me hominem assumptum. Ego per assumptam carnem, mortalibus facio foueam, per quam venitur ad veritatem & vitam. Et viam moriendo facio, resurgendo, ad cœlos ascendendo, vbi ego sum veritas & via, Deus verus, Deus æternus. Miser homo de terra terrenus, semper gibbus, semper procliuus, semper æger, semper infirmus ad gaudia Paradisi vnde expulsus fuerat; per se redire non poterat: nec ad veritatem & vitam quæ Deus est, per se ascendere valebat. Sed venit Verbum ad carnem, Deus ad hominem, & verbum caro factum est, & Deus factus est homo, inclinauit se Verbum ad carnem. Deus ad hominem, & sic genus humanum no solùm ad Paradisum, sed etiam portauit ad cœlum, vbi est esse verum, & esse æternum, veritas quæ semper fuit & erit, vita beata & semper beata quæ nec principium habuit, nec habebit finem. Vnde nobis terrigenis, homo Deus factus est via, & nos perduxit ad veritatem & vitam, ad se videlicet

Deum & hominem, & hoc est est quod dicit; *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, ac si diceret, Nemo venit ad me Deum, nisi per me hominem, hominem à Verbo assumptum; Nemo venit ad Patrem, nisi per me, qui sum homo, & vnus Deus cum Patre.]

Grauiter in eandem sententiam S. Leo serm. 16. de Passio. ca. 6. [Meritò Dominus ipse nobis factus est via, quia non nisi per Christum itur ad Christum. Per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientiæ & humilitatis eius incedit: in quo planè itinere, nec æstus deest laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis. Ibi sunt insidiæ iniquorum, persecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ superborum: quæ Dominus virtutum & Rex gloriæ ideò omnia in infirmitatis nostræ forma, & in carnis peccati similitudine percurrit, vt inter præsentis vitæ pericula; non tam optandum sit nobis, declinando ista effugere, quàm tolerando superare.]

958 S. Cyrillus lib. 10. de adorat. *initio*, id expressum censet in comitatu Mosis per Iesum Naue. [Ascendente (inquit,) in montem beato Mose, simul ascendit Iesus; neque enim aliter aditi ad Patrem potest nisi per filium; verè enim dicit; *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. In Christo igitur, ipsis quoque sanctis viris patet aditus: neque cuiquam fas est ad excelsam sublimémque contemplationem, quasi in montem ascendere, neque verò propiùs ad Deum accedere, eo nimirum coniunctionis modo qui in Spiritu & sanctitate conuersationis efficitur; nisi illi adsit Emmanuel, & quæ hominibus ardua sunt & inaccesse peruia reddat ac plana: idque esse arbitror, quod est Esaiæ voce dictum; *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & omnia prauа erunt indirecta, & aspera in vias planas*. In Christo enim nobis ardua omnia plana sunt, & aspera peruia: facilia item ac prona, quæ sunt inaccessa; vt enim Propheta ille idem alibi dicit; *Via piorum recta facta est; parata est via piorum*. Necessariò igitur vnà cum Beato Moyse conscendit Iesus: nam vt modò dixi, per filium aditi potest ad Patrem, & ipse filius mediator est, qui nos per se coniungit, & ad illam sublimitatem quæ est natura excellentior, attollit: aciem quoque cum illis selectis egregiisque viris instruxit, & vicit Amalech. Christus enim, cum sanctos viros elegisset, quorum primitiæ beati illi discipuli fuerunt, vicit quidem ille principem huius seculi, sed Moyse iubente; factus est enim sub lege filius, quamuis idem legislator esset, qua Deus erat. Pugnæ præterea tempus non ipso die fuit, quo Moyses iussit, sed postridiè, idest, dilata est in aliud tempus: nam lex futura prænunciabat, & Saluatoris nostri res præclarè gestas splendidè demonstrabat, si spiritaliter intelligatur.]

Iuxta S. Athanasium in expositione fidei *ad finem*, hoc ipsum de Christo prænunciarat Sapiens, cum eum vocauit *principium internum Domini*. Verba S. Athanasij sunt. [Dominicus homo quem ad salutem nostram exhibuit, conditus est vt esset initium viarum: per hunc enim ad Patrem accessum habemus, quoniam ipse est via, quemadmodùm ait. *Ego sum via, quæ ad Patrem vos ducit*: via nimirum, corporeum quiddam est, quod visui subiacet, quæ est ipse Dominicus homo.]

### *Christus via, publicum quid, impensum nobis.*

959 Quæ subdebam, de via iuris publici existente, & in commune bonum impensa per sui conculcationem, cadunt ita apertè in Christum, vt non egeant expositione. Christus enim omnibus patet, & idcircò omnibus exponitur. Vnde S. Augustinus in Psal. 39. aptat ad Christum illud Psalmi 66. *vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum*. Quæ verba sic expendit. [Primò dixit *vt cognoscamus in terra viam tuam*: & secutus est, *in omnibus gentibus salutare tuum*. Quasi diceretur ei: Quæ est via quam cupis agnoscere? Homines ad viam veniunt, nunquid via venit ad homines? Via nostra venit ad homines, inuenit errantes, vocauit ad se extra ambulantes. In me, inquit, ambulate, & nō errabitis. Ego sum via & veritas & vita. Ne diceres, vbi est via Dei ad quam regionem ibo? quem montem ascendam? quos campos inquiram? Viam Dei inquiris. Salutare Dei est via Dei, & vbique hæc est, quia in omnibus gentibus salutare tuum.]

Patet ergo omnibus Christus, qui item totus in nostros vsus expensus est, vt S. Bernardus rectè pronunciauit; & vt nobis commodaret, conculcari tota die sustinuit, vt sæpè habet Psaltes. [Quoniam in via sumus (ait S. Augustinus 1. de doct. Christ. cap. 17.) Nec via ista locorum est sed affectuum, quam intercludebant quasi septa quædam spinosa, præteritorum malitiæ peccatorum, quid liberaliùs & misericordiùs facere potuit qui seipsum nobis quò rediremus substernere voluit, nisi vt omnia donaret peccata conuersis, & grauitet fixa interdicta rectitus nostri, pro nobis crucifixus euelleret?] Hæc est via noua, quam Christus per velamen, idest carnem suam initiauit nobis, vt habet Apostolus Hebr. 11. S. Augustinus legit *ἐνεκαίνισε*, *ἐνεζώγρησεν*, ideest primùm fecit esse vsui Deut. 20. eadem vox vertitur, *dedicauit*, in illis verbis editionis vulgatæ, *si quis ædificauit domum nouam, & non dedicauit eā*; hoc est nondum cœpit ea vti. Hanc ergo viam carnis tam multa aspera & dura perpessæ, & conculcatæ tota die ab inimicis, aperit nobis Saluator noster in seipso, cum incarnatum Verbum factum est nobis via. Tunc enim propalata est sanctorum via, iuxta Apostolum, & patuit hominibus iter ad Deum, quod ante Christum erat occlusum. Iniectant quidem viam perpessionum & deiectionis omnimodæ SS. omnes, etiam qui Christo præierant, vt S. Macarius obseruat hom. 26. *sub finem*, sed quia vt ibidem addit, Christus ipse via nostra hoc in se prodere nouo planè & eminenti modo voluit, rectè appellatur *via noua & recens initiata*.

### *Qui declinent ab hac via Regia.*

960 Habemus itaque, viam de qua nobis dicitur Isaiæ 30. *hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad sinistram*. Declinant quicunque à Christo deuiant per extremas vias non bonas, relicta media, quæ sola est bona, sola tuta, & ab omnibus periculis & inimicorum incursibus planè secura. [Tu solus, talis es via, quæ latronem non habet,] nit ad

ad Christum Iulianus Toletanus in Oratione præfixa operi Prognostici. Egregiè planè in hanc rem Origenes hom.4.in Psal.36.illis verbis. [Qui iter agit ad virtutem, multa sunt quæ digredi debet & transire. Ergo & tu qui ad Christum tendis, qui est Dei virtus, digredere luxuriam, scorta,adulteria, digredere furta,falsa testimonia; tum deinde digredere & auaritiam, & omnem pecuniæ cæterarúmque malarum rerum concupiscentiam;digredere mendacium, digredere tristitiam seculi. Nisi hæc omnia digressus fueris visionem illam magnam Domini, videre non poteris. Sunt ergo quidam in nobis gressus & pedes, quibus iter hoc agimus, sunt gressus interioris hominis, quibus ambulare possumus per illam viam quæ dicit;*Ego sum via, veritas,& vita.*Hoc ergo iter agentibus, multis gressibus vtendum est nobis, vt illa omnia quæ supra diximus transeamus,quia gressus hominis à Domino diriguntur. Non sufficit homini volenti istud iter incedere, sola propositi sui voluntas, nisi & Dominus direxerit gressus eius: quia frequenter accidit iter agentibus, vt ambulent, quod iter tamen rectum tenere non possunt, sed descendant in aliquos errores, vt illi qui in philosophiæ eruditione versantur, videntur quidem iter virtutis incedere, sed quia à Domino non diriguntur gressus eorum, non tenent iter rectum.Sed & hæretici nihilominùs ingrediuntur etiam ipsi iter, sed cum scripturas carnaliter, non spiritualiter intelligunt, declinant in sinistram.Si verò spiritaliter intelligant, in ipso autem spiritali intellectu Apostolicæ non teneant regulam veritatis, decidunt nihilominus & ipsi ad dexteram, Diabolo(vt ita dixerim,) gressus eorum non dirigente, sed detorquente à via recta. Nos ergo neque ad dexteram,neque ad sinistram declinantes,ingrediamur mediam viam quæ est Christus Dominus, quia in ipso ambulantium, gressus Dominus dirigit. *A Domino ergo gressus hominis diriguntur, & viam eius cupiet*; illam scilicet viam de qua supra diximus. Cupiet enim qui à Deo dirigitur Christum,& desiderabit permanere semper in Christo. ] Subdit multa luculenter, de iis quorum mouentur pedes, & effunduntur gressus;concluditque, in tanta lubricitate viæ, & nostra fragilitate, orandum esse Deum, vt nos in via custodiat. [ Nos ergo (inquit,) deprecemur Dominum vt dirigat gressus nostros, & custodiat vias nostras,vti ne supplantentur gressus nostri: vt in via quam incedimus, hoc est in Christo Domino nostro, quasi supra petram stabilem vestigia nostra firmentur, ne quoquo modo supplantari possimus: per illum scilicet cuius nos caput obseruamus, & ille nostrum obseruat calcancum; cui vtique nunquam nos oportet plantam nudam præbere, sed semper debemus esse calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, vt si venerit Diabolus supplantator, & inuenerit pedes nostros munitos, & supra petram stantes, inde nos supplantare non valeat.]

Videsis de viæ periculis 4. Esdræ cap. 7. Neque tamen timendum quicquam est in via ipsa, sed duntaxat iuxta viam, vt pulchrè monet S. Augustinus hom.34.ex 50.verbis illis. [Tenere viam mediam, veram rectam,tanquam inter sinistram desperationis & dexteram præsumptionis,difficillimum esset nobis,nisi Christus diceret, *Ego sum via & veritas & vita.* Tanquam diceret. Quà vis ire? Ego sum via. Quò vis ire? Ego sum veritas. Vbi vis permanere? Ego sum vita.Secure ergo ambulemus in via, sed insidias timeamus iuxta viam. Inimicus insidiari non audet in via, quia Christus est via. Sed iuxta viam,planè non desinit. Vnde & in Psalmo dicitur;*Iuxta semitas, scandala posuerunt mihi.* Dicit & alia Scriptura; *Memento quia in medio laqueorum ingrederis.*Isti laquei inter quos ingredimur, non sunt in via: sed tamen sunt iuxta viam. Quid formidas quid metuis,si in via ambulas? Tunc time, si deseras viam. Nam ideò etiam permittitur inimicus ponere iuxta viam laqueos, ne securitate exultationis via deseratur,& in insidias incidatur. Via Christus humilis; Christus veritas & vita, Christus excelsus Deus.Si ambules in humilis,peruenies ad excelsum.]

*Cautio, ne iumentum nos excutiat.*

961 Quia verò omnes iter hoc cœpimus insidentes iumento nostro, cautio magna adhibenda est, ne illud vel ferociens,vel à serpente demorsum,excutiat nos, & concidentes conteramur. Monitum est sapientiæ plenissimum, quod suppedito ex Augustino,libro de Cantico nouo cap. 3.qui sic scribit. [ Ecce in Euangelio clamat Saluator. *Ego sum via.* Habes viam,ambula sollicitus. Tamen doma iumentum tuum, carnem tuam,ipsi enim insidet anima tua. Quomodò si in hac via mortali iumento insideres, quod te gestiendo vellet præcipitare; nónne vt securus iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres,& fame domares,quod fræno non posses? Caro nostra,iumentum nostrum est,iter agimus in Hierusalem.Plerumque nos rapit caro, & de via conatur excludere.Tale ergo iumentum,cohibeamus ieiuniis. Vide eum gubernatorem, eundémque viatorem Apostolum Paulum, vide illum suum iumentum domantem;*In fame,* (inquit,) *& siti,in ieiuniis sæpiùs.*Et *, castigo corpus meum,& in seruitutem redigo.* Ita ergo & tu, qui ambulare desideras,doma carnem tuam, & ambula. Ambulas enim si amas. Non enim ad Deum passibus,sed affectibus currimus. ]

Iumentum nostrum sic excutiens equitem imperitum,Philo Iudæus l.de Agricult.ait morderi à serpente Euæ, non autem à serpente de quo in benedictione Dan.Gen.49. *fiant Dan coluber in via, cerastes in semita;& mordeat ungulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* Serpentem namque Euæ, interpretatur voluptates gulæ, & alias quascunque: & huiusmodi serpentem, ait passim hominibus in via trita & publica, qua incedendum vetabat Pythagoras, insidiari;colubrum autem siue serpentem, cuius morsum Iacob apprecatus est filio Dan, ait Philo, designare fortitudinem.,& virtutes omnes,quibus animus in semita & via non trita incedens, salubriter mordetur; ita vt cadat ascensor eius retrò;& consequatur salubertima attritio. Hæc quidem Philo. Verùm genuinus sensus esse videtur, ea verba à Iacobo, specie precantis dici; quia solemne est ,. Prophetas cum diuinam aliquam pœnam vel mali permissionem prænunciant,deprecatorio vti verbo,vt significent conformationem suam ad nutum diuinum. Itaque S.Ambrosius lib.de benedict. Patriarch. cap. 7.

morsum illum equi in via, interpretatur tentationem ad deiiciendum equitem, & detrudendum in ruinam. [Hoc est enim (inquit,) mordere equi calcaneum, vt veneni suffusione equus saucius, & vulneratus dente serpentis, leuet calcaneum suum: sicut Iudas proditor tentatus à Diabolo, super Dominum Iesum leuauit calcaneum suum, vt deiiceret equitem, qui se deiecit vt omnes leuaret. Cecidit igitur non postratus in faciem, quasi dormitans, sed retrorsùm; vt à superioribus ad priora se extendens, à Domino expectaret salutem. Sciebat enim se resuscitandum, & ideò iacentem Adam expectabat erigere. Vnde nos cum benè in via currimus, caueamus necubi serpens lateat in semita, & subrnat vestigium equi, hoc est, corporis nostri, & deiiciat subito equitem dormientem. Non si vigilamus, cauere debemus aliquatenus, & morsus declinare serpentis. Nam ergo nos opprimat somnus negligentiæ somnus seculi, non opprimat diuitiarum somnus, ne & de nobis dicatur, *obdormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum.* Sed sunt & equites dormentes, de quibus scriptum est, *Dormierunt qui ascenderunt equos.* Si auaritia pectus tuum vulneret, si libido inflammet, dormis eques; & ideò corpus tuum hoc est equum tuum, non potes refrænare.]

*Remanentes, in via, & ab ea deflectentes.*

962 Quos S. Ambrosius, dormitantes in via vocat, autor proximè adductus libri de Cantico nouo cap. 4. vocat remanentes in via, quos secernit ab aliis duobus generibus hominum, qui viam iniuerunt per baptismum, & Christianismi professionem; nec tamen progrediuntur in ea, vel etiam non tenent eam. Locus est huic negotio accommodatissimus, & adscriptu dignissimus. [Via ista nostra ambulantes quærit. Tria sunt hominum genera quæ odit; remanentem, retrò redeuntem, aberrantem. Ab his tribus generibus malis, Domino adiuuante vindicetur & defendatur gressus nosser. Iam verò cum ambulantes sumus, alius tardiùs ambulat, alius celeriùs: ambo tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes, retrò redeuntes reuocandi, errantes in via ducend i, tardi exhortandi, celeres imitandi. Qui non proficit, remansit in via: qui fortè à meliore proposito declinat, ad id quod deterius reliquerat, reuersus est retrò: qui fidem deserit, à via errauit.] Exponit distinctiùs, qui sint tres illi ordines malè capessentium viam. De primo sic loquitur. [Quis est qui non proficit? Qui se putauerit esse sapientem; qui dixerit, sufficit mihi quod sum; qui non attenderit eum qui dicit; *Quæ retrò obliuiscor, in ea quæ ante sunt, extentus secundùm intentionem sequor ad palmam vocationis Dei in Christo Iesu.* Currentem se dixit, sequentem se dixit: non remansit, non retrospexit: absit vt erraverit, quia viam ipse docebat, qui & tenebat & ostendebat.] Ibidem de ordine secundo. [Qui sunt & retrò redeuntes? Qui ex continentia reuertuntur in immunditiam: qui ex sancto & singulari bono proposito Virginitatis, diuertuntur in turpitudines voluptatis, & corrupta mente corrumpunt simul & carnem. Hos increpat Apostolus Petrus dicens, *Melius illis erat, non cognoscere viam salutis, quam cognoscentes, retrò respicere:* ô malum retrò respicere. Vxor enim Lot, quæ liberata est à Sodomitis, contra præceptũ retrò aspexit; quod euaserat perdidit. Nec immeritò in statuã salis repente conuersa est, nisi vt fatuos, suo etiã exẽplo cõdiret.] Tandẽ de ordine tertio sic scribit. [Qui sunt & aberrantes. Omnes hæretici, qui relicta veritatis via, errando per desertum latrocinantur, & animas captant in peccatis, præpediũtque ne quis ad patriam valeat peruenire: effecti lupi semitarij, induti ouina pelle, cùm sint intus lupi rapaces, prædicantes Christum viam, & qui eos sequuntur ducentes ad mortem.] Excutit in varios errones, Manichæos, Arrianos, Pelagianos, tum concludit cap. 10. adhortatione adhibita ad fideles quæ meritò obsignabit hanc de via ad Deum per Christum excursionem. [Vos autem fidelia germina sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, per vniuersum mundum diffusæ, fugite omnes hæreses. Si quis aliud euangelizauerit vobis, anathema sit. Rectos cursus facite pedibus vestris, non declinetis, nec ad dexteram præsumendo, nec de finistra desperando. Currite velociter rectam viam; ipsa enim vos perducit ad patriam: ad patriam illam cuius ciues Angeli sunt, cuius templum Deus, cuius splendor Filius, cuius charitas Spiritus sanctus; ciuitas sancta, ciuitas beata, ciuitas vbi nullus perit amicus, quò nullus admittitur inimicus: vbi nullus moritur, quia nullus oritur: nullus infirmatur, quia incorrupta salute lætatur. Cum illuc venerimus, non ibi esuriemus aut sitiemus: Visio ipsa, satietas nostra erit. Non ibi dormiemus, quia non ibi laborabimus. Nulla cuiuslibet rei necessaria erit refectio, vbi nulla erit defectio. Viuemus, regnabimus, lætabimur. Si tantum delectat cùm de ea loquimur, quid erit & videre? Videre Deum, viuere cum Deo, viuere de Deo. Vita enim erit nostra, laudare Deum, & sine defectu amare. *Beati* enim, ait Propheta, *qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te.*]

An non hoc ipsum est, quod voluit S. Ambrosius l. de bono mortis cap. 12. ßc de Christo scribens, post præmissa pleraque, de fœlicitate termini viæ nostræ? [Demonstrauit & viam, demonstrauit & locũ, dicens, *Et quò vado, vos scitis & viam scitis.* Locus apud Patrẽ est; via Christus est, sicut ipse ait; *Ego sum via, & veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ingrediamur hanc viam, teneamus veritatem, vitam sequamur. Via est quæ perducit, veritas quæ confirmat, vita quæ perseuerantibus redditur.] Mòxque conuersus ad Christum, [Sequimur te Domine Iesv sed vt sequamur, accersi, quia sine te nullus ascendit. Tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, sedes, præmium. Suscipe nos quasi via; conforma quasi veritas, viuifica quasi vita. Pande illud tuum bonum, quod videre desiderabat Dauid, inhabitans in domo Dauid; ideòque dicebat, *Quis ostendit nobis bona?* Et alibi *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Ibi enim sunt bona, vbi vita perpetua est, vita sine crimine. Alibi quoque ait, *Replebimur in bona domus tuæ.* Quod ideò frequẽtauit, vt scires, hinc bonum illud Philosophos transtulisse, quod summum asserunt. Pande ergo illud verè bonum tuum, illud diuinum, in quo & viuimus & sumus & mouemur. Mouemur quasi in via, sumus & mouemur. Mouemur quasi in vita æternus quasi in veritate, viuimus quasi in vita æterna. Demonstra nobis illud bonum, quod est finale

mile sui, semper indissolubile atque immutabile, in quo simus æterni, in agnitione omnis boni.]

### *Excusationes de ardua Christi via, præclusæ.*

963 Quàm gemendum & deplorandum est, pleroſque hac viâ salutis abiectâ, vias alias inire non bonas, & quas in die iudicij, serò sed verè, agnoscent difficiles, causati difficultatem eius viæ ad salutem quam hactenus signauimus. Non inficior aliquam huius vitæ asperitatem, est tamen ineunda, si sapimus. [Christus, (inquit S. Augustinus Conc. 2. in Psal. 36.) direxit gressus nostros, vt viam eius vellemus. *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Iam sequeris viam Christi, non tibi seculi prosperitates promittas. Per dura ambulauit, sed magna promisit. Sequere. Noli tantùm attendere quà iturus, sed & quò venturus sit. Tolerabis plura temporalia, sed ad lætitiam peruenies sempiternam. Si vis sustinere laborem, attende mercedem. Nam & operarius in vinea deficeret, nisi attenderet quid accepturus esset. Cùm autem attenderis quid sit accepturus, omnia erunt tibi vilia quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias.] Et mox. [Ergo à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Hinc dicere cœperam; viam Christi si vis, & verè Christianus es, (ipse enim Christianus, qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius,) noli per aliam viam velle ire, quàm per illam quâ ipse iuit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via: alia fortè delicias habet, sed latronibus plena est.]

Verùm ipsa quidem via, lenis & suauis ex se est: *via enim* Christi, *via pulchra, & omnes semitæ eius pacificæ*, vt interpretatur S. Hieron. in cap. 3. Prouerb. Nos sumus quibus ea via asperatur, & ex falsa imaginatione videtur dura & horrida. Nos inquam vt cum Cassiano dicam collat 24. cap. 24. [Nos esse manifestum est, qui semitas Domini rectas ac leues, prauis durisque desideriorum cautibus asperamus: qui viam regiam Apostolicis ac Propheticis silicibus communitam, sanctorúmque omnium, atque ipsius Domini vestigiis complanatam, amentissimè deserentes, deuia quæque ac dumosa sectamur, & præsentium oblectationum illecebris obcæcati, per obscuros impeditósque vitiorum sentibus calles, laceratis crucibus, & dirupta illa nuptiali veste reptamus; non modò acutissimis vepriũ aculeis configendi, sed etiam virulentorum serpentum, vel scorpionum illic latitantium ictibus prosternendi. *Tribuli enim & laquei in viis prauis; qui autem timet Dominum abstinebit ab eis.* De talibus & alibi Dominus per Prophetam. *Oblitus est mei* (inquit,) *populus meus, frustra, libantes & impingentes in viis suis, in semitis seculi, vt ambularent per eas in itinere non trito.* Viæ enim secundùm sententiam Salomonis, nihil operantium, strataè sunt spinis, sortium verò tritæ sunt: & ita ab itinere regio deuiantes, ad illam Metropolim, vbi noster cursus indeclinabiliter semper debet esse directus, non poterunt peruenire. Quod etiam Ecclesiastes satis significanter expressit; *Labor*, (inquens,) *stultorum affliget eos, qui non nouerunt ire in ciuitatem*; illam scilicet Hierusalem cœlestem, quæ est mater omnium nostrum.]

Gratulandum quoque cum S. Bernardo serm. de quadruplici debito, iis qui se ad hanc viam faciliùs percurrendam exonerant, excussis impedimentis omnibus. Quare fratres suos sic alloquitur. [In via estis Fratres, quæ ducit ad vitam, in via recta & impolluta quæ ducit ad ciuitatem sanctam Hierusalem, illam quæ libera est, quæ sursum est, quæ est mater nostra. Arduus quidem assensus eius, vt potè per ipsam montis sumitatem incisus; sed via compendiosior, laboris magnitudinem vel temperat, vel excludit. Vos autem tam felici facilitate, quàm facili fœlicitate, viam istam non solùm itis, sed curritis: quia exonerati estis & accincti, nihil ponderis super dorsa portantes. Non sic aliqui, non sic, qui quadrigas & quadrigalia onera pertrahentes, montis circuitum ambire decernunt, & plerumque per deuexa montis peæcipitantur, vt vix finem inueniant vitæ suæ. Felices igitur vos, qui vos & vestra sine omni acceptiuncula reliquisti, per ipsum montis verticem iter facitis ei qui ascendit super occasum; Dominus nomen illi. Illi verò qui quamuis Ægyptum fugerint, tamen quæque Ægyptia tenerrimè resuspirant, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt; sed voluntatum suarum grauissimis sarcinis prægrauati, vel sub onere, vel cum onere cadunt, vt vix ad cursum perueniant destinatum.] Sic gratulabatur Humberto serm. de eius obitu, quod instituisset Christi semitis, & sicut ille ambulauit, & ipse ambulasset, sicque ad beatam metam, & ciuitatem sanctam pertigisset.

### *Terminus ad quem viæ nostræ.*

964 Hæc ciuitas quæ est terminus motûs nostri, cum Hierusalem superior quæ est mater nostra appellatur, vt ex Cassiano audisti; tum aliis plerisque nominibus designatur: eóque nominatim, quod S. Ambrosius proximè laudatus statuebat termino ad quem peregrinationis, & incessus nostri per Christum viam: nempe nomine *loci*, iuxta illud, *est locus apud me*; quod expendens Nyssenus l. de vita Mosis, ait eum locum motu aditi, non tamen pertransiri, & eum motum, esse simul statum, iuxta illud quod ex eodem capite Exodi profert, *sistam te in lapide*, de quo sic pronunciat. [Mirabile auditu, quomodò vnum ac idem, status, & motus est. Si quid ascendit, non stat; si stat, non ascendit. At hic ascendit, qui astat. Nam qui caducus ac instabilis cogitationibus est, non fixus in bono nec permanens, sed fluctuans & circum actus, vt ait Apostolus, variisque de rerum natura opinionibus in vtramque partem impulsus & exagitatus, is nunquam ad sublimitatem virtutis ascendit; sicut qui colles conantur scandere sabulosos: nam etsi proiectis in longum pedibus magna transire spatia videantur, semper tamen ad inferiora, delapso sabulo deferuntur. Motus igitur fit, progressus autem nullus fit. At si quis vt Psalmista dicit, ad huius profundi retractos pedes, in hoc posuerit lapide, (lapis autem Christus est plenitudo virtutum omnium;) quanto firmior ac nobilior, vt Paulus consulit, in bono fuerit, tantò velociùs volat, hac stabilitate quasi pennis eleuatus. Cùm igitur locum apud se ostendit, ad perpetuum cursum exhortatur: cùm statum in lapide daturum se promittit, modum diuini cursus illius, Moysi sub aperit.

Capacitas verò aut foramen lapidis, verbis Apostoli expositum est, cùm domum non manu factam cœlestem spe iis reseruari, qui terrestre tabernaculum dissoluerunt, asserat. Nam rectè qui cursum perfecit, vt ipse dicit, in lato illo & capacissimo stadio, quod diuina vox *locum* appellauit, qui videlicet fidem conseruauit, ac in lapide, vti ænigmate dicitur, pedes suos firmauit, is corona lætitiæ, à manu eius qui hæc certamina nobis posuit, coronabitur.]

Etiamsi porrò hic locus eminentissimus est, tamen ad eum non nisi descensu peruenitur: & in eo, præiuisse nobis Christum, pulcherrimè prosequitur S. Bernardus serm. 4. de Ascens. Quod facultati nostræ & sapientiæ deest, rogemus à Deo suppleri, precantes cum Iuliano Toletano in oratione quam præfixit suo primo libro Prognosticon. [Desertum Idumeæ, cœcus & morbidus possessor inhabitans, clamo ad te, fili Dauid, miserere mei. Patriam enim meam, æternam Ierusalem quæro, ciues eius contemplari desidero: sed quibus ductoribus illuc transeam, non inuenio. Tu ergo qui temetipsum dignatus es ostendere viam, porrige mihi manum tuam, qua illuc non iam cæcus, sed videns, sine aliquo latrocinantium impedimento perueniant. Tu enim solus, & talis es via, quæ latronem non habet. Ecce anxium est cor meum; pro reditu patriæ illius diu tibi suspirans, immensa futurorum cura distenditur, cupiens vt tanquàm illuc eatur, hîc iam futuræ illius beatitudinis gaudia contempletur, &c. Ego tamen in illius patriæ signum, de qua tanta dicuntur, cupiens euolare, peto vt per te, qui via es, gradiar: in te qui es veritas, non offendam: ad te qui es vita, perueniam. A te ergo, qui summæ fœlicitatis es via, nullis casibus diuidar, nullis rerum impedimentis abrumpar: sed in te gradiens, latronem moriturus non patiar, mortuus accusatorem non perferam. Angelicis morientem me excubiis protegas: euocatum ad te, extenso pietatis gremio consolare: vt ad te sine confusione veniens, videam quæ bona sunt in Ierusalem.]

### *Christus, via item maritima.*

965 Exposui nostrum ad Deum per Christum iter, quasi terrestre; Nec difficile est maritimum prosequi, & post equos, de naui addere. Nam & Poëta ait Aremidorus lib. 1. cap. 58. naues *equos* dixit; & nos Neptunum *Hippion* id est *equestrem* vocamus. Et verè quam rationem in terra equus habet, eandem habet nauis in mari. Sanè Christo quoque illud aptatur, vt supra vidimus *in mari via tua.* Scitè quoque Isidor. Pelusl. lib. 1. epist. 416. *viam nauis in medio mari*, de qua Salomon, exponit de Christo, per Incarnationem tanquam per nauem, peragrante mortis abyssum. Mare ergo, vt liquet, mundus est. Omitto quæ in eam rem habet Maximus Tyrius serm. 3. Sed audi Theophilum Antiochenum l. 2. ad Antolycum. [Mundus si rem rectè reputare volumus, comparatur verissima ratione mari. Quemadmodùm mare, ni subinde sentiret & experiretur fontium fluminúmque fœcundum influxum, & alimentum caperet, ob salsuginem suam torrefactum; iamdudum interciderat: Sic & mundus, ni haberet legem & Prophetas manantes, & subinde scaturientes dulcedinem, misericordiam, iustitiam, & doctrinam sanctorum Dei præceptorum, propter peccatum & malitiam, quæ duo in eo potenter & copiosè regnant, certè iamdudum interiisset. Quemadmodùm in mari insulæ quædam prominent habitabiles, frugiferæ, & quibus est aqua salubris, nec non naualia & portus commodi, quo se naufragi reciperent; sic Deus dedit mundo, qui peccatorum tempestatibus & naufragiis iactatur, Synagogas, quas sanctas Ecclesias nominamus; in quibus veritatis doctrina feruet, ad quas tanquam ad portus securos confugiunt veritatis studiosi, omnes quotquot saluari, Deique iudicium & iram euitare volunt. Vt verò & aliæ sunt insulæ saxosæ, aqua potabili vacuæ, steriles, efferatæ & inhabitabiles, quæque plurimùm damni, tum nauigantibus, tum naufragis afferunt: in his etiam naues atteruntur, & quotquot ad eas appellunt, extrema pericula subeunt: Ita sunt doctrinæ erroris, (dico autem hæreses,) quæ suos sectatores perdunt. Non enim à veritate præuia ducuntur, verùm quemadmodùm piratæ, vbi impleuerunt suas naues, penetrant ad prædicta loca vt exitium apportent; sic accidit his, qui relictâ veritate, in hæreses abeunt, à quibus tandem perduntur.]

### *Nauis Ecclesia.*

In hoc mari, nauis locum habet Ecclesia. Id quod structura quoque materialium Ecclesiarum in nauis formam, exhibet, vt est apud Clementem Romanum 2. Const. c. 57. qui item in hanc Ecclesiæ & nauis comparationem videndus est Epistola 1. quam citat qui idem verbat Anacletus Epist. item 1. & apud Chrysostomum Autor Latinus, in fine homiliæ de Symbolo. [Velut nauis est (inquit,) in mari posita hæc Ecclesia, portat epibatas, portat credentes in vna charitate, in vna modulatione, in vno remigio sanctitatis, in simibus charitatis, in velo orationis, in arbore crucis, in piæ pœnitentiæ, in stuppa castitatis, in tabulis pacis, in anchora fidei. Ista ergo Ecclesia, in vna modulatione cantans, peruenit ad portum æternitatis, ad ciuitatem pacis.] Placuit hæc comparatio aliis plerisque Patribus. Adscribo nonnullos.

S. Ambrosius lib. de Salomone c. 4. [Nauem Ecclesiam esse diuinis testimoniis probamus, sicut ait; *Illhiæ transierunt naues.* Et alibi; *Ad omnem nauem maris*, quia sunt Ecclesiæ seculi quæ totam sibi spem, (quod fit in hoc tempore,) non tam de Deo, quàm de prosperitatibus huius seculi repromittunt. Sed quod ait, *via nauis nauigantis*, propriè significat, quod miro modo, in tempore persecutionis, comprehendi omninò non posset, quemadmodùm viuida per interitum, & diues per damna reddatur, sicut ait ex persona ipsius Psalmographus, *in tribulatione dilatasti me.*] Concinnissimum eiusdem S. Ambrosij de hac naue locum, infra dabo arcens ab ea naufragium.

S. Paulinus epist. 4. hanc nauem describit, per huius mundi diluuia nauigaturam, edoctis Verbo Dei Gentibus textam, & in compagem charitatis fide stringente coniunctam, fluctus mundi istius imputribiliter secantem. Et mox eruditas ad Apostolicam fidem animas, descri-

bit. [Vt naues quæ fluctibus mundi supernatant, &

& fide veri, atque opere iusti, à dextris (vt scriptum est) & sinistris, velut remis armantur. qui verbo Dei quasi gubernaculo diriguntur, & ad auram Spiritus sancti, sensuum suorum sinus pandunt, & cordis sui velum vniculis charitatis vt funibus, ad antennam crucis stringunt. Et arbor illis est virga de radice Iesse, quæ totam corporis nostri quadritemen regit, & cui si iuxta illam Poëticam fabulam in prophetica veritate nectamur, voluntariis ad strictis nexibus, & obstructis non cera sed fide, neque corporis sed cordis auribus, contra huius mundi varias ad capiendum, pares ad nocendum in tenebras tuti, & innocuè scopulos voluptatum quasi saxa Syrenum præteruehemur.]

966 S. Epiphanius hæresi 61. *initio*, pulcherrimè Ecclesiam naui confert ob compactionem ex variis & diuersi generis partibus. Admittit enim quouis status, honestos, seculares & regulares: cum è contrario, conuenticula hæreticorum, conferenda potiùs sint lintribus, ex vnico ligno excauato: quod ibidem fusiùs prosequitur. Nec semel effusi in risum sumus, illa legentes, cum recordaremur querelas nostratium Hæreticorum, de sua omnium vniformitate, quæ leuandis familiis non commodat. Nam Catholicos quidem, aiunt, partim hæredes & successores in seculo habere; partim Ecclesiastico ordini seculari addicere, partim regulari, siue monastico, siue militari: filias autem, saltem quæ deformes sint, & maritos non inueniant, (vt S. Hieronymus epist. 8. subsannat,) monasterio immittere. Apud se autem, omnes crescere, & multiplicari oportere: vnde familiarum & patrimoniorum, in tam multas particulas distributorum, attenuatio & euersio. Hoc nauis Ecclesiæ Catholicæ, præ lembo hæretico commodum leuiculum ex innumeris: sed qualecunque est, Hæreticorum saliuam ciens, & inuidiam mouens.

Egregiè Chrysostomus hom. 4. de verbis Esaiæ Spiritus sancti flatum, pro zephyro; pro temone clauóve etucem, huic naui assignat. Et consentit Nilus oratione 1. de Ascen. apud Photium Cod. 276. Clauum tamen, legem esse diuinam, ait Theophilus Alex. Epist. 3. Paschali. Idem Chrysostomus vela esse voluntatem nostram, sic pulchrè docet. hom. 34. in ad Hebr. [Anima diuino munita Spiritu, est superior quidem omnibus fluctibus, eorum quæ ad hanc vitam pertinent: Viam autem quæ fert in cœlum, secat vehementiùs quàm vlla nauis, vt quæ non pellatur à vento, sed vela habeat, eáque munda omnia, impleta ab ipso Paracleto, à nostra cogitatione expellit quidquid est molle, eneruatura & dissolutura. Quo modò enim ventus incidens in velum laxum & molle, nihil egerit; ita etiam sanctus Spiritus in animam mollem & dissolutam, pati non potest vt maneat. Sed magna intentione opus est & vehementia, vt nobis sit ardens animus, & semper sint nostra opera intensa, fortia & constantia. Vt quando oramus, hoc à nobis cum magna faciendum est intensione, animam in cœlum indentibus, non funibus, sed magna animi alacritate. Quando rursus miseremur, nobis opus est intensione, ne cura domûs, & solicitudo de liberis, & vxore, & metus paupertatis irruens, velum laxet & remittat. Nam si id vndique rectè intenderimus spe futurorum, suscipit operationem spiritus: ex illis autem rebus caducis & miseris nihil in eam incidit; sed etsi inciderit, ipsam quidem nihil lædit, sed statim firmitate, ac duritie repellitur, & excidit excussum. Propterea ergo nobis magna opus est intensione: etenim nos quoque magnum & spatiosum mare nauigamus, plenum multis belluis & scopulis, & multas nobis pariens tempestates, & ex magna serenitate sæuissimas procellas excitans. Oportet ergo, si velimus facilè nauigare, & sine periculo, vela tendere, hoc est liberum animi nostri arbitrium. Hoc enim nobis sufficit. Nam Abraham quoque postquam suum ad Deum intendit desiderium, perfectámque & integram exhibuit voluntatem, quanam re alia opus habuit? Nulla, sed credidit Deo & reputatum est ei ad iustitiam. Fides autem, est puræ & sinceræ voluntatis. Obtulit filium & quamuis non occiderit, accepit tamen mercedem eius qui occidit, & quamuis factum non esset opus, data est tamen merces. Sint ergo nobis vela munda, & non inueterata. Nam quidquid inueterascit & consenescit, propè accedit ad interitum: Non perforata, vt contineant operationem Spiritus. *Animalis enim*, (inquit,) *homo non capit quæ sunt Spiritus.* Quomodo enim velæ araneatum vim venti non susceperint; ita nec anima huius vitæ curis dedita, nec homo animalis, poterit vnquam suscipere gratiam spiritus. Ab illis enim nihil distant nostræ cogitationes, visu quidem solùm seruantes consequentiam, priuatæ autem omni virtute.]

In construenda per partes singulas, & omni ex capite munienda hac naue, multus omnino est, Hugo Victorinus serm. 5. Institut. Monast. qui est in illud, *Aue maris stella*. Diligenter enim prosequitur, nauem Ecclesiæ, fide compingi, ex tabulis vtriusque Testamenti, excisis per lectionem, dolatis verò per meditationem. Ne verò singulis quæ capitatim expendit, referendis nimius sim, breuiculum totius dissertationis ab ea sub finem confectum, sat erit repræsentare. [Debemus igitur (inquit) habere nauem per fidem, malum per spem, velum per charitatem, gallicului per probationem spirituum, chordas per exercitationem virtutum, remos per exhibitionem bonorum operum, gubernaculum per discretionem, anchoram per humilitatem, escam per Scripturarum meditationem & lectionem, rete per prædicationem, & celeuma debemus cantare per laudis Dei iubilationem. Dominus autem dabit ventum, per sui spiritus aspirationem.]

967 Præter hanc nauim quæ veluti vniuersalis est & adæquata, alia partialis & inadæquata occurrit. Pro singulorum enim Ecclesiæ membrorum numero, singulæ occurrunt naues. Audi Augustinum initio libri de Cataclysmo. [Baptizatus est quis, nauis est instaurata, subuncta, velificata; missa in mare indiget gubernaculo quousque ad portum, desideratum perueniat. Mare hoc, seculum scilicet, non solùm tempestatibus scopulisque periculosum est, verum etiam bestiis cupiditatum insidiantibus abundans. Omnis sollicitudine, omni cura, omni industria excitati iam vigilent nautæ; frequenter etiam Christus inuocetur gubernator, vt nauem tantis periculis ereptam ad portum securitatis ipse perducat.] Eodem recidit, quod vniu cuiusque nostrum corpora, naues verè dici,

dici, sic tradit S. Ambrosius in psal. 47. [Et benè ait, *spiritum vehementem*, naues dicturus. Naues autem de corporibus dixit, quæ vago diuersarum passionum fluctu mouentur, & citò merguntur, nisi habeant gubernatorem. Vnde & alibi ait, *Qui descendunt mare in nauibus.* Benè autem nauigant, qui in nauibus Christi crucem sicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, vt corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti, atque securi: nec permittunt naues suas, vago fluctu errare per maria; sed ad portum salutis, & ad consummationem gratiæ, cursus sui directione contendunt, vt fida statione potiantur, quò dissolutæ cursus suos possint in resurrectione reparare, vbi naufragium timere non possint. Et nos igitur circumspectemus hanc gratiam, speculatores eius simus, exploremus eam, vt fiant corpora nostra naues Tharsis.] Non dissimiliter nauem corporum nostrorum expressit Chrysologus serm. 8. cum dixit. [Gubernator prudens, à littore cum nauim soluit, cum mare transiturus intrat fluctus, domus, patriæ, coniugis, pignorum curas deponit, & ita totus mente, corpore, sensu, nauticis laboribus occupatur, vt & fluctuum possit superare discrimina, & stationem lucrosi portus periculi victor intrare. Sic nos, fratres, ingressi iter abstinentiæ, ieiunij pelagus, quadragesimæ viam, nauim corporis nostri soluamus à littore mundano; secularis patriæ renunciemus curis, in crucis arbore, tota mentis vela tendamus, virtutum funibus, sapientiæ remis, gubernaculis disciplinæ, nauigij nostri muniamus incessum, & subducti tertis speculemur cœlum, vt ducatu signorum cœlestium, inter liquidos calles latentis viæ inoffensum tramitem tenere possimus: ac sic gubernante Christo, flante Spiritu sancto cuictis voluptatum spumis, superatis vitiorum fluctibus, decursis ordinum procellis, transuersis scopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragiis cuitatis, portum intremus.] Hæc nauis non esse reuera discrepans ab ea quam priùs ex tot Patribus adiunximus, sicut Ecclesia non est aliquid à membris suis singularibus planè diuersum, sed ex eorum coagmentatione exurgit. Maneat igitur, Ecclesiam nauis loco esse, in mystica nauigatione.

Sic statuo de magna ad cœlestem portum tendentium naui, eique adiunctis lembis. S. tamen Chrysostomus hom. de cruce *initio*, nauigationem spiritualem paucis attingens, videri poterit aliam nauem assignare, quàm hactenus propositam, sic scribens. [Nauis loco nouum Testamentum habemus, pro clauo crucem, pro Gubernatore Christum, Proretæ vice Patrem, pro velis gratiam, pro zephyro Spiritum sanctum, pro nautis Prophetas, pro Vectoribus Discipulos.] Hæc in speciem, sonant aliam nauem, quàm eam de qua hactenùs diximus. Sed facile est respondere, nouum Testamentum pro Christiana Ecclesia & lege gratiæ, fuisse à S. Chrysostomo ibi vsurpatum, quod recidit in proximè dicta, & eodem modo conciliatur cum nostra sententia, quod ait Hugo Victorinus serm. 5. in Monasticis Institutionibus, nauem qua ad cœlum appellimus, esse fidem. S. Augustinus serm. 14. de verb. Dom. non vocat Ecclesiam, *nauem*, sed *nautellam*, cui pro antenna adhibet crucem. Non vult autem significare Ecclesiam esse paruam nauiculam, nisi comparatiè

### *Buccellatum, & Stella maris.*

968 Quemadmodùm autem qui sunt in naui, (inquit S. Macarius) hom. 44 *sub finem*, non hauriunt è mari vnde bibant, & vestiantur, nutriantúrve sed aliunde important quæ sunt ad victum & vestitum necessaria: Ita etiam Christiani, qui hac Ecclesiæ naui vehuntur, è cœlo habent commeatum, atque indumentum. Buccellatum panem nauigationi necessarium, S. Bernardus aut quiuis alius Autor Tractatûs de vite vera c. 43. assignat his verbis. [Præterire non possumus, quòd transituri mare, panem biscoctum necessarium habent. Quicumque ergo se in hoc mari magno huius seculi esse cognouerit, quod quia spatiosum est, citò transiri non potest, & propter reptilia quorum non est numerus periculosum est, quia & ventis & tempestatibus sæuit, si securus vult esse, habeat hunc panem coctum fortissimum Iesum, in naue crucis suæ, quem comedat, quem adoret, quo reficiatur, quo consoletur, quo, vt breuiter dicam, ab omnibus periculis eruatur. Si enim, (vt ait Psalmus,) *illic naues pertransibunt*, id est, homines in crucibus suis Iesum sequentur, quæ nauis potiùs pertransibit quàm nauis Crucifixi Iesu Christi?] Stellam ad cuius directionem nauigandum est, Fulbertus serm. de Nat. Deiparæ assignat B. Mariam. [Hæc (inquit,) electa & insignis inter filias, non fortuitu quidem, aut solo placito parentum, vt plerique, sed diuina dispensatione nomen accepit, itavt ipsa quoque vocabuli sui figura, magnum quiddam innueret. Interpretatur enim *maris stella*. Quid ergo mysticum, hæc interpretatio gerat, per similitudinem ostendamus. Nautis quippe mare transeuntibus, notare opus est stellam hanc, longè à summo cœli cardine coruscantem, & ex respectu illius æstimare atque dirigere cursum suum, vt portum destinatum apprehendere possint. Simili modo, Fratres oportet vniuersos Christicolas, inter fluctus huius seculi remigantes, attendere maris stellam hanc, id est Mariam, quæ supremo rerum cardini Deo proxima est, & respectu exempli eius, cursum vitæ dirigere. Quod qui fecerit, non iactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur Scyllæa voragine voluptatum, sed prosperè veniet ad portum quietis æternæ.] Nihil vulgatius quàm illud Bernardi in hanc sententiam ex homil. 2. super *Missus est*, [Respice stellam, voca Mariam.] Plenè item Rich. à S. Laurentio lib. 1. *à pag.* 27. Rythmus Adami de S. Victore descriptus ab Hugone Victorino serm. 5. Instr. Monast. huc bellè facit.

*Sæuit mare fremunt veni,*
*Fluctus surgunt turbulenti,*
*Nauis currit sed currenti*
*Tot occurrunt obuia.*
*Hinc Syrena voluptatis,*
*Draco, canes, cum piratis,*
*Mortem penè desperatis,*
*Hæc intentant omnia.*
*Post abyssos, nunc ad cœlum,*
*Furens vnda fert phaselum,*
*Nutat malus fluit velum,*
*Nauis cessat opera.*

Contabescit

*Contabescit in his malis,*
*Homo noster animalis*
*Tu nos mater spiritalis*
*Pereuntes libera.*
*Jesu sacri ventris fructus,*
*Nobis inter mundi fluctus,*
*Sis via, dux, & conductus*
*Liber ad cœlestia.*
*Tene clauum rege nauem,*
*Tu procellam sedans grauem*
*Portum nobis det suauem,*
*Pro tua potentia*
*Et te natus, nobis datus,*
*Qui Deus regnat beatus,*
*Per immensa secula.*

*Scopuli, syrtes, piraterium, naufragia.*

969 De scopulis & syrtibus in hoc mari, breuiter S. Hieronymus epist. ad Heliod. [Quasi (inquit) nuper naufragio eiectus, in littus doctus nauta timida nauigaturis voce denuncio; In illo æstu Charybdis luxuriæ, salutem vorat: ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, Scylla, ceu renidens libido blanditur. Hîc barbarum littus, hîc Diabolus pirata, cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni furum æquor arrideat; licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campos montes habet, intus incluſum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, Crucis antenna figatur in frontibus: tranquillitas ista, tempestas est.]

Est etiam piraterium in hoc mari, de quo videndus Antiochus hom. 27. & S. Maximus hom. 1. de non timendis hostibus carnalibus. De eiusdem maris procellis, & perpetuis fluctibus S. Augustinus serm. 5. de diuers. cap. 2. & concinne in psalmum 64. ad vers. 7. itémque S. Basilius lib. de Spir. sancto cap. 30. & hom. in principium Prouerb. *sub finem*, ac Chrysologus serm. 20. & Athanasius *in fine* sermonis, contra omnes hæreses.

De frequentibus inde naufragiis particularium, imo omni pene vita nostra naufragio, scitè Saluianus lib. 3. de Prouid. *sub medium*, conferens quod de se dixerat Apostolus 2. Cor. 11. *ter naufragium feci*, cum communibus Christianorum casibus. [Sanè (inquit) etsi de cæteris quas dicit virtutibus Apostolicis nihil facimus, in hoc tamen vno, vbi Apostolus ter naufragasse se dicit, etiam vincere possumus. Non enim ter tantummodò naufragauimus, quorum pænè omnis vita naufragium est. Intantùm quippè vitiosè ab omnibus viuitur, vt propè nullus Christianorum sit, qui non iugiter naufragare videatur.] Etiam in malitia, & statione, contingere hîc naufragia, benè Theodorus Studita Catech. 4. sunt hæc naufragia planè horribilia; præ quibus, illud calamitosissimum à Synesio epist. 4. & alius à Maffeio descriptum, iocus videri possint.

Ecclesiæ tamen nauis nunquam naufragat, vt pulcherrimè prosequitur S. Ambrosius l. de Salomone cap. 4. tractans illud, *viam nauis in medio mari*, quod sic explicat. [Nauem adæquè Ecclesiam debemus accipere, in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum fluctibus, ideſt tentationum plagis & verberibus fatigatur; quam turbidi fluctus; ideſt huius seculi potestas conatur ad saxa perducere: Quæ etsi vndarum fluctibus aut procellis sæpè vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore eius, ideſt in cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paraclitus seruat spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta, duodens in portum remiges ducunt, ideſt duodecim Apostoli, & similis numerus Prophetarum. Inde Montani antra, latratu falsi criminis resonant, qui duabus fœminis Prophetissis, Priscilla & Maximilla, tanquam alicuius Scyllæ rabidis siccinctus est canibus. In ista naue Ecclesiæ, ea fœliciter præterimus. Inde in Photinianam Charibdim non incidimus. Inde in illud barathrum, quasi Datham & Abiron, ideſt in profundum mortis Vrsacij & Valentij, non incurrimus. Inde Arrium Archipiratam, qui nos per mare seculi ad instar Pharaonis insequitur, non timemus; Illam stellam seruantes in cœlo, quæ Magos perduxit ad Christum, per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium futurus est portus, expectat. Inde nunquam nos de hac Ecclesiæ naui participatos, Marcion ille cetus absorbuit. Inde Sabellius pirata non cepit. Inde nobis Aquilo nocere non poterit quamuis inde sint Antichristi violenta flabra ventura, sicut scriptum est, *Ex Aquilone exardescent mala.* Inde Syrtes Gentilium, & periculosas hæreses, & scopulos euitamus, quos superiacens aquæ tenuis occultat allapsus, quia Hæretici sub prætextu nominis Christiani, absconsa perfidiæ saxa, fallaci confessione oris obducunt, in quæ homines, dum illis quòd Christiani sint, fides habetur, impingunt. Hæc ergo nauis Ecclesiæ est, quæ etsi quotidie seculum istud, tanquam aliquod pelagus sortitur infestum, nunquam eliditur ad saxum, nec mergitur ad profundum.]

Pulchrè item S. Alcimus Auitus sub finem homiliæ de Rogationibus. [Euangelica lectio vtilitatem supplicationis exposuit, dum in naui Dominum dormientem chorus Discipulorum sub tempestatis strepitu trepidus suscitaret. Neque porrò aliud fuit in tanto repugnantium sibi inuicem fluctuum, ventorumque conflictu, sopitum profundiùs Dominum nostrum interrita quiete iacuisse, nisi vt ad eum inter discrimina quæ patimur, timoris nostri causa confugeret. Assiduò nos tempestas ista fatigat; impulsu terribili contra nos, tonitruum seculi clamat; scintillantibus ad punctum radiis mundana commotio non illuminat, sed coruscat. Ecclesia est nauis, quæ nos per varios casus velut inter marinos gurgites ducit, dum res quidem nostras, obtrectationum & blasphemiarum stidor, quasi laxata laterum compage reuerberat: sed puppim veritatis soliditate constructam, penetrare non potest quod fatigat. Et quia promisit Dominus noster Ecclesiæ, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*, in naui quidem est in qua sumus, sed metuere iam non potest quod timemus.]

*Nauigatio,& subitio in portum,Proretæ cœlestis auxilio.*

970 Quod hîc præcipuè quærimus, nempe ipsam nauigationem ad Deum, per huius seculi fluctus in via Christi, exhibeo verbis laudati aliquoties hoc capite Autoris libri de Cantico nouo, cuius hæc est oratio cap. 2. [Ascendamus nauem fidei, simul & crucem, nec desit anchora, spes nostræ salutis; extendamus funes, diuersas virtutes; vela charitatis colligamus; inuocemus ventum prosperum, verbum Dei; exhauriamus sentinam à peccatis per eleemosynas mundetur conscientia. Non impediatur huius nostri cursus nauigij, operemur manibus vt possumus. Manibus suis sentinam exhauriebat: *Manibus meis coram eo nocte, & non sum deceptus.* Non negligamus nostra peccata; minuta sunt, sed multa sunt. Fluctus vnus validus irruens obruit nauem, minatúrque naufragium: Humor autem per rimas influens & in sentinam veniens, nisi subinde siccetur, hoc idem facit. Ergo exhauriatur sentina, nec negligatur misericordia: quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Assit nostra tutula, Christi gratia; celeuma nostrum dulce cantemus alleluia; vt læti ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, seculum scilicet, cuius fluctus ac turbines sentimus, inimicas seculi potestates. In Deo sperantes, multi iam sancti, hos fluctus spreuerunt; multi calcauerunt, multi super eius aquas ambulantes, securi ad patriam peruenerunt. Sed exurgit ventus validus & magna tempestas, sua cuiusque cupiditas. Titubat fides in mari, clamat in te Petrus. Domine pereo; dabit manum mergenti, nec finit perire, ille qui propter nos dignatus est super aquas ambulare. Vide Apostolum Paulum, hoc nauigium non solùm demonstrantem, verùm etiam ascendentem, & quàm plurimos inuitantē. Quando dicebat; *habentes victum & tegumentum, his contenti sumus*; quid aliud quā cōpetentē sitarciā imponendam esse monstrabat? Quando dicebat; *Mihi autē absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*; nauem ascendebat. Quando dicebat, *Induite vos sicut electi Dei benignitate humilitate longanimitate, mansuetudine*; quid aliud quàm funes extendebat? Quando dicebat; *Manet fides spes, charitas, maior horum charitas*; vela colligebat. Quando dicebat; *Verbum Dei habitet in vobis abundanter*; ventum prosperum inuocabat. Quando dicebat, *infatigibiles itaque, dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*. &, *Operantes propriis manibus nostris*; quid aliud quàm sentinam exhauriri præcipiebat? Quando dicebat, *Gratia salui facti estis*; tutelam exorabat. Quando dicebat, *In Psalmis & hymnis, cantantes in cordibus vestris Domino*; celeuma sanctum docebat. Quando dicebat, *Spe saluifactis sumus*, anchoram in cordibus credentium figebat. Quando dicebat, *Hierusalem quæ sursum est, libera est, quæ est mater nostra*, ipsa patriam demonstrabat. Quando dicebat, *Vbi est mors contentio tua? Gratias Deo, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum*; non adhuc in mari periclitabatur, sed iam in propria patria lætabatur. O optimè gubernator, ô pulcherrime magister & doctor, docuisti & fecisti, & ideò celeriter peruenisti, quia quæ docuisti, prior ipse fecisti.] Affinia habet Chrysostomus homil. de Oue & Pastore *sub finem* & Macarius hom. 44. *sub finem*.

971 Dei possessionem, quam sub portûs nomine, obiter attigit autor proximè adductus, sub eodem schemate pleniùs exhibent alij, agentes de gloria. Subitio verò in eum portum, post tot tempestates, Christo qui & via, & viæ dux ac rector est, interponente operam suam non immeritò componi queat, cum illa miraculi plena subitione in portum, Victoris senis, post exerrationem in fluctibus, per viginti tres dies, quam S. Paulinus piissimè simul & elegantissimè descripsit Epist. 36. quę est ad Macarium.

Non opportunum modò, sed etiam prorsùs necessarium, ad portûs tam securi captationem, est Christi proretæ auxilium. Itaque illud implorare iuuerit, illis apud Augustinum verbis c. 35. Soliloq. [Spes humani generis, Christe Deus de Deo refugium nostrum & virtus cuius lumen à longè, inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stellæ maris radius oculos nostros irradiat, vt dirigamur ad te portum; Guberna Domine nauem nostram tua dextera, clauo crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas aquæ, ne absorbeat nos profundum: sed virtute crucis tuæ, trahe nos ab hoc pelago ad te solamen vnicum nostrum, quem à longè, quasi stellam matutinam & solem iustitiæ, vix lacrymantibus oculis, in littore cœlestis patriæ nos expectantem videmus. En ad te clamamus redempti tui; sed & nunc exules tui, quos pretioso sanguine redemisti. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè. In mari turbulento versamur, tu in littore stans aspicis pericula nostra: saluos fac propter nomen tuum. Da nobis Domine inter Scyllam & Charybdim, ita tenere medium, vt vtroque periculo euitato, saluâ naue & mercibus, securi perueniamus ad portum.]

*Vsus doctrinæ, de Christo, via maritima.*

972 Ex prædictis omnibus, singularis ille ac eximius fructus, eruendus inprimis est, vt quando nostra ad Deum tendentia, est nauigatio, iugi timore distineamur, ne quassa aut euersa nauis, ludibrium fluctibus debeamus; aut alicunde prohibeamur subitione portûs optati. Qui in mari æstuosissimo, (quali imagine hanc vitam exprimunt Basilius Orat. in principium Prouerbiorum *ad finem*, ac Augustinus serm. 5. de diuers. & in Psal. 64 ad illud *& in mari longè*,) securus est, nec sibi timet, ostendit quàm sibi vilis sit, iuxta Aristippi acroama ad eum qui securitatem suam in tempestate iactabat, & Aristippi pallorem subsannabat. At animam sanguine Christi redemptam vili habere, & idcirco ei inter tot discrimina non timere, stuporis est nequaquam ferendi. Itaque beatus homo, qui semper est, pro seipso & salute sua tot discriminibus obnoxia, secundùm Deum pauidus.

Ex Christi item amore, & ex eius imitatione, inuandi cuique sunt proximi naufragi. Audi Chrysostomum homilia de Nomine Abraham. [Sic nautæ quoque faciunt, cum per

per magnum & spatiosum mare nauigant. Licet nauis secundo vento feratur, licet omni fruatur securitate, cum tamen viderint alios vel à longè naufragium facere ; non ad propriam spectantes vtilitatem, illorum contemnunt calamitatem : sed sistunt nauem, & deiiciunt anchoram, detrahunt vela, deiiciunt funes, proiiciunt tabulas, vt ille qui à fluctibus mergitur, fortè aliquo illorum arrepto, emergat. Imitare igitur & tu nautas, homo : nam & tu mare nauigas magnum & spatiosum, nempe vitæ præsentis mare, quod multas habet belluas, piratas, petras, & latentes scopulos, crebrisque turbatur fluctibus, & in eo naufragantur plurimi. Cum igitur videris nauigantium aliquem, Diaboli insidiis circumuallari, & amittere diuitias salutis, natare in fluctibus, & iam submergi, relictis negotiis tuis, statim illius prouide saluti. Neque enim moram sustinet, neque dilationem, qui submergi incipit. Igitur statim accurre, & quantocius è fluctibus eum eripe. Age & moue, quidquid ei prodesse credis, atque ita ipsum ex profundo interitus extrahas, etiamsi te plurima negotia aliorsùm vocent, & trahant, nihil ducas magis necessarium salute sic laborantis. Nam si parumper differre volueris, perdetur tempestate rabida. Vnde in tantis periculis, magna acceleratione opus est & studio. Audi quomodò Paulus, viso homine quodam qui in profundum rapiebatur, sollicitus & anxius erat, & alios excitabat. *Confirmate in illum charitatem*, (inquit) *ne fortè tristitia abundantiore absorbeatur ille.* Et propter hoc iubet statim præbere manum, vt ne interim dum differimus, præuentus ille absorbeatur. Curam igitur geramus fratrum nostrorum.]

Atque sollicitè qui iam naufragium sunt passi, iuuandi sunt. Qui inquam iam è virtutis statu exciderunt ; & vel colluctantur cum fluctibus, vel ægrè occupato littore, conflictantur cum nuditate, & omnibus peracti naufragij ærumnis, subleuandi sunt cum charitate. Prioribus porrigenda est, secunda post naufragium tabula. Sic enim pœnitentiam nominat Origenes hom. 10. in Ezech. & Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 4. quos imitati sunt similiter locuti Hieronymus in cap. 3. Esaiæ, & Epistola ad Demetriadem, nec non Epistola ad Oceanum & Pammachium, Ambrosius ad Virginem lapsam, & aliquoties Pacianus, nec non Eucherius hom. ad Pœnitentes, & Cæsarius homil. 10. passimque Scholastici cum Magistro in 4. d. 14. vbi bene Aureolus q. vnica artic. 1. late item Valentia 3. parte d. 7. q. 1. part. 5. eam loquendi formulam diligenter propugnans aduersùs Caluinum atque Kemnitium, illam cum re subiecta detestatos, & idcirco à Synodo Tridentino sess. 14. can. 2. anathemate percussos. Porrigere igitur secundam tabulam post naufragium, est ingerere pœnitentiæ voluntatem, ei qui miserè naufragauit, & adhuc implicitus hætet in peccati fluctibus, æterno inuoluendus exitio, nisi pœnitentiam arripiat, & salutis portum teneat ; sic enim pœnitentiæ commodum expressit Lactantius 6. Inst. c. 24.

Qui verò emersere vtcunque ex vndis, sed nudi, & omnibus abiectis quibus priùs potiebantur, iis similes videntur, qui ablatis iteratò labendi occasionibus, ita abstinent recidiuo, vt tamen absque rubore perstent quales eos anterior calamitas reliquit, parum solliciti de satisfactione pro anterioribus delictis, & quod deterrimum est, ea plerunque ostentantes, & sibi de potentia in facinoribus, etiamsi nunc effœta gratulantes. Hos iuuare pro viribus, & vt dignos fructus pœnitentiæ faciant, adhortari, Deo acceptissimum est, valdéque decet illos qui Dei beneficio, vel perstiterunt semper illæsi, vel iam facti sunt frugi, reuenerúntque ad bonam mentem. Detestandi verò supra modum sunt, qui talibus autores sunt neglectus pœnitentiæ, & ad perfricandam frontem incentores. Iis haud absimiles naufragorum prædonibus, quos Christiana censura meritissimò quotannis suffigit, & execrati iam olim sunt S. Paulinus Epistol. 36. Hildebertus Epist. 95. & apud eum Honorius Papa Epist. 67. Videsis quæ dico lib. 3. de Virtut. num. 202. Possis eosdem conferre cum Scytharum truculentissimis, de quibus Ioann. Cantacusenus Apol. 2. [Scythis (inquit) mos erat, Deo suo, eos qui ex naufragiis saluati erant immolare, quotquot saltem deprehendi possent : sicque quos propria seruauerat solertia, illorum trucidabat crudelitas.]

## CAPVT VII.

### *Christus, Medicus.*

973 ET hic quòque titulus, commodè cum titulo mediatoris coniungitur. Titulum enim *adiutoris*, cum titulo *mediatoris* recurrere, diximus ex S. Gregorio capitis præcedentis initio. Quia ergo in Scripturis *adiutor* & *susceptor*, pro eodem sæpè vsurpantur ; susceptor autem idem est quod Medicus, iuuat nunc de Christo Medico agere. Non dico susceptorem omnem esse Medicum, (nam sicut *susceptus* pro cliente sæpè sumitur, vt multis testimoniis confirmat Cuiacius in Indice vocum obscurarum Cassiani V. *susceptus* & plenè quoque Iuretus ad librum quintum Symmachi, Epistola 41. ita *susceptor*, pro aduocato & patrono sæpè vsurpatus legitur. Videsis præterea alias susceptoris notiones apud Martinum de Roa, lib. 1. sing. c. 7. Tantùm igitur, dico Medicum quoque dici susceptorem, vt liquet ex illis verbis D. Aug. in psal. 45. [Quantacunque sit infirmitas tua, vide quis te suscipiat. Ægrotat nescio quis, adhibetur Medicus : susceptum suum dicit Medicus ægrotum. Quis enim susceperit ? Ille. Magna spes salutis, magnus Medicus eum susceperit. Quis Medicus ? Omnis medicus prætet illum, homo est. Omnis Medicus qui venit ad infirmum, alia die infirmati potest, præter illum. Susceptor noster, Deus Iacob.] Vides ex D. Augustini mente, in Scripturis, & Medicum dici *susceptorem* ; & Christum, cum *susceptor* noster appellatur, intelligi Medicum nostrum ; vnde animari nos vult in infirmitatibus nostris, ex tanto medico & susceptore. *Susceptos* similiter apud Cassianum, Ambrosium, & Tertullianum, dici ægrotos, in prædicto Cassiani indice videre est.

*Christum, etiam corporum Medicus.*

974. Medicum porrò hîc Christum non appello, ratione corporum : etiamsi fas quoque esset, ex eo capite, non mediocriter commendare Christum medicum. Nam quem latet, quantus corporum malè affectorum curator fuerit ? Arnobius sanè lib. 1. num. 27. à curatione innumerorum morborum Christum celebrans, inde eum præfert Magis, qui item quandoque morbos corporum depellunt ; quod id Magi non exequantur vi propria, sed Dæmonum potestate ; & scilicet applicatione idoneorum actiuorum ad passiua, quam ipsi quoque Dæmones necessariam habent. [ Atqui constitit Christum sine vllis adminiculis rerum, sine vllius ritus obseruatione, vel lege ; omnia illa quæ fecit, nominis sui possibilitate fecisse. Et quod proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum, nobis potestatis munificæ liberalitate donasse.] Hoc ait, quia curationes Magorum, & Dæmonum interuentu præstitæ : doli semper sunt plenæ, & vt dixit S. Leo serm. 19. de Pass. [ Beneficia Dæmonum, omnibus sunt nocentiora vulneribus. ] Videsis quæ in eam rem trado in Natur. Theol. dist. 4. num. 297. Pergit Arnobius, benè multa morborum genera sigillatim notare, quæ à Christo depulsa solo nutu, confirmat. Locum retuli hoc libro sect. 1. c. 1. *sub finem.*

Non dissimiliter Iustinus q. 24. ad Orthod. inde Christum præfert Appollonio Tyanæo, quod iste curaret quidem interdum aliquas ægritudines : sed adhibitis certis actiuis uraliter ad id efficacibus ; non item Ch qui solo præcepto, & plerumque ne co tu quidem interueniente, curabat. Pleniùs idem circa Apollonij & Christi curationum contentionem à Hierocle factam, prosequitur Eusebius lib. 4. contra Hieroclem. Nec aliter ferè S. Cyrillus lib. 6. contra Iulia. ad tex. 7. & lib. 8. *in fine* dispellet quæ de diuinitate Æsculapij ex curationibus, ad eleuandam Christi curationum gloriam, à Iuliano Apostata iactabantur. Quas enim ab eo verè editas curationes admittit, beneficio artis medicæ, ideſt naturalium actiuorum, editas docet. Christum verò aliter curasse ægros, liquet ; & rectè expenditur à S. Maximo serm. apud Ambrosium 27. & à Fulberto in hymno de S. Pantaleone, nomine Hermolai, eum docetis de Christo verò medico ; præ Æsculapio & Hippocrate. Pleraque alia in eandem sententiam, profero in Naturali Theol. dist. 4. à num. 294. De Christi autem curationibus, dici poterat illud Sapientis, *Etenim neque herba neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo qui sanat omnia. Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.* Ex eadem verò radice oriebatur, quod Christus subitò & absque mora sanabat. quod perpulchrè in curationibus per S. Barbatianum factis expendit Petrus Damiani serm. 63. Itaque ratum esto, Christum in corporibus curandis & morbis depellendis, diuina potestate claruisse, & vt Isaias cap. 53. versu 4. interprete S. Matthæo c. 8. prænunciarat, nostras infirmitates portasse.

*Corporum per eum curatio, animas spectabat.*

975. Quod tamen ea corporum curatio à Christo ad animorum curationem referretur, circa eam potiùs spectandus est titulus Christi medici. Optimè quippè perspectum habebat Christus, animam multo digniorem esse quæ curetur, & multo curationis egentiorem. Vnde in Christum optime cadebat, quæ Eustathio media tribuit S. Basilius Epist. 74. *initio.* [ Quæ pretiosissima omnium est vita, fugienda est ac dolorosa, nisi illam cum sanitate coniunctam habere liceat. Sanitatem verò ars vestra suppeditat. At tibi maximè ambidextra est ista scientia, latioréque tibi ipsi benignitati serga homines terminos constituis : dum non medendis dumtaxat corporibus scientiæ istius gratiam adstringis, sed & de animarum languentium restitutione cogitas. ]

Omnes sanè Christi medici circa corpora operationes, spectasse animam, intelligitur ex insigni ratiocinatione Lactantij lib. 4. cap. 26. qua externas curationes, internarum fuisse figuram, in hunc modum prosequitur. [ Quæcunque passus est, non fuerunt inania, sed habuerunt figuram, & significantiam magnam, sicut etiam diuina illa opera quæ fecit : quorum vis & potentia valebat quidem in præsens, sed declarabat aliquid in futurum. Aperuit cœcorum lumina cœlestis virtus & lucem non videntibus reddidit : Et hoc facto significabat fore, vt conuersus ad Gentes, quæ Deum nesciebant ; insipientium pectora illuminaret luce sapientiæ, & ad veritatem contemplandam oculos cordis aperiret. Verè enim cœci sunt, qui cœlestia non videntes, & tenebris igorantiæ circumfusi, terrena & fragilia venerantur. Patefecit autes surdorum. Non vtique hactenus vis illa cœlestis operata est : sed declarabat breui fore, vt qui erant veritatis expertes, & audirent & intelligerent diuinas voces. Verè enim surdos dixeris, qui cœlestia, & vera, & facienda non audiunt. Mutorum linguas in eloquium soluit : admirabilis, etiam cum fieret, potentia : sed inerat huic virtuti alia significatio, quæ ostenderet, mox futurum, vt rerum cœlestium nuper ignari, perceptæ sapientiæ disciplina, De Deo & veritate differerent. Nam qui rationem diuinitatis ignorat ; is verè elinguis & mutus est, licet sit omnium disertissimus. Lingua enim cum verum loqui cœperit, ideſt, virtutem, maiestatémque Dei singularis interpretari, tum demum officio naturæ suæ fungitur : quandiu autem falsò loquitur, in vsu suo non est : & ideò infans fit necesse est, qui diuina proloqui non potest. Pedes quoque claudorum, ad officium gradiendi reformauit. Laudabilis diuini operis fortitudo : sed figura id continebat, quòd cohibitis erroribus vitæ secularis, ac deuiæ, iter veritatis aperiretur, per quod graderentur homines ad Dei gratiam consequendam. Is enim verè claudus existimandus est, qui caligine ac tenebris insipientiæ implicatus, & quò tendat ignarus, offensibilibns, & caducis gressibus per viam mortis incedit. Item labes, & maculas inquinatorum corporum repurgauit, non exigua immortalis potentiæ opera : verùm id portendebat hæc vis, quòd peccatorum labibus, ac vitiorum maculis inquinatos,

inquinatos, doctrina eius purificatura esset, eruditione iustitiæ. Leprosi enim verè, atque elephantici debent haberi, quos vel infinitæ cupiditates ad scelera, vel insatiabiles voluptates ad flagitia compellunt, & dedecorum maculis inustos; labe afficiunt sempiterna. Iacentium mortuorum corpora erexit, eosque nominibus suis inclamatos à morte reuocauit. Quid congruentius Deo? Quid miraculo dignius omnium seculorum, quàm decursam vitam resignasse, completisque hominum temporibus tempora adiecisse, arcana mortis reuelasse? Sed hæc inenarrabilis potestas, imago virtutis maioris fuit, quæ demonstrabat tantam vim habituram esse doctrinam suam, vt Gentes in orbe toto, quæ alienæ à Deo, subiectæ morti fuerunt, cognitione veri luminis animatæ, ad immortalitatis præmia peruenirent. Eos enim rectè mortuos existimaueris, qui datorem vitæ Deum nescientes, atque animas suas à cœlo in terram deprimentes in laqueos æternæ mortis incurrunt. Quæ igitur tum faciebat in præsens, imagines erant futurorum, quæ illæsis, affectisque corporibus adhibebat, ea spiritalium figuram gerebant, vt & in præsenti, virtutis nobis terrenæ opera monstraret, & in futurum, potestatem cœlestis suæ maiestatis ostenderet.]

Videri possit ex Lactantio profecisse S. Augustinus serm. 18. de verbis Dom. vbi differens de Christo (vt ait,) Medico salutis nostræ, qui ad hoc susceperit infirmitatem nostram, ne sempiterna esset: addit; [Simul & hoc consequens est, vt nouerimus omnia miracula quæ corporaliter fecit, valere ad admonitionem nostram, vt percipiamus ab eo, quod non est transiturum, neque finem habiturum. Oculos reddidit cœcis, quos erat vtique mors aliquando clausura; resuscitauit Lazarum iterùm moriturum, & quæcunque ad salutem corporum fecit, non ad hoc fecit, vt sempiterna essent; cum tamen daturus sit etiam ipsi corpori in fine sempiternam salutem. Sed quia illa quæ non videbantur non credebantur, per ista temporalia quæ videbantur, ædificauit fidem ad illa quæ non videbantur.] Quæ sint illa non visa ad quæ fidem ædificabat Christus, declarat inferius S. Augustinus, cum ait; [Hæc ergo fecit Dominus, vt inuitaret ad fidem; Hæc fides nunc feruet in Ecclesia toto orbe diffusa. Et nunc maiores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus tunc, exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore, sic & melior salus animi, quàm salus corporis. Modò cato cœca non aperit oculos miraculo Domini; & cor cœcum aperit oculos sermoni Domini. Modò non resurgit mortale cadauer, resurgit anima quæ mortua iacebat in viuo cadauere. Modò aures corporis surdæ non aperiuntur, sed quàm multi habent aures clausas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante, patescunt; vt credant qui non credebant, & benè viuant, qui malè viuebant, & obediant qui non obediebant: & dicimus, ille credidit, ac miramur cum audimus de iis quos aliquando duros noueramus. Cur ergo nunc miratis credentem innocentem, Deo seruientem, nisi quia conspicis videntem, quem noueras cœcum? conspicis viuentem, quem noueras mortuum, conspicis audientem quem noueras surdum.] Qua ratione S. Aug. comparans sanitates, (vt vocat) *maiores*, quibus nunc Christus quoque sanat animas, cum *minoribus* quibus corpora hîc olim curauit; agnoscit sanitates illas minores, siue corporum, spectasse sanitates animorum.

## *Christus præcellens animorum Medicus, depellens eorum morbos, siue peccata.*

976 Quoniam igitur corporum curationes à Christo factæ, non nisi ad eum animorum medicum signandum demonstrandúmque pertinebant, considerandum sequitur, qua ratione Christus, perfectum se morborum nostrorum medicum ea ex parte prodiderit. In quam rem, vt apertum suppono, peccata esse animæ morbos: quod docet S. Gregor. 8. Mor. cap. 22. Isidor. Pelus. lib. 2. Epist. 117. & benè his verbis S. Aug. Epistol. 59. ad q. secundam. [*Multiplicatæ* (inquit) *sunt infirmitates eorum, postea acceleranerunt.* Infirmitates posuit pro peccatis, sicut ad Romanos Apostolus dixit; *Si enim Christus cum infirmi essemus adhuc, iuxta tempus pro impiis mortuus est!* hoc dixit *infirmos* quos impios. Deinde paulò post eamdem sententiam repetens; *Commendat*, (inquit,) *gratam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Quos *infirmos* suprà eos hîc *peccatores* appellauit. Item in consequentibus hoc idem aliis verbis versans. *Si enim cum inimici essemus*, (inquit,) *reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Ac per hoc in eo quod dictum est, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*, intelliguntur multiplicata peccata eorum. Lex enim subintrauit, vt abundaret delictum.]

Abundarunt planè delicta, & morbi humani sub lege: nec exponi humana oratione potest, quantis morbis animorum, ante Christum, & singuli, & omnes prostrati iacerent, quod doceo verbis Philonis l. de confusione ling. [Cum anima nostra tripartita sit, pars eius mens & ratio, pars ira, pars concupiscentia esse dicitur, singulæ suis morbis laborant, atque etiam inter se communibus vniuersæ: quoties mens quidem imprudentiæ, timiditatis, luxuriæ, iniustitiæ segetes demetit: ira verò immanes furiosásque rabies, & cætera quibus grauida est, mala parit: concupiscentia quoque amores semper iuueniliter leues, & temerè ad quæuis corpora & ad quaslibet res aduolantes, quocumque immittit. Tunc enim tanquam in naui nautis, vectoribus, gubernatoribus, per dementiam in eius perniciem consonantibus, etiam qui perdunt vna pereunt. Grauissimum enim malorum est, & penè solùm insanabile, omnium animæ partium ad peccandum consensus, cum tanquam in publica pestilentia, nihil sani sit reliquum, quod ægrotis mederi possit: sed & medici vnà cum vulgo laborant, eadem qua cæteri lue correpti.]

Pergit Philo, eam morborum varietatem cum diluuio conferre; cuius aquæ vniuersam planè terram, quanta quanta erat, occuparunt. Sic enim morbos animi, omnem planè hominem venientem in hunc mundum infecisse, & attriuisse docet, nulla in ea parte, à planta pedis vsque ad verticem capitis, sana relicta vt est apud Isaiam c. 1. cuius eam sententiam planè in rem præsentem illustrat Richardus Victorinus toto

Tractatu 1.& 2.de statu interio. hominis, monstrans nominatim Tract.1.cap.34.sanitatem animæ, proportione seruata ad sanitatem corporum,in humorum symmetria sitam esse : humores autem corporis esse : quatuor illos vulgares, sanguinem,pituitam,& vtramque bilem. At humores animæ esse quatuor cardinales affectiones,amorem,odium,gaudium, & dolorem : ex quibus progerminant atque succrescunt aliæ innumeræ passiones, velut rami : Itaque innumeros & perpetuos esse morbos nostros, cum tanta sit in nobis passionum illarum immoderatio & exorbitatio à recto propè perpetua. Profero in hanc rem ex variis benè multa in Morali dist. 4. à num. 403.& plurima addi possunt ex Gregorio Nyssæno initio Epistolæ Canonicæ ad Latoium Episcopum Mytilenes& ex Balsamone ibidem,nec non ex Hugone Victorino lib.de medicina animæ *ferè toto* sed maximè à, cap. 19. Pulchrè Hildebertus Epist. ad quendam Præsulem, ( quæ malè admista est epistolis Fulberti,estque numero 116. inter Fulberti Epistolas,) magnam morborum animi varietatem describit, variè quidem denominatam, sed ex iisdem principiis coalescentem.[Omnium (inquit,) passionum animæ, vnus fons atque principium est.Secundùm qualitatem verò partis quæ in anima vitiosa fuerit, vnaquæque passio vocabulum sortitur. Quod & corporalium morborum docetur exemplo : si enim vis noxij humoris obsederit caput. Cephalalgica passio nuncupatur;si pedes, Podagrica;si manus, Chyragrica nominatur. Tótque vocabula vnius humoris sortitur incommoditas, quot membrorum ob ederit portiones. De visibilibus ergo ad inuisibilia transeuntes, vniuscuiusque animæ partibus, vnum quodque vitium inesse credimus, quam sapientissimi quique tripartitæ definierunt esse virtutis. Nam & rationabilis est, & irascibilis & concupiscibilis. Secundùm ergo qualitatem vitiatæ partis, infectio cuiusque pestis nominatur.Nam si rationabilem partem infecerit, Cenodoxiæ,elationis,inuidiæ, superbiæ præsumptionis, hæreseos vitia procreabit. Si irascibilem vulnerauerit,furorem,impatientiam, tristitiam,acediam, pusillanimitatem, crudelitatémque parturiet. Si concupiscibilem infecerit portionem, Gastrimargiam, fornicationem, Phylargyriam, & desideria noxia generabit.]

### *Deterrimus ægri spiritualis status, præsertim quia ne Medicum quidem, ex se,aduocare potest.*

977 Esse autem hos animæ morbos, graviores & longè periculosiores morbis corporeis, Theodoretus initio libri primi de curatione Græcanicarum affectionum latè prosequitur, præeiérátque Plutarchus iusto eius argumenti opusculo.Sanè sicut animus melior est corpore, sic & melior salus animi quàm corporis, ait D. August.serm.18.de verb. Dom. cap.3. & consequenter ægritudo animi, deterior & grauior est corporis ægritudine. Illud præsertim in animæ morbis accidit incommodum, quod æger ne medicum quidem aduocare,per se,aut etiam desiderare potest, tanta est languoris vehementia. Grauissimè enim aberrabant Semipelagiani apud Prosperum cap.8.contra Collato. & apud Hilarium Epist. ad Augustinum præfixa libro de Prædest.55.concedentes ægro spirituali, facultatem naturalem aduocandi Medicum, quod omnino falsum est. Quin potiùs vt idem Prosper habet ad obiectionem 6. Gallorum, hic æger [amat languores suos, & pro sanctitate habet quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto,vt incipiat nosse,quod langueat, & possit opem Medici desiderare qua surgat.] Præclarè in eandem sententiam Chrysologus serm. 50. monstrans, Christum medicum inuitos trahere, & de curatione non cogitantibus,eam ingerere.Trahere ait inuitos, non ob iectam cooperantibus necessitatem, sed ob non liberam sollicitationem à gratia præueniente, cui postmodum liberè annuit æger. Vtrumque optimè secreuit Chrysostomus hom.19.in Genes.*initio*,

Quemadmodùm (inquit )incurabilia vulnera, neque austeris medicamentis cedunt, neque lenientibus, ita & animæ semel captiuæ, si se peccato cuipiam obnoxiam fecerit, & confidetare noluerit quæ sibi sunt vtilia;etiam si quis innumera inculcet illius auribus,nihil proficiet: sed quasi mortuæ essent aures, nullam ex admonitione suscipit vtilitatem; non quia non potest, sed quia non vult. Non enim sicut & in corporalibus vulneribus videri solet, ita est. Nam in corporalibus, naturæ affectiones sæpè immobiles sunt ; in voluntate autem non ita se res habet. Sæpè enim si voluerit, etiam qui malus est, mutatur, & fit bonus ; & qui bonus, per ignauiam excidit, & fit malus. Quia ergo liberi arbitrij esse nostram naturam fecit omnium Dominus,ipse quidem quæ sua sunt,omnia prosua misericordia semper exhibet: & sciens abscondita in profundo mentis & arcana, hortatur, consulit, conatúsque nostros malos, reprimit, & necessitatem vtique non imponit, sed congruis remediis appositis, totum situm esse in ægrotantis sententia dimittit.] Vel hic vnus locus, mihi satis supérque esse posse videtur, ad Chrysostomi purgationem ab impacta ei à nonnullis labe quod gratiam præuenientem inficiatus sit,& in ægro spirituali naturaliter ingenitam facultatem aduocandi Medicum reposuerit, præcurrens Cassiano,& aliis plenè Semipelagianis. Quam viro & sanctissimo & eruditissimo irrogatam calumniam, annotatis pletisque eius locis in hanc rem ipso Solis radio scriptis,depello,in Opusculo pro Valeriano contra Chichonum quendam Valeriani Criminatorem cap. 9. num. 9. & 10. Sed vt dixi, vel vnus hic locus Chrysostomi in quo versamur,rem confecit, & mentem eius perspicuè prodit. Ait enim Deum in ægrorum sententia votum dimittere, vbi hortatus fuerit, & remedia congrua præmiserit.Sollicitatos ergo cum nihil minùs cogitarent, relinquit Deus sibimet ipsis, omnino tamen non cogitantes præuenit.

978 Videri possit dissentire S. Macarius hom.20.sic scribens.[Cæterum quemadmodum ibi mulier etsi vulnerata erat nec sanari poterat, pedes tamen habebat quibus veniret ad Dominum,& veniens sanaretur : itidem & cæcus ille, quanquam incedere non poterat & ad Dominum venire, propterea quod visu careret, venum venire, propterea quod visu careret, venum venire, propterea quod visu careret, ven

sanitatem est adeptus,ad illum accedente Domino & visum illi restituente. Ita etiam animæ , licet vulnerata sit obscœnarum affectionum vulneribus, & tenebris peccati obscurata : nihilominùs prædita est voluntate clamandi & inuocandi Iesum , vt ipse veniens, æternam redemptionem conferat animæ.Sicut enim cæcus ille,nisi clamasset ; & mulier sanguinis fluxu laborans, nisi Dominum adiisset, non fuisset sanata: sic nisi quis propria sponte,ac voluntate integra,venerit ad Dominum, & deprecatus eum fuerit cum plenitudine fidei , sanitatem non consequitur. ] Hæc quidem videri vtcunque possint,sonare quod aiebant Semipelagiani,nempe medicum ab ægro spirituali aduocari solius naturæ viribus. Reuera tamen aliud ferunt , nec nisi de aduocatione , supposito tactu gratiæ præuenientis, sunt accipienda ; cum S. Macarius toties & tam disertè gratiam præuenientem agnoscat, vt trado in Purgatione Valeriani cap. 9. numer. 3.

Itaque æger spiritualis tam malè affectus est,vt per se, ne medicum quidem possit desiderare. Quomodò verò per se, medicum desideraret , qui ne ægritudinem quidem suam sentit? Et id quidem , stupor est non sanitas. Rectè enim S. Augustinus in psalm. 55. ad illud. *Ego verò in te sperauí* , tres affectiones corporis distinguens , sanitatem , stuporem, immortalitatem , eo sanitatem à stupore secernit,quod [ sanitas ægritudinem non habet, sed tamen quando tangitur & molestatur, dolet. Stupor autem non dolet ; amisit sensum doloris , tanto insensibilior quanto peior. ] Idem plenè serm. 34. ex 40. nouis. Bernardus quoque luculenter serm. de Conuers. ad Clericos cap. 4. verbis illis. [ Si vidisti hominem scalpere manus , & vsque ad sanguinem confricare , eundem habes in eo similitudinem animæ peccantis expressam. Cedit siquidem voluptas illa dolori, & succedit pruritui cruciatus. Neque id ignorabat , sed dissimulabat ille dum scalperet. Sic laceramus,sic exulceramus propriis manibus animas infelices, nisi quòd tanto grauius , quantò excellentior est spiritualis creatura , & cui difficiliùs medeatur. Neque id quidem inimicitiarum studio gerimus, sed stupore quodam insensibilitatis internæ. Effusus siquidem animus , damna interiora non sentit:quia nec intus est , sed in ventre forsitan , aut sub ventre. Denique & animus quorundam in patinis , quorundam in loculis inuenitur. *Vbi est thesaurus tuus*, ( inquit, ) *ibi est & cor tuum.* Quid verò mirum si propriam minimè sentiat anima læsionem,quæ suiipsius oblita,& penitus absens sibi , in longinquam profecta est regionem? Erit autem cum in semetipsam reuersa , cognoscet quàm crudeliter miseræ venationis obtentu,euisceravit semetipsam. Neque enim id sentire poterat,dum vilem muscarum prædam desiderio captans insatiabili , aranearum instar,ex visceribus propriis intexere retia videretur.] Quamuis ergo ea insensibilitas , stupor sit,non sanitas, tamen ex eo stupore rectè habetur,non posse ab ægro sibi relicto , aduocari medicum ad curationem adhibendam, cuius se indigum nescit.

*Medici desiderium afflante gratia , quantum tam olim.*

979 Pij tamen quique diuinitùs præuenti, iam olim,& pro suo,& pro totius naturæ languore ad medicum suspirabant : quo S.Hilar. nuper edito commentario in psal. 13. post expensos tam varios & tam graues totius humani generis morbos , qui eo Psalmo describuntur, refert illud *salutaris desiderium* ab antiquis,Patribus ex Dei gratia conceptum, habendi à Deo medici tot ægritudinibus lauandis necessarij. *Quis dabit ex Sion , salutare Israël* ? [ Vt enim, (inquit,) qui pestilentem vrbem ingressus , omnes omninò inhabitantes, morbo dissolutos & febribus æstuantes,& diuerso ægritudinum genere confectos contemplatus sit,& nullum illic medicum inueniens, ingemiscat,& nihil auxilij , nihil remedij adesse tantis malis doleat , & desæuire magis membrorum pestem quotidie sentiat,sciatque medicum in longinquo positum mederi posse si adesset ; quod solum potest dolorum desperatione exclamet dicens ; Quis est qui eum præsentem efficeret , & salutare eius adferret? Omnem scilicet solicitudinem ad vota conuertens ; Pari modo Spiritus sanctus,contuens errorem generis humani,contuens mala seculi huius ingrauescentia , & morborum immedicabili morte grassantem , vbi Deus negatur à stulto , vbi abominandis voluptatum fallaciis corrupti sunt,cuncti , vbi nullus bonum volens sit , vbi eorum guttura innocentium sint sepulchra , vbi lingua vsi sint in officium fraudulentiæ , vbi venenum labiis eorum verbisque suffusum sit , vbi os amaritudine & maledictione sit plenum, vbi velox pedum eorum ad effundendum sanguinem cursus sit : Et per hæc non agnoscentibus viam pacis , in omnibus vitæ eorum viis infelicitas ingrauescat, vbi in Deum nulla reuerentia est, vbi deuastatio plebis Dei , persecutoribus tanquam cibus panis sit,& innocentium mortes, damna, supplicia fiat satietas iniquorum ; Vbi Deus non inuocatur & trepidatur in nullis:creaturam in idolis omisso creatore reuerentes , vbi Deus in generatione iusta desperatur habitare, & consilium inopis confunditur , & spes patientiæ eius includitur:His igitur ita grassantibus malis,& toto orbe dominantibus , conscius Spiritus sanctus eius qui solus opem ferre possit,exclamat , *Quis dabit ex Sion salutare Israël*? Non enim Moyses dederat , non Elias,non Esaias,non Prophetæ , omnialegis opera aduersùs tantam morborum pestem infirmabantur : opus erat medico qui vna atque eadem auxilij sui ope vniuersa curaret , & tot ac varios in toto orbe languores,non arte, non opere, ( quia quando opus & ars singulis adhibita profuisset? ) Sed verbi potestate sanaret. Hunc requirit Spiritus , hunc spectat, ad cuius aduentum febris quiesceret , cæcitas desineret , paralysis non esset , mors non occuparet , hunc expectat , hunc proclamat, hunc orat , *Quis dabit ex Sion , salutare Israël.*

Omnium itaque antiquorum erat , illud Origenis votum homil. 27. in Num. cum de mansione in Raphaca. [ Sunt multi languores animam

animam occupantes. Auaritia languor eius est, & quidem pessimus. Superbia, ira, iactantia, formido, inconstantia, pusillanimitas, & horum similia. Quando me Domine Iesu, ab his omnibus languoribus curabis? Quando sanabis vt & ego dicam, benedic anima mea Dominum, qui sanat omnes languores tuos, vt possim & ego mansionem facere in Raphaca, quod est sanitas. ]

*Exoratus tandem Christus Medicus.*

980 Cessit tandem supplicum precibus & gemitui pauperum dulcis Dominus, & qui corporum medelæ creauit de terra medicinam, animabus quoque eam prouidit, vt optimè ratiocinantur Origenes hom. 1. in Psal. 37. *initio* & Theodoretus initio libri primi contra Græcos; [ Quæ enim causa humilitatis Christi, (ait S. Augustinus hom. 34. ex 50. cap. 2.) nisi infirmitas tua? Valdè enim & irremediabiliter te obsidebat infirmitas tua, & hæc res fecit, vt veniret ad te tantus medicus. Si enim vel sic ægrotares, vt tu posses venire ad medicum, poterat tolerabilis videri ipsa infirmitas. Sed quia tu ire non potuisti ad eum, ille venit ad te. ] Hic est ille medicus quem Clemens Alex. 1. Pædag. cap. 2. sic describit. [ Morborum corporis auxilium, propriè vocatur medicina, quæ docetur humana sapientia. Verbum autem paternum, solus est humanarum ægritudinum Pæonius medicus, & sanctus ægrotæ animæ incantator. *Saluum fac seruum tuum*, (inquit,) *Deus meus sperantem in te. Miserere mei Domine, quia ad te clamabo toto die.* Medicina enim, vt ait Democritus, medetur morbis corporis, sapientia autem liberat animam à perturbationibus. Bonus autem pædagogus, qui est sapientia, qui Verbum Patris, qui fabricatus est cœlum, vniuersi figmenti curam gerit, Eiúsque corpori & animæ medetur; qui est omni ex parte sufficiens medicus, humanæ nostræ seruator. ] *Totum Medicum* nostrum, dixit S. Augustinus Tract. 3. in Ioan. [ Iam (inquit) confitentur ægroti, quia ægrotant. Veniat Medicus, & sanet ægrotos. Medicus qui est? Dominus noster Iesus Christus. Quis Dominus noster Iesus Christus? Ille qui visus est ab eis à quibus crucifixus est: Ille qui apprehensus, colaphizatus, flagellatus, sputis illitus, spinis coronatus, in cruce suspensus, mortuus, lancea vulneratus, de cruce depositus, in sepulchro positus: Ille ipse Dominus noster Iesus Christus; Ille ipse planè, & ipse est totus Medicus vulnerum nostrorum, crucifixus. ] Hebræi apud Galatinum lib. 3. capite 5. & 6. hunc Christi titulum ex scripturis eruunt.

Nemo hunc titulum, vel Christo indecorum, vel nobis minùs necessarium existimet. Medici namque munus, non ignobile esse sed Regium. Vnde Ægyptios Reges, medendi artem professos, videre est apud Plinium lib. 19. cap. 5. & plenè apud Cagnatum lib. 4. var. cap. 10. Sed & Regum maximum Salomonem, medicinæ fuisse scientissimum, eámque non esse, dedignatum, Anastasius q. 39. in Sctipt. testatur. Apud Isaiam cap. 3. qui delatum ad se primatum vult excutere, illud inprimis obtendit, *non sum Medicus.* Videsis in hanc rem Tiraquellum c. 31. de Nobil. ã n. 106. Quin etiam non principale modò & regium, sed diuinum esse medici munus, tradit Quintilianus declamat. 268. & Lucianus in *Medico abdicato*, vbi medicinam vocat *Deorum doctrinam.* Et affine est quod Macrobius 1. Satur. medicinam nominat *scientiam consecratam*: Quare intrepidè Gregorius Nyssenus lib. de Trinit. medicinæ scientiam, rebus omnibus quæ in vita magni fiunt, antecellere affirmat. Nec humilius de sua arte sentiebat Medices ille Achinus, Iacobus nomine, cuius sub Leone Augusto meminit Marcellinus Comes in Chronico. Hoc si medicis & medicina corporum, sine nota, & cum plausu dicitur, quanto verius dicatur de medico animorum, eorumque medicina? Itaque non dedecet Christum hic titulus, in tanta præsertim necessitate nostra, qui lue omnium quæ vnquam fuerunt, eruntve; protensissima & venenatissima, correpti iacebamus, ad quam ille curandam, immensa bonitatis dignatione vltrò descendit. Eum sibi titulum tribuit in Scripturis Christus ipse, vt notauit Orig. hom. 8. in Leuit. *initio.* Planéque aptari huc possunt, quæ de analogia curationis animorum, & rectionis eorum, disputat late Naz. Orat. 1. num. 32. *& seqq.* At Christum esse rectorem animarum, in confesso est.

981 Est ergo Christus *Galenus maximus* vt scitè dixit Pisidas in Cosmep. versu. 1359. Non vnius tantùm terrarum anguli medicum, sed vniuersorum (quantum in ipso est,) Christum appellat Origenes lib. 4. contra Celsum *initio.* Hoc ipsum est, quod Clemens Alex. 1. pædag. cap. 2. *ad finem*, tradit pædagogo nostro, vniuersæ creaturæ Medico, qui eius corpori animæque medelam facit. Vbi nomine vniuersæ creaturæ accipiendus est, homo quàm latè patet. Et quippe toti, vt statim subditur, Medicinam fecit Christus, & in corpore & in anima. Nec vni duntaxat homini, sed omnibus planè, quantum in ipso fuit. Itaque est vniuersalis Medicus.

Non dissimiliter S. Gregorius 3. Moral. cap. 14. tractans illud, *testa saniem radebat*, fecisse id circa nos omnes Christum, docet. Exhibet enim S. Gregorius, vniuersum genus humanum tanquam ægrotum & à planta pedis, ad verticem vsque capitis, diffluentem sanie, quam Christus testa raserit. [ Quid enim aliud (inquit) in manu Domini testa est, nisi caro, ex nostræ substantiæ luto sumpta? Etenim testa, igne solidatur. Caro autem Domini, eo ex passione sua robustior extitit, quo per infirmitatem moriens, à morte sine infirmitate surrexit. Vnde rectè etiam per Prophetã dicitur; *Exaruit velut testa virtus mea.* Sicut testa enim eius virtus exaruit, qui susceptæ carnis infirmitatẽ passionis suæ igne roborauit. Quid verò per saniẽ, nisi peccatũ debet intelligi? Per carnem quippè & sanguinem, solent peccata carnis designari. Vnde per Psalmistam dicitur: *Libera me de sanguinibus.* Sanies itaque, putredo sanguinis est. Quid ergo accipimus saniem, nisi carnis peccata ex longa vetustate peiora? Vulnus itaque in saniem vertitur, cum neglecta culpa, vsu deteriùs grauatur. Mediator itaque Dei & hominum, homo Christus Iesus, corpus suum manibus, persequentium tradens, saniem testa rasit, quia peccatum carne deleuit. *Venit enim*, (sicut scriptum est,) *in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum carnis.* Dúmque hosti obiicit innocentiam carnis suæ, extersit contagia carnis nostræ; & ex qua nos captiuos inimicus tenuit, per illam nos liberos

liberos expiauit, quia quam nos instrumentum fecimus culpæ, hæc nobis per Mediatorem versa est in arma iustitiæ. Testa ergo sanies traditur, cum carne culpa superatur.]

*Condescensio tan Medici, & ex quo tempore mederi cœperit.*

982 Non possum meliùs, & ægritudinis nostræ statum, & varietatem morborum quibuscum vniuersa nostra conflictabatur, & medici dignationem exponere, quàm illis S. Chrysostomi verbis hom. 11. in ad Philipp. *in morali.* [Vexabat nos morbus grauis, ac febris vehemens; decumbebamusque non in lecto, sed in ipsamet vitiositate, perinde ac in stercore: in improbitate volutabamur, scatentes vlceribus, fœtorem spirantes, squalidi, incurui, vmbræ potiùs quàm homines. Circunstabant nos improbi Dæmones, princeps huius mundi ridens, insultans. Venit Dei vnigenitus; emisit radios præsentiæ suæ; & caliginem confestim depulit. Venit ad nos ipse Rex, qui erat in throno paterno, thronum relinquens paternum; (quando autem reliquisse dico, ne id significare rursus putes mutationem, ac transitum; cœlum enim terámque ipse implet, sed ob œconomiam id dico:) venit ad hostem, qui ipsum odio prosequebatur, auersabatur, neque vt ad eum oculos conuerteret, adduci poterat, blasphemiis quotidie appetebat. Vidit in stercore iacentem, à vermibus exulceratum, à febri & fame oppressum nullo non morbi genere laborantem. Nam & febris vexabat, (hoc enim est improba cupiditas;) & inflammationes vrgebant; (hoc enim arrogantia;) & quædam insatiabilis fames occupabat; (hoc enim auaritia;) & sanies vndique, (hoc enim scortatio;) & cæcitas oculorum; (hoc enim idololatria;) & surditas, & stupor (hoc enim erat lapides & ligna adorare, & cum illis colloqui,) & multa deformitas; (hoc enim vitiositas;) triste nimirum quiddam & morbus grauissimus. Vidit, absurdiùs quàm insanientes soleant, loquentes; & lignum & lapidem Deum vocantes. Vidit in tanta vitiositate; nec tamen abominatus est, non amarior factus, non auersatus est, non odio prosequitur. Dominus enim erat, & opus suum non oderat. Deinde quid facit? Optimi medici more, parat pretiosa pharmaca, eáque primus obiuit, ac deinceps nobis tradidit. Ac primum pharmacum, quasi antidotum quoddam, lauacrum dedit. Ita omnem euomuimus vitiositatem, Ita omnia simul in fugam se dederunt; inflammatio cessit; febris extincta est; & sanies exsiccata. Omnia enim & quæ ab auaritia, & quæ ab ira, & cætera omnia mala per spiritum euanuerunt: aperti sunt oculi, apertas aures, aptam vocem loquuta est lingua: vires acquisiuit anima; acquisiuit corpus pulchritudinem; & florem huiusmodi, qualem par est habere pulchritudinem, Dei filium ex spiritus gratia procreatum; qualem par est habere gloriam, filium nuper Regi natum, & in purpura educatum.]

Quod primum pharmacum nobis à Medico propinatum, & ab ipso prægustatum, ait S. Chrysostomus fuisse baptismum, spectat ad exordium curationis externæ nobis adhibitæ. Nam priusquàm Christus à Baptista tingeretur aquis, non vacabat palam sanationi morborum, nostrum, etiamsi anteriùs, sed clam & absque arbitris confecta fuerat, & adhiberi cœpta medicina: [Præparatum enim in cœlo fuisse medicamentum nostrum, & ex illis immortalibus succis confectum, (ait S. Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. Confectum intellige, non in ipso cœlo, sed ex cœlo; seu cœlesti Spiritus sancti virtute in vtero Deiparæ iuxta illud Bernardi serm. 5. in Vigil. Natiu. Dom. *in fin.* [Dedit tibi Christum per Mariam, propter sanitatem. In prima remedium est, quia ex Deo & homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusæ sunt autem & commixtæ hæ duæ species in vtero Virginis tanquam pistillo illas suauiter commiscente.] Idem serm. 2. de Pentec. initium medicinæ nobis a Christo ait factum, ex quo fuit in vtero matris, & causam illius exordij sic exponit. [A planta pedis vsque ad verticem, non erat in nobis sanitas: erraueramus ab vtero; vt vtero damnati antequàm nati, quia de peccato, & in peccato concepti. Christus ergo ibi primùm medicinam apposuit, vbi primus vulneri patebat locus, & substantialiter vtero Virginis illapsus, de Spiritu sancto conceptus est: vt conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus, si non fecerat, tamen infecerat: vt non esset etiam in vtero vita ipsius otiosa, dum nouem mensibus purgat vulnus antiquum; scrutans (vt dicitur,) vsque ad imum, putredinem vitulentam, vt sanitas sempiterna succederet.]

Itaque idem medicamentum & medicus, iam ex vtero nostræ curationi seruiuit, eam consummationis in tempore. Seruiuit inquam Christus curationi nostræ iam ex matris vtero, & exinde cœpta medicinæ nostræ confectio: quam tamen constat, tantùm præparatam fuisse consummatè & perfectè in morte Christi. Quinimo apertè tantùm exhibita est, & vim suam tantùm prodere cœpit, demisso post Christi à nobis abitum, Spiritu sancto. Quod voluit Nahum. cap. 2. vbi præfatus magno cum sensu, *celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua, quia non adiiciet vltrà, vt pertranseat in te Belial; vniuersus interiit:* causam subdit istam; *ascendit qui dispergat coram te.* Ita quidem habet vulgata editio. Sed S. Cyrillus Hierosol. Catech. 17. & S. Aug. 18. Ciuit. cap. 31. secuti versionem 70. ita legunt: *ascendit sufflans in faciem tuam, liberans te de tribulatione:* quod pulchrè referunt ad nouam, (vt vocat Cyrillus,) sufflationem, siue ad generationem hominis mystici factam, demisso per Christum post Ascensionem, Spiritu sancto in Pentecoste. Eandem verò lectionem secutus alter Cyrillus in cap. 2. Nahum, ad Iudaicum quendam vsum circa ægrotos refert. [Iam illud *insufflans in faciem*, (inquit) vt ex traditione, & consuetudine Iudaicâ dicit: & certum est huiusmodi rerum mentionem aliquando in diuinis Scripturis inueniri: quale est, quòd Iudæi in maledictis aduersus Deum, vestimenta discindenda arbitrabantur. Quemadmodùm igitur vsu receptum erat quibusdam, vestes disrumpere cùm blasphemasse quispiam; sic etiam insufflare in facies ægrotantium quocumque modo. Et hoc præsertim & insolentissimè faciebant, qui adiurare consueuerant, & curiosis incantationibus à spiritibus, & doloribus malè habentes se liberare simulabant. Exemplo igitur è consuetudine ipsorum petito, ait: (*ascendit insufflans*

*insufflans in faciem tuam*) Cyrus nimirum (*& exuens te de tabulatione*:) Hoc enim vt dixi: quidam alios afflantes, se feliciter posse fingebant.] Eiusdem moris in ægros insufflandi, apud Indos quoque vsurpati, meminit in itinerariis Rhamusius. Christus igitur cœlo illatus insufflauit in vniuersi orbis faciem; nec simulando curationem, sed verè præstando, medicinam in passione perfectè confectam, adhibuit palam, orbi pessimè affecto: magno inquam ægroto, vt S. Bernardus loquitur, ad quem curandum priùs descenderat, factus medicamentum & medicus.

### *Idem medicamentum, & Medicus præsertim per ægritudinem & demissionem suam.*

983 Singularissimè in Christo obseruant passim Patres, quod idem nobis medicus sit & medicina. Disertè ita habet Petrus Damiani Opusc. 1. cap. 5. *in fine*, & scitè Anonymus à Gretsero nuper editus in confutatione octaui erroris Waldensium. [Ecclesiæ suæ, (ait de Christo,) fecit ex propria carne antidotum, & de proprio sanguine syrupum.] Ex S. Ambrosio serm. 3. in Psal. 118. idem infra dicam. Et pulchrè idem traditur in Actis S. Wolphelmi capite 15.

Exclamat ad id Augustinus multipliciter lib. de Agone Christi c. 11. & pulchrè his verbis s. 19. de Sanctis. [Mirabile & incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrore, & ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua voluit infirmitate sanare.] Et inferiùs; [Venit ipse medicus in tempore plenitudinis, publicè prædicauit causam aduentûs sui, factus doctor medicinæ, dicens, *pœnitentiam agite.*] Doctor factus est, quoad applicationem per nos faciendam: simul tamen (vt præmisimus,) factus est nostra medicina. [In Paradiso, (ait S. Grego. 31. Mor. cap. 1.) Sano homini Diabolus inuidens superbiæ vulnus inflixit, vt qui mortem non acceperat conditus, moreretur elenatus. Sed quia Diuinæ potentiæ suppetit, non solùm bona de nihilo facere, sed ea etiam ex malis, quæ Diabolus perpetrauerat, reformare: contra hoc inflictum vulnus superbientis Diaboli, medicina apparuit inter homines humilitas Dei, vt autoris exemplo humiliari surgerent, qui imitatione hostis elati ceciderant. Contra ergo superbientem Diabolum, apparuit inter homines, homo factus, humilis Deus. Hunc potentes huius seculi, idest membra Diaboli superbientis, eò despicabilem crediderunt, quo humilem conspexerunt. Vulnus enim cordis eorum, quanto magis tumuit, tanto ampliùs medicamentum vitæ despexit. Repulsa igitur à vulnere superborum medicina nostra, peruenit ad vulnus humilium.] Hoc breuissimè dixit Augustinus orat. de 5. hæresibus cap. 7. [Fusius est sanguis medici, & factus est medicamentum phrenetici.]

Et quia præcipua ægritudo nostra, erat superbia, en ex Cassiano lib. 12. de instit. cap. 8. quomodò Christus huic tanto morbo factus est medicina. [Vniuersitatis creator & medicus Deus, causam principiúmque morborum, superbiam esse cognoscens, contrariis sanare contraria procurauit, vt ea scilicet quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Ille namque dicit; *In cœlum conscendam*; hoc dicit: *Humiliata est in terra anima mea.* Ille dicit; *Et ero similis altissimo*; hoc *cum esset in forma Dei, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, humiliauitque se, factus obediens vsque ad mortem*, Ille dicit; *super astra Dei exaltabo solium meum*; iste dicit; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Ille dicit; *Nescio Dominum, & Israël non dimittam*; iste dicit; *Si dixero quia non noui eum, ero similis vobis mendax; sed noui eum, & mandata eius seruo.* Ille dicit; *Meæ sunt flumina & ego feci ea*; iste dicit: *Non possum ergo à me ipso facere quidquam, sed Pater meus in me manens ipse facit opera.* Ille dicit; *Meæ sunt omnia regna mundi; & gloria eorum, & cui voluero do ea*; iste *cum diues esset, pauper effectus est, vt eius inopia, nos diuites redderemur.* Ille dicit; *Sicut colliguntur ouæ quæ derelicta sunt, sic vniuersa terra ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os & gannire*; ille dixit *Similis factus sum Pelicano solitario; vigilaui, & factus sum sicut Passer solitarius in tecto.* Ille dicit; *Exsiccaui vestigio pedum meorum omnes riuos aggerum*; hoc dicit: *Numquid non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim millia legiones Angelorum.*? Si principalis ruinæ causam, & salutis nostræ fundamenta perspeximus, à quo, & qualiter, vel ista iacta sint, vel illa emerserint, quemadmodum deuitare tam atrocem mortem superbiæ debeamus; vel illius ruina, vel huius doceamur exemplo.]

984 Expressit satis apertè, hunc Cassiani locum S. Gregorius 34. Moral. cap. 12. in præclara de superbiæ malis disputatione, circa illud Iobi, *omne sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ*, vbi hæc præter cætera. [Audiant omnes, *quid superbis terra & cinis?* Contra huius languoris pestem, audiamus cuncti, quod Magistra veritas docet, dicens, *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Ad hoc namque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc inuisibilis, non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionúm opprobria, passionúmque tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem, doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solum veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem factus est paruus? Quia enim originem perditioni nostræ præbuit superbia Diaboli, instrumentum redemptionis nostræ, inuenta est humilitas Dei. Hostis quippe noster, magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster, magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus.] Subiicit contrapositionem sensorum Satanæ & Christi, iisdem ferè Scripturis allegatis quas Cassianus protulit, vt planè liqueat, S. Gregorium Cassiani mentem expressisse, circa medicinam superbiæ nostræ factam per Christum medicum.]

S. item Augustinus serm. 41. de verbis Dom. *initio.* [Scitis fratres, (in Christum enim credentes didicistis, & assiduè etiam nos ministerio nostro commendamus vobis,) quòd medicina tumoris hominis humilitas est Christi. Non enim periisset homo, nisi superbia tumuisset.

*Initium*

*Initium enim*, sicut dicit Scriptura, *omnis peccati, superbia.* Contra initium peccati, initium iustitiæ necessarium fuit. Si ergo omnis peccati superbia initium; vnde sanaretur tumor superbiæ, nisi Deus dignaretur humilis fieri ? Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus.] Rursus idem S. P. serm. 59. de verbis Dom. [Ægrotat humanum genus non morbis corporis, sed peccatis. Iacet toto orbe terrarum ab oriente vsque ad occidentem, grandis ægrotus. Ad sanandum grandem ægrotum, descendit omnipotens Medicus. Humiliauit se vsque ad mortalem carnem, tanquam vsque ad lectum ægrotantis.] Rursus serm. 54. de verb. Apost. [Via Christus est, humilis Christus, veritas & vita Christus, excelsus & Deus. Si ambules in in humili, peruenies ad excelsum. Si infirmus humilem non aspernetis, in excelso fortissimus permanebis. Quæ enim causa humilitatis Christi, nisi infirmitas tua ? Valdè enim & irremediabiliter te obsidebat infirmitas. Et hęc res fecit vt veniret ad te tantus medicus. Si enim vel sic ægrotares, vt tu posses ire ad medicum, poterat tolerabilis videri ipsa infirmitas. Sed quia tu ire non potuisti ad eum, ille venit ad te. Venit docens humilitatem. Quare ? Videamus. Quia superbia nos redire non sinebat ad vitam, & ipsa fecerat nos à vita recedere. Exaltatum enim humanum cor aduersùs Deum, & negligens in ipsa sanitate præcepta salutaria, decidit anima in infirmitatem.]

### *Homo, nulla alia via sanabilis.*

985 Non poterat alio vllo remedio curari tanta támque latè patens ægritudo humani generis. Nam nos quidem, ad vulnus & mortem nobis sufficimus, sed non ad curationem, vt rectè statuit S. August. serm. 13. de verb. Apost. Lex verò indicare morbum potuit, non sanare. Vnde & Moses, & omnes Propheræ, depositum genus humanum sanare nequiuerunt. Ipsi Angeli medici nostri, suam ad nos curandos impotentiam agnouerunt. Vnde veniente Christo, exultarunt: quod doceo ex Origene hom. 13. in Lucam *initio.* [Angeli volebant quidem hominibus præbere auxilium, & eis ab ægrotationibus suis tribuere sanitatem, quia omnes sunt apparitores spiritus in ministerium missi propter eos qui consecuti sunt salutē, qui quantum in suis viribus erat, adiuuabant homines. Videbant autem multo inferiorem esse suam medicinam, quàm illorum cura poscebat. Porrò vt de exemplo possis intelligere quod dicimus, vide mihi vrbem in qua ægrotent plurimi, & medicorum frequens adhibeatur manus: sint diuersa vulnera, quotidie in emortuam carnem serpens putredo penetret: & temen medici qui adhibiti sunt, ad curandum nequeant alia vltrà inuenire medicamina, & artis suæ scientia magnitudinem mali vincere. Cum hæc in talibus nacti sint, eueniat aliquis Archiater qui habeat summam in arte notitiam, & illi qui priùs sanare nequiuerant cernentes magistri manu putredines cessare vulnerum, non inuideant, non liuore crucientur, sed in laudes erumpant Archiatri, & prædicent Deum, qui & sibi, & ægrotantibus, tantæ scientiæ hominem miserit. In hanc ergo similitudinem, & multitudo exercitus Angelorum audita est dicens, *Gloria in excelsis Deo, & super terram pax in hominibus bonæ voluntatis.*]

S. Macarius hom. 20. nostram à solo Christo sanabilitatem disertè contestatur, ostendens mulierem sanguinis profluuio laborantem, humanæ naturæ typum fuisse, & tam illius mulieris, quàm humanæ naturæ morbum, curatum esse virtute solius IESV. Eius verba ex parte sunt. [Deficiens exsiccatur fons ille qui cogitationes immundas producebat, per virtutem Iesu solius, nec est in alterius cuiuspiam facultate, vt hoc vulnus sanare possit. Ita enim fortiter se gessit hostis in trangressione Adæ, vt vulnerauerit & tenebris offuderit interiorem hominem, mentem videlicet, hominis ducem, quæ Deum spectabat: vnde postea oculi eius à bonis cœlestibus auersi, intueri cœperunt vitia & affectiones. Tam grauitet ergo læsus est, vt nullus præter solum Dominum sanare possit: huic soli possibile est. Nam ipse veniens abstulit peccatum mundi, hoc est, impurum fontem illum cogitationum animæ exsiccauit. Sicut enim illa fluxu sanguinis affecta, cum omnia sua bona erogasset in medicos, à nullo tamen eorum curata est, donec accessit ad Dominum, & credens in veritate, tetigit fimbriam vestimenti eius, & ita mox Sanatam se sensit stetítque fluxus sanguinis; sic & animam incurabili vitiosarum affectionum vulnere ab initio sauciatam, nullus iustorum Patrum, Prophetarum, aut Patriarcharum, curare potuit. Venit quidem Moses, sed planè non potuit sanitatem conferre, Sacerdotes, munera, decimationes, sabbatismi, neomeniæ, ablutiones, sacrificia, holocausta, & vniuersa reliqua iustitia, celebratur in lege, nec tamen anima sanari aut mundari potuit ab impuro vitiosarum cogitationum fluore: nec potuit vniuersa illius iustificatio ipsum curare, donec venit Saluator verus medicus, qui gratis sanat. Qui quidem seipsum in pretium generis humani tradens, solus ipse magnificam & salutarem redemptionem ad sanitatem animæ operatus est. Hic liberauit eam à seruitute, & eduxit è tenebris illustrans eam suo lumine. Hic arefecit in illa fontem immundarum cogitationum, *Ecce* enim, ait; *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Non enim sua terrena medicamenta, (hoc est, suæ iustificationes solæ,) potuerunt curare & sanare illam à tanta plaga inuisibili: sed per cœlestem ac diuinam naturam, hoc est, dono Spiritus sancti: huius solius medicamenti beneficio, potuit homo consequi sanitatem, & purificatum habens cor, per Spiritum sanctum ad vitam peruenire.]

986 Hoc ipsum esse, quoad à Iobo dictum est, *non appendetur argentum in commutatione eius*, affirmat S. Grogorius lib. 18. Moral. cap. 26. [Quia enim argento sæpè eloquia diuina designantur, possunt *argenti* vocabulo etiam eiusdem eloquij Scriptores intelligi, quorum vita inter turbas hominum resplenduit luce virtutum. Sed quia lex peccata indicare potuit, non auferre; non quisquam veterum Patrum, non legislator Moyses, humani generis redemptor extitit. Argentum ergo in commutatione huius sapientiæ non appenditur; quia quilibet sancti esse potuerunt, in comparatione Vnigeniti filij Dei, nullius meriti fuisse pensantur: qui nisi huius sapientiæ seruos se cognoscerent, sancti nullatenus fuissent. Ad hoc quippe illi

missi sunt, vt in cordibus hominum viam huic Sapientiæ prædicando præpararent, neque vt pro ea, sed per eam subiectos populos regerent. Quia enim certum erat quòd per accessum temporum, deficientis seculi languores excrescerent, actum est, vt æterna Dei sapientia in fine seculorum per semetipsam veniret ad grandem hunc, & nimiæ infirmitatis ægrotum; ideſt, per totum mundum iacens languidum, genus humanum: vt transmissis priùs prædicatoribus, quasi quibusdam visitatoribus, tanto postmodùm maior fieret potentia medici, quanto magis morbus creuisset ægroti. Quia verò nullus vice eius ad saluandos nos mittitur, dicatur rectè; (*nec appendetur argentum in commutatione eius*;) quoniam vita iustorum prædicantium, quantalibet sanctitatis luce polleat, aduentum nobis supernæ, per suam præsentiam non commutat.]

Nec minùs appositè S. Cyrillus lib. 2. de Ador. eo refert manum è Mosis sinu eductam; illicò leprosam, moxque in sanum reductam, & sanitati restitutam, vt narratur Exodi 4. Signari enim sanationem morborum humanorum, alia quàm Dei manu insanabilium, sic ostendit. [Carnis est morbus lepra, iisque grauior quam vt à medicis ei succurri possit, aut illorum vsu atque peritia expugnari; ac leprosus ipse prophanus & impurus est, ex antiqua illa Moysi lege; nec non iis quoque odiosissimus, qui Gentilium mores magnipendunt. Qui enim eo laborat morbo, serui mortuus quodammodo est: at verò execrandum impurúmque est mortui cadauer. Itaque curare posse leprosum, tanquam eximium quiddam, & quod nostrarum virium modum longè superet, soli diuinæ naturæ atque efficaciæ tributum est. Ideóque admiratione habebatur Christus, qui suo in supra leprosum inclamauit, *Volo mundare*. Hanc namque vox, cunctarum opifex rerum, quæ ipsos etiam è sepulchris excitat mortuos & morte est, & corruptione præstantior, hoc in eo homine miraculum perfecit. Iussit igitur, vt manum in sinum abderet, deinde extractam è latebra sinus, iam totam lepra infectam ostenderet; denuò autem cum in sinum abdidisset, illicò ab vi morbi inde liberum protulit: vt ex ea re intelligerent Israëlitæ, illum ineffabili quadam & inenarrabili vi promemodùm armatum, eorum propugnatorem futurum esse, qui violati essent iniuria, & contra fas, Ægyptiorum iniquo dominatui subiecti. Atque hæc quidem ratio, quamuis in promptu sit, est tamen historiæ opportuna. Illud autem non absre fore puto, si subtiliùs propositi loci sensum exquisierimus, atq; inquisierimus ecquid illud sit, quòd in sinu manú abdiderit; quid etiá, quòd educta cũ fuisset grauiter lepra respersa est: ad hæc purgationis modũ inuestigare oportet; nã vbi manũ in sinũ misit, ab eo morbo liberam reddidit.] &c. Quamdiu namque homo ad imaginem Dei conditus, propemodùm in sinu Dei nutriebatur, nec dum præceptum sibi à Deo traditum conculcauerat, prouidentia & amore erga se Dei tectus, purus atque sanctus, & mortis ignarus permanebat: vbi autem Dei præsidio atque amicitia excessit, quòd in vitia procliuior esse cœpisset, tum verò prophanus atque execrandus, & mortis impuritate laborans, manifestè deprehensus est. Sed cum rursus nos ipse Deus ac Pater suscepisset in Christo, & diuinæ gratiæ præsidio circumtexisset, ac tanquam per adoptionis donum in sinu contineret, illicò vnà cum impuritatibus, mortalitate quoque veteris illius maledictionis abiectà, ad antiquam illam conditionem, in qua à principio fuimus, reuersi sumus. Scriptum est quippe de manu Moysi, *Restituta est ad colorem carnis suæ.*]

### *Illata obiter, morbi nostri magnitudo, & iniecta vtendi tanto pharmaco necessitas.*

987 Sic curanda fuit lepra nostra, alioqui nullo vnquam creato remedio curanda. [Vulneri sanè tam putrido, (ait Autor sermon. de Pass. apud Cyprianum,) & antiquarum cicatricum fœtori, non inueniebatur medicamentum conueniens: nisi vnguento sanguinis huius, plaga vetus liniretur: & malagmate carnis in cruce extensæ, siccarentur venena quæ calcaneo primi hominis & omni posteritati eius, serpens ille seductor antiquus infuderat. Hæc vna medela corrosit illas quæ in immensum excreuerant cicatrices; & vim suam concupiscentiarum perdidit corruptela.]

Hinc S. Bernardus serm. 3. de Natiuit. Dom. morbi nostri magnitudinem omnino insignem, (citra insanabilitatem tamen) colligit, nec non incussum metum omnibus docet. [Ex consideratione (inquit) remedij, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei altissimi, & iubetur occidi: vt vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce ô homo quàm grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Patet itaque dilectissimi propitium negligenter dissimulare passionem, cui tantam à maiestate tanta exhiberi video compassionem. Comparitur filius Dei & plorat, homo patitur & ridebit? Sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est. Verum si diligenter obseruem præcepta medici, erit etiam consolationis occasio. Sicut enim grauem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina, sic & ex hoc ipso non incurabilem esse conjecto. Neque enim pretiosissimas species frustra insumeret, medicus sapiens, imo sapientia ipsa. Potrò frustra insumi constat, non solùm si absque eis facilis esset curatio, sed multo magis, si & cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad pœnitentiam, & accendit vehementiùs, desiderium, spes concepta.] Sed de hac animatione ad pœnitentiam, infrà commodiùs dicam.

### *Lenissima Christi Medici curatio, eius nominibus insinuata.*

988 Nunc in nostro Medico hæreamus, agnoscamúsque à S. Bernardo verè dictum ser. 3. de Resurr. *initio*. [Christus animarum medicus, cuius tota dispensatio quam exhibuit in carne, medicina salutis est:] agnoscamus incarne, medicina salutis est: ] agnoscamus incarne, medicinam, Christum Dominum nostrum, se medicum prodidisse, siue Iesum. Quid enim non mo-

do

dò iuxta Græcæ vocis notationem, sed etiam iuxta Hebraicam, aliud est Iesus, quàm Saluator ideſt salutem conferens quod munus est medici proprium? Hanc notationem quoad vocem Hebræam non omnes approbant: sed è contrario, instar omnium sint S. Epiphanius hær. 29. & Cyrillus Catech. 10. *initio*, & *sub medium* quorum ea est expressa sententia, in Hebraica lingua, Iesum curatorem appellari, aut Medicum & Saluatorem, vnde Christianos omnes, quod curati & sanitati sint per Christum medicum, dictos quandoque *Iessæos* arbitrantur à Iesu, ideſt medico & curatore animarum. Eam ob causam, Philonem Christianos vocasse θεραπευτὰς, ideſt *curatores animarum*, notauit, eam nominis Iesu notationem propugnans Turrianus lib. 2. contra Magdeburg. c. 2.

Chrysologus quoque & Bernardus in *Christi* cognomento, qualitatem medici qui suauiter curet insinuatam censent. Prior serm. 57. ad 2. Symboli articulum sic habet. [ Sicut Reges, triumphorum suorum titulis nuncupantur, & subiectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta, ita Christus, bonorum suorum titulis nuncupatur: à Chrismate enim vocatus est Christus, qui diuinitatis vnguentum aridis iam mortalium membris pius mediator infudit, & vt à Chrismate Christus, sic Iesus vocatus est à salute, qui ob hoc nos diuino infudit vnguento, vt ægris certam salutem, perditis perpetuam redderet sanitatem. ] Distinctiùs S. Bernardus serm. 6. in Vigil. Natiu. Dom. *initio*, expendens illud, *IESVS CHRISTVS Filius Dei, nascitur in Bethleem Iudæ*. Sic enim scribit. [ Iesvs interpretari. *Saluator*. Quid tam necessarium perditis, quid tam optabile miseris, quid tam vtile desperatis? Alioquin vnde salus, vnde vel tenuis aliqua spes salutis in lege peccati, in corpore mortis, in malitia hac diei & loco afflictionis, nisi noua nobis & insperata nasceretur? At tu forte salutem optas, sed curationis acerbitatem, teneritudinis pariter & ægritudinis propriæ conscius reformidas Ne timeas; Christus est suauis planè, & mitis, multæ misericordiæ, vnctus oleo lætitiæ præ participibus suis, eis nimirum, qui licet non ipsam plenitudinem, de plenitudine tamen, huius accipiunt participium vnctionis. Neque verò suauem audiens, inefficacem fore autumes Saluatorem; additur etiam, *Filius Dei*. Qualis enim Pater, talis Filius, cui subest cum voluerit posse. Aut forsitan vtilitate salutis & iucunditate vnctionis audita, nescio quid submurmuras, puto etiam de honestate sollicitus. Saluatorem tibi gratularis adesse, vtpotè iacens paralyticus in grabato, aut magis inter Hierusalem & Hiericò semiviuus in via. Amplius autem lætaris nec durum esse medicum, nec grauibus vti medicinis, nec forsitan intolerabilior videatur breuis ipsa curatio, quàm diuturna ægritudo Sic nimirum, sic vsque hodie multi pereunt medicum fugientes, quod Iesum quidem nouerint, sed Christum nesciant, humano sensu de multitudine & malignitate morborum, paratæ sibi medelæ molestiam æstimantes. Iam verò sic certus es de Saluatore, & nihilominus Christum esse cognoscis non vtentem cauterio, sed vnguento, non vstione, sed vnctione curantem. [ Addit quæ ad dignitatem personæ curantis spectant, quibus nunc abstineo, intentus in curationis modum, quem ipso *Christi* nomine vides indicari, imo denotari suauem & benignum.

### *Cohæsio lenitatis Medici, cum percussione quam adhibet.*

989 Legitur quidem medicus noster, percutere & mortificare; sed ea percussio, est ipsissima sanatio, vt disputat S. Basilius homil. quod Deus non sit autor malorum: estque adeò lenis & blanda, vt dolorem non inferat, cum sita duntaxat sit in abiectione morbi: quod docet S. Maximus serm. de ieiuniis. [ Medicus est (inquit) Dominus noster Iesus Christus, qui ait; *Ego occidam, & viuificabo: percutiam & sanabo*. Occidit enim quodammodò antequàm viuificet Dominus. Occidit enim primùm in nobis homicidia, adulteria, furta, per baptismum: & sic nos tanquam nouos homines æternitatis immortalitate viuificat. Morimur ergo peccatis videlicet per lauacrum: regeneramur autem vitæ per spiritum, sicut ait sanctus Apostolus; *Quoniam mortui estis delictis vestris, & vita vestra abscondita est cum Christo. Consepulti enim estis cum illo per baptismum in morte*. Occidimur enim quodammodò, cum desinimus esse quod fuimus. Nouo enim pietatis genere, in vno eodémque homine, mors operatur & vita. Moritur enim concupiscentia peccatorum, viuificatur amore virtutum. In vno namque eodémque homine impius & adulter occiditur, vt misericors renascatur & castus. Interimitur Idololatria, vt religio propagetur. Fornicator & ebriosus extinguitur, vt continens & sobrius procreetur. Sic ergo mortificat Dominus, vt viuificare faciat, sic occidit, vt prosit: sic verberat, vt emendet. ] Itaque concludit, hortando ægros. [ Habentes igitur huiusmodi medicum qui percutiendo sanat, mortificando viuificat; subdamur ei cum omni patientia ad curandum: vt quidquid vlceribus fœtidum esse perspexerit, incidat, amputet, exsecet: vt resectis omnibus Diaboli vulneribus, hoc solùm in nobis faciat remanere, quod Dei est. ]

Quod si truncatio interdum membri, vel adhibito scalpro acerbior traditio vsurpatur; & hæc quoque est bonitatis maximæ, quia prospicitur communi cœterorum membrorum incolumitati, quæ est multo potior. Audi Clementem Alex. 1. Strom. cap. 14. [ Nemo ergo propter supplicia infectetur legem, vt non bonam & honestam. Num enim qui aufert morbum corporis beneficio afficere videbitur, qui autem ab iniustitia animam conatur liberare, non maiorem videbitur curam gerere, quo est anima corpore præstàtior? Sed pro sanitate quidem corporis, & secari & vri, & medicamenta potare sustinemus, & qui hæc adhibet, & Seruator vocatur & medicus, & nec ei inuidet, nec mulè vul ægrotus, & vt artis dictat ratio partes quoque aliquas rescindit, ne sanæ partes vnà cum eis intereant, nec tamen quis medici artem, criminis arguerit: Animæ autem gratia, non similiter tolerabimus aut exilia, aut mulctas, aut vincula, si modò quis ex iniustitia sit restituendus in iustitiam? Lex enim, eorum qui ei patrem curam gerens, ad pietatem in Deum instituit, & dictat ea quæ sunt facienda, & propulsat vnumquodque peccatum, pœnas imponens iis

quæ sunt mediocria. Cum autem viderit aliquem ita se habere, vt videatur immedicabilis, vt potè qui ad extremam prouehatur iniustitiam: tunc aliorum iam curam gerens, ne ab ipso corrumpantur, tanquam aliquam partem à toto corpore resecans, sic eum qui est huiusmodi, occidit saluberrimè.]

Affine illud illud Tertulliani cap. 5. Scorpiaci. [Et est planè quasi sæuitia Medicina de scalpello déque cauterio, de sinapis incendio; non tamen secari, inuri & extendi, mordérique idcircò malum, quia dolores vtiles affert. Nec quia tantummodò contristat, recusabitur; sed quia necessariò contristat, adhibebitur. Horrorem, operis fructus excusat. Vlulans denique ille, & gemens & mugiens inter manus medici, postmodùm easdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & sæuas iam negabit.] Idem de nostro medico, iure multo potiore statuendum, apud quem ea in speciem sæuitia, cerò fructuosa ægro erit, si non stet per ipsum. [Cum patientia (ait S. Augustinus in Psal. 85.) salutem exspectat. Quibus te medicamentis curet, ille nouit: quibus sectionibus, quibus vstionibus, ille nouit. Tu tibi ægritudinem comparasti peccando, ille venit non solùm fouere, sed & secare & vrere. Non vides quanta homines patiantur sub medicorum manibus, spem incertam homini promittentium? Sanaberis dicit medicus: Sanaberis si secuero. Et homo dicit, & homini dicit. Nec qui dicit certus est, nec qui audit: quia ille dicit homini, qui non fecit hominem, & non perfectè scit quid agatur in homine. Et tamen ad verba hominis planè nescientis quid agatur in homine, credit homo; subdit membra, ligari se patitur, aut plerumque etiam non ligatus, secatur & vritur, & accipit fortè salutem paucorum dierum, iam sanatus quando moriatur ignorans, & fortassè dum curatur moritur. & forta sè curari non potetit. Cui autem promisit Deus aliquid, & fefellit?]

990 Victor quoque Cartennensis pulcherrimè lib. de pœnit. cap. 18. [Si curari desideras, medelæ impetum non attendas, nec expauescas remedium; Cum admouerit vulneri ferramentum, celerior cura sectionis efficitur. Nam pessimè sedulitas medendi palpatur, cum non continuò suppurata labes abscinditur. Amarus est gustus antidoti, sed vitale ac salutare est quod est faucibus insuaue. Curat nos Dominus non vt exteros, extraneos sibi seruat, quoscumque sanauerit delinquentes. Omni hora, omni die, in curandis intentus, nec retardatur tempore nec vllis morarum obstaculis impeditur, cum inuentus fuerit qui curetur. Vacet enim necesse est beneficium Domini, cùm non extat cui debeat misereri. Aspera est castigatio pœnitentiæ, sed leuior efficitur si modus culpæ tractetur.]

Quod si qui fuerunt improuidi, quibus medici, quia aliquid à gustu eorum abhorrens prescribebat, dispositio non placuit; ne illi plus medico corporum in sanandis morbis corporis, quàm anima medico, circa spirituales curationes conferunt. [Certè (ait S. Chrysostomus lib. 1. de Promd.) cum medicus contraria his quæ nobis salubria videntur præcipit, siue algens membrum prosimo fonti subiicere debeat, siue alia huiusmodi efficere, nonnumquam reluctamur: sed cum nobis antea persuaserimus, artis illum ratione cuncta facere, promptè ac libenter cedimus, idque cùm illo sæpiùs fallatur: Deum verò, cuius viæ in omnibus incredibiliter à nobis distant, qui est ipsa sapientia, qui nunquam falli potest, punienda curiositate perscrutabimur? Cúmque illi simpliciter cedamus, à quo facti rationem exigere iure nostro possemus, ab illo, cuius solum cedendum est nutui, eorum quæ gesserit causas ac rationes requiremus, atque huiusmodi indignè ignorantiam feremus? Hæccine sunt religiosæ mentis ac piæ? Ne, quæso ac supplico, ne ad tantam vsaniam progrediamur.]

*Alia lenitatis Medici capita, quia sanat ex vulnere, & gratis sanat. Pragustánsque insuauia, tolerat ægrorum fastidia.*

991 Ad bonitatem quoque & lenitatem medici nostri pertinere monet Goffridus Vindacinensis, quod de vulnere vulnus sanet. Sic enim disserit serm. 2. [Aliquando bonus & pius Dominus, ad ostensionem suæ bonæ voluntatis, qua semper circa peccatores, quasi quodam pij patris affectu hæret, ne ad pœnam tradat errantes, cùm nos qui nec bonis benè vtimur, de medicina nostra facimus plagam, ipse de vulnere nostro, nobis adhibet medicinam. De medicina etenim nostra miseri & insipientes vulneramur, cum ei abstinentia, vel qualibet virtute nostra, quæ medicina debuit esse animæ, superbimus. Sed misericors & omnipotens Deus, de vulnere nostro medicinam operatur, cum in luxuriam corruentes, (non quia sit luxuria superbia grauior, sed quia turpior esse videtur,) nos humiliat, & sic in nobis vulnus de vulnere sanat.]

Et hinc quoque medici lenitas & benignitas mirè celebratur, qui non sibi stipendium deposcat, sed tribuat annuentibus sanari S. Aug. serm. 13 de verbis Apost. id egregiè expendit. [Medicus (inquit,) etiam sano præcipit temperantiam. Bonus medicus hoc facit, non vult esse necessarius ægrotanti. Sic etiam Dominus Deus creato homini sine vitio, temperantiam præcipere dignatus est: quam si ille seruasset, medicum postea morbo suo non desideraret. Sed quia non seruauit, languidus factus est, cecidit infirmus, creauit infirmos idest, infirmos genuit infirmus. Et tamen in omnibus, qui nascuntur, infirmis, Deus quod bonum est operatur, firmando corpus, viuificando corpus, alimenta præbendo, pluuiam suam & Solem suum super bonos & malos dando, non est vnde accusent bonum nec mali. Insuper etiam genus humanum iusto suo iudicio condemnatum, noluit in interitum sempiternum relinquere: sed misit & medicum, misit saluatorem, misit eum qui gratis sanaret. Parum est qui gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad istam benuolentiam potest. Quis est qui dicat; sanem te, & do tibi mercedem? Optimè fecit. Sciebat enim se diuitem, venisse ad pauperem; & sanat ægrotos, & sanatis donat: & non aliud quàm seipsum donat. Saluator est adiutorium laguidi, ipse saluator est præmium sanati.]

Quid verò Medici in curando suauitatem, melùs

melius expressiúsve indicat, quàm quod nihil ægro indicit hauriendum, quod non priùs ipsemet hauserit? S. Aug. hom. 34. ex 50. id suauissimè his verbis recolit. [Ipse ergo medicus, nihil tali indigens medicamento, tamen vt exhortaretur ægrotum, bibit quod opus ei non erat: tanquam recusantem alloquens, & trepidum erigens bibit prior. *Calicem*, (inquit,) *quem ego bibiturus sum*, qui in me non habeo quod ab illo calice sanetur: bibiturus sum tamen, ne tu dedigneris bibere, cui opus est vt bibas.] Et serm. 18. de verbis Dom. [Si noluimus obtemperare medico, vt non ægrotaremus, obtemperemus vt ab ægritudine liberemur. Dedit nobis præcepta medicus sanis: dedit præcepta medicus, ne medico indigeremus. *Non opus est*, (inquit,) *sanis medicus, sed ægrotantibus.* Sani præcepta contemsimus, & experimento sensimus in quantum perniciem nostram, præceptum illud contempserimus. Ægrotare iam cœpimus, laboramus, in lecto infirmitatis sumus: sed non desperemus. Quia enim ad medicum venire non poteramus, ipse ad nos venire dignatus est. Non contempsit saucium, contemptus à sano. Non destitit dare alia præcepta languenti, qui prima custodire noluit, ne langueret: tanquam diceret, Certè experimento sensisti, verum me dixisse, quando dixi. Noli tangere hoc: Sanare ergo tandem, & reuiuisce. Ecce porro infirmitatem tuam: bibe amarum calicem: tu enim tibi fecisti præcepta illa mea, quæ sano data sunt tam dulcia, tam laboriosa. Contempta sunt, cœpisti laborare: sanari non potes, nisi amarum calicem biberis, calicem tentationum, quibus abundat hæc vita, calicem tribulationum, angustiarum, passionum. Bibe, inquit, bibe vt viuas. Et ne responderet ei languidus. Non possum, non fero, non bibo: prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo, quod ille non biberit? Si contumelia; prior audiuit, cùm Dæmones expelleret, *Dæmonium habet, & quòd in Beelzebub eiicit Dæmonia.* Vnde vt ipse consolaretur ægros, ait; *Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Si dolores amari sunt; ligatus, & flagellatus, & crucifixus est. Si mors amara est; etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit infirmitas; nihil illo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis.]

Accedit mititas, in tolerandis ægrorum & ineptiis, & indignis agendi rationibus. [Medici corporum (ait Orig. initio homiliæ 11. in Ierem.) ægrotantibus assistentes, & iuxta disciplinam artis suæ volentes curare eos qui in infirmitatibus constituti sunt, vident tristia, iniucunda pertractant, & in alienis calamitatibus mœrore proprio conficiuntur. Semper enim conuersatio eorum in gemitu, semper in curis est; nunquam cum lætis consortium habent. Cum vulneratis, cum his quorum carnes incommodis variis debilitantur, qui febribus æstuant, qui dolore torquentur, iugi seruitio perseuerant. Et si quis eorum vult implere medicinam, non indignatur, non obliuiscitur propositi artis suæ, postquàm cum his fuerit quos sermo præfatus est.] Monstrat consequenter Origenes, id accuratè seruasse Hieremiam erga Iudæos: sed seruauit multo accuratiùs Christus Dominus.

*Sapientia eiusdem Medici, in adhibenda curatione.*

992 Hæc circa curandi modum à medico nostro seruata, suauitatem eius significant. Summam verò sapientiam eiusdem in curando, S. Augustinus notauit, in eo, quod obseruatam ab eo causam morbi nostri, & ibi adhibitum malagma, notauit tract. 25. in Ioan. verbis illis caput omnium morborum superbia, quia caput omnium peccatorum superbia. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, & ipsam causam per quam factum est non curet, ad tempus videtur mederi, causa manente morbus repetitur. Verbi gratia, apertiùs hoc dicam: Humor in corpore scabiem vel vlcera gignit. In corpore fit magna febris, & non paruus dolor. Exhibentur quædam medicamenta quæ scabiem compescant & feruorem illum vlceris sedent, & adhibentur & proficiunt. Vides hominem qui fuit vlcerosus & scabiosus, sanatū: sed quia humor ille nō ejectus est, rursus aduleus redit. Cognoscēs hoc medicus, purgat humorē, detrahit causam, & nulla erunt vlcera. Vnde, ergo, abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam & nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum, curaretur, ideſt, superbia, descendit & humilis factus est filius Dei. Quid superbis homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit filius Dei in homine, & humilis factus est. Præcipitur tibi vt sis humilis, non tibi præcipitur, vt ex homine fias pecus. Ille Deus factus est homo; tu homo; cognosce quia es homo. Tota humilitas tua est, vt cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit; *Non veni facere voluntatem meam, sed eius* voluntatem *qui misit me.* Hæc enim commendatio humilitatis est. Superbia quippè facit voluntatem suam, humilitas facit voluntatem Dei.]

Pertinet ad medici quoque nostri sapientiam, quæ habet serm. 19. de sanctis, monstrans quomodò Christus summam lenitatem curationis cum summa industria & sapientia coniunxerit, de quo sic disserit eo loco. [Diuina virtus, nostra reparatione non eguit, sed tamen ea bonitate qua nos condidit, eadem nos reformare voluit: & ad hoc medicamen nunquam forte posuit, sed quàm leniùs complexioni ægrotantis competere perspexit, apposuit. Solent quippè medicinæ periti, ægritudines quas curandas suscipiunt aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos subleuans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos viuificans. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis opponuntur, & minùs fortia contraria à fortioribus contrariis superuenientibus superantur. Simili ratione similia similibus apponuntur, cum secundùm quantitatem vulnerum vel tumorum, mensuratur longitudo vel latitudo epithematum. Sic scorpionum carnes oleo coctæ, percussionibus medentur scorpionum; sic theriaca de serpentis carne confecta, morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas, in potu sumpta expellit. Ad hanc similitudinem

litudinem medicus noſter, mortem carnis noſtræ de ſerpente venientem, carnis ſuæ morte ſanauit, & ad immortalitatis ſuæ ſpeciem in tempore reſtitutionis complendam reformauit. Vbi diligentiùs attendendum eſt, quod mors quæ per lignum venit, per lignum ſuperata eſt. Et ipſa ligni forma, longitudini, & latitudini, & altitudini humani corpori configurata eſt, quorum ſicut totum corpus motum eſt vt manus ad vetitum extenderetur, ita corpus per omnia membra ſua in cruce diſtenderetur: & totum quod reatu paterni delicti confractum fuerat, hoc emplaſtri malaxatione conſolideretur. Sed huic medicamento per ſimilia compoſito, admixtum eſt & medicamentum factum per oppoſitum. Nam hîc ſanauit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia. Et quod ibi contaminauit gulæ oblectamentum, hîc reformat crucis tormentum.] Hic locus, verbatim habetur apud Iuonem, Opuſculo quare Deus natus & paſſus ſit.

Præclarè item libr. 1. de Doctrin. Chriſtian. cap. 14. [Quemadmodùm medici, cum alligant vulnera, non incompoſitè, ſed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem, quædam pulchritudo etiam conſequatur: ſic medicina ſapientiæ per hominis ſuſceptionem, noſtris eſt accommodata vulneribus, de quibuſdam ſimilibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, ſicut frigidum calido, humidum ſicco, vel ſi quid aliud huiuſmodi. Adhibet etiam quædam ſimilia, ſicut linteolum, vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, liguturaníque ipſam non eandem membris omnibus, ſed ſimilem ſimilibus coaptat: ſic ſapientia Dei hominem curans, ſeipſam exhibuit ad ſanandum, ipſa medicus, ipſa medicina. Quia ergo per ſuperbiam homo lapſus eſt, humilitatem adhibuit ad ſanandum. Serpentis ſapientia decepti ſumus; Dei ſtultitia liberamur. Quemadmodùm autem illa ſapientia vocabatur, (erat autem ſtultitia continentibus Deum:) ſic iſta quæ vocatur ſtultitia, ſapientia eſt vincentibus diabolum. Nos immortalitate malè vbi ſumus vt moreremur; Chriſtus mortalitate benè vſus eſt, vt viueremus. Corrupto animo fœminæ, ingreſſus eſt morbus: integro corpore fœminæ, proceſſit ſalus. Ad eadem contraria pertinet, quòd etiam exemplo virtutum eius, vitia noſtra curantur. Iam verò ſimilia quaſi ligamenta membris & vulneribus noſtris adhibita, illa ſunt quæ per fœminam deceptos, per fœminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberauit.]

S. Gregorius 24. mor. cap. 1. 2. & 3. tractans illud; *appropinquauit corruptioni anima eius, & intra illius mortiferis*, quod ad noſtram (vt vocat,) generalem peſtilentiam, qua omnes perdebamur, accommodat. Ad remedium verò, à Chriſto, tantæ noſtræ mortalitati adhibitum, aptat S. Gregorius quod continenter apud Iobum ſequitur; *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnum de ſimilibus, vt annunciet hominis æquitatem, miſerebitur eius.* Hunc Angelum pro nobis loquentem, oſtendit eſſe Chriſtum medicum noſtrum. Tum ſubdit. [Sed quid pro nobis loquatur, audiamus: (*vnum de ſimilibus*) Mos medicinæ eſt, vt aliquando ſimilia ſimilibus, aliquando contraria contrariis curet. Nam ſæpè calida calidis, frigida frigidis: ſæpè autem frigida calidis, calida frigidis ſanare conſueuit. Veniens ergo ad nos deſuper medicus noſter, tantiſque nos inueniens languoribus preſſos; quiddam nobis ſimile, & quiddam contrarium apoſuit. Ad homines quippè homo venit, ſed ad peccatores iuſtus: concordauit nobis veritate naturæ, ſed diſcrepauit à nobis rigore iuſtitiæ. Vitioſus enim homo, corrigi non poterat niſi per Deum. Videri autem debuit, qui corrigebat: vt præbendo imitationis formam, anteactæ malitiæ mutaret vitam. Sed videri ab homine non poterat Deus; ergo homo factus eſt, vt videri potuiſſet. Iuſtus igitur ac inuiſibilis Deus, apparuit ſimilis nobis homo viſibilis, vt dum videretur ex ſimili, curaret ex iuſto: & dum veritate generis concordat conditioni, virtute artis obuiaret ægritudini. Quia ergo in carne veniens Dominus, non culpam noſtram ex vitio, non pœnam ex neceſſitate ſuſcepit: rectè dicitur, quod pro tentato homine, iſte Angelus vnum de ſimilibus loquitur: quia nec ita natus vt reliqui, nec ita mortuus, nec ita reſuſcitatus. Quid igitur mirum eſt, ſi adhibita tam ſapienti tamque accommodata per medicum noſtrum curatione, ſecutus eſt effectus quem Iob conſequenter his verbis aperit? *Miſerabitur eius, & dicet: libera eum, vt non deſcendat in corruptionem*, ideſt, vt viuat & plenè ſanus viuat.

### *Vſus doctrinæ; De nullo ægro diffidendum. Nemini ægrotandum deinceps, vel ſi fortè ægrotet, reſpuenda curatio.*

993 Ex omnibus hactenus tractatis, deprehendimus medici noſtri idoneitatem ſummam, docemúrque de nullo vnquam ægro ſub tali medici manu conſtituto diffidere. S. Auguſtinus pulchrè id docet, in pſalm. 55. ad illud *pro nihilo ſaluos facies eos*, quod ſic Gloſſat. [Noli deſperare: quem roges attende, non pro quo roges. Magnitudinem morbi vides, potentiam medici non vides. Incolent & abſcondent, ſicut ſuſtinuit anima mea. Suſtine, ota, & quid fit? *Pro nihilo ſaluos facies eos.* Si illos ſaluos facies, vt nihil tibi ſit: ideſt vt nullus labor tibi ſit. Hominibus deſperati ſunt, ſed tu verbo curas, non laboras in curando, quamuis nos ſtupeamus in inſpiciendo.] Et in Pſalm. 48. enarrat. 2. *ſub finem* ad illud *adiutor & ſuſceptor meus es tu*, ita ex Dauidis perſona differit. [Quid eram niſi ſubuenires? Quã deſperatus eram, niſi curares? Vbi iacebam, niſi aduenies? Certè ingenti vulnere periclitabar; ſed illud vulnus meum, medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti medico nihil eſt inſanabile, nonrenuntiat alicui: opus eſt vt tu curari velis, opus eſt vt manus eius non refugias. Sed & ſi nolis curari, vulnus tuum admonet vt cureris: & auerſum reuocat, & refugientem quodammodò ad ſe redire compellit & attrahit. In omnibus implet quod dictum eſt; *Miſericordia eius præueniet me.*] S. Paulum ægrum & valdè ægrum, ſub huius medici manu exhibet S. Ambroſius ſerm. 3. in pſalm. 118. ad illud, *reuela oculos meos*, illicò corpore & animæ ſanatum, [quia medicamentum ei medicus demonſtrauerat ille de cœlo, de quo ſcriptum eſt; *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos, & ex omnibus infirmitatibus ſuis, liberauit eos.* Non

eſt

est medicus iste de terris, qui omnes curat infirmitates, & populos integrè sanat. Mitte ergo Pater medicum istum, veniat Verbum tuum, aperiat oculos meos.]

Cum igitur Christus, & noster medicus, & nostra medicina sit, & in curando tanta arte & sapientia vtatur. (Magnus quippe medicus noster,& magna eius medicina,vt loquitur S. Ambros.l. Elia cap.20.)meritò dixerim cum S. Augustino hom. 34. ex.50. [Iam videte fratres, si ampliùs ægrotare debet genus humanum, accepta tanta medicina. Iam humilis Deus, & adhuc superbus homo? ]Et serm. 74. de temp. [Erat vnde extolleretur gens Iudæa, & per ipsam superbiam factum est, vt Christo nollet humiliari,autori humilitati, repressori tumoris medico Deo, qui propter hoc, cùm Deus esset, homo factus est,vt se homo hominem cognosceret. Magna medicina. Hæc medicina si superbiam non curat, quid eam curet nescio: Deus est & fit homo.Seponit diuinitatem ideſt, quodammodò sequestrat,hoc est, occultat quod suum erat, quod apparet,acceperat. Fit ille homo cùm sit Deus, & non se agnoscit homo hominem, ideſt,non se mortalem agnoscit,non se agnoscit fragilem,non se agnoscit ægrotum, vt quærat vel ægrotus medicum, sed quod periculosius,sanus sibi videtur.] Idem ad quæuis vitia per Christum in nobis sana, transferamus. Ne igitur tantum medicamentum,& tantam medici benignitatem abiiciamus. [Dominus,(exclamat S.Ambrosius lib.2.de fide cap.4.)illum hominem qui ex Hiericho descendens incidit in latrones, quem non asperioribus legis medicamentis, non prophetico rigore curauerat, oleo curauit & vino. Veniant ergo ad hunc omnes qui sanari volunt, accipiant medicamentum quod & à Patre detulit & præparauit in cœlo, ex illis confectum immortalibus succis. Hoc ex terra non pullulat: expers enim natura huius confectionis. Diuino enim consilio suscepit hanc carnem, vt ostenderet legem carnis legi esse subditam mentis. Suscepit carnem,vt quasi homo vinceret,qui homines erudiret.Quid mihi prodesset,si quasi Deus,exerta potestate, diuinitatem suam tantummodò inuiolabilem demonstrasset? aut cur susciperet carnem, nisi vt tentari se naturæ atque infirmitatis meæ conditione pateretur? Tentari debuit, compati mihi debuit, vt scirem quemadmodùm tentatus vincerem, compassus euaderem. Vicit per continentiam, vicit per contemptum diuitiarum, vicit per fidem;calcauit ambitionem,fugauit intemperantiam, lasciuiam relegauit. Hoc medicamentum Petrus vidit, & retia sua,instrumenta videlicet quæstus & subdia dereliquit,renuntians carnis concupiscentiæ tanquam corruptæ naui, in quam quasi sentina quædam multarum ingreditur passionum. Magnum ergo medicamentum, quod non solùm cicatricem vetusti vulneris amputauit, sed etiam causam passionis incidit.] Deflendi igitur sunt,qui tam efficax medicamentum abiiciunt, prostans gratis, & absque pretio aut commutatione ingestum.

994 Iis qui ita se gerunt, superfluè venit Christus,vel certè nondum venit, iuxta S. Bernardum serm.4.de Resurr.*initio*.sic disserentem. [Omnia quæ de Saluatore legimus, medicamina sunt animarum nostrarum. Videamus ergo ne quando forte dicatur de nobis; *Curauimus Babylonem,& non est sanata.* Cogitet vnusquisque, quantum operentur in eo salutaria medicamenta. Sunt enim quibus nondum natus est Christus, sunt quibus nondum est passus, sunt quibus non surrexit vsque adhuc. Aliis quoque nondum ascendit, aliis nondum misit Spiritum sanctum. Quomodò enim operatur eius humilitas, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens*? quomodò inquam,Dei humilitas in superbo homine operatur? Quæ illius humilitatis vestigia, in his qui adhuc toto desiderio, terrenis diuitiis & honoribus inhiant?] Tantam curationem respuere, planè est medicinæ ingratum esse, vt ait S. Augustinus serm.13.de verbis Apostoli, grauissimè inde hortatus, vt brachium Domini iacentibus porrectum, Christum inquam medicum nostrum,lubentes prehendamus.

Ægrotante corpore, currimus ad Pharmaca; quanto iustiùs vt ait Origenes hom. 2. in Psal. 37. circa animam idem seruetur? Curationem corporum qui omiserit, peruersitatis notatur. [Est & hæc (ait Tertullianus cap.5. Scorpiaci) peruersitas hominum, salutaria excutere, exitiosa suscipere, periculosa quæque medicamina vitare, mori denique citiùs quàm curari desiderare. Nam & medicinæ præsidium plures qui refugiunt, plures stulti, plures timidi, & malè verecundi.] At animæ curationem qui neglexerit, næ ille & peruersus est.& mutas animantes insipientia superat, iuxta illud Tertulliani in calce libri de pœnitentia. [Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales,medicinas sibi diuinitùs attributas,in tempore agnoscunt.Ceruus sagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat,scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcauerit pullos,nouit illos oculare rursus de sua chelidonia.] Æmulatus est hunc locum Pacianus, (vt ad eum Tertulliani locum notat Pamelius,) itémque S. Hieronymus cap.7.Ecclesiastæ. Quo ergo pacto notabimus respuentes animæ curationem?

### *Causationes quæcumque ad respuendam curationem præclusæ.*

995 Non licet medici imperitiam,non medicinæ asperitatem causari. Nam medicum esse scientissimum, nec inde licere tergiuersari rectè statuit S.Doro.Doctr.11.n.2.medicum item esse benignissimum, abundè monstratum est. Nec obscura admotæ ab eo medicinæ suauitas.Præcludit verò omnem omnino causationem ad huius medicinæ admotionem respuendam, & repellendum medicum istum, quod vt ait Victor Cartenensis lib. de pœnit. cap. 3. sola morbi expositione,adhibeatur medicina efficax ab hoc medico. Locus est nonnihil longior,sed planè insignis & adscriptu dignissimus. Præmiserat, nostrum medicum non idcirco velle sibi pandi morbos nostros quod eos ignoret;subdit verò. [Vult ergo te magis nosse, quid agatur in te,vt cum exponis medico vitium tuum, necessarium tibi propinet antidotum.Tunc enim poteris perfectum consequi beneficium medicinæ, si non celes medico tuæ vulnera conscientiæ. Cæterum qualiter curandus eris, qui ea quæ sunt in te absconsa non pandis? Opinor enim

nisi interpelletur medicus, non curatur ægrotus. Expectat ergo dici sibi ostendi doloris tui causas, vt medicinæ remedium iam curatus intelligas. Quid enim medico debeatur iusta æstimatione pensabis, si morbum tuum in te ante cognoueris. Et vt pluribus te non teneam, confessio tua pœnitens, medicina est: ipsa te curat, ipsa te viuificat, nec patitur vulnus tuum tenere putredinem: sed mox vt ingemueris, superinducit indenotabilem cicatricem. Hodie si qui quam te morbus corporalis afficiat, & sentias artus tuos intestino grauari languore, aut vulnus tuum intelligas tabo & sorde putredinis cancerare, statim curris ad medicum, quæris de arte remedium, excubas ante ianuam dormientis, & ante fores eius matutinus saluator adsistis, precibus orare, dona promittere, munera offerre, & totum patrimonium pro tua cupis sanitate prodigere; & cum plerumque imperitia eius, aut grauetur languor, aut certè in longa tempora differatur; nihilominus tamen in obseruatione assidua perseueras, & homo ab homine speras tarda remedia: nec desperas adiutorium profuturum, cum adhuc non sentias corroborationis effectum: & non curris ad Deum, tuum gratuitum medicum, ad vltroneum pigmentarium, qui in curandis animæ tuæ valetudinibus nullum nouit pati fastidium, nec expectat ex sanitate tua præmium, sed magis desiderat præmio munerare curatum? Et vtique temporalis medicus, hoc solùm curat quod ad corpus attinet: cæterum Deus animam sanat, quam peccata conuulnerant: & ille profert ad præsens profutura remedia; hic autem adhibet perpetuam medicinam. Et tamen homo nec seipsum potest iuuare medicus, nisi subuenerit Deus. Nam incassum laborat plerumque astutia medicinæ, si Deus ægroto viuendi tempus noluerit prolongare. Quos nec sibi videbimus nonnumquam posse succurrere, cùm præuenti corporalibus vitiis, fraudantur beneficio sospitatis. Nullum ergo beneficium medicinæ erit, quando medico ipsi medicina non subuenit. Nemo te (crede mihi) melius reficit, quàm qui fecit: nec alius iustificat, nisi qui flagellat & curat. Solus nouit operis sui farcire rupturas, & limi nostri quassatam speciem in status pristini substantiam reformare, ipso per Prophetam dicente: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos estis in manu mea.* Neque hoc ipsum aliquo interuallo temporis operatur. Mox vt dixeris vitium tuum, illicò impertit & adiutoriam: imploranda subsidia & conferenda remedia; nullum propemodùm tempus interuenit. Hoc tantùm expectat, vt fatearis, mora non erit vt saneris.]

Quid expeditius tali curatione? Quæ medendi ratio, minus onerosa ægro? Quid suauius tali medicina? Et vt aliquid in ea esset subamarum, leniendum est proposita necessitate, & consequentis gaudij præsensione. [Malo enim (inquit Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 10.) ad miseriam peruenitur: sed vbi pœnitendum est desinit miserum, quia factum est salutare. Miserum est secari, & cauterio exuri, & pulueris alicuius mordacitate cruciari. Tamen quæ per insuauitatem medentur, & emolumento curationis offensam sibi excusant, & præsentem iniuriam, superuenturæ vtilitatis gratia commendant.] Recogitanda certa sanitas à tali, támque perito, & falli nescio Medico. Præclarè æquè ac potenter S. Augustinus in Psal. 102. ad illud *qui sanat omnes infirmitates tuas*, verbis illis. [Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni sunt, inquies, sed maior est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit, tantùm tu curari te sine. Manus eius ne repellas: nouit quid agat. Non tantùm delecteris cùm fouet, sed etiam toleres cùm secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Videte fratres mei, in istis languoribus corporis quanta homines tolerent, vt paucos dies victuri moriantur & hos paucos dies incertos. Multi enim post tolerantiam magnorum dolorum cùm à medicis secarentur, aut inter manus medicorum mortui sunt, aut iam sani irruente aliqua ægritudine defuncti sunt. Si tam sibi propinquam mortem sperarent, illos immensos dolores non susciperent tolerandos. Tu non toleras in incertum: qui promisit sanitatem, non potest falli. Fallitur medicus aliquando, & promittit sanitatem de corpore humano. Quare fallitur? Quia hoc non curat qui fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam: nouit quemadmodùm rectè quod creauit, nouit quemadmodùm reformet quod ipse formauit. Tu tantùm sub manibus medici esto: odit enim repellentem manus suas. Non hoc in medici hominis manibus. Ligari se volunt homines, & secari, daturi pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus te quem fecit & certus curat & gratis. Ferto ergo manus eius ô anima, quæ benedicis eum, non obliuiscens omnes retributiones eius.]

996 Non pudeat ergo, non pigeat, tanto, támque benevolo, & de ægris suis sollicito medico subiici. Indignissimum est, qui ad mortalis medici nutus omnes, pro corporum mortalium curatione se fingunt, & nihil ab eo refugiunt, circa medicum Christum, causari quippiam. Quò pertinet egregia disputatio quam instituit idem S. Augustin. agens de ægro spirituali serm. 34. ex 40. nouis [Videte fratres, quomodò rogatur medicus pro salute temporali. Quomodò quisquam desperatè ægrotet, nunquid pudet illum, aut piget, homini pedes tenere? peritissime Archiatro lachrymis vestigia lauare? Et quid si dixerit ei medicus, sanari aliter non potes, nisi te ligauero, adussero, secuero? respondet, fac quod vis; tantùm sana me. Quanto ardore desiderat paucorum dierum vapoream sanitatem, vt pro illa & ligari velit, & secari & vri, & custodiri ne manducet quod delectat, ne bibat quod delectat, nec quando delectat? Totum patitur, vt seriùs moriatur, & non vult panca pati, vt nunquam moriatur.]

Nec quod in morbis corporum obseruatu est necessarium, attendendum est certum tempus, aut locus, vt meritò proinde Origen. in fine primi libri cótra Celsum, Christianã doctrinam, nouum & compendiosum medicinæ animorum genus nominet: omnia tempora & loca, æquè commoda sunt ad hanc curationem, quæ solius medicinæ per Christum confectæ, voluntaria applicatione perficitur. Numquid (ait in hanc rem D. Augustinus in Psal. 63. *in ipso fine*, [Nunquid consilij corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam, non est locus, non est tempus? Nónne si vis, hodie fit? Nónne si vis, modò fit? Quid empturus es vt facias? quæ emplastra quæsiturus es? Ad quos nauigaturus? quam naulum præparaturus?

præparaturus? Ecce quum loquor, muta cor; & factum est quod tam sæpè & tamdiu clamatur vt fiat; & quod æternam pœnam parturit, si non fiat.] Itaque nihil est, quod possit remoram iniicere & cunctationem excusare. Differit plenè aduersùs hanc in salute capessenda cunctationem setm. 59. de verbis Dom.

Est verò præterea interdum nonnulla cunctandi occasio ab extrinseco præter hactenus discussas quæ sunt ab intrinseco. Nonnulli enim in gratiam amicorum potentium, ab accessu huius medici reuocantium, non curantur, in eos idem D. Augustinus, sic conclamat. [Tollantur ergo de medio inanes venti, tollatur de medio fumus qui crescendo euanescit, prorsus pro salute ista contemnatur. Si quisque in ciuitate, aliquo periculoso morbo corporis ægrotaret, & esset in ciuitate peritissimus medicus amicus ægrotantis, potentibus inimicus, qui dicerent amico suo: noli eum adhibere, nihil nouit: dicerent autem non iudicante animo, sed inuidente, nónne ille pro salute sua remoueret amicorum potentium fabulas, & vt paucis diebus plus viueret, cum illorum qualibet offensione, pellendo sui corporis morbo medicum illum quem peritissimum commendauerat adhiberet? Ægrotat humanum genus, non morbis corporis, sed peccatis. Iacet toto orbe terrarum ab Oriente vsque ad Occidentem, grandis ægrotus. Ad sanandum grandem ægrotum, descendit omnipotens medicus. Humiliauit se vsque ad mortalem carnem, tanquam vsque ad lectum ægrotantis. Dat salutis præcepta, contemnitur: qui audiunt liberantur. Contemnitur, cum dicunt amici potentes, nihil nouit.] Itaque hæc quoque cunctatio præcidatur.

### *Sancti accelerauerunt, nec nobis cunctandum.*

997 Non sunt sanè cunctati Sancti, sed accelerauerunt, vt idem S. Augustinus epist. 59. ad q. secundam, egregiè pensat. [In eo quod dictum est (inquit) *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt*, Infirmitates posuit pro peccatis, sicut ad Romanos Apostolus dicit; *Si enim Christus cum infirmi essemus, adhuc iuxta tempus pro impiis mortuus est*: hos dixit *infirmos*, quos impios. Deinde paulò post eamdem sententiam repetens; *Commendat* (inquit) *suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum ad hoc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Quos infirmos suprà, eos hîc peccatores appellauit. Item in consequentibus, hoc idem aliis verbis versans; *Si enim cum inimici essemus*, (inquit) *reconciliati sumus Deo, per mortem filij eius*: Ac per hoc in eo quod dictum est, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*, intelliguntur multiplicata peccata eorum. Lex enim subintrauit vt abundaret delictum. Sed quoniam vbi abundauit delictum, superabundauit gratia, ideò postea accelerauerunt. Non enim venit ille vocare iustos, sed peccatores: quia non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus, quorum scilicet multiplicatæ sunt infirmitates, vt eis sanandis esset necessaria tantæ gratiæ medicina, & cui dimitterentur peccata multa, diligeret multum. Hoc cinis vaccæ, & aspersio sanguinis, & cruentarum multiplicatio victimarum significabat, non efficiebat. Ideò deinceps dicit; *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus*, idest illorum sacrificiorum, quæ immolabantur in figura sanguinis Christi. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Nomina quippe illorum, erant in multiplicatione infirmitatum. Fornicatores, Idolis, seruientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, raptores, ebriosi, maledici, & quicumque alij, regnum Dei non possidebunt. Sed vbi abundante peccato, superabundauit gratia, postea accelerauerunt. Hæc quidem fuerunt, sed ablati sunt, sed sanctificati sunt, sed iustificati sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Ideò non memor erit nominum illorum, per labia sua.]

Quidni acceleremus & nos pro ægra anima, qui pro curando ægrotante corpore, adeò sumus solliciti? Irrationabile id quidem vt optimè Eucherius in Paræn. ad Valerianum num. 4. verbis illis. [Multus corporum curationi vsus impenditur. Multum huic operæ, in spem medelæ datur, Nunquid medicinam anima non meretur? Et si varia corpori auxilia studio tuendæ sanitatis adhibentur; fas non est tantam animam velut exclusam iacere, & qu si neglectam morbis suis intabescere, atque vnam à propriis remediis exulare: Imò vere plura animæ conferenda sunt, si corpori tanta præstantur. Nam si rectè quidam, carnem famulam, animam verò dominam esse dixerunt, non oportet posteriore loco nos dominam ponere; ac famulam iniquo iure præferre. Meritò poscit studia maiora, pars melior: quia omni cura illuc respiciendum est, vbi substantiæ nostræ abundantior dignitas consistit. Congruum non est, in hoc honore nostræ sollicitudinis, nos subiicere pecori. Caro siquidem procliuis in vitia, ad terram nos, tanquam in originem suam reuocat: hæc verò veniens à Patre luminum, sicut ferri ignibus mos est, in superiora nititur. Hæc in nobis imago Dei, hoc pretiosum est diuini munetis pignus. Hanc omni ope, hanc summis viribus tueamur. Hanc si reginus & conseruamus, Dei depositum tuemur.]

Quare concludamus egregia S. Chrysostomi adhortatione hom. 2. de Anna, alloquentes eius verbis, animam ex spirituali morbo decumbentem. [Cum non sis initura profectionem transmarinam, nec vltrà patriæ fines demigratura, nec vllum laborem similem perpessura: & quid dixi, vltra patriæ fines, quum nec ipsum domus limen transire cogaris, sed vel in ipso thalamo possis conuenire medicum, citráque internuncium vllum cum illo colloqui de quibuscumque volueris, (*Deus omnium*, inquit, appropinquans ego sum, *& non Deus procul*,) differs & cunctaris? Et quam habituta es excusationem, quam consequeris veniam, si quum procliuem & vndequaque facilem viam inuenire possis, qua ab vrgentibus malis libereris, per socordiã tuam ipsius salutem prodideris? Hic enim medicus, non sterilitatem solùm, sed & omne morborum genus, tum corporis, tum animi, sanare potis est, si velit tantùm. Neque id solùm mirandum est, quod citra laborem, sine peregrinatione, sine impendiis, absque intercessoribus curationem adhibet, verùm etiam quod citra dolorem. Neque enim ferro, igniue nouit tollere malum, quemadmodùm cæteri medici faciunt: sufficit vel simplex nutus; ac protinùs

omnis angor, omnis dolor, omne malum fugit, atque exulatum abit. Ne cunctemur igitur ac procraſtinemus, licet pauperes ſimus, & ad extremam redacti egeſtatem. Neque enim hîc numeranda eſt pecunia, vt inopiam poſſimus obtendere. Hic nimirum medicus, non argentum pro mercede petit, ſed lachrymas, preces, ac fidem. Hæc ſi portans ad illum acceſſeris, quidquid omninò poſtularis accipies, multóque cum gaudio diſcedes.]

*Medici Chriſto Archiatro, ſubjuncti.*

998 Quod verò Origenes homil. 1. in Pſalm. 37. *initio*, Chriſtum nominet *Archiatrum*; addat autem, ſecundùm Chriſtum, idem quoque medici munus, Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus Præſulibus Eccleſiarum, & omnibus in Eccleſia ſacris operariis pœnitentium curatoribus rectè congruere; eſt quod hic aures arrigant, & animum ſcriò ad Chriſtum medicum imitandum adhibeant omnes, [quibus curandorum vulnerum diſciplina commiſſa eſt, & quos voluit Deus in Eccleſia ſua eſſe medicos animarum.] Eccleſiam enim idem Origenes hom. 8. in Leuitic. cœleſtis huius medici *ſtationem medicinæ* nominat, & ibi per Sacerdotes, inſtitutum curari ægritudines docet. Id quod etiam grauiter confirmat Theodotus tom. 6. Concilij Epheſini cap. 9. nec non Naz. Orat. 1. num. 55. vocans Sacerdotes, medicinæ per Chriſtum exhibitæ, adiutores & miniſtros. Locus ex S. Chryſoſtomo l. 4. de Sacerd. cap. 2. eſt in hanc rem inſignis. [Nobis quidem (inquit,) haud quaquam nunc res eſt de frumento hordeóve diſpenſando, de bobus ouibúſve paſcendis, aut aliis id genus rebus diſtrahendis; ſed de ipſomet corpore Ieſu curando. Chriſti enim Eccleſia, ex Beati Pauli verbis, Chriſti corpus eſt. At certè cum conuenit cui creditum corpus id fuerit, ipſum illud, tum ad multam honeſtatem, tum ad pulchritudinem incredibilem perpolire, vndique circumſpicientem, necubi macula, aut ruga, aut nævus, vitiumve aliquod huiuſmodi, pulchritudinem honeſtatémque illam labefactet. Et quidnam aliud præſtare oportet, quàm vt capite illo immortali ac beato, quod ipſi ſuperpoſitum eſt, corpus ipſum pro humanatum virium captu dignum efficiat? Nam qui ſuum corpus ad athleticam habitudinem cura adhibita componunt, iis neceſſarius eſt vſus & medicorum, & prædotribarum, & temperatæ diætæ, & exercitationis aſſiduæ, & infinitæ adeò obſeruationis (Etenim minimus quiſque rerum illarum contemptus, labefactare omnia atque euertere poteſt,) quibus ſortè obtigit, Chriſti corpus hoc quod dico curandum, (cuius quidem exercitatio, non corpora ipſa, ſed inuiſibiles potentias ſpectat,) ij quibuſnam artibus conſeruare illud ſyncerum atque incolume poterunt, niſi omnifariam animæ curationem congruam, conuenientem, atque humana virtute longè ſuperiorem calluerint? An ignoras corpus id quod dico, pluribus tum morbis, tum inſidiis obnoxium eſſe, quàm caro noſtra hæc obnoxia ſit? Itémque & celeriùs corrumpi & ægriùs ſanari?] Hoc ille eſſe totum munus Sacerdotum, id eis perpetuò ob oculos eſſe debere, grauiſſimè conteſtatur. Spectant eodem, quæ de Leuiticis Medicis diſputat ſanctus Ambroſius lib. 2. de Cain & Abel cap. 3.

*Partes ac ſtudia, Medicorum, Pœnitentes ſub Chriſto curantium.*

999 Habent verò nominatim ſacri pœnitentiæ adminiſtri, quem imitatione exprimant Chriſtum animarum medicum, mansuetudine præſertim ac benignitate erga ægros, Chriſti exemplo adhibenda. Grauiſſimè id inculcat Theodoretus initio primi contra Græcos prolato medicorum externorum exemplo. [Cæterùm iis (inquit) qui artis medicæ profeſſores cenſeri volunt, quantumuis moroſi ægrotantes ſint, æquo animo ferendi ſunt, patientérque tolerandi, vel ſi conuiciis eos aſpergant, vel ſi pugnis aut calce petulantes ſe præbeant. Solent enim quandoque hoc iniuriæ genus delirantes peccare. Neque tamen cum hæc fiunt, animo perturbantur qui verè ſunt medici; ſed vincula potiùs colligandis intendunt, capútque vnguento aſpergunt, quanquam reluctantibus & inuitis. Nullum denique non remedij genus excogitant, quo ægritudinem procul ſummoueant, priſtinámque partium æqualitatem, corpori vniuerſo reſtituant. [Tanto ſtudioſiùs idem cuiuis ſpirituali medico præſtandum eſt, quanto potior eſt corpore anima, & eius ſalus æterna, ſalute corporis *vaporea*, vt S. Auguſtinus iure appellauit ſerm. 34. ex 40. nouis. Egregiè poſtmodum ibidem monſtrans, Chriſtum medicum, qui nobis medicamentum, non de armario ſuo, ſed de ſanguine ſuo fecit, ſic plane ſe geſſiſſe erga ægros Phreneticos, à quibus etiam occiſus eſt, vt medicos corporum ſe habere, cum Theodoreto diximus, erga correptos phreneſi corporea. Id à ſe erga ſæuientes ægros Donatiſtas ſeruatum, & bene ceſſiſſe patientiam, viciſſeque medicinam pulchertimè tradit idem S. Auguſtinus ſerm. 37. ex iiſdem 40. nouis vbi bono medico & Phreneticos & Lethargicos curæ eſſe oportere, egregiè docet.

Diſtinctiùs de eo duplici ægrorum ordine, medicorum Chriſto ſubiunctorum ſtudia expoſcente, idem S. Auguſtinus alibi: Dimiſſis verò phreneticis, quod perſpicua ſit eorum notio, de Lethargicis, qui Chriſti perſecutione abſtinent, ſed torpore nimio oppreſſi moriuntur, agit ſerm. 59. de verb. Dom. *in fine*. Et his quoque impendendam à piis medicis Chriſto ſubdelegatis miſericordiam, ſic confirmat ibi S. Auguſtinus. [Lethargicis ſimiles ſunt, qui non ſæuiunt in Chriſtum, nec malitioſi ſunt aduerſus Chriſtianos, ſed tantùm differendo langueſcunt verbis ſomnolentis, in lucem oculos extendere pigreſcunt, & qui eos excitare volunt, moleſti ſunt. Recede à me, (inquit languidus lethargicus,) obſecro te, recede à me? Quare! Dormire volo. Sed ille. Morieris inde. Ille amore ſomni, mori volo, reſpondet. Et charitas deſuper, nolo. Plerumque iſtum charitatis affectum, exhibet etiam filius ſeni patre morituro poſt paucos dies, iam vtique ætate

ætate finita, si lethargicum videt, & lethargico morbo premi suum patrem. Noli eum permittere dormire, si vis vt viuat: adest puer seni, pulsat, vellicat, pungit, pietate molestus est, nec mori citò permittit citò moriturum, & si viderit vt aliquando plures dies viuat, cum decesserit, successurus. Quanto maiore charitate nos amicis nostris molesti esse debemus, cum quibus non paucos in hoc mundo dies, sed apud Deum in æternum viuamus? ]

Habent quos Deus populi sui medicos constituit, quid erga ægros in Christi Ecclesia & domo Dei habeant præstandum, vt digni sint, in quo titulus *Christiani Hippocratis*, quo S. Hieronymus Epist. 61. *in fine*, Isidorum presbyterum per iocum donat, verè & meritò cadat. Multa de his medicis, Laur. Iustinianus l. de Institu. & regim. Prælato. cap. 8. & 9. Scitè Ioannes Climacus initio libri de Pastoris officio, hos medicos, omni genere pharmacorum instruit, sic alloquens Abbatem Pastorem. [ Possidebis & tu (ô amabilis) emplastra, potiones, & spongias, phlebotomias, cauteria, vnctiones experimento dormire facientia, gladium, ligaturas, & beatam nauseæ priuatiuam remediationem. Si verò horum penuriam & impotentiam habemus, quomodò scientiam ostendemus? nunquam. Non enim verbis, sed operibus dantur mercedes. Emplaplastrum est, sanatio & maturatio visibilium, passibilium, & corporalium vitiorum. Potionis exhibitio, est sanatio passionum interiorum & inuisibilis cordis euacuatio. Rasorium, est ignominia mordens, & remouens & expurgans elationis putredinem. Collyrium, est redargutio quæ conturbat, post modicum verò curat. Phlebotomia, proprie est imperatiua & institutiua, & dura correctionis inuectio, in salutem infirmantium facta: spongia, est (post chirurgicam Phlebotomiam) per affabilia, mansueta & lenia medici verba, curatio & refrigeratio infirmantis. Cauterium est interminatio & increpatio, in pœnitentiam benignè & humanè, per tempora data. Vnctio est, post cauterium, per verbum & leuem consolationem, infirmanti supposita & superinducta placatio. Dormire faciens antidotum est, onus obedientiæ recipere, & propter subiectionem, requiem & somnum absque somno, & cæcitatem sanctam, ei vt non videat bona sua, donare. Ligaturæ sunt, admonitione & patientia vana gloria resolutos, & vacuos effectos, vsque ad mortem in odio sui & amore virtutum stringere & firmare. Finis autem omnium, gladius, qui est terminatio & sententia, ad incisionem spiritualiter mortificati & putrefacti in corpore membri, ne & reliquis propriam scabiem tradat, & eos pestilentia morbi corrumpentis inficiat. Beata verò, nauseæ priuatiua remediatio in hominibus qui præsunt, & medicis, impassibilitas est: quoniam quidam in omni fœtoris dissuauitate non nauseant, & ad curationem sine otiositate & pigritia adnituntur: hi verò, omnem animam morientem resuscitare valebunt. ]

*Religiosi, & priuati, & superiores, Therapeutæ.*

1000 Religiosos omnes in hunc spiritualium medicorum ordinem accenset Philo initio libri de vita supplicum. [ Institutum (inquit) huius Philosophiæ, mox apparet ex ipsis appellationibus. Vocantur enim Therapeutæ, Therapeutridésque, hoc est curatores & curatrices, siue cultores & cultrices, vero nomine: vel quia profitentur medicinam præstantiorem ista vulgata, per oppida omnia. Hæc enim medetur solis corporibus; illa & animas liberat morbis grauibus, & aduersùs medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates, concupiscentiæ dolores, timores, auaritiæ, insipientiæ, iniustitiæ, & cæteræ perturbationes, vitiorúmque agmen innumerabile. ] Præstant autem huiusmodi curationem, cum adhortationibus quibus à vitiis auocant cæteros mortales, tum scriptis libris piis quos esse curationis animorum instrumentum insigne & vsus docet, & confirmat quod apud Diodorum lib. 1. bibliotheca vocatur τῆς ψυχῆς ἰατρεῖον, *officina medica animæ*; tum denique sanctæ vitæ exemplis, quod genus est medendi efficacissimum & expeditissimum. Hinc igitur denominati iam olim sunt Religiosi *Therapeutæ*. Et quantis alia quoque suppetit eius nominis notatio à cura diuini cultus, vt obseruat Serarius lib. 3. Trihær. cap. 1. num 8. tamen altera est communior, magísque recepta: iuxta quam omnes quidem Religiosi sunt animorum Therapeutæ ac medici, Nominatim tamen id faciunt erga suos, religionum præfecti quos vt Archiatros, religiosos autem vt ægros describit Gul. Abbas ad fratres de Monte Dei, verbis illis de religioso. [ Eundem vbique se inuenit, nisi quod deteriorem facit ipsa mobilitas; sicut lædere solet ægrum, qui circumferendo concutit eum. Ægrum enim se sciat, & vacet circa causarias partes ægritudinis suæ. Si non interrumpitur quies, remedia continuata citò perficient, & sanatus animus ab alienationibus, vel captiuitatibus, & tentationibus suis, totus in Deo suus efficietur. Cura eget & non modica, non inquinata, sed infecta natura. Incumbat ergo immobiliter valetudinario suo, (sic enim solent appellare medici, valetudinum curandarum officinam) & remedij suscepti prosequatur vsum, vsque ad sanitatis experimentum. Valetudinarium tuum, ô ægrote, ô languide, cella tua est: remedium in quo curari cœpisti, obedientia est, obedientia vera. Sed scito quod remedia crebrò mutata nocent, naturam disturbant, & ægrum disterminant. Nam & qui aliquò pergit, si vnam certam tenuerit viam, citò perueniet quò tendit, & itineris, & laboris faciet finem: Si verò multas aggreditur vias, errat, nec laboris aliquando finem facit? quia error finem non habet. Non ergo remedium mutes, nec aliud pro alio accipias, sed vsque ad terminum perfectæ sanitatis, medicinalis obedientiæ remedio vtere: nec abiicias eam vt ingratus, cum factus fueris sanus, sed tamen in reliquum alio modo ea vti permitteris. Si ergo ad sanitatem festinas, vide vt nil, vel modicum, de temetipso agere præsumas, medico inconsulto: à quo si operam medicantis expectas, necesse est vt vulnus tuum

semper & detegere non erubescas. Erubesce, sed tamen reuela totum, nec abscondas. Sunt enim qui confitendo, quasi fabulam enarrant suorum historiam peccatorum, ægritudines animæ suæ sine confusione dinumerant, & penè sine pœnitentia, & sine affectu doloris. Citò enim lachrymas inuenit, & soluitur in gemitum, qui habet sensum doloris. Si verò malæ ægritudini desperabilior stupor accesserit, hic in eo quod non dolet, quanto sanitati videtur esse propinquior, tanto ab ea fit remotior. Quod si medicus quasi clementor fuerit, vt quasi vnguentis & emplastris lenioribus omnia voluerit curare, tu age pro temetipso; & remedij fortioris & celerioris auidus, sanitatis ferrum require, cauterium exposce. Medicus tibi semper præesse est, paratus est.] Is non alius est quàm Religionis Præfectus, cui ex munere incumbere, Medicum agere, eóque nomine congruam condescensionem, & piam seueritatem loco ac tempore adhibitam insinuari, latè prosequor ea Tractatione cui titulus est, *Commonitorium vt sit moderatio quod dicitur*. Præclarè, etiamsi perpaucis, in hanc rem disserit Hugo Victorinus lib. de Medicina Animæ c. 9.

### *Medicinarum per Medicos Christo subiunctos, adhibendarum, classis triplex.*

1001 Cæterùm Archiater noster, non modò sibi subdelegauit eos quos hactenus dixi medicos, (præter Angelos, quos medicorum item titulo, sub hoc magno medico, insignit Origenes homil. 2. in Ierem. annuente Petro Blesensi serm. 33.) sed etiam facultate amplissima, varias medicinas ad quodlibet morbi genus depellendum conficiendi instructos esse voluit. Sunt eæ medicinæ in triplici ordine. Quasdam, dirigentibus & excitantibus medicis, conficiunt ipsi qui recipiunt; nec sunt aliud quàm eorum actus, præueniente quidem & iuuante diuina notione gratuita eliciti, non tamen vlla præterea fœtu virtute supernaturaliter actiua, & sanctitatis, siue sanitatis animorum causatiua, vltra mensuram, quæ operibus nostris iuxta perfectionem eorum correspondet: quod passim vocant, producere gratiam ex opere operantis. Aliæ per medicos ipsos fiunt, nec aliud continent quàm industriam medentium, & operam, non exclusa tamen diuina ope, industriam illam promouente: Nimirum prædicatio, & propositio verbi Dei, quæ externa quidem gratia est tantùm, sed eam tamen sæpè Deus promouet, aperiens corda audientium. Postremo loco colloco medicinas illas, quæ ita sunt actus medicorum ex Christi institutione operantium vt simul supra vim actuum ab homine operante profusorum, consertam habeant efficacitatem conuehendi gratiam, ex opere (vt vocant) operato: hoc est ratione operis à Christo ipso eliciti, cuius meritum intra illos actus veluti conclusum, dimanat ad recipientem nullo obice præpeditum, etiamsi nihil præterea operetur, quo gratia concilietur, sed tantùm gratiam inde progerminaturam, velit admittere; eámque leuiculam sui aptationem quæ à Christo deposcitur, adhibere non renuat. Primus & secundus medicinarum ordo, non ita relictus à Christo est in medicorum quos sibi subdelegauit facultate, vt non præcesserit statum Christianissimi. Imo iis qui ante Christum vbiuis terrarum omni tempore ægrotarant, non est alia ratione prospectum. Idcirco tamen visum est, de eis hîc non tacere, quia post Christum, superabundante gratia, eliciuntur multo facilius atque præstantiùs; cum anterioribus temporibus in maiore quàm nunc parcitate cœlestis roris, ægriùs atque operosiùs adhiberentur.

### *Prima, actuum ab ægro eliciendorum, regente Medico.*

1002 Pertinet ad primam classem, præscripta ab Hildeberto medica formula, datis ad ægrum quendam Præsulem literis, quæ malè nuper inter Fulberti epistolas sunt collocatæ num. 116. [Quiddam (inquit) ex SS. Patrum, coëmptis, sicut pollicitus sum, medelis, quo reuoceris ad salutem, procurabo. Sed hæc procuratio nil tibi proderit, si priùs vulneri quo ad mortem infixus es, satisfactionis medela non subuenerit. Quo, vt dico, per satisfactionem sinnato, tumores illicò superbiæ, contemptionis & præsumptionis quos in tuam animam induxisse suspicor, falce discretionis amputabis. Deinde amputationis illius vulneri recentia, ne aliquam aliam passionem generent, pœnalis cauterio timoris vstulabis; quam vsturam ne frigus impietatis tangat, charitatis ardore, & oleo fouebis misericordiæ. Quod si ita feceris, & superbia illa quæ instigante responsa in me tam torua iaculatus es, & contemptio, qua meum interdictum parui pendis, & præsumptio, qua excommunicatus ad sacram celebrationem accedis, peribunt. Et rationalis pars tuæ animæ, magna ex parte ad incorruptionem reuertetur. Post hæc autem, has virtutis species, humilitatem, patientiam, & obedientiam, in vnum melle diuinorum eloquiorum confices, & in buxulla tuæ mentis, hoc antidotum diligenter recondes; vnde quotidianam tua anima diætam sumens, non solùm has pestes in perpetuum non germinabit, sed etiam à cæteris omnibus incorrupta fulgebit.]

Non dissimile Pharmacum ex Cassiano (vt fert titulus,) præscribitur ægro Monacho apud Tilmannum ad calcem interpretationis homiliarum S. Chrysostomi in Psalmos, quod se ex Græco interpretatum prodit Tilmannus. Sic autem ibi habetur. [Qui vitam exercebant Monasticam Sancti Patres dicebant; quia præteruntium obiter vnus aliquis exercitatione Monachus denarrasset, se ex itineris diuerticulo in officinam contendisse cuiuspiam medici, vidisséque numerosam turbam laborantium varia morbi specie, qui se eò conferrent. Medicus proinde pro qualitate morborum, accommoda cuique & opportuna adhibebat remedia. Ingressus igitur Monachus & salute dicta medico, astitit iis propior qui curandi aduenerant. Acceptaque mox salute, Medicus subiecit, quâ, quæ ò te, gratia Pater ad nos venisti? Cui Monachus, Estne vspiam vlla in herbis, cuius vis efficax adeò sit, vt delictorum numerosam multitudinem possit inducere & abolere? Sanè est, ille respondit. Hinc à me facessito Pater, radicem tibi decerpe inopiæ spiritualis, patientiæ insuper folia seligito florémque humilitatis, permixta hæc

hæc & in mortario trita, cribro impone obedientiæ bonorum discretori. Ad eum deinde modùm probè cribrata, deponito in tuæ ollam conscientiæ. Vide vt his aquam superfundas lachrymarum. Ea ipsa conserito concordia charitatis. Ad hæc fac subtus accendatur flamma cœlestis desiderij. Simul atque miscella istius medicamenti commodè efferbuerit, ex olla eam exhauri, dimittens in catinum discretionis, ac flabello diuentila debitę gratiarum actionis. Salutarem hanc domis, sumito per cochlear sancta compunctionis, pérque confessionem pressius extergitor: Hoc sanè pacto, exinanies tuorum multitudinem peccatorum.] Videsis aliud eiusmodi Pharmacum, (syrupum vocat,) fusè descriptum à Ripa Tract. de peste §. vltimo à numero 1.

1005 S. Bernardus serm. 10. & 12. in Cant. triplex vnguentum huius ordinis, ad ægrorum curationem ab ipsismet confectum, egregiè describit his verbis. [Pono diuersas species vnguentorum, quò ex pluribus ea quæ potissimùm sponsæ vberibus congruant, eligamus. Est vnguentum contritionis, & est vnguentum deuotionis, est & pietatis. Primum pungitiuum, dolorem faciens. Secundum temperatiuum, dolorem leniens. Tertium Sanatiuum, etiam morbum expellens. Nunc de singulis latiùs disseramus. Est ergo vnguentum quod sibi conficit anima multis irretita criminibus, si cum incipit cogitare vias suas, colligat, congerat, conterátq; in mortariolo conscientiæ, multas ac varias species peccatorum: suorum, & intra æstuantis pectoris ollam, simul omnia coquat, igne quodam pœnitentiæ & doloris, vt possit dicere cum Propheta; *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Ecce hoc est vnũ vnguentum, quo anima peccatrix suæ conuersionis primordia condire debet, plagísque suis recentibus adhibere. Primum namque sacrificium Deo, spiritus contribulatus. Quamdiu ergo non habet tanquam pauper & inops vnde sibi melius ac preciosius componat vnguentum, non negligat parare interim istud, licet de vilibus speciebus quia *Contritum & humiliatum Deus non despicies*.] Et inferiùs. [Sed est vnguentum tanto isto profectò pretiosius, quanto de melioribus compositum speciebus. Huius siquidem species ne longè quærantur, penes nos & absque difficultate reperimus, ac de nostris hortulis talium perfectè copiam tollimus quotiescumque necessitas poscit. Quis enim non satis, de proprio cum vult, ad manum habet iniquitates & peccata, si non dissimulat? Hæ autem sunt, (sicut recognoscitis,) species vnguenti primi quod iam descripsimus. At verò secundi huius aromata, terra nostra nequaquam profert, sed procul & de vltimis finibus ea nobis conquirimus. Nempe *Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum*. Fit enim vnguentum istud de diuinis collatis humano generi beneficiis. Felix qui ipsa sibi studiosè colligere, & ante mentis suæ oculos digna cum gratiarum actione curat. Profectò cum fuerunt in vasculo pectoris pistillo crebræ meditationis contusa atque contrita, deindéque igne sancti desiderij simul decocta omnia, & demum impinguata oleo lætitiæ, erit vnctio longè pretiosior excellentiórque prioribus.]

Denique serm. 12. [Et vnguentum quod ambobus longè antecellit, & hoc appellauerim pietatis, eo quod fiat de necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentium & postremò de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiam si fuerint inimici. Despicabiles videntur species istæ, sed est super omnia aromata vnguentum quod ex eis conficitur. Sanatiuum est. *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Igitur multæ miseriæ collectæ, atque oculo pietatis inspectæ, ipsæ sunt species ex quibus vnguenta optima componuntur, sponsæ digna vberibus, sponsi sensibus grata. Felix mens, quæ talium collectione aromatum, sese ditare & impinguare curauit, infundens ea oleo misericordiæ, & ardore decoquens charitatis.]

Pertinent quoque ad hunc classem primam medicinarum, quæ ægris ad animæ curationem ex analogiâ curationis corporum, sibimetipsis adhibenda præscribit S. Basilius ad q. 55. fusarum. Tractans enim cur Deus morbos corporum crassioribus remediis depelli per nos velit, causam petit ex eo quod [Formulam nobis tradere voluerit quam in curandis nostris, animi vitiis imitemur. Vt enim in corporibus necessariò & demi illa debent quæ superuacanea sunt, & quæ absunt apponi: sic idem quoque nobis in animis nostris seruandum est, vt quæ aliena sunt scilicet amandemus, & quæ idonea ascíscamus. Siquidem fecit Deus hominem rectum & ad bona opera creauit nos, vt in illis ambulemus. Et quemadmodùm in iisdem corporibus, secari, vri, & potiones amarissimas sumere incolumitatis ipsorum causa, non recusamus, sic in animis quoque, secantia cum obiurgamur, verba, amaræque pro ipsorum salute increpationum medicinæ, accipiendæ sunt, quod iisdem iis qui emendati non erant, Propheta obiectat, cum dicit, *Numquid resina non est in Galaad aut medicus non est ibi? Quare igitur non est restituta sanitas filiæ populi mei?* Quin illud etiam quod quis in inueteratis morbis, non nisi ex longinquo tempore, variisque & iis dolorem facientibus medicamentis sanitatem expectat, indicio est, vitia similiter quæ in animis nostris inueterauerint, assidua oratione, & diuturna patientia, & acerrima animi contentione quæ ad sanitatem adipiscendam ratio sufficere nobis ostenderit, à nobis curari oportere.]

Insignes planè, ex hac arte, & confectis ad hunc primum modum medicamentis eximios animorum Therapeutas, beatos Apostolorum Principes, exhibet Eucherius serm. de eis, sic præter cætera eos exornans. [Putares duos medicos cœlo lapsos qui officinam sanitatum aperientes, diuerso nossent genere, variis opem ferre languoribus. Aliorum oculis incredulitate cæcatis, ac nubilo infidelitatis hebetatis, iucundissimam claritatem infusam, fidei face reddebant. Aliorum auribus quæ ad vocem Christi obsurduerat, auditum mirabiliter imperabant. Aliorum interiores venas, carnalium incentiuorum febribus æstuantes, prædicatione, & coelestis refrigeriis irrorabant. Ex aliorum visceribus, malitiæ, superbiæ, iracundiæ saggitas, ac diuersorum iacula peccatorum, à Diabolo inflicta euellebant, curantes adiutorio diuinitatis omnem languorem, & omnem infirmitatem. Ac sic per

verbum

verbum sobrietatis, euacuantes omnem crapulam veterum passionum, æternæ vitæ sitim, indigestis, ac defæcatis mentibus imperabant, & temperato poculo cœlestis antidoti, obliuionem præsentium, & futurorum desiderium propinabant.] Hæc tametsi aliqua ex parte ad sequentis classis pharmaca pertinent, tamen præcipuè ad classem primam propositam sunt referenda; quandoquidem omnia propè remedia quorum interuentu Sanctos Apostolos sanasse docet Eucherius, continentur actibus supernaturalibus ægrorum, sibi ipsis per eos actus medicinam facientium ex præscripto diuinorum illorum Therapeutarum.

### *Classis altera, Pharmacorum, constans Medicorum actibus circa Dei Verbum ægris applicitum.*

1004 Secundæ classis propositæ medicamentum, S. Chrysostomus l. 4. de Sacerd. cap. 3. tanquam vnicum in Dei Ecclesia ad ægritudinum depulsionem suppetens memorat. Nimirum quia sermo illi est, de pharmacis quæ sunt partus industriæ Sacerdotum curantium. [Certè (inquit,) humana corpora curantibus, diuersa suppetunt medicamenta. Itémque & instrumentorum apparatus varij, & cibi ægrotantibus congrui: plerumque autem & sola aëris natura satis fuerit ad sanitatem laboranti restituendam: aliàs etiam somnus qui opportunè obrepserit, medicum ipsum labore omni leuat, liberatque. At verò hîc, nihil huiusmodi comminisci licet, sed vna quædam post operum præstationem ars, accurationis via tenenda sequendáque est: nempe per sermonem euangelicum doctrina. Siquidem hoc demum instrumentum est, hoc cibus, hoc aëris temperamentum optimum; hoc medicamenti instar, hoc ignis loco, hoc ferri vice: ac si vel vrere, vel secare opus, hoc ipso vti necesse: atque hoc si nihil profuerit, reliqua omnia euanida pereant oportet. Hoc & iacentem animam suscitamus, & tumescentem compescimus: hoc & superuacanea amputamus, & quæ desunt supplemus, cæteráque omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatem.]

Egregiè in eandem sententiam Orig. hom. 1. in psalm. 37. *initio*. [Creator (inquit,) humanorum corporum Deus, sciebat quod talis esset fragilitas humani corporis, qui languores diuersos posset recipere, & vulneribus, aliisque debilitatibus esset obnoxia, & ideò venturis passionibus prouidens, etiam medicamenta procreauit ex terra, & medicinæ tradidit disciplinam, vt si accederet ægritudo corpori, non deesset medela. Quo nobis tendit ista præfatio? Ad animam fine dubio reuocatur. Quoniam & ipsam cum creator omnium condidisset, sciebat quod futura esset vitiorum capax, & ob hoc subdita atque obnerata peccatis. Et ideò sicut corpori medicamenta præparauit ex herbis, arte disciplináque compositis, ita etiam animæ medicamenta præparauit in his sermonibus quos per diuinas Scripturas seminauit atque disperfit: vt hi, qui aliqua ægritudini fuerunt oppressi, statim vt vim morbi senserint, atque alicuius vulneris stimulum dolorémque perspexerint, ideft, cum viderint animam aliquid præter naturam gerentem, requirant aptam & conuenientem sibi rationabilem disciplinam, quæ eis ex præceptis Dei possit mederi.]

Breuiter S. Augustinus concione prima in Psalm. 36. [Omnis morbus animæ habet in Scripturis medicamentum suum.] In Regis Simandis sepulchro quòd decem stadiorum circuitum complectebatur præter cætera planè admiranda quæ Diodorus Siculus aliique exhibuerunt erat Bibliotheca omnis generis libris instructa, cum hoc Epigraphe, iam superiùs ex Diodori lib. 1. adducta: *animi medicamentum*. Neque hoc medicamentum desiderari ab ægris, quos curandos suscepit passus est Archiater noster. Quanta in Ecclesia supellex librorum? Siue Canonicos vtriusque instrumenti libros, siue Patrum scripta diuino afflatu edita spectemus, erit quod abundantiam in hac parte nostram suspiciamus. Quam sollicitè ægris animabus prouiderunt ex hoc capite curatores animorum?

### *Classis tertia pharmacorum ex ipsiusmet Christi opere, continens Sacramenta.*

1005 Tertia pharmacorum classis, continetur Sacramentis nouæ legis, quæ in Ecclesia statione medicinæ Christi, (vt cum Origene suprà loquebamur,) præstant ad quorumuis ægrorum curationem. Et idem pulchrè prosequitur Autor altercationis Synagogæ Eccles. cap. 8. Quanti verò sint hæc pharmaca, intelligi poterit, si eorum necessitas, vtilitas & facilitas perspiciatur. Quæ enim medicamentum aliquod depreciant, & reuocant ab eius vsurpatione, non alia videntur esse, quàm quòd sanitas absque eis possit parari, vel quod ad sanitatem non multùm credantur collatura, vel quod aspera supra modum & acerba sit eorum vsurpatio; siue ob insuauitatem, gustus aut tactus inimicam, siue quia nimis carò væneunt, quod aliquibus supra omnem amatorem insuauiter sapit. Penes hæc incommoda, auocantur sæpè ægri à medicinarum nostratium vsurpatione. Audi Arnulphum Lexouiensem epist. 4. [Habent medicinæ remedia, nescio quid abominandæ malignitatis admistum; & ne gratis conferant omne beneficium, semper adiuncto maleficio recompensant, vt etiam eum profuerint indigniùs vlciscantur.] Et mox de austeritate & seueritate medicorum, & medicinarum quas adhibent. [Ad recidiuum, medicus paratam dicit esse materiam, ideóque studium subtilioris obseruantiæ scrupulosus imponit, ruptisque labiis, & lingua palpitante, tanta potum tribuit parcitate, vt sitim potiùs irritare, quàm compescere velle cedatur. Illud enim hominum genus quadam austeritate semper notabile, arti suæ reuerentiam, sola seueritatis exhibitione conquirit, & quasi de benignitate vilescere, infamat omnia quæcumque miser patientis appetitus exposcit. Vtinam quod ad victualia pertinet, idem nobis vsus & abstinentia præberetur, vt suspicionem communicatio tolleret, & fidem pietas confessionis augeret. Ad hæc defectum imperitiæ suæ, culpæ semper ægrotantis adscribunt, vt æger & inedia pereat, & calumniæ contumelia crucietur. Denique ad meritedis augmentum sententiosis sermonibus incedentes, gratam sibi misericordiæ diuinæ præcipiunt,

cipiunt, vt quod miseratio diuina contulit, de eorum videatur diligentia prouenisse. ] Ob prædictarum causarum quampiam, & vt suam erga Deum fiduciam contestarentur sancti plerique, ab omnium medicinarum vsurpatione abhorruerunt, cum ægrotarent. Sanctos Macarium, Ephrænum, Macrinam, Euphrasiam, aliósque nonnullos alibi in eam rem produco. Abstinentiam à pharmacis in noua lege, per medicos à Christi sibi sub delegatos confectis, nihil plane est quod honestet. Non defectum necessitatis, aut vtilitatis, vel facilitatis causari licet.

### *Huiusmodi Medicinarum necessitas.*

1006 Et quoad necessitatem quidem, tametsi non est omnium huiusmodi medicinarum eadem ratio, tamen constat aliquas tanta necessitate exigi, vt absque earum vsurpatione, sanitatem sperare non liceat. Verbi gratia, infanti quem parentalis morbus adhuc occupet, nemo salutem spondere potest, absque præscripto Ecclesiastici fontis balneo. Quinetiam adultum ægritudine illa sordentem, cui sit sacrorum illorum latium copia, salute excedere necesse est, nisi iis perfundatur. Idémque eam sacram intinctionem, voto saltem, id est animi destinatione implicata in exquisita ad Deum obuersione vsurpare adigetur, si desit eius intinctionis reipsa vsurpandæ, facultas. Nec alia ratione S. Ambro. suum in charissimorum pignorum Gratiani & Valentiniani ante baptismum acerbo funere, mœrorem lenire valuit, quàm quod illis baptismus, non ipsi baptismo defuissent: Certus perituros omninò fuisse, nec regni aditu, ex Christi edicto donandos vnquam, nisi medicatas baptismi aquas voluntate saltem, (cui apud Deum facti merces rependitur,) adiissent. Intelligebat hoc Archias ille cuius meminit Nyss. orat. in differentes Baptismum. Is moriens absque percepto baptismo, exclamabat. [ Montes & syluæ baptizate, arbores, & rupes, & syluæ date gratiam, ] intérque eas voces emisit spiritum: quod resciens ciuitas (inquit Nyssenus,) magis talem eius exitum defleuit, quàm casum belli quo premebatur à Barbaris: ad eos enim explorãdos, exierat. Et quamuis voluntas baptismi, (vt dixi,) poterat sufficere; tamen quia ea voluntas non est nudum desiderium perceptionis sacramenti, sed voluntas plenè in Deum conuersa, & parata huic quoque Dei mandato de baptismi susceptione parere, si facultas suppeteret; ea verò voluntas non ita facilè concipitur, sempérque dubitare licet an sit conuenienter concepta, propterea tantus & illi Archiæ, dolor ex negato reipsa baptismo; & vbi mœror, ex eius incommodo & periculo.

De Sacramenti pœnitentiæ medicina, quoad illos adultos qui iam expiati atque sanati, macularint nitorem primum, eadem omninò est ratio. Nam æquè constat retineri, ideest non sanari graues ægritudines animorum, quas hos pharmacum non depulerit. Nugæ ergo sunt, quæ iactata aliquando constat de Carolo Martello, absque hoc remedio S. Ægidij precibus sanato, à lethali infirmitate animi; quod erroris & impietati meritò notat Molanus lib. 3. de imag. cap. 37. Itaque videre licet, neminem in Dei Ecclesia, quantumuis sublimem, & siue temporali siue spirituali prærogatiua eminentem, in grauibus & simpliciter dictis animorum ægritudinibus, huius remedij vsurpationem, tametsi sensui insuauissimam, & cum maxima pudoris sauciatione coniunctam, posse defugere. Talia quippe interdum aperienda sunt animi vlcera & adeò abdita, vt Deo soli pateant; adeò fœda & putria vt cœli ab eis incestatio timeri possit, quorum euulgationem (ad vnius præsertim homuncionis conscientiam, apud quem benè audiat,) morte quis redemptam velit: & tamen sorbendum est amarissimum & insuauissimum pharmacum. Quæ mihi aduersùs sciolos, imò impios quosdam, aperta demonstratio videtur, ad ostendendum, non Ecclesiæ inuento, sed Christi ipsius Archiatri nostri ineluctabili institutione, indictum tanta necessitate esse, medicinæ illius vsum, ægris Euangelicis simpliciter dictis: hoc est grauiter laborantibus, & infirmitate ad mortem grauatis Alioqui si humana quantauis potestate, tam ardui, ac cum omnimoda superbiæ contritione coniuncti pharmaci vsurpatio, indicta fuisset; non est dubium, quin declinata fuisset, & infracta edicti vis, interposita appellatione ob prætensum abvsum vti assolet leuiores ob causas.

### *Earundem Medicinarum vtilitas immanens recipientibus.*

1007 Iam vtilitas horum pharmacorum, est longè maxima. Tametsi immanenter dun. taxat, id est non nisi recipienti, vtilia esse fateor. Nec enim placet noua quorundam prurientium ingeniorum commentatio, quibus persuasum est, Sacramenta nouæ legis aliis quàm recipientibus vtilia esse. Vnde in vsum inducunt frequentationem Eucharistiæ pro aliis, maximè verò pro defunctis, quibus affirmant singulare subsidium accedere, ex percepto pro eis tanto sacramento, per superstites. Sed hæc commenta ad Deum fabulinum sunt releganda. Neque enim plus prodest communicare pro alio, quàm pro alio confiteri, quod statim apparet ridiculum & inane. Vel quia sacramenta, vt medicinas descripsimus, non plus confert alteri sacramentum quod pro eo quis vsurpat, quàm medicina, quam quis hauriret pro alterius ægritudine. Cernitur quidem in accessu ad sacramentum, & ipsa sacramenti receptione, admistio nonnullorum actuum nostrorum quorum vis satisfactoria, transfundi ad alios potest, ex operantis beneplacito: Fas item est inter communicandum, vel suscipiendum sacramentum aliquod, orare & impetrare alteri quippiam; & potest tempus illud, esse ad fructuosè precandum valde opportunum, ob maiorem tunc dispositionem animi, & excitatum diligenter feruorem. Verùm neque ea satisfactionis transfusio, neque precatio, nomine applicati aliis sacramenti, venire potest, vt est per se manifestum sed quod nouitatis istius autoribus fucum fecit, non aliud haud dubiè fuit, quàm quod sacramenti Eucharistiæ, ( in quo solo ferè viget abusio de qua agimus, ) eandem esse rationem censuerunt, ac sacrificij Missæ. Quia ergo sacrificium Missæ, aliis præter sacerdotem fructuosum est ex opere operato, idem

quoque de sacramento Eucharistiæ, quod in sacrificio Christiano conficitur, pronunciarunt; absurdè profectò & valdè inconsideratè. Nam sacrificium publica actio est, & à Sacerdote offertur, vt à persona publica, pro omnibus constituta in iis quæ sunt ad Deum, ideſt ad placandum numen, gratiásque ei agendas, & exoranda vniuersis & singulis varia beneficia quæ omnia cessant circa sacramentum; ac proinde vanum est, & sini ac institutioni sacramenti dissentaneum, sacrificij dotes, ad sacramentum in eo confectum extendere. Hæc ego ne recitatu quidem digna censuissem, nisi nuper eum hoc nouæ pietatis figmentum conuellerem, vir bonus & in sacro suo sodalitio non postremus, rationum pondere deductus ad metam, arietem ex nescio quo breuiario de Arte amandi, temperasset in sententiam cui adhæsi, quasi paucarum Bertarum abusionem, & cuiuspiam inter illas gloccientis potiùs quàm res Theologicas ad scholæ seueritatem exigentis, autoritatem proferre, satis foret ad confundendum cum sacrificio, sacramentum.

Vtilitas ergo, siue efficacia ad conferendam animæ sanitatem, longè maxima est in sacramentis nouæ legis, veluti pharmacis ex præscripto Archiatri nostri, per suffectos & subdelegatos ei medicos, in ægrorum vsum conficiendis: quamuis ea efficacia, sistat præcisè in ægris, quibus admouentur huiusmodi pharmaca, nec per eos transfundi in alios queat. Sanant autem à quibusuis animi morbis licet desperatissimis, quicquid Nouatiani mentiantur. Neque verò, quæ tota vis est pharmacorum nostratium corporeorum, sanitatem solam per spiritualia hæc pharmaca accipimus ægri, sed etiam mortui restituimur vitæ pristinæ, etiam cum fœnore, & vitæ anteriotis cumulatione. Medici quidem corporum, mortuis suscitandis sunt impares, vt psalmo 87. tanquam exploratum ponitur. At medici spirituales, etiam vitam redonant, per hæc medicamenta: per nonnulla quidem, directè ac per se, quia in eum finem sunt instituta; cuiusmodi sunt, quæ dicuntur sacramenta mortuorum, baptismus scilicet & Pœnitentia: per alia verò quæ sacramenta viuorum appellantur, non nisi per accidens, quia quamuis instituta per se ac primariò sint, vt gratiam augeant, & ius ad certa auxilia præbeant; tamen cum contigit abesse gratiam primam sanctificantem, nec desiderari conuenientem subiecti aptationem ad sanctitatis receptionem; exerunt vim suam, & gratiam cuius sunt feracia conferunt primò, etiamsi per se, ipsam duntaxat cumularent. Rectè hæc vis mortuorum spirituum excitatiua per huiusmodi medicinas, adumbrata videtur in facto Elisæi 4. Regum 4. qui super puerum mortuum, quem seruus cum baculo præmissus curare nequiuerat, contraxit sese; & os ori, oculos oculis, manibus manus, membra denique omnia membris singulis pueri admouens, insufflauit in eum septies. Ita enim incubitum Prophetæ, cui septena oscitatio respondit, de insufflatione & spiratione in eum, accipiunt S. Gregorius 9. Mor. cap. 22. & S. Gregorium allegans Rupertus 4. offic. cap. 22. ac ante vtrumque Prosper. 2. p. operis de promiss. cap. 31. Ea porrò insufflatio, (quàm supra ex sancto Cyrillo vidimus ad rem medicam pertinere,) idcirco septies adhibita est, quod septiformis gratia sanans atque viuificans, per septem hæc pharmaca, ægris mortuisque animabus communicetur.

### *Quæ in iisdem Medicinis, præstantiores.*

1008 Cum autem huiusmodi viuifica facultas, & sanatrix efficacia, ad modum prædictum, in sacramentis omnibus nouæ legis cernatur, tamen luculenter splendet in iis quæ frequentiora sunt, ac si lubet quotidiana: hoc est in Pœnitentia, & Eucharistia. Nam pœnitentiæ sacramentum, malagma esse appositissimum ad depellendas animi infirmitates, Gerso egregiè notauit. Vnde illa superiùs memorata Tertulliani extremo libro de Pœnitentia, ac Paciani in Paræneſi, itemque Victoris Cartenensis, non minùs fortis quàm iusta concitatio, in homines animo ægros, salutis suæ adeò incurios, vt tanto pharmaco, quod ad manum est, vti fastidiant, cum brutæ animantes quos à naturæ hauserunt curandarum ægritudinum suarum rationes, sine mora arripiant.

Eucharistia verò quam immortalitatis pharmacum vocauit diuinus Ignatius, iure ab autore sermonis de cœna Dom. apud Cyprianum num. 9. vita animæ & sanitas mentis nominatur, ex fine in quem instituta est diuinitùs, & ex insignibus effectibus quos operatur in nobis, eo prorsus modo, quo Christus medicina nobis per Verbi Incarnationem factus, sanauit nos, per dissimilia atque contraria, vt supra philosophabamur cum S. Gregorio. Nam etiam Eucharistia est extensio mysterij Incarnationis iuxta SS. Chrysostomum atque Damascenum. [Ex quo à Domino dictum est (inquit prædictus apud Cyprianum autor, grauis profectò & insignis num. 5. *Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, & hic est sanguis meus*: quotiescunque his verbis & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutémque proficit, simul medicamentum & holocaustum, ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.] Et inferiùs. [Et nos quidem cum caro essemus & sanguis, corrupta & infirma corporisque animæque natura, reformari non poteramus, neque ad similitudinem Dei reuerti, nisi morbo inueterato, imponeretur malagma conueniens; & in curatione desperatæ infirmitatis, contraria remouerentur cótrariis, & similia similibus cóueniret.] Rursusque infra numero vndecimo. [Nobis itaque, pro quibus sanguis Christi oblatus est in Cruce, & quos reconciliauit Deo, omnes excedens victimas hoc sacrificium singulare, ipse Christus pincerna, porrexit hoc poculum; & docuit, vt non tantùm exteriùs hoc sanguine liniremur, sed & interiùs aspersione omnipotenti anima muniremur; & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid esset intùs ibi durum effugaret, & renouaret sanaretque quidquid morbi carni vel spiritui veteris vitæ adliniuerat corruptela.]

Spe

1009 Specialiter verò Rupertus lib. 2. de offic.cap. 10.præuisam docet in Eucharistia,medicinam grauissimo morbo nostro, lethargo inquam obliuionis depellendo.Sic enim scribit. [ Quia venerat eius hora, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, quia verum erat quod dicebat Discipulis,*quò ego vado, vos non potestis venire*; Et Petro dicenti, *Domine quò vadis? quò ego vado*, (inquit,) *non potes me sequi*; quia inquam non poterat eum tunc sequi, hæreditatem illis competentem scribens, visibilem sui memoriam commendabat. Non enim scripturarum solam commonitionem ad hoc sufficere iudicabat. Obliuiosum namque & ex magna parte indocilem, ægrotum scilicet genus humanum,curandum susceperat. Ecce videmus, eius quæ in sacris Scripturis est medicinalis disciplinæ difficultatem. Quota enim pars nostri capit illam, quæ in sancto Euangelio fragrat tam optimis vnguentis, antidotum illud quod in principio erat Verbum, Deus apud Deum, per quod omnia facta sunt, quodque caro factum est? Nam illud quidem ruminare, medela est probatissima,& dulcis faucibus amantis animæ; sed tantus cibus, valdè paucorum est. Præterea meditatio hæc solius mentis pabulum est,solius animæ sanctificatio est. At ille vtrumque, corpus nostrum, & animam sibi adstringere ardebat, vtrumque infirmum, imo vtrumque mortuum, immortalitatis medicamento sanare properabat. Magna igitur charitatis arte, pigmenta sua Dei sapientia composuit, quibus lethargicam magni ægroti mentem, renouata quotidie suæ salutis commemoratione,percelleret, & infantilium edentulam plebem animarum, quæ Verbi antiqui & æterni principij solidum non poterat terere & ruminare cibum, dulcissimo hoc liquamine confecto, Verbi eiusdem diuinitatem in panis & vini Sacramento sorbillare consuefaceret. Aufer à cœtu Ecclesiæ quotidianas Saluatoris nostri huiusmodi exequias, & vide quàm meritò dicat ipse saluator; *quæ vtilitas in sanguine meo*? Refrigescente enim ea, quæ hoc modo nunc vbique calet,eius memoria, refrigesceret vniuersa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticesset magnus ille clamor sanguinis iusti Abel, qui per traditum tanti sacrificij ritum, quotidie reparat vocem, quotidie laxat os bibentis & vociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ. ]

Planè cum moribus ille obliuionis, & spiritualis lethargus, superiorem animæ partem occuper, rectè dictum est à Laurentio Iustiniano lib. de Triumph. Christi agone cap. 9. *ferè initio*, Eucharistiam esse medicamentum partis rationalis; cum alia quædam sacramenta medeantur animæ provt inferioribus gradibus constitutæ: non quod omnia non habeant effectum suum in anima provt rationali; sed quod origo prima morbi cui medentur, sit ab inferiori animæ parte, indéque ad rationalem & superiorem dimanet. Alia quæ de hac ægritudinum nostrarum medicina habet S. Ambrosius lib. 5. de sactam.cap.4. missa facio. Sed non possum prætetire, quæ piè admodum in hunc modum disserit Gul. Paris. Tract. de Sacram. Euchar.cap. 2. *sub initium*. Monstrans ritum Christiani sacrificij,quem *Missam* dicimus aliud non esse, quàm medicinæ nobis à Christo paratæ, admotionem. Probat ergo Christum esse in Euchatistia substantialiter præsentem, [ quia oportet fidelem medicum, ægrum quem curandum susceepit, visitare quoties infirmitas requirit, & hoc est vnguentis & Medicinis quæ curationi eiusdem necessaria sunt, si possibile est,medico. Possibile est autem huiusmodi medico quicquid vult, & quicquid possibile est. Quia ergo tota Ecclesia sua,imo vnusquisque de Ecclesia sua,æger est; hoc est medicatione indiget,siue ad curationem,siue ad conseruationem, siue ad præseruationem, siue ad conuersationem, quem ad curandum mirabili miseratione susceepit, necesse habet, ad curandum ipsum quoties opus est venire: Opus est autem, quoties de medicatione eius agitur, & sanationis eius intenditur. Quia ergo ad hoc Missa agitur,& quicquid in ea fit; vt huiusmodi medicationis impendatur officium, & sanitatis beneficium;necesse habet Missæ officio interesse,& hoc in eo quod medicus, hoc est forma humana;& cum alabastro omnium vnguentorum spiritualium. Quid in cruce, factum est, hoc est humanitas ipsius, sicut legitur 14. Marci vel cum ipsa carne, quæ est cataplasma contra omnes dolores,& læsiones spirituales, sicut antidotum solidissimum atque firmissimum contra omnes humores noxios vitiorum: Et cum sanguine suo, qui est velut syrupus mulcebris atque dulcissimus; atque tanquam medicina liquida, valens contra omnes animarum languores & vulnera:quorum duorum virtutes, in ipsa Dominica Passione, potissimùm claruerunt, sicut etiam iam in prænominato Tractatu declarauimus. ] Nempe in Tractatu de causis cur Deus homo.

### *Tanta tertiæ classis Medicinarum, efficacia,à sanguine Christi.*

1010 En igitur verè insignem, & horum & aliorum legis nouæ sacramentorum, veluti pharmacorum, à cœlesti Galeno ægris mortalibus prouisorum, medendi vim & efficaciam: quam æstimare suis momentis licebit, si egestatem veterum sacramentorum, atque pauperiem illarum vt vocauit Apostolus iustitiarum carnis, hoc est sanctificationum carnalium, nec ad animam sanandam peruadentium, componamus cum nostrorum sacramentorum efficacitate, cui apud hebetes maléque consultos officit duntaxat externa facies atque simplicitas,vt Tertullianus probè monuit l. de Baptism. cap.2.questus è contrario, Gentilium mysteria, de suggestu & apparatu,déque sumptu,fidem & autoritatem sibi extruere.

Verùm cessabit admiratio,de tanta tam simplicium medicamentorum facultate, si spectemus eius radicem; quæ alia certè non est,quàm sanguis Christi, siue sumpto *sanguinis* nomine, ( vt passim contingit, ) pro opibus, labore ac sudore non exiguo comparatis, quo pacto omnia Christi merita à primo vitæ momento *sanguis Christi* dici possunt; siue pro martyrio in cruce, vbi sanguis Christi tanta largitate effusus est. Nam hinc maximè, ditata Sacramenta, argumento est, quod passim Patres Sacramenta ex perfosso Christi latere manasse docent: vt quoniam mulier è latere educta, morbis nostri ac morti fecerat principium, ex Christi latere fiat medela; iuxta insignem D. Chrysostomi

ratiocinationem homil. de formatione Adæ *ad finem*. Christi igitur sanguis in Sacramentis nostris veluti inclusus, tantam efficacitatem illis conciliat: voluit enim Christus, vt quæ merita nobis per totam vitam pepererat, & morte consumarat, iis applicarentur, qui externa sacramentorum Symbola, dignè & ex præscripto tanti medici, vsurparent. Vnde quandoque factum, vt sacramenta, veluti moralia sanguinis, (id est meritorum sanguine consumatorum,) receptacula, iisdem nominibus cum ipso sanguine appellentur. Quale nominatim est, quod Nazianzenus orat. 42. *in fine*, demiretur, in manæ salutis miraculo exiguas cruoris guttas, orbem vniuersum instaurasse, & idem quod lacti coagulum factas, hominibus præstitisse, vt in vnam religionem coagmentarentur; Ab Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 11. eodem *coaguli* nomine donantur Sacramenta, quibus iunctos & consociatos in vnum religiosum cultum mortales æquè docet. Ex quo liquet de sacramentorum nostrorum & sanguinis Christi affinitate, imo morali identitate, quatenus Christi sanguis his veluti vasis concluditur ad modum explicatum. Confirmatúrque vulgaribus symbolis, sunt enim sacramenta, oleum illud & vinum, quibus affusis Samaritanus, semiuiuum in via iacentem curauit. Ita enim ea Symbola interpretantur Patres, & passim cum Magistro Scholastici, initio quarti Sententiarum. At oleum illud per septem candelabri Ecclesiastici Lychnos, à Zacharia descriptos permanans, à summa lampade Christum referente, eiúsque sanguine, per septem veluti tubos transmissio, derivatur; vt alio loco diximus, agentes de Symbolo lucernæ ad Incarnationem aptato. Vnum item è cella vinaria, id est Ecclesia, depromptum, ex botro mystico qui Christus est in crucis torculari expressum, & doliis sacramentorum immissum fuit, de qua allegoria fusè superiùs. Cum igitur hæc sit origo efficaciæ sacramentorum nouæ legis, nemo illam mirari iure potest, tantam támque insignem esse.

### *Facilitas adè efficacium pharmacorum.*

1011 Extremam circa Pharmaca hæc Euangelica considerandum proposueram, facilitatem; quæ in tanta eorum efficacia est sanè admirabilis. Difficultate enim corporalium medicamentorum, quæ vel eorum caritate, & immenso pretio, vel horrore & austeritate vsurpationis continetur, omnino vacant hæc sacra pharmaca. Non possunt sanè ob horrorem fastidio ægris esse sacramenta nostra. Baptismi consideratio, sit instar omnium. Diuisiones gratiarum, variis sacramentis assignarat S. Bernard. serm. 1. in Cœna Dom. & Baptismo peculiariter assignarat gratiam remissionis peccatorum. Tum subdit. [Huius quidem gratiæ sacramentum, priùs erat circumcisio, vt originalis rubiginem culpæ quæ manauerat à parentibus primis, cultellus eraderet: sed veniente Domino, qui agnus est totus suauis & mitis, cuius iugum suaue est, & onus leue, optimè satis mutatum est, vt inueteratam rubiginem cum vnctione sancti Spiritus aqua dilueret, & acerbitas illa cessaret.]

Sed neque medicinæ nostræ, possunt ob impensam abiici; quod enim egregiè considerauit S. Chrysostomus hom. 2. in psalmum 50. ad illud, *amplius lauame*, Deus pharmaca nobis proiuidit, ad quæ nos quidem aliquid conferre voluit, ne sanatio nostra nobis esset ingloria, sed quod per nos ad medicamenti confectionem conferri vult, leuissimum sanè est, ac propè nihil, voluntas videlicet recipiendi, & aliqualis aptatio; ac etiam circa paruulos libertate & rationis vsu destitutos, neutrum postulat. Hoc sanè est, quod Propheta, in sortem fœlicissimam legis nouæ intentus, prænunciauit cum dixit, fore vt salutem absque argento, & absque vlla commutatione emeremus. Nam eam quidem emimus, quia habita ratione meritorum Christi in sacramento inclusorum, non accipimus gratis sanitatem animæ, sed eam immenso pretio emercamur: quantum verò ad nos attinet, cum dispositio quæ à nobis præcisè exigitur, impar sit saluti quæ rependitur, pro nihilo salui simus, ac ex opere non nostro, sed iam per Christum posito, & operato, vt vulgo loquimur expressiùs ac signantiùs, quàm congruentiùs ad legem Grammaticæ, quæ vocem illam passiuè non sumit. Ita tamen sumpsit Apostolus, cum fidem dixit *operatam*, idest producta per dilectionem. Opus igitur cui gratia in sacramentis rependitur, Christi est, non nostrum: eiúsque rei argumentum esse potest, quod bonus minister, sacramentum non efficiat melius, nec malus minister, sacramentum inutile reddat, vt Algerus lib. 3. de Euchar. cap. 2. pulchrè obseruauit. Quid verò faciliùs quàm aliena ope & impendio, conciliare sibi tanta bona? Et alteri quidem, denorandam finere difficultatem, in fructibus verò omni difficultate liberis, morum suauitatem haurire? Hac summa facilitate sanitatis animorum, caruerunt sacramenta antiqua, quæ *egena & vacua elementa*, vocauit Apostolus, quod tantùm sanarent, vi contritionis aut dilectionis super omnia concomitanter adiunctæ, qui sunt actus valdè negotiosi, & formatu difficiles, sed Christus antiqua medicamenta est medicatus, vt ait S. Augustinus in psalm. 57. Quam ego legis nouæ prærogatiuam quoties recogito, non possum satis admirari supinitatem eorum, qui animorum curationem adeò in promptu positam, morantur adhibere, quasi difficilem & operosam, cum tamen sit expeditissima, & verè de fonte patente hauriatur. Vt liceat præfectò iisdem verbis, tantam ignauiam, ne dicam stoliditatem vrgere, quibus olim serui Naaman, indignabundum aduersus præscriptam ab Elisæo curationem, Dominum suum stimulasse referuntur 4. Reg. 5. *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras, quanto magis, quia nunc dixit tibi, lauare, & mundaberis?* Hoc est, cum rem tam facilem ac propè nullam indixerit.

1012 Hæc potissimum pensari & recogitari ab ægris spiritualibus oportet, ne morbis animæ correpti, quasi resina non sit in Galaad, & medicus non sit ibi, abiiciant semetipsos, & desperati ægri fiant, deserendi à curatore: quod quàm graue periculum sit, & quomodò contingat, tradit præclarè Origenes homil. 2. in Ierem. Cauendum tamen ne medicamentorum prædictorum efficacitate & facilitate

cilitate summa confisi, diæteticam vitæ rationem negligant. Itaque vsu Sacramentorum tanquam pharmacorum suppositio, imitandi in super ægris spiritualibus sunt, ægri corporalis, nominatim in victus ratione mutanda. In quam remegregiè Greg. Nyssenus oratione de pœnitentia his verbis. [Non est consentaneum, vt qui se ægrotare confitetur, eadem victus ratione vtatur, qua vtuntur illi qui prospera sunt valetudine. Alius enim ægrotantis, alius valentis est viuendi modus. Nonne vides quanta sit inter ægrotantem, valentémque differenta sensu percepta? Ille pro arbitratu suo viuit, quocumque vult, proficiscitur, & omni officio, & munere liberè fungitur: hic autem in angusto iacet cubiculo, procul ab omnium consuetudine, omnibúsque negotiis remotus. Agriculturam omittit, licet illius antea esset studiosissimus. Cumulandæ pecuniæ curam abiicit, quamuis ad rem, vti mercator, iam esset attentior. Qui conuiuiis olim magnificis & Sybariticis delectabatur, aqua nunc & panis frustulo vescitur, non liberis oblectatur, non vxoris vtitur consuetudine: illi die noctúque res est cum medicis, quos magnis præmiis accersit, vt eorũ opera conualescat. Hæc, qui corporis morbo laborat: Tu verò cuius animus æger est, cur non ad medicum animorum properas? cur non ei confitendo morbum ostendis tuum? Quid pateris, vt depascatur, vt superet, vt inflammetur? Tandem aliquando resipisce, ac teipsum nosce: Deum offendisti, procreatorem tuum irritasti, eum qui & præsentis vitæ potestatem habet, & futuræ dominus ac Iudex est. Delitiis indulgens in morbum delapsus es: eum inedia & ieiuniis cura. Animus laborat incontinentia: adhibeatur temperantiæ medicamentum. Multiplici ac nimia pecuniæ cupiditate in febrim animi incidisti: liberalitate, & eleemosyna depellatur. Hæc enim est nimium expletæ mentis curatio.] Et post multa in eam sententiam, vt ingeminet fiduciam liberè se retegendi confessario; [Incertus est, fratres, terminus vitæ; discessum è vita, diligentia præuertamus. Absurdum enim est, cum illi, qui corporis valetudinis rationem habent, seipsos expurgent ante Caniculæ exortum, ne quod humidum in illis est, vehementi ipsius ardore corrumpatur, & morbos pariat: eos, qui animi curam gerunt, incertum mortis diem non anteuertere, & ardorem excruciantis illius ignis, qui æternùm comburit, & nullum vnquam refrigerium admittit.]

### *Sanitas hîc, adhibitis licet quibusuis pharmacis propositis, nunquam plena.*

1013 Cæterum quamuis & Christum Archiatrum, tantæ peritiæ ac industriæ, & secundarios sub eo medicos, quà cœlestes quà terrestres, tantæ efficaciæ medicinis instructos simus nacti, nunquam tamen hîc speranda nobis est perfecta sanitas, quamdiu in hoc communi veletudinario, (quod mundus est iuxta S. Bernardum) versari contigerit, sed hîc veluti aptari & disponi tantùm possumus, ad curationem plenam in cœlo perficiendam, vbi integra sanitas beneficio Christi medici consequetur, & prodetur quid sint operata hîc adhibita Pharmaca. Simile est, quod in morborum præsertim inueteratorum sanatione, à corporum medicis fieri deprehendimus. Nec enim subitò conciliant sanitatem; sed ahibitis longa cunctatione remediis; primùm quidem mitioribas, quibus paulatim ægritudinis acerbitatem leniant; deinde verò fortioribus, quibus planè euellatur morbus, & sanitas inducatur. Idem hîc nobiscum à medicis spiritus efficitur. Purgant enim nos, & malos humores, vel decutiunt, vel ad depulsionem disponunt, vt plena sanitas aliquando consequatur in cœlo; per Christi medici & administrorum illius industriam, confectáque ab illo pharmaca.

Non ago præcipuè de corporum hîc inualetudine; quanquàm illa quoque explorata est. Nec enim priusquàm hinc excedamus, sanitatem corporum, quæ quidem sanitas iure dici debeat, consequemur. Quod spectans Theodosius IV. vt in Miscella refert Theophanes, & ex eo Baronius anno 716. sepulchro suo ad scribi voluit eum titulum, *Theodosio sanitas*: significans nemini in hac vita, sed tantùm ex quo tumulum subiuerit, competere posse sanitatem, etiam corpoream. Nam illi ipsi qui se hîc valentes arbitrantur, morbosi plerumque sunt, imo letho proximi, quod S. Anselmus serm. de Beatitud. probat ex iis qui subitò exanimantur. Exempla profert pleraque Plinius lib. 7. cap. 53. Sed nihil est necesse, vetera aut exotica corrogare, cum prostent vbiuis, & vbique innumera. Quomodò ergo sani, qui illicò efflant animam? Quinetiam extra hos quoque infrequentiores euentus, vt S. Gregorius ad illud *factus sum mihimetipsi grauis*, pie admodùm & grauiter philosophatur. [Remotis febribus cessantibúsque doloribus, ipsa salus nostra, quæ vocatur, ægritudo est, cui curandi necessitas nunquam deest. Quot enim solatia ad viuendi vsum quærimus, tot nostræ ægritudini medicamentis obuiamus.]

Præiuerat S. Augustinus, cuius illud est perpulchrum serm. 74. de tempore. [Ne te, sanum putes. Hæc longa ægritudo est, quia quotidianis medicamentis, fulcis morbum tuum. Sanus tibi esse videris. Detrahe medicamenta, & vide quid poteris. Nam ex quo nascimur, necesse est vt moriamur. Morbus hic, necesse est vt ad mortem perducat.] Pergit demonstrare quod in quibusuis morbis etiam iis quos insanabiles vocamus, interdum fallit, vt in hydropisi, paralysi, elephantiasi, phtisi nunquam accidere in isto naturali morbo, vt vocat in Psal. 37. ad illud *non est sanitas in carne mea*. Et inchoari à nobis cum nascimur ægritudinem, quæ per totam vitam prorogetur, nósque tandem letho indeclinabiliter dedat, tradit lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 10. expendens illud Apostoli, *de corpore mortis huius*. In quam rem videndus quoque est 10. confess. cap. 31. & hom. 38. ex 50. & serm. 1. ac 102. de diuersis. Hîc homo totus, morbus est, vt habet Hippocrates Epistola ad Damagetum. Quando ergo vera sanitas, (ait S. August. serm. 74. de temp.) nisi quando vera immortalitas? Et in Psal. 55. ac serm. 1. de diuers. *in fine*, statuit vt exploratum, sanitatem perfectam non esse nisi immortalitatem, quæ alterius vita est propria. Idque in Psal. 37. ad illud, *non est sanitas in carne mea*, colligit ex Apostolo Rom. 8. affirmante, nos hîc exspectare redemptionem cor-

poris nostri, spe enim salui facti sumus; & in altera vita spem illam excipiet effectus, eritque ibi sanitas tota sine morbo, ait Prosper. lib. 1. de vita contempl. cap. 4. Ac proinde Dauid ex beatorum persona, vt S. Augustinus commentatur in Psal. 102. excitat animam suam ad benedicendum Deum qui redimens de interitu & coronans in miserationibus, (quod in cœlo tantùm præstatur;) sanat omnes infirmitates nostras. Ibi salus iustorum à Domino. Rectè *à Domino*, vt expendit S. Anselmus sermon. de beatitud. illo inquam Domino, cui idcirco sancti Apocal. 7. applaudunt *salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno*: non Deo salutem apprecantes, qua excidere nequit; sed profitentes, vnda sua ipsorum salus, qua in cœlo donati sunt, fuerit deriuata, vt Rupertus ibi benè admonuit. Illa est Regio *sanorum* atque *valentium* vt habet vita S. Aspionis fuisse à S. Vigilantio proditum. Ibi Deus per Christum fit salutare nostrum, ad quod toties Dauid suspirat.

Iam sanitas animæ, quæ infinitis propè partibus est pretiosior, estque primarius curationis Christi Medici effectus, desperanda hîc est, si agatur de perfecta & numeris omnibus expleta sanitate. Hîc enim *omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas, sed vulnus, & liuor, & plaga tumens*: id est omnes facultates nostræ, sauciæ sunt; vt Hiero. Isaiæ 1. paucis attigit, & plenissimè ac iusta tractatione prosequitur Richardus Victorinus. Ex posterioribus verò Guliel. Paris. Tract. de vitiis cap. 2. Vega toto lib. 2. in Concilium, Bellarm. lib. 6. de amiss. gratiæ à cap. 9. Vestonus lib. 1. de tripl. hom. officio, à cap. 15. Et intellectus quidem, in hac vita, laborat horrenda profunditate ignorantiæ, vt loquitur D. Augustinus 22. Ciuit. cap. 22. Voluntas verò scatet morbis, de quibus plenè actum in Morali dist. 4. num. 405. qui sunt languores, vt est apud Isaiam cap. 53. siue (vt apud Matthæum cap. 8. idem locus refertur) ægrotationes quas Christus tulit. Nam Christus, *cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est*. Illi ipsi infirmi, qui impij, vt Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 117. obseruat, & confirmat ex psalmo 15. vbi de peccatis multiplicatis dicitur *multiplicatæ sunt infirmitates eorum*. Verè multiplicatæ, nam quot sunt in nobis affectus, tot morbi; vt vox Græca apertè fert. Dicitur enim Græcè πάθη, idest *morbi*, vt notat D. Augustinus 9. Ciuit. cap. 4. Vnde liquet de morbis quoque appetitus sensitiui, in quo totidem proportionales & eiusdem nominis morbi huiusce modi, quo in superiori voluntate locum habent. Phantasiæ autem, quæ alia est facultas, tametsi corporea, tamen menti alligata, tanta est morbositas, quantam eius infrœnabilis nobilitas & irrequieta agitatio prodit, de qua Cassianus collat. 6. cap. 14. & collat. 9. cap. 4. & plenè Richar. Tract. 1. de statu inter. hom. cap. 8. 9. 10. quo Tractatu, de aliis quoque potentiis materialibus, earúmque contulneratione, egregiè disserit. Et vt morbi animæ non essent adeò perspicui ac reuera cuiuis sunt, suo & alieno experimento; certum tamen eorum argumentum petere liceret, cum Gulielmo Parisiensi lib. de vitiis cap. 2. ex fastidio bonarum animæ escarum, quo omnes in hac vita laboramus.

1015 Quare desperanda est in hac vita plenæ sanitatis adeptio, sed ad eam suspirandum est, per Christi medici operam, in altera vita. Ibi Christus, longè maiori iure quàm Antiochus ille apud Lucianum lib. de salutat. denominari *soter* poterit. Denominatum sic Antiochum ferunt, à tessera Græcum sanitatis nomen præferente, in pentagoni formam assuta vestibus suorum, ex Alexandri Magni per visum monitu. Christus quinario vulnerum suorum, longè optabiliorem sanitatem nobis contulit; hîc quidem in spe; reapse autem, & quoad plenam absolutionem, in cœlo.

Hîc tamen admouenda sunt Pharmaca, & præscripta à Christo medico, eiusque administris vitæ ratio, & curatio adhibenda, vt sanitas suo tempore consequatur. Vnde vnicuique nostrum dicitur, *vis sanus fieri*? Quæ enim summa est infœlicitas nostra, ne ipsum quidem medicum, (vt supra demonstratum est,) aduocare vtiliter possumus: sed ipse gratis nos præuenit, & pro nihilo saluos nos facit; ideòque nullis nostris meritis aduocatus, admouet medicinam, quam tamen à nobis sollicitatis atque inuitatis vult admitti, vt nostrum quoque ex parte sit decus, iuxta egregiam S. Gregorij Theologi doctrinam in Apol. Et aliquando quidem aspera nobis & acerba videntur quæ præscribuntur, quia nec grauitatem morbi satis attendimus, nec indictæ operæ tenuitatem, torpentes ignauia. Cum ergo Christus medicus non nisi perleuia & adhibitu ac seruatu facillima præscribat; indignus est sanitate suo tempore potiri, qui ab illis refugit.

## CAPVT VIII.

### *Christus Aduocatus.*

CHRISTVM inde esse aduocatum nostrum, vnde est medicus noster, ideoque titulum *Aduocati*, rectè subnecti titulo *Medici*, optimè vidit S. Gregorius 24. Moral. cap. 1. & 2. & 3. tractans illud Iobi, *Si fuerit pro eo, Angelus loquens vnum de similibus, vt annunciet hominis aquitatem, miserebitur eius, & dicet; libera eum, vt non descendat in corruptionem*. Quid quod apud Tertullianum lib. 4. in Marcio. c. 14. *aduocare languentes*, dicitur, pro *mederi*. Disertè porrò S. Ioannes Epistola 1. cap. 2. Christum nominat *Aduocatum*, dicens; *Filioli hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed est quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*. Quo loco abusum Fœlicem Virgelitanum, inde intulisse Christum esse adoptatum, perinde ac si idem sit *adoptatus*, quod *aduocatus*, refert Paulinus Aquilejensis in sacro Syllabo, *ante medium*. Hunc aduocatum, vt fert ius commune, prouisum nobis à Deo esse expensis nostris, prosequitur pulcherrimè Guliel. Paris. l. cur Deus homo c. 7. *sub finem*; addit verò l. de Euch. c. 2. hunc esse aduocatum non qualemcunque, sed quem vocamus *generalem*. Locum infra dabo.

Christus

*Christum Ioanni παράκλητον, non prout ea vox sonat consolatorem.*

1016 Moueri porrò dubitatio potest, quomodò vox *Aduocati*, sit accipienda eo Ioannis loco, quem in hanc rem protulimus. Nam in Græco habetur παράκλητος: quæ vox, alibi quoque Christo tribuitur, nempe Ioannis 14. cum dicitur, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis.* Nam si alium paracletum daturus erat Pater recedente Christo, manifestum signum est, Christum esse paracletum, vt rectè aduerterunt in eum locum S. Augustinus & S. Cyrillus, allegantes ad id locum propositum ex. 1. Ioan. 2. Ea porrò vox Græca quam duobus citatis locis haberi diximus, nempe vox *paracliti* duplici significatione fœta est vt notauit S. Gregorius hom. 30. in Euang. Significauit enim *consolatorem*, vel *adhortatorem*, aut *interuentorem*, qui precibus, aliave quapiam ratione, impellat alium ad præstandum aliquid.

Et quidem cum Christus Ioan. 14. donatur Paracleti nomine, significatur consolatorem esse, vt manifestum est ex capitis textura. Et est sanè Christus, consolator optimus, non autem de consolatorum illorum numero, quos Iob *oneroſos* nominat. Consolator inquam mœrentium omnium, quod de ipso in sua persona professus est Iob. Nec aliud ferunt quæ Christus de seipso affirmat, vocans se laborantium & onelatorum alleuatorem. In quam rem fusissimè disputat S. Augustinus serm. 24. de verb. Apostoli. Noëmum, quem interpretantur *quietem & consolationem*, fuisse Christi typum, cum alias ob causas de quibus plenissimè S. Augustinus 12. contra Faustum à cap. 14. tum nominatim ob prædictam nominis notationem, autor est S. Epiph. hær. 38. Sed & Isaiæ 61. in Christi persona, Propheta contestatur, se missum vt consoletur omnes lugentes. Et glossa ad initium libri secundi Esdræ; per Nehemiam, quem *Consolatorem* interpretantur, accipiendum docet Christum ad consolationem captiuorum, à Regis latere missum, de quo etiam Threno. 1. *depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem.* Et mox *longè factus eſt à me, conſolator.* De quo ibi Glossa consolator est Deus Messias.

Itaque peculiariter conuenit Christo functio consolandi, tametsi reuera totius propria Trinitatis: quod hoc modo docet S. Fulgentius sermone nouo 52. *initio.* [Paracletus Græco eloquio, consolator dicitur in Latino. Consolatus est pusillanimes Christus, habitans cum hominibus in homine Deus, susceptæ mansuetudinis magisterio, beneuolum fortitudinis suæ præbens infirmis auxilium. Consolatorem promittit Spiritum sanctum ne tristes discipuli remanerent post eius ascensum, qui cum ipsis maneat in æternum. O indiuiduæ operationis vnitas! O Filij & Spiritus sancti cũ Patre omnipotente cõsimilis & consempiterna potestas. Deum, Patrem esse consolationis, Paulus Apostolus prædicat, Ecclesiam Corinthiorum informans. *Benedictus* (inquit) *Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Pater totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* De Filio verò sequenti sermone subiecit, dicens, *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Ecce Pater consolatur, ecce similiter Filius consolatur, ecce Spiritus sanctus consolatur qui Paracletus nominatur. Quomodò à quibusdam sacratæ vnitas scinditur Trinitatis, quæ & indissociabilem possidet in dominatione virtutem, & in consolationis munere, communem adoptiuis exhibet charitatem? ] Origenes quoque hom. 3. in Cant. *ſub initium*, & filium & Spiritum sanctum, esse in proposito sensu paracletos, confirmat.

*Sed prout ſonat, cauſæ patronum.*

1017 Notio tamen vocis *Paracletus*, quæ de Christo enunciatur apud Ioannem 2. loco prolato, alia est; nec consolatorem, sed patronum designat, vt S. Augustinus ibi, & Tract. 102. in Ioan. rectè vidit, eóque sensu est hìc agendum de Christo paracleto, aut vt vulgatus ibi vertit, *aduocato.* In qua latina voce, cessat homonymia quæ in Græca voce *paracleti*, habebat locum. Neque enim vox *aduocati* significat consolatorem simul & patronum, sed patronum duntaxat, vt nunc quidem fert vsus receptus vel si placeat vsurpare antiquam Latinæ huius vocis significationem expressam ab Vlpiano lib. 1. §. *aduocatos*, ff. *de extraord. crimin.* & ab Asconio ad 1. in Verrem, quos producit Brissonius ad tit. de Verbo. Significatione, Aduocatus est, qui vel vis suggerit, vel præsentiam suam amico commodat pro more antiquo, aduocandi in iudiciis amicos omnes, quorum autoritate moueri posse iudices censebantur. Omnes hi, & eo quod in iudicium aduocarentur, *aduocati* dicebantur; & eo quod amico patrocinarentur, patroni erant iis præsertim quis ius suggerebat.

Et sub hac maximè ratione, Christo titulum aduocati hìc vendicamus, essèque Christo maximè debitum ex proprio munere huiusmodi titulum, latè prosequitur Driedo de captiu. & redemp. generis humanis tract. 2. cap. 2. parte 1. membro 3. prolatis variis Scripturis, in quibus causa nostra ventilari dicitur, Christo patrocinante pro nobis. Optimus locus est Ioan. 12. vbi Christus in passionis procinctu ait, *nunc iudicium eſt mundi*: ideſt, imminet hora, qua per mortem meam, feretur contra Satanam mundi principem sententia, & homo iusto iudicio ei eripietur: non per potestatem, sed seruato iustitiæ ordine, & causa discussa. Ita enim propriè accipiendum esse illud iudicium cuius Christus meminit, rectè notauit ibi Toletus annot. 12. Quia autem vt seruetur ordo iustitiæ, innocentis vel miserè oppressi causa, agenda est per aliquem aduocatum, qui firmamenta causæ agitandæ rectè peruadat, & humiliet calumniatorem; hanc in se personam, Christus nostri misertus, in nostra causa suscepit; & accusatorem pessimum, apud iustum iudicem, vniuerso causæ processu ritè exposito, conuicit iniustitiæ, & causa cadere fecit. Rectè porrò notat supra Driedo, ex eo quod Christus personam aduocati nostri agat, inde ortum esse, vt sæpè in Psalmis, & Prophetiis, inducatur Christus tribuens sibi quæ sunt hominis, in hoc iudicio rei. Eadem enim est causa rei, & aduocati qui rei patrocinium suscipit. Quod ad pleraſque scripturas commodè intelligendas, potest plurimùm conducere, vt Driedo admonuit. Et sunt quidem alij, pro nobis in cælesti curia aduocati. Sex recensent

&

& illustrat Richardus à S. Laurentio lib. 2. de Deip. particula 2. causa 14. sed præ omnibus metitissimò in Christum cadit hic titulus.

### *Varij modi aduocatum agendi in causa nostra, aptati Christo, & an per suummet nudum esse, patrocinetur.*

1018 Munus istud, commentarius sancto Thomæ tributus 1. Ioan. 2. tripliciter à Christo exercitum docet. [Primò ante passionem deuota oratione, Ioan. 17. *ego pro eis rogo*. Secundò, in cruce, sanginis effusione, vnde sanguis Christi melius quàm sanguis Abel dicitur clamare Hebr. 12. Tertiò post Ascensionem, cicatricum repræsentatione, iuxta illud Hebr. 9. *vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.*] Non diffiteor, hos aduocatum pro nobis agendi modos, in Christum cadere, idque mox aperiam. Sed aliquid esse prætermissum, vel potius minus distinctè expositum, contendo. Quod enim aduocatio Christi ante passionem, eò tota reducitur, quod Christus pro nobis orauerit, non est adæquatè dictum. Aliæ enim præterea fuere aduocationes Christi pro nobis; nempe totidem quod fuere actiones à primo concepti Christi momento, pro nobis elicitæ. Nam omnibus illis actionibus Patri oblatis, Christus causam egit. Imo plerumque Patres, velle videntur, ipsam assumptionem humanitatis esse aduocationem & interpellationem pro nobis. Sed hoc non est ita accipiendum, quasi substantia ipsa incarnationis, siue Christus in fieri, habuerit rationem aduocati. Id enim falsum esset. Nam tota ratio aduocationis Christi pro nobis, sita est in allegatione iurium nostrorum, & Patris per eam impulsione, vel inflexione ad miserendum. Ea autem iura, fundantur in Christi meritis, & liberè profusi satisfactionibus, quæ non possunt intelligi in nuda Incarnationis substantia, quæ est opus Dei solius, nec fuit aliquid Christo liberum, aut meritorium.

Quare Patres qui aduocationem Christi pro nobis accipiunt de miseratione in carnis susceptione, intelligendi sunt de satisfactionibus Christi, per carnem assumptam exhibitis Patri; ita vt velint, eam aduocationem & interpellationem Christi pro nobis, non tam in precibus Christi presse acceptis, (quamquam & in his quoque,) sitam fuisse; quàm in exhibitione satisfactionum per Deum hominem, in natura sua humana operantem pro nobis.

Sic intelligendus est S. Gregorius 22. Mor. c. 13. tractans illud; *Quis mihi tribuat adiutorem, vt desiderium meum omnipotens audiat.* In quem locum sic scribit. [Sciebat quippe quod ad requiem liberationis æternæ, humanæ preces nisi per aduocatum suum audiri non possunt. De quo per Ioannem Apostolum dicitur; *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* De quo Paulus Apostolus dicit; *Christus Iesus, qui mortuus est pro nobis immo & qui resurrexit qui est in dextra Dei: qui etiã interpellat pro nobis.* Vnigenito enim filio, pro homine interpellare, est apud coæternũ Patrem seipsum hominem demonstrare: eique pro humana natura rogasse, est eandem naturam in diuinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione, quia quod damnati in electis noluit, suscipiendo liberauit. Adiutor ergo quæritur, vt desiderium, exaudiatur: quia nisi pro nobis interpellatio mediatoris intercederet, ab aure Dei procul dudio, nostrarum precum voces silerent.] Et l. 24. c. 3. docens, Christum esse Angelum loquentem pro homine vnum de similibus, vt annuntiet hominis æquitatem, quibus verbis Iob. cap. 33. vsus est; addit. S. Gregorius, idcirco Christum, vnum de similibus locutum, dictum esse annũciare hominis æquitatem, quia nisi ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum appareret. Inde quippe annunciat æquitatem nostram, vnde suscipere dignatus est infirmitatem nostram. Omnes videlicet nos, inimica illa persuasio, in culpæ contagio ab ipsa radice polluerat, nullúsque erat, qui apud Deum pro peccatoribus loquens, à peccato liber appareret: quia ex eadem massa editos, æquè cunctos par reatus inuoluerat. Proinde venit ad nos Vnigenitus Patris: assumpsit ex nobis naturam, non perpetrans culpam. Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus interuenire potuisset: quia nimirum alienæ pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. Benè ergo dicitur: Quia in eo quòd similis apparuit, æquitatem hominis annunciauit. Interedens enim pro peccatoribus, semetipsum iustum hominem qui pro aliis indulgentiam mereretur, ostẽdit.] Plenissimè de hac æquitatis nostræ annunciatione per Angelum Christum, aduocatum nostrum, Rupertus lib. 1. de meditatione mortis à cap. 14.

1019 Eodem modo accipiendus est, qui pulcherrimè in eandem sententiam differit Hilarius Diaconus, creditus Ambrosius, in cap. 1. ad Hebr qui inde petit rationem, cur Incarnatio interdum *exercitus*, non sicut aliàs *introitus* dicatur. Tractat illud Apostoli, *& cum iterum introducit primogenitum*: quod ipse pro introitu accipiens, ait. [Paulus introitum Christi vocat assumptionem carnis; de qua ipse Dominus in Euangelio ait, *Exiui a patre & veni in mundum*: quo loco Christus, incarnationem suam, *exitum* vocat: quam Paulus hîc introitum nominat. Quærendum rerò est quare vnam rem diuersis nominibus Christus & Paulus nominare voluerint. Significationes quidem dictorum manifestę sunt, & secundùm quid dicantur, apparet Christum quidem meritò *exitum* vocat: foris enim eramus à Deo, sicut qui sunt extra regales aulas in vinculis colligati: & qui habent apud Regem pro culpis offensam. Huiusmodi quippe à regali aula foris excluſi sunt. Qui verò voluerit illis veniam impetrare, non primùm ipsos in aulam Regis introducit, sed ipse foras egreditur, ibique cum eis communicat sermocinandi negotium, vsque dum eos correctos reddat, & dignos efficiat, quò regis vultui repræsentari mereantur, sic enim Christus efficit. Egressus quippe ad nos, hoc est, carnem sumens & collocutus nobiscum, præcepta nobis intonuit. Et sic nos à peccatis emundans, & ad Deum conuertens in aulam regalem velut aduocatus optimus introduxit. Propterea ergo exitum vocat suæ incarnationis aduentum. Paulus autem introitum nominat, ex metaphora hæreditantium, & ius dominandi

minandi in aliqua possessione sumentium.]

In eundem item sensum, sumenda sunt illa Petri Damiani sermone 12. agentis de Christi aduocatione & postulatione; vt ipse ex formulis forensibus loquitur. [Conuenienter Patrem postulat, qui semper exauditus est. Nam & vulgo & vulgariter dicitur: securus vadit ad placitum, qui Patrem habet iudicem. De eò namque Pater dicit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Nam cum filius eiusdem substantiæ sit cum Patre, in natura quidem humana, quam sibi personaliter vniuit, postulat pro nobis, vel allegat proprium iudicem, & propositi sui desiderij nobis fructum reportat. Nec incongruè Patrem dicimus, cum in persona filij Propheta dicat, *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.* Et ipse filius: *Non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.*]

Sic item accipiendus est Nazianzenus orat. 36. ad Arrienorum obiectionem nonam, quam num. 52. refert, haustam ex illo Apostoli loco Hebr. 7. *semper viuens ad interpellandum pro nobis*; quam interpellationem, siue intercessionem, aut aduocationem, nihil dignitati Christi afficere, probat. [*Intercessionis* quippe nomen, non vt apud multos in more positu est, vltionis deprecationem habet (hoc enim, humilitatis quodammodò esset,) sed idem significat, quòd, pro nobis, mediationes ratione, supplicare. Quemadmodùm & Spiritus pro nobis intercedere dicitur. Vnus enim Deus vnus etiam mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Intercedit enim nunc quoque, vt homo, pro mea salute, quoniam cum eo corpore est, quod assumpsit: quoad me, humanitatis assumptæ vi atque potentia, Deum effecerit, tametsi non iam secundùm carnem cognoscatur, hoc est, Secundùm carnales affectiones, ac citra peccatum, nostrum. Eodem modo aduocatum quoque habemus Iesum, non vt nostra causa sese ad Patris pedes aduoluentem, seruilíque modo obiicientem. Procul sit ista seruilis sane suspicio, spiritúque indigna. Neque enim Patris est hoc exposcere, aut Filij pati: nec de Deo hoc cogitare pium atque æquum est. Sed ex his, quę humanitùs perpessus est, ad tolerantiam me, vt Verbum & exhortator, inducit. Sic ergo aduocationem hanc intelligendam arbitror.] An hæc cohæreant cum Christi oratione in cœlo, postea videro. Nunc illud vnum accipio, quod est in his verbis explora-tum, Christi aduocationem & interpellationem pro nobis, eandem esse cum Christi mediatione, quæ in profusis per incarnationem actibus, est constituta.

### *Christus, aduocatus noster, maximè in Cruce.*

1020 Quia tamen præcipui actus, quos pro nobis Deo obtulit verbum incarnatum, ij fuerunt quibus mortem crucis acceptauit, & sanguinem ac atrocissimæ mortis perpessionem Patri obtulit, túnque obsignata est aduocatio Christi pro nobis, ex vniuersis actibus satisfactoriis, quos pro nobis per totam vitam elicuit, indiuisibiliter contexta; propterea non malè Patres, aliquando aiunt aduocationem Christi pro humano genere, fuisse in cruce factam: quia ibi maximè splenduit satisfactio pro nobis; & tunc iuxta Christi verbum iudicium fuit mundi. Excito enim ad iudicium, Satana mundi principe, & misero homine, per Satanam iniuria oppresso, Christus de crucis suggesto causam nostram agens, deiectionem aduersarij à iusto iudice exorauit. Audi Euthymium in Psal. 15. [Gentes quæ olim, à Patre atque à Filio creatæ fuerant, & Dei figmentum dicebantur, discesserant, ab eo, & conuersæ ad Idololatrias, postremò ei per fidem iterum restituræ sunt. Hanc autem restitutionis gratiam, Filius in Patrem tanquam in principium refert. Aptissimè verò hic versiculus ad præcedentem interpretationem consequitur. Hac (inquit) de causa, tu es particeps hæreditatis meæ, & calicis mei, quoniam tu mihi eam restituisti. Et *hæreditatem* posuit priusquàm *calicem*, quoniam hæreditas mortis illa causa fuit. Nec tacenda nobis est quædam non inelegans de prædictis speculatio. Hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum & plasmatum, atque ideò hæreditatem Creatoris dictum, sub propriam redegerat Dæmon tyrannidem, & alienum mancipium sibi vsurpauerat: ad quem Dei Filius & hæres literas misit, scribens ei per Prophetas, hæreditatem illam repetens qua fuerat fraudatus. Et quia Dæmon continuè magis resistebat, & rapinam reddere negabat, hæres accepto Patris sui Testamento, ad raptorem descendit. Inter eos autem Iudex fuit Pater, qui condemnato raptore, Filio hæreditatem restituit. Huius rei gratia, Filius nunc, participem illum tam præclari operis appellauit.]

Egregiè omnino, hanc Christi in cruce aduocationem expressit Petrus Damiani serm. 12. tractans illud Psalmi 2. *postula à me.* Quam postulationem, esse actionem forensem, aduocati pro cliente suo agentis, sic edisserit, & aptat ad Christum. [Si consulamus auditorium iurisperitorum, primum capituli propositi verbum, sic describitur. *Postulare* est, desiderium suum, vel amici sui, in iure apud eum qui iuris dictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. Actus iste publicus est, & est officium aduocatorum, qui gloriosæ vocis confisi munimine, lapsa erigunt, fatigata reparant, nec minùs prouident humano generi, quàm si clypeis, & thoracibus sese, patriámque defendant. In exequendo actu isto, attendere debemus qui postulet, quem, vbi, & quid postulet. Aduocatus postulat iudicem in iure rem suam, vel sibi postulat, actione proposita. In negotio præsenti, aduocatus est Christus, Iudex, Deus Pater & locus iuris patibulum crucis, res postulata Ecclesię degentibus, nomen actionis, petitio hæreditatis. Rectè Iesum Christum dicimus aduocatum, vnde Ioanne: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Dominum Iesum Christum: ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Aduocatus iste apud Patrem desiderium suum exposuit, quando pro salute humani generis, oblatus est, quia ipse voluit.] Et rursus, ad eiusdem sermonis finem. [Ecce quidam ludus iudiciarius occurrit nobis in Scripturis, Deum Patrem repræsentans. Locus iuris, in quo Aduocatus noster postulat, patibulum crucis fuit. Cùm enim ex officio suo aduocati habeant stare, ipse non stans, sed toto corpore extenso in ligno crucis apud Patrem pro nobis allegauit, desiderium suum, & amicorum suorum exponens & aduersarij desiderio contradicens, vsque ad pro-

prij sanguinis effusionem. Rem suam postulat; ideſt genus humanum,quod ipſe creauit, cuius verum dominium habebat. Ecclesiam de Gentibus conuerti postulauit, tanquam proprius hæres hæreditatis petitionem proponens, & in possessionem de iure mitti desiderans. Petitio autem hæreditatis, ex ordine, & regulari iure,proponitur aduersus eum, qui possidet pro hærede vel possessore.Pro hærede possidet,qui dicit se hæredem esse, cum non sit;pro possessore possidet quis, cum nullo titulo potest tueri suam possessionem: qui si requiratur quare possideat,nullam aliam causam allegat,nisi quia sic possideo. Rectè autem proposuit Dominus noster aduersùs Diabolum, quia hæreditatem Domini pro possessore possidebat malignus prædo.De quo Propheta;*Veh qui prædaris, nónne & ipse prædaberis*? In hac aduocatione, siue postulatione Aduocati nostri, maximè gaudet Ecclesia die Resurrectionis Dominicæ, quia Aduocatus postulauit; quia postulata impetrauit;quia impetrata obtinuit & possedit: Inde est,quod tripliciter laudem subiungit. Introducens enim Filium loquentem ad Patrem & dicentem; *Postulaui patrem meum.* Ecclesia respondet *Alleluya* ideſt, Deo laudes,quia postulasti. Item;*Dedit mihi gentes.* Et respondet Ecclesia; *Alleluya*:ideſt, Deo laudes,quia impetrasti.Item:*In hæreditatem mihi.* Respondet. *Alleluya*,quia obtinuisti & possedisti.] Ita habet Ecclesia in sacro officio octauæ Paschalis antiphona ad psal.secundum Matutini.

1021 S. Cyrillus l.3.de adorat.cum Dauidem populi aduocatum 2.Reg.24. descripsisset, in causa flagelli diuinitùs inferendi;subdit, eam aduocationem, fuisse typum eius aduocationis, qua Christus pro nobis in cruce perfunctus est. Similiter S. Chrysostomus serm. aduersùs hæreticos, vrgens Arianum,qui ea Christi verba Ioan. 17. cum ad passionem accingeretur, *clarifica me Pater claritate quam habui*, in Verbi dedecus detorquebat; ostendit ea potiùs ad Christi pro nobis aduocationem in passione, esse referenda,sic vrgens Arium. [Nondum intellexisti,ô Ari,sacramentum quod est in Christo,nec mirum: spiritu enim cares,qui te inducat in veritatem. Nondum capis, quòd non pro semetipso hoc dicit,sed pro Adam,quem & acceperat. Nam sicut aduocatus à malefactore instructus ad tribunal accedit, & personam gerit eius cui patrocinatur, & omnia crimina eius qui iudicatur in se assumit, & quasi pro seipso apud iudicem causam agit, tametsi criminum minimè reus sit, eum in modum & Dominus noster Iesus Christus, venit è cœlis impeccabilis. Peccatum enim non fecit. Induit me Adam assumpsit in se mea crimina. Ipse enim peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Induit me Adæ personam, & pro me intercedit. *Glorifica me Pater,*(inquit,) *gloria quam habui, antequam hic mundus esset.* Qui factus sum Adam,eram in incorruptibilitate,æqualem cum Angelis mensam sortitus eram: indeficientem mihi cibum paradisus quotidie producebat: Spiritus sancti gratiam & gloriam in facie ferebam, hanc per meam trangressionem amisi: nunc oro;Glorifica me Pater gloria quam habui apud te,antequam hic mundus esset.Ea propter supernè respondet Pater dicens: *& glorificaui hanc* in paradiso, *& iterum glorificabo.* Nam in eandem paradisi gloriam & delicias, te iterum collocabo. Quòd autem cùm hæc diceret filius Dei habuerit gloriam Patri æqualem, testatur ipse,cum dicit; *Ego & Pater vnum sumus*: & *Qui videt me,videt & Patrem meum*, & Ioannes clamat dicens; *Vidimus gloriam eius, quasi geniti à Patre,plenus gratia & veritate.*]

S.item Macarius homil.11.inducit disputantem iudicialiter Christum,cum morte, ideſt Satana, & ex iure persoluti ritè pretij in morte sua, adigentem eum ad laxandos quos iure chirographi antiqui habebat obæratos & vinctos. Quæ iudicialis disputatio, alia non est, quàm aduocatio de qua agimus. Et cum iuxta S. Macarium dicatur facta per corpus Christi propter nos mortuum, vides eam recidere in disputationem iuridicam ex Domino expressam. Sed quod S. Macarius, vrsisse Christum dicat Chirographi rescissionem, ob persolutum pretium,dicam de hoc postea, agens de Christo fidei iussore.

1022 Sufficio Macario, Theodoretum sermone decima de Prouident. qui Christum causæ nostræ in cruce patronum, vehementissimè in cruce perorantem aduersùs Satanam, eumque iniustitiæ conuincentem, sic repræsentat. [Christus communem maledictionem suscipit, nam scriptum est. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Dum autem dicit,*Pro nobis*;ostendit, quod innocens ipse,& omni peccato liber,nostrum debitum persoluerit, nósque innumeris debitis pressos,& propterea seruire coactos, liberare dignatus sit, nos & redimens & proprium sanguinem pretij loco deponens. Propterea idem alibi clamat. *Pretio empti sumus.* Hac de causa, & crucis mortem suscepit: quandoquidem maledictum erat secundùm legem hoc mortis genus, simul autem maledicta erat nostra natura, vt legem transgressa ( *maledictus enim* inquit *omnis qui non manserit in iis quæ libro legis continentur, vt faciat ea)* ideò communem maledictionem suscipit, & iniusta mactatione illam soluit.Nam cum maledictioni non subiaceret, (*peccatum enim non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, ) peccatorum tamen mortem sustinuit, & contra communem naturæ hostem, Dæmonem, litigat propugnator simul & patronus nostræ naturæ factus; & meritò ad dirum nostrum tyrannum dicit; Captus es pessime, & tuis propriis retibus comprehensus es, & tuus gladius in cor tuum penetrauit, arcus tui contriti sunt, foueam fodisti & incidisti in illam. Dic enim, quare corpus meum cruci affixisti, & morti tradidisti? quam peccati speciem in me conspicatus es? quam legis trangressionem vidisti?Eu diligentiùs nunc nudum in cruce hoc videns, scrutare. Inspice linguam omni probro carentem, & auditum omni noxa liberum, oculos item qui nullam intrinsecùs corruptionem senserunt, & manus ab iniustitia quidem alienissimas, omni autem institia ornatus, pedésque non in malitia ( vt Propheticis verbis vtar,)currentes,sed virtutis stadium emensos. Scrutaro quàm diligentissimè omnia corporis membra, inquirito animæ motus. Sitque vel minimum aliquod delictum inuentum fuerit,benè vtique & iustè me detines:præmium enim peccatorum est mors: quod si verò nihil eorum inuenis quæ diuina lex prohibet, quin ponis

potiùs omnia quæ hæc præcipit, non sino te detinere quod detinere nefas est, imo aliis quoque carcerem aperiam, te verò solum concludam, vtpote qui legem diuinam transgressus sis. Diuina enim lex peccatores morti tradidit; tu verò etiam peccati expertem, mortis vinculis tradidisti, & insatiabilis tua libido, extremæ tibi crudelitatis causa fuit: eúmque vnum iniustè cœperis, omnibus simul subditis iustè spoliaris, & qui cibum vorauisti non edendum, omnem antè deglutitum euomes, & docebis omnes præsentibus contentos esse, iisque quæ ad se non pertinent abstinere. Recordare propter quod humani generis progenitor Adam morti traditus sit. Hic cùm ipsi omnium paradisi arborum copia facta esset: iis quæ data erant non contentus, arborem scientiæ tangere ausus est, cuius fructum creator vetuerat: vnde insatiabili cupiditate laborans, & vetita concupiscens, toto paradiso priuatus est. Istis te quoque suppliciis subiiciam. Iniustum enim foret, eum qui seductus fuit, istiusmodi pœnam sustinuisse, seductorem verò non eodem supplicio puniri. Quoniam itaque & tu, qui potestatem in peccatores acceperas, corpus inuasisti nullius peccati reum, potestate tua discedito, tyrannide desistito, omnes à morte liberato. Non simpliciter dominij potestate vtor, sed potestate iusta. Debitum enim pro humano genere persolui. Qui mortem non debui, mortem sustinui: quique morti subiectus non eram mortem suscepi. Insons cum essem, sontibus ascriptus sum: quique à debitis omnibus liber eram, in debitorum ordine constitutus sum naturæ ergo debitum persolui. Et dum mortem immeritam sustinui, meritam dissoluo, quique iustè detenti fuerant, ipse iniustè correptus à carcere dimitto]

Patronum & propugnatorem inducere receperat Theodor. & iudicem exhibet. Nec immeritò; simul enim Christus in hac causa, & iudex est, & aduocatus: quod latè tradit Driedo tr. 2. de captiu. & red. gen. hum. c. 2. p. 1. memb. 3. proferens multas Scripturas in quibus Christus, etiam in primo aduentu, statuitur iudex satanæ in causa nostra, nominatímque super thronum crucis, sedens & iudicans æquitatem, vt habetur ps. 9. ibidémque iudicans in nationibus, & implens ruinas, vt est in ps. 109. Quod tamen Christus non iudicet nisi ex potestate à Patre deriuata, denominatur potiùs in hac causa aduocatus, ex proprio munere quod pro nobis obit patroni & aduocati. Hanc portò fuisse iudiciariam disceptationem, negat Theodoretus suum esse commentum. [E sacris enim (inquit,) Euangeliis, & Apostolicis traditionibus, hæc sic se habere instituti sumus. Nam ipsum Dominum audiuimus dicentem; *Venit mundi princeps, & in me inueniet nihil.* Nullum enim, (inquit, habeo peccati iudicium. Corpus habeo omni peccato liberum, verumtamen licet nihil inueniat, quasi innumeris obnoxium debitis morti tradet: ego autem id patior, ipsum sua tyrannide iustè eiicere volens. Quapropter alibi idem inquit. *Nunc iudicium est mundi huius, nunc princeps mundi huius eiicietur foras.* Cum enim iudicium fuerit, condemnabitur, & tyrannide eiicietur, vt qui iniustam contra me sententiam tulerit.]

1023 Pereleganter, (sed plenius quàm vt hîc referri possit,) Petrus Cellensis l. de panib. c. 15. discussionem iudiciariam causæ nostræ coram Deo iudice; Satana aduersario astante, proponit. Christum verò ne oppressum se in iudicio Satan expostularet, pro homine vltrò immolatum, exhibet elegantissimè. Item Rupertus l. 2. de oper. Spir. sancti c. 17. & 18. cum præmisisset antiquorum Oratorum humani generis, & suam causam agentium, Rhetoricam diuinam omnibus absolutam numeris; cecidisse tamen causa, cur ceciderint, Christus autem aduocatus victoriam litis obtinuerit, exprimit in hunc modum. [Si tanti Oratores antiqui, veteres sancti, quorum hic sermo erat, libera fronte in auditorio cœlesti assisterent, & nullis peccatorum maculis cooperti, aut contaminati fuissent, hoc vnum idem maximum intererat, & assistenti iudici Deo misericordiæ voces retardabat: quia maculatas antiquo probro personas iustitia repellebat. Ecce autem vnus aderat, atque pro omnibus assistebat, homo reuerendus & pro reuerentia dignè exaudiendus, in quem nihil quærelæ haberet iustus naturæ nostræ iudex Deus, imo apud quem magnæ vicissitudinis debitor teneretur Deus. Peccatum quippe, neque originale contraxerat, neque actuale commiserat; & tamen peccati pœnam, idest, mortem propter præceptum eius obedienter subibat. Dicebat igitur. *Responde mihi, quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi.* Quid ad hæc Deus responderet? Nunquid illi respondere poterat, quod vllas haberet hic homo iniquitates, aut peccata in propria persona, & non potiùs iustificationes & merita? Proinde iam illum arguere Deum decebat, vt diceret. *Cur faciem,* &c. Quod si ille responderet, non ergo à te faciem meam abscondo, neque arbitror te inimicum, imo filium meum charissimum sicut testificatus sum voce ad te delapsa à magnifica gloria, & dixi: *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui.* Habebat iste vocem vtique constantem, causamq; legitimâ, vt diceret veraciter, quod vni ex minimis meis, imo omnibus meis feci-sti, mihi feci-sti. Nam verè eius erant, omnes iusti siue electi qui eum expectauerant ab origine mundi; & omnibus illis abscondebat Deus faciem suam, interposito pariete inimicitiarum, arbitratus eos inimicos suos propter peccatum, quod peccauit communis omnium pater Adam. Erant etenim illi quoque, natura filij iræ, sicut & cæteri: *Cur* ergo, (inquit,) *faciem tuam abscondis & arbitraris me inimicum tuum?* In quo? *Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Scribis enim, imo scriptas apud te retines contra me amaritudines quas hoc modo homini eloctus es. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & de ligno ex quo præceperam tibi me comederes, comedisti, maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui, vescéris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es. quia puluis es,* &c. Eiusmodi amaritudines ex tunc scribis contra me, simulq; consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Siquidem tã pro originali, quã pro actualibus peccatis, quæ adolescẽtiæ leuitate cõmissa sunt, de quibus Ps. *Delicta,* &c. hactenus vnúquéq; consumere vis. Deinde posuisti in neruo pedem meum, funibus peccatorum suorum constringens vnumquemque, vt non quæcumque velit, illa faciat, vt condelectetur, nonnunquam legi Dei secundùm interiorem hominẽm, videat autẽ aliam legẽ in mẽbris suis, repugnantẽ legi mẽtis suæ & captiuũ se ducentẽ in lege peccati quæ est in mẽbris suis.

suis. Hæc cæteráque iam dicta, vel his similia, cum clamore intimo, clamore, (vt ait Apostolus,) valido,& multis lachrymis perorando, per hunc sapientiæ spiritum, victoriam obtinuit, in iudicio,secundùm rationem æquitatis, quam perpendens idem Apostolus, ita dicit: *Si enim vnius delicto multi mortui sunt,multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi,in plures abundauit.*]

Vides porrò iuxta Rupertum, pertinere ad hanc Christi in cruce aduocationem, quod habet Apostolus Heb. 5. *in diebus carnis suæ, preces & supplicationes ad Deum cum lachrymis offerens,exauditus est pro sua reuerentia.* Quamuis enim probabilis sit sensus ille huius loci, quem latè prosequitur Bellarminus lib.2. de 7. verbis Dom.cap.19. quod scilicet ea oratio, Christum ipsum respexerit,ad obtinendam celerem sui corporis resurrectionem; tamen probabile quoque est, quod passim tradunt alij; nempe Apostolum expressisse Christi pro nobis interpellationem in cruce; & docuisse, Christum pro nobis tunc orantem, fuisse pro sua reuerentia exauditum.

### *Christus aduocatus noster, etiam orando, & quidem propriè.*

1024 Certum tamen est, huiusmodi aduocationem Christi, longè quoque anteriorem fuisse. Neque enim tunc primùm orauit Christus pro humano genere,sed ab initio vitæ; estque valdè pia & verisimilis sententia Suarij lib.1.de orat.cap.1.num.7.qui existimat, Christum per totam vitam continuasse orationem; quia sicut occupatio in aliis rebus, non auertebat Christi intellectum ab vsu scientiæ beatæ & infusæ; ita neque ab oratione, quamuis aliquibus temporibus,potiùs quàm aliis, specialiter legatur orasse,etiam mentaliter; nempe applicando intellectum, non solùm vt operantem independenter à corpore, sed etiam vt se conuertentem ad phantasmata inter orandum. Hic enim orandi modus, exigebat vigiliam; (ideóque interdum Christus legitur pernoctasse in oratione Dei;) nec erat perpetuus aut continuus, propter corporis imbecillitatem. Et respectu quoque huius modi orandi, dictum est à Nazianzeno orat. 28. numer. 21. Christum vt orandum studiosè doceret, secedere interdum solitum. At oratio profusa independenter à corpore, potuit in Christo esse perpetua: nec plus ea perpetuitas orationis est à Christo aliena, quàm alius vsus scientiæ, quem in Christo fuisse perpetuum,suprà vidimus. Quod si Christus perpetuò orauit oratione propriè dicta, quis dubitet, interpellationem illam Dei per Christum, ferè nos spectasse? Nam pro seipso, pauca occurrebant petenda, vt propterea S. Cyprianus lib. de orat. Dom. num. 80. neget Christum pro se orasse, quæ verò pro diuinæ gloriæ amplificatione poscebat, reuoluebantur in bonum nostrum; per quos ea diuinæ gloriæ accessio erat præstanda. Siue autem Christus perpetuò orauerit, eáque modo semper viuentem interpellatorem & aduocatum pro nobis egerit; siue aliquando orationem omnem abruperit; tamen certum est, orasse aliquando pro nobis oratione propriè dicta, etiam priusquàm crucem conscenderet, & extremam illam orationem funderet pro Apostolis,& credituris per verbum eorum in ipsum.

Hanc postremam, & alias intetiores interpellationes,pro nobis à Christo factas, aio esse orationes propriè dictas, hoc est non proprie *oratio* generaliter sumitur, designatque quamcunque animi eleuationem ad Deum per contemplationem, aliósve actus à petitione distinctos, sed proprie sumitur pro petitione & intercessione pro nobis. In quo sensu, S. Damascenus oration.de Transfigur. *sub medium*, videtur abrogasse Christi orationem, sic enim scribit, tractans orationem Christi in monte Thabor, cum facta est species vultus eius,altera. [Cæterùm alio modo serui, & alio Dominus orabat. Etenim serui, metu, atque amore, per postulationem ad Dominum accedunt: atque oratio hoc meriti affert, vt ad Deum peregrinetur, & cum eo copuletur, eamque per se alit & corroborat. At verò sancta illa mens,cum Deo Verbo per hypostasim vnita sit,quo tandem pacto orabit? Quónam item modo Dominus orans astabit? An non perspicuum est, ea de causa ipsum orasse,quia personam nostram assciscebat, atque vt nos erudiret, viámque nobis, qua ad Deum per precationem ascenderemus,muniret, doceretque per orationem nobis diuinam gloriam conciliari: illúdque etiam ostenderet se Deo minimè inimicum & aduersarium esse;tum præterea vt Patrem,tanquam sui principium & consam,honore afficeret, carnémque per naturam suam grassari permitteret, vt per scipsam & robur concipiat, & crudiatur atque ad præstantiorem disciplinam & habitum perueniat. Quin etiam vt tyrannum, sedulò an Deus esset obseruantem, inescaret. Nam hoc miraculorum potentia prædicabat. Ob eam causam, diuinis humana nunquam non miscet, tanquam scilicet sub esca hamum occultans.] Et mox, vt monstret qualis esset Christi oratio,addit.[Quænam porrò inuocatio erat, Propheta Dauid docet, apertè proloquens; *Ipse inuocabit me,Pater meus es tu, Deus meus & susceptor salutis meæ.* Patet nimirum,vt Dei ac filij,quique ante secula,atque omnem essentiam, à Patre effulserit: Deus autem & susceptor salutis,vt incarnati, quique nostram in seipso naturam atque humanitatis personam subierat.] Quasi diceret, Christum non aliter inuocasse,nec aliter dictum orare, quàm agnoscendo Patris maiestatem, eámque demississimè colendo. Spectat eodem quod lib.4. de fide c.19 ait Christum fecisse. [Quædam simulationis modo; vt cum Christus de Lazaro interrogat, *vbi posuistis eum?* & cum ficulneam se confert, & cùm refugit ac se protrahit, & cùm precatur:ac denique cum de eo ita scriptum est, *Finxit se longiùs ire.* His enim ac similibus, nec vt Deus,nec vt homo,opus habebat, verùm ratione humanitati congruente ad id se conformabat, quod vsus, atque vtilitas poscebat. Verbi gratia, ob eam causam precabatur, vt se impium quendam. Deique aduersarium minimè esse demonstraret;atque vt Patrem, à quo causam ducebat,honore afficeret.]

Hæc vt sonant,fateor mihi non probari. Neque enim Christus vel simulatoriè agens, vel duntaxat vt Patrem coleret,aut ab eo se nequaquam alienum doceret, orauit absque propria petitione, præ se ferens duntaxat extrinsecus petentis formam:sed verè orauit postulando,vt rotenties

ties docemur in Scripturis, quas fas non est contra vocum proprietatem, cum nullum ea retenta subsit absurdum, detorquere ad sensus extraneos. Fortassis tamen, licebit eodem modo S. Damasc. accipere, quo Ioan. Hesselius lib. de inuocatione sanctorum cap. 15. accepit S. Chrysostomum; qui cum toties & tam disertè, Christi veram & propriè dictam orationem agnoscat, nominatimque hom. 84. in Matth. vbi Christum intentiùs orasse docet, ne eius oratio, hypocrisis videretur; & homil. aduersùs eos qui ad synaxes non occurrunt, qui locus allegatur in 6. Synodo actio. 10. tamen quibusdam locis, videtur negare Christum verè orasse in hac vita, vt homilia 63. in Matthæum ad illud, *quoniam audisti me.* Et homil. 14. ad illud *rogabo patrem.* Ac denique homil. 79. ad illud, *sublevantis oculis.* Quæ Chrysostomi loca, ita exponit Hesselius, vt tantùm velit S. Chrysostomus, Christum non orasse secundùm diuinitatem vt Ariani tunc blasphemabant: nec item orasse secundùm humilitatem, eo orationis genere quod coniunctum sit cum ignorantia, & incertitudine accipiendi rem postulatam. Si igitur huiusmodi quoque interpretatio ad prolatum ex D. Damasceno locum, accommodari queat, eo melius.

### *Diluta, quæ aduersùs propriam Christi viatoris pro nobis orationem, & an ea semper esset efficax.*

1025 Itaque Christus, prolatis iurium nostrorum firmamentis, suis inquam meritis, & nostris eius sanguine tesperſis, causam nostram agens, dum hîc inter nos versaretur, aduocatum se nostrum prodidit, hæc & illa bona nobis depo cens, propriè dicta oratione, quæ hominem verùm maxime decebat, cum per eam petitionem maximè honoretur Deus, & nostra per nos ipsos indigentia ac mendicitas manifestetur. Et præsciebat quidem Christus, omnia quæ poterat per orationem impetrare, esséntne euentura: sed præscidebat esse euentura interuentu petitionis, tanquam medij ad id diuinitùs præstitutis ab initio. Per se item plurima poterat; Sed adhibitis mediis diuinitùs præordinati, inter quæ S. Aug. conc. 2. in Psal. 36. tractans locum ex 1. Reg. 2. prolatum à Donatistis *si Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?* ait hunc locum, (quod fecerant Donatistæ,) non debuisse de quouis Sacerdote accipi, sed de Christo, de quo Apostolus Ioannes. [dixit, *Aduocatum habemus ad Patrem, Iesum Christum iustum & ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Sed illud de illo Sacerdote scriptum est, quem isti non intelligunt; vt admoneretur populus, in prophetia talem se debere agnoscere sacerdotem, pro quo nullus posset orare. Quis est autem pro quo nullus orat, nisi ille qui pro omnibus interpellat? Quia ergo tunc sacerdotium erat Leuiticum, vbi Sacerdos intrabat in sancta, & offerebat hostias pro populo, habebat autem imaginem non veritatem futuri cuiusdam Sacerdotis: (tunc enim & ipsi Sacerdotes peccatores erant, sicut cæteri homines:) volens Deus per Prophetam admonere populum, iam talem desiderandum esse sacerdotem, qui interpellaret pro omnibus, & pro eo nullus oraret: designans talem, admonuit & dixit; *Si peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos. Si autem Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?* Itaque ô populе, talem elige Sacerdotem, pro quo non cogaris orare, sed de cuius oratione pro te securus esse possis. Ipse est Dominus noster Iesus Christus, vnus Sacerdos, vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.] Sic eo loco, de Aduocati nostri oratione, Augustinus.

Tam fœliciter porrò causam nostram egit Aduocatus & orator noster, quoties pro nobis orauit, vt nunquam sit repulsam passus, sed semper exauditus sit, pro sua reuerentia. Quod generaliter de quauis Christi oratione apertè tradit S. Thomas 3. p. q. 21. art. 4. inde hoc confirmans, quod Christus secundum voluntatem superiorem, nihil aliud poscret, quàm quod sciebat Deum velle; Vnde exaudiebatur semper, quia de voluntate Christi absoluta ad diuinæ voluntatis nutum formata, procedebat omnis eius oratio, completè & integrè spectata: quod addo, quia interdum Christus simplicem affectum suum quem præsciebat repellendum, ita prodebat orando, vt tamen adiungeret limitationem secundùm quam auditus est. Subiunxit enim. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu;* quæ fuit absoluta Christi voluntas, repulsam non passa. Opponunt præterea aliqui, orationem pro crucifixoribus, in qua non videtur exauditus, cum Deus illis, (saltem omnibus,) non ignouerit, quod ferebat Christi ad Patrem petitio. Hæc tamen non rectè opponuntur. Imo fortassis contra Apostolum, qui de Christi oratione in cruce, testatur eam fuisse exauditam pro sua reuerentia. Tametsi verò effectus conuersionis omnium crucifixorum, secutus non est; nemini tamen negata est gratia, per quam effectus ille sequi posset. Christi porrò oratio non aliò spectauit, quàm vt omnibus quantum erat ex Deo, ignosceretur, omnibusque conferretur gratia qua possent illius, vt apud S. Cyprianum sermon. de Passion. nominatur, *scelerum scelerum & peccati peccatorum*, absterſionem & abolitionem obtinere, vt iis contigit per quos non stetit.

### *An Christus, etiam nunc propriè oret pro nobis. Pars negans.*

1026 Maior difficultas est; an Christus, tali pro nobis aduocatione, etiam nunc in cœlo perfungatur: seu an oret nunc pro nobis. Negant plerique recentiores, vt Lessius lib. 12. de diu. perf. nu. 83. (sibi contrarius lib. 2. de virtut. cap. 37. à num. 24.) Magalianus 1. Timo. 2. sect. 33. annot. 5. Becanus de Incarn. cap. 17. q. 4. Vasques 3. p. d. 82. c. 2. & Espencæus l. de mediat cap. 8. qui contrariam sententiam, carnalem imaginationem à veteribus Catholicis contritam, nominat; & multos in hanc sententiam, Patres laudat. Nazianzenum superiùs protuli. Chrysostomus hom. 15. in ad Rom. ad illud *Christus qui mortuus est, qui & intercedit pro nobis*, non minùs disertè idem tradit, ita scribens. [Etenim in propria dignitate qui apparuit, nostri curam non deposuit, sed & pro nobis intercedit, & adhuc eandem charitatem constanter seruat, neque enim contentus est occisione solùm, quod quidem maximi est amoris argu-

mentum, officiis iis quæ ad ipsum pertinent, non fungi modò, sed & alium quoque obsecrare. Hoc enim solum per id verbi, intercedit, demonstrare voluit, more hominum loquens, ac nostræ sese imbecillitati attemperans, vt charitatem declaret. Nam verbum id intercedit, nisi cum hoc sensu acceperimus, multa absurda subsequentur. Atque vt intelligas, hoc esse quod adstruere vult; prius vbi dixit illum esse ad dexteram: tum addidit, illum pro nobis intercedere: quod æqualitatem ac paritatem declarauit, vt iam ipsa intercessio, non imminutionis, sed charitatis solius esse videatur. Si enim ipse vita cum sit, & fons bonorum omnium, & parem cum Patre autoritatem habeat, mortuos suscitans, ac viuificans, omniaque alia faciens: quomodò intercessionis egeat, vt nobis adiumento sit: desperatos & condemnatos, propria autoritate ab illa condemnatione liberauit, & iustos & filios fecit, & ad honores supremos subuexit, & quæ nunquam sperata fuerant, ea ad opus deduxit; is quo tandem modo, post omnia à se perfecta, post naturam nostram in throno regio ostensam, ac collocatam, ad ea quæ faciliora sunt, intercessionis indigeat? Vides vt vndique ostendat, se alia nulla de causa Verbi id, *intercedit*, dixisse, quàm vt feruorem ac vigorem illius erga nos charitatis declaret.]

Rupertus præterea lib. 9. de diu. offic. cap. 3. tractans illud Ioan. 14. *Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, contendit id debere accipi, de precibus à Christo postea fusis tempore passionis. [Non enim (inquit,) postquàm ascendit in cœlum, clamat vt saluetur à morte; ergo nec rogat vt Paracletus nobis detur, sed dat, iam ex tunc, vtens data sibi potestate in cœlo & in terra.] Et mox exponens illud Rō. 8. *Christus qui est a dextris Dei qui etiam interpellat pro nobis*, ait. [Illa namque interpellatio Doctorum omnium vera assertione, non summissa est postulatio, sed eius passionis quæ semel susceptæ, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu sanctæ Trinitatis admissa sanguinis eius innocentis exclamatio, homicidas qui fuderunt, conuincens; Nos autem qui bibimus in ministerio altaris, non indiga, sed potenti interpellatione defendens. Alioquin, quomodò & antequam ascendisset ait; *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*? sic & postquàm ascendit, vt possit interpellat, vel rogat dari nobis Paracletum?]

Hæc postrema verba continent, non inualidam rationem huius sententiæ; eámque mox iterat Rupertus, & confirmat, partim ex praxi Christianorum; nemo enim Christum nunc rogare ausit vt pro nobis roget sed vt misereatur poscimus dicentes *Christe eleyson*; vt inquam concedat pro potestate eum precamur, partim etiam ex eo quod disertè Christus Ioan. 16. profitetur, se post mortem non rogaturum pro nobis, cum ait; *In illa die, in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis:* quibus verbis Rupertus contendit euinci illum alium locum ex Ioan. 14. quo Christus dixerat, *rogabo patrem & alium Paracletum dabit vobis*, ad preces in cruce fusas pertinere; non autem ad preces postea exhibitas. Pugnant enim duo illa, *rogabo* & *non rogabo*, si ad idem tempus referantur. Accedit quod Christus, cum viator erat, distinctè agnoscebat omnes aliquando occursuras aliquid petendi occasiones; proindéque facile illi fuit, cum adhuc viator esset, omnia illa poscere, plenam ac cumulatam redemptionem exhibere, nihil remittens, quod nobis obtineret post mortem. Ita ergo fecit, ac proinde nihil est quod denuò roget.

### *Eligitur affirmans, & probatur autoritate, ac ratione.*

1027 Contraria sententia, quæ Christum in cœlo orare pro nobis, affirmat, est multorum grauium Doctorum, mihique probatur. Tradunt eam S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. & in cap. 7. ad Hebr. lect. 4. Soto in cap. 8. ad Rom. Ribera Heb. 7. à num. 78. Toletus in cap. 16. Ioan. annot. 35. (citans ad idem Nazianzenum, Augustinum, Hilarium Diaconum, Cyrillum, Alexandrinum;) Maldonatus ad idem caput num. 74. citans Augustinum, Rupertum, Theodoretum, Leontium, atque Cyrillum. Diligenter planè idipsum confirmat Hesselius, & citat complures Patres lib. pro inuocatione sanctorum cap. 15. Idem tradunt Cornelius in cap. 8. ad Rom. num. 216. Bonac. de horis Canonicis disp. 1. q. 2. p. 1. & Tract. de Incarn. disp. 2. q. 15. p. 2. Scortia 2. de Missa cap. 3. num. 2. Suares 3. p. tomo 1. d. 45. s. 2. & lib. 1. de Orat. cap. 10. num. 15. Bartholomæus à S. Fausto lib. 1. de Horis Canonicis qui est de orat. in communi q. 38. (sibi tamen statim contrarius,) Raguſa Tomo 2. disp. 18. Valent. Tomo 4. disp. 1. q. 21. p. 1. Præpositus 3. p. q. 21. nu. 10. qui alios præterea & PP. & D.D. profert; quibus addo Goffridum Vindocinensem serm. 1. sic scribentem. [Redemptorem nostrum sequamur ad gaudia æternæ felicitatis, quò nos ipse in carne nostra præcessit, & vocat sedens ad dexteram Patris. Ipsum etiam pro nobis apud Patrem intercedere, toto corde credamus: quia nisi eius sanctissima intercessione & virtute muniamur, Diabolo non valemus resistere, qui vires suas mutauit quidem, non amisit delectus. Verè orat pro nobis Dominus, in carne quam assumpsit pro nobis. Nec mirandum, si Patri suo preces propitiationis pro salute hominis exhibet, qui homo fieri voluit, ne homo periret. Nec dedignatur pius Dominus in cœlum assumptus, hominem iuuare in terris, quem & à peccato mundare vult, & secum regnare in cœlis, & illum tanto amore complectitur, vt si eum adhuc pro illo mori iustitiæ iura exigerent, pietatis sibi viscera non deesserent.] Grethserus quoque Tomo 3. de Cruce lib. 4. *ferè initio*, monet huius sententiæ fuisse Græcos, apud quos interdum legitur, *Sancta crux, ora, vel intercede pro nobis*. Est enim locutio figurata, qua Christus ipse olim crucifixus, nunc in cœlo regnans, interpellator noster fieri rogatur. Itaque hæc sententia, quidquid Rupertus dixerit, non destituitur autoritate.

1028 Nec deest Scriptura, & ratio. Nam Ioan. 14. Christus consolans discipulos de eius discessu mœrentes, promittit, se cùm ad Patrem venisset, rogaturum pro eis, vt acciperent alium Paracletum. Is enim est planus sensus illorum Christi verborum, quibus spondet se Patrem rogaturum,

rogaturum, vt ex serie capitis liquet. Nec est cur verbum *rogandi*, ad sensum improprium deflectatur, cum nulla sit absurditas in retinendo sensu proprio. Actus enim orandi, decet Christum etiam in statu alterius vitæ, cum sit actus religionis, & beatis quoque conueniat. Quod si obtenditur data Christo potestas omnis in cœlo & in terra, næ ea ratio nimium probat, Ex ea quippe sequeretur, Christum viatorem non orasse verè pro nobis. Nam ex tunc quoque acceperat omnem potestatem in cœlo & in terra: quia titulo vnionis hypostaticæ, potiebatur omnibus illis prærogatiuis, quibus dici potest postea potitus, titulo meritorum, & passionis pro nobis exceptæ. Et tamen non obstante ea plenissima potestate, qua Christus de omnibus ad salutem nostram attinentibus disponere hîc poterat, tamen Patrem rogauit, vt Deum ea ratione coleret, suamque (provt hominis) ad eum demissionem & subiectionem testaretur. [Et licet ipse vita sit, (inquit S. Epiphanius hær. 69. num. 29.) vt testatur, *Ego sum vita*; eámque conferre per sese possit, iuris tamen ac iustitiæ legem perturbare noluit, sed ideircò venit vt ad vnum principium, vnamque diuinitatem, veritatem concordiam, vniusque gloriæ prædicationem, hominum salutem, mentémque traduceret. Ob id coram discipulis Patri supplicare voluit, Nam quis demum Filius à Patre non postulat? aut quis Pater, non filio largitur? quis porrò filius à Patris natura diuersus est? Propterea vnicus Dei filius à Patre genitus plenus gratiæ & veritatis, nullum complementum requirebat, cum nihil ipse de veritate deesset, sed plenus gratiæ ac veritatis foret. Sed esse plenus sit atque, & largiatur ipse, & largiri possit; nihilominus in Patrem refundere omnia voluit. Nam Filius glorificat Patrem.] Idem ergo sine dubio, eadem, ex causa præstare in cœlo poterit; & reuera præstat, iuxta Scripturas propositas.

Accommodare huc possumus, egregiam S. Ambrosij sententiam lib. 5. in Lucam ad illud capitis 6. *Erat pernoctans in oratione Dei*. Quærens enim, de Christi qui omnia poterat, oratione, subdit. [Orat ergo Dominus, non vt per se obsecret, sed vt pro me impetret. Nam etsi omnia posuerit Pater in potestate filij, filius tamen vt hominis formam impleret, obsecrandum Patrem putat esse pro nobis, quia aduocatus est noster. Noli insidiatrices aperire aures, vt putes filium quasi infirmum rogare, vt impetret quod implere non possit. Potestatis autor, obedientiæ magister, ad præcepta virtutis, suo nos informat exemplo. *Aduocatum*, (inquit,) *habemus apud Patrem*. Si aduocatus est, debet vtique pro meis interuenire peccatis. Non ergo quasi infirmus, sed quasi pius obsecrat. Vis scire quia quæ velit possit? Et aduocatus, & iudex est. In altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis.] Quidni etiam sic accipimus, illud Victoris Cartennensis lib. de Pœnit. cap. 24. ad pœnitentem. [Flecte genua; & elisо vultu terræ prosternito: Suscipiet gemitum tuum cœlestis ille protinùs aduocatus, & non prætermittet pro te interpellare patrem suum, qui fidum præbere consueuit pœnitentibus patrocinium. Causam suam non argumentis ad præscriptum genus eloquentiæ perorabit, illicò impetraturus veniæ beneficium, qui de superato non expectat aliquod honoratium. Hoc Apostolus probat, dicens; *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat: quis est qui condemnet? Christus qui mortuus est, verùm etiam & surrexit, qui est in dextera Dei qui interpellat pro nobis.* Addit etiam, locum toties adductum ex 1. Ioan. 2. de Christo aduocato apud Patrem. Postremò ratio quæ S. Bernardus serm. in vigilia SS. Petri & Pauli, conficit sanctos in cœlis orare pro nobis, militare pro Christo, & ad eum multo aptari faciliùs potest. [Qui potens in terra, potentior est in cœlis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hîc viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis, nunc tanto ampliùs, quanto veriùs agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa patria, charitatem eius non immutauit, sed augmentauit. Neque enim quia impassibilis omnino, ideò & incompassibilis factus est, sed nunc potiùs induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ existit.]

### *Euersa partis negantis firmamenta.*

1029 Quæ in contrarium opponebantur, facilè diluuntur. Ex tot enim Patribus quos pro se adducit contraria sententia, vix est præter Rupertum, (cuius autoritas in re dogmatica, non est tanti;) vix inquam est qui sententiæ contrariæ apertè attipuletur. Non enim si proponunt aduocationem Christi veluti obiectiuam, quæ sita est in eo, quod Christus pro nobis factus homo, semper Patri obuersetur; excludunt propterea formalem, qua pro nobis anteriora sua merita repræsentans, interpellet, vt quæ ad salutem nostram faciunt, accipiamus; donec cognominatur hodie, & supersunt qui hæreditatem capiant salutis. Nam post mundi clausulam, sicut nulla cuiusquam erit necessitas & indigentia, ita cessabit hæc Christi aduocatio, & interpellatio pro nobis. Aduersarij autem, ex eo quod Patres aliqui meminerint intercessionis obiectiuæ, excluſam volunt formalem argumentatione apertè inani.

Alij verò Patres, tantùm excludunt orationem, qualem hîc Christus fundebat: nempe coniunctam cum lachrymis, & clamore valido; quæ tamen repudianda omnino est; etiamsi illam videri possit inuexisse Origenes hom. 7. in Leuit. tractans vetitum principi Sacerdotum vini vsum, in accessu ad altare. [Saluator meus, (inquit,) luget etiam nunc peccata mea. Saluator meus lætari non potest, donec ego in iniquitate permaneo. Quare non potest? quia ipse est aduocatus pro peccatis nostris apud Patrem, sicut Ioannes Symnystæ eius pronuntiant dicens; *Quia & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est repropitiatio pro peccatis nostris.* Quomodò ergo potest ille, qui aduocatus est pro peccatis meis, bibere vnum lætitiæ, quem ego peccando contristo? Quomodò potest iste, qui accedit ad altare vt repropitiet me peccatorem, esse in lætitia, ad quem peccatorum meorum mœror semper ascendit? *Vobiscum*, (inquit,) *illud bibam in regno patris mei.* Quamdiu nos non ita agimus, vt ascendamus ad regnum, non potest illud vinum bibere solus, quod nobiscum se bibere promisit. Est ergo tandiu in mœrore, quamdiu nos persistimus in errore. Si enim Aposto-

lus

lus ipsius, luget quosdam qui ante peccauerunt & non egerunt pœnitentiã in his quæ gesserũt, quid dicam de ipso, qui filius dicitur charitatis? qui semetipsum exinaniuit propter charitatem quam habebat erga nos, & non quæsiuit quæ sua sunt cum esset æqualis Deo, sed quæsiuit, quæ nostra sunt, & propter hoc euacuauit se? Cum ergo ista quæ nostra sunt quæsierit, nunc iam nos nòn quærit, nec quæ nostra sunt cogitat, nec de erroribus nostris mœret, nec perditiones nostras & contritiones deflet, qui fleuit super Hierusalem, & dixit ad eam; *Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos, & nolnisti.* Qui ergo vulnera nostra susscepit, & propter nos doluit tanquam animarum nostrarum, & corporum medicus, modò vulnerum nostrorum putredines negligit? *Computruerunt* enim, (vt ait Propheta,) *& corruptæ sunt cicatrices nostræ, à facie insipientiæ nostræ.* Pro his ergo omnibus, adsistit nunc vultui Dei, interpellans pro nobis; adsistit altari, vt repropitiationem pro nobis offerat Deo: & ideò dicebat tanquam accessurus ad istud altare, quia *iam non bibam de generatione vitis huius, donec bibam illud vobiscum nouum.* Expectat ergo vt conuertamur, & ipsius imitemur exemplum, vt sequamur vestigia eius, & lætetur nobiscum, & bibat vinum nobiscum in regno Patris sui. Nunc enim quia misericors est, & miserator Dominus, maiore affectu ipse quàm Apostolus suus flet cum flentibus, cupit gaudere cum gaudentibus. Et multo magis luget ipse eos qui ante peccauerunt & non egerunt pœnitentiam. Neque enim putandum est, quod Paulus quidem lugeat pro peccatoribus, & fleat pro delinquentibus, Dominus autem meus Iesus, abstineat à fletu cum accedit ad Patrem, cum adsistit altari, & propitiationem pro nobis offert, & hoc est, accedentem ad altare non bibere vinum lætitiæ, quia adhuc peccatorum nostrorum amaritudines patitur. Non vult ergo solus in regno Dei bibere vinum, nos expectat. Sic cum dixit; *Donec bibam illud vobiscum.* Nos sumus igitur, qui vitam nostram negligentes, lætitiam illius demoramur. ] Hæc vt sonant, repudianda sunt, quippè cum Christi planè comprehensoris statu pugnantia. Nec tamen notandus ea ex causa est Origenes, qui longè alio sensu loquitur, quàm præ se ferat cortex vocum. Christum enim accipit, provt facit vnum quid cum membris suis; quæ ratione, non modò nobiscum tristari dicitur, sed etiam Patri non subiici, iuxta Apostolum. Verè tamen huiusmodi orationem lachrymis perfusam, negare Christo intendunt Patrum nonnulli, cum eum in cœlo rogare negant.

Alij verò plerique, præsertim Nazianzenus, cum Arianis disputantes, eam dumtaxat Christi inter orandum abiectionem remouent, quæ vel in personam eius refunderetur, & diuinitatem Verbi attingeret, vel hominem qui simul Deus sit, verè dedeceat. Quàm abiectionem, nos quoque remouendam non dubitamus; sed eam tamen saluam volumus, quæ ex casto timore Dei in sæculum sæculi permanente proficiscitur, & humanitati Christi, etiamsi ad cœlos iam euectæ, omnino congruit. Perpatum ergo in primatiis Patribus præsidij habet contraria sententia. Quosdam verò, quibus Patrum contrariæ sententiæ astipulantium, syllabus amplificatur, parui planè facio in hoc negotio; vt Cabasilam Schismaticum, imo hæreticum. Nec suis item næuis caret Simeon ille Thessalonicensis, quod apud Posseuinum lib. 6. Bibl. videre est, vt proinde non debeat videri eius autoritas irrefragabilis.

Ratio præcipua contrariæ sententiæ, sufficienter elisa est inter confirmandum nostram. Vidimus enim, quamuis Christus potestate ordinaria qua pollet, posset non rogato patre, omnia quæ nobis conducunt elargiri; tamen non abs re, velle interponere, (saltem aliquando,) orationem: vt diuinæ Maiestati remissionem suam testetur, quod in via item fecit, quamuis æquè polleret ordinaria illa potestate, saltem aliis titulis, de quibus suo loco. Quamuis autem Christus viator, omnia quandoque petenda, prænouerit, ac fortassis etiam postulauerit, tam in primo conceptionis suæ momento, quàm cum se Patri obtulit mox crucifigendus, vel cum iam cruci suffixus, sacra victima, Patri à seipso oblatus est: Tamen admittendam quoque censemus eiusdem petitionis renouationem, seiunctam ab aliorum obiectorum in orationes illas Christi viatoris adunatorum petitione, provt occasio & nostra exigentia tulerit.

### *Cur non apprecemur nobis, Christi orationes, & quatenus id possit licere.*

1030 Non fert tamen vsus Ecclesiæ, vt oratio ad Christum dirigatur, postulando vt oret pro nobis. Loquentes enim cum Christo, attendimus dignitatem eius personalem; ideóque ad eum adimus non tanquam ad intercessorem, sed tanquam ad Deum autorem bonorum omnium. Sicut cum quis Regem adit, non compellat eum adhibito titulo aliquo inferiore, tametsi reuera in eum cadat, v.g. ducis Normanniæ, vel Comitis Pictauiæ; sed vsurpato solo magnificentiore, nempe Regis; Et apud Abucaram Opusc. 14. *initio*, rogatus à Nestoriano. Orthodoxus, cur B. Mariam, *Deiparam* potiùs quàm *Christiparam* nominaret, cum verè sit *Christipara*, respondet; quia à meliore parte, non autem à minore, appellationes fiunt; ab iis præsertim qui laudant, & honorare volunt. Quo recidit quod habet Fauorinus apud Gellium l. 16. cap. 3. frigidam laudem, (cuiusmodi est, quæ à minore titulo petitur,) vituperationi æquiualere. Hæc igitur vna est causa, cur non soleamus Christum precari, vt pro nobis oret: præter aliam quæ ex eo ducenda est, quod ea precandi ratio, posset infirmis ac rudibus suspicionem facere, Christum cogitari vt purum hominem.

Non esset tamen intrinsecè malum, Christi pro nobis orationes exposcere, non diuidendo personas, sed naturas tantùm; nec dirigendo orationem & humanitatem, conceptam absque Verbo: (quia quamuis vt sic possit adorari, quod est merè passiuè se habere, & obiici conceptui etiam coniunctissima secernere apto; non potest tamen peti, vt oret; quod præstat provt reipsa est, nec pendet à modo quo eam nobis obiicimus;) sed dirigendo orationem ad Christum hominem, spectando præcisè rationem subsistendi in humanitate, Et est quidem humanitas, immediata ratio agendi; haurit tamen dignitatem suorum operum à Verbo coniuncto eamque

eamque terminante, nec reipsa quicquam præstat, aut agit absque eo. Vnde sicut humanitas concepta seorsum à Verbo, non est mediatrix nostra, vt garriunt Hæretici, sed tantùm Christus est noster mediator per humanitatem; sumptam provt in reipsa se habet, atque adeò vt Verbo coniunctam; ita humanitas vt seorsim sumpta, non orat, neque satisfacit, aut meretur: quæ sunt mediatoris functiones. Quate non est (vt sic,) oranda vt pro nobis oret etiamsi (vt dixi,) labe vacabit ea Christi precum postulatio, directa ad Christi humanitatem in Verbo subsistentem; siue ad Christum provt hominem. Quod rectè tradit Caietanus 3. p. q. 25. art. 2. Hesselius lib. pro inuocatione sanctorum cap. 5. Corduba lib. 1. q. 5. dub. 3. puncto 4. & Suaes t. 1. 3. p. d. 53. sect. 3. *ad secundam quandam obiectionem*, & l. 1. de orat. c. 10. n. 18.

### *Christus, nunc in Eucharistia, Aduocatus noster.*

1031 Non modò igitur in hac vita, fuit Christus aduocatus noster, sed in eodem munere nunc quoque perstat, interpellans pro nobis, vt Apostolus verè dixit, Rom. 8. Nec in cœlo tantùm, vbi visibiliter conspicuus ad dexteram Patris sedet, sed etiam in terris, sub velamine specierum in Missæ sacrificio, munere Aduocati & interpellatoris pro nobis fungitur Christus. [Fidelis Aduocatus (ait. Gul. Paris. lib. de Euchar. cap. 2. *initio*,) necesse habet interesse causæ quam coram agendam suscepit, si possit, quoties causa agitur ipsa vel præsentiam eius desiderat. Causa autem totius Ecclesiæ in Missa agitur scilicet coram Deo Patre, tanquam per procuratorem Sacerdotem. Necesse ergo habet interesse, & causam agere huius Aduocatus. Non autem est Aduocatus, nec causam agit, nisi inquantum homo est. Necesse ergo habet ibi esse, & assistere procuratori Sacerdoti.] Et inferiùs. [Cum iuges, imò continuæ offensiones, quarum nec numerus est nec mensura, iugem & continuam interpellationem requirant, seu Dei propitiationem; continuæ accusationes, iugem ac continuam defensionem, seu Aduocatum, euidens est necessitas Sacerdotis semper viuentis & interpellantis pro nobis; *Heb.* 7. similiter & Aduocati qui etiam propitiatio est, sicut legitur 1. *Ioan.* 1. Continuas autem ideò diximus offensiones, quia nec hora, nec momentum reperiri potest, in quo non inueniatur offensio aliqua, vel peccatum alicuius ex tanto populo. Accusationes etiam diximus iuges & continuas, propter malignitatem Diaboli, de qua scriptum est Apocal. 12. *quia proiectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat eos die ac nocte, ante conspectum Domini.*] Tandem inferiùs. [Tot ergo, & tam arduæ causæ, imo tam miserabiles & desperatæ, proprium meritò requirunt Aduocatum, qui patrocinium earum propriè incumberet ex officio. Si enim princeps Reipublicæ mundanæ pro supplendo defectu imperiorum, ne ius eorum temporale deperiret, publicos aduocatos constituit in succursum imperitè litigantium; quanto fortiùs princeps vniuersitatis Deus, vniuersorum & singulorum insufficientiæ consulens, & periculis æternæ damnationis occurrens, publicum Aduocatum toti generi humano constituit, qui causis vniuersorum & singulorum agendis, & etiam releuandis sufficeret? qui in consistorio eius, & ante tribunal ipsius, pro omnibus pro quibus iustitia permitteret, staret: Alioqui curiæ eius & consistorio, non parum perfectionis deesset, si miseris & imperitis, sibique non sufficientibus, sufficiens Aduocati deesset patrocinium: Nullatenus enim in vltimæ perfectionis & sufficientiæ curia, deesse decet, qualem requirunt excellentem Aduocatum, hoc est, qui meritò sit omnium refugium miserorum.] Sicut ergo Eucharistia, est viua commemoratio Christi in cruce pro nobis mortui, & Missæ sacrificium incruenta expressio sacrificij crucis, ita agit hîc Christus Aduocatum pro nobis quemadmodùm in cruce fecit.

### *Vsus doctrinæ, de Christo Aduocato nostro.*

1032 Hæc quanta sit omnibus viatoribus, præsertim verò miseris peccatoribus, confidentiæ sanctæ sementis, iuxta Apostolum, ponderauit egregiè S. Chrysostomus hom. 15. in ad Rom. confirmátque perpulchrè, verbis illis Origenes hom. 8. in numer. *in ipso fine.* [Nostrum est, ad emendationem citiùs festinare, ad pœnitentiam sine dissimulatione conuerti, lugere præterita, cauere futura, inuocare auxilium Dei: statim enim vt conuersus ingemueris, saluus eris. Inuenies enim aduocatum, qui pro te interpellet Patrem, Dominum Iesum Christum, multo præstantiorem, quàm fuit Moyses, qui tamen orauit pro populo illo; & exauditus est. Et fortasse præterea Moyses scribitur interuenisse pro peccatis populi prioris, & impetrasse veniam, vt multo magis nos confidamus, quod aduocatus noster Iesus, indubitatam nobis veniam impetrabit à Patre, si tamen conuertamur ad eum, & non recedat retrò cor nostrum. Sicut & Ioannes in Epistola sua dicit; *Hæc autem dico filioli, vt non peccetis. Quod & si peccauerit aliquis vestrum, habemus aduocatum apud Patrem, Iesum Christum, qui interpellat pro peccatis nostris.*] Suauissimè Arnoldus Abbas Bonæ Vallis, *in ipso fine* laudationis B. Mariæ. [Datum est filio à Patre omne iudicium, & eius est temperare & dispensare seueritatis districtæ decretum, qui non facilè eos, quorum aduocatus existit, condemnat; cúmque idem sit aduocatus & iudex, nequaquam crudeliter iudicat, qui semper misericorditer interpellat. Merces quippe mortis eius, salus est hominum. Nec illud sibi perite facilè patitur, pro quo & sanguinis pretium magnum datum est, & tantum reconciliationis humanæ studium fuit, vt sua dispendia non attenderet, dum erroneum lucraretur.] Præclarè item Guerricus serm. 2. in Ramis palm. *in fine*; [Quanta clementia Pater suscipiet, quem Filius commendabit? Filius namque qui causam animæ tuæ semel in cruce suscepit agendam, nunquam eam agere desinit, apud Patrem semper interpellans. Vade securus, vade gratulabundus, vbi iudex tuus, est aduocatus tuus.] Et serm. 1. de Ascens. [O fœlices, quorum aduocatus ipse, iudex est: pro quibus orat, qui pari honore cum eo quem adorat, adorandus est. Voluntate labiorum eius, non fraudauit eum Pater, cum quo est ei vna voluntas & vna potestas, quia vnus Deus est. Omnino quod

Christus orat, impleri necesse est: cuius sermo virtus est, & voluntas effectus qui de omnibus quæ sunt, *Dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Volo,* (inquit,) *vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* O quanta securitas fidelium, quanta fiducia credentium; tantùm non abiiciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas, vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum, credituri sunt in Dei Verbum.]

1032 Quantum præterea in nobis pietatis & gratitudinis sensum, excitare debeat hæc Christi pro nobis aduocatio, diuinè omninò expressit Cassiodorus l. de amicitia cap. de Sabatho animæ, his verbis. [ Cum ille Angelus transfuga, & emansor, deinde detestabilem peteret ancillatum, Christus litem contra te posita, suam fecit, & post diuersas productiones testium legis, oraculorum, Prophetarum, signorum, prouerbiorum, sanguinem allegauit. Obtinuit allegatio illa, tuæ sententiam libertatis. Super calculo scriptæ sunt litteræ, in membrana corporis crucifixi: & confirmatæ osculo misericordiæ & veritatis, iustitiæ & pacis occurrentium sibi. Denique impressum est sigillum, plaga scilicet lateris, quam in pretium redemptionis nostræ, & expiationem nostram continuam, iugiter exhibet ante oculos. Adhuc extat titulus causæ, inscriptus in tantæ charitatis memoriam. Scias quòd si te ingratum reperit, nec velle tanto vti beneficio, exiget à te districtissimè mortem suam: vereórque ne quandoque indignantissimè tibi dicat, *Tolle manum tuam, & mitte in latus meum* dextrum *: mitte digitos in fixuram clauorum*, & vide quanta pro te passus sum. O ingrata, crudelis, impia, non putas Deum de collatis tibi beneficiis pœnitere, si ea viderit per ingratitudinem periisse? ] Saxeus sit quem tantus in nobis aduocationis Christi vsus ac fructus, non mpliat.

Erit autem eo certior fructus aduocationis Christi pro nobis, quo quisque vt S. Paulinus ad Aprum quondam Causidicum Epistola 29. aiebat, instructior iure diuino aduocatus, pro se postulabit; nec ita externum quæret patrocinium, vt sibimetipse suum denegét, quod bonis operibus, & meritorum cumulatione, præstare ex Dei benignitate potest. Quò spectat quod S. Anselmus in similitud. cap. 74. placitum (*le plaidoyé*,) Diaboli contra hominem, & hominis responsa, scitè exponit. Neque verò cui hæc aduocatio fructuosa per tempus vitæ non fuerit, expectare debet ab ea commodum aliquod in iudicio extremo, vbi causa iteratò excutietur coram iudice incorruptibili, & veteratore, ac quadruplatore nequissimo, nos vrgente: quod S. Augustinus orat. contra Iudæos Arria. & Paga. c. 3. & 4. monstrat pereleganter vt referam sequenti capite.

Nunc claudamus verbis eiusdem in psalm. 66. ad illud, *quoniam iudicas populos in æquitate*, vbi sic habet. [ Nemo te fallat. Gaudeat iudicandus, qui timuit iudicaturum. Præuidit enim, & præuenit faciem eius in confessione, ille autem cùm venerit, populos in æquitate iudicabit. Quid ibi valebit calliditas accusatoris, vbi est testis conscientia? vbi tu eris & causa tua? vbi iudex non quærit testem? Aduocatum misit tibi, propter illum, & per illum confitere. Age causam tuam, & defensor est pœnitentis, & petitor veniæ, confitentis; & iudex innocentis. Verè timere poteris causam tuam, vbi Aduocatus tuus, erit iudex tuus? Lætentur ergo & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate. Sed timere potuerunt nè malè iudicentur: dent se corrigendos, dent se dirigendos, ei qui videt iudicandos. Hìc corrigantur, & non timeant cùm iudicabuntur. ] En Christum defensorem siue Aduocatum, simul & Iudicem eius qui se in hac vita dignum præstat tali Aduocatione & defensione. S. Gregorius in calce homiliæ 7. in Ezech. præclarè idem docet his præter cætera. [ In assiduis fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia habemus Sacerdotem in cœlis qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Ioannem dicitur, *Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ecce exultat animus, cum Aduocati nostri potentiam audiuimus. Sed exultationem nostram iterum temordet timor, quia ipse qui nobis Aduocatus est, dicitur *iustus*. Nos enim causas iniustitiæ habemus, iustus verò Aduocatus iniustas causas nullo modo suscipit, nec verba durè pro iniustitia defendit. Quid ergo agimus charissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, & deseramus, & accusemus. Scriptum est, *Iustus in principio accusator est sui.* Quilibet enim peccator conuersus in fletibus, iam iustus esse inchoat, cum cœperit accusare quod fecit. Cur enim iustus non sit, qui contra suam iniustitiam, iam per lachrymas sæuit? Iustus igitur Aduocatus noster, iustos nos defendet in iudicio, quia nosmetipsos & cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in Aduocati nostri allegatione confidamus. Qui viuit & regnat cum Patre, in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. ]

## CAPVT IX.

### *Christus Fideiussor.*

1034 CHRISTVM quem Apostolus Heb. 7. *sponsorem melioris noui Testamenti* appellat, fideiussorem nostrum Theodoretus, aliique complures accipiunt; & ita intelligunt, vt quoniam nouum Testamentum pollicetur regnum cœlorum, & mortuorum resurrectionem, ac vitam æternam, quorum nihil adhuc visum erat, idcircò Christus sponsor melioris Testamenti dicatur quia per suam quidem resurrectionem, spem resurrectionis nostræ confirmauit; cæterorúmque bonorum obtinendorum, se veluti vadem nobis ac prædem statuit. Verè hoc quidem dici, non eo inficias. Sed ad Apostoli mentem, non minùs appositè dixerit quis, cum Oecumenio, & aliis fideiussorem, eo loco dici Christum; quia est mediator; ideóque pro nobis satisfacit, & debita quibus obstringebamur, exoluit; quod est fideiussoris proprium. Extollit enim eo loco Apostolus, noui Testamenti supra antiquum præcellentiam, quæ in gratiæ præsertim collatione

tione, & peccatorum remissione consistit. Huius autem præcellentiæ sponsorem ac fideiussorem interposito diuino iuramento, vt omnimoda firmitas adesset, factum esse Christum, ait Apostolus. Itaque notio sponsoris, siue fideiussoris, quam Christo tribuo, cohæret cum Apostoli instituto, estque pressiùs expendenda.

### *Varia nostra ad Deum debita; ex delictis præsertim.*

Quid verò fideiussor, alienum debitum respicit, defigitque apud extraneum manum suam, supponendum ante omnia est, multiplex esse genus debiti, vt minutiùs prosequitur Driedo de captiuit. & Redempt. gener. human. tract. 2. parte tertia, cap. 2. art. 2. & Lessius lib. 13. de diu. perfect. cap. 1. Vnum est debitum, quod ex lato per superiorem præcepto nascitur, cui satisfit obediendo. Aliud est, quod oritur ex irrogatione beneficij; & huic facit satis gratiarum actio. Tertium est, quod proficiscitur ex meritorum quantitate; hoc autem exæquatur distributione proportionaliter iusta, & meritis æquali. Quartum fundatur in contractu, & personarum inter se consentientium conuentione, vt in emptione, venditione, locatione, mutuo, omnibúsque commerciis, vel certè promissione acceptata. Quintum profertur, debitum connaturalitatis. Qua ratione, Physici passim docent, proprietates deberi naturæ, & quamdiu dispositiones consentaneæ supersunt, deberi corporibus conseruationem. Sextum debitum consequitur delictum, estque illud debitum, quod exurgit vel ex alieni ablatione, vel ex personæ violatione, vel ex offensione superioris. Huic debito, partim restitutio æquiualens, partim pressè sumpta satisfactio, & humilis ac pœnalis subiectio offensæ æqualis, rependenda est,

2035 Omnibus quidem debiti modis propositis, saltem cum debita accommodatione spectatis, obstringimur Deo. Nam & beneficiis innumerabilibus nos præuenit, & mandatis ac legibus, promissísque, & contractu inito, & ex naturæ suæ dignitate ac eminentia, etiamsi omnia alia deessent, hoc habet; vt omnis ei à nobis subiectio cultúsque debeatur. Verùm ex sexto præsertim capite, tot ei obstringimur nominibus, vt iis dissoluendis, impares simus. Peccatum enim quodcunque, est debitum quod contrahimus. Id quod oratione Dominica profitemur, cum dimitti poscimus debita nostra. In quæ verba Tertullianus l. de orat. c. 7. sic scribit. [ Debitum autem in Scripturis, delicti figura est, quòd perinde iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec euadat iustitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi seruo dominus debitum remisit. Huc enim spectat exemplum parabolæ totius. Nam & quod idem seruus à Domino liberatus, non perinde parcit debitori suo, ac propterea delatus penes doimnum tortori delegatur ad soluendum nouissimum quadrantem, ideſt modicum vsque delictum, eò competit, quod remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris. ] Ad eadem Christi verba Euthymius in c. 6. Matthæi, peccata dici debita confirmat, eo quod peccatum non minùs obnoxium reddat hominem, quàm æs alienum. Idem habet S. Augustinus serm. 126. de temp. verbis illis. [Debita, (fratres,) peccata intelliguntur, nam debitum contrahitur, quotiescumque delinquitur: quod debitum quandoque solui in gehenna necesse est. Et quia humanæ fragilitati non deest quotidie vnde delinquat, ideò petimus vt debita nobis, dum sumus in corpore, dimittantur, ne vsque ad nouissimum quadrantem desudemus. ] Et serm. 28. de verb. Dom. [ Debitum quid est, nisi peccatum? Ergo si non accepisses alieni fœneris pecuniam, non egeres; & ideò peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua dives nascereris. Dives eras ad imaginem Dei & similitudinem factus: perdidisti quod habebas, hoc est, humilitatem. Dum arrogantiam desideras vindicare, perdidisti pecuniam. Sicut Adam nudus & factus, accepisti à Diabolo debitum, quod non erat necessarium. Et ideò qui liber eras in Christo, debitor factus es Diabolo. ] Hæc verbatim leguntur apud S. Ambrosium l. 5. de sacr. c. 4. & vtrobique additur de cautione præstita Diabolo, nostróque penes eum asseruato chirographo, ex quo debitores Diabolo teneamur.

Sed hoc, non est ita accipiendum, quasi reuera Satan ex peccato nostro ius aliquod contrahat, eóque nos illi obstringamur, vno aliquo ex debitis superiùs prepositis. Reuera enim nihil huiusmodi est admittendum sed dicimur debitores fieri Diabolo, cum peccamus; isque nostram cautionem & chirographum accipere asseritur, quia debiti quo per peccatum simus obnoxij Deo, veluti exactio per vexationem & suppliciorum iustam inflictionem, committitur Diabolo, tanquam tortori, cui à iudice Deo mancipantur obærati spiritualiter, vt habet Euangelica parabola. Is autem cui vni tanquam creditori obstringimur in omni peccato, Deus est, quia ius eius, & maiestas, peccato quocunque violatur. Quod egregiè agnouit Origenes in c. 15. ad Rom. *sub finem*, vbi tractans mystice illud Apostoli, *& debitores sunt eorum*, præfatus, debitores factos esse omnes homines per Adami peccatum; rursúsque effici debitores, quotquot peccant in similitudinem præuaricationis Adæ; ait, vt hæc debita persoluerentur, data esse homini à Deo præcepta. Sicut autem præcepta illa obedientiam Deo exhibent, ita eundem agnosci creditorem, nemo non videt. Alioqui dissolutio, qualiscunque tandem sit, irrita esset. ]

### *Immensitas & chirographum debitorum ex delicto.*

1036 Quare ratum esto, debiti quod est ex delicto, cùm omnes generatim mortales, tum vnumquemque sigillatim, debitorem esse Deo creditori; Et cum tot ac tanta sint præter peccatum originis actualia peccata, necesse est fateri, crescere in immensum, debitorum nostrorum summam. Quod in Euangelica parabola, per ingentem illum numerum decem millium talentorum, expressum est. In quam parabolam S. Chrysostomus hom. 62. in Matth. & hom. 19. ex variis in Matthæum locis, vt ostendat quantoperè excreuerint debita, quibus ex peccatis obstringimur, exspatiatur in nonnullorum statuum peccata, nominatim militum, & opificum, ac suos agros villicis locantium, tantamque summam inde colligit delictorum, vt concludat

ſtupore defixus. [Obſtupeſce cœlum, & perhorreſce terra, in quantam feritatem ebacchatum eſt hominum genus.] Impoſſibile ſit exquiſitè inire numerum peccatorum quæ vnus aliquis è vulgo, admiſerit intra annos paucos, multóque minùs per totam vitam. Eorum ergo, quæ in vna aliqua vrbe, ab initio conditionis eius patrata fuerint, nulla Algebra multitudinem ſubduxerit. Quid igitur ſi de totius alicuius regni peccatis in vnam ſummam cogendis, ſuſcipiatur cogitatio? Deſperandus omnino erit euentus. At ſi orbis vniuerſi peccata, quæ vno duntaxat die admittuntur, in vnum veluti faſcem conuoluere & cogere, numerando velit, arenæ vniuerſæ quæ Oceani littora cingit, quantitatem longè ſuperatam, ac proinde veluti rem quæ numeris noſtris concludi nequeat numerando, intentatam relinquendam ſanus quiſque pronunciarit. Hinc æſtimari multo magis poterit, immenſus cumulus peccatorum, quæ omnibus retrò ſæculis ac ætatibus, vbiuis gentium & locorum, patrata ſunt, & ad mundi vſque clauſulam patrabuntur. Immetatæ illius ſummæ debitorum, reum debendi erat genus humanum, ea ex cauſa obæratum Deo.

Tenebatur à Satana chirographum, conſcriptum primò manu Adami qui primus peccauit, & ſe ac genus ſuum ære illo alieno obſtrinxit: Deinde à ſingulis, quoties peccarunt, adſcriptione noua firmatum. Audi Origenem homil. 13. in Geneſ. [Sunt quædam litteræ, quas Deus ſcribit, quædam literæ quas nos ſcribimus. Peccati litteras nos ſcribimus. Audi Apoſtolum dicentem: *delens*, (inquit,) *quod aduerſum nos erat chirographum in decretis, quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens illud cruci ſuæ.* Iſtud quidem quod dicit chirographum, peccatorum noſtrorum cautio fuit. Vnuſquiſque etenim noſtrum, in his quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati ſui literas ſcribit. Quia & in iudicio Dei, quod Daniel conſediſſe deſcribit, libros dicit apertos, ſine dubio qui peccata hominum continerent. Hos ergo ipſi nobis ſcripſimus, per ea quæ delinquimus. Huius enim rei & illa imago eſt, quæ in Euangelio dicitur de villico iniquitatis, qui ad vnumquemque debitorem dicit, *accipe litteras tuas, & ſedens ſcribe octoginta*, & cætera quæ referuntur. Vides ergo quia vnicuique dicitur, *accipe literas tuas.* Vnde conſtat, noſtras eſſe litteras peccati; litteras autem iuſtitiæ, Deus ſcribit. Ita enim dicit Apoſtolus; *Vos enim eſtis Epiſtola, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Habes ergo in te litteras Dei: & litteras Spiritus ſancti. Si verò delinquas, ipſe tibi conſcribis peccati chirographum.]

Hæc commodior videtur chirographi in Scripturis celebrati interpretatio. Minùs enim quadrat quod Chryſoſtomus homil. 6. in ad Coloſſ. chirographum interpretatur, quod Deus Adamo conſcripſerat, dicens; *quacunque die* &c. At vt ipſe ibidem, *ſub finem*, argumentatur, chirographum eius eſt qui ære alieno obſtringitur; quod conſtat in Deum, reſpectu Adæ, non cecidiſſe. Aptius eſt quod addit, dictum chirographum, illud Iudæorum ad Moſem reſponſum Exodi 24. *quæcunque dixit Deus, faciemus.* Sed benè hoc refellit Theodoretus Coloſſ. 2. quia chirographum illud, non erat niſi Iudæorum: cum tamen hîc agatur de chirographo omnium hominum. [Exiſtimo ergo, (ait Theodoretus,) etiam corpus noſtrum appellari chirographum. Per id enim omnes ſceleratas & nefarias actiones ſuſcipimus: per oculas quidem, laſciuè & impudicè aſpicientes: per linguam autem, ea quæ non decet, loquentes: per aures pernicioſam doctrinam ſuſcipientes: manibus autem, furtum, vim, & in aliena inuaſionem, & cædem admittentes. Deus ergo ſermo, noſtra ſuſcepta natura, eam ab omni peccato liberam cuſtodiit: & deleuit quæ malè à nobis facta ſunt ſcripta debitorum. Cum autem conceſſiſſet vt ea cruci affigeretur, exoluit omne noſtrum debitum.]

### *Eorundem debitorum, per nos & puram quamcunque creaturam indiſſolubilitas.*

1037 Tantum verò abeſt, vt debitorum quæ quiſque primùm contraxit, diſſolutionem ære ſuo poſſit perficere, & primum illud debitum obliterare, vt potiùs, vſuris in dies creſcentibus, auctior ſemper euadat ſumma; quantum quidem eſt ex vi humanæ noſtræ poteſtatis, ad diſſoluendum ſemel contractum debitum. Qua ratione, rectè, cum fœnore, videntur componi peccata: præter rationes quas D. Ambroſius lib. de Tobia cap. 4. proponit; nempe quod vſuræ inferant ſeruitutem, quæ item infertur peccato: & quod Satan fœnerator, res animæ, & pretioſæ mentis patrimonium fœnerans, quodam vſurariæ iniquitatis ſumptu, ſic capiat animas vt fœneratores ſolent; & auro illiciens, ac reatu inuoluens, caputque pro theſauro repoſcens. Rurſuſque ibidem cap. 10. eandem ob cauſam, fœneratorem vocat diabolum. [Quis iſte (inquit,) peccati eſt fœnerator, niſi Diabolus, à quo Eua mutuata peccatum obnoxiæ ſucceſſionis, vſuris defœnerauit omne genus humanum? Denique quaſi malus fœnerator, chirographum tenuit, quod poſtea Dominus ſuo cruore deleuit. Etenim quod mortis erat ſcriptum apicibus, debuit morte diſſolui. Fœnerator ergo Diabolus.] Et mox. [Quis grauior exactor eſt? Et hoc triſte nomen. Denique Dominus ait; *Populus meus, exactores veſtri circumſcribunt vos.* Et in Euangelio habes: *Dum vadis cum aduerſario tuo ad magiſtratum, ad operam liberari ab illo, ne forte perducat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Quis iſte ſit exactor agnoſce, qui etiam nouiſſimum quadrantem exigit; & idem ſe creditorem vocat, atque in hoc etiam nomine fraudem facit, vt qui veneni pocula meſſe illinit, vt ſub grato odore mors lateat, atque illita calicis ora vini fraudis abſcondat. Creditor prætexitur, quaſi fidelis: & quaſi incredulus, ad quem fidelis oppignorat.] Aham item cauſam cur peccata vſuræ dicantur, ſic ſuppeditat S. Auguſtinus in pſal. 71. ad illud. *ex vſura & iniquitate redimet animas eorum.* [Quæ ſunt illæ vſuræ niſi peccata, quæ etiam debita nominantur? Vſuras autem appellatas puto quia plus mali inueniunt in ſuppliciis, quàm commiſſum eſt in peccatis. Nam, verbi gratia, cùm homicida corpus tantùm hominis perimat, animæ autem nihil nocere poſſit: ipſius & anima & corpus perditur in

in gehenna. Propter huiusmodi contemptores præsentis præcepti, & irrisores futuri supplicij, dictum est, *Ego veniens cum vsuris exigerem.* ]

Hæc quidem verè dicuntur, & accommodatè cum ad vsurarij genium, tum ad vsuræ labem qua supra sortem aliquid ex mutuo accipitur. Sed quod profitebam de peccatis infœliciter augentibus summam semel debitam, non minus videtur congruere, ad fundandam eam vsuræ denominationem quoad peccata. Nemo enim non nouit, autore D. Gregorio, quàm infortunata feracitate succrescat, malitia semel admissa: quámque (quod ex nobis est,) in nouas semper propagines miserè soboleſcat.

1038 De impotentia ergo humani generis ad dissoluenda debita peccatorum quibus Deo erat obæratum, dubitare non licet. Idque non de hominibus duntaxat qui fuerunt, sed & de omni creatura pura, diuinitùs producta, aut producibili, ratum æquè esse vult Gulielmus Paris. l. cur Deus homo c. 7. *sub initium*; vel si de solo primo hominis peccato sermo habeatur; quod in hunc ferè modum confirmat. Nulla creatura potuit ex se, siue ex suo, soluere debitum transgressionis primæ. Nihil enim habet nisi alienum & credito vel mutuo concessum: & quicquid habet aliunde habet: próque eo ipso, obstricta est ei à quo accepit. Omnis itaque creatura, & se ipsam, & quicquid habere potest, Deo debet, à quo & se & omnia sua mendicato tenet. Cuiuscunque autem rei annumeratione, illud tantùm debitum solui potest, quò illa debetur. Non potest igitur creatura vlla, per sui ipsius, vel cuiuscunque rei suæ annumerationem, aliud soluere, quàm seipsam, & quæ præterea habet à Deo. Quare prima transgressio, est debitum puræ creaturæ cuicunque indissolubile. Hoc ipsum est quod in alia anteriore ratione clariùs dixerat Gulielmus, nempe nullam puram creaturam posse Deo debitum soluere, nisi benedicendo, & Deo aliquid suum exhibendo. Nullam autem puram creaturam, quoscunque obedientiæ actus exhibeat, & vel si seipsam reddat; aliud præstare quàm id ad quod tenebatur iure creationis, & accepti illius esse per quod operatur, aut quod exhibet. Non posse igitur soluere vel propriam transgressionem, multò minus alienam. Saluianus initio tertij ad Ecclesiam, benè hoc & paucis attigit, monstrans quoscunque, quantumuis sanctos, esse Deo debitores in multis: ac proinde quæcunque Deo dederint, non tam donate, quàm soluere: sed inadæquabiliter, & cum impotentia ad exhauriendum debitum. Plenè actum est, de hac impotentia humani generis, imo cuiusuis puræ creaturæ, ad dissoluendum peccati debitum quo grauabatur, cum de fine aduentus Christi dissereremus. Nunc satis erit illam illustrare insigni loco Procli hom. de Natiuit. Dom. quæ extat tom. 6. Concilij Ephesini c. 7. [ Humana natura (inquit,) propter peccata multis obstricta debitis tenebatur; neque quod debebat, vlla ratione dependere poterat. Per Adamum namque omnes peccato quasi chirographum dederamus, omnesque Diabolus in seruitutem redegerat. Etenim corpore nostro, permultis passionibus subiecto, veluti charta vsus, nostræ venditionis pretia ostentabat, passionumque debitum, malignus ille falsarius minitabundus ob oculos nobis ponebat, ac nos vniuersos ad supplicium condemnationémque deposcebat. Erat itaque alterutrum duorum necessarium: aut vt omnes propter condemnationem præcipites abirent in mortem (omnes enim peccauerant;) aut certè vt talis in pretium daretur, cui omnis suppetebat iustificatio ad recusandum. Atqui homo, quod peccati debito subiaceret, saluare non poterat. Angelus verò quod tantum redemptionis precium ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequibat. Supererat igitur, vt Deus pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat, atque vnica hæc restabat mali solutio. ]

### *Christus, chirographum nostrum, deleuit ac conscidit.*

1039 Quod solus præstare potuit Christus, præstitit reipsa. [ Dominus (ait S. Ambrosius lib. de Tobia c. 9.) æris solutor alieni, nihil ipse debebat, qui poterat dicere, *Ecce venit huius mundi princeps, & in me suum nihil inuenit.* Nihil debebat, sed soluebat pro omnibus, sicut ipse testatur, dicens; *quæ non rapui, tunc exoluebam.*] Idipsum Cassiodorus l. de amicitia cap. de charitate, Sabatho animæ, considerandum proponit piæ animæ. [ Eras, (inquit,) grauissimo creditori (Angelum Sathanæ loquor) illi quidem immanissimo exactori, tot debitis, quod peccatis, vinculo chirographi obligata; nec soluendo eras; Dei autem filius non rapuerat, sed quia rapueras, pro te soluit, & quod dignatio propensior, & gratia vberior erat) non delegauit alium debitorem, sed dedit animam suam in causam soluti. ] Quomodò nos fuisse Satanæ obstrictos dicat, expositum superiùs est. Quod verò per seipsum, non per interpositam personam, confectum à Christo nostrum negotium, & dissolutum debitum nostrum affirmat; eò pertinet, quod Christus ad satisfaciendum Deo pro nobis, non tantùm actiones suas, sed seipsum quoque, & vitam suam pretiosissimam, impendit. Sicque ex eius morte, extitit vita vniuersorum, & in mortuo eius corpore, pretium sufficiens ad obæratos omni ære alieno liberandos, & chirographa tradita reposcenda, ac rescindenda inuentum est.

Disserit elegantissimè in eam sententiam S. Macarius homil. 11. inducens Christum, cum morte (hoc nomen Satanæ, in variis Scripturis,) cum Satana inquam, creditore chirographario agentem. Admiratus enim quomodò serpens mortuus erectus à Mose, occideret serpentes, concludit hoc esse symbolum Christi Crucifixi, & morti pro debitis nostris addicti. [ In corpore (inquit) mortuo, sita est vita; ibi redemptio ibi lumen, illic Dominus accedit ad mortem & dispulat cum ea, imperátque vt emittat animas ab Inferno & morte, easque sibi reddat. Mox igitur his perturbata Mors, pergit ad ministros suos; congregatisque vniuersis Potestatibus, Princeps nequitiæ repræsentat chirographa, inquiens: Ecce hi peruerunt verbo meo; vide, quomodò coluerunt nos, homines. Deus autem qui iustus est iudex; & illic patefecit iustitiam suam, aitque illi; obtemperauit tibi Adam, & ob id occupasti vniuersum cor eius; paruit tibi humanitas, hoc autem meum corpus

quidnam egit? Illud est à peccato immune. Corpus quidem primi Adæ, obligatum est tibi: & ob id, de iusta de causa sunt apud te eius chirographa: at mihi testificantur omnes, quòd non peccauerim, neque in aliquod tibi sum obligatus, quodque sum filius Dei, omnes perhibent testimonium. Interserit pleraque ad id Scripturæ testimonia quibus Pater æternus & Baptista, & ipse etiam Satan Christi innocentiæ sunt astipulati tum pergit. [Tres ego mihi têstes habeo, nempe eum qui de cœlis vocem emisit, eos qui sunt super terram, & teipsum. Redimo igitur corpus tibi venditum per priorem Adam. Dissoluo tua chirographa, quia persolui debita. Adæ, dum crucifixus sum, & in infernum descendi. Præcipio igitur vobis infernæ tenebræ, & mors, emittite animam Adæ inclusam. Et ita paulo post, improbæ potestates, tremebundæ restituunt Adam inclusum.] Non dissimiliter Theodoretus serm. 10. de prouid. exhibet morti insultantem Christi animam, & iure persoluti debiti chirographique conscissi, eruentem obæratos carcere conclusos.

1040 Sic deletum est chirographum. Deletum dicam, an conscissum? Nam conscissum quidem, affirmat Chrysostomus homilia 6. in ad Colost. Ita enim exponit quod habet Apostolus Colost. *sustulit illud de medio:* ideſt, non conseruauit, sed disrupit illud, ac discidit. Possumus etiam dicere, ignibus traditum fuisse, & absumptum admotione flammæ odoratioris quàm qua ante annos non ita multos, Reip. cuiusdam opulentissimæ legatus, chirographa immanium summarum auri, quo Rex magnus obæratus erat Reipublicæ prædictæ, structa ex cynamomo pyra, intra quam chirographa Rege contuente abdiderat, iniecto igne omnia flammis absumenda dedit; excitato inde suffitu, quo Rex nunquam se suauiorem hausisse professus est. Igne ergo flagrantissimæ Christi charitatis, & odoratissimo omnium, quæ vnquam in cœlum subuecta fuerant holocaustorum nidore nostra chirographa conflagrarunt. Delectionis tamen metaphoram, vsurpant quoque graues Patres. [Cautionem tuam Ambrosius lib. 5. de sacram. cap. 4. descrip[illegible] b Augustino serm. 28. de verb. Dom.) tenebat inimicus: sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore deleuit, abstulit debitum tuum, reddidit libertatem.] Et in Apologia Dauid cap. 13. *in fine*; [Præclarè Apostolus ait, quia donauit nobis peccata Dominus IESVS, delens chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum de medio tulit, affigens illud cruci. Deleuit sanguine ab atramentum Euæ, deleuit obligationem hæreditatis obnoxiæ.]

Apud Anselmum tamen lib. 1. Cur Deus homo cap. 7. Boso aliter accipit Chyrographum de quo Paulus eo loco; & ita accipit, vt ad rem præsentem non pertineat. Ait enim. [At si obtenditur. Chirographum illud decreti, quod aduersùm nos dicit Apostolus fuisse: & per mortem Christi deletum esse: & putat aliquis per illud significari: quia Diabolus quasi sub cuiusdam pacti chirographo, ab homine iustè ante passionem Christi peccatum, velut vsuram primi peccati, quod persuassit homini, & pœnam peccati exigeret, vt per hoc iustitiam suam super hominem videatur probare: nequaquam ita intelligendum puto. Quippe chirographum illud non est Diaboli: quia *chirographum* dicitur *decreti*: decretum autem illud non erat Diaboli, sed Dei. Iusto namque iudicio Dei, decretum erat, & quasi chirographo confirmatum, vt homo, qui sponte peccauerat, nec peccatum, nec pœnam peccati per se vitare posset. Est enim *spiritus vadens, & non rediens: & qui facit peccatum seruus est peccati.* Nec qui peccat, impunitus debet dimitti, nisi misericordia peccatori parcat, & eum liberet ac reducat. Quamobrem per hoc *chirographum*, nullam inueniri posse Diaboli iustitiam in hominis vexatione credere debemus.] Hæc ibi, quæ non sunt Anselmi, sed Bosonis disputantis: idcòque facilè possunt reiici; cum deletio & affixio in cruce, non cadat aptè in decretum Dei, sed in chirographum ab homine conscriptum, quo suppositio Deus tulit decretum. Illud ergo chyrographum nostrum deleuit Christus.

### *Etiam vsurarum debitum, à Christo abolitum.*

1041 Nec sortis duntaxat, rescissum vel deletum est chirographum; sed etiam vsuratum omnium debita abolita per Christum fideiussorem nostrum: quod pro maximo Dei beneficio Psal. 71. fuisse prædictum, sic tradit S. Ambrosius lib. de Tobia cap. 4. [Magnum & memorabile beneficium Dei, specialiter ore Prophetico prædicatur, quod in patres contulit, quia ex vsuris & iniquitate liberauit eos. Et propriè ait. *Ex vsuris liberauit eos*, quia vsuræ inferunt seruitutem. Quasi diceret: Ex seruitutis vinculo ereptos reddidit libertati.] Audi etiam eundem præclarissimè philosophantem in hanc sententiam Epist. 18. inter tractandum de duobus debitoribus, cuidam fœneratori obstrictis. [Nemo vocabulum *fœneratoris* horrescat. Fuimus ante sub fœneratore dato, qui nisi morte debitoris expleri ac sanari nequiret. Venit Dominus Iesus, vidit nos graui obligatos fœnore. Nemo enim fœnus patrimonio innocentiæ suæ poterat exoluere: & quia de meo, vnde me liberarem habere non poteram, nouum genus absolutionis mihi detulit, vt creditorem mutarem, qui fœnus vnde soluerem non habebam. Debitores autem nos, non natura sed culpa fenera: peccatis autem nostris æra grauia contraximus, vt essemus obnoxij, qui eramus liberi. Debitor enim est qui aliquid accipit de fœneratoris pecunia. Peccatum verò à Diabolo est: tanquam ergo in eius patrimonio habet impius opes. Sicut enim Christi diuitiæ virtutes sunt, ita Diaboli opes crimina sunt. Redegerat humanum genus in perpetuam captiuitatem obnoxia hæreditas graui fœnore, quod obæratus auctor ad posteros de fœnerata successione transmiserat. Venit Dominus Iesus, mortem
suam pro morte omnium obtulit,
sanguinem suum pro sanguine
fudit vniuersorum. Mutauimus ergo creditorem,
non euasimus.]

* *
*

*Vsus doctrinæ, de Christo fideiussore pro debitis nostris.*

1042 Quo porrò duriora & asperiora sunt, quæ Christus Dominus ad debitorum nostrorum dissolutionem subiit, eo obstrictiores illi & deuinctiores sumus, caditque huc perbellè illud Sapientis. *Gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris; posuit enim pro te animam suam.* S. Bernardus mellitissimè pro more id expendit serm. de quadruplici debito. [Vis (inquit) scire, quæ & quibus debeas? Primò Christo Iesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua, & cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Quid tibi durum vel dirum esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus splendor & figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (vt dicitur) vsque ad cubitos in limo profundi: Quid non suaue tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, rememoraberis, primùm quidem illarum infantilium necessitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremò periculorum in falsis fratribus, conuitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horúmque similium, quæ in salutem nostri generis triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ? O quàm indebita miseratio. quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm inuicta mansuetudo, Regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi? Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile? Vix enim pro iusto quis moritur: ipse pro iniustis & inimicis mortuus est, exigens exulare à cœlis, vt nos reportaret ad cœlos, amicus dulcis, consiliarius prudens adiutor fortis. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, qui sunt & qui erunt, nihil esset ad comparationem corporis illius, quod spectabile & stupendum est virtutibus etiam supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscationibus miraculorum, in reuelationibus sacramentorum? Vides igitur quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltata est vita illa, à vita nostra, quæ tamen posita est pro vita nostra? Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vita nostra, nullam habet ad vitam illius proportionem, cum illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec me putes rem exaggerare sermonibus, quia hîc deficit omnis lingua, nec sufficit oculus, vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Cum ergo ei donauero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum?]

Saluianus quoque, initio secundi ad Ecclesiam, incussurus pudorem iis qui ægrè se agnoscunt debitores Deo, illud præter cætera egregiè considerat, quo Christus se demiserit, vt debita nostra exolueret. Vnde vel si omnia alia deessent tantum, támque grande debitum, existere profitetur, vt sit planè inæquabile cuicunque creaturæ. [Addo post ista omnia quod idem Dominus qui te primum munere suo genuit, postea etiam passione saluauit, quod propter te, ô homo, terram ac lutum, immò exiguam terræ ac luti partem rerum vniuersarum Dominus è cœlo venit, terras adiit, ex carne pariter, & in carnem processit, humiliatus vsque ad humani exordij pudorem, & pannorum illuuiem & præsepij vilitatem, tolerans indignas se, vitæ istius passiones edendi, bibendi, somnij vigiliarum ægras vicissitudines, & caducæ ipsius conuersationis contumelioſas necessitates: ipsam denique hominum circa se conuersantium fœtidam commorationem, populos peccatorum sordentium luto oblitos, semper malæ conscientiæ admisſu reos, turpium ex se actuum nidorem exhalantes. Et ideò cœlestium præceptorum incapaces, nec sustinentes sacri fulgoris iubar, quia caligantes peccatis oculos splendor diuini luminis obruebat: nec solùm hoc, sed post hæc omnia ade proteruas superuientis populi contradictiones, adde conuitia, adde maledicta, impiam insectationem, testimonium falsum, iudicium cruentum, irrisiones populi, sputa verbera, acerbissimas quidem pœnas, sed indignitates pœnis acerbiores, coronam spineam, aceti poculum, cibum fellis, damnatum ab hominibus dominum vniuersorum, pendentem in patibulo humani generis salutem, Deum terrenæ conditionis lege morientem. Quæ cum ita sint, quicumque ille aut sanctus est, aut sanctum te esse credis, dic mihi quæso, nunquid solui hæc sola possunt, etiamsi nulla alia debeantur? Quidquid enim libet homo pro Deo perferat, solùm omnino non potest quod Deo pro homine perpessus est.]

1043 Iuuerit etiam illud perpendere in omni occasione offendendi Deum, & conculcandi hoc pretium pro nobis datum, quod S. Augustinus orat. de 5. hæres. c. 7. ex Catholici nomine, profert aduersùs Arrianum à quo ad fidem eiurandam sollicitabatur, oblatione pecuniæ. [Aduersatur (inquit,) clamat, litigat, pugnat, turbas congregat, contra Christum dimicat. Ille sanguinem fudit, vt redimat: iste pecuniam spargit, vt perimat: speluncam fabricat, illic Catholicum præfocat. Christianum vocat Paganum, Baptizare ingerit Baptismum, contra id quod scriptum est; *Qui semel lotus est, non indiget denuò lauari.* Clamat homo, Christianus sum: quid me dicis esse quod non sum? Clamat fidelis sum, & ille dicit: Accipe à me pecuniam. Clamat, Redemptus sum: & ille dicit: Accipe à me aurum. Quid das, aut quid auferes? Das pecuniam, vt auferas gratiam: das pecuniam, vt auferas vitam, das pretium, vt auferas quod emptus sum. Quid emis ab empto? Pretium meum non aurum, sed sanguis Christi est: non me seducis, non me decipis, quantumcunque mihi conferas, non mihi tollis pretium meum. Pecunia tua tecum sit in perditionem, pretium meum non habet æstimationem.]

Prospiciendum item omni cura & studio, ne tanto Christi fideiussoris labore, támque liberaliter pro nobis facta dissolutione debitorum

nostro

nostrorum, exsoluti alieno ære, rursus miserè obæremur; quod faciunt, qui Satanæ, per peccata quibus renunciarant in Baptismo vbi primùm per Christum debita nostra laxantur, iteratò se addicunt, de quo grauissimè & ad Neophytos, & ad anteriùs illuminatos philosophatur S. Chrysostomus hom. ad Neophytos, verbis illis. [Igitur quoniam nos, tantis bonis agnouimus esse perfunctos, vitam congruam peragamus, & symbola illa atque pactiones quibus sumus constricti, cordibus nostris inhæreant. V obis proclamo, cautiones vel chyrographa peccatorum nostrorum scinduntur, quia nunc estis recenti lumine illustrati. Sed & vos hac admonitione constringo, quos olim quoque similis beatitudo suscepit. Communis etenim hæc ratio nobis est, idem sermo, communis obligatio: quoniam æquè & fœdera nobis cum illis communia: non atramento, sed spiritus recordatione conscripta: non calamo, sed linguæ puritate firmata. Hoc enim calamo, cùm Deo pactiones conscribi consueuerunt. Et ideò Dauid ait; *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Confessi sumus huius imperium, Diabolicam negauimus tyrannidem. Hoc chyrographum, hoc pactum, hoc symbolum, docetur esse conscriptum: videte ne chirographario inueniamur iterum debitores. Venit Christus, & paternis nos cautionibus inuenit astrictos, quas conscripsit Adam. Ille initium obligationis ostendit, peccatis nostris fœnus accreuit: ibi maledictio fuit, & peccatum, & mors, & legis condemnatio: & hæc omnia Christus deleuit atque concelcit, & clamat Paulus dicens; *Chirographum peccatorum nostrorum quod erat aduersarium, & ipsum tulit de medio, affigens cruci.* Non dixit *delens*, non *cataractans*; sed *crucis affigens*, vt prorsus eius nec vestigia remanerent: ideò non deleuit, sed conscidit. Crucis enim claui dissipauerunt illud, vt in eo nulla de postero remaneret vtilitas. Et hoc non in angulo, nec secretim, sed in mundo medio, omnium videntibus oculis, in excelso ligno nexum eius euacuat. Inspiciant quidem Angeli, considerent Archangeli, & omni admiratione cœlestes peruideant potestates. Nec aduersarios hoc lateat, nec Dæmones, nec ipsum Diabolum, qui nos debitis obnoxios effecerunt. Scinduntur sub fœneratoribus cautiones, ne nobis in posterum molestiæ præparentur. Quoniam igitur prius chirographum omnibus viribus caret, inuigilemus ne nos alia obligatio, altérque nexus astringat.]

1044 Non repugnat sibi hic S. Pater, cum hom. 6. in ad Colosss. negat hoc esse chirographum; aitque esse pactum & fœdus. Agit enim de conuentione quam cum Christo inimus in baptismo, renuntiantes Satanæ: quam rectè negat vocandam *chirographum*, cum non sit de ære alieno, vt ait. Respectu tamen Satanæ, cui nos debitores statuimus, & obæramus, potest appellari chirographum. Idque præter Chrysostomum illo alio loco, obseruauit etiam S. Augustinus oratione contra Iudæos, Paganos, & Arrianos cap. 3. consultationem instituens, cœlestium (vt vocat,) Iurisperitorum, hoc est Sanctorum Apostolorum, ex quorum vna sententia respondet, pupillo qui ex paterno chirographo debitor inuentus est reus, atque obstrictus ab aduersario detinetur, non aliud esse capescendum consilium, quàm vt quod fecerunt ipsi, & ipse faciat: renunciet inquam Satanæ, & pompis eius, ne à Christo solutus debitis relabatur in æris alieni obligationem. Eam consultationem, sic concludit D. Augustinus cap. 4. [Videtis dilectissimi, quam sententiam protulerunt nostri defensores. Vigilet itaque vnusquisque, ne non ex toto renuntians post professionem, apud eum Diabolus suos pannos recognoscat: & incipiat semper reus detineri, quem Christus voluit sua gratia liberare. Nec sibi malè blandiantur, qui post gratiam acceptam, corrigi nolunt, atque rursus ad illas suas pristinas redeunt voluptates. Expectatur enim dies iudicij, aderit ille æquissimus iudex, qui nullius potentis personam accipiet, cuius palatium auro vel argento nemo corrumpet. Astabunt omnes animæ, vt referat vnaquæque secundùm ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Præsto enim erit aduersarius Diabolus, recitabuntur verba professionis nostræ. Et si talis inuentus fuerit quisque vt debitor ex hac vita migret, exultabit ille aduersarius in conspectu sereniſſimi iudicis, superiorem se esse reclamans, agénsque talem causam apud talem iudicem. Æquissimè, inquit, iudex iudica, iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Iudica meum esse, qui tuus esse noluit: meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem, vt quid inuasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiauerat? Quid intemperantia, quid auaritia, quid ira, quid superbia, quid cætera mea? Postremò æquissimè fugientem à me, confugientem ad te, postea cum meis quibus renuntiauerat apprehendi, inuasorem detinui. In ipsa quodammodò mea possessione, à me apprehensus est. Quid enim in circo faciebat, atque tibi furias, lites, insanas voces, inanésque victorias, cùm iam à se alienus sibimet videbatur, videbat? Qui in theatro faciebat, renunciator turpium voluptatum? Quid in amphitheatro, crudelitates sæuas oculis suis inuendo? Thesaurisauit iram in die iræ. Hæc omnia mea post renunciationem inuasit, meus esse voluit & mea concupiuit. Iudica, iudica æquissimè, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodùm voluit obligare. Poterit ne os aperire, is qui post professionem suam talis inuenitur, vt iustè Diabolo addicatur?]

1045 Eo porrò cautiùs hîc agendũ Christiano, quod hoc nouo beneficio, multo amplius est in ære Dei; qui creditor est exigens cum vsuris sortem concessam, vsque ad nouissimum quadrantem. Pulcherrimè id prosequitur. Hildebertus Cœnoman. Epist. 15. [Magnus (inquit) fœnerator est hic Deus noster, coram eo loquor, importunè vsuras exigit iste creditor noster. Creditor noster est, & durus creditor est. Ille homo quidem qui peregrè profectus est, ipse plenilunio reuertetur, cùm redierit, duplum requiret à te, cùm susceperit, centuplo munerabit te. O beatum commercium, in quo nec vsuras exigens, criminis arguitur, nec soluens in aliquo grauatur! O felicem negotiationem, in qua creditor est opportunè importunus, & debitori plusquàm debeat debetur? Proinde timendum est, ne ad iudicium sine venia venias, si (quod ab sit,) negotiandi negligentiam oblitione fore impunitam somnias. Intellige quæ dico: magnæ

memoriæ

moriæ est iste creditor noster : pœnaliter obli-ta es tui , si putes eum oblitum debiti sui. Nihil obliniscitur tempore , nihil occupatione æquè recolit , & quod hodie præstat , & quod heri præstitum : quoniam hodie suum est , & heri. Abeunt dies & dies, anni & anni;sed mille dies & *mille anni ante oculos suos , tanquam dies hesterna quæ præteriit.* Nunquid ergo non numerabit quantùm tibi præstiterit , qui solus denumerat arenam maris , & pluuiæ guttas, & dies sæculi ? Nunquid non diuidet in minutias talenta tua , qui diuisit aquas ab aquis in sapientia sua ? Fortassis autem trahes in ius creditorem tuum,dum repetet à te commodatum suum? Intellige quæ dico. Bonus causidicus est , qui tecum rationem posturus est. Coram Angelis referet, veritati deferet, terribilia proferet,horribilia inferet.]

# CAPVT X.

## *Christus , Sacerdos.*

SAcerdotii & Pontificatus magna est connexio, vt proinde merito consecuturi se sint in nostra tractatione, hi Christi tituli. Nihil quippe aliud est Pontifex , quàm summus sacerdos : & vtriusque munus est, assistere populo in iis quæ sunt ad Deum , & offerre dona & sacrificia pro peccatis. In Pontificatu tamen , supra sacerdotium includitur potestas , ad multa cultui diuino,& animarum bono necessaria,quæ sacerdotio simpliciter dicto , non continetur. Quare de sacerdotio priùs agendum. Et quamuis habeamus in lege noua alios ordines ; & alia Ecclesiastica munera sacerdotio præuia ; nimirum quatuor vt vocamus minores Ordines , & duos sacros,Subdiaconatum inquam & Diaconatum, possëtque in dubium verti , an & quatenus illorum in se ordinum rationem Christus expresserit , tamen non hærebo in eo ; tum quia difficultate vacat , tum quia nisi per analogiam aliquam expediri potest. Qui verò in eam rem plura volet , adeat Stephanum Heduensem lib. de sactam.alta.cap.6. & 8. & Hugonem Victorinum lib.2.de sacram. fidei p. 1. a cap. 6. Florum Magistrum in expositione Missæ.Ex recentioribus,Vasquem 3.p.d.242.c.7.

### *Christus in via , verè Sacerdos, in natura tantùm humana.*

1046 A sacerdotio igitur auspicando , statuendum est vt certum ex fide , Christum verè & propriè fuisse sacerdotem , non ea tantùm generali natione , qua omnes qui Deum rectè colunt, sacerdotes interdum dicuntur , vno aliquo ex decem illis sacrificiis latè dictis quæ S. Chrysostomus enumerat in Psal. 95. sed illo propriè accepto sacerdotio , quod à propriè accepti sacrificij actu petitur. Qua ratione , Christum fuisse in hac vita sacerdotem, negauit nuper quidam Paulus Socinus Senensis , ex Italia, (vt alij eiusdem furfuris complures,)ad captandam effrœnationē , libertatis Christianæ specie obductam,transfuga in Batauiam & Poloniam. Eius hæc terrerrima fuit blasphemia , Christum in terra non fuisse sacerdotem , nec vllum pro nobis obtulisse sacrificium , sed sanctè hic ac piè viuendo, promeruisse fieri in cœlo sacerdotem,ac Christum ; cum ad punctum vsque collati in cœlo sacerdotij , nominandus tantùm fuerit Iesus à Nazareth. Annititur autem idem Sectarius,stabilire exitiale hoc dogma, ex Apostolo:qui ad Hebr.8.ait de Christo.*Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Unde necesse est,& hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram , nec esset sacerdos , cum essent qui offerrent secundum legem munera.* Addit & illud , ex c.9. eiusdem Epistolæ. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum , ideſt non huius creationis.* &c. *intrauit semel in sancta , æterna redemptione inuenta.* Et inferiùs. *Non in manufacta sancta Iesus introiuit , exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum , vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

Verùm hæc loca nihil minùs probant quàm id ad quod assumuntur.Apostolus enim his locis,docet quidem Christum nunc in cœlo agere pro nobis sacerdotem , offerendo Patri perpetuam præsentationem, & commemorationem, sacrificium cruentum semel oblatum in cruce; & Patri item offerendo , ad modum primarij sacerdotis , quotidiana sacrificia incruenta, quæ in terra donec reueniat,offeruntur. Negat item his locis Apostolus , Christum esse sacerdotem super terram : ideſt quales erant Aaronici templum Salomonicum frequentantes , eique alligati : ad hoc enim necessarium non erat , Christum esse sacerdotem , cum essent plerique qui exemplari & vmbræ deseruirent futurorum. Hæc prædictis locis tradit Apostolus. Non negat tamen , Christum in terra fuisse verè & propriè sacerdotem oblato nobis sacrificio vero & propriè dicto. Imo id diligenter probequitur ea ipsa Epistola ad Hebr. à cap.5. ad 10.vt mox declarabimus , expenso Christi sacrificio.Innumeras alias in hanc rem Scripturas , Patrum interpretatione firmatas , adhibet Iosephus à Costa lib.4.de Christo reuel.c.3.

1047 Statuendum insuper est , Christum non fuisse sacerdotem secundùm naturam diuinam qui fuit error Arrianorum. Nam sacerdotem , constat inferiorem esse, eo quem colit per sacrificium quod offert. Si igitur Christus in natura sua diuina esset sacerdos, filius in diuinis esset minor patre ; quæ est Arrianismi blasphemia , quam in hac parte Eusebio impingit Turrianus in defensione libri 8. Constit. Clementis cap. 46. eo quod in præfatione libri decimi de demonstratione habeantur hæc verba. [In dispensatione , alia sunt quæ ad Christi diuinitatem , alia quæ ad assumptam humanitatem pertinent. Aliàs enim induci solet tanquam & Dei Verbum , & Dei virtus , & Dei sapientia : item magni consilij Angelus , magnúsque & æternus Pontifex , quò vt omnia quæcumque genita sunt , & sint id quod sunt & in eo conseruentur , dum sacro munere fungitur , Patrem suum exorat. Aliàs autem tanquam & Agnus Dei , qui tollat peccata mundi , & ouis quæ ad cædem ducatur. Hoc autem fuit ipsum humanum corpus , quod ille instat agni

atque ouis, cum de nostro grege veluti Pontifex assumpsisset, primitiis humani generis faustè feliciterque operatus, Patri munus attulit, per quod etiam cum humana natura commercium habuit, quæ alioqui neque Dei Verbum, neque vini incorpoream atque intelligentem exaudire aut percipere potuisset, neque quicquam supra carnem aut corpus, per oculos corporis intueri.] Et mox [Oportebat enim agnum Dei, qui à maximo Pontifice assumptus fuerat, pro reliquis cognatis agnis, & pro omni humano grege, Deo victimam offerri.]

Sed & oratione de laudibus Constantini Magni, *ferè initio*, in hunc modum scribit, agens de Deo summo Imperatore, cuius maiestatem omnino insigniter præmiserat. [Illum & iam ipse æternus vnigenitus eius sermo, qui in omnibus, ante omnes, & post omnes extitit, magnus magni Dei Pontifex, omni tempore, omnibúsque sæculis antiquior, dignitatis paternæ particeps, primusac solus pro omnium salute placauit.]

In Arrianismi vexillifero & signifero, provt Eusebium appellat S. Hier. meritò ea verba, propositi erroris non absre insimulantur, neglecto ea molliendi, vel benignè impetrandi studio, quale sanctis Patribus meritò impendimus: vt Clementi Roman. 8. const. c. 46. cum dixit, [vnigenitum Christum esse naturâ Pontificem:] & Cyrillo Hierosolymitano catech. 10. cum de Christo agens dixit; [Christus vocatur, non humanis manibus vnctus, sed à Patre perpetuo, in eam, quæ super homines, supremam Sacerdotij dignitatem inunctus.] Et infra Christus est summus Sacerdos, immutabile habens Sacerdotium quod neque à tempore cepit, neque successorem aluum habebit sacerdotij. Quemadmodùm die Dominica audisti, nobis in synaxi deferentibus de eo quod dicitur; *secundum ordinem Melchisedech*. Non ex corporea successione accipiens Sacerdotium, neque factitio oleo vnctus, sed ante secula à Patre, idque tanto excellentiùs aliis, quoniam hic cum iureiurando factus est Sacerdos.]

Hæc quia à Catholicis prolata, non magno negotio mollimus. Nam Christum esse naturâ Pontificem, non intelligitur de Christo Deo & homine, qui verè est natura Pontifex, vt loquitur etiam S. Ignatius Epist. ad Magresianos, quatenus Christus non per impressionem characteris, vel per inunctionem procedente tempore factam, qui est modus creandi Sacerdotes nostrates ac terrenos; sed suapte natura constitutus est Sacerdos; eo ipso quod in sua productione, inunctus est diuinitate, factúsque Christus Domini. Et quia diuinitas fuit vnguentum quò hîc Sacerdos litus est, eámque ab æterno, à Patre habet; idcirco Sacerdotium eius dicitur non cœpisse ex tempore: quamuis ipsum in se Sacerdotium, ex vnguinis illius ad subiectum aptum admotione exurgens, non sit æternum, & in Verbi personam humanitati non coniunctam, nequaquam cadat. [Idem Sacerdos & hostia (ait S. Ambr. 3. de fide c. 5.) Et Sacerdotium tamen & sacrificium, humanæ conditionis officium, est.] Idem disertissimè habet Chrysostomus oratione de vno legislatore Tomo 6. Græcol.

*Exercuit suum illud Sacerdotium, sacrificando pro nobis.*

1048 Est igitur Christus, sacerdos vetus in natura humana; séque talem reipsa prodidit, exhibitione sacrificij pro nobis; quod tertio loco est statuendum. Non enim Christus, sibi ac in bonum suum sacerdos fuit, sed tantùm nobis, & ad salutem nostram: Contra quàm blasphemè confinxit Nestorius, dicens, Christum pro seipso æquè ac pro genere suo, corporis sui victimam obtulisse: quod fusissimè confutat S. Cyrill. l. 3. pentabili c. 6. sic præter cætera exclamans, ad hoc verbum ex Nestorio à se relatum. [Ergo ne ipsam quoque lucem veram execrandæ iniquitatis tenebræ contigerunt? ergo ne nobiscum redimente, atque saluante opus habuit, per quem est omnis redemptio, & spes salutis? Conuenit igitur eidem vt est consequens, nobiscum offerre gratiarum actiones, cum Deus dicat oblitus iniuriæ: Ego sum qui deleo iniquitates tuas & non recordabor. Accusabit etiam ipsum, vt nos accusat ille pater peccati. Quod si ita est quomodo non mentietur cum dicit: Venit princeps mundi huius, & in me inueniet nihil? Olim contumelias in eum coniecerunt etiam illi synagogæ Iudæorum præsides. Nam cum inuidiæ aculeis exstimularétur, quod præter opinionem curatum videbant illum à natiuitate cæcum, impiè dicebant: Da gloriam Deo, nos scimus, quia iste homo peccator est. At verò Dominus noster Iesus Christus oblocutores coarguens, apertè dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico quare non creditis mihi? Igitur si obtulit hostiam non solum pro nobis, verum etiam pro seipso, vtique necessario illa indiguit, vt etiam nos qui sub iugo peccati sumus. Argue igitur illum de peccato: si nobiscum sacrificauit, ostende simul etiam nobiscum peccasse. Pastor ille bonus pro quonam posuit animam suam, pro se, an pro suis ouibus? Audio illum dicentem de nobis: pro ipsis ego sanctifico meipsum, & vt inquit Beatus Paulus gratia Dei pro omnibus gustauit mortem, & iterum traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et sicut dicit Esaias Propheta: Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus; non ipse suæ ipsius carnis passione obiter est curatus. Traditus est propter delicta nostra, non propter sua.]

Addit alia pleraque in eam sententiam, & nominatim Apostolum Hebr. 7. qui Christum ab aliis Sacerdotibus secernit, ex eo quod non habuerit necessitatem pro suis delictis primùm hostias offerre, deinde pro populi. Confirmat denique hoc ipsum, ex antiquis sacrificiis, quæ typi erant sacrificij Christi; nec offerebantur pro ipsis victimis, sed pro populo. Igitur Christus qui fuit sacerdotij sui victima, non pro se ipso, sed pro nobis sacrificauit; nec pro se, sed pro nobis, factus est Sacerdos. Pro nobis inquam, nam distinctio duplicis Christi sacrificij, quorum hoc externum, pro nobis; alterum internum, pro Angelis sit peractum; tradita ab Origene hom. 1. in Leuit. friuola est, & aspernanda.

*Primùm*

*Primùm in cœna vltima ; Et quomodò id aliqui probent ex Apostolo.*

1049 His ita constitutis, exponendum est, qua ratione Christus sacerdotem se prodiderit, exhibitione sacrificii; vnius quidem quoad rem oblatam, vt docet Trident. sess. 22. cap. 2. duplicis autem quoad formam, & offerendi rationem; nempe sacrificiis incruenti in cœna vltima, & cruenti in ara crucis. Nam Christum in vltima cœna verè sacrificasse consecrando corpus & sanguinem suum, quamuis aliqui olim Catholici non admiserint, fassi Christum instituisse nocte cœnæ sacrificium, non tamen sacrificasse; nunc tamen fide sanctum est, ex Tridentino sess. 25. cap. 1. vt rectè statuit Alanus lib. de sacrificio cap. 10. & Bellarminus lib. 1. de Missa c. 12. ac Ægidius 3. p. q. 83. à n. 72. & passim alij.

Sunt qui in hanc sententiam allegant illud Apostoli, *per proprium sanguinem introiuit semel in sancta; æterna redemptione inuenta.* Quamuis enim in ea Epistola, Apostolus sacrificium incruentum expressè non prodiderit, & attingens obiter sacrificium Melchisedech, dicat de eo grandem esse sermonem, & interpretabilem, quia vt S. Hiero. Epist. 126. aduertit, nolebat Hebræis magnam partem adhuc infidelibus, veritatem sacramenti Christiani apertè exponere: tamen videtur in illis verbis quæ retuli egisse de Eucharistiæ sacrificio, per Christum celebrato in nocte cœnæ; quod latissimè contendit Villagagnonus toto libro de duplici Christi oblatione, & altera disputatione de poculo sanguinis Christi & introitu in sancta sanctorum; annuitque Alanus lib. de sacrificio cap. 8. Ratio eorum est, quia Apostolus agit eo loco de sacrificio expiatorio indicto Leuitici 16. illudque à Christo reipsa perfectum docet. Fuerunt autem in illo expiationis sacrificio, quinque præcipua. Nam consecranda primùm erat hostia, & morti addicenda. Secundò offerebatur ad ostium tabernaculi. Tertiò sanguis ab ipsomet Pontifice inferebatur intra velum secretioris tabernaculi. Quartò intùs & foris omnia sacra vasa aspergebantur sanguine reliquus autem sanguis ad cornu altaris effundebatur Quintò corpus victimæ deportabatur extra castra. Hoc postremum, in Christo, interprete Apostolo factum est per crucifixionem, in qua etiam sanguis ex punctione lateris effusus est, cornu crucis. Cætera cum debuerint ante deportationem impleri per functionem aliquam sacerdotalem; ea autem alibi non appareant; facta profectò videntur in cœna vltima, vbi primùm Christus sanctificauit seipsum, vt ipsemet Ioan. 17. testatur. Idest vt vbi exponunt Theophilactus & Euthymius, solemniter se consecrauit, & dedicauit ad mortem. Ibidémque per proprium sanguinem, quem sacrificauit, & bibit, ipsemet introiuit in sacramenta; hoc est in corpus suum, & in corpora Apostolorum, tanquam in vasa sancta, diuino ministerio dicata, quæ sanguine aspersit. Consonat in horum plerisque, prædictæ Apostoli interpretationi, Hesychius lib. 5. in Leuit. cap. 16. Quod tamen videam, communiter Patres & interpretes, aliter Apostolum eo loco accipere; nec Apostolus ad Hebræos infideles, sed ad fideles multa pro Christo patientes scribat, quibus perspicuè poterat de Eucharistiæ sacrificio prodere, quæ isti DD. admodùm occultè insinuata volunt; permitto lectori iudicium huius probationis ex Apostolo ductæ, vt aliam probationem certiorem veritati quam proposui, siue sacrificij incruenti ab ipsomet Christo oblati repræsentem.

*Solidior probatio ex Psalmo 109.*

1050 Potéstque inprimis vrgeri in hanc rem quod Christus Heb. 7. & Psal. 109. dicitur *sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisidech.* Non enim fuit Christus, sacerdos secundùm ordinem Aaron quia non sacrificauit ritu Aaronico. Nec sanè erat de genere sacerdotali Aaronis per lineam masculinam eóve sacerdotum consensione ob maternam cognationem cum genere leuitico, est admissus, vt fingitur apud Suidam. V. *Iesus*, malèque assentiente Valdensi de sacramentis cap. 116. num. 6. Hoc iusto opere exagitauit. Hieronymus Hentenius. Itaque Christus, sicut origine & natalibus non erat sacerdos Aaronicus, ita neque secundùm Aaronis ritum, seu ritu Aaroni præscripto sacrificauit; sed secundùm ordinem ac modum quo sacrificauit Melchisidech, qui Genes. 14. *protulit panem & vinum; erat enim sacerdos Dei Altissimi.* Particula causalis ibi adhibita, apertè denotat, panem & vinum prolata fuisse à Melchisedeco in sacrificium; quod est sacerdotij functio propria. Et quamuis immutatio facta in ea materia à Melchisedeco ad sacrificium celebrandum, non explicetur in Scriptura; supponendum tamen est intercessisse aliquam ad Dei honorem: puta fractionem, vel comestionem, vel partialem incensionem per ignem, vt Lessius lib. de Iustitia cap. 38. num. 13. coniectat.

Sicut ergo Melchisedec prolato pane & vinò sacrificauit; ita & Christus, eodem ritu celebrauit primum suum sacrificium in cœna vltima; & sacrificabit etiam secundùm eundem ordinem in æternum, seu quamdiu durabit sacrificium, ita vt nullum ei vnquam sacrificium succedat. Nunc enim qui sacrificant apud nos, sacerdotes, Christi verbis, & in persona eius sacrificant; quod est ipsum Christum esse sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisidech. Hebræi, ridiculè Psalmum 109. ad Ezechiam referentes, sic ex sibilantur à Tertulliano lib. 5. contra Marcio. cap. 9. [Nec sacerdos Ezechias, nec in æuum, etsi fuisset, secundùm ordinem, (inquit,) Melchisedech. quid Ezechias ad Melchisedech, altissimi sacerdotem, & quidem non circumcisum, qui Abraham circumcisum iam accepta decimarum oblatione benedixit? At in Christum conueniet ordo Melchisedech, quoniam quidem Christus proprius & legitimus Dei Antistes, præputiati sacerdotij Pontifex (tum in nationibus constitutus, à quibus magis suscipi habebat,) cogniturum se quandoque circumcisionem, & Abrahæ gentem quum vltimò venerit, acceptione & benedictione dignabitur.]

Typus ergo Christi sacerdotis, fuit Melchisidech, sicut Christum Deum simul & hominem exhibuit, provt ab Apostolo, sine patre, & matre dicitur: sine Patre, quatenus homo;

sive matre, quatenus Deus, vt pulchrè ratiocinatur Procus hom. de Christi Natiu. & Fulgentius lib. 2. ad Tresim. *sub medium*; Ridiculè autem in historia Melchisedeci quæ extat apud S. Athanasium, ei malè adscripta; idcircò dicitur vocatum sine Patre & matre & familia Melchisedecum quod eius parentes & stirps, vniuersa, eo orante, terra de his cente, in sacrificio Fratris Melchisedeci periissent. At quomodo exponent illud, *neque initium, neque finem vitæ habens*? Sacrificasse Christum in cœna vltima, séque exhibuisse sacerdotem secundùm ordinem Melchisidech, tradùt innumeri Patres, apud Pamelium Tomo 1. Liturg. *initio*, & apud Coccium Tomo 2. lib. 6. art. 5. nec non apud Bellarminum lib. 1. de Missa cap. 6. passimque apud alios. qui de Missæ sacrificio disputant. Tricus verò Nouatorum circa hoc argumentum, rectè præter cæteros dispellunt Turrianus lib. 2. de Euchar. cap. 15. Et Alanus libro de sacrif. capite 9.

*Suffragium SS. Patrum.*

1051 Argumentum alterum in rem nostram, seu quod Christus verè sacrificauerit sacrificium incruentum in cœna vltima, ducendum est ex traditione, quæ in SS. Patrum scriptis asseruatur. Id ergo, tradunt diserté, omnino multi Patres, quorum verba appendit Pamelius Tomo 1. Liturg. §. *dicto ritu, Christus sacrificium Deo Patri obtulit*, & alij quos adducunt Hæreseologi, confirmantes offerri in Missa verum sacrificium: nominatim Alanus l. de sacrif. cap. 10. Coccius Tomo 2. lib. 6. per plures articulos, Bellarm. lib. 1. de Missa toto, innumeríque alij vbiuis præstantes: Cum enim idipsum nunc faciant sacerdotes, quod facit Christus, iuxta illud *hoc facite*; sacerdotes autem nostros verè sacrificare, tam certum sit, quàm certum est religionem Christianam esse veram religionem, vt rectè statuit Petrus Cluniacensis libro contra Petrobus. Superest vt quæcunque Patrum loca, docent sacerdotes nostros vere sacrificare; idem æquè de Christo prodant. Et proinde in tanta támque vberi messe locorum, veritati iugis apud Christianos sacrificij astipulantium, vbiuis prostante, superuacaneum videatur, spicas aliquas legere hic exhibendas. Placet tamen non omittere vnum aut alterum locum illustriorem.

S. Gregorius Nyssenus orat. 1. de Resurr. declarans quomodò Christus fuerit per tres dies ac noctes in corde terræ, quod obscurum esse fatetur, si ternarius ille dierum à nona tantùm parasceues ineatur; id ab hora celebrati per Christum sacrificij incruenti, sic repetit. [Recordare quid de se Dominus pronuntiarit, & eam ipsius esse virtutem cognosces, vt voluntate non autem naturæ necessitate animam à corpore disiungat. *Nemo enim* (inquit) *tollit animam meam à me, sed ego pono illam à meipso. Potestatem enim habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum assumendi.* Hoc nobis ita constituto, perspicuè patebit id quod quæsitum est. Qui enim potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Iudæorum quasi prædonem impetum; non inquam Pilati sententiam expectat, vt eorum malitia sit communis hominum salutis principium & causa: sed consilio suo anteuertit, & arcano sacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, sacerdos simul existens & Agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum, & sanguinem bibendum præbuit; tunc apertè declarauit agni sacrificium iam esse perfectum. Nam victimæ corpus, non est ædendum idoneum, si animatum sit. Quare cùm corpus edendum, & sanguinem bibendum discipulis exhibuit, iam arcana, & non aspectabili ratione, corpus erat immolatum, vt ipsius mysterium peragentis, potestati collibuerat. Et anima in illis erat, in quibus eadem ipsa potestas illam deposuit, simúlque cum diuina virtute, quæ cum illa erat coniuncta, in ea regione cordis versata est. Itaque si quis inde tempus incipiat demetiri, cùm sacrificium Deo factum est, à magno illo Principe sacerdotum, qui ratione, quæ nec verbis explicari, nec oculis perspici potuit, seipsum pro communi hominum salute tanquam agnum obtulit, non recedet à veritate.] Non præsto, eam expositionem triduí ac trinoctui Christi in corde terræ, optimam esse; cum alia suppetat expeditior suo loco discussa, & ex variis obiter perstricta in Tractatione de S. Latrone cap. 10. num. 2. Quod ergo ex eo Nysseni loco desumo in præsentia, illud vnum est Christum seipsum in nocte cœnæ verè immolasse, & incruentum sacrificium obtulisse.

Hesichius lib. 1. in Leuit. cap. 4. Nyssenum expressisse videtur. Exponens enim oblationem vituli per sacerdotem, sic habet. [Ponere autem eum manum super caput vituli, & iugulare vitulum præcepit. Nemo enim illum obtulit, sed nec immolare poterat, nisi semetipsum ipse ad patiendum tradidisset. Propter quod non solùm dicebat, *potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*; sed & præueniens semetipsum in cœna Apostolorum immolauit, quod sciunt qui mysteriorum percipiunt virtutem. Hunc sacerdotem 70. non solùm vnctum, siue linitum, sed & consummatum manibus appellauerunt. Consummatus est enim manibus priùs in mystica cœna, accipiens panem & frangens; deinde per crucem, quando ligno adfixus est. Tunc sacerdotij suscipiens dignitatem, vel potiùs quum semper habuerit, tunc opere explens, etiam hoc quod pro nobis erat, sacrificium consummauit.]

S. Athanasius, Oratione in 5. Feriam, & Iudæ proditionem. [Hodie profertur illud. *Accipite, manducate, hoc est corpus meum.* Præuenio crucem, diuido membra mea, venditionem tuam, ô Iuda præoccupo sanguinis mei effusione. Quem venditurus es; præueniens te, gratis distribuo. Meum enim est corpus, ô Iuda; tuum verò est, osculo idipsum vendere. Meum opus est, sanguis nundinatio. Lauí tuos pedes, ad cursum contra me paratos. Manus tuas miracula patrare docui, venditionis meæ pretio accipiendo curatas. Accipite, comedite, preuenite proditoris festinationem: anteuertite venditionem, cibo. Non differo donum, passionem iam expectans; do sine cunctatione, instar enim venditio. Impassibile est corpus; impassibilitatis comedentium testimonium largior. Præuenio dan-

tibus

tibus Iudæorum phalangem dum crucem differo, comedite & vos, comedite; *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus* Iudæis.]

### *Disiecta quæ pugnant cum vera Christi sacrificatione incruenta in cœna vltima.*

1052 Quæ opponi possunt, ad probandum Christum in extrema cœna non sacrificasse, parui momenti sunt. Silentium enim Scripturæ, quod vrgent Sectarij, frustra obtenditur; quia quamuis Scriptura non prodat in actu signato, Christum sacrificasse, nec dicat, illum actui sacrificandi quem nunc exercuit, adiunxisse hæc verba, *ego sacrifico*; Et *ego offero*; tamen satis est quod rem ipsam expresserit, idque multis fidei dogmatibus æquè posset opponi: vt PP. sæpè aduertunt. Neque verò Scriptura, licet fileat an Christus tale quid in actu signato protulerit, negat tamen protulisse. Et quamuis non protulisse constaret, nihil referret. Nam neque in antiquis sacrificiis, necesse erat sacrificantem verbo profiteri, se sacrificare, vel offerre.

Grauius in speciem est, quod opponi insuper potest, nempe se Christus in cœna vltima sacrificauit, necesse fore, admittere sacrificium illud fuisse propitiatorium: quia tunc Christus viator erat, & mereri ac satisfacere poterat. At admisso hoc sacrificio propitiatorio, frustra sacrificium cruentum subsecutum postea esset, quia cum istud sacrificium tametsi incruentũ, sit eiusdem cum cruento dignitatis; sufficisset omnino ad redemptionem nostram; contra Apostolum liquidò tradentem, Christum sacerdotem vna oblatione cruenta consummasse in æternum sanctificatos. Dicendum est sacrificium quidem incruentum propitiatorum fuisse; sed ita tamen vt non promeruerit redemptionem nostram seorsim à sacrificio cruento, in quo solo, ex Dei decreto & Christi voluntate, consummata est nostra redemptio. Sacrificium itaque incruentum, promeruit redemptionem nostram Deúmque propitiauit provt adiunctum cum cruento: id quod æquè de omnibus Christi actibus liberis, qui singuli infinitæ dignitatis erant, est statuendum. Applicatio porrò meritorum Christi iam inchoatorum, & in passione confirmandorum, per hoc sacrificium factæ; non dissimilis fuit ei, quæ per baptismum ante mortem Christi collatum, facta est. Vnde sicut baptismus à Christo ipso collatus, non fuisset ex opere operato, fructuosior baptismo illo qui nunc à puro homine confertur: ita sacrificium tunc à Christo oblatum, non fuit ex opere operato vtilius, quàm quod nunc exhibent Sacerdotes. Ex opere tamen operantis, fuit infinitè pretiosius, magisque meritorium, & satisfactorium.

### *Victima sacrificio incruento immutanda, Christus ipse.*

1053 Cùm verò ex prædictis satis liqueat, verè Christum in extrema cœna celebrasse sacrificium incruentum, seque prodidisse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech: exponendum sequitur, in qua immutatione illud sacrificium situm fuerit. Ad quod supponendum est, quæ ibi victima sit à Christo Sacerdote oblata. Nam ipsa est quam immutari oportet, eamque subire passionem quæ est de sacrificij ratione, provt à nuda oblatione secernitur. Nimirum sacrificatio dirigitur ad supremum Dei cultum, per protestationem & significationem supremæ excellentiæ diuinæ, qua Deus habet vitæ & mortis potestatem. Ideóque res sacrificata, immutanda est in honorem Dei: siue ea immutato fiat per ereptionem vitæ, vt cum animalia oblata occidebantur, siue per destructionem rei non viuæ, aut per aliam aliquam externam actionem minùs immutatiuam. V. G. panis coctionem, comestionémve, aut fractionem. Tametsi dubium non est, quin destructio rei oblatæ, eiúsve destructiua actio quantum est ex vi sua, quam vocare possumus immutationem virtualem, sit aptior ad significandum supremum illud Dei vitæ & mortis autoris dominium, cuius contestatione celebratur sacrificium. Et omnino necessariam ad id esse, mutationem rei oblatæ plusquàm moralem, contendunt Canus lib. 12. de locis cap. 13. *initio corporis*, Alanus l. de Sacrificio c. 3. Vasq. 3. p. dist. 220. c. 3, Less. lib. de Iustit. cap. 38. num. 13. Malderus 2. 2. Tract. 10. cap. 3. dub. 1. contra Suarem Tom. 3. 2. p. d. 73. sect 5. qui meram panis in altum sublationem, qua panis non nisi moraliter immutabatur, censuit satis olim fuisse ad sacrificium.

Victimam ergo à Christo Sacerdote in sacrificio incruento immolatam, Patres passim tradunt fuisse Christum ipsum: quod proximè ex Nysseno, & Hesychio audisti: confirmatúrque ex S. Augustino, qui eam ob causam Epistola 86. vocat Christum, *ouem, & pecudem noui Testamenti*. Sed & Apostolus 1. Cor. 5. agens de Christi sacrificio incruento, vt erudite ex plerisque Patribus ostendit Turrianus lib. 2. de Euchar. cap. 3. ait Pascha nostrum esse Christum immolatum. Nec de hoc dubitare licet, post Concilium Tridentinum quod sess. 22. cap. 2, definit, eandem fuisse in cruento, & hoc incruente sacrificio, rem oblatam. At in crucis sacrificio, victimam esse ipsum Christum, est extra controuersiam. Fuit ergo hîc quoque, Christus & sacerdos & victima: non quidem vt existens in propria specie, quia vt sic nullam terminat huic sacrificio intrinsecam actionem; sed vt opertus panis & vini speciebus; sub ea namque ratione, est terminus in hoc sacrificio. Non voco Christum huius sacrificij materiam, ne priùs (saltem natura,) quàm sacrificetur, contendas debere habere esse: quod verum non est, cum ipsa consecratione, Christus & accipiat hîc esse, & offeratur siue sacrificetur. Voco itaque terminum, vtcunque visibilem per species. Quod enim ad rationem sacrificij, hominibus corpore mortali circumamictis exhibiti necessarium erat, visibilis fuit Christus, provt hîc à seipso immolatus: nempe provt speciebus panis & vini contectus, substansque eximiis substantiarum illarum qua fuerunt transiens huius sacrificationis materia.

1054 Ex eo tamen quod dicam, rem in hoc sacrificio per Christum oblatam, fuisse Christum panis in vini speciebus obtectum, nolim arbitreris, vel panem & vinum vt Bel-

larminus existimat lib.1. de Missa c. 27. propositione 1. & vt videtur Cabasilas in expositione Liturgiæ cap. 32. vel quod censet Suares. t. 3. 3.p.d.75. sect. 1. concl.4. species sacramentales panis & vini, fuisse partialiter, tametsi minùs principaliter, rem oblatam in sacrificio Christi incruento,celebrato in cœna vltima.Hoc enim existimo falsum, cum Alano l.de sacrificio cap. 19.& Ægydio Coninck 3. p. q. 83. num. 77. quia sic non esset eadem res oblata in sacrificio cruento & incruento, quæ tamen est conceptis verbis doctrina Tridentini. Itémque quia Patres, nunquam dicunt immolatum hîc fuisse à Christo panem & vinum, vel eorum species: sed semper dicunt, immolatum fuisse Christum ipsum. Quare tota res hîc oblata à Christo, fuit Christus ipse.Oblatio enim de qua agimus, non tam est oblatio in actu signato, quæ fit verbis conceptis quibus hostia ad Deum dirigitur, quàm in actu exercito;consistitque in ipso actu sacrificij. Quo pacto olim sacerdos infigens cultrum gutturi hostiæ,eo ipso offerebat illam Deo, etiamsi verbis non offerret. Itaque quamuis panis & vinum ante consecrationem fuerint à Christo benedicta,& præsentata Deo; tamen in actione sacrificandi non habuerunt rationem termini, siue rei oblatæ, sed solus Christus provt obtectus velamine specierum, & connotato hoc statu suo;qui directè quidem, seu vt partiale constitutiuum, non pertinet ad rem in hoc sacrificio oblatam; connotatur tamen vt aliquid rei oblatæ accidentarium: quod sufficit, vt terminus hîc à Christo sacrificatus, esset aliquomodo sensibilis, etiamsi terminus qui est de ratione rei sacrificatæ, non sit sensibilis. Id enim in sacrificio necessarium non fuit, quamuis in sacramento, ita oportuerit fieri. Sacramentum est essentialiter signum sensibile, rectè dicitur componi ex Christo & speciebus, tanquam duplici partiali constitutiuo. At res sacrificatam, quia non est essentialiter signum, nihil est necesse directè integrari, vel partialiter constitui ex quoppiam sensibili. Esto ipsa sacrificandi actio,ratione verborum sensibilium quibus peracta est, verè fuerit sensibilis;qualem esse oportebat, quandoquidem pro hominibus mortalibus exhibebatur.

*Quæ immutatio circa Christum victimam, facta, in cœnæ vltimæ incruento sacrificio. Reiicitur sententia de immutatione quoad esse sacramentale, per consumptionem specierum.*

1055 Cum ergo Victima in sacrificio Christi incruento, fuerit Christus ipse speciebus contectus; monstrandum superest quæ immutatio circa eam victimam facta fuerit à Christo sacerdote, ratione cuius dici possit sacrificasse. Triplex autem occurrit Christi immutatio à Christo facta, quarum prima ea est,qua Christus per consecrationem constitutus in ratione cibi,& ordinatus ad consumptionem & destructionem quoad esse sacramentale, immutatur & destruitur quoad illud esse, per consumptionem specierum. Hæc est sententia Bellarmini lib.1.de Missa cap.27.propositione 7. & 8.quoad sacrificationem sacerdotum nostrorum. Existimo tamen, non posse per hanc immutationem exponi; quomodò Christus sacrificauerit. Nam Christum verè & propriè sacrificasse sacrificium incruentum, de fide esse diximus. At Christum consumpsisse suum hoc sacrificium, non est certum:quamuis longè verius sit Christum id consumpsisse,& communicasse.In quam rem Suares t. 3. 3. p.d.75.sect. 2.adducit plures Scholasticos & nonnullos Patres quos inter.S. Irenæus lib.5.contra hæres.cap.33. num. 1.vbi Feüardentius.Item S.Chrysostomus hom.83.in Matth. monens, primum omnium Christum, manducasse carnem suam,& bibisse sanguinem, ne discipulis audientes, se carnem manducare & sanguinem bibere,corriperentur horrore.Idque etiam constare putat S. Chrystomus ex illis Christi verbis sub cœnam Eucharisticam, *Desiderio desideraui, hoc Pascha manducare vobiscum.* Hesychius disertè idipsum docet lib.2. in Leuit. cap. 8. verbis illis. [ Primus sacerdos sanguine,& post eum filij eius,secundùm legem vngebantur, quia & ipse Dominus, primus in cœna mystica, intelligibilem accepit sanguinem,atque deinde calicem Apostolis dedit. Sed ecce legislator hîc post vnctionem Aaron & filiorum subdit, *De sanguine reliquum fudit super altare per circuitum.* Quod & Christum fecisse inuenimus. Bibens enim ipse, & Apostolis bibere dans, tunc intelligibilem sanguinem super altare, videlicet suum corpus effudit. ] Apertè quoque S. Augustinus in Psalmum 68.ad illud, *dederunt in escam meam,fel,*agnoscit, Christum Dominum hac sua esca fuisse cibatum. Sic enim scribit. [ Dederunt inquit in escam meam, fel. Non ipsum quod dederunt,esca erat,potus enim erat.Sed in escam dederunt,quia iam Dominus escam acceperat, & in ipsam, iniectum est fel. Acceperat autem ipse escam suauem, quando Pascha manducauit cum discipulis suis: Ibi sacramentum sui corporis demonstrauit. In hanc escam, tam suauem,tam dulcem, vnitatis Christi quam commendauit Apostolus,dicens, *quia vnus panis, vnum corpus,multi sumus*; In hanc escam suauem,quis est qui dat fel,nisi contradictores Euangelij, tanquam illi persecutores Christi. Minùs enim peccauerunt Iudæi,crucifigentes in terra ambulantem,quàm qui contemnunt in cœlo sedentem. Quod ergo fecerunt Iudæi,vt in escam quam iam acceperat, darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt qui malè viuendo scandalum inferunt Ecclesiæ. ] En apertè tradit, Christum,dulcem illam escam quam Discipulis porrexit, accepisse; id quod etiam, potior Scholasticorum pars agnoscit:Et nominatim S.Thomas Opusc.60.in cap. 3.Ruth.Carmen quoque cuiusdam,

*Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena,*
*Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.*

Addo & versus Cyri Prodromi, libro Epigram.in cœnam mysticam.

*Offert sacrificium; Quod offers ipse edit;*
*Frangisque panem, panis, & calix bibis.*
*Virumque es, & sacrificus, & sacrificium,*
*Te proditor tuus,nihil timens edit.*

Fusè

Fusè id confirmat Henricus Institor Tract. de quatuor erroribus circa Euchar. p. 1.serm.9. Alios adducunt Suares Tomo 3. 3.p.disp.75. sect.2.Henriques lib.8.summæ cap. 35. num. 1. & initio glossæ *litera B*. Fagundes in 1. Eccles. præceptum lib.3.cap. 4. num. 25. Videri quoque potest,idem insinuasse Psaltes , cum in persona Christi.Iudam increpantis,dixit ; *qui simul mecum dulces capiebas cibos* ; quod de cibo Eucharistico accepere nonnulli ; tametsi tempus præteritum sit adhibitum, pro scripturæ vsu,ad certum rei euentum præsignificandum , iuxta doctrinam Tertulliani lib. 3. in Marcio. cap. 5. & D.Augustini in Psalmum 3.*ad vers.6.*

Consumpsisse itaque Christum , suum sacrificium incruentum , quicquid Sectarij garriant, probabile admodùm est ; non tamen certum. Quare cum certum ex fide sit Christum in cœna vltima sacrificasse , quærenda est alia immutatio victimæ à Christo facta, quàm consumptio specierum,& Christi quoad esse sacramentale. Accedit quod ea Christi destructio quoad esse sactamentale,non fit quamdiu species non sunt corruptæ : tamdiu namque Christus sub eis perstat. Igitur quod ne aduersarius quidem admittit , sacrificium, Christi,eaque immutatio per quam ipsemet vt victima sacrificatus est, non fuisset constituta in consumptione , sed in mutatione postea consequente ; nempe cum specierum intra stomachum alteratio tanta est vt si panis & vini substantiæ adessent, cogerentur abscedere. Denique iuxta illud placitum, ægrè monstraretur , quomodò feria 6.in Parasceue , sacerdos consumens præsanctificata,non sacrificet, quæ tamen est certa sententia , quam ipse Bellarminus in Recognatione librorum de Missa,& Couarr.in c. *Alma mater*.p. 1. §. 5. num.6.multis confirmant. Imo non video,quare simplices quique fideles , non essent dicendi sacrificare cum communicant , & destruunt Christum in statu sacramentali ad honorem Dei, & in Christi passi memoriam;quod tamen extra dubium est,non esse sacrificium.

### *Reiecta alia Christi immutatio,per inceptionem sub speciebus & depulsas vi eius substantias præiacentes.*

1056 Secunda immutatio Christi , in qua incruentam sacerdotis nostri sacrificationem collocant aliqui, ex iis qui rectè statuunt actionem sacrificalem in consecratione ipsa esse quærendam, est inceptio Christi sub speciebus panis & vini , connexa cum desitione substantiarum panis & vini , facta vi inceptionis Christi in eo statu. Nam per consecrationem , substantia panis & vini conuertitur in corpus & sanguinem Christi ; quod præcipuè intendebatur à Christo sacrificante,non autem destructio substantiarum panis & vini. Vnde sicut olim in thuris concremationc , quod primariò sacrificabatur,non erat thus quod destruebatur , sed suffitus ex ea destructione proueniens;sic quod primariò oblatum est à Christo,fuit ipsum corpus & sanguis eius : panis autem & vinum, non nisi concomitanter & secundariò offerebatur, quia Deus potiùs intendebat honorari per positionem termini ad quem , quam per destructionem termini à quo præiacentis. Res ergo in hoc sacrificio principaliter oblata, siue Christus , eatenus immutabatur , quatenus incipiebat esse sub speciebus panis & vini , depulsis eorum substantiis : accidentibus autem per se constitutis , cum connexione ad Christi inceptionem prædictam ; vi cuius ea substantiarum præiacentium depulsio , & accidentium per se positio , placet Deo ,eiúsque summo Dominio contestando addicitur. Ita Suares Tomo 3. 3. p.d.5.s.5.conclus.1.& s.6. concl.3. ac Lessius l. de Iust.c.38.n.5.

Sed neque hæc Christi mutatio , videtur idonea ad explicandum quomodò Christus sacrificarit in cœna vltima. Nam ad sacrificium exigitur ea rei oblatæ & sacrificatæ immutatio, quæ sit accommodata ad insinuandum summum Dei dominium,& recognoscendum Deum provt vitæ & mortis autorem : quod optimè præstat destructio rei oblatæ & sacrificatæ,non autem eius inceptio , & positio in nouo statu. Aiunt quidem Autores cum quibus agimus, substantiam panis & vini destrui. Verùm panis & vinum non sunt res sacrificatæ , sed Christus ipse. Ergo immutatio destructiua quæ fit circa panem & vinum , non est immutatio requisita ad sacrificium , quo Christus ipse sacrificatur.

### *Vera sententia,de Christi immutatione per positionem in statu mortui, quantum est ex vi verborum.*

1057 Tertia itaque Christi immutatio, quæ item per consecrationem , efficitur,ea est qua Christus per consecrationem, exhibetur in statu mortis , quantum est ex vi verborum. Christus enim ex se & iure præhabiti esse , hostia viuens & rationabilis , adacto cultro verborum Christi,offertur non verbaliter, sed realiter : idest immolatur,& Patri exhibetur in statu separationis animæ à corpore , per violentam mortem & sanguinis effusionem causato, interuentu duplicis consecrationis ; quarum vnius vi, corpus Christi ponitur seorsim à sanguine. Vi autem alterius statim consequentis, ponitur seorsum à corpore , sanguis vt effusus, & mortem causans suoefluxu. Ita enim fit spectata præcisè vi verborum ; quamuis ob concomitantiam naturalem , totus Christus sub vtraque specie reperiatur,nec constituatur reipsa occisus, sed virtualiter tantùm ; quatenus scilicet vis verborum formaliter & directè considerata , est constitutiua Christi in statu mortui violenter : & corpus Christi , seorsim à sanguine poneret,si sola esset. Est autem per accidens ad vim verborum , quod sepositioni illi corporis à sanguine , & sanguinis à corpore , adiungatur diuinitùs sub vtralibet specie , positio reliquorum ad Christi integram , & constitutionem spectantium. Itaque per se loquendo, inuenitur hìc magna Christi ipsius immutatio. Et licet defacto,& reipsa, non sit nisi virtualis immutatio, ob adiunctum diuinitùs impedimentum;tamen vi actionis quæ actualiter & reipsa ponitur,Christus aliter immutatur, & nisi concomitantia diuinitus interueniens obstaret, haberetur eius destructio. Est enim actio,qua Christus

ponitur

ponitur in ſtatu mortui, & animam à corpore ſeiunctam habentis.

Dixiſſem poni mactatum & occiſum vi conſecrationis, quod habent plerique Patres nominatim Nyſſenus orat. 1. de Reſurr. cum ait, Chriſtum comedi à communicantibus, quia ad hoc mactatus proponitur, vt eum comedamus: Id quod etiam habet Paſchaſius l. de corp. & ſang. Dom. cap. 18. & Cyrillus catech. 5. myſtago. ac Rabanus lib. 1. de inſtitut. Clericorum cap. 31. Conſulto tamen abſtinui ea locutione, ne viderer cum Vaſque 3. p. d. 223. num. 42. exiſtimare, Chriſtum vi modi eſſendi quem per conſecrationem accipit, ſtatui priùs natura viuentem poſtea verò mortuum per ſanguinis è corpore effuſionem. Hoc ſiquidem dici non poteſt. Per quid enim Chriſtus, ſtatum illum viuentis, natura priorem acciperet? Non enim per conſecrationem provt tendit ad ſtatum Chriſti mortui, vt per ſe patet. Eadem quippe actio, non poteſt terminari ad ſtatum viuentis & mortui. Danda ergo eſſet vi verborum actio alia, anterior poſitione Chriſti in ſtatu mortui; per quam Chriſtus poneretur viuus: cuiuſmodi anterior actio, nullibi comparet; nec eſt vnde progerminet, cum non poſſit eſſe à verbis, quorum efficacitati omnis hæc actio tribuitur. Quamuis ergo Chriſtus, per comparationem ad eſſe præhabitum, & quod reuera alibi ſortitur, dici hîc poſſit exhiberi occiſus & mactatus, idque velint Patres, quos ita locutos retuli: tamen per comparationem ad actionem qua ponitur ſub ſpeciebus, non ponitur primùm viuus tum mortuus. Vnde per reſpectum ad eam ſolam actionem, non eſt dicendus hîc exhiberi occiſus aut mactatus, quod connotaret eſſe præhabitum vi eiuſdem actionis: ſed dicendus eſt exhiberi in ſtatu mortui, & ſanguinem à corpore ſeiunctum habentis.

1058 Hæc igitur eſt immutatio Chriſti, quam in ſacrificatione celebrata à Chriſto in cœna vltima, interueniſſe dico, & exiſtimo eſſe ſufficientiſſimam, ad intelligendam veram rationem ſacrificationis, in actione per quam fit: quandoquidem verè & actu Chriſtus deſtrueretur vi illius actionis, ſi Deus appoſito extrinſecùs impedimento non obſtaret, & Chriſtum ibidem viuum ſtatueret, ob naturalem concomitantiam partium eiuſdem compoſiti, quod iam non moritur. Optimè autem huiuſmodi actio deſtructiua, deſeruit ad proteſtationem Dei autoris vitæ ac mortis, quandoquidem ex ſe illatura eſſet mortem; eſtque per accidens, quod eius vita inhibeatur per adiunctam concomitantiam. Sunt in propoſita ſententia, (ſaltem quoad eius veluti ſubſtantiam) Alanus lib. de ſacrificio cap. 15. 19. & 20. Sebaſt. Oxom. Tract. de ſacrif. cap. 11. & 14. Heredia repetit. ad cap. *Cum frangitur* parte 2. dub. 2. Leſſius lib. 12. de diu. perf. n. 95. ac Malderus 2. 2. Tract. 10. c. 3. d. 1.

Ex ea verò ſententia apertè habetur, nexus vtriuſque conſecrationis in ratione ſacrificij in fieri, ſiue actionis ſacrificalis. Quamuis enim duæ à Chriſto factæ conſecrationes, quatenus præciſè erant conſecrationes, non eſſent eſſentialiter connexæ; ſed vna cum primùm Chriſtus vnam formam protulit, poſita reipſa fuerit, abſque alia; id quod S. Bernardus Epiſtola 69. rectè vidit, fuſéque confirmat Alanus lib. de Euchariſtia cap. 40. Tamen in ratione ſacrificationis, erant eſſentialiter coniunctæ: itavt non priùs perfecerit Chriſtus ſacrificium, quàm ad vnam recreationem alia acceſſerit: Nempe ad conſecrationem panis primò factam, conſecratio calicis facta poſteriùs, vt poſtulat repræſentatio ſanguinis è corpore effuſi, quæ videtur ſupponere priùs repræſentari corpus, & poni in rerum natura. Nihil tamen præiudico, aduersùs ſententiam quæ hunc conſecrationum ordinem, negat eſſentialiter exigi; ſed tantùm aperio quid reipſa Chriſtus fecerit. Quod autem apud Lucam, calicis per Chriſtum conſecratio præmittitur, rectè aliqui apud Fulgentium ad quæſt. quinta. Ferrandi, anticipationem ibi agnoſcunt. Quæ expoſitio multo melior eſt, quàm ea quæ ex Iobio peti poteſt apud Plotium c. 222. cap. 18. vbi cur conſecratio calicis, interdum in Scriptura præmittatur conſecrationi panis, rationem ducit ex eo quod ſanguis priùs in nobis fiat quàm caro; cum caro fiat ex ſanguine. Quam rationem indignam Theologia, pronunciat Plotius. Nec ſanè eſt accommodata. Nam ſi aliquid probaret, æquè conficeret, conſecrationem panis ſemper fuiſſe conſecrationi calicis in ſcriptura præmittendam, quod conſtat non eſſe ſeruatum.

### *Typi, & decora, incruentæ Sacrificationis Chriſti Domini.*

1059 Tale fuit primum Chriſti ſacrificium, cuius vmbras fuiſſe omnia priorum generis ſacrificiorum, ait S. Aug. lib. 1. contra Aduerſ. cap. 18. & pulchrè lib. 17. Ciuit. cap. 20. cum memoraſſet panem & vinum quod ſapientia ædificata domo, & columnis ſeptem ſuffulta miſcuit, ſubdit. [Hîc certè agnoſcimus Dei ſapientiam, hoc eſt Verbum Patri coæternum, in vtero virginali domum ſibi ædificaſſe corpus humanum, & huic tanquam capiti membra; Eccleſiam ſubiunxiſſe, Martyrum victimas immolaſſe, menſam in vino & panibus præparaſſe, vbi appareat etiam ſacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, inſipientes & inopes, ſenſu vocaſſe, quia, ſicut dicit Apoſtolus, *Infirma huius mundi elegit Deus, vt confunderet fortia.* Quibus tamen infirmis quod ſequitur, dicit; *Derelinquite inſipientiam, vt viuatis, & quærite prudentiam, vt habeatis vitam.* Participem autem fieri menſæ illius, ipſum eſt incipere habere vitam. Nam & in alio libro qui vocatur Eccleſiaſtes, vbi ait: *Non eſt bonum homini, niſi quod manducabit & bibet:* quid credibiliùs dicere intelligitur, quàm quod ad participationem menſæ huius pertinet, quam ſacerdos ipſe, Mediator Teſtamenti noui, exhibet ſecundùm ordinem Melchiſedech, de corpore & ſanguine ſuo? Id enim ſacrificium, ſucceſſit omnibus illis ſacrificiis veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri; propter quod etiam vocem illam in Pſalmo triceſimo & nono, eiuſdem mediatoris per propheriam loquentis, agnoſcimus; *Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi.* Quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. Nam iſtum Eccleſiaſtem in hac ſententia manducandi & bibendi, quam ſæpè repetit, plurimúmque commendat, non ſapere carnalis epulas voluptatis, ſatis illud oſtendit, vbi ait:

*Melius*

*Melius est ire in domum luctus, quàm ire in domum potus.* & paulò post: *Cor,* (inquit) *sapientium in domo luctus, & cor insipientium in domo epularum.* ]

Possumus sanè multo congruentiùs de hoc vero & propriè dicto sacrificio vsurpare, quod Ennodius in prima cerei benedictione, de mystico tantùm cerei sacrificio, (veriùs oblatione,) tradidit. [ Nihil hic habet vox humana, quod consecretet, vbi totum dirigit superna cognitio. Agnoscit hic odorem suum salutiferæ Virginis filius, vbi sine coitu nascitur quidquid offertur. Non enim hic thuricremis Pancheus adoletur ignis altaribus; non ad triste ministerium, extremùm mugiens, bos percussa litatur; non bidentum fœtus, carnificis potiùs, quàm Sacerdotis mucro desecuit. Sufficit ad reparationem æternitatis perditæ, quod non à nobis, sed pro nobis agnus occisus est. Procul hinc aberit lanista Iudaicus; qui per cicatrices inguinum, animas sibi acquisitas, tot solet numerare, quot vulnerat. Christi nostri libamina infucata simplicitate complentur. ] Sed & S. Leo serm. 8. de Pass. cap. 7. alloquens Christum [ Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertóque Sacramento, vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc etenim & ordo clariori Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio Sacerdotum: quia crux tua, omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam credentibus, datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna Corporis & sanguinis tui implet oblatio: quoniam tu es verus agnus Dei, qui tollis peccata mundi; & ita in te vniuersa perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita vnum de omni gente sit regnum. ]

## *Alterum Christi Sacerdotis sacrificium; nempe cruentum, in quo idem Sacerdos, & hostia.*

1060 Venio ad alterum Christi sacrificium, ab ipso in vitæ meta celebratum; nec iam incruentum, vt illud de quo hactenus, sed cruentum, quod S. Augustinus l. 4. de Trinit. cap. 13. vocat. *Vnum verissimum sacrificium.* Non quod abroget sacrificio incruento, notionem ac decus sacrificij; sed quod in solo sactificio crucis ex diuino decreto, consummata sit nostra purgatio & reconciliatio cum Deo: de quo effectu sacrificij Christi agit ibi D. Augustinus. Qui mox cap. 14. cum proposuisset omnia in perfecto sacrificio consideranda, hæc omnia in sacrificium hoc Christi de quo agimus, exquisitè cecidisse, sic demonstrat. [ Quis ergo tam iustus & sanctus Sacerdos, quàm vnicus filius Dei, qui non opus haberet per sactificium sua purgare peccata, nec originalia, nec quæ ex humana vita adduntur? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offeretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm sine vlla contagione carnalis concupiscentiæ, caro nata in vtero, & ex vtero virginali? Et quid tam gratè offerri & susci pi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri? Vt quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse vnus verúsque mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo maneret, cui offerebat, vnus ipse esset qui offerebat, & quod offerebat. ]

Quod vnum & idem ait, in hoc sacrificio fuisse, & offerentem; & quod offerebat, idipsum est quod plerumque alij Patres dicunt, Christum in hoc sacrificio fuisse Sacerdotij sui victimam. Habet hoc Origenes Tomo 9. in Ioan. tractans illud, *Ecce Agnus Dei.* Ipsum enim Christum, ait esse agnum illum à seipso in humanitate magno Sacerdote immolatum ad Dei honorem, & expiationem nostram. Idem iterat hom. 8. in Genes. *sub finem.* Et sæpè id se tradidisse ait hom. 5. in Leuit. Suffragantur quoque alij Patres.

S. Chrysostom. orat. in Parasceuem *initio*, tractans illud, *Pascha nostrum immolatus est Christus*, quod sic elucidat. [ Vbi immolatus est? Credo; in excelsa cruce. Nouum & peregrinum altare, cum nouum & inusitatum fuerit sacrificium. Idem & sactificium & Sacerdos erat, sacrificium secundùm carnem, Sacerdos secundùm Spiritum. Idem immolauit & immolabatur. Audi iterum Paulum dicentem; *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutur in his quæ sunt ad Deum. Vnde necesse est & tunc habere aliquid quod offerat.* Ecce seipsum offert. Alibi verò iterum ait; *Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Ecce hic *oblatus est*, vbi seipsum obtulit. Vidisti quomodò idem sacrificium, seu victima, & Sacerdos fuerit? ]

S. Epiphanius hær. 55. [ Christus Sacerdos, primùm quidem se ipsum obtulit, vt solueret sacrificium veteris Testamenti, quum perfectius & viuens pro toto mundo obtulerit, ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ip e Rex, ipse Pontifex, ipse ouis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, vt nobis vita omnibus fieret, & Sacerdotij sui immutabile firmamentum in secula efficeret. ]

1061 Cyrillus Hierosol. orat. de occursu Dom. [ Infantem video ex præscripto legis hostiam in templo offerentem in terra: sed ipse est is, qui omnium pias hostias accipit in cœlis. Video eum in vlnis senis, quod attinet ad œconomiam. Video eundem in sellis Cherubicis, quod ad diuinam attinet naturam. Oblatum video & consecratum, (προσφερόμενον, καὶ ἁγιαζόμενον;) sed ipse est qui omnia consecrat, & expiat, cum ipse sit donum, ipse Pontifex, ipse altare, ipse propitiatorium, ipse qui offert, ipse qui pro mundo offertur: cum ipse sit ignis, ipse holocaustum, ipse lignum vitæ, atque scientiæ, ipse agnus, ipse pastor, gladius spiritualis, ipse immolator, ipse qui immolatur, ipse qui offertur, ipse lex, & ipse qui hostiam accipit.

Eusebius orat. de laudib. Constant. *sub finem.* [ Tertia causa de morte Seruatoris, adiungi poterit. Hostia quidem fuit, pro vniuerso hominum genere, Deo Patri omnium moderatori oblata:

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3



hostia pro grege rationis participe immolata: hostia quæ omnem errorē in dæmonibus colendis constitutum profligauit. Nam illa vna hostia, & egregia victima sacrosancti corporis Seruatoris nostri pro humano genere mactata, & redemptione pro animis omnium gentium quæ ante errore colendorum Dæmonum districtæ tenebantur persoluta, omnis in posterum impiorum & sceleratorum Dæmonum vis ac potentia, prorsùs deleta fuit: omnisque veteratoria fraus, quæ in terris obtrabat, vi valentiore fracta ac debilitata considit. Itaque istud salutare miraculum, in hominum conspectu editum fuit: hoc est, verbi diuini corpus pro vniuerso gregē rationis compote oblatum, hæcque victima morti obiecta, de qua sacræ literæ memorant vno in loco, his ferè verbis: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* In alio autem sic loquuntur. *Tanquam ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se sine voce.* Quin etiam causam, ad hunc modum docent. *Hic peccata nostra tulit, & pro nobis dolores perpessus est, & nos reputauimus eum esse in labore, & in plaga, & in afflictione. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & attristus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes quasi oues errauimus, vnusquisque in suam viam erravit, & Dominus tradidit eum pro peccatis nostris.* Mortale igitur diuini Verbi corpus, his de causis immolatum constat. Iste magnus Pontifex, Deo omnium duci & imperatori consecratus, qui præterquàm quod hostia fuit, Dei virtus, Deique sapientia fuit: quod in eo mortale erat, à morte breui reuocauit; idémque ipsum Patri, tanquam primitias communis omnium salutis obtulit.]

S. Paulinus Epistola 5. post senerum mysticæ ouis specie exhibitum; [Tum vicissim præbebit se tibi ouem Christus, & agnus ille, qui prò nobis ad interfectionem ductus est, & coram tondente se non aperuit os suum, vellera sua, ideſt carnis exuuias abstrahi sibi passus. Ipse enim pro nobis, & animam, & carnem suam posuit, & recepit; qui & sacerdos, & hostia, & agnus, & pastor est, qui pro ouibus suis pastor, & pro pastoribus suis agnus, occisus est. Ipse enim Dominus hostia omnium sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotij sui, & sacerdos suæ victimæ fuit; cuique nunc vt vni omnium Domino, omnis noua creatura sacrificium, ipsique sunt hostiæ sacerdotes.]

### *Difficultas, quomodò Christus in sacrificio cruento, fuerit Sacerdos, cum non se occiderit.*

1062 Est ergo exploratum, de Patrum sententia, Christum sacrificij cruenti hostiam & sacerdotem fuisse. Sed quomodò Christus, sua simul victima & sacerdos in hoc sacrificio esse potuerit, non est adeò facile explicatu. Vt enim Christus, dici posset, suæ victimæ, hoc est suimet ipsius sacrificator in sacrificio cruento necessarium videretur, Christum ipsum se occidisse & ad mortem suam positiuè cooperatum esse. At quis ausit dicere, Christum se occidisse, aut mortis suæ positiuam causam fuisse? Ad summum ergo videtur dici posse: Christum se sacrificasse, eo modo quo martyres, de quibus in scripturis & PP. vulgatissimum, est eos esse hostias & sacrificium Deo acceptum, vt latè refero in Tract. de Martyrio p. 4. cap. 5. quamuis extra dubium sit, eorum mortem non esse verum & præsè acceptum sacrificium, sed tantùm latè dictum. Non enim carnifices à quibus occiduntur, sunt personæ sactæ, publicè vel diuinitus commisso ministerio ad id fungentes, in honorem Dei, & supremi diuini dominij protestationem; ipsi verò Martyres, qui plerumque dicuntur se immolare, non nisi passiuè se habent ad suam cœdem, nec sunt vllo modo causę effectiuæ illius, sed tantùm eam excipiunt in patientia, illatam ab extrinseco; quod non est efficere, sed permittere mortem suam: atque adeò non est se sacrificare, aut immolare. Cum igitur Christus, eodem modo se habuisse videatur ad mortem suam, non apparet quo iure, (si res ad viuum resecetur,) dicatur fuisse, suæ victimæ ideſt suimetipsius, in sacrificio cruento verus sacerdos, duntaxat respectu laniorum; non enim sacerdotum & cocorum, à quibus vt loquitur S. Chrysosto. Orat. in Paraseeue, bona hæc ouis, malè mactata est. Et verè Christus in hoc facto, ouis, quæ tamen passiuè tantùm se habet ad lanienam.

Quem Christum, expressit Esaias de passione agens cap. 53. quem sic accepit Theodoretus serm. 1. de Prouid. [*Omnes*, (inquit,) *vt oues errauimus, homo via sua se ductus est. Propterea tanquam ouis ad mactationem ductus est, vt agnus coram tondente se, mutus.* Decebat enim ipsum, vt simili per similes mederetur, & per ouem ouium errorem reuocaret. Ouis autem fit, non in ouem transmutatus, nec conuersionem vllam passus, nec à propria substantia deficiens, sed ouis naturam euidentissimè induit, & quemadmodùm gregis ductor aries, dux gregis factus, vt oues omnes se sequantur effecit. Vt ouis itaque, sacrificium quoque factus est, & pro toto genere, oblatus est victima. Nec sine causa, mactationis simul & tonsionis mentionem fecit Propheta; sed quandoquidem Deus erat & agnus, corpore verò mactato, impassibilis permansit diuina natura, necessariò vtique diuinus quoque Isaias, ouis mactationem, simul & agni tonsuram, nobis demonstrauit.] Si igitur ouis aut agnus Christus, victima quidem dici potest, at quomodò sacerdos?

### *Inidonea expeditio difficultatis propositæ.*

1063 Hanc difficultatem, aliqui apud Alanum lib. de sacrificio Missæ c. 10. ita expediendam censuerunt, vt dicerent Christi mortem non fuisse sacrificium, nisi qua ex parte connectebatur cum sacrificio incruento, in quo Christus pridie passionis, verè & voluntariè se in sacrificium obtulerat, & immolarat. Duo enim illa sacrificia, ita vnum esse voluerunt hi Autores, vt non sint seiuncta, sed vnum sit pars alterius. Vnde cum sacrificium incruentum, fuerit à Christo tanquam à vera causa effectius cui erat plenè voluntarium; intulerunt sacrificium crucis, cuius pars erat sacrificium incruentum, participasse rationem voluntarij respectu Christi: sicque fuisse respectu eius verum sacrificium;

Non

Non tamen si seorsim sumatur.

Hanc tamen sententiam meritò repudiat Alanus. Per eam enim exsciditur ratio veri sacrificij incruenti, respectu Christi Domini: cum tamen & Scripturæ, & Patres, nihil frequentiùs celebrent, quàm veritatem sacrificij crucis, quod perperam dicitur vnum cum sacrificio incruento. Nam quamuis vtrumque hoc sacrificium, sit vnum & idem quoad rem oblatam, (quod vnum voluit sanctus Chrysostomus hom. 17. in ad Hebr. & ibidem Hilar. Diacon. in cap. 10. & Primasius in cap. 9. asserentes sacrificium incruentum esse vnum cum sacrificio crucis:) quamuis item in genere moris, & in ratione cultus Religiosi, sint eiusdem speciei, quòd rectè contendit Vasques 3. p. disp. 224. cap. 2. tamen spectata forma & ratione offerendi, atque adeò sumendo physicè vtramque actionem sacrificatiuam, differunt specie, vt rectè pronuntiat Suares Tomo 3. tertia parte, disp. 76. sect. 1. Ex quibus patet, rationem voluntarij quæ cernitur in sacrificio incruento, non posse sufficere ad hoc, vt sacrificium cruentum sit Christo voluntarium physicè; quale sanè esse debet, vt moralitas sacrificij & cultus Religiosi, conferri ei actioni à Christo possit.

### *Vera eiusdem difficultatis extricatio.*

1064 Omninò igitur admittendum est, sacrificium cruentum, seorsim ab incruento, fuisse Christo voluntarium. Quod vt intelligatur, & discrimen Christi, ac cæterorum Martyrum, in hac parte explicetur, statuendum est cum Caietano, ientaculo 3. quæst. 1. *in præsumptionibus ante corpus quæstionis*, Christum fuisse Sacerdotem à Patre constitutum, ad offerendum seipsum. Quod enim inprimis exigitur, vt mors aliqua habeat rationem sacrificij, illud est, vt fiat à persona, publicè ad id delecta. Nam cum sacrificium, sit cultus Dei publicus, non debet per quamcunque personam exhiberi; sed per eam tantùm, quæ ad id publicum ministerium, publica vel diuina autoritate, eam sibi potestatem in lege noua propriam esse statuente, fuerit delecta. Hoc ergo habuit Christus, teste Apostolo ad Hebræos, longa de hoc argumento disputatione: Martyres autem non fuerunt à Deo constituti, & ex hominibus assumpti, vt offerrent seipsos in sacrificium: sed duntaxat iussi sunt patienter excipere mortem, à Tyrannis, in fidei, aut Christianæ cuiuspiam veritatis odium irrogatam. Deinde mors Christi, fuit verè ipsi Christo voluntaria; non solùm quia eam merè passiuè se habendo patienter acceptauit, & ad eam se obtulit, quod Martyres quoque fecerunt; (vt proinde minùs commodè Bonac. disp. 2. de Incarn. q. 20. part. 1. per eam solam oblationem, sacrificium Christi explicet:) sed etiam quia in potestate Christi fuit, mortem multipliciter defugere, cum aduocatis 12. legionibus Angelorum ne comprehenderetur; tum etiam post comprehensionem, imo etiam post illata quæcumque tormenta. Nam etiam post eorum irrogationem, liberum fuit Christo, animam suam ponere, vel retinere, iuxta illud Ioann. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso.* Et mox *potestatem habeo ponendi animam meam.* Eámque potestatem vt monstraret, sub punctum mortis, clamauit voce magna. Naturaliter namque fieri non potuit, vt corpus tot tormentis excruciatum, ac ita defectum vicibus, vt statim post spiritum emiserit, voce tantoperè contenderet. Sed Christus miraculorum potestate vsus, vt Suares rectè disserit Tomo 2. tertia parte d. 38. sect. 1. eum clamorem sustulit, vt potentiæ suæ specimen daret, iuxta Chrysostomum hom. 89. in Matth. & Athanasium q. 76. & 77. ad Antiochum. Eadem ergo potentia vtendo, si libuisset, facillimum illi fuisset vitam vlteriùs prorogare; & vel dispositiones ad vitam retinendam necessarias conseruare, vel absque eis fouere animam in corpore, absque disruptione vnionis, vtriusque partis suæ essentialis. Verum in Patris honorem, & nostrum bonum, noluit vti ea potestate ad causandum effectum illum; sed cum venit hora eius, beatúmque illud momentum, quo anteriorum & posteriorum seculorum omnium expiatio perficienda erat; vitam quam nulla tormenta, nullúsque inimicorum furor adimere inuito potuissent, fouere diutiùs noluit; sed naturali cursui, & dispositionum exigentiæ rem permittens, efflauit animam in honorem Dei, & reparationem nostram; in hunc ferè modum, Patrem affatus. Ego ad contestationem supremi domini tui, (Pater meus, & Deus meus,) eiúsque eminentissimæ potestatis, qua mortis ac vitæ plenissimam dispositionem habes, vt satisfiat iuribus maiestatis tuæ nequissimè & ingratissimè per humanum genus violatis, ac violandis; cum possem vitam prorogare, lubens ac volens eam tibi offens in sacrificium propitiatorium; nolóque eam vlteriùs retinere, sicut possem.)

Ita ferè se habuit Christus, in morte admittenda. Quod non fuit merè acceptare patienter mortem deforis illatam, faciendo de necessitate virtutem; (quod fecisse SS. Martyres ait Caietanus, quia non poterant mortem pro potestate inhibere, suppositia irrogatione cruciatuum,) sed verè fuit voluntariè sacrificare Deo, non solùm per modum acceptantis, sed etiam per modum causantis, vt ait suprà Caietanus. Hoc si intelligo, vt non quidem se occiderit Christus, (etiamsi ita loquitur Tertullianus in Scorpiaco c. 7.) imo nec positiuè in suam mortem influxerit, sed tamen ad modum causæ moralis habentis impediendi potestatem, nec tamen volentis impedire, interuenerit ad sacrificium mortis suæ, nisi ipso annuente nunquam secuturæ. Vnde Christus de se ipso dixit, *pro eis sanctifico meipsum*, ideſt me sacrifico, vt exponit S. Chrysostomus hom. 81. in Ioann. & S. Cyrillus l. 11. cap. 25. id accipientes de immolatione in ara crucis. Astipulantur huic doctrinæ, Recentiores grauissimi; inter quos Bellarminus l. 1. de Missa cap. 3. & lib. 2 de 7. verbis cap. 12. §. *vna sola restat*; Henriques lib. 9. summæ c. 3. Lessius l. de Iust. cap. 38. num. 17. Alanus l. de sacrificio Missæ c. 18. Becanus Tomo 2. Opusc. vltimo, lib. 3. c. 1. & Scholastici passim 3. p. q. 22.

*Quàm acceptum Deo, cruentum Christi sacrificium.*

1065 Hinc perspici potest, cur hoc sacrificium adeò acceptum Deo fuerit, verèque in odorem suauitatis. [Deo Patri (inquit Autor sermonis de Stella & Magis, apud Cyprianum,) cuius regnum, & imperium suis mundum replet splendoribus, in odorem suauitatis summus sacerdos & Pontifex Christus se obtulit; cuius caro, passionis cremata carbonibus, incensionis suæ fragrantiam transmisit ad cœlos, & vsque hodiè odor ille suauissimus, in terrestri cœlestique Ecclesia, indeficiens perseuerat.] Nimirum sublimissimus ille actus quo Christus verus Dei filius vitam suam longè pretiosissimam, propter honorem Patris & ex charitate in nos, noluit vlteriùs conseruare, tantæ fuit apud Deum fragrantiæ, vt nunquam intermoritura sit eius suauitas; Martyrum quidem qui sunt puri hominis, pretiosa in conspectu Domini mors prædicatur. Tamen quanto vita Dei hominis, nobilior est vita hominis puri, tanto pretiosior apud Deum iudicem infallibilem, esse debet eius abiectio, pro Deo; præ eiusdem per puros homines patienter admissa priuatione.

*Eius Typi, vetera omnia sacrificia.*

Quia verò magna Dei opera in nouo Testamento exhibenda & clarè exprimenda, sub typis & imaginibus expressa sunt in antiquo; propterea Deus voluit omnia anteriorum temporum sacrificia, istud adumbrare. Audi Prosperum p. 2. de promiss. cap. 5. [Rursum Moyses secundò montem iubetur ascendere. Eique mandatur, quæ in sacrificiis ex animalibus auibúsque populus offerat, sub certa mensura similaginis conspersæ ex oleo pro peccato, pro solemnibus, pro votiuis vel certis Neomeniis, diebúsque festiuis. *Vitulum* dictum est *sine macula*, referens ad Christum veritatem, quæ signa sunt rerum. *Placebit*, dictum est, *Deo super vitulum nouellum, cornua producentem & vngulas.* Agnum anniculum sine macula; ipse est agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Quem ex grege, idem ipse de quo Esaias. *Sicut ouis ad immolandum ductus est.* Arietem ex grege, idem ipse est Christus Dominus, qui dicit per Prophetam; *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum.* Et Abacuc, *Cornua*, (inquit,) *in manibus ipsius sunt.* Hœdum ex grege, ipse est Christus Dominus, qui non propria, sed aliena peccata portans, pelles & quibus cilicia collatæ pœnitentiæ texuntur, suo intulit tabernaculo: qui & per Dauid dicit, *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.*]

Breuiter complexus est, quæ plenius habet Origenes in Leuiticum, quem cap. sequenti, laudat autorem. Is cum diffusè in hanc rem disputet passim eo opere, breuiter multa constipauit in hanc rem homil. 3. verbis illis. [Omnis quidem penè hostia quæ offertur, habet aliquid formæ & imaginis Christi. In ipsum namque omnis hostia recapitulatur, in tantùm vt postquàm ipse oblatus est, omnes hostiæ cessauerint, quæ eum in typum & vmbra præcesserant: de quibus prout potuimus, in superioribus diximus, quoniam quod vitulus à Pontifice oblatus, siue in munere, siue pro peccato, formam eius haberet, ostendimus. Adipes verò qui offeruntur in munere, operientes interiora, & renibus cohærentes, potest sancta illa eius anima intelligi: quæ interiora quidem, idest, diuinitatis eius secreta velabat; renibus autem, hoc est, corporali materia, quæ ex nobis castè sumpta fuerat, cohærebat: & media inter carnem Deúmque posita, deificandam, sanctificandam sacris altaribus & diuinis ignibus illustrandam, & conseruandam secum ad cœlos, naturam carnis imponit. Renunculi autem ignibus traditi, quis dubitet quod nullas in Christo fuisse indicent genitalium partium motus? Quod verò de sanguine hostiæ septies ante Dominum sacerdos respergere memoratur, euidenter sancti Spiritus virtus, septemplicis gratiæ sub mysterio designatur. Quatuor cornua altaris quæ sanguine liniuntur, Christi passionem referre, quatuor Euangeliis indicant: quod penna iecoris offertur; in iecore ira iugulatur; in penna velox, & concita vis furoris ostenditur. Reliquus autem sanguis, qui ad basim altaris effunditur, puto quod illius gratiæ formam designet, qua in nouissimis diebus posteaquàm plenitudo gentium subintroierit, omnis qui reliquus fuerit ex Israël, ad vltimum velut ad basim altaris positus, effusionem Christi sanguinis etiam ipse suscipiet. De agnis verò & hœdis turturibus & columbis, sed & simila conspersa in oleo, aut in panibus azymis cocta, quantum res pati potuit, suprà dictum est.] Omnia quippe ista sacrificij cruenti à Christo exhibiti, typos fuisse, declarauerat.

1066 Cuncta igitur sacrificia antiqua, Christi cruentum sacrificium adumbrarunt. Hácque ex causa, Naz. orat. 2. de Pasch. ait, Christi victimam omnibus victimis, legalibus fuisse immixtam. Magnus verò Greg. 28. cap. 9. sic scribit. [Mira dispensatione consilij, quod ei Dominus de consuetudine carnali retinuit, hoc in figuram spiritus potentiùs vertit. Quid enim sacrificia illorum animalium, nisi vnigeniti mortem designant? Quid sacrificia illorum animalium, nisi extinctionem carnalis nostræ vitæ significant? Vnde ergo imbecillitate populi rudis condescenditur; inde ei per obumbratas allegoriarum species, maior fortitudo spiritus nunciatur. Rectè itaque dicitur; *Et caligine illud quasi panis infantia obuoluerem*: quia vnde eius teneritudinis infirma pertulit, inde altam significationum spiritalium nubem fecit.] De sacrificio vituli passionem Christi præsignante, déque eodem directo, ariete consummationis pulcherrimè S. Cyrillus lib. 11. de adorat. Iuuencæ ruffæ sacrificium, elegantissimè & plenissimè Christi sacrificio cruento, aptat S. Augustinus q. 33. in Numer. Hirci sacrificium ad Christi mortem transfert latè Rupertus l. 11. in Matth. Et vniuersè, & figillatim, omnes planè antiquas victimas & sacrificia, Christum, eiúsque sacrificium expressisse, plenè prosequitur Iuo Canotensis, Opusc. de conuenientia veteri & noui sacrificij, *ante medium.* Fusè quoque Arnoldus Bonæuallis tract. de postremo Christi verbo.

Manifestum autem indicium eius quod diximus, præsignari inquam per sacrificia aliqua sacrificii Christi, petere inde licet, quod posito Christi sacrificio, euanuerunt & abrogata sunt omnia sacrificia, vt S. Augustinus lib. 6. contra

contra Fastum cap. 5. notauit. Eóque autor homiliæ de Natiuit. Baptistæ, apud S. Chrysost. in homiliis ex Luca, refert Zachariæ silentium, & tempus concepti Baptistæ. [Inuentum est, (inquit) ipsa die octauo calendarum Octobrium, esse æquinoctium, in quo est inchoatio noctis maior quàm lucis. *Illum enim oportet crescere*, (inquit,) *me autem minui*. Minorata autem fuerat lux à tenebris, cum Iudæi secundùm legem & prophetiam sacrificia Deo offerebant, in quo & Ioannes conceptus est, in qua etiam incusabantur à Domino, dicente Esaia Propheta; *Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus. Plenus sum holocaustis arietum; & pinguedinem taurorum & hircorum nolo.* Hæc sunt enim quæ ante propter peccata populi offerebantur, quæ iam cessare oportebat, cum Ioannes idem Baptista conciperetur. Et ideò Zacharias Pater eius, sacerdos Iudæorum obmutuit, quia iam cessare & obmutescere oportebat sacrificia eorum, quæ pro peccatis populi offerebantur. Veniebat enim solus sacerdos, qui agno solo immaculato, sacrificium Deo pro peccatis omnium offerret. Et ideò demonstrauit eum Ioannes Iudæis; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Num plenissimè constat, ideò obmutuisse Zachariam sacerdotem Iudæorum, quia sacrificia secundùm legem & prophetam offerebat. Significabat enim quòd iam adueniente Christo, lex & Prophetæ adimpleti tacerent & ideo, lex & prophetæ vsque ad Ioannem sunt, quæ ad conceptionem eius, cursum tenuerunt.]

### *Etiam incruentum nouæ legis sacrificium, imago cruenti in cruce peracti.*

1067 Imo ipsummet nouæ legis sacrificiũ incruentum, etiam provt à Christo in cœna oblatum, fuit imago & delineatio sacrificij incruenti in cruce celebrati. Consultò, non voco *figuram*, quamuis ita loquitur Paschas. l. de corp. & sang. Dom. cap. 4. Nec malè, quia sumit *figuræ* vocem, pro signo & repræsentatione. Sed mihi ea vox, in hoc negotio videtur parcè vsurpanda ne quis putet, non esse in sacrificio cruento, & in sacrificio cœnæ, vltimæ, eandem verè & realiter rem oblatam; nempe Christum ipsum. Præstat ergo; sacrificium Christi incruentum, non modò quod iam celebrant sacerdotes, (de quo liquet ex institutione sacrificij quod peragunt;) sed etiam quod ipsemet Christus in postream cœna confecit, vocare imaginem & delineationem sacrificiis cruenti: quia cum illud sacrificium fuerit primarium analogatum in genere sacrificii, voluit Deus cuiuis alteri sacrificio, adiungi significationem eius mysticam. Ipsum autem sacrificium crucis, non fuit expressiuum vllius alterius sacrificij, sed fuit prototypum & exemplar, quod Deus in omnibus aliis, atque adeò etiam in incruento, adumbrari & delineari voluit: tantoperè ei placuit, hæc filij sui in ara crucis, tanta charitate, & diuini honoris studio admissa, cruenta immutatio, & demissio vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Quare sacrificium quoque legis nouæ, quod Christus ipse peregit in cœna, gratidari oportuit hac significatione, & adumbratione sacrificij cruenti; cum hac distinctione sacrificij incruenti à veteribus, quoad hoc negotium; quod vetera sacrificia, essent nuda signa & figuræ cruenti sacrificij Christi Domini, sactificium autem incruentum, ita fuerit imago sacrificij crucis, vt tamen fuerit quoque verum sacrificium, quo præter Christi in cruce mortui typum, ipse quoque Christus, in statu mortui & immolati, exhiberetur. Qua ratione, rectè de sacrificio incruento, quod nunc sacerdotes ex Christi institutione & imitatione celebrant, comparato ad cruentum crucis sacrificium, philosophatur Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 19. verbis illis. [Firmissimè tene, & nullatenus dubites, ipsum vnigenitum Deum Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis; cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis & Sacerdotibus, tempore veteris Testamenti, animalia sacrificabantur: & cui nunc, ideſt tempore noui Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus ille est vna Diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate, sancta Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terræ offerre nó cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Christi quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum: in isto autem sacrificio, gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & sanguinis quem pro nobis idem Deus effudit. De quo Beatus Paulus dicit in Actibus Apostolorum; *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.* In illis ergo sacrificiis, quid nobis esset donandum figuratè significabitur: In hoc autem sacrificio, quid nobis iam donatum sit, euidenter ostenditur. In illis sacrificiis prænuntiabatur filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem, impiis annunciatur occisus.]

### *Continuatio sacrificij incruenti, provt seorsim à primo spectari potest, hic ferè dimissa.*

1068 Sed de perfectionibus ac prærogatiuis cruenti sacrificij Christi Domini, superuacaneum propè videatur plura dicere, cum Apostolus bonam partem Epistolæ ad Hebræos, in aperienda huius sacrificij præcellentia, & dignitate, consumpserit. Non extra rem addi hîc posset de sacrificio quod in Ecclesia Catholica frequentatur, éstque & primi incruenti sacrificij Christi continuatio, & cruenti (vt proximè dicebamus) imago. Nam in hoc item sacrificio, Christus est principalis sacerdos, vt S. Chrysostomus contestatur hom. 83. in Matth. & sæpè alibi, disertéque Tridentinum sess. 22. cap. 1. & 2. sed non placet hîc excurrere in illam disputationem, quod vix aliquid ad sacerdotum Christi pertinens contineat, in cuius discussione, post ea quæ de sacrificio primo incruento diximus, hærendum videatur. Tantùm obiter dicam, cum scopus Christi in institutione huius sacramenti, fuerit perpetuatio mortis & sepultura Christi Domini, vt optimè philosophatur Rupertus lib. 3. de oper. Spir. sancti cap. 20. exquisitè planè id consecutum esse sacerdotem nostrum. Imo

additis iis sacris ritibus, quibus Ecclesia hoc sacrificium conuestitum voluit, non mortis tantùm & sepulturæ, sed vitæ totius, ac passionis, & mortis, ac sepulturæ, & Resurrectionis, luculenta expressio in eo cernitur. Reuera enim attentè consideranti, nihil aliud esse apparebit totam Christi vitam, quàm Missam quandam solemnem. Hoc diligenter & amœnissimè executus est, obscurus, sed reuera doctus scriptor, Radulphus de Monfiquet Tract. de Eucharistia. Illius Tractatus, totum caput 30. 31. & 32. in eo ab Autore consumitur, vt cum sint tres Missæ nostræ partes, vna ab initio, ad Canonem; altera à Canone, ad pacis comprecationem, & demissionem particulæ consecratæ in calicem; tertia exinde, ad finem vsque Missæ: totidem vitæ Christi partes correspondentes exhibeantur; vita quidem ante passionem, per primam Missæ partem. Passio & sepultura, per secundam; Resurrectio verò per postremam. Hoc Autor prædictus, non minori labore, quàm ingenij laude prosequitur, aptatis ad ea myster a omnibus ritibus sacris, siue qui verbo, siue qui gestu, & multiplici corporis motu peraguntur. Res longior est quàm vt hîc adscribi possit. Et fortassis eodem respexerunt nonnulli Patres, cum dixerunt, in Missæ sacrificio non tantùm Christi passionem, sed alia quoque eius mysteria exhiberi. Nam cum id non possit verum monstrari, spectata præcisè actione sacrificationis, qua sola Christi mors exprimitur; superesse videtur, vt monstretur verum ratione cœterarum ei principaliori actioni adiunctarum in Christiana Liturgia. Tradunt autem eam cœterorum Christi mysteriorum, in sacrificio Christiano repræsentationem, grauissimi Patres. Sic S. Cyrillus Epistola vltima ad Nestorium, *à medio*, ait Eucharistiam, non tantùm esse typum mortis Christi, sed etiam Resurrectionis & Ascensionis in cœlum. Æternam Christi, & Sanctorum societatem in cœlesti gloria, adumbrari in diuina Liturgia, tradit S. Dyonisius cap. 1 de Cœl. Hierar. *sub finem*. Natiuitatis Christi in præsepio, typum esse altare, atque adeò exhiberi in nostro sacrificio Christi natiuitatem, habet Theodoretus serm. 10. de Prouid. & S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum *sub initium*. Denique de omnium Christi mysteriorum expressione in Christiano sacrificio, luculenter Damascenus Epist. de corpore & sanguine Domini, à Pantino edita.

---

## VSVS DOCTRINÆ, de Christo Sacerdote.

1069 NEc plura de verò ac propriè dicto Christi Sacerdotio, quo ipse sibi Sacerdos est & victima nisi quod illud cum Origene hom. 2. in Leuit. *sub medium*, attentè ponderandum est, ex tanto sacrificio pro nobis oblato, summum nobis iniici totius sanctimoniæ necessitatem. [ Decet quidem (inquit) districtioris esse disciplinæ Christianum, pro quo Christus oblatus est. Pro illis (*Iudæis*,) oues, hirci, boues iugulabantur, & aues, & simila conspergebatur. Pro te, Dei filius iugulatus est; & iterum te peccare delectat? ] Sensus item pietatis in Deum, concipiendus hinc cum Augustino 10. Confess. cap. 43. [ Quomodò nos amasti pater bone, qui filio tuo vnico non pepercisti, sed pro nobis impijs tradidisti eum? Quomodò nos amasti, pro quibus ille qui non tapinam arbitratus est esse æqualis tibi, factus est subditus vsque ad mortem crucis, vnus ille in mortuis liber, potestatem habens iterum sumendi eam, pro nobis tibi victor & victima, & ideo victor quia victima, pro nobis tibi Sacerdos & sacrificium; & ideò Sacerdos, quia sacrificium, faciens tibi nos de seruis filios, de te nascendo, nobis seruiendo? Meritò mihi spes valida in illo est, quòd sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt iidem languores mei, multi sunt & magni, sed maior & amplior est medicina tua. ]

Hi sunto eximij fructus, Sacerdotij Christi, quo seipsum, & in ara crucis, & in cœna victima obtulit Patri victimam acceptissimam. Sed est insuper Sacerdotium alterum, quo mysticè pias animas hostiam viuam immolat; adducò de eo breuiter S. Macarij locum, ex homilia 1. [ Deus, (inquit) vtens exemplo iussit omnes victimas, sale condiri. Oportebat igitur primùm, victimam à Sacerdote mactari & mori; deinde diuisam sale conspergi; tandem igni superponi: nisi enim primùm Sacerdos ouem mactasset & occidisset, non saliebatur, neque Deò veniebat in odorem suauitatis. Sic & animam nostram accedentem ad Christum verum Pontificem, ab ipso mactari conuenit, & affectui mori & anteactæ vitæ improbæ, hoc est, peccato, ab eáque nequitiam affectionum tanquam vitam egredi oportet. Sicut enim corpus mortuum est cum exierit anima, nec vltrà viuit ea vita qua viuebat, non audit, neque ambulat: sic vbi Christus cœlestis Pontifex, per gratiam virtutis suæ mactauerit & occiderit mundo vitam nostram, extincta est quoad improbam vitam qua viuebat, nec ampliùs audit aut loquitur, neque conuersatur in tenebris peccati; propterea quod nequitia affectionum, quæ erat tanquam anima eius, per gratiam decessit. Quod & Apostolus clamat, dicens: *Mihi mundus crucifixus est, & ego Mundo.* ] Et inferiùs, cum hæc ipsa plenè versasset. [ Decet itaque (inquit) animam quæ apud Deum viuere statuit, in quiete & lumine perpetuo accedere, vt prædictum est, ad Christum verum Pontificem, & mactari atque mori Mundo priorique vitæ tenebrarum & nequitiæ, & traduci in aliam vitam & educationem diuinam. Veluti si quis in ciuitate decesserit, non iam audit vocem aut sermonem eorum qui in ea habitant, neque eorum quæ illic geruntur, rumorem; sed prorsus mortuus est, & in alium locum translatus, in quo nullæ tales sunt voces aut clamores quales erant in illa ciuitate: sic & anima vbi mactata fuerit, & mortua conuersationi illi & ciuitati nequitiæ affectionum in qua priùs viuebat, non audit vltrà apud se, vocem disputationum obscurarum, non ampliùs auditur sermo, neque clamor altercationis vanæ, & tumultus spirituum tenebrarum: sed translata est in ciuitatem probitate & pace plenam, in ciuitatem, inquam, lucis diuinæ.

næ. Ibi viuit & audit, ibi conuersatur & loquitur & ratiocinatur, ibique operatur opera spiritalia, & Deo digna. Deprecemur ergo & nos, vt mactemur per virtutem ipsius, & moriamur seculo nequitiæ tenebrarum, auferatúrque à nobis spiritus peccati, & induamur, recipiamúsque animam cœlestis spiritus, atque transferamur è malitia tenebrarum, ad lumen Christi, & requiescamus in vita per vniuersa secula.]

1070 Et nos tamen quia liberè assentimur immolanti nos Deo, sacerdotes sumus nostri ipsorum, & Christi sacrificium æmulamur Audi Paulinum Epist. 5 [Imitando imitatorem Christi, peruenimus ad imitationem Dei, cui bonus odor sumus in Christo, si exhibeamus hostiam viuam obsequio rationabili, vt illi puram similaginem mola mundi cordis excretam, ab interioris nostri penetralibus offeramus, & in pectore nostro castum altare ponentes, illa per legem iussa sacrificiis animalia mactemus in vitiis, immolantes hircum cum peremptione peccati, in quo odor mortis est; cædentes taurum, si deponamus superbiam; sacrificantes ouem, si mollitudinem & ignauiam, in charitate non tepidi, & spiritu feruentes eiiciamus. Offerentes in nobis & agnum, si immaculati viuamus: & vitulum, si efficiamur malitia paruuli, vt vnius purum, pudicitia; alterius stultum, simplicitate referamus. Quale te sacrificium Deo exhibere video in templo tui corporis, in sacrario tui cordis, in immolatione tuæ carnis, in oblatione tuæ animæ. Immolas taurum cum pia humilitate depositus, ceruicem altam percussisti timore diuino. Immolas hœdum, cum omnia sinistræ partis opera, iustitiæ sectator interficis. Ouem iugulas, cùm diligens operarius studiosusque mediator diuinæ voluntatis & legis, inertiam vitæ, & ignauiam quasi pecus molle prosternis, & à te vitæ istius impedimenta, quasi vellera tondenti vtilia, onerosa gestanti, forcipe verbi cœlestis occidis. Qui nos duobus testamentis apprehensos tenet Christus, & vel sarcinis secularibus quasi lanis exuit: vel rursum vt vellera à corporalibus vitiis tanquàm à morbidis & mollibus ouium corporibus abscindens, in vestimentum sui corporis, quod operatione credentium tegit; siquidem vicissim cùm Christum induimus, induamur à Christo, in Ecclesiæ pensa deducit, & fimbriis suæ vestis intexit.]

Egregiè planè in eandem sententiam disputat Origenes homil. 1. in Leuit. postquàm de sacrificio Christi disseruit; vt impellat vnumquemque fidelem ad similiter sacrificandum. [Habes (inquit) & tu vitulum, quem offerre debeas. Vitulus est, & quidem valdè superbus, caro tua: quàm, si vis munus Domino offerre, vt eam pudicam castámque custodias, adduc eam ad ostium tabernaculi, idest, vbi diuinorum librorum susceptio possit auditum. Masculinum sit munus tuum fœminam nesciat, concupiscentiam respuat, fragilitatem refugiat, nihil dissolutum requirat aut molle. Impone etiam manum tuam super hostiam tuam, vt sit accepta Domino, & iugula illam contra Dominum; hoc est, impone ei continentiæ frœnum, & manum disciplinæ ne auferas ab ea, sicut imposuit manum carni suæ ille qui dicebat, *Macero corpus meum, & seruituti subiicio, ne fortè cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Et iugula eam contra Dominum, mortificans sine dubio membra tua quæ sunt super terram.] Addit in eandem rem alia permulta. Pro quibus subiicio breuem eiusdem locum ex homilia 9. eiusdem operis *sub finem*; vbi cum præmisisset aliqua de loco solis sacerdotibus patente ad sacrificandum holocaustum, hortatúsque esset omnes fideles ad illud ingrediendum; subdit. [Nolo miretis quod hæc ædos solis sacerdotibus pateat. Omnes enim quicunque vnguento sacri chrismatis deliburi sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ait ad omnem Ecclesiam; *Vos autem genus electum, & regale sacerdotium, gens sancta.* Estis ergo genus sacerdotale, & ideò acceditis ad sancta. Sed & vnusquisque nostrum, habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, vt semper ardeat. Ego si renunciem omnibus quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei. Aut si tradidero corpus meum vt ardeam habens charitatem, & gloriam Martyrij consequar, holocaustum meipsum obtuli ad altare Dei: si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificauero, si mundus mihi crucifixus & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficior.]

Quomodò verò Christus, designato vnoquoque nostrum, ad prædictum modum sacerdote, aptauerit nos ad dignè litandum, iis ritibus qui in antiqua lege mandabantur ad sacerdotum præparationem, nostrum cuilibet accommodatis, egregiè omninò tradit Gregorius Nyssenus orat. 3. in orat. Dom. *initio.* Verùm quia sacrificia nostra, provt à nobis sunt spectata, non aliter se haberent quàm excerebrationes canum; gaudeamus eum nobis esse sacerdotem, cuius sacrificium non possit esse non acceptabile. Idem est Rex & sacerdos. Vnde concludit Autor Commentarij de actione Missarum à Lindano editi, post Apologiam pro Missa S. Petri. [Ne ergo peccet homo, à Rege Christo regatur: si fortè peccauerit, ab eodem sacerdote Christo, expietur.]

## CAPVT XI.

### *Christus, Pontifex futurorum bonorum.*

1071 VIT itaque Christus sacerdos, & quidem *magnus*, quod eius vnius proprium ac verum nomen esse, habetur ex Origene. hom. 12. in Leuit. verbis illis *in ipso homiliæ fronte.* [Omnis qui inter homines sacerdos est, si attendas ad illud sacerdotem, de quo dixit Deus; *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*; paruus est & exiguus; ille est autem magnus sacerdos, qui potest penetrare cœlos, & vniuersam supergredi creaturam, & ascendere ad eum, qui lucem habitat inaccessibilem, Deum & Patrem vniuersitatis. Propter quod & ille, qui apud Iudæos magnus dicebatur sacerdos, introibat quidem in sancta, sed manufacta, sed lapidibus extructa: non ascendebat in cœlum, nec adstare poterat apud Patrem luminum. Sed quia horum

vmbram

vmbram implebat & imaginem, idcircò etiam magni sacerdotis nomen, per vmbram gerebat & imaginem.] Summum porrò Sacerdotium, idem est cum Pontificatu, de quo proinde agendum sequitur, præsertim quia Pontificatus adeò cum Sacerdotio, (de quo hactenus,) nexus & colligatus est, vt nomine quoque Sacerdotij passim insigniatur: quod monstrat titulus operis de Episcopali dignitate apud Chrysostomum, quod *de Sacerdotio* inscriptum videmus. Nec sanè aliud est Pontificatus, quàm summum Sacerdotium. Christus ergo non modò Sacerdos fuit, quatenus fuit publicus à Deo delectus minister sacrificiis, cùm incruenti, tum cruenti; sed etiam fuit Pontifex vt eum sæpè indigitat Apostolus in Epistola ad Hebræos, componens Pontificatum Aaronicum cum Pontificatu Christi, quod mox attingemus, cum huius Pontificatus veluti substantiam, & ortum, ac sphæram exposuerimus, suppositâ huius Pontificatus veritate, ex Apostoli oraculo.

### *Pontificatus, per Regiam Christi potestatem, non excluditur.*

Erit fortassis qui aduersùs Christi Pontificatum opponat, quod suprà monstrauimus, Christum esse Regem: quæ duo, quamuis olim coniuncta fuerint, vt Pineda in cap. 1. Iob Versu 5. num. 18. rectè prosequitur; in nouo tamen Testamento discriminantur, iuxta illud Synesij Epist. 57. *sub finem.* [Prisca tempora eosdem Sacerdotes ac Iudices tulerunt. Nam Ægyptij & Hebræi, longo tempore Sacerdotum imperio vbi sunt: deinde posteaquàm, vt mihi videtur, diuinum opus humano more fieri cœptum est, Deus ambo vitæ genera separauit; vnumque horum sacrum; alterum ad regimen, atque impertium constitutum est. Alios enim ad infimarum rerum fæcem conuertit, alios sibi sociauit: illi in negotiis, non in oratione collocati, ab vtrisque verò quod honestum & consentaneum est, requirit Deus.] Eadem habet Epist. 121. Quod si Christus id voluit in nouo Testamento seruari, videtur debuisse exemplo suo prælucere, nec simul esse Rex, & Sacerdos.

1072 Verùm, hæc Christi sacerdotio non officiunt, quia ob vnionem hypostaticam, vtrumque & esse potuit, & debuit. Audi S. Hieronymum, in cap. 36. Ezech. cum de holocausto Principis. [Nec miretur lector, si idem & Princeps est, & Sacerdos, & vitulus, & aries, & agnus: cum in Scripturis sanctis, pro varietate causarum, legamus eum Dominum & Deum, & hominem, & Prophetam, & virgam, & radicem, & florem, & principem, & Regem, & iudicem, & iustum, & iustitiam, Apostolum, & Episcopum, brachium seruum, vnguentum, pastorem, filium, & pucrum, vnigenitum & primogenitum, ostium, viam, Angelum, sagittam, & sapientiam, & multa alia; quorum omnium, si voluero testimonia dicere, proprio libro indigent.] Hæc igitur adeò in speciem dissidentia nomina, rectè in Christo consociantur ob naturarum diuersitatem. Similiter ergo regnum & Sacerdotium rectè in Christo fœderantur. Nec Synesius qui obiiciebatur ait quod idem concomitanter & penes variæ fundamenta Sacerdotio, & regia potestate in nouo etiam Testamento nequeat potiri. Videmus enim vt supremum Ecclesiæ Hierarcham, & plerosque inferiores, simul Pontifices, simul Principes, & Dynastas supremos esse, ex diuersis fundamentis ac titulis, de quo iam suprà actum est hoc libro sect. 4. cap. 2. *initio.* Sed illud tantum significare voluit Synesius quod est certissimum, Principem temporalem eo titulo quod temporalis Princeps sit, non habere in nouo Testamento adiunctam concomitanter prærogatiuam Sacerdotij; sicut olim habebatur apud plerosque, & nunc quoque habere volunt diuisi toto Catholico orbe Britanni, quos meminisse oportuerat, eam in hoc statu rerum, esse prærogatiuam Christo propriam, qui ex eodem fundamento vnionis hypostaticæ, & Rex est & Pontifex. Id ergo tribuere homini purè est, fuitque iam olim, error Politicorum. Nam apud S. Maximum in disputatione coram Principibus in secretario, Gregorius Patricius, contendens Imperatorem esse Sacerdotem, idest Pontificem, & Episcopum Episcoporum, (Quo pacto ad Constantinum Arrianum, acclamarunt Arriani apud Luciferum Calarit. l. quod moriendum, &c.) tulit à S. Maximo hoc responsum. [Et dixisti; Ergo non est omnis Christianus Imperator, etiam Sacerdos? Et dixi; Non est. Neque enim astat altari, neque per sanctificationem panis, exaltat eum, dicens, Sancta sanctis. Neque baptizat, neque chrismatis confectionem patrat, neque facit Episcopos vel Presbyteros aut Diaconos; neque linit Ecclesiæ, neque indicia Sacerdotij fert, superhumerale scilicet, & Euangelium, quemadmodùm Imperij coronam, & purpuram. Et dixisti; Et quomodò Scriptura, Regem & Sacerdotem, dicit esse Melchisedech? Et dixi; Vnius naturâ Regis, cunctorum Dei natura, etiam ob salutem nostram Pontificis facti, vnus erat typus Melchisedech. Quod si secundùm ordinem Melchisedech, alium dicis esse Regem & Sacerdotem, & reliqua præsume dicere; idest sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habentem. Et aduerte, quod ex hoc, otiri valeat malum. Alius quippe talis reperietur Deus incarnatus, secundùm ordinem Melchisedech, & non secundùm ordinem Aaron, salutem nostram perficiens.] En quomodò solus Christus, ex eodem fundamento filiationis naturalis, Rex est & Pontifex, siue summus Sacerdos: cæteri autem quia puri homines sunt, non sic; sed si alicubi regno comitatur Pontificatus, ex diuersis titulis ex fundamentis profidiscitur.

### *Pontificatus Christi, idem cum potestate excellentiæ, sumpta adæquatè.*

1073 Christum igitur esse Pontificem, quamuis item princeps sit extra dubium esto. Nunc quid sit hic Pontificatus, exquirendum est. Pontificatus Christi, propriè ea potestate continetur, qua Christus non tanquam causa ministerialis, sed tanquam autor, instituit Ecclesiam; eámque sacramentis gratiæ feracibus instruxit, & pastores cum iurisdictione ei præfecit. Quæ potestas passim à Theologis vocatur *potestas excellentiæ*, & ab aliquibus dicitur, omnibus præterquàm Christo incommunicabilis fuisse: tantùm abest, vt communicata fuerit. Quod intelligunt,

telligunt, de hac potestate Christi sumpta inadæquatè, siue quoad sacramenta. Sic enim spectatam eam potestatem, Alanus lib. de Sacram. in genere cap. 48. & Sayrus lib. 2. de Sacram. cap. 2. auint quatuor rebus maximè contineri, nimirum, Primò sacramentorum institutione: Secundò collatione virium ad gratiam conferendam, & peccata remittenda, inclusis quodammodò intra ea meritis suis. Tertiò confectione & dispensatione eorundem sacramentorum in Christi nomine, hoc est instituto, virtute, concursu, potentia, primario ministerio & fide nominis eius, quorumcunque vicario ministerio conficiantur & dispensentur. Ac denique Quartò, in alligatione ad sacramenta quoad gratiæ sanctificantis collationem. Potuit enim Christus absque sacramentis conferre gratiam sanctificantem, vt notum est. Sic illi de potestate hac excellentiæ philosophantur, eámque quo ad illorum quatuor complexionem, nemini communicatam fuisse, vel communicari potuisse, affirmat Manus. Et rectè sanè affirmat; nam eam potestatem nemini de facto præterquàm Christo commissam esse, quantum attinet ad sacramentum Christianæ Ecclesiæ constitutionem, definitum est in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1.

Ab Alano cap. illo 49. & ab aliis passim, laudatur in eandem rem, S. Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 4. verbis illis vulgatissimis. [Autor sacramentorum, quis est nisi Dominus Iesus?] Verùm D. Ambrosius eo loco, nomine *sacramentorum*, intelligit solam Eucharistiam, quam à sancto illo Doctore plurali voce *sacramentorum* esse nuncupatam, docet libri titulus. Sicut etiam Græci quos D. Ambrosius imitari solet, Eucharistiam siue ob duplicem speciem, siue ob adiunctam sacramento rationem sacrificij; siue ob excellentiam, passim multitudinis numero vocant *sacramenta*, siue *tremenda mysteria*. Itaque ex eo D. Ambrosij loco, tantum habetur, Christum esse autorem Eucharistiæ. Ex quo non sequitur, eum esse autorem omnium sacramentorum. Sanè Autor sermonis de ablut. pedum apud Cyprianum *sub initium* sermonis, Eucharistiam videtur fateri Christum habere autorem: de cæteris autem sacramentis, videtur dicere, ea esse ab Apostolis instituta; sic enim loquitur. ] Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor & autor. In cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem; & sicut par est Spiritui sancto, & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est autoritas, & potestas. Nec minùs ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Manet singulis propria dignitas, & vniformis in suo genere stat actio omnium. Nihil addi nihil subtrahi, nihil potest corrigi vel mutari.] Nec minùs apertè initio sermonis de Baptismo Christi. [Remissio (inquit,) peccatorum, siue per bastismum, siue per alia sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, & ipse soli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum solemnitas, & sacri inuocatio nominis, & signa institurionibus Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant sacramentum: rem verò ipsam, Spiritus sanctus format & efficit, & consecrationibus visibilibus inuisibiliter manum totius bonitatis actor apponit, & plenitudinem gratiæ, vnctionis diuinæ pinguedo, sanctificationibus officialibus infundit, & rem sacramenti consummat & perficit.] Quiabs verbis, effectus sacramentorum tribuitur Deo. Eorum autem institutio, ideſt, formæ ac materiæ designatio, Apostolis attribui videtur ex Christi commissione. Quorum locorum, expositionem commodam non inuenio. Itaque planè videtur ita sensisse Autor prædictus. Posset ergo prolatum D. Ambrosij testimonium, accipi eodem modo, vt scilicet solam Eucharistiam autori Christo tribuat.

Adducenda ergo potiùs in rem propositam est autoritas D. Augustini tract. 5. in Ioann. qui potestatem Baptismi, atque adeò cæterorum sacramentorum, ita Christo propriam vult esse vt nemini planè sit commissa, non Petro non Paulo, non vlli alteri ex Apostolis: vt nossent fideles in quo spem figere deberent; & deprehenderent vnde ipsis spiritualium bonorum vbertas, & iugis affluentia suppetat.

174 Quod item attinet ad reliqua tria, quæ Alanus in potestate excellentiæ respectu sacramentorum contineri dicebat, rectè statuit ea soli Christo de facto fuisse propria: meritóque reiicit nonnullos, qui dissenserunt quoad postremum, hoc est quoad gratiæ extra sacramenta collationem, existimantes Apostolum 2. Cor. 2. extra sacramentum absoluisse incestuosum a peccato; etsi Prælatis visum ita fuerit posse ministros Ecclesiæ, culpam extra sacramentum remittere, quæ omnia non temerè tantùm, sed erroneè dicta sunt, nec admittenda. Quod autem Alanus secundum è quatuor illis, negat potuisse vlli præterquàm Christo communicari, eo quod nemo possit alteri condignè meteri gratiam & remissionem peccati; verè quidem diceret, si necessarium esset, illum qui hæc potestas communicaretur, promereri aliis condignè remissionem peccatorum. Hoc tamen non apparet cur exigatur: cum videatur omnino futurum satis, si persona purè creata, designante certum Symbolum gratiæ, Deus talem gratiam ex meritis Christi elargiretur: vel certè ex meritis condignis illius personæ creatæ, conferret gratiam alteri. Id enim non repugnat puræ creaturæ, etiamsi ei repugnet satisfacere Deo ad æqualitatem. Idque merito concessit D. Thomas 3. p. q. 64. articul. 4. ad 3. malè ab Alano reiectus.

Habemus ex his quid sit Pontificatus Christi Domini, & quatenus sit ei proprius. Aliud quippe non est quàm potestas illa excellentiæ, non restricta ad sacramentorum institutionem, & ditationem, sed provt etiam funditur ad reliqua quæ initio proposuimus, suntque religioni Christianæ substantialia nempe ad institutionem & formam Ecclesiæ, talémque modum, ac ritum colendi Deum in Spiritu & veritate: Quod potuisset quidem per purum hominem perfici; vnde Pontificatus Christi, quoad ea omnia fuit communicabilis puræ creaturæ: tamen de facto, nulli alteri facta est eius communicatio. Nam longè aliud est idoneitas & vis ad satisfaciendum Deo, eúmque hominibus ex iustitia placandi, quæ incommunicabiliter est Christo propria: aliud verò Pontificatus, sola excellentiæ potestate superiùs exposita constitutus; quem admitto puræ creaturæ posse communicari, etiamsi communicatus non sit de facto.

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3

### *Christus, in sola humanitate, Pontifex noster, & quatenus ea dgnitas communicabilis.*

1075 Suppono porrò quod superiùs circa sacerdotium monstraui, Christum esse Pontificem in sola natura humana, non autem in diuinitate, contra Arrianos quos S. Epiphanius in Ancorato, refert statuisse, pontificatum Christi cadere in Verbum diuinum, provt Verbum. Vnde ex eo quod Apostolus dicat; *Suscipite Pontificem qui fidelis est ei qui fecit ipsum*, inferebant Verbum Dei esse aliquid factum, & inferius Patre. Hos S. Epiphanius confutat ex eodem Apostolo. [Quo ipsos (inquit) redarguat Apostolus, *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus sumt, constituitur, vt offerat 'dona & sacrificia.* Quam ob causam vnicus Dei filius, cum hominum gratia nasci voluisset, carnem à nobis accepit: vt qui natus à nobis extitisset, tanquam hostiam suo se Patri pro nobis offerens, discipulos suos, fratres appellaret. Vbinam igitur factum illud impletur? Non aliundè quam à Pontifice *suscipite*, (inquit,) *Pontificem fidelem ei qui se fecit.* Atque vt illustriori quodam exemplo vberiùs illud comprobem; finge quempiam, qui principem de filio suo percontetur, ac scisciari audeat; quis est iste? Cum autem veram à Patre confessionem audierit; Filius meus est: interroget rursum; naturáne, ac verus filius est? Affirmante Principe, pergat alter: quemnam igitur, dicat, illum fecisti? Rex autem respondeat: Regem illum feci. Quæro igitur, an qui dignitatem illius commemorarit, de germanitate negauerit? An inquam, qui secundum asseueret, primum sustulerit? Minimè id quidem. Eodem ita que modo Deus & Pater, Filium initij omnis expertem genuit: cuius in carne verè illud impletum est; *Fecit illum Pontificem.*] Eundem Pauli locum fusè expendit S. Cyrillus, l. 3. pentabibli cap. 2. vrgens Nestorium, qui eo loco abutebatur ad inuehendam in Christum diuisionem. At S. Cyrillus, admittit quidem ex eo loco haberi, Christi Pontificatum cadere in hominem, non tamen à Deo dissociatum.

Liquet ex his, quomodò Christus sit Pontifex in humana natura, in qua donatus est potestate excellentiæ; & per quam obtulit dona & sacrificia pro peccatis; quod est quoque munus Pontificis, quatenus in Pontificatu includitur sacerdotium. Directè námque Pontificatus, sola excellentiæ potestate superiùs exposita constituitur. Quò spectaui, cum dixi, Pontificatum Christi esse puræ creaturæ communicabilem: Nempe quoad illud quod directè & formaliter dicit; non autem quoad præsupposita; siue quoad sacerdotium perfectum, seu vim iustè placandi Deum pro humano genere, eique ad æqualitatem satisfaciendi per sacrificium suum. Sic enim Pontificatus Christi, est incommunicabilis puræ creaturæ.

Quod si spectemus radicè ex qua prædicta potestas excellētiæ in Christo fuit, sic quoq; fatendum erit, Pontificatum Christi esse puræ creaturæ incommunicabilem. Radix enim ex qua Christi Pontificatus prodiit, alia non fuit quàm vnio hypostatica. Hæc illi pro vnctione fuit, & pro charactere, tum sacerdotali, tum Episcopali. Hunc enim Pater signauit Deus. Alis quidem Pontifices, necesse habent consecrati & inungi vnctione ipsis accidentalia, qua euadant Pontifices; sicque accipiendo charactérem vel nouum & à sacerdotali distinctum, vel eundem, sed extensum & modificatum, (qua de re alibi,) constituuntur Pontifices. At iste, quod Suares t. 3. 3. p. d. 11. sect. 4. cum aliis rectè statuit, cum esset substantialiter consignatus, non eguit accidentaria illa configuratione, ad maiorem rei perfectionem moralem, siue sanctitatem, nequaquam pertinente; cum perstet quoque in damnatis. Quæ est omnium optima ratio, ad negandum Christo characterem ordinis, ex communissima Theologorum sententia, cui pauci quondam refragati sunt apud Alensem 4. p. q. 8. memb. 8. art. 1. §. 11. & apud S. Thomam in 4. d. 4. q. 1. art. 3. quæstiunc. 5. & nuper aliquis apud Torrem p. 2. selectarum disputationum in 11. dubio 1. qui multis minutis rationibus reiecti sunt à Sayro l. 4. de sacram. cap. 1. q. 2. Sed sufficit ea quam protulimus. Itaque sicut vnio hypostatica, quæ nostro Pontifici pro vnctione fuit, non est puræ creaturæ communicabilis, ita neque Pontificatus, provt in Christo ex hac radice exortus est.

### *Christus, à quo tempore, Pontifex.*

1076 Indidem præterea pronuntiandum est, de tempore quo Christus iniit Pontificatum suum. Certum quippe esse debet, Christum à primo momento sui esse, fuisse Pontificem: quia tunc consecratus est, per vnctionem à Spiritu sancto factam in illo, per vnionem humanitatis cum Verbo, à quo Deitatis suæ vnguine est delibuta. Et hoc est quod ait S. Ignatius Epistola ad Magnesianos. [Christus verus, & primus est Episcopus, & solus naturâ Pontifex.] Late hac in re S. Cyrillus lib. 3. pentabibli cap. 4. Nestorium castigat, qui Christum procedente tempore, prouectum esse ad Pontificatum aiebat.

Non potest autem admitti, (vt quidem verba sonant,) quod ait Petrus Damiani Opus. 6. capite 2. [In illa columba quæ super Dominum post baptisma descendit, ipsa cum sacramento Baptismatis & veri sacerdotij iura susceperit: suo videlicet super eum oleo exultationis, de quo Psalmista canit; *Vnxit te*, inquit, *Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Probatur autem Redemptor noster, cum baptismo, simul & sacerdotij suscepisse ministerium: quia baptizatus, mox prædicare, Discipulos eligere, nouisq; cœpit miraculis coruscare: quod eatenus profectò fecisse non legitur, si diligenter Euangelici textus series recensetur. Hinc est quod sancta Ecclesia ab ipso suo capite huius normam institutionis arripuit, & fideliter seruat: vt ad instar ipsius Domini, infra tricennium, ad sacerdotium quemlibet non admittat. Nisi enim certa fides haberet, cum Baptismo Dominum simul & sacerdotium suscepisse, vt quid tamperè canonica prohiberet autoritas, ante illius ætatis tempus, quo ipse baptizatus est quemquam ad sacerdotales infulas aspirare? Immò cur ad accipiendum sacerdotale fastigium, Dominicæ ætatis adhiberetur exemplum, si minimè credetur tunc Dominus non sine sacerdotio suscepisse baptismum? Sicut enim baptismum, ita & sacerdotium ex parte humanitatis pro nostra salute

lute suscepit, cuius videlicet vtriusque sacramenti in eo, quod Deus est autor, & consecrator existit. De quo Apostolus dicit, *Vbi præcursor pro nobis introiuit secundum ordinem Melchisedech. Pontifex factus in æternum.* Nam & ipsi sancti Apostoli, non reperiuntur alibi fuisse à Domino consecrati, nisi in perceptione Baptismi.] Sacerdotium apertè accipit pro Episcopatu, & Pontificatu; clarèque videtur censere, Christum eo fuisse inauguratum in Baptismo: quod nulla ratione dici potest.

Sed & illud in Petro Damiani improbandum est, si verborum cortici insistatur, quod Apostolos, non aliter quàm in baptismo esse inauguratos & consecratos affirmat. Nam si sensus sit, eos formaliter per baptismum fuisse consecratos Pontifices, non est dubium quin hoc sit prorsus falsum: alioqui nos quotquot baptizamur, consecraremur Pontifices. Si autem sensus sit consecrationem Pontificiam Apostolorum, comitatam esse eorum Baptismo, non videtur dubitandum, quin hoc sit reiiciendum. Nam quis dubitet, cum primùm Christus baptismum suum cœpit impertiri, Apostolos eum suscepisse, siue ab ipso Christo immediatè, quod de solo Petro tradit Enodius apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. siue à Petro, aut alio Apostolorum? Pontifices autem non sunt consecrati tunc temporis; cum tantùm in cœna extrema creati sint sacerdotes, quod ad Pontificiam creationem supponitur. Itaque omnis illa Damiani doctrina, repudianda videtur. Nisi si benignè exponatur de manif. statione Pontificatus Christi, tunc primùm facta. Sicut exponimus nonnullos Patres superiùs relatos, affirmantes Christum in Baptismo accepisse diuinam filiationem idest manifestationem eius, Patre de cœlis, per vocem delapsam, id contestante. Si ergo idipsum de Pontificatu susceepto per Christum in Baptismo voluit Damiani, non obsisto. Tunc enim solemniter manifestatus est à Patre Pontifex noster ab omnibus audiendus. Ipsum autem Pontificatum, habuit Christus iam ab initio, & ex quo Verbum est caro factum; quod fuit momentum inaugurationis huius Pontificis.

### *Quanta Pontificatus Christi perfectio.*

1077 Inde quoque statuendum est, quanta sit Pontificatus Christi perfectio, & præcellentia. De qua hæc egregiè Origenes hom. 6. in Leuit. [Est quidem vnus Pontifex magnus: Dominus noster Iesus Christus, sed ille non solùm sacerdos, sed & sacerdotum sacerdos est, & non solùm Pontifex, sed Pontificum Pontifex. Nec sacerdotum Princeps, sed Princeps, Principum sacerdotum. Sicut & Rex non dicitur plebis, sed Regum Rex; & Dominus non seruorũ, sed Dominus dominorum.] Et pulchrè ac etiam generaliùs hom. 16. in Iosue *sub medium.* [Igitur tametsi sunt qui dicantur in Scripturis presbyteri, vel seniores, vel Pontifices, tamen Dominus Iesus, sicut in Pontificibus Pontificum Princeps est, & sicut in pastoribus Princeps pastorum est, ita & in presbyteris vel senioribus Princeps presbyterorum putandus est, & in Episcopis Princeps Episcopotum, & omne quodcumque honorabile nomen est, primum in hoc & principem esse credendum est Saluatorem, quia ipse est omnium caput.]

Excellentia ergo Pontificatus Christi, ex prædicta origine euidens videtur. Multus in ea aperienda, est Apostolus in Epist. ad Hebræos, commendans præsertim Pontificis nostri cœlo excelsioris dignitatem, & innocentiam, ac sempiternitatem, qui vna oblatione consummauerit sanctificatos, nec multiplicibus hostiis eguerit ob insufficientiam singularum; & cum semper viuat, Pontifex sit in æternum. Quæ omnia longè aliter se habebant in veteri Pontificatu, quem ibi Apostolus, cum Christi Pontificatu componit.

Non est quod in his circa Christum exponendis, multus sim; cum vniuersa propè superiore tractatione, id iam sit præstitum. Ne tamen hic locus omnino ieiunus abeat, tres illas prærogatiuas, quas ab Apostolo circa Christi Pontificatum celebratas dixi, obiter illustrabo; prolatis iuxta Patrum interpretationem adumbrationibus earum in antiquo Pontifice, in quibus ad Christi Pontificis maiestatem & dotes accommodandis, multi sunt Patres. [Est enim sacerdos, (inquit S. Cyrillus 13. de adorat. *sub finem*,) Christi figura expressáque forma: illa enim Emmanuel appellatus est, mediator Dei & hominum, Apostolus etiam, & Pontifex confessionis nostræ secundùm Scripturas. *Qui non per sanguinem hircorum, & vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit in sancta sanctorum semel, æterna redemptione inuenta: & vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos,* vt Scripturæ tradunt.] Et lib. 11. *initio.* [Lex tanquam in vmbris & imagine, exornat ipsum Aaron, eamque illius variæ vestis gloriam, ad Christum refert: propemodùm enim vna cum illo artificioso apparatu contexta, ratio mystica atque subtilis inuenitur, quæ figuratè Saluatoris nostri gloriam indicat. Vide enim quemadmodùm vestium opifices, spiritu sapientiæ qui datur à Deo, repletos esse dicat, qui spiritus illos ad floridi ac variegati operis effectionem perduceret, & Christi gloriam in vestimentis describeret.] Ea ergo Pontificiæ Christi dignitatis Symbola, quæ in veteri Pontifice emicuerunt, attingamus.

### *Adumbrationes maiestatis Pontificiæ Christi, in veteri Pontifice iuxta Patres.*

1078 Maiestatem, & dignitatem, illustriáque ornamenta Christi Pontificis, expressit iudice Prospero p. 2. de promiss. cap. 3. vestitus Pontificis Aaronici, quem ex cap. 28. Exodi sic in pauca contrahit. [Ipsius Aaron vestis, mystica taxatione describitur: *Indues*, (inquit,) *eum tunicam talarem ex lana hyacinthina, scapulisque eius superhumerale impones. Duos lapides smaragdinos sculptos singulos singulis nominibus filiorum Israël, è quibus catenula ex auro purissimo percurrentes vmbones vltimos humeralis apportent. Quadratum quoque ex diuersis coloribus pretiosisque duodecim lapidibus fibulam rationalem sacerdotis in pectore collocandam, quæ duas principales partes superhumeralis astringat. Cingulum quoque lumbis eius dandum, atque in oratalaris tunicæ quinquaginta tintinabula aurea totidémque mala granata in medio tintinabulorum poni inbentur: vt omnis vestis ex supradictis*

*speciebus vario opere confecta fulgeret. Capiti quoque ipsius hæc imponenda præcepta sunt : Cidarim ex byssо mundo, mitram, quoque, ex qua lamina conscripta in titulum pendens, caput frontémque sacerdotis consecraret.*] Hactenus summa & compendium ornamentorum Aaronici Pontificis, ad exprimendam eius dignitatem & maiestatem.

Ea omnia sic accommodat Christo, Prosper. [Cidaris ex byssо in capite eius, iustitia (vt diximus) sanctorum est: Quoniam omnis viri caput, Christus est, à quo est omnis iustitia. Quòd mitram regalem, indicat sacerdotium spiritalé que connubium. Quòd titulus conscriptus, in passione sacerdoti nostro Pilatus imposuit. Tunica talaris, viscera sunt misericordiæ Dei nostri, de quibus Apostolus dicit; *Induite vos sicut electos Dei viscera misericordiæ.* Superhumerale verò, principatū eius ostendit de quo dicit Esaias; *Datus est vobis filius, & factus est principatus super humeros eius.* Duo lapides in humeris, duo præcepta sunt dilectionis Dei & proximi, quibus duodecim tribuum sculpta nomina continentur, duodecim discipulos in hoc numero iā designantes, quos noster sacerdos in humeris perfecta dilectione portauit. *Cum enim dilexisset*, ait Euangelista Ioannes, *discipulos suos, vsque in finem dilexit eos.* Ex his catenulæ portantes vmbones, fructus sunt spiritus; charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Rationalis in pectore, ex pretiosis omnibus, omnis est doctrina Pontificis, vt sit, sicut Apostolus dicit, habens rationale obsequium. Præcinctum sanè nostrum sacerdotem, nonagesimus secundus Psalmus ostendit. *Induit*, (inquit,) *Dominus fortitudinem & præcinctus est.* In quinquaginta verò tintinabulis, totidémque malis granatis, linguæ sunt Ecclesiarum, quæ per sanctum Spiritum die Pentecostes, in specie ignis diuisæ, discipulis insederant. Vt etiam numerus ipse ostendit, ex quo mala granata omnis Ecclesia per mundum, connexos, vt grana intrinsecùs continens populos, in vinculo pacis, & gratiæ, vnum eos tegmen operiat charitatis. Resonantibus enim tintinabulis Apostolis, mala granata statim mota sunt, in Actibus Apostolorum dicentia; *Nónne hi qui loquuntur natione sunt Galilæi? & quomodò agnoscimus in illis sermonem in quo nati sumus?* & sequitur; *Variis enim linguis magnificabant Deum.* Sed hæc omnia gressibus liberi sacerdotis mouentur, dum ingreditur in sancta sanctorum, quò pro nobis noster iam mediator ascendit, apparere ante faciem Dei.]

1079 S. Cyrillus lib. 11. de ador. totum hunc Pontificium vestitum Aaronis, fidelibus primùm singulis accommodat. Tum subdit. [Sin ipse quoque Christus, intelligatur, tanquam in Aaron persona talarem subuculam habens, nihilominùs verissimè dicta fuisse perspiciemus. Ille namque Vnigenitus, cum sit secundùm naturam Deus, incorruptibile suum corpus effecit; & cum illud supernæ vitæ amictu induisset, prorsus mortis dominatu valentius reddidit. Nam in Christo secundùm naturam, simul & ex participatione, incorruptionem ac vitam inesse, hinc quoque intelliges: nam vt qui secundùm naturam Deus esset, dixit; *Ego sum resurrectio & vita.* Idem tamen secundùm naturam vinificatus humanam, *sicut enim Pater*, (inquit) *habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Igitur, etiamsi ipse Christus intelligatur is, qui superna incorruptione amictus esse dicitur, nihil ab eo, quod deceat, aberrabit oratio. Ad extremas autem partes malogranata atque tintinnabula alterna posita erant, malogranata quidem contexta, tintinnabula verò aurea, vt & sonum verè haberent; & dum ingrederetur Aaron in sancta sanctorum, eius ingressum notissimum facerent? Id quoque symbolum est illius salutaris atque sapientis dispensationis, diuinæ inquam atque Euangelicæ prædicationis, qua propemodùm vniuersæ vrbes circumsonant, cum propter nos introiuit in sancta sanctorum, æterna redemptione, inuenta, summus ille sacerdos, immaculata victima. Vna enim oblatione, consummauit in perpetuum sanctificatos. Sunt autem minimè obscurum enigma; prædicationis quidem salutaris, illa ex auro facta tintinnabula, vibium autem malogranata.]

Rupertus insigniter lib. 4. in Exod. cap. 25. [Fœminalia linea sacerdotis magni, decus significant Incarnationis sanctæ Christi filij Dei, qua præornata est natura nostra ignobilis: & plaga peccati originalis foliis ficus in Adam infeliciter contecta, in isto exclusa est: Non enim de vlcerosa libidine vt nos, ita & ille conceptus est, sed de munda simplici virgine, byssum retortam, ideſt, candidi & comquinati corporis decorem induit & fortitudinem, vnde & corporis sui, quod est Ecclesia, verecundiam, scilicet originale peccatum operuit. De hoc vestimento eius Ioannes in Apocalipsi, *Et habet*, (inquit,) *in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Tunica deinde linea destricta; ideſt, subucula quam vulgò *camisiam* vocant, noua est eiusdem cœlestis hominis vita: quia videlicet sicut nouo & inusitato ordine conceptus & natus, sic noua, & veteri vitæ contraria pulchritudine, inter homines conuersatus est. Baltheus circa renes, fortitudo diuinitatis est, per quam commoueri non potuit. Vnde & in Psalmo cum dixisset, *insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei*, continò subiunxit: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Et enim sic ille cognouit figmentum nostrum, & ita vsque ad noctem, ideſt, vsque ad mortis tribulationem sui renes increpuerunt eum, vt experimento sciret, id quod nullo vnquam passibili modo titillatus est, non ex ipsa carnis natura, sed ex diuinitate esse, quæ à dextris erat. Vnde verissimè Apostolus dicit, *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*, quoties tentamur à rebus nostris: quia sic aliis infirmitatibus tentatus est, sicut & tentatione peccati tentatus fuisset, si non esset Deus, quod non sumus nos. Tunica hyacinthina cum tintinnabulis & malis punicis, vita vel conuersatio gloriosa est, eiusdem Pontificis nostri Domini Iesu Christi, à baptismo Ioannis. Ex tunc enim tintinnabulis cœpit perstrepere, ideſt aperta & publica prædicatione personare; malis punicis intermicantibus, ideſt, miraculorum operibus per singula penè verba concurrentibus. Ipse color tunicæ hyacinthinæ, cœlestem eorumdem operum eius exprimit dignitatem. Vnde dicitur in Canticis; *Manus eius tornatiles, aureæ, plena hyacinthis.*

Illic

Illic in manibus,hîc in vestitu, secundùm hyacinthi colorem aëreum, eius (vt dictum est,) opera designantur, qui non de terra est, neque de terra loquitur, sed de cœlo venit, & super omnes est. Et benè per tunicæ circuitum,deorsùm ad pedes mala rubent,& tintinnabula concrepant in ingressu Sanctuarij, quia videlicet, maximè in fine vitæ mortalis, operosa claruit dilectio, vel doctrina Redemptoris. *Cum enim* (inquit Euangelista,) *dilexisset suos qui erant in mundo,in finem quoque dilexit eos.* Tintinnabula, idest,dilectionis præcepta,quibus in illa cœna personuit, totus mundus audiuit:& mala rubentia, scilicet vitæ æternæ fructum,de illo ingressu eius in cœleste sanctuarium, totus orbis consecutus est. Supernaturale huius Pontificis, obedientia charitatis est, quia idem Christus filius Dei, portandis,imò tollendis peccatis nostris humeros suos supposuit,&cum illis in crucem ascendit. Nam *Dominus,* (inquit Propheta) *posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* Et benè ex quatuor colotibus suppradictis, qui quatuor respondent elementis mundi, auro quoque intextum superhumerale fieri debuit, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi, non coacta, sed spontanea charitate, quæ cæteris virtutibus ita præeminet, vt cæteris metallis aurum præpollet.Duæ oræ iunctæ,& in singulis humeris singuli lapides onychini, nominibus duodecim filiorum Israël inscripti,duo sunt populi;temporibus quidem disiuncti, sed causa vel sacramento coniuncti, quorum Christus peccata in corpore suo pertulit. Neuter quippe aliter nisi per Christi gratiam saluari potuit, & vterque vno eodémque peccatorum portatore Christo indiguit. Et rectè lapides Onychini; quæ species gemmæ,siue lapidis,colorem habet vnguis humani. Vnde & vocabulum sortitum est, (Græci namque *vnguem Onychen* dicunt,) recte inquam, quia pro hominibus Deus homo factus, peccatorum superhumerali oneratus est, lapides eiusmodi, nominibus filiorum Israël, idest, electorum omnium inscripti sunt: Ipse enim cunctos nouit ex nomine, quorum super se peccata tulit:Vnde & appropinquans articulo passionis; *Ego*(inquit,) *scio quos elegerim. Iuxta ordinem,* (inquit,) *natiuitatis eorum, sculpes eos.* Ergo cuncti maiores in vno, cuncti minores natu, scripti sunt in lapide altero. Maiores filij Israël sunt,qui ante: minores,qui post aduentum humerosi huius portatoris peccatorum conscripti sunt. Maiores, inquam, qui ex Iudæis, minores qui ex Gentibus sunt. Nam de illo populo loquitur Deus ad Pharaonem; *Filius meus, primogenitus meus Israël.* Rationale igitur iungitur superhumerali, quia misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Misericordia in superhumerali, veritas intelligitur in rationali: Vnde & dicitur *rationale iudicij.* Doctrina quoque & veritas inscribitur illi. Qui enim in misericordia redemit, idem ipse in veritate iudicabit: Inde non vno aut duobus lapidibus Onychinis in rationali, sicut in superhumerali cuncta filiorum Israël nomina,sed singuli lapidibus singula inscripta sunt. Nam vna quidem gratia cunctos Christus redemit, & cunctorum super humeros suos peccata tulit, sed in iudicio, reddet vnicuique secundùm opera sua. Et electorum quoque non omnium eadem erunt præmia, sed pro diuersis differentia meritis. *Multæ enim,* (inquit,) *mansiones in domo Patris mei.* Multitudinem mansionum cœlestium, multiplex & distinctus designat ordo lapidum pretiosorum. Etenim apud Ezechielem contra Principem Tyri, nouem ordines Angelorum, per nouem designantur nomina lapidum. Notandum, quod in superhumerali non solùm catenulæ sed & vncini sunt, qui rationale iudicij constringant;quia videlicet in misericordia Redemptoris, nostræ spei ancoræ sunt;vt semper misericordia superexaltet iudicium. Hoc in pectore suo portat Pontifex; nam in præsentia sua scriptos habet omnes, omniúmque condignas meritis, ab origine mundi parauit mansiones. Cydarim quoque super caput Pontifex accipit, ne Cherinthus vel Arrius, seu quilibet alius hæreticus, Iesu Christi filij Dei caput,idest initium se vidisse arbitretur. Non enim sicut nos, ita & ille à carne existendi initium habuit, iuxta blasphemiam Cherinthi, qui illum ante Mariam extitisse negauit; sed diuinum caput, quod erat in principio & ante secula, ibi abscondit. Cydaris ergo caput tegit Pontificis, quia videlicet incomprehensibilis est antiquitas vel origo diuinitatis Christi. Lamina aurea fronti imminens, corona est gloriæ & honoris in capite Redemptoris.*Gloria* (inquit,)*& honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Et Apostolus cùm dixisset:*Christus factus est pro nobis obediens Patri, vsque ad mortem, mortem autem crucis*, continuò subiunxit:*Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen,quod est super omne nomen.*Huius rei mysterium, scilicet nominis, quod est super omne nomen,in eo est;quod laminæ, sanctum Domini insculptum est, idest, nomen Domini Tetragrammaton, quod ineffabile dicunt. Scribitur quatuor literis *Ioth, he,vau he*,quæ in syllabam aut vocem articulatam comprehendi nequeunt. Arcanum Scripturæ hactenus latet, nisi quia ex interpretatione elementorum colligi potest, quòd Euangelicam fidem non minimè delectat. Interpretatur enim *Ioth*, principium, *He*, iste: *Vau* & *He*,iste:Estque continuus literarum sensus,*Principium iste & iste*; hoc, inquam, iure nos delectet,quia principium iste Pater,& principium iste filius est.Patrem esse principium videns,vltrò consentit.Principium se quoque esse filius defendit, quia interrogantibus Iudæis: *Tu quis es?Principium*(ait.) *qui & loquor vobis.* Hoc nomen profectò super omne nomen est, quia super principium, nihil esse potest. Igitur octauum Pontificis decus, aurea lamina est, insculptum habens ineffabile nomen, quod dicitur *sanctum Domini*, quia videlicet Christo Pontifici propter passionem mortis, octaua sua, idest, resurrectionis gloria coronato, nomen quod est super omne nomen Pater donauit, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium,& infernorum,& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus, in gloria est Dei Patris.*]

1080 Paulò aliter, mysteria ornamentorum prisci Pontificis, ad dignitatem & dotes Pontificis nostri adaptat Clemens Alex. 5. Strom.cap.3. vbi profitetur antiquos Pontifices ad imaginem Domini fuisse electos. Iungens enim interpretationem illam earum vestium

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
X VII
3



que apud Sapientem insinuatur, & apud Philonem plenè traditur lib. 3. de vita Mosis; cum interpretatione mystica spectante Christum, post alia de talari veste Pontificis mundum sensibilem designante; sic ait de eius limbo. [Trecenta sexaginta sex tintinabula quæ pendent à veste talari, est tempus annuum. Annus, inquam, Domini acceptus, prædicans & resonans maximum aduentum Seruatoris. Quinetiam pileus aureus qui est extensus significat regalem Domini potestatem, siquidem caput Ecclesiæ est Seruator. Signum certè principalis imperij est, pileus capiti impositus, & alioqui audiuimus; *Et Christi caput est Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi.* Iam verò pectorale quidem, constat & ex superhumerali, quod est Symbolum operis, & ex rationali. Hoc autem significat rationem, & est imago cœli, quod ratione seu verbo factum est, & subiicitur omnium capiti Christo, vt quod similiter & eodem modo moueatur. Lucidæ verò smagradi gemmæ, quæ sunt superhumerale, significant Solem & Lunam, qui sunt adiutores naturæ. Manus autem, vt opinor, principium est humerus. Duodecim autem illæ quæ sunt in quatuor ordinibus locatæ super pectus, describunt nobis circulum Zodiacum, conuenienter quatuor anni conuersionibus. Et alioqui oportebat capiti Dominico legem quidem subiici & Prophetas, propterea quòd iusti significantur in vtrisque Testamentis. Prophetas enim simul & iustos, dicentes esse Apostolos rectè dixerimus, cum vnus & idem sanctus Spiritus, operetur per omnes. Quomodò autem Dominus est supra mundum vniuersum, atque adeò vltra mundum qui percipitur intelligentia: ita etiam nomen quod inscriptum est in lamina, dignum fuit habitum, quod esset super omnem principatum & potestatem.] Et mox. [Iam verò rationale, Prophetiam quæ per Verbum clamat, & prædicat, & futurum indicium significat. Nam idem est Verbum quod simul prædicit, & iudicat, & singula discernit. Aiunt autem indumentum, vestem, inquam, talarem, prædicere carnis susceptæ dispensationem, per quam in mundo visus est propinquiùs. Ea certè ratione, sanctificatam exuens Pontifex tunicam; mundus autem, & quæ est in mundo creatura, sanctificata est ab eo qui quæ facta sunt bona simul composuit, lauatur & induitur aliam sanctam sancti, vt ita dicam, tunicam, quæ vna cum eo ingreditur in adyto.]

Duodecim lapides rationali consertos, S. Macarius hom. 32. sic Christo aptat. [Ille sacerdos circumdatus infirmitate, ingrediebatur in sancta offerens hostias, tum sui ipsius, tum populi causa; hic autem verus Pontifex Christus, semel ingressus est in tabernaculum non manufactum, & supernum altare, paratus eos purgare, qui postulauerint ab eo, & inquinatas conscientias: inquit enim, *Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Habebat in pectore Pontifex duos lapides pretiosos, continentes nomina duodecim Patriarcharum: quod illic fiebat, est figura; quia sic etiam Dominus duodecim Apostolis amictus, misit eos in Euangelistas & præcones vniuersi mundi. Vides, quemadmodùm vmbra, proximè veritatem indicet.] Cydarim Prisci Pontificis, regiæ Christi coronæ fuisse symbolum, iam supra ex S. Cyrillo diximus, cum de Christi regio diademate dissereremus. *Talem ergo habemus Pontificem* (vt cum Apostolo dicam Hebr. 7.) *qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlo, sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo.*

### *Sanctitas Christi Pontificis, quomodo in veteri Pontifice adumbrata, iuxta Patres.*

1081 Iam verò innocentiam & sanctitatem summam Pontificis nostri, perbellè omnino expressit multiplex sanctitas legalis, prisci Pontificis, quam Dei filio aptat Philo l. de profugis, cum exponit concessum profugis redirum in morte Pontificis. Scio non veniisse fortassis Philoni in mentem, eo loco, vt de filio Dei carne amicto agere vellet; & pleraque ibi ab eo dici Platonicè, quæ exacta ad Christianam veritatem, admitti nequeant. Tamen autum de atenis illius legere, & de cautione adhibenda præmonito lectore, eum audire operæ pretium fuerit. [Hæc est (inquit,) nostra sententia; Pontificem hunc, non hominem, sed Dei Verbum esse, quod expers est peccatorum omnium, non solùm spontaneorum, verùm etiam inuoluntariorum. Hunc enim negat Moses, vel ob patrem intellectum, vel ob matrem sentiendi vim contaminari; vt opinor ideò, quia parentes immortales purissimósque sortitus est. Patrem Deum, qui omnium rerum Pater est; matrem verò sapientiam, per quam quidquid est, cum prius non fuerit, in lucem prodiit. Et ideò caput eius vngitur oleo: principatus, inquam eius, splendido circumfulget lumine, vt meritò existimetur amictus vestibus. Nam antiquissimum eius qui est Verbum, mundo vt veste induitur. Vestitur enim terra, aqua, aëre, igne, & cæteris quæ ex eis ortum habent. Anima autem particularis, vestitur corpore, & sapientis mens virtutibus. Quod autem caput eius, perpetuò mitra tegitur, significat diadema regium, insigne potestatis non summæ quidem, sed proregiæ, alioquin mirificæ. Idem vetatur vestem scindere. Nam & Entis illius verbum, cum sit vinculum rerum omnium, (vt dictum est,) continet partes omnes & constringit, non sinens eas dissolui dilabique; & particularis anima, quantum potest non permittit vllam partem corporis præter naturam diffindi resecarique; ita vt integræ omnes & inter se vnitæ cohæreant indissolubiles. Mens item sapientis purificata integras & coniunctas virtutes conseruat, conciliante eas naturali cognatione. Hic Pontifex ad nullam animam mortuam, (vt inquit Moses,) supeniet; mors autem animæ est vita cum vitio: Itaque nullum scelus attinget, qualia tractare solet insipientia. Huic etiam Virgo è sacrato genere iungitur, pura, incontaminata semper incorrupta sententia. Nam viduæ, vel expulsæ, vel prophanæ, vel meretricis, maritus nunquam fiet, perpetuus inimicus harum omnium; odit enim viduatas virtutes, & expulsas profligatasque ab ea, atque etiam omnem prophanam persuasionem, & promiscuam consuetudinem cum multis numinibus, proinde impiam meretricem ne aspicere quidem dignatur, amator eius fœminæ quæ vnum maritum habet, & vnum parentem profitetur Deum omnipotentem. In huiusmodi

di conditione apparet eximia quædam perfectio. ]

Puriùs & plenius, de eadem Pontificis nostri sanctitate, in antiqui Pontificis legali sanctitate, tanquam in typo adumbrata, philosophatur S. Cyrillus lib. 12. de adorat. his præter cætera. [ Esse in Christo nulla ex parte prophani aliquid, obliquè significatur in eo quod dicitur, recedendum esse summo Sacerdoti à funere, neque eum ad vllum omninò mortuum accedere debere, posthabendamque in hac parte illam in patrem & matrem ac fratres obseruantiam. Vide autem quàm prudens fuerit ipsa lex, quamque aptum his sententiis decorum minimè parui penderit: in aliis enim Sacerdotibus, naturæ verecundia commouebatur, permittebatque Sacerdotibus sanctificatis, in mortuis, qui summa ipsis propinquitate atque cognatione iuncti essent, sine vlla criminis nota consuetudinem sequi: & ne quid in vmbram peccati admitteretur, non valdè laborauit. Eæ namque culpæ describebantur, quæ ad nos spectarent; figuráque illa ad homines pertinebat, quibus nihil mirum, si quid maculæ sit adiunctum. In multis enim delinquimus omnes, naturáque ipsa in nobis delinquendi morbo laborat. At verò in summo Sacerdote, ideſt Christo, seruata est etiam in ipsa figura, pura integraque maiestas, & illa in vmbris ipsis quoque sinceritas, vt ne pulchritudo veritatis tanquam in illis violata corrumperetur: alienus est enim ab impuritate Christus, & peccati prorsùs ignarus, & ab omni contaminatione remotus. Immo verò splendoris atque puritatis cognitor, & in summa sanctificatione positus, eiusque rei præstantia nunquam in eo euanescit, quòd naturalium legum firmitate fixus sit, & semper in eodem statu eodémque modo permaneat. Id verò illa verba indicant; *De Sanctis non egredietur, & non prophanabit sanctificationem Dei sui.* ]

1082 Egregiè verò Arnoldus Carnot. tract. de vltimo Christi verbo, post descriptum plenissimè & tropologicè expositum Aaronici Pontificis vestimentum vniuersum, omnia illius mysteria à Christo futurorum bonorum Pontifice fuisse consummata, sic docet. [ Hæc omnia noster Pontifex, indutus decore & fortitudine, in spiritu & veritate consummauit: & ingressus sactatiore cultu quàm Aaron, virtutum significatarum ipsam rem amplius nos voluit moribus implere quàm vestibus, & lumbos spirituali zona succingi præcipiens, ad lucem sui intellectus & cognitionem diuinam, sine carnis mentisque munditia, neminem posse peruenire, in illa præcinctione nos docuit. Denique ipsa tunica inconsutili quasi podere Pontificali indutus, integritatem charitatis, & vnitatem Spiritus in vinculo pacis, in eo nos obseruare docuit. Crucem autem quasi superhumerale, sacrificium oblaturus pro populo, humeris imposuit: & plaga & sanguis loco rationalis, non solùm intra se duodecim filiorum Israël nomina concluserunt, sed & totius generis humani, opus illud complexum est naturam: sicut & infixus capiti titulus continebat, scriptus Græcè Hebraicè & Latinè. Nihil ad sanguinem Christi coccus legis bis tinctus apparet: vltra septuagies septies, nostra tinctura præcedit: totum pallidum est, quidquid lex typicè colorauit: & ad comparationem veritatis totum marcidum est, quidquid contextum fuerat in figuris. Nulla hyacinthi comparatio ad carnem Christi: quia cum Verbum caro factum sit, totum cœleste erat, quod nulla peccati infecerat macula, nec quicquam ei de suo princeps huius mundi adliniuerat. Nec byssus, nec purpura, eius mundiciæ vel gloriæ aliqua ratione aptantur; omnia superat eius potestas & sanctitas, sanctitudo naturæ, & principatus iustitiæ, & amplioris gloriæ sunt, quàm fila quælibet torquentibus digitis elaborata, vel conchiliorum sanguine delibuta. Imposita est capiti Christi corona pro cydari, & intextæ illi ferto erant pro bracteis spinæ; & pro lamina aurea in qua nomen Dei sculptum erat, lignum ceruici supereminens, in quo Pilatus pro Beseleel conscripserat nomen, quo nihil in cœlo vel in terra sanctius, nihil potentius, nihil mirabilius. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Hæc scripsit gentilis homo nesciens quia ipse esset Rex etiam Gentium. Ideò autem scripsit vtique non intelligens, quia ad hunc titulum peruenturus erat, & iungendus aliquando populus Gentium. Vnxit etiam manus Sacerdotis nostri, imo & caput, & pedes, & latus, sanguis balsamo pretiosior: quem vtique punctura veprium & clauorum & lanna exprimebant, & fundebant extrinsecùs: eratque omni oleo liquor ille celebrior, sanctificationem & emundationem nostram non significans, sed consummans. Hæc, & alia multa, quæ lex velamine posito super faciem Moysi absconderat, Christo transfigurato in monte, paucis patuere Discipulis; & consummato in cruce, facta sunt euidentia vniuersis. ]

Concinit Petrus Cellensis lib. de Patribus cap. 20. [ Ait Dominus agens de indumentis Pontificalibus in Leuitico; *Pontifex, ideſt Sacerdos magnus inter fratres suos, super eius caput fusum est unctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt, vestitúsque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non egredietur omnino: super patre suo non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Domini Dei super eum est.* Allegoricè: Christus Pontifex, id est, Sacerdos magnus inter fratres Apostolos suos, cuius auxilio mortalitatis flumina, à ripa natiuitatis vsque ad littus mortis quaquaversum profusa; ponte crucis impositio, siccis vestigiis transmittimur, & accessum habemus ad Deum in nauigio sanguinis ipsius. *Fusum est* autem *oleum super caput eius*; siue quia conceptus est de Spiritu sancto, siue quia non ad mensuram datus est ei Spiritus. *Manus* quoque *eius Sacerdotio consecratæ sunt*, cum ad populum non credentem, tota die extensæ, & in ligno crucifixæ, proprio sanguine ad aspergendos populos consecratæ atque dedicatæ sunt. *Vestitúsque est sanctis vestibus*, ideſt, virtutibus, charitate, iustitia, patientia, fortitudine in passione, siue gloria & honore in resurrectione. Caput suum non discooperuit, quia diuinitatem suam in passione celauit, vel in diuinitatis natura à Patre se nunquam separauit. *Vestimenta non scidit*, quia vnitus semel homini Deus Verbum, nunquam à Patre recessit. *Ad omnem mortuum non ingreditur omnino*: quia peccatum non fecit vel contraxit, neque in conceptione, neque in

morte;

morte. *Super Patre suo & matre non est contaminatus:* quia Ioseph Pater eius, ( officio scilicet administrationis, non commixtione generationis, ) Virgineum non cognouit in contaminatione libidinis; & Maria mater, non de viro, sed de Spiritu sancto, inuiolata concepit, & incorrupta peperit. *Non egreditur de sanctis*, quia etiam cùm esset cum hominibus in terris, semper tamen fuit & est cum Patre in cœlis. *Non polluit sanctuarium Domini*, quia caro eius non vidit corruptionem.]

De eodem (vt vocat,) virtutum ornatu, & vestitu, flores virtutum præferente in Christi typum, insigniter S. Chrysostomus orat. de vno legislatore & Giselbertus cap. 9. Altercat. *sub finem.* Hæc fuit Christi Pontificis sanctitudo, & puritas summa: in antiquo quidem Pontifice, per typos & ænigmata vtcunque delineata; in Christo autem ad veritatem expressa. Nimirum vt rectè hac Christi sanctitate proposita, concludit Apostolus Heb. 7. *Talis decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus; & excelsior cœlis factus.*

### *Typus perennitatis Pontificatus Christi.*

1083 Tandem Pontificatus Christi perennitatem, exprimebat nunquam deposita Aaronici Pontificis mithra, ex præcepto lato Leuit. 21. de quo sic commentatur S. Cyrillus lib. 12. de adorat. [ Vides euidenter, vt in figuris adhuc Emmanuel etiam Christum, in Aaron appellatum: vnctus est enim Spiritu, vt Scripturæ tradunt; cum ipse perfectissimus esset sacerdos; ob eámque causam sacerdotij gloriam eiusmodi haberet, vt admittere non posset: *Neque*, enim, inquit, *ponet de capite suo cidarim*, ideſt, habitum sacerdotalem non amittet: Dictum est namque illi omnium Saluatori ac liberatori; *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Et illi quidem plures facti sunt sacerdotes, eò quòd morte prohiberentur permanere, hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum*; Ita enim scripsit Beatus Paulus. Igitur hoc ipsum, quòd cidaris non ponebatur de capite, sacerdotij dignitatem nunquam ab eo remouendam significat. ] Est ergo Christus sacerdos in æternum, & Pontifex perpetuus, vt proximè ex Apostolo referentem S. Cyrillum audisti.

Non est autem huius loci, ostendere quomodò ea perpetuitas Pontificatus Christi, non excludit vicarios eius, Romano Pontifices. Facile quippe est intelligere, cum eorum vicariatu mutabili, cohærere perpetuum Christi Pontificatum, successore carentem. Romani enim Pontifices, sunt quidem Christi Pontificis Vicarij, sed non successores: quamuis ex eo quod simul dicantur Christi Pontificis Vicarij, & S. Petri successores, imperitè nonnullis quandoque excidat, vt eos appellent *Christi successores:* de quo nuper in quadam vicina Metropoli iurgium efferbuit; cum Præsul in quodam suo diplomate Romanum Pontificem vocasset Christi successorem; idque aliqui improbarent, alij tuerentur. Meritò autem improbatur ea locotio, quia apertè aduersatur S. Paulo, disertè tradenti non succedere quemquam Christo in Pontificatu; & sempiternum Christi sacerdotium, ideſt Pontificatum agnoscenti. Scio eam locutionem, *Romanus Pontifex, est Christi successor*, legi apud Autorem operis de Regim. Princ. lib. 3. cap. 10. Verùm illud opus quod aliqui falsò inscribunt Diuo Thomæ, scatet impropriet atibus locutionum & falsitatibus; vt nequeat sanè magnum præsidium collocari in sufftragatione illius autoris. Interdum quoque autores, cum extra locum aliquid attingunt, non laborant de exacta & vsquequaque elimata locutione. Sic enim S. Bonifacius in sua professione fidei ( habetur *pag.* 163. Epistolarum, ) Romanum Pontificem, vocat *vicarium S. Petri*, quod eodem modo loquitur Felix III. Epist. 4. ad Zenonem Imperatorum, & Vigilius Papa in Encyclica ad fideles: quod constat æquè impropriè dici, ac cum dicitur *successor Christi.* Sicut ergo eam S. Bonifacij locutionem benignè mollimus, ita & hæc si cubi legatur mollienda est; quia in rigore est falsa. Quod autem Romanus Pontifex, *summus Pontifex* appelletur, non argui eum Christo succedere quasi quia non possunt simul esse duo Pontifices summi, Christus disierit esse sacerdos summus. Hoc inquam non potest inde concludi. Episcopus namque Romanus, idcirco tantùm appellatur Pontifex summus, quia est caput quotuuis aliorum Pontificum visibilium. Cæterùm summus iste Pontifex visibilis, Ecclesiam visibilem militantem regens, non ita est summus, quin Christo perpetuo Pontifici subsit tanquam Vicarius generalis, Vnde solus Christus, est absolutè summus Pontifex: nec quod visibilibus Ecclesiæ capitibus sub Christo nomen summorum Pontificum per comparationem ad inferiores Pontifices tribuatur, quicquam derogat Christi Pontificatûs perennitati, & vt Apostolus loquitur, sempiterno sacerdotio.

### *Vsus doctrinæ de Christo Pontifice.*

1084 Hic Christi Pontificatus, quanti amoris incentiuum nobis esse debeat, accipe ex Ruperto lib. 3. de Processione Spiritus sancti cap. 19. [ Vt quantum debeas creatori homo perpendas, & causam tuam melius ipse discernas adde quod nusquam Angelos apprehendit, sed humanam de semine Abrahæ naturam apprehendit: tali apprehensione, vt autor salutis tuæ, dignaretur per passionem mortis consummari. Quota in hoc est portio debiti tui, debitæ gratiarum actionis? Angelos & creauit, & eos qui non peccauerunt, magnificauit; te autem & creauit, & cum vniuersus in Adam peccauisset, iustificauit & insuper magnificauit. Iustificauit (inquam,) dato illo Spiritus sancti quòd est remissio peccatorum, quo electio creaturæ Angelicæ quæ non perierat, non indiguit. Magnificauit alio dato eiusdem Spiritus sancti, quod est diuisio gratiarum, quorum in primis illos cœlestes spiritus ornauit, suæ magnificauit. Angelorum itaque Deus est, tibi autem idem Deus est & Pontifex; simul vero & Angelorum & hominum Rex, vnus idémque Dei filius est. Cùm hæc ita sint, putásne plura in altari pectoris tui ligna, quàm Angelus habes ad nutriendum ignem diuini amoris?]

Et quod nostrum in Christum amorem ex hoc capite incendere maximè debet, fatendum est

est præ Christo Pontifice, nulli alteri Pontificis nomen deberi. Sic enim S. Petrus quem inter vocatos summos Pontifices, primum & optimum agnoscimus, Epistolæ 1. cap. 2. Christum vocat *Pastorem & Episcopum animarum nostrarum.* Quem absolutè pastorem & Episcopum nostrum nominat, significat ita eminere in eo munere, vt nullus præ ipso alius sit Pastor noster, & Episcopus, siue Pontifex. Studeamus & nos quandoquidem Christi membra sumus, agere Pontifices in anima nostra. Monitum est Origenis hom. 6. in Leuit. *sub medium.*

## CAPVT XII.

### *Christus, Pastor & Episcopus animarum nostrarum.*

PASTOREM Christum, considerandum suscipio, provt oues rationales, quoscunque inquam homines, tanquam bonus Pastor, omni cura impensa pascit. Meritò autem tractationem huius tituli Christi, adiungimus tractationi de Christo Pontifice. Idem quippè sunt, Pontifex & Pastor, ac Episcopus; nisi quod *Pastoris* nomen, dicitur per comparationem ad *ouile*: eodémque etiam ex vsu, tractum est nomen *Episcopi*, tanquam inuigilantis gregi, superque illud, vt Pastores faciunt, speculantis & excubantis. Huius metaphoræ connotatione, caret nomen *Pontificis*, etiamsi subiectionem populorum, eorúmque directionem ad Deum, per cultum præscriptum, & apta sacramenta, consignificet.

### *Christus antonomasticè Episcopus, ac Pastor, nos oues, & vnde ea denominationes.*

1085 Vndecunque autem petantur ea nomina, notio subiecta est eadem: vi & non modo Christus quatenus Dei Verbum est Episcopus qua ratione Faustinus l. de fide ad Flauillam c. 1. Christum vocat *totius creaturæ Episcopum*, sed etiam quatenus Verbum caro factum veréque dicitur, Episcopum & pastorem quemcunque, etiamsi Christi Pastoris & Episcopi imaginem præferat, tamen præ eo æquè non esse Pastorem & Episcopum; sicut præ Deo qui solus est, creata omnia dicuntur non esse. Signatum id videtur, eo ritu Christiano, quo Episcopum ad Euangelij recitationem assurgere, & Episcopatus insigne deponere, vsus fuit, vt tradit Simeon Thessalonicensis l. de Templo, exponens quorsum Episcopus cum recitatur Euangelium, vestem ex lina textam ὠμόφορον vocabant erraticæ ouis Symbolum, quod priùs gestabat, abs se remoueat. Idem docent illa Isidori Peluſiotæ lib. 1. Epist. 136. [Id amiculum quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana non ex lino contextum est, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur; atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Ac diligenter animum attende. Nam cùm ipse verus pastor, per adorandorum Euangeliorum apertionem accedit, tum demum Episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipsum, pastoralis artis ducem, ac Deum & herum, adesse significans.] *Archipastorem* ea ex causa, Christum nominauit S. Athanasius orat. de cœco à Natiuitate, *sub finem.* Idem sonat quod ex S. Ignatio supra retuli, Epistola ad Magnesianos, vocante Christum, *verum & primum Episcopum*; quasi reliqui præ eo, & in comparatione ad eum, non essent Episcopi ac Pastores.

Hoc ipsum est, quod Christus ab Apostolo Heb. 13. *Pastor magnus ouium* denominatur. Duires esse *magnum Pana*, cuius mors apud Eusebium 5. Præpar. cap. 9. ex Plutarcho lib. de defectu Oraculorum, in illud ipsum tempus refertur, quo Christus occidit. Et quamuis ab Eusebio, Pan. ille magnus per Christi mortem occisus, censeatur Satan; non minùs aptè tamen ab aliis apud Baronium anno Christi 34. eo nomine, Christus magnus pastor accipitur: cuius mortem sibi adeò exitialem, laxerint Dæmones. Et sortitur sanè Christus, sublimissimo & eminentissimo quodam modo, quasi nullus planè alius, omnes veri Pastoris characteres: quod monstrare operosum non erit, vbi constiterit, pastoris nomen, maximè proprium Christo esse, ratione vnionis & Incarnationis; quæ idcirco facta est, vt hominum qui in oues & bruta degenerauerant, Pastorem ageret Deus ipse: quod diligenter prosequitur autor homiliæ de Oue & Pastore, apud Chrysostomum Tomo 6. Græcol. vbi rationem reddens cur Christus dictus sit *Ouis*, & cur *Pastor*, ait. [Hoc ergo manifestum, vel vt ouem ductum esse ob supplicij œconomiam: pastor verò fuit propter potentiam illam benignitatis. Neque enim erubescit Deus appellari *Pastor*. Æquum quidem fuerat, nos Deum etiam & Regem agnoscere. Verùm posteaquàm Deum velut homines ratione præditi, non cognouimus, saltem velut oues brutas pastorem nos vult agnoscere. Si enim cum Deus in hunc mundum venit, te ratione præditum inuenisset, necesse fuisset illum velut Deum, tibi apparere. Verùm postquàm ille hominem reperit nullum; sed tanquam ouem iam à priscis vsque temporibus errantem, & per Prophetas Dominum inuocantem; *Errani sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum*; idcircò regiam illam dignitatem celat, & pastoris curam officiumque profert. Eam ob rem etiam, ab initio instituit in præsepi suum corpusculum collocari, matre quoque & Iosepho, œconomiæ & diuinæ dispensationis ministerio, in arctum & angustias adductis. Neque enim illum Seruatoris patrem appellauero, neque maritum Mariæ; sed consortem & mysterij huius mediatorem. Siquidem sponsus ille erat Mariæ, non autem maritus. Et maritus quidem erat appellatione, re ipsa autem minister œconomiæ. Hic igitur in Bethleem, cum Maria ita coarctatur, vt propter hospitij angustias, infantem in præsepi collocare necesse haberent. Atqui Deus illis tam angustum arctúmque locum procurauit, vt benignus ille, ibidem necessitate compellente, deponere-

tur; deponeretur, inquam, Saluatoris in carne œconomia, hoc ita postulante. At cúrnam hoc instituit? Quia præsepe, brutorum mensa est: humanitas verò tum ipsa, in brutorum naturam degenerauerat. (*Homo enim cùm in honore esset, non intellexit, & comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*) Cœlestem illum cibum, in brutorum mensa apponit: vt quorum animi sensúsque bruti essent, ad præsepe tanquam suam mensam accedentes, non ampliùs gramen, quo bruta animalia pascuntur, inueniant, sed eum qui pronunciauit; *Ego sum panis, qui de cœlo descendi; & dans vitam mundo.* ]

Aliam tamen rationem earundem denominationum, valdè concinnam, tradit Origenes tract. 14. in Matth. cum tradit, Asinam & pullum quibus Christus insedit, esse fideles populos. [ Non tibi (inquit,) videatur sermo insulsus quod fideles homines animalibus comparentur. Forsitam enim tale aliquid intelligens & Propheta, dicit se factum esse quasi iumentum; non simpliciter *iumentum*, sed *sicut inmentum* apud Deum, vel apud Christum eius, secundùm quod ait; *vt iumentum factus sum apud te.* Nam quantum ad Deum, iumenta sumus, non solùm nos, sed etiam multo magis prudentiores. Sic autem quantum ad pastorem Christum, etiam oues eius sumus; quoniam tanta distantia est inter eũ & nos, quanta inter hominem & qualecumque iumentum. ] Nec illa S. Athanasij ratio prætermittenda est, qua serm. de cœco à Natiuitate, Christum pastoris à tanta nostri cura, titulo donat, fideles verò ouium titulo, quia sunt lanigeri beneficentia erga paupères, abundantes lacte nutricantis sermonis, vt porè corpore Domini, obedientes virgæ crucis, & triplici fidei catena in vnum coniuncti, nec vnquam gregem derelinquentes.

Porrò fideles, vt oues, ita *Grex* item *Christi*, denominantur eodem sensu, vel etiam *greges*: quod eodem recidere, sic monstrat Philippus Abbas lib. 2. in Cant. cap. 3. *in fine.* [ Greges sunt Apostoli & qui eis fide & operibus aggregantur, qui Euangelicis imbuti sacramentis ab errore ignorantium segregantur; qui venerantes Virginem & eius credentes auditui, ad æternam pascuam suspirantes, quæ mundi sunt, habent contemptui. Quibus per Ezechielem dicitur: ( *vos autem greges mei dicit Dominus.* ) Quos ideò fortè plurali numero *greges* voluit appellare, quia iussi Apostoli verbum Euangelij credituris Gentibus prædicare; diuisi ab inuicem, ducente spiritu, diuersas mundi partes elegerunt, in quibus multos greges & conuentus hominum, multas Ecclesias prædicandi studio collegerunt. Qui etsi loco, tempore, virtutum merito, sunt diuersi, tamen dum ad fidem catholicam, & doctrinam Euangelicam veniunt vniuersi, multi greges in vnum, in vnam Ecclesiam plurimæ rediguntur: omnésque indiuiso sacramento fidei & baptismatis, vniuntur. ]

### *Pastoris munus, Christo non indecorum.*

1086 Sumus igitur nos oues, Christus autem pastor. Quod ferunt Scripturæ sanè permultæ, ad hunc titulum Christo vendicandum congestæ à Iosepho à Costa lib. 5. de Christo reuelato cap. 3. Nec est quod nobis, is titulus Christo indecorus, aut indignus videatur. Nobilissima quippe est pastoritia disciplina, & regiæ affinis. [ Et hoc est opinor, (ait Philo initio libri de Ioseph.) cur Pœtæ, Reges vocant *Pastores populi.* Nam qui summus est in arte pecuaria, facile bonus Rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpositus, approbata industria in minore negotio. Siquidem quemadmodùm futuro Imperatori, necessaria sunt exercitia venatoria; sic admouendis ad curam reipublicæ, propriè pastoralis ars congruit, velut præludium quoddam magistratuum. ] Non dissimilia habet lib. de Agricultura *ante medium.* Et Pulchrè lib. 1. de vita Mosis. [ Præfuit gregibus (ait de Mose,) ad principatum se præparans. Nam pastoralis ars, ad regnum est præludium, hoc est ad regimen hominum gregis mansuetissimi: quemadmodùm bellicosa ingenia præexercent se in venationibus: in feris enim experiuntur futuri præfecti militiæ, brutis præbentibus materiam exercitij, tam belli, quàm pacis tempore. Nam præfectura mansueti pecoris, habet quiddam simile cum regno in subditos: ideò Reges cognominabantur *Pastores populorum*, non contumeliæ, sed honoris gratia. Imò quantum ego intelligo, non iuxta vulgarem opinionem, sed rei veritatem vestigans, (rideat qui volet,) solus potest esse Rex vndequaque perfectus, qui benè callet artem pastoritiam, & curando minora animalia, didicit quomodò debeat præesse præstantioribus. ]

Philonem expressit S. Basilius; & ad Christum pastorem inde obrepsit, oratione de S. Mamante. Et cum præclaros quosque, olim deditos huic muneri retulisset, subdit. [ Sotores quædam sunt pastura & regni administratio; nisi quod illa irrationaliũ, ista verò rationalium animalium curam habet. Ita scilicet ad maiorem illa scientiam transitum habet. Quapropter Dominus vtramque complexus, & pastor est & Rex; irrationales pascens, maiori ratione præditos, sub regni gubernationem includens. Vis discere quantæ dignitatis sit pastor? *Dominus*, (inquit;) *pascit me.* Quomodò verò Regiæ gubernationis sorot est pastura? *Quis est ille*, (inquit,) *Rex gloriæ?* Qui illic *pastor*, hìc *Rex* dicitur. Nec putes illum ab aliis quidem Pastorem vocari, ipsum verò id appellationis, pudoris gratia non agnoscere. Quin ipse degeneres pastores compescens, in seipsum veræ pasturæ testimonium transfert. *Ego*, (inquiens,) *sum pastor ille bonus.* Arcet degeneres, & veritatem sibi ipsi vendicat. *Ego sum pastor ille bonus.* Disce quid sit pastor, & quis sit bonus ille. Ipse hoc interpretatur. *Verus pastor, animam suam ponit pro ouibus suis.*

Per sublimissimum in pastore erga oues suas beneficium, quod perpessione asperorum, & per æstum ac gelũ vstione pro ouibus, periculorúmque aditione in earum gratiam exhibetur; de scripsit S. Basilius, alia minora quæ sigillatim proponuntur eodem cap. 1. Ioann. è quo istud protulit. Iis sanè officiis, exhibendis, laudati pastoris, eóque nomine digni, notas omnes & characteres, contineri liquet; nempe ouium notitiam, & deductionem ad pascua, tutelamque à lupis, per se, & per animatum gladium, (vt Nyssenus de hominis opific. cap. 7. scitè appellat canem;) reductionem denique errantium ouium, ad caulam. Hæc omnia in Christum Dominum cadunt exquisitissimè, quod plerique Patrum

trum plenè prosequuntur in Psal.22.quibus totus est de his boni pastoris Christi officiis erga oues suas,minutiùs concisèis, & in plura de articulatis. Pulcherrima & breui ecphrasi, eum Psalmum exposuit Nyssenus oratione de Ascens.Ego quatuor illa quæ proposui, pauis expedio.

### *Pastoritiæ Christi functiones erga oues. Notitia duplex.*

1087 Nouit ergo imprimis Christi pastor oues suas,& quidem *nominatim*, quæ est beata illa præscientia,qua præsuppositi, non repellit Deus plebem suam, vt loquitur Apostolus:nec aliud reuera est, quàm descriptio in libro vitæ, vt D. Augustinus philosophatur tract. 45. in Ioan. Nam quamuis omnes homines,ac specialiùs etiam omnes fideles, sint oues Christi Pastoris, vt sæpè apud Psaltem habetur, tamen maximè propriè,ij fideles, oues Christi dicuntur, quorum est Deus; vt idem S. Augustinus egregiè prosequitur lib.de ouibus cap. 17. Solis autem electis, fas est cum omni proprietate,dicere de Deo *saluare vultus mei, & Deus meus*; ita scilicet, vt Deus in eorum sortem & hæreditatem cedat,sitque possessio eorum.Habent ue se reuera electi, & cæteri seruata proportione, sicut duo illa hominum genera, quæ se pauisse assumpta virga vna, cui nomen *funiculo*, & altera cui nomen *decori*, profitetur Deus homo faciendus, apud Zachariam cap.11. Has itaque oues,nouit Christus pastor nominatim. Magna reuera beatitas, nosci ex nomine à pastorum principe.

Nec nuda notitia ad intellectum pertinente cognoscit,sed iuxta Scripturæ phrasim,à S.Hieronymo ad Galat.4.& Zach.8.& à S. Gregorio 1.p. Pastor. cap.1.& 2. Moral. cap.4. itémque à D.uo Augustino serm.5.de verbis Apostoli.observatam, & exemplis illustratam; Cognoscit notitia beneuola, ideſt amore insigni prosequitur. Sicut enim dicitur reprobos nescire, ideſt auersari & odisse:ita Nahum.1.dicitur *scire sperantes in se*. Et apud Apostolum dicitur *nosse*, ideſt diligere *qui sunt eius* Huiusmodi,itaque est Christi pastoris cognitio, qua rationales suas oues attingit;ideſt diligit, vt disertè exponit S. Gregorius hom. 14. in Euang. idque abundè monstrat cura & prouidentia, quam ouibus suis optimus pastor adhibet, in deductione, (vt dicebam, (ad bona pascua,tutela, & reductione earundem si quando exerrent. Eam curam esse baculum, quem Dauid verus pastor noster semper habet in manibus, commentatur pulchrè Rupertus l.1. in libros Regum c. 5.

### *Deductio ad vitæ pascua.*

1088 Vita pascua ad quæ bonus pastor oues suas ductat celebrat egregiè S.Ambrosius serm.14. in psalmum 118. ad versum 1.literam namque. *Nun* quæ ei octonario præfigitur, interpretatus *pascua eorum*,sic subdit. [ Quæ sunt pascua,nisi Christus?In cuius pascuis se locatum Propheta lætatus est, dicens; *In loco pascuæ,ibi me collocauit*.Ipse enim nos pascit,& reficit.Bona pascua, diuina sacramenta sunt. Carpis illic nouum florem,qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis.Carpis rosam,hoc est Dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua,libri sunt Scripturarum cœlestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ scripta sunt degustamus, vel summo ore libata, frequentiùs ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Bona etiam Christi pascua, montes conuallium:(nàm & in his pascit Christus sicut capreolus aut hinnulus ceruorum,) hoc est in splendoribus sanctorum? qui sicut luminaria istius mundi, sedula humilitate fulgentes virtutum diuersarum præstant cacumine, & supra mundum meritis suis eminent. Isti sunt de quibus dicitur; *De hoc mundo non sunt, sicut & ego non sum de hoc mundo*:quia supra mundum sunt qui Christum sequuntur. Conuallis autem mundus est. Ideóque disposuit in conualle fletus, eo quod in hoc mundo fletus sunt lachrymæque. Et prouidens Dominus disposuit in hoc mundo testamentum suum, vt magis hic fleamus peccata nostra, quàm flenda seruemus.Pascua nostra etiam isti versiculi sunt, de quibus hodiè tractaturi sumus, in quibus Dauid dicit; *Pascebam oues patris mei*:ostendens veram lucernam, docens humilitatem. In pascuis talibus verus Dauid, verus humilis, & manu fortis, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, & homo natus per Virginis partum, humiliauit se vsque ad mortem, oues patris sui diuina prædicatione pascebat, cùm secundùm scripturas suum probaret aduentum;cum quinque panibus & duobus piscibus, quinque hominum millia satiaret.Hæc ergo nostra sunt pascua, hæc eorum qui possunt dicere; *Quàm dulcia faucibus meis verba tua*.]

Pascere Christum inter lilia, ( provt vidisti D. Ambrosium legere verba sacri Epithalamij,) habet quoque Nyssenus hom.5. in Cant. *sub finem* insigniter ea pascua exponens his verbis. [Hic est pastor bonus, qui non fœno pascit gregem,sed puro lilio pascit oues. Is est enim reuera, qui fœno non ampliùs nutrit fœnum. Naturæ enim experti rationis,proprium nutrimentum est fœnum. Homo autem cum sit particeps rationis,vero nutritur verbo.Quod si huiusmodi fœno fuerit saturatus,ipse quoque fit fœnum. (*Omnis enim*,(inquit,)*caro est fœnum*,)quamdiu caro est. Sin autem fiat spiritus qui natus est ex spiritu, non ampliùs cibum depascet ex fœno, sed spiritus erit eius alimentum, quod quidem tacitè significat lilij puritas & bonus odor. Erit ergo ipse quoque lilium purum, & benè olens, mutatus & alteratus ex alimenti natura. ]

1089 Pascit in liliis Christus pastor oues suas & pecora,ait S. Cyrillus in cap 42. Esaiæ, ideſt in omni virtutum pulchritudine & fragrantia; in pascuis vbertimis pascit eas, vt ipsemet apud Ezechielem prodit; vbi sub nomine Dauidis, non ille temporalis Rex Israël tanto ante mortuus, sed Christus oues suas pasturus, & genus omne prouidentiæ illis impensurus, proponitur. Quæ verò vberiora pascua Christo ipso?Nam is se in pabulum ouibus suis præbet. Nec reuera quoad pabulum ouium Christi,dissidet S.Macarius hom. 14. *sub finem*, affirmans Christi oues non aliis pascuis, aut etiam vellere,vel domicilio vti, quàm igne;non secus ac animalia quædam ouibus similia, de quibus ita scribit. [ Vt prophano sermone per-

hibetur ; quidam sunt montes ignei, in quibus ignis permanet,& illic sunt animalia ouibus similia, ad quæ capienda venatores rotas ferreas conficiunt , & proiectos hamos mittunt in ignem ; propterea quòd animalibus illis loco pabuli,potus , requietis; incrementi, vitæ,omnium denique rerum vice,est ignis. Quæ si traducas in alium aërem , statim intereunt. Indumenta eorum vbi sordibus maculata fuerint, non aqua sed igne lauantur , & inde puriora fiunt & candidiora.Eadem ratione etiam Christiani , alimenti loco habent illum ignem cælestem , qui illis est requies , expurgat lauat & sanctificat cor illorum,præbet illis augmentum, illis denique est aër & vita. Qui si inde egrediantur , interimuntur à malignis spiritibus, sicut ibi animalia ignem egredientia moriuntur.] Hæc non aliud ferunt, quam Spiritum Christi, esse eius ouibus & gregibus,omnia.

### *Ouium tutela à lupis , per se & per fidos canes.*

1090 Tutelam ouibus suis præstitit Christus pastor,obiectu suimetipsius,vt lupi arcerentur. Illi inquam nocturni lupi, à quibus potiùs vastatio omnimoda inferebatur diuino ouili. Nec canes fidos, quibus securitas ouibus præstetur desiderari patitur. Prælatos interpretatur Philippus Abbas lib. 3. in Cant. capite 13. Itaque strenui custodes gregis Christi , Bernardus apud Gulielmum S. Theodorici Abbatem lib. 1.vitæ eiusdem Bernardi c. 1.& Dominicus Ordinis Prædicatorum parens, & eiusdem instituti alumnus Vincentius Ferrerius , canum specie diuinitùs sunt præsignati , cum adhuc maternis vteris distinerentur. Nec Scriptura ipsa, eam appellationem in talibus viris refugit.Monuit id egregiè D. Augustinus Epist.59. tractans illud Psalmi 67. *lingua canum tuorum, ex inimicis,ab ipso* : quæ verba S. Paulinus Epistola 43. exponi sibi ab eo petierat. [ Et paulo infrà,(inquit)quod ait , *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* A quo *ipso* ? Et nunquid canes Dei dici possunt Gentiles , quos ipse in Euangelio *canes* nominat ? Aut ne fortè ipsos canes Dei dicat, quales,æstimari possunt, si qui in nomine Christiano gentiliter viuant, quorum pars cum infidelibus ponitur , quia Deum quem verbis colunt,factis negant?]Ronspondet D. Augustinus , eaque verba sic exponit. [ Non semper in malo , accipiendi sunt canes. Alioquin non reprehenderentur apud Prophetam , canes muti nescientes latrare, & amantes dormitare.Profectò enim laudabiles canes essent , si & latrare scirent,& vigilare amarent. Et certè illi trecenti , in numero per crucis literam sacratissimo , non eligerentur ad victoriam faciendam , qui tanquam canes lamberent aquam , nisi aliquid magnum significarent.Vigilant enim & latrant boni canes,& pro domo,& pro Domino.& pro grege,& pro pastore. Denique & hîc in Ecclesiæ laudibus, cum Prophetia exereretur, lingua canum est commemorata. Non dentes autem tuorum canum, dixit *ex inimicis* , ideſt , vt qui erant inimici , hîc fierent canes tui,& latrarent pro te,qui sæuiebant in te.Addit autem , *Ab ipso* , vt non à seipsis hoc factum intelligerent, sed ab ipso ; ideſt , misericordia eius & gratia.] Quod ex inimicis,diligi à Christo canes custodes, & excubitores ouilis sui,tradit S. Augustinus , obseruatum æquè est à S Gregorio 20. moral. cap. 7. ad illud *quos non dignabar ponere cum canibus gregis mei*:vbi de canibus , ex lupis mirabili metamorphosi à Christo prouisis , hic philosophatur. [ Quis est grex sanctæ Ecclesiæ, nisi multitudo fidelium ? Vel qui alij huius gregis canes vocantur,nisi Doctores sancti,qui eorumdem fidelium custodes extiterunt?Qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigiliis intent ; clamauerunt ; magnos, vt ita dixerim, latratus prædicationis dederunt. De quibus eidem Ecclesiæ per Psalmistam dicitur ; *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Nonnulli quippe ab idolorum cultibus reuocati , facti sunt prædicatores Dei. Lingua ergo canum Ecclesiæ , ex inimicis prodit:quia conuersos Gentiles, Dominus etiam prædicatores facit. Vnde Iudæorum tarditas , qui pro Deo loqui noluerunt,increpante Propheta reprehenditur,qui ait *Canes muti,non valentes latrare.*Patres verò hæreticorum dicimus,eos videlicet,quos hæreticas vocamus:de quorum peruersa prædicatione,ideſt locutionis semine , sequentes sunt populi in errore generati.]

Egregiè omnino hos canes vlcera eorum qui peccarunt lambentes,exprimit Guerricus serm. 2.de Pentecoste. De hac canum,& Ecclesiastarum,siue concionatorum idoneorum comparatione,fusè philosophatur Erasmus lib.1.de oratione concionandi *sub finem* , pag.49. considerans præsertim , quod canes vim medicam in lingua habent, eligendo saniem,& obstando ne locus saucius computrescat. Quod Nyssenus orat.in differentes Baptismum,Ennuchum Candacis Reginæ , vocat *catulum bonum, sanguinis & agni occisi gustatorem,& Philippi Diaconi latratorem,*aliò pertinet.

### *Aberrantium ouium,reuocatio.*

1091 Reductionem ouium ab ouili aberrantium , præstat bonus hic Pastor , primùm coërcendo,& virga ac baculo quibus se conolatum Dauid aiebat , feriendo oues inconsultè vagantes. Est enim non exiguum pastoralis & paternæ beneuolentiæ indicium , ferire à Deo; & per impactam virgam , fugari insipientiam collo alligatam. Vbi mixta lenitati & beneuolentiæ seueritas, virgam & baculum consolantia exhibet;æquè ac manna simul & virga, intra arcam , vt S. Gregorius ratiocinatur l. 20. mor. cap.6. Vnde Origenes omnino insigniter hom. 7.in Iosue,molles pastores, *bonorum* nomen affectantes , exemplo pastoris Christi, excitat ad officium. [Illud, (inquit,) non otiosè transcurrendum est , quod vno peccante, ira super omnem populum venit. Hoc modo accidit, quando sacerdotes qui populo præsunt , erga delinquentes,benigni volunt videri, & verentes peccantium linguas ne fortè malè de eis loquantur, sacerdotalis seueritatis immemores nolunt implere quod scriptum est ; *Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* Et iterum ; *Auferte malum ex vobis ipsis.* Nec zelo Dei succincti , imitantur Apostolum dicentem ; *Tradidi huiusmodi hominem Satanæ , in interitum carnis , vt spiritus saluus fiat.* Neque illud Euangelicum implere studentes , vt si viderint peccantem, primò secretò conueniant,

niant, post etiam duobus vel tribus arbitris. Quod si contempserit, & post hæc Ecclesiæ correptione non fuerit emendatus, de Ecclesia pulsum, velut Gentilem habeant ac Publicanum. Et dum vni parcunt, vniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ ista bonitas? quæ ista misericordia est, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut vna oue morbida grex vniuersus inficitur, sic etiam vno vel fornicante vel aliud quodcumque sceleris committente, plebs vniuersa polluitur. Et ideò obseruemus nos inuicem, & vniuscuiusque conuersatio nota sit, maximè Sacerdotibus & ministris. Nec putem se rectè dicere, quid hoc ad me spectat, si alius malè agit? Hoc est dicere caput ad pedes, quid ad me pertinet si dolent: si malè habent pedes mei, non mea interest, dummodò caput in sanitate perduret. Aut si dicat oculus manui, non indigeo opera tua, quid ad me pertinet si dolet? si vulnerata es? Nunquid ego oculus conturbabor ex ægritudine manus? Tale ergo est quod aiunt ij qui Ecclesiis præsunt, non cogitantes quia vnum corpus sumus omnes qui credimus, vnum Deum habentes, qui nos in vnitate constringit & continet Christus: cuius corporis tu qui Ecclesiæ præsides, oculus es, propterea vtique vt omnia circumspicias, omnia circumlustres, etiam ventura præuideas. Pastor es vides ouiculas Domini ignaras periculi ferri ad præcipitia, & per prærupta penderé, non occurris? non reuocas? non saltem voce cohibes, & à corruptione, clamore deterres? Sic memor es Dominici sacramenti, vt cùm ille nonagintanouem in cœlestibus relinquens, propter vnam ouiculam quæ errauerat, ad terras descenderit, & inuentam vectauerit humeris suis adcœlum, nos in nullo prorsus in curandis ouiculis magistri pastoris sequamur exemplum? ]

Sed maximè præstitit hanc reductionem pastor bonus, cum ad quærendam ouem perditam, reliquit nonaginta nouem in deserto donec inueniret eam; séque sicut ouis, iugulandum pro ouibus præbuit, vt morte morti mederetur: de quo luculenter Basil. Seleuciæ, orat. 26. propè tota. Hoc fuit quærere, simulque viuificare oues suas, iuxta illud Psalmi 118. *Erraui sicut ouis quæ perit; quære seruum tuum.* In quæ verba, S. Augustinus ibi conc. 32. pulchrè notat, nonnullos codices, non habere *quære*, sed *viuifica*. [Vna quippe sillaba interest, qua inter se in Græco distant, ζήσον & ζήτησον. Vnde & ipsi codices Græci variant.] Quæri itaque ouem perditam, idipsum fuit quod viuificari, & per Pastoris aduentum ad nos, mortémque benignissimam donari vita spirituali & sempiterna.

Studium verò suum in ea quærenda & reducenda, exprimit luculenter apud Ezechielem cap. 34. verbis illis. Quæ cum D. Augustini expensione repræsento ex l. de Pastoribus cap. 11. [*Ecce ego ipse, & inquiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum.* Non curauerunt mali pastores: non enim suo sanguine redemerunt. *Sicut visitat*, (inquit,) *pastor gregem suum in die.* In quali die? *Cum fuerit nimbus & nubes*, idest, & in pluuia & in nebula. Pluuia & nebula, error seculi huius: caligo magna surgens de cupiditatibus hominum, & nebule valida contegens terram. Et difficile est, vt non errent oues in ista nebula: sed pastor non deserit eas. Inquirit eas, penetrat nebulam oculis acutissimis, non impeditur caligine nubium. Videt vndique, errantem reuocat: in tantùm, vt fiat quod dictum est in Euangelio. *Quæ sunt oues meæ, audiunt vocem meam & sequuntur me. In medio ouium dispersarum, sic inquiram oues meas, & educam eas ab omni loco quo dispersæ sunt illic, in die nubu & nimbi.* Quando difficile est eas inueniri, tunc ego inueniam. Crassa nebula est, pinguis nimbus est: oculos enim meos nihil latet. *Et educam eas de gentibus, & colligam eas de regionibus, & inducam eas in terram earum & pascam eas supes montes Israël.*]

### *Gaudium Christi Pastoris, de ouium bono; Earum in illum, ingratitudo*

1092 Gaudium summum erat Christo, cum deducebat ad Deum oues. Sed & nunc eodem gaudio perfunditur, vt Origenes insigniter prosequitur, hom. 23. in Num. *ferè initio*, tractans illud, *in diebus festis meis*. Hîc inclamandum meritò viæ oui, Christianæ animæ, vt pastoris pro ipsa studium agnoscat, & grato prosequatur animo. [Agnosce homo (ait S. Augustinus serm. 9. ex 40. nouis) quid fueris, vbi fueris sub quo fueris. Ouis errans eras, in inuio & inaquoso, spinis & tribulis pascebaris, sub mercenario posita, veniente lupo secura non eras. Nunc autem requisita à vero pastore, humeris eius pietate subiecta, reducta es ad ouile, idest ad domum Dei, videlicet Ecclesiam: vbi pastor tuus Christus, & oues commanent congregatæ. Pastor iste non est vt mercenarius, sub quo misera laborabas, sub quo lupum timebas. Vis autem scire quantam tui curam habeat hic pastor bonus? Animam suam pro te posuit. Ipse enim in Euangelio dicit, *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis.* Hoc fecit. Insidianti enim lupo tibi, se obtulit occidendum pro te. Nunc ergo secura manes in ouili. Nec indiges quempiam alium, qui cordis tui claudat aperiatque ianuam, quia Christus tibi & pastor & ianua est: Ipse & pascua, & prouisor. *Ego sum*, (inquit,) *ostium ouium. Per me si quis ingressus fuerit, saluabitur, & egredietur, & ingredietur, & pascua inueniet.* Pascua igitur, quæ tibi hic bonus pastor parauit, in quibus te satiari collocauit, non sunt herbarum virentium varietas, in quibus quædam dulci succo, quædam amarissimo constant, quæ successu temporum aliquando sunt, aliquando non sunt. Pascua tibi eloquia Dei & mandata sunt dulcia seminata. De his pascuis gustauerat ille qui dicebat Deo; *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.* De his pascuis idem ipse dominicis ouibus clamat, & dicit, *Gustate & videte quàm suauis est Dominus.* Lege igitur Decalogum veteris Testamenti, *Non occides, non fraberis, non falsum testimonium dices*, & cætera. Lege præceptorum laudem noui Testamenti. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, Beati mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram*, & cœtera consequentia, vel similia. & plura per Prophetas & Apostolos seminata. De his itaque pascuis clamat pastor ad oues. *Operamini cibum qui non perit.* ]

Ipse Christus apud Zachariam cap. 11. Labo-

ris in pascendo impensi mercedem exigens, inducitur. Et additur appensam illi esse mercedem, quæ summam appendentium ingratitudinem donotaret; mortem inquam & passionem. Id enim est pretium illud appretiati, & tringinta argentei, quibus interprete Euangelista, insinuabatur proditio Christi, & connexus cum ea cruciatus patibuli. Nec semel duntaxat ingratissimus ille agenti modus, seruatus erga optimum pastorem est. Hodiéque non pauci, vt Apostolus expostulat, rursus crucifigunt Christum in semetipsis. Egregiè quomodo id fiat, & quam cauendum sit Christiano, aperit his verbis Petrus Damiani, in calce sermonis. 47. [ Vide ergo ne rursus tibimet si crucifigas filium Dei, & hostem tui habeas, rursus fabricans crucem, in qua crucifigatur ille, qui resurgens ex mortuis iam non moritur. Intuere, ne mortiferam crucē efficias, in qua facias Filiū Dei amaris doloribus interire. Superbia superiùs, inferiùs luxuria, à dextris prosperatio iniquitatis, à sinistris aduersitatis desperatio, spinas, clauos, & lanceam Filio Virginis repræsentant. Cum enim eleuans te, & ambulans collo extento, caput Altissimi spinarum multiplicitate contorques, & hîc à superioribus superari molestè fers, immo superiores potiùs superare contendis, illi similis es qui se similem Altissimo cogitauit. Scriptum est enim; *Deus superbis resistit*, illis videlicet, qui cum eo ex æquo stare contendunt. Componis oculos tuos, vt non respicias cœlum, & voluptuosis carnis tuæ motibus moueris & traheris, durioribus clauis tuis pedes Omnipotentis transuerberans, ab inferiori infers supplicium, dum momentanea voluptate, voluntatem Dominantis excludis. Cum prosperaris in iniquitate, & fœtidiori cursu rerum, peccata peccatis accumulas, clauum ponis in illius dextera, quem de suis bonis persequi non desistis. Cum verò abundantiori tristitia absorberis, & tuam impietatem pietati Dei præponderas, sinistram eius transfi[illegible], & conceptum furorem furore tuæ desperationis amplificas. Denique cum præsumus defendere quod fecisti, lancearum ictum lateri, Saluatoris intorques: nihilque grauiùs ingeris Crucifixo, quàm tueri quod odit. De hoc enim peccato scriptum est; *Non miscearis omnibus qui operantur iniquitatem.*] Hæc omnia de quibus hactenus, ouibus suis per seipsum præstat Christus pastor.

### *Pastorum sibi à Christo subdelegatorum, munera, Christi Pastoris muneribus proportionalia.*

1093 Nec contentus omnia pastoritiæ charitatis in oues suas argumenta exhibere per se ipsum pastor optimus, cum ad ouium procurationem vberiorem, tum ad auctius bonum ouium aliquarum, eas sibi in præfecturam cæterarum subdelegat, vt sicut ipse à Patre missus est, ad oues dominici gregis suas faciendas atque pascendas, & cæteris quæ recensuimus beneficiis afficiendas, ita & illæ oues, quæ aliis pascendis ouibus addicuntur, tantundem pro viribus & facultate credita illis præstent. Nam vt ait de se ipso aliisque Pastoribus. D. Augustinus lib de pastoribus cap. 1. & repetit libro de ouibus, rursùs cap. 1. [ Duo quædam in nobis sunt consideranda; vnum quod Christiani sumus; alterum quod Præpositi sumus. Quòd ergo Præpositi sumus, inter pastores deputamur, si boni sumus: Quòd autem Christiani sumus, & nos vobiscum oues sumus.]

### *Pastio, exemplo, & doctrina.*

Pastores itaque, Christo pastorem principi, subordinati, oues simul & pastores sunt, per comparationem ad diuersa. Nam respectu ouium ipsis subiectarum, sunt & dicuntur pastores, eorúmque est omnia proposita munera exhibere ouibus, quantum fas est homini puro. Debent enim oues cognoscere duplici proposito cognitionis modo, nempe & notitia intellectus, & affectu voluntatis, qui verè fructus sunt amoris in Deum, vt ex Christi S. Petrum instituentis pastorem, interrogationibus intelligitur. Debent item præcipuo iure; pascere oues, probatæ vitæ exemplis. Quo enim solari radio non par sit splendidiorem esse eum, qui aliis in vitæ Ideam est propositus? Isidorus certè Pelus. lib. 2. Epist. 205. tantum inter Episcopum & cæteros intercedere vult, quantum inter cœlum & terram. Et lib. 3. Epist. 216. vult Episcopos esse viua virtutis simulachra. Immensi in hoc genere sunt Clemens Romanus toto lib. 2. Constit. Blesensis iusto Opusculo, & à sermone 37. Chrysostomus hom. 3. in Acta, & in opere de Sacerdotio. S. Bernardus 2. de consid. cap. 7. Nazianzenus Apolog. 1. S. Gregorius Magnus lib. 1. Epist. 24. Cartusianus iusto opusculo, & innumeri de hoc argumento Recentiores, præsertim Claudius Iaius, & Bartholomæus de Martyribus. Pascere item oues debent, vitæ pascua exhibendo: doctrinam scilicet bonam & puram, quæ est Pastoris mystici functio primaria. Vnde S. Augustinus Epistola 59. quæ est ad S. Paulinam, *ad eruditionem quartam*, sic scribit. [Pastores & Doctores quos maximè vt discernerem voluisti, eosdem puto esse, sicut & tibi visum est; vt non alios pastores, alios Doctores intelligamus; sed ideò cum prædixisset, *pastores*, subiunxisse *Doctores*, vt intelligerent pastores, ad officium suum pertinere doctrinam. Ideò enim non ait, *Quosdam autem pastores, quosdam verò Doctores*: sed cùm superiora ipso locutionis genere distingueret dicendo, *quosdam autem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Euangelistas*; hoc tanquam vnum aliquid, duobus nominibus amplexus est, *quosdam autem Doctores & pastores.*]

1094 Quanquam vt Romani Pastoris, secundùm Christum præcipuæ sunt partes in cura & pastione gregis Christi; ita eius præcipuo iure est, quòd bonum & idoneum, quod è contrario reprobum & noxium ouibus pabulum sit, statuere. Citra Metaphoras dico. Romani maximè Pontificis est de veritate & puritate doctrinæ fidelibus proponendæ, pronunciare. Imo si agatur de omnino certa & indubitata veræ doctrinæ propositione, eius solius proprium est hoc munus. Quæ causa est, cur iam olim apud sanctissimos & eruditissimos viros, ea tantùm doctrina, certò vera & Catholica sit habita, quam probasset Romanus Pontifex, etiamsi ipsis (priuatas personas comparando) eruditione non conferendus. Quæ enim Damasi vt particularis personæ, eruditio ad Hieronymi eruditionem?

tionem: quæ Innocentij præ Augustino, & Cælestini præ Cyrillo, Alexandrino sapientia? Et tamen hi Ecclesiæ Cardinales Doctores, oracula Romana à prædictis Pontificibus exquisierunt, vt certi essent, se non abduci erroribus. Alia exempla prætereo, cum semper in S. Ecclesia constet, verum fuisse habitum, quod ex sua mente dixit S. Maximus Epist. ad Petrum illustrem, inter Anastasij Collectanea, agens de Pyrrho Constantinopolitano à Romano Pontifice de gradu deiecto. [Si vult hæreticus neque esse, neque audiri, non isti aut illi satisfaciat; superfluum quippe hoc & irrationabile est: quia sicut vno contra eum scandalizato, omnes scandalizati sunt, ita quoque, vno satisfacto, omnes procul dubio satisfiunt. Festinet pro omnibus, Sedi Romanæ satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter vbique omnes, piam hunc & orthodoxum prædicabunt. Nam frustra solummodò loquitur, qui mihi similes suadendos ac surripiendos putat, & non satisfacit, & non implorat sanctissimæ Romanorum Ecclesiæ beatissimum Papam, idest Apostolicam Sedem quæ ab ipso incarnato Dei Verbo, sed & omnibus sanctis Synodis, secundùm ea ros canones & terminos, vniuersarum quæ in toto terrarum orbe sunt, sanctarum Dei Ecclesiarum, in omnibus & per omnia, percepit, & habet imperium, autoritatem, & potestatem ligandi atque soluendi. Cum hoc enim ligat & soluit etiam in cœlo, Verbum quod cœlestibus virtutibus principatur. Si enim alios quidem satisfaciendos ducit, & beatissimum Romanum Papam nequaquam implorat, simile quiddam agit ei qui fortè homicidij vel alterius cuiusdam criminis redarguitur, & insontem se non ei qui secundùm leges iudicandi iura sortitus est, exhibere festinat, sed tantùm inutiliter & sine lucro, aliis, & priuatis hominibus munditiam monstrare sui satagit actus, qui nullam habeant se soluendi à crimine potestatem.] Est nimirum Romanus Pontifex, *Pastor Pastorum*, quo *Papæ* nomen refert Lucas Tudensis lib. 2. contra Albig. cap. 1.

### *Tutela ouium à lupi, & in quibus suis discriminibus.*

1095 De præstanda ouibus per pastores tutela à lupis exemplo Christi, crebræ sunt Patrum monitiones. Intelligunt autem *luporum* nomine, maximè hæreticos: de quibus propulsandis, & ne grassentur in ouile validè impediendis, discussa segnitie Pastoris in ea re, planè periculosa, breuis quidem, sed tamen elegantissima est Nazianzeni adhortatio ad Nectarium in Apollinaristis reprimendis segnem. Et oratio 46. Pulchrè quoque in eandem rem S. Hieronymus ad Theophilum Alexandrinum. Concinnè Basilius Seleuciæ orat. 26. *initio*, laudans Episcopum suum. [Perjucunda quædam res est, Pastor in montibus pascens ouium greges, & fistulæ sono ad pascua greges excitans, qui calami modulatu delectans, etiam contra ferarum insultus comparatus est; qui baculo, & armis in eas armatur. Talis magnus hic gregis Christiani pastor. Nam cum piis carminibus greges nutrit, arma quæ ad impietatis euersionem faciant, negligere non solet. Immo verò cantillans quæ sunt spiritus, etiam in lupos arma capit. Namque lætitia perfunditur crescente grege, præparatúsque est necubi lupus, necubi hæreticus, vbi animam aliena à fide narratione corruperit, ouem deuoret: quin immo adsumptam gregis solicitudinem pro donario, cœlesti offert pastori.]

De tutela verò in aliis discriminibus, etiam temporalibus, quatenus ad spiritualia conferunt, vel confetre possunt, illustre omninò exemplum est Flauiani Antiocheni, quod S. Chrysostomus valdè celebrat. hom. 3. ad pop. Refert enim, eum auertendo Antiochiæ imminenti, ex Imperatoris ira exitio, cum esset ætate deuexa, & domesticis incommodis vrgeretur; consuluisse tamen potiùs ouium suarum indemnitati, cætera posthabentem omnia, illa non aurea, sed cœlesti oratione vsum. [Si Christus seipsum pro nobis dedit, qua essemus nos excusatione & venia digni, tanti custodiam populi creditam habentes, & non eligentes omnia & facere & pati, pro creditorum nobis securitate? Si enim, (inquit,) Iacob pecudibus præpositus, & oues irrationales pascens, & homini rationem redditurus, & noctes ducebat insomnes, & æstum, & gelu, & omnem aëris intemperiem ferebat, vt nulla illarum pecudum periret: multò magis nos, non irrationalibus, sed spiritualibus ouibus præpositos, & homini, sed Deo præsidentiæ huius rationem reddituros, ad nihil torpere & tergiuersari oportet, eorum quæ gregem iuuare possint. Sed quanto melior grex iste grege illo, & brutis quidem homines, hominibus verò Deus: tanto maius & nos, vehementiúsque studium, & promptitudinem habere oportet.]

Ex mente sua, ipse Chrysostomus hom. 29. in ad Rom. *ad finem.*] Perpendamus (inquit,) & ouium pastores illos qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodia patiantur. Illi sæpenumerò vniuersum triduum niue adobruti perdurant. Dicuntur autem & qui in Lybia sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solicitudinem, pessimarúmque bestiarum plenam, vagando circumeunt. Si tantùm erga pecora diligentiæ impendunt pastores illi, quàm quæso, excusationem habebimus? Quibus rationales animæ concreditæ sunt, quòd profundum hunc somnum dormimus? Respirare enim omninò oportebat, quiescere autem omninò, & non circumquaque percurrere, innumerisque etiam mortibus seipsos pro ouibus istis exponere, id demum non est boni pastoris. An ignoras gregis huius dignitatem? An illius gratia Dominus tuus innumera non fecit? An non postremò, & sanguinem suum fudit? Tu verò requiem quæris? Et quid poterit peius esse pastoribus istis? An non perpendis, quòd oues istas circumstant lupi multò amaricatiores ac sæuiores? An apud temetipsum non reputas, qua mente sit opus, ei qui talem præfecturam sit administraturus?] Addit mox, eam ob rem, bonum pastorem, cum innumeris componi posse Martyribus, quippe cui millies pro Christo sit moriendum, cum Martyr semel tantùm moriatur.

* * *

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
X VII
3



*Reductio ouium aberrantium.*

1096 In aberrantium denique ouium reuocationem, boni Pastores omni studio ac labore incumbunt. Et in eos quidem qui quoad fidem aberrant, suauitate & mãsuetudine (quantum licet,) vtendum esse, confirmat latè S. Chrysostomus serm. 10. in ad Colóss. Tamen efficacitas lenitati iungenda est. Nec si vim adhibere per tempora liceat, cum alia remedia desperantur, abstinendum est. Nam ius non deest, de quo plenè alibi. Vim autem aliquam, sæpè consequitur bona voluntas iuxta illud S. Augustini serm. 33. de verb. Dom. [Coge intrare hæreticos; foris inueniatur necessitas; nascitur intus voluntas.] Quod si renuant iuuari, nec idcircò sunt dimittendi, vt optimè monet Iuo Carnotensis Episto, la ad Paschalem Papam. Est 89. In quam rem sapientissimè disserit idem S. Augustinus in Psal. 118. *ad vers.* 6. & Psal. 21. expositione 2. *sub finem*; Et Psal. 32. conc. 2. *in fine*, & in Psal. 33. *ad vers.* 3. & lib. de Pastor. cap. 7. & lib. de vtilit. ieiunij cap. 10. Egregio dialogismo inter ouem errare volentem, & pastorem, idem docetur in Conc. Aquisgr. cap. 12. [Hic inter manus latronum, & dentes luporum furentium, vtcumque versamur; & contumaces sunt oues, quia quæruntur errantes. Alienas se à nobis dicunt errore suo, & perditione sua. Quid nos vultis, inquiunt? Quid nos quæritis? Si in errore, (inquit,) sum, si in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, reuocare volo: quia periisti, inuenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare? sic vis perire? Quanto melius ego nolo? Prorsus audeo dicere, importunus sum. Audio dicentem Apostolum; *Prædica verbum, instа opportunè, importunè.* Quibus opportunè? quibus importunè? Oportunè vtique volentibus importunè nolentibus. Prorsus importunus sum; audeo dicere: Tu vis errare, tu vis perire: Ego nolo. Reuocabo errantem, requiram perditam: velis nolis id agam. Et si me inquirentem lanient vepres syluarum, per omnia angusta me coarctabo, omnes sepes excutiam: quantum mihi virium terrens Dominus donat, omnia peragrabo. Reuocabo errantem, requiram pereuntem Timeo ne negligens te, etiam quod forte est occidam. Vide enim quid sequitur. *Et quod forte fuit, confregisti.* Si neglexero errantem atque pereuntem, & eum qui foris est, delectabit errare atque perire.]

De iis verò qui tantùm errant operando malum, seu qui cum sint Catholici, viuunt vt Hæretici, eadem propè est ratio: nisi quod cum in istis superstes sit fundamentum sanctitatis, ideòque faciliùs sint curabiles, multo procliuiùs par est ferri in eorum reuocationem & curationem. In quo plerique pastorum grauissimè offensant; dum pascendis sibimetipsis potiùs quàm populis, attendunt & inuigilant. Inde sanè Bernardus Morlanensis lib. 3. Rithmorum de mundi contemptu, *pastorum* nomen, aduersa notatione vocis deducit, sic præter cætera concinens.

*Cœna fit afflua. Pastor ad ardua.*
*Tercla recumbit, Et cibus vndique*
*Tunc ibi denique, Pastor habetur*
*Vera vocabula, Pasta cibis gula*
*Re profitetur. Sed sua pascua.*
*Non nisi menstrua, Sunt animarum*

Atque vtinam vel menstrua, aut etiam annua: non fieret tanta animarum clades, eis quorum intererat dormitantibus, aut etiam, sterrentibus, post saginam.

*Incuria Pastorum, fons exitij ouium.*

1097 Verè sanè pronunciauit S. Gregorius, Christum Pastorem magnum ouium, à nullis partitanta dispendia, quanta à subdelegatis ei Pastoribus. Nam eorum incuriæ, & negligentiæ, ferè deberi cladem animarum, manifestum est sapientum ferè omnium iudicio. Et ipse Satan id firmauit Parisiis Anno 1248. cum quidam ad Episcoporum Synodum declamaturus, hoc ab apparente visibiliter Satana, dicendi argumentum accepit, vt refert Cantipratanus lib. 1. Apum. cap. 20. num. 8. *Dicas eis illud, & non aliud. Principes infernalium tenebrarum, principes Ecclesiæ salutant. Læti omnes nos, gratiæ eiscdem referimus, quia cum ipsis eorum nobis afferuntur subditi; & per eorum negligentiam ad nos, denoluitur, totus pariter ferè mundus inuitus quidem tibi dico, quod dico, sed altissimi iussione coactus.* Simile exemplum refert Vinc. in speculo Histor. lib. 25. cap. 89. Et inde etiam illud Gaufridi Clareuallensis, de se ipso post obitum testantis, his verbis quæ refert Blesensis Epist. 102. *sub finem.* [Si fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero reproborum.] Nimirum quia nihil procliuius est, quàm vt per Episcoporum negligentiam pereant, quos Princeps pastorum eis commisit. Hoc autem non aliunde prouenit pastoribus, quàm quia non meminerunt, se aliorum veluti ouium, esse pastores. Id enim quam deposcat Euangelici rectoris vitam, audi ex sententiis B. Bernardi. [Quantum distat inter pastorem & gregem, tantùm debet distare inter Episcopum & plebem. Stat ille sublimis & rectus, curuat iste caput solo depressus. Vnde Poëta.

*Pronáque cum spectent animalia cætera terram*
*Os homini sublime dedit.*

Ille regit, iste regitur, ille pascit, iste pascitur, vt ex ipsa forma & habitu vterque discernatur. Habet ille in manu virgam, qua feriat, vel potiùs ducat, & reducat ouem. Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, vt subiectos, suos exemplo magis instruat quàm verbo? Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. Vnde & de Domino scriptum est; *Quæ cœpit Iesus facere, & docere.* Habet etiam baculum quo feriat lupum. Virga, ouem, baculo, lupum. Hoc est, mites & obedientes debet leniùs corripere, duros verò corde & improbos, actiùs arguere; cúmque necesse fuerit, etiam anethematis sententia ferire. Tenet canem in fune, zelum scilicet in discretione, ne sit de illis de quibus scriptum est;

*Habent zelum* (alias æmulationem) *Dei sed non secundùm scientiam.* Habet etiam pastor bonus panem in pera, hoc est, Verbum Dei in memoria.]

* * *

*Salus ouium, à bonis Pastoribus; Hi quàm vary, omnes in vno.*

1098 Valet hîc conclusio ex Antiocho hom. 111. *initio.* [Debet igitur Pastor totus esse mens & oculus, vt ne vna quidem concreditarum sibi pecudum reiicula fiat, & indigna quæ recipiatur à Domino per oscitantiam aut decolor sit impetigine cogitationum, aut per suam Pastoris indulgentiam laboret, aut pruriat pecus fœda scabie, ne claudicet per irreligiosum ac minùs grauem incessum, aut defecta sit aure per inobedientiam, ne cæca esse comperiatur per vitiosum aspectum, aut capta à bestiis siue morticina, per improbam operationem. Cùm igitur is probè nouerit (ceu mihi dictum est,) se pro nobis rationem esse repositurum, par est, vt peruigili cura, suo prospiciat gregi: morémque imitatus medici longè experientissimi, cuique affectui vitioso, opportunum & competens adferat auxilium, nullo illorum negle&tui transmisso. Peritus enim si est præses, neutiquam sinet discipulum vllius vulneris impressione sauciari.] Neque verò potest Pastor obtendere præconceptum iudicium defuturi fructus. Nihilominus enim bonus Pastor nunquam debet hastam abiicere, aut salutem ouium habere pro desperata. In quam rem, luculentum est Christi exemplum, ex quo Pastores talia causantes vrget sanctus Augustinus sermone 59. de verbis Dom. *in fine*, & libro primo, contra Crescon. capite 8. Quod verò vix vllum Pastoris munus, absque Pastoris præsentia, obiri legitimè possit, inde consequens est, Pastores non modò iure positiuo humano atque diuino ad residentiam vrgeri, sed etiam iure naturali, fundato in munere quod susceperunt. Atque ita ex nomine *Pastoris*, necessitatem residentiæ infert Athanas. Constantinop. Epist. 6.

Hæc igitur præstant, pro facultate, Pastores boni: & cum præstant, dicuntur pascere, & bonorum pastorum partes implere. Per proportionem autem, ad seculares quoque Rectores, siue publicos, siue domesticos, eadem pertinent in sibi subditos officia. Nam & Rex bonus, ab Eusebio libro 4. vitæ Constantini capite 24. dicitur *Episcopus extra Ecclesiam.* Quod considerantes Pontifices, sancto Stephano Regi Hungariæ, vsum crucis præferendæ, perinde ac Metropolitano concesserunt Et sancto Vratislao Duci Bohemiæ, ob similem causam concessus est vsus mithræ, vt est apud Baronium anno 1068. Vnusquisque deinde secularis Pater familias, Episcopus est, aut esse debet in domo sua, iuxta sanctum Augustinum tract. 51. in Ioann. & Chrysostomum hom. 29. in ad Rom. *in ipso fine moralis, & totius homiliæ.* Quisque item, sui ipsius pastorem, atque adeò Episcopum, agere debet; & pecudibus quas intra se habet, non vt pecuarius, sed vt verus pastor præesse. Longa id oratione prosequitur Philo l. de Agricul. Quid Angeli? An non & ipsi pastores? Origenes in eam rem scitè disputat hom. 12. in Lucam, & rursus hom. 13. vbi Episcopum cuiusuis Ecclesiæ, duplicem idcirco distinguit; visibilem vnum carne constantem; alterum verò inuisibilem & incorporeum, idest Angelum. Tot igitur sunt pastores boni.

1099 Cæterum *omnes boni pastores, in vno sunt*, ait D. Augustinus lib. de Pastor. cap. 13. [Vnum sunt. Illi pascunt, Christus pascit. Non enim vocem suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent, propter vocem sponsi. Idem ergo ipse pascit, cùm ipsi pascunt, & dicit, *Ego pasco:* quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. Nam & ipsum Petrum, qui commendauit oues suas, quasi alter alteri, vnum secum facere volebat: vt sic ei oues commendaret, vt esset ille caput, ille figuram corporis portaret, idest Ecclesiæ, & tanquam sponsus & sponsa essent duo in carnem vnam. Proinde vt oues commendaret, quid illi priùs dicit, ne illi tanquam alteri commendaret: *Petre, amas me?* & respondit, *Amo.* Et iterum, *Amas me?* Et respondit, *Amo.* Et tertiò, *Amas me?* Et respondit, *Amo.* Confirmat trinitatem, vt consolidet vnitatem. Ipse ergo pascit, vnus in his, & his in vno.]

Confirmat id egregiè lib. de ouibus cap. 11. & 12. expendens illud, *Pascet eas seruus meus Dauid, ipse pascet eas: & erit eis in pastorem.* Vnde infert, Christum esse reuera vnum verum totius sui ouilis pastorem. Præiuerat Origenes homil. 12 in Lucam *initio*, tractans aduentum Angeli ad Pastores, custodientes vigilias noctis super gregem suum, vbi sic scribit. Putásne nihil aliud diuinus Scripturarum sermo significat, sed tantùm hoc quod ad pastores venerit Angelus, & eis locutus sit? Audite pastores Ecclesiarum, pastores Dei, quod semper Angelus eius descendat de cœlo, & annunciet vobis, quoniam natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Etenim pastores Ecclesiarum, nisi ille pastor venerit, per se benè gregem seruare non poterunt. Infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis pauerit, atque seruauerit. Dudum in Apostolo lectum est, *Dei cooperatores sumus.* Pastor bonus, qui imitatur pastorem bonum, cooperator est Dei & Christi: & propterea pastor bonus est, quia habet secum pastorem optimum compascentem sibi.]

*Vsus doctrinæ de Christo Pastore.*

1100 Quanta fœlicitas gregis Christiani, tanto ac tali subesse pastori? talis Episcopi, tam vigilis, tam prouidi gregem esse? Esse hanc iubilandi materiam sanctus Petrus Chrysologus sermone 6. ex toto Psalmo 99. egregiè eruit. Mellitissimè idem habet S. Augustinus l. de ouibus cap. 2. [Audiamus (inquit,) fratres, vnde Dominus oues suas improbas corripiat, & quid promittat ouibus suis. *Et vos,* (inquit) *oues meæ, hæc dicit Dominus meus.* Primò quanta felicitas est, esse gregem Dei, si quis etiam cogitet fratres; etiam in istis lachrymis, & in istis tribulationibus, magnum gaudium concipit. Neque enim in eius grege est, quem lupi possunt flagellare, aut cuius somnium possunt captare prædones. Illi enim dictum est, *Qui pascit Israël*, de quo dictum est; *Non dormiet neque dormitabit, qui custodit Israël.* Vigilat ergo super nos ille, vigilantibus nobis, vigilat & dormientibus nobis. Sit ergo de pastore homine, securitas pascente Deo, non tantùm quia pascit nos, sed etiam quia fecit nos? [Vna est nostra solicitudo quę nobis imponitur, audire vocem Pastoris; & est nunc tępus audiendi

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
X VII
3



audiendi, quia ille nondum assumpsit tempus iudicandi.]

Nimirum, tunc qui de eius ouibus esse hîc renuerint, detrudentur in infirmi stabulum; à morte, idest Satana pascendi. Quod Dauid prænunciauit lugubri illo effato, *sicut oues in inferno positi sunt mors depascet eos.* Depastio meritò nominatur ea pastio, qua miseri homines instar pecudum, ad squalida & horrentia pascua deducentur: vbi ærumniis duntaxat, & mœroribus pascantur, hísque infinitùm duraturis. Eum merentur exitum, qui vocem pastoris boni, audire hîc contempserint. Qui verò audiêtes dicto sunt pastori optimo, & pastorum principi, etiamsi immediatum pastorem habeant moribus malum, nec tam pastorem, quàm lupum, parent ei nihilominus, & absque noxa, aut damno. Egregiè id prosequitur Agobardus in calce libri de modo Regiminis Ecclesiastici Bonis ouibus, bonus pastor vitæ pascua prouidebit. Pulchrè eam allegoriam prosequitur Eusebius lib. 3. contra Marcellum cap. 17. Tot & tantæ sunt Christi ouium sub hoc magno. Pane & pastorum principe fœlicitates.

Curandum tantùm est vt oues simus & agni, quo nos sæpè nomine Christus ipse appellat, vt informet ad ea quæ sunt partium nostrarum. Sed quæ miseria nostra est, multi oues esse refugerunt, transeúntque in lupos. Querela est Autoris libri de malis DD. malè tributi Sixto III. [Vbi est (inquit,) illa denominatio qua plebem suam *agnos* nuncupat, *oues* appellat? Sicut ibi; *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus.* Et itetùm, *Alias oues habeo*: & deinceps: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Et Beato Apostolo dicitur; *Si diligis me, pasce agnos meos.* Sed & *columbæ* eam vocabulo nuncupat, dicens in Canticis Canticorum; *Sponsa mea, columba mea.* Volens scilicet, populum suum, illorum animalium, quorum obtinebat nomina, imitari in simplicitate naturam. Nos hæc omnia, nunc vitæ nostræ peruersitate in contrarium vertimus, & alia nobis congruere insignia designamus, lupi potiùs dicendi, quàm oues, & non tam columbæ, quàm milui nuncupandi. Atque vtinam luporum ferocitate contenti esse videremur; rapacitatémque sufficeret habere miluorum. Sed quod grauius nobis est, omnium tam bestiarum, quàm volucrum excessimus atrocitatem, dum nec propriæ naturæ parcimus, cum illæ tantùm sectantur alienam.] Pia precatio ad Christum, Pastorem summum & optimum, vt dignetur ouili suo prospicere, vt dignetur excubitores bonos prouidere arcere lupos, & curam gregis agere, habetur apud creditum Augustinum l. de salutar. documentis c. 58.

* * *

## CAPVT XIII.

### *Christus Agonothetes, nec non concertator, & auriga noster.*

1101 NOn ero in hac parte nimiùm religiosus, in exigendis ad exquisitam proprietatem vocibus. Quùis enim Agonothetes, & Xystarches, & Epistates, spectato vocum rigore secernantur, vt Rhenanus in librum Tertulliani ad Martyres cap. 3. annotauit; tamen ob affinitatem notionum vocibus illis subiectarum, & quia in certatorum præsides ac muneratores, vel certantium rectores cadunt, pro eodem habebo, quod Christus, nunc *Agonothetes*, qui certamen instruat præmiis propositis; nunc *Xystarches*, qui præsit loci, quo per huius vitæ hyemem exercentur Christiani; nunc *Epistates*, magister inquam athletarum concertantium, denominetur apud varios Patres: consentanèe ad Scripturas, quibus hic Christi titulus frequenter insinuatur; nósque specie athletarum, aliorúmve in agone contendentium, Christo auspice exhibemur. Fuit quidem in antiqua item lege, apertum certantibus stadium, & proposita corona. Sic enim Dauidem Athletam, insigniter describit Chrysostomus hom. 1. de Dauide & Saule. Et ipsum quoque Adamum, nudum in Paradiso velut in stadio athletam, fuisse, constitutum, sanctus Nilus in Ascetico autor est. Tamen stadium quidem longè arctius erat, non ad tantam virtutem excitatis hominibus, vt nunc excitamur: nec reposito præmio, nisi terreno, vt Philosophatur Isidorus Pelus. libro 4. Epist. 204. nunc autem per Christum, & stadium amplius ac prolixius est apertum, & corona gloriæ præstituta. Et ideò olim in fine vitæ, tanquam exacto certamine, cadauer Christiani profundebatur oleo, sicut in primo Christianæ vitæ scammate, factum fuerat. [Defuncto, (inquit sancto Dyonisius cap. 7. Hierar. Eccles. parte 3.) infundit oleum Pontifex. Memento autem vt in prima sancta regeneratione ante sacrum baptisma, prima sancti Symboli participatio traditur initiando, post priorem omnem abiectam vestem, sancti chrismatis oleum: & nunc in fine omnium defuncto itidem infunditur oleum. Atqui tunc quidem olei vnctio, baptizandum euocabat ad sacra certamina: nunc autem infusum oleum, signat eum qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum.]

Variis

*Varij fidelium agones, sub Christo Agonotheta.*

1102 Sumus igitur omnes athletæ & agonistici. En quo schemate,& Christum, & nos, ac vitam nostram exhibeat Clemens Alexandrinus 7. Strom. capit. 2. [Hic est verus athleta, qui in magno stadio, nempe pulchro hoc mundo, coronatur, veram assecutus victoriam aduersùs omnes animi perturbationes. Nam & Agonotheta est omnipotens Deus, & qui brauia seu præmia distribuit, est vnigenitus Dei filius. Spectatores autem sunt Angeli & Dij, variúmque & ex omni genere pugnæ constans certamen, non est aduersùs carnem & sanguinem,sed aduersùs spiritales potestates, quæ per carnem operantur vehementes vitiorum & affectionum motus. His magnis superatis certaminibus,& veluti prostrato imminente tentatore,potitus est immortalitate.Falli enim non potest Dei sententia in iustissimo iudicio. Ac vocatum quidem est theatrum ad certamen. In stadio autem decertant athletæ. Et ex his vtique superat qui aliptæ paruerit.]

Quod varium, & ex omni genere pugnæ constans certamen, exhiberi à Christo dicit, pertinet ad ludorum Gymnicorum varietatem, de qua plenè qui Gymnasticam & agnostica tradiderunt, Mercurialis, & Faber. Nos obiter in Tractatione de Virtut.lib.6.cap.1.*sub finem*. Et quamuis vario illo & omni pugnæ genere constante certamine, iuxta Clementem, Scriptura plerúmque certare nos dicat; nunc cursorum,nunc saltatorum, mox pugilum, athletarúmve, aliisque præterea certatorum denominationibus nos insigniat, quæ omnes in Christum ludi præfectum refunduntur: Tamen hoc loco, de athletis tantùm & aurigis, qui in circo certabant,ac Christo præside vtrorumque,dicemus;ne in immensum fundatur oratio.

Athletarum varietatem, paucis perstrinxit S.Ambrosius in Psal.36.& in Scripturis vsurpari,nobisque accommodari,sic demonstrat.[Cognouimus ætates pro fide & deuotione certantes,cognoscamus etiam genera certaminum singulorum. Hæc quoque Scripturæ nos doceat tenor.In hoc itaque seculari agone,alij sunt qui simplici quodam & legitimo genere luctantur, & ligaturis tantùm corporis certant, verberare non norunt, qui *palæsta* vocantur. Alij qui cædem,& pulueris iactum, membrorum nexibus miscent, omni sibi verberandi iure permisso: quos παμμαχους, vocant, eo quod omnis litis & pugnæ aduersùm se habeant potestatem.Alij qui cælestibus aduersùm se decernunt, & dilaceratis capitibus cruentantur. Hi πύκτας, feruntur. Hæc omnia certamina subiit Paulus Apostolus; sicut ipse demonstrat, cum dicit, *Quoniam non est nobis pale aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principes & potestates, & (vt compendio vtar,) aduersùs nequitias spiritales.* In Latinis plerisque *colluctatio* reperitur; in Græcis omnibus παλη, scribunt, πάλη, enim Græcorum, *lucta* est Latinorum. Et verè *pale*, quia caro & sanguis & nequitiæ spiritales, patientia & continentia corporis, & animi moderatione superantur. In furor cædes, arma sunt Diaboli.Alibi quoque plagis supra modum cæsum se esse significat dicens.In plagis supra modum, in mortibus frequenter;Hierosolymis autem pugnis se esse percussum:vbi cum interuenientibus militibus aliquando cessassent Iudæi percutere Paulum, ipse Pontifex Ananias circumstantibus iussit percutere os eius: cui respondit Apostolus:*Percuter te incipiet Deus,paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti?* Sciuit profectò referire, qui grauiori pugno Pontificem repercussit. Ipse enim corporaliter cæsus est: illi retulit quod in animam percuteretur à Christo. In prima quoque Epistola ad Corinthios scribens,ait. *Ego igitur sic curro,non vt in incertum:sic enitor,non vt aëra cædens.* Quod Latinè dixit;*enitor:* Græcè ait πυκτεύω.Et verè quasi bonus pyctes,non aërem,sed aërias potestates, & Iudæorum capita verberabat,quia caput omnium,Iesum Dominum non habebant. In omni itaque certamine, Apostolus est probatus, qui etiam coronam cursu consummato accepit.]

1103 Aldelmus quoque lib. de laude Virginit. cap.1.ex Apostolo,quem *(Christi nominis, celeberrimum gerulum* appellat, agones Christianos ad exemplum Gymnicorum compositos exhibet; sed vno membro auctiores, ait enim. [Gratiæ filias, (animas pias quas alloquitur,) velut sagaces Gymnosophystas sub purissimo quodam Agonotheta palæstricis disciplinis & gymnicis artibus in gymnasio exercere. Qui laborioſi certaminis coronam,& olympiaci agonis triumphum, difficillimis proptiæ exercitationis viribus, naviter nanciscuntur. Ita duntaxat, vt alius strenua athlerarum luctamina cum æmulo sinuosis laterum flexibus desudans; in meditullio scommatis flagrante delibutus lubrici liquoris natdo, solerter exercere studet. Alius iaculorum catapultas,& sagittarum spicula, de abstrusis pharetræ latibulis depromens, non vt passiuus lasciuus oculorum obtutus liberè per æthera relaxat: sed vt certus pupillarum conspectus demonstrat, pando strepente arcu, & neruo stridente ad destinatum indeclinabiliter dirigit locum. Alius anhelantium in studio cursorum plantis fidens pernicibus, de quibus egregius agonista, & diuini sermonis dogmatista, *Omnes*, (inquit,) *currunt,vnus tamen accipit brauium*; turmas ludi participer & laboris consortes superans, victoriæ palma fortunatus fœliciter perfruitur. Alius cum catertua contribulium phalerato vectus cornipede,quem calcaribus cruentatum, & flagris cæsum,aureis coment ornamenta lupatis.De quo facetus Poëta: *Quadrupedante putrem, cursu quatit vngula campum.* Pernicitet implicans orbes orbibus, spacia terrarum metitur. Alius classicis nautarum cohortibus stipatus,& densis nauigantium agminibus circumseptus, per vitreos Oceani gurgites agens Liburnicam,aut lintrem,instáter hortante proreta,& crepitante nauclero, porticulo spumosis algosisque remorum tractibus tradit. Et quidem vniuersa hæc quæ per Gymnosophistas exerceri deprompsimus, inter scholares secularium disciplinas apud vestri discipulatus industriam, non exterioris hominis motibus aguntur, sed interioris hominis geruntur gestibus.] Obiter aduertè Aldelmum semel & iterum, in loco allegato, sumere *Gymnosophistam* pro *Gymnico*, vt postea loquitur. Verisimile est actum in fraudem, à proportionalibus vtriusque

vtriusque vocis initiis. Sed quomodocunque locutus sit Adelmus, de re constat. Nimirum liquet, eum agones Christianos, in expressionem agonum secularium, exhibitos, agnoscere. Hæc à se Apostoli imitatione 1. Cor. 9. prolata, mox subiicit idem Aldelmus.

Similia de Apostolo prædicta certamina ineunte, S. Basilius homil. in illud, *attende tibi*, & alij infra adducendi. Quod fecit Apostolus, pugil simul & præco, contra quàm in mundiali certamine contingit, vt notat Isidor. Pelusl. l. 3. Epistol. 265. faciunt etiam Christiani omnes. Nam æquè omnes, à Christo sacrorum munerum editore, in hoc scamma producimur, idque ex inunctione adhibita baptizatis, egregiè colligit S. Dyonisius cap. 2. de Eccles. hierarch. p. 3. *sub finem*. [ Diuinus Pontifex ( inquit, ) sacræ vnctionis inchoat munus. Sacerdotes autem post ipsum, vnctionis officium peragunt; ita inunctum ad sacra certamina in figura euocantes, in quibus sub editore munerum Christo, constitutus est. Ipse enim certantibus præmia proponit vt Deus, leges autem certaminis tulit vt Sapiens, præmiáque vincentibus decora constituit ipse pulcherrimus: & quod est profectò diuinius, ipse vt summè bonus & clemens, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans, pro ipsorum salute ac victoria aduersùs mortis & corruptionis imperium pugnat. Certamina quidem vt diuina, is qui initiatur, aggredietur gaudens, perseuerabitque in Sapientis sacratissimis legibus, earúmque iure viuens, sine vlla earum præuaricatione pugnabit, præmiorum cœlestium spe firmissimè felix, & sub præstantissimo certaminis Domino ac duce constitutus: innitens autem sacris vestigiis primoris athletæ, quæ ille sola bonitate calcauit, Dei imitatione pugnando, actiones & substantias, sibi ne in Deum transeat, aduersantes, deuincit ac superat. ]

### *Nulla conditio, aut ætas, à Christi agonibus exclusa.*

1104 Itaque absunt ab his certaminibus, eæ probationum varietates, quæ legitimè in mundiali agone certaturis erant necessariæ, de quibus Themistius orat. 1. Et quando huic loco aptiores sunt Patres, Chrysost. homil. 17. in ad Hebr. *in morali*, & Tomo 5. Græcol. sermo. 48. *sub finem*, & hom. 1. de Machab. & hom. 21. ad pop. & luculenter Cassianus l. 5. Instit. cap. 12. verbis illis. [ In illis certaminibus, quæ secundùm eundem Apostolum, corruptibilem coronam vincentibus parant, mos iste seruatur, vt is qui se ad gloriosam coronam & immunitatis priuilegio decoratam præparare contendit, & perfecta cupit agones subire certamina, priùs in Olympiacis ac Pythiis certaminibus indolem suæ iuuentutis ac rudimentorum robur ostenter. In his siquidem iuniores, qui has disciplinas cupiunt profiteri, vtrum mereantur, vel debeant ad eas admitti, tam eius qui istis certaminibus præsidet, quàm totius populi iudicio comprobantur. Cúmque diligenter examinatus quis, primùm repertus fuerit nulla vitæ respersus infamia, deinde non seruitutis iugo ignobilis, & ob hoc indignus disciplina, vel congressu eorum qui hanc profitentur, fuerit iudicatus; tertiò si artis, si fortitudinis digna præferat documenta, & iunioribus coæuíque decertans, peritiam pariter ac virtutem suæ demonstrauerit iuuentutis, ac proficiens de ephebo rum luctamine, perfectis iam viris & experientia longa probatis, congredi permissus fuerit præsidentis examine, æque non solum parem virtuti eorum assidua colluctatione probauerit, verùm etiam frequenter inter hos quoque victoriæ palmam fuerit consecutus: tum demum ad agonis præclara certamina meritur peruenire, in quibus non nisi victoribus tantùm, & his qui multarum coronarum stipendiis decorati sunt, facultas conceditur decertandi. ]

Nihil eiusmodi, ad Christi certamina præexigitur. Omnes ad ea idonei, omnes apti habentur, nullo statûs respectu, nullo conditionis. Nulla ætas ab his certaminibus Christianorum eximitur. Erant in antiquis agonibus, tria ( pro ætatibus, ) Athletarum genera, ait S. Ambrosius in Psalm. 36. eáque omnia in suis exprimi voluit Christus, agonis nostri princeps. Quo idem S. P. Apostolum adducit. Rom. 8. sic ex eo ratiocinatus. [ Vtinam quidem ineluctabilis, & insuperabilis sit Christi athleta, & in omni ætate, in omni virtutum genere glorioſus, ſicut ille ait, *ſed in omnibus ſuperamus, propter eum qui nos dilexit*. Quid eſt *in omnibus*? Sunt athletæ qui vocentur pueri, ephebi, viri hoc eſt, παῖδες, ἔφηβοι, τέλειοι. Etiam Scriptura, has in luctatoribus nouit ætates. ] Excurrit in varias Scripturas, quibus pueri, & adolescentes, & viri, sub Christo & pro Christo certantes, exhibentur. Imo quod est admirabilius, nec dum natos aliquos, certasse hæc certamina docet inferiùs, verbis illis. [ Habet & Christus, qui in pueritia sua æui maturos vicerit: vt Daniel puer Spiritu valido Seniores illos redarguit Iudæorum, & de victoriæ iure deiecit in mortem. Habet & alios, qui priusquàm nascerentur, in matris ventre luctati sunt: Denique Iacob fratrem supplantauit Esaü, & malum vicit, atque ita de vtero matris exiuit, vt victoriæ insigne monstraret, & pedem senioris degeneris, victor inuerteret. Hieremias in vulua matris sanctificatus est, & probatus. Ioannes Baptista, principem agonis humani, præmiatorémque luctantium, necdum natus venisse cognouit, atque in vtero matris exiliens, piæ brauium confessionis emeruit. Rectè iam tunc designatus est ad coronam, qui ante omnes ad Christi agonem, fidei testis & præco, virtutis suæ nomen obtulerat. Bonus præco, qui ad certamen alios excitabat. Et verè bonus præco, qui tam magna voce clamauit, vt ad eius sonum, secreta cœlestia resultarent. Quid multa? Terram mouit, cœlum impleuit. Ideóque *vox* nomen accepit, quia Verbum Dei vox sacrata præcessit. ]

### *Neque vllus item sexus.*

1105 Nullum quoque sexum, Christus arceri à suis certaminibus voluit. Probro quidem olim maximo, datum est Platoni, quod mulieres exerceri in gymnastica, æquè ac viros voluisset; vt dicat ideirco Theodoretus lib. 9. de legibus, non fuisse qui ea audiret, & continuò non irriderer. At in Christi certaminibus, quia sunt animorum qui iidem in vtroque sexu sunt, & mulieres, & puellæ, ad certandum

æquè

æquè admittuntur. Inculcat id variis locis S. Chrysostomus,sed sat erit locus ex initio laudationis magni Ignatij. In certaminibus (inquit,) externis, quia labores sunt corporum, meritò viri tantùm admittuntur. Hîc autem quoniam totum certamen ad animum spectat,vtrique sexui stadium aperitur. Vtrique generi considerent spectatores. Nec viri tantùm accingunt se, ne ad naturæ infirmitatem fœminæ confugientes, probabilem habere videantur excusationem. Nec solæ fœminæ se fortiter gerunt,ne virorum genus robore perfundant. Sed & hinc, & inde, multi publicantur victores,& coronas assequuntur. Vt ex ipsis operibus intelligas, in Christo Iesu,neque masculum,neque fœminam, nec sexum, nec corporis imbecillitatem, neque ætatem, nec aliud quicquam huiusmodi, pietatis cursum conficientibus, impedimentum afferre posse,modò generosa alacritas,& promptus animus,& Dei timor ardens; atque inflammatus, in cordibus nostris radices egerit. Idcircò & Virgines puellæ,& viri,& iuuenes, & senes, & serui,& liberi,& omnis ordo,atque ætas omnis, & sexus vterque,ad hæc certamina accinguntur, nec vlli omninò sua frustrantur spe, qui strenuum animi propositum, ad has pugnas attulerint. ] Sed & S. Cyprianus lib. de lapsis celebrat. SS. fœminas quæ cum triumphantibus viris venientes, & seculum, & sexum quoque vicerunt.

Quare Tertullianus lib. ad Martyres cap. 3. multa ad viros in carcere pro Christo detentos prolocutus, conuersa ad SS. fœminas ibidem concluſas oratione, omnem ab eis athleticam disciplinam,& labores,ac tolerantiam, non secùs ac à viris deposcens,ait.[Proinde vos benedictæ,quodcumque hoc durum est,ad exercitationem virtutem animi & corporis deputate. Bonum agonem subituræ estis, in quo Agonothetes Deus viuus est: Xistarches Spiritus sanctus,corona æternitatis,brauium,Angelicæ substantiæ politia in cœlis, gloria in secula seculorum. Itaque Epistates vester Christus Iesus,qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis, ad duriorem tractationem, & liberiore conditione seponere, vt vires corroborarentur in vobis.Nempe enim & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam,vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu incundiore. Coguntur,cruciantur, fatigantur, quanto plus in exercitationibus laborauerint; tanto plus de victoria sperant. *Et illi,* (inquit Apostolus,) *vt coronam corruptibilem consequantur.* Nos æternam consecuturi, carcerem nobis pro palæstra interpretamur; vt ad stadium tribunalis benè exercitati incommodis omnibus producamur, quia virtus duritia extruitur, mollitia verò destruitur.]

### *Proportionales, Christi ac seculi Athletarum,ad certamen aptationes,per vnctionem,tractationem duriorem, continentiam.*

1106 Vides, quomodò Christi athletas quoscunque,ad pugnam præparari dicat Tertullianus: videlicet ad instar Athletarum seculi,vnctione,duriore tractatione,continentia. Vnctionis causa nudabantur omninò, sicque nudi certabant. Tantùm,veteres athletæ, [ Accinctis subligaculis (vt ait Clemens Alex. 3. pædagogi cap. 5.) seruabant verecundiam, virum nudum ostendere erubescentes. Postea tamen induti quoque certarunt, sed quod de sui temporis luctatoribus testatur S. Chrysostomus hom. 8. in 1.ad Tim. ad *finem*, vestem oleo madidam induebant, vt olei lubricitate, difficiliùs ab aduersario prehendi, ac retineri possent. Hoc in spirituali athleta,iuxta Chrysologum serm. 28. pertinet ad rerum omnium externarum abdicationem; siue effectu & re ipsa, qualem faciunt renunciantes;siue effectu. Qua ratione, omnes Christiani etiamsi diuitiis abundent, effectum tamen ab eis abstractum & auulsum habere debent, ne si eis inhæreant, cum iisdem pereant, faciléque sit colluctatori, per ea quibus adhæserint,prehendere illos atque deiicere. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 161. paulò aliter, sed non minùs ad rem nostram, de ea nudatione philosophatur. [ Etiamsi nobis (inquit,) aduersùs carnem & sanguinem colluctatio non est,at ab his tamen qui aduersùs carnem & sanguinem luctantur, palæstræ leges edocendæ sunt. Quemadmodùm igitur illi, non modò exutis vestibus, (certandi enim principium est vestes deponere,) verùm etiam detonsa coma, corporéque oleo delibuto,(vt nec crinibus prehendantur,ac per oleum lubricas aduersarij manus reddant, ita demum in certamen progrediuntur;ad eundem nos quoque modum,si coronam referre cupimus, exuto veteri homine vnà cum ipsius actionibus, præcisisque atque in eleemosynas insumptis rebus externis, omni cura nudi,ac vestitu carentes,ad virtutis stadium ascendamus,vt Olympicum de anima certamen obeamus. Quòd si nihil horum facientes,certare nobis videamur, atque hoc nomine gloriemur, primùm quidem hîc quoque à prudentibus viris ridebimur: posteà autem illuc etiam certò comperiemus, nos à nobisipsis delusos ac circumscriptos fuisse: cùm videlicet,non modò coronæ expertes erimus, verùm etiam ad luendas pœnas abducemur.]Nuditas ergo in Christi Athletis est necessaria, vt vnctionem à Sancto accipiant, per quam aptentur & disponantur ad certandum. Inunctum vt in athletico, S. Ioannem in matris vtero, perbellè exhibet Origenes hom. 9. in Luc. Nósque omnes, quomodò per baptismum in athletas vngamur,scitè Philippus. Abbas l.3.in Cantica c.12.

Tractatio durior athletarum, non in iis tantùm quæ ex Tertulliano retuli, sed & in aliis plerisque sita fuit. Gulam & saturitatem coërcuisse athletas, nec inebriari eis licuisse, prodit S.Chrysostomus hom.23.in 1.ad Corinth. Citharizare aut inflare tibias, ad certamen se paranti,fas non erat,vt obseruat S.Basilius de lect. lib. Gentil.qui hæc addit. [ Quoniam verò coronarum atque athletarum memini; illi mille supra mille patientes labores, & multis modis robur ac vires sibi comparantes, multúmque in Gymnicis sudantes exercitationibus, plures insuper plagas ex pædotriba accipientes,diætámque non iucundam, sed Gymnasticam subeantes, & alia per quàm multa (ne per omnia discurram,) sustinentes, sanè ostendunt,vt omnis ferè vita ante certamen, sit certaminis exercitatio,præparatióque. Tunc demum probè instru-

cti, ad stadium procedunt, vbi & laborant rursus, & maximè periclitantur, vt oleastri, aut apij, seu cuiusuis alterius frondis coronam accipiant, vt à præcone victores declarentur. ] Iubebantur non comedere more guloſorum, & citi absumere escas: sed lentè ac ritè cibum commolere, ex Philone. l. 1. Allegor. hæc omnis imbonitas, (vt cum Tertulliano suprà loquar) in Christi athletis est perspicua.

De continentia athletarum, multa notaui lib. 6. de virtut. num. 169. vt minùs mirum sit, Christianis Athletis parem indici. Cassianus hortantem nos inde Apostolum, sic inducit 6. de Instit. cap. 7. [ Audi quid dicat Apostolus; *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* A quibus *omnibus* dixerit, inquiramus, vt possit nobis spiritalis agonis instructio, comparatione carnalis acquiri. Illi etenim qui in agone visibili studeut legitimè decertare, vtendi omnibus escis quas desiderij libido suggesserit, non habent facultatem, sed illis tantùm quas eorumdem certaminum statuit disciplina. Et non solùm interdictis escis, & ebrietate, omnique crapula eos necesse est abstinere; verùm etiam cuncta inertiâ, otio atque desidia, vt quotidianis exercitiis, iugique meditatione, virtus eorum possit accrescere. Et ita ab omni sollicitudine ac tristitia, negotiisque secularibus, affectu etiam & opere coniugali efficiuntur alieni, vt præter exercitium disciplinæ, nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curæ penitùs implicentur: ab eo tantùm qui certamini præsidet, sperantes quotidiani victus substantiam, & coronæ gloriam condignaque præmia, victoriæ laude conquirere. Atque in tantum se mundos ab omni coitus pollutione custodiunt, vt cum se præparant ad agonum certamina, ne qua forsitam per somnum nocturna delusi fallacia, vires minuant multo tempore conquisitas, laminis plumbeis renum contegant loca; quo scilicet metalli rigore genitalibus membris applicito, obscænos humores valeant inhibere: intelligentes se procul dubio esse vincendos, nec iam posse propositum certamen ademptis viribus adimplere, si prouisam pudicitiæ soliditatem, fallax noxiæ voluptatis imago corruperit. Itaque si agonis mundialis intelleximus disciplinam, cuius exemplo Beatus Apostolus nos voluit erudire, docens quanta in illa sit obseruatio, quanta diligentia, quanta custodia; quod nos conueniet facere? qua puritate oportebit custodire nostri corporis atque animæ castitatem? ] Eodem refert lib. 5. eiusdem operis cap. 19. quod nullum suis athletis iustitiam, nullam quietam Christus concedat ne lenteſcant & mollesiant.

### *Prærogatiua prima Athletarum Christi, quod ipse eis colluctetur, & in eis pugnet.*

1107 Nec sic ad certamen aptatos, desetit ipse Agonothetes; aut quod seculi agonum præsidibus vnum licuit, solo aspectu, aut adhortatione animat ad certamen. Sed pugnat ipsemet, & certat in illis. Non ago de certamine & colluctatione, quæ Christus per seipsum cum Satana colluctatus est. Describit eam luctam. Abucara toto Opusculo 7. & rectè contra Iacobitas Hæreticos ab Deitate sola, itémque contra Nestorianos à sola humanitate à Verbo diuulsa, initam negat. Sed vt addit. [ Deus Verbum assumpta natura humanitatis perfecta, vsus est libera eius voluntate, & sensibus, & naturalibus potentiis omnibus conuenienter naturæ, & vt oportebat, ac secundùm voluntatem Dei: atque ita vicit Diabolum, non opposita & suppeditata in lactatione, diuina virtute & ampliore, quàm naturali, sed vt decebat Deum, & legem, vsus naturalibus, & omnibus naturæ partibus, & potentiis, & organicis sic compositis, sicut conueniebat, vt mensura humanitatis postulabat, atque ita vicit & ostendit naturam victricem; & naturæ deinceps, victoria & iustificatio attribuitur. ] Caue, quod ait, Deum in hac lucta non appoſuisse, aut suppeditasse diuinam virtutem, & ampliorem quam naturalem, id accipias de natura omnibus gratiæ suppetiis nudata: Sic enim actus Christi colluctantis, fuissent merè naturales, & vacassent merito. Sensus ergo duntaxat est, naturam humanam Christi, elicuisse actiones verè humanas; & semper fuisse intra mensuram creatam, nec euasisse in diuinam naturam, quod aliqui Hæretici sunt fabulati, sed diuinitùs adiutam, quemadmodùm & nostra quoque iuuatur, edidisse supernaturales actus, quibus obstitit Satanæ, eúmque deuicit, vt sub nobis quoque fieret, & Diabolus de natura nostra vincetetur, iuxta S. Aug. l. de agone Christ. c. 1.

Egregiè de ea Christi colluctatione S. Ambrosius in Psal. 40. ad illud. *Versasti in infirmitate eius*, his præter cætera. [ Habent hoc luctatores vt se subiicientes iis quibus congrediuntur atque luctantur, vt opprimi posse videantur, & subito cum æstimantur elisi, quædam arte se versant, vt effundant superiorem. Cadit qui portabatur: & is qui portabat, superior inuenitur, vt sternat vrgentem. Spiritali itaque palæstra, Dominus Iesus onera nostra suscipiens, in illa se passionis suæ congressione subiecit, & in infirmitatis specie, vt eum aduersarius hominem parem cæteris iudicaret, quem facilè posset opprimere: diuinitatis arma deposuit, humanitatis tegmen assumpsit. Securus victoriæ, propiùs tentator accessit. In costa eum telo militis voluit vulnerari, reputans & tunc, sicut Adam, per costam posse prosterni. Sed vulneratus latere Dominus Iesus, vitam produxit è vulnere; euacuauit omne peccatum, delecit aduersarium, cui mortem latronis eripuit; & in illa morte, in illa sui corporis sepultura, cùm æstimaretur elisus, sua se virtute versauit: cecidit aduersarius, Dominus resurrexit. ]

1108 Quamuis autem hæc, Christi per seipsum colluctatio cum Satana, non parum Christianis athletis contulerit, dum exemplo Christi animantur atque firmantur: nunc tamen spectandam proposui eam colluctationem, quam Christus non per seipsum, sed nobiscum obit, certans in nobis. [ Ante oculos habens (ait S. Chrysost. hom. de milit. Spirit.) pro te in passionis prælio dimicantem, Christum, sciens quia propter te, & Christus in isto agone versabitur, & tui per ipsum, agonis ipsius victor existis. ] Idem homil. 1. de Resurrect. [ In Olympicis certaminibus, athleta intra stadium certat, Magister autem ludi foris considens, sermonibus affert auxilium, eatenúsque certantem duntaxat iuuat.

iuuat,quatenus acclamationibus,sermonibúsque valet:Neque enim vlla ei lege permittitur,propiùs assistere, & manibus illum adiuuare. At secùs res habent in pietatis certamnibus.]

Idem fuit aliorum quoque Patrum sensus, è quibus nonnullos tantùm produco. S. Augustinus serm.105.de Tempore *in fine.*[Adiuuat certantem,qui certamen indixit.Non te sic spectat Deus in agone certantem, vt populus aurigam. Clamare enim nouit,adiuuare non nouit. Coronæ veniam parare potest, vires subministrare non potest. Homo enim non Deus. Et fortè dum spectat,plus laborat sedendo,quàm ille luctando. Deus quando spectat certatores suos, adiuuat eos inuocantes. Nam vox athletæ ipsius est in Psalmo; *Si dicebam, Motus est pes meus, misericordia tua,Domine,adiuuabat me.*]

Petrus Damiani serm.39.qui est de S.Cassiano Martyre. Post descriptam sacri pugilis pugnam,subdit.[Sed Christus in Martyre suo pugnabat, qui pugnandi vires administrabat. In eo solus ipse vincebat, qui illum inter certamina roborabat. Nam & tota vniuersalis Ecclesia virtutum armis accincta, contra Diabolum, per totum mortalis vitæ huius excursum,in Christo dimicat: In Christo semper, non sua, sed eius virtute triumphat.]Ex Lucifero Calaritano, variisque aliis Patribus, Christum in suis Athletis certantem produxi p. 2. operis de Martyrio cap. 3. quibus addendus S. Leo serm.7. de pass. cap.5.

Rupertus lib. 6. de victoria verbi Dei cap. 24.huc aptat quod Danielis 3.habetur, de specie quarti similis filio Dei, qui visus est in fornace cum tribus pueris,agonẽ factum pro Deo certantibus.[Filius Dei, (inquit,) qui quartus apparuit in camino ignis, & filios Dei excelsi mirabiliter custodiuit; signum fuit & in semetipso signauit, quod facturus erat, iámque facere ceperat filius Dei,verbum Dei.Quando enim defuit agonizantibus seruis suis, propter verbum Dei? Hoc maximè futurum erat temporibus Euangelij sui, vt publicis edictis & proscriptionibus.Fidem sanctæ Trinitatis,impugnaret Rex magnæ Babylonis Diabolus. Et ita factum est Paganis Romani Imperij Regibus, Diabolo famulantibus. Nónne cum piis Martyribus, Filius Dei & in flammis, & in cæteris agonibus semper præsens fuit?Verbi gratia:vbi Martyr insignis Laurentius ignibus suppositus est pro Fide Filij Dei? nunquid qui affatus fuit, & super craticulam & super ignem Spiritum emisit,idcirco dicas,quia fuit absens,& ab ignibus eius longè abstitit Filius Dei? Imo præsentior illi fuit, & glorioſus in eo triumphauit, quàm si exussissent carbones, & ignitam craticulam eius, quasi ventum roris flantem fecisset. Transiuit per ignem,& flamma illi non nocuit, & odor ignis in eo non fuit,quia Fides læsa non est;imò sicut aurum per ignem probata est. Sic animaduertimus in illa fornace Babylonica, speciem quarti similis Filio Dei, quia sicut per speciem eius qui illic apparuit, custoditi fuerunt illi tres pueri; sic per inuisibilem præsentiam Filij Dei, illæsa permansit in sanctis Martyribus Fides æternæ Trinitatis, & Romanum Imperium sonoriùs atque dulciùs, quàm ille Rex Babylonis, tandem confiteri meruit Christum Filium Dei.] Sed & S. Ambrosius Epist. 72. eò refert quod Christus stare visus sit sancto Stephano. [Stabat(inquit)Iesus;quasi aduocatus: stabat quasi sollicitus, vt Stephanum athletam suum certantem iuuaret. Stabat quasi paratus vt coronaret.]

Præiuit manifestè Apostolus Coloss. 1. *Laboro certando,secundum operationem eius qui operatur in me,in virtute.* Et eodem sensu, vt acutè vidit Espencæus Tract. de mediatore cap. 13. ibidem ait, se supplere quæ deerant passionum Christi pro Ecclesia.Passiones enim Christi vocat, quas Christus in eo patiebatur; ideſt, quos ipse sustinebat fortiter,Christo adiuuante.Christo compugnante & concertante. Quomodò non spe bona compleantur sacri athletæ ambigant ve de victoria, ni stet per ipsos,desintque cælesti Epistatæ?

## *Altera eorundem Christi Athletarum prærogatiua,vincere cadendo,& victos vincere.*

1109 Quin etiam casus interdum & deiectio,per lubricum humanæ fragilitatis interueniens, Christo propitio, & auspice iuuat ad auctiorem victoriam, vel inimici prostrationem certiorem. Quod optimè attigit Isidorus Pelus.lib.4.Epist.158. vocans huiusmodi casum, *athleticum.* Idipsum S. Ambrosius in Psal. 36. egregiè prosequitur, tractans illud, *iustus cum ceciderit, non collidetur*; Notat enim, casum illum, non derelinquente iustum Deo,proficere ad virtutem.[Etiam iustus (inquit,)cadit interdum: sed si iustus est, *cum ceciderit non conturbabitur.* Quod conditionis est,cadit:quod iustitiæ,resurgit:quoniam iustum Deus non derelinquit,*sed confirmat manum eius.*Qua ratione non *pedem,*sed *manum* dixit? Nisi fortè ea,quoniam qui cadit, non magis pede labitur;sed infirmus lubrico sæpe decipitur, vel offendit in petra. Hìc autem iusti casum intellige, ideſt fortioris. Denique de populo, qui luctatur, si genu fixerit, vel pede lapsus fuerit, pro victo habetur. Athleta qui luctandi peritiam habet, & ad coronam luctatur,etiam volens genu figit, vt vincat. Et si lapsus fuerit, non excluditur: & si ab eo qui superior sit, prematur,manibus tamen se sustinens, iure decertat: nec aufertur brauium, nisi fuerit fusus in ventrem, aut distentus vinculo lacertorum. Inde oriuntur crebra certamina, quia multa & incognita pletisque sunt genera ruinarum.Nam casus eos,propriè appellant ruinam,Græcè enim πτῶμα,nuncupantur. Ergo cum stringitur & vrgetur, sæpè se volvit, & fit supra,qui inferior habebatur,superiorémque dum surgit,elidit: quod videtur scriptura significare cum dicit; *Vniuersum stratum versasti in infirmitate eius.* Itaque de eo dicitur. *Cum ceciderit* bonus athleta, *non conturbabitur.* Pleriquenenim volunt teneri, quo maturiùs vnicant, qui de arte præsumunt. Sed etiam si assignatus, (vt ipso verbo vtar,) & primò & secundò fuerit non excluditur: licet ei interdum reparare luctamen:& vincere sæpè contingit, & cedere eum qui secunda contentione superauerit. Ita ergo etiam iustus,etsi offendiculum incurrerit & ceciderit, non relinquat tamen studium deuotionis & fidei,sobrietatem teneat,pœnitentiam gerat,sæpè reparet.]

Subdit de solo Christo, in certaminibus impulso,

pulso, sed non subuerso, & omnes alios athletas suscipiente, orátque vt omnes ineluctabiles sint & insuperabiles; veruntamen si corruant, ne auertantur auersione impudenti. Ita enim in Scripturis notatam obseruat eorum auersionem, qui cum ceciderint, non resurgunt. Apertè porrò ex loco S. Ambrosius profecit ex Origene hom. 4. in psalmum illum 36. vt & in reliquis quæ suprà eo ipso D. Ambrosio adduximus. Ex hoc ergo capite, Christianorum athletarum sub Christo agonotheta, longè potior est conditio, quàm mundanorum olim erat; cum fas sit Christianis athletis, de casu surgere fortiores, & nulla allidi deiectione, sed reparari, & aduersarium, concertante Christo, sternere.

1110 Est etiam ea ex parte, dispar, & tamen longè fœlicior conditio Christianorum athletarum præ mundanis, quod victi vincunt. Audi Chrysostomum hom. 22. in ad Rom. *in mor.* [Ex Diabolicis legibus est, malè faciendo vincere. Propterea & in Olympicis certaminibus Diabolo consecratis, ad eum modum vincunt quotquot illic decertant. In stadio verò Christi, non est ea certandi lex, sed omninò contraria. Hic enim non eum qui percutit, sed qui percutitur, coronare decretum est. Tale siquidem illius est stadium, vt contrario modo habeant quæcumque hîc ordinata statutaque sunt: ita vt non solùm ipsa victoria, sed ipso etiam victoriæ modo fiat, quod maius habeat miraculum. Quando enim quæ alibi fragilia deuictáque videntur, talia redduntur, vt ea ipsa victoriam parare deprehendantur, illud demum diuinæ virtutis, illud cœleste stadium, Angelorum illud theatrum fuerit.]

Magistro, subiicio discipulum, Isidorum Pesiotam lib. 3. Epist. 126. [Mundo sublimiorum ac terrenorum Rex, è cœlo idcirco venit, vt cœlestis vitæ symbola nobis afferret: quæ etiam in certamen proposuit, olympico certamini prorsus aduersum. Illic enim qui cædit, ac superat, coronam obtinet: hîc autem qui cæditur, ac perfert, præconis voce celebratur. Illic qui vicissim ferit, hîc qui alteram quoque maxillam præbet, in Angelorum theatro prædicatur. Non enim vltione, sed patientiâ victoria ponderatur. Noua enim hæc coronarum lex est: quoniam noua quoque certaminum ratio.]

Nec illa omittenda esset, sanè insignis prærogatiua athletarum nostrorum si veritate niteretur, quam his verbis tradit Origenes hom. 15. in Iosue *sub finem*. [Puto sanè quia sancti quique repugnantes aduersùs istos incentores peccatorum spiritus, & vincentes eos, atque eorum vnumquemque superantes, imminuant exercitum Dæmonum, & velut quàmplurimos eorum interimant. Verbi causa, vt is qui castè pudicéque viuendo fornicationis spiritum superauerit, non vltra fas sit illum spiritum, qui ab illo sancto victus est, impugnare iterum alium hominem: sed sicut illi spiritus, qui rogabant Ie um ne in abyssum mitterentur, quod nunc interim Dominus pro præsenti dispensatione concessit: ita consequens videtur, quod singuli quique nequam spiritus cum vincuntur à sanctis, vel in abyssum, vel in exteriores tenebras, vel quo quisque ille locus eis dignus est, abducantur à iusto iudice Christo, agonis huius vitæ mortalium præside. Et inde est quod plurimo Dæmonum numero iam victo, ad credulitatem gentes venire relaxantur: qui vtique nullatenus finirentur, si integræ eorum, sicut priùs fuerant legiones subsisterent.] Subscribit huic doctrinæ Origenis creditus Anselmus, reuera Gulielmus Couentrensis in Elucidario *sub finem*. Sed latè refragatur Lensæus lib. 7. de libert. Christ. cap. 12. Quinetiam Suares lib. 8. de Angelis cap. 17. num. 4. ne illud quidem verum esse admittit, quod ab Origene intentum censet, nempe Satanam semel victum, impediri tentare eandem personam de eodem vitio. Sanè vitos quandoque pios, diu circa aliquod vitium molestiam à Satana passos, tandem succubuisse nullas inducias stabiles præbenti hosti, traditur in probatis Historiis. At eas iteratas aggressiones per alium Dæmonem contigisse, nullo idoneo fundamento inniti potest. Itaque accessio ista prærogatiuæ propositæ Athletarum Christi dimittenda est tanquam non satis subnixa.

### *Prærogatiua tertia, ex corona immarcescibili, omnibus communi.*

At illa immensis spatiis auctior est, eorundem prærogatiua, quod non pro marcescibili & corruptibili corona certabunt; pro apio inquam, vel olea, aliisque huiusmodi præmiis, quæ quod ex nuda hominum imaginatione pretium caperent, meritò derisa sunt à Diogene apud Dionem Chrysostomum oratione 9. Nostri verò pro corona quam Apostolus vocauit *incorruptam*, & alius *immarcescibilem gloriæ coronam*. [Præmia virtutum (ait S. Chrysostomus hom. 1. in Matth.) in hac disciplina non ramus oleæ, nec corona oleastri foliis immixta, nec publicè in Prytaneo apparata conuiuia? nec areæ statuæ, nec imagines coloribus adumbratæ, & friuola ista atque vanissima: sed vita nullo vnquam fine claudenda, & filiorum Dei collata nobilitas, cúmque Angelorum choris iungenda lætitia, & ante regalem thronum secuta præsentia, & perpetuum esse cum Christo.] Quanto hæc immarcessibilis corona, illam corruptibilem superat?

Quid quod eam ipsam, mox putrescentem & euanidam seculi athletarum coronam, vnus tantum accipit? Videsis Fabrum l. 1. Agonist. c. 24. sicut & inter cursores qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Secus verò accidit Christi athletis: nam omnes coronantur, vt Theodoretus 1. Cor. 9. optimè notauit. [Christus (ait S. Paulinus Epistola 2.) pro nobis pugnat & vincit in nobis quæ causa dicendi Apostolo fuit; *Sic currite, vt apprehendatis omnes*? Quod in agone terreno contrà est, vbi non potest lucta, nisi dispari luctantium sorte finiri, vt vnius gloria, alterius ignominia sit: in Christo autem quia multi vnum sumus, omnes vt vnus currimus: & omnium consors ad vnum bonum cursus est: & ideò dicitur nobis. *Sic currite, vt apprehendatis omnes*. Qui scissura (vt idem ait) in corpore esse non potest, cui caput Christus est, quem communem sibi apicem, vna membrorum suorum compago comitatur. Quæ quoniam sibi disserepare non possunt, curramus pariter, vt apprehendamus omnes, sine æmulatione inuidiæ,

cum

cum æqualitate victoriæ : vt sicut in contentione currendo, labor Christi sumus : ita in perueniendi fine, Christi triumphus esse possimus.] Agnoscit planè S. Paulinus, prærogatiuam propositam, esse ex Apostoli mente. Non habet quidem Græcus Apostoli contextus 1. Cor. 9. illud *omnes*, quod hic adhibere vidisti S. Paulinum. Rectè tamen illud expressit, quia ita fert mens Apostoli. Id quod S. Hieronymus Epistol. 28. quæ est ad Lucinum, manifestè demonstrat verbis illis. [Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. At contra de nobis dicitur. Sic currite vt apprehendatis. Non est inuidus Agonetheta noster, nec alterius palma, alteri parat ignominiam, omnes athletas suos, desiderat coronam. Apertè S. Hieronymus verbum indefinitè positum, perinde vult accipi, ac si vniuersali adiuncto nomine fuisset prolatum. Denique concertator secularium athletarum, si vincat, coronatur : noster, hoc est Satanas, si vincat, luit & plectitur. Quam nostram præter cæteras prærogatiuam, super athletas seculi, benè expendit Chrysost. homil. ad Neophytos.

*Vsus doctrinæ multiplex, circa primum agonem propositum. Certandum impigrè, nec deficiendum semel cadendo.*

1112 Cum ergo tantæ sint Athletarum Christi, præ seculi luctatoribus prærogatiuæ, mirum foret, tanta istos, tam aspera, pro re tantula ; nec nisi vni obuentura sustinere : Christi verò athletas, proposito immortali, & æterno, ac supra omne pretium eminente brauio, torpere, & aliquem in eo prehendendo laborem, supra verum offerre? Tertullianus scitè in Scorpiaco cap. 6. de secularibus athletis agens. [Ab æuo dignissimum creditum est studiorum experimentum, committere artes corporum, & vocum præstantiam expendere, præmio indice, spectaculo iudice, sententia voluptate : qua nulla sunt prælia, nonnulla sunt vulnera, pugni quassant, calces arietant, cæstus dilaniant, flagella dilacerant. Nemo tamen agonis præsidem sugillauerit, quod homines violentiæ obiectet iniuriarum actione extra stadiũ : sed quantum liuores illi & cruores & vibices negotiantur intendis, coronas scilicet, & gloriam & dotem, priuilegia publica, stipendia ciuica, imagines, statuas, & qualem potest præstare seculum de fama æternitatem, de memoria resurrectionem. Pyctes ipse non queritur, dolere se non vult, corona premit vulnera, palma sanguinem obscurat, plus victoriarum est quàm iniuriarum. Hunc tu læsum æstimabis, quem vides lætum? sed nec victus ipse, de agonotheta, casum suum exprobabit.]

Par studium, ac etiam tanto maius, quanto auctior est corona, à suis athletis omni iure deposcit noster agonothetes. S. Ambrosius egregiè lib. de Helia & ieiunio cap. 21. [Athletæ sumus, in quodam stadio decertamus spiritali. Denique bonus athleta dicebat; *Facti sumus spectaculum huius mundi.* Et alibi; *Sic curro, non vt in incertum : sic enitor, non vt aërem cædens, sed castigo corpus meum.* Et alibi; *Superiora obliuiscens, & quæ sunt priora appetens, ad destinatum sequor brauium.* Athletæ ergo sumus, legitimè certandum est. Multa certamina sunt, & qui hodie victus est, cras se reparet. Antè ad brauium contenditur, postea ad coronam. Numquid athleta otio vacat, cùm semel dederit certamini nomen suum : Exercetur quotidiè, vngitur quotidiè. Ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. Et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad competitionem coronæ, meditare, exercere, vngere oleo iustitiæ, vnguento exinanito. Cibus tuus, cibus sobrietatis sit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ. Potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepat : custodi corporis castimoniam, vt possis esse habilis ad coronam, ne existimatio tua ostendat spectatoris affectum, ne te fautores tui negligentem videant & deserant. Spectant te Archangeli, & Potestates, & Dominationes & illa Angelorum multa millia. Sub tantis spectatoribus erubescere, considera quàm dedecorosum sit. Ingressus stadium puluere rigorem animæ tuæ excita, lacertos excute. Progressus in scamma, necesse est vt excutias puluerem, subeas æstiui solis flagrantiam. Grauis æstus, sed dulcis victoria. Molesta caligo pulueris, sed speciosa tolerantia. Nemo stadium puluerulentus ingreditur, sed puluerulentum reddunt certamina. Ibi colligitur puluis, vbi palma proponitur. Nemo interim nitidus coronatur ; puluerulentum decet victoria.]

1113 Quod si in vno agone, non steterit à nobis victoria, nec coronari contigerit ; at saltem in alio satagamus promereri coronam, ad quod Origenes hom. 4. in Psalmum 36. exemplo athletarum secularium adhortatur, his præter cætera [ Apostolus cur exempla palæstrici agonis assumpsit cum dixit; *Nemo coronatur, nisi qui legitimè certauerit*, nisi quia nos scire volebat legis certamina & agones, qui & de seipso ait *Sic pugno non quasi aërem verberans.* Et iterum; *certamen bonum certaui.* Quia ergo certamen nobis est & agon propositus, etiam legis agonem nosse debemus. Sunt athletæ qui in omnibus certaminibus vincunt, & in omnibus coronantur. Inter pædas vincunt, inter agonios vincunt, inter andras vincunt. Alij vincuntur inter andras, sed coronantur inter agonios, nonnunquam etiam inter andras vincunt. Ergo aliquanti semper, aliquanti secundò vel tertiò coronantur. Certè miserum est, & vltimæ infelicitatis, in omnibus agonibus tam variis atque diuersis, ne vnam quidem promereri coronam. Ita ergo & Christianus, cui certamen est non aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs principatus & potestates & aduersùs principes huius mundi, tenebrarum harum, aduersùs spiritalia nequitiæ in cœlestibus, quum tantos habeat & tales aduersarios, tanquam agonista vigilare debet, si fieri potest ; vt semper vincat quotiescumque conflixerit.] Quos vocat *pædas, agonios, & andras*, illi ipsi sunt, quos S. Ambrosius vt suprà referebam vocauit *pueros, ephebos, viros* : complectuntúrque omnes ætates, ad certamen proportionatum annis, admissos.

Quod ergo illi tentabant, & nobis tentandum, ac Christo agonotheta in nobis certante perficiendum, vt sanè perfecerunt illi, ( vt vocat idem Origenes hom. 11. in Exod. ) *magni, potentes athletæ*, quos ibi enumerat. Tantùm cauendum, quod Isidorus Pelus. monet. l. 2. epist.

179. & lib. 3. epist. 60. & lib. 1. epist. 4. ne tempora confundamus, & in tempore certaminum capiemus quietem. Profecit ex Magistro, cuius illa sunt hom. 5. in ad Heb. *in Morali*. [Ne quæramus remissionem. Christus enim afflictionem promisit suis discipulis. Et Paulus dicit. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur.* Nullus fortis Athleta, in certamine quærit lauacra, & mensam repletam cibis & vino. Hoc non est Athletæ, sed viri mollis & effœminati. Nam athleta pugnat cum puluere, oleo, calore radij, cum multo sudore, afflictione, & angustia certaminis. Hoc est tempus pugnandi. Ergo & vulnera accipiendi, & sanguinem effundendi, & dolendi. Audi quid dicat Beatus Paulus; *Sic pugno, non tanquam aërem verberans.* Existimemus totam vitam esse ad certamen constitutam, & nunquam quæramus requiem. Nunquam si affligamur, aliquid noui & alieni nobis accidisse putabimus: siquidem neque pugil noui & alieni sibi putat accidisse, quando est in certamine. Aliud est tempus remissionis; per afflictionem, nos oportet perfici.]

### *Damna segnium Athletarum; Imitandi naui.*

1114 Quid quod professus athletam, nec impigrè certans, non modò corona excidet, sed etiam flagella & damna sustinebit? Origenes hom. 3. in Ierem. pulchrè id exponit. Nec tamen debere inde athletæ timorem fieri, sic docet. [Legi alicubi quasi Saluatore dicente, & quæro siue quis personam figurauit Saluatoris, siue in memoriam adduxit, an verum sit hoc quod dictum est. Ait autem ipsi Saluator: *Qui iuxta me est, iuxta ignem est: qui longè est à me, longè est à regno. Vt enim qui iuxta me est, iuxta salutem est, ita & iuxta ignem est. Et qui audiens me, & audita præuaricans, factus est vas iræ præparatū in perditionē, cū iuxta me est, iuxta ignem est. Si verò quis cauens, quoniam qui iuxta me est, iuxta ignem est, longè factus fuerit à me, ne iuxta ignem sit, talis quidem longè futurus est & à regno.* Et quomodò Athleta qui non est in agone cōscriptus, neq; flagella metuit neq, expectat coronā: qui autē semel nomē professus est, si victus fuerit, verberatur atque proiicitur, si verò vicerit, coronatur: eodem modo qui ingressus est Ecclesiam, (ô Cathecumene ausculta,) qui accessit ad sermonem Dei, nihil aliud quàm conscriptus est incertamine pietatis: & conscriptus si non legitimè certauerit, cæditur flagellis, quibus non verberantur ij, qui non in principio conscripti sunt. Si autem contenderit fortiter ad fugienda verbera & contumelias, non solùm iniuria liberabitur, sed incorruptam gloriæ accipiet coronam.]

Exprimendi ergo imitatione naui athlætæ, cuiusmodi sanctum Paulum his verbis exprimit sanctus Augustinus 14. Ciuit. capite nono. [Illum optimum & fortissimum virum, qui in suis infirmitatibus gloriatur, vt eum potissimùm commemoremus, qui in Ecclesiam Christi ex gentibus venimus, Doctorem Gentium in fide, & veritate, qui, & plus omnibus suis Coapostolis laborauit; & pluribus epistolis populos Dei, non eos tantùm qui præsentes ab illo videbantur, verùm etiam illos qui futuri præuidebantur, instruit: illum, inquam, verùm Beatum Paulum, athletam Christi, doctum ab illo, vnctum de illo, crucifixum cum illo, glorioſum in illo, in theatro huius mundi, cui spectaculum factus est, & Angelis, & hominibus, legitimè magno agone certantem, & palmam supernæ vocationis in anteriora sectantem, oculis fidei libentissimè spectant.]

Optimè Cassianus lib. 5. de instit. cap. 18. [Apostolus colluctationis genus se vicisse testatur, dicens: *Sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & seruitui subiicio.* Quod propriè ad continentiæ labores, & corporale ieiunium, atque afflictionem carnis, pertinet: Per hanc se pugilem quemdam strenuum suæ carnis esse describens, nec in vanum aduersus eam ictus continentiæ exercuisse designans, sed triumphum pugnæ mortificatione sui corporis acquisisse: quo verberibus continentiæ castigato, & cæstibus ieiuniorum elisо, victori spiritui immortalitatis coronam & incorruptionis contulit palmam. Vides legitimum colluctationis ordinem, & spiritalium certaminum contemplatis euentum; quemadmodùm athleta Christo adeptus de tebellatrice carne victoriam, subiecta illa quodammodò pedibus suis, vt sublimis triumphator inuehitur. Et idcircò non currit in incertum, quia confidebat vrbem sanctam Hierusalem cœlestem se protinùs ingressurum. Sic pugnat, ieiuniis scilicet & afflictione carnali, non quasi aërem verberans, ideſt, in vanum ictus continentiæ potrigens, per quos non aërem vacuum, sed illos spiritus qui in eo versantur, castigatione sui corporis verberabat. Qui enim dicit; *Non quasi aërem verberans*; ostendit se, tametsi non aërem vanum, & inanem, aliquos tamen in aëre verberare.] Ex Ambrosio in Psal. 36. insignem in hanc rem locum suprà, dedi.

### *Transitum ad priorem stadij agonem, qui est equitum.*

1115 Alterum genus agonis nostri, quod sub Christo agonothetæ ineundum, & hic attingendum proponebam, eorum est, qui in stadio currunt, siue singulari equo insidentes currant, siue currum agitent. Priorem currendi agonem, Ethnicis quoque frequentatum, vt videre est apud Bulengerium libro de Circo capite 56. notasse videtur sanctus Paulus cum de seipso dixit *bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui: in reliquo, repositа est mihi corona iustitiæ.* Ad quæ verba, Autor Hypognostici apud Augustinum lib. 3. capite 8. insigniter planè prosequitur, quod Christi gratia, atque adeò ipse Christus insidens; hominem regat, vt ad metam æternæ vitæ, & brauium fœlicitatis perducat. [Rectè namque arbitror (ait autor ille, post prolatum prædictum locum Apostoli,) comparari liberum arbitrium iumento: vnde & dictum est, *velut iumentum factus sum apud te*, gratiam verò sessori: quia sicut iumentum, animal viuacissimum, vt dometur ad opus homini necessarium, de armento vagum apprehenditur, & incipit per curam domantis se, ad eius proficere voluntatem, ita & liberum arbitrium, quod vulneratum viuit in homine, gratia Dei apprehenditur de armento luxuriæ seculi,

seculi, in quo sub pastore Diabolo vagæ atur per incongruas voluntates. Pastorem Diabolum dixi, secundùm Zachariam Prophetam, de eo dicentem: *O pastor & idolum!* Apprehenditur ergo gratia, vt dixi, ad domandum liberum arbitrium, vt & malæ conuersationis depositâ feritate humilietur, & vt ad obediendum in opus Domino necessarium corrigatur, & ita per eius semper curam, incipiat in Dei proficere voluntatem. Sicut enim iumentum illud dum in via dirigitur, sessoris manu regitur, vt iter rectum, siue leniter, seu cursim, secundùm sedentis in se voluntatem possit incedere, quoadvsque ad locum perueniat destinatum, ita & liberum arbitrium; dum in via, ideſt, in Christo, (quia ipse ait. *Ego sum via, veritas, & vita,*) cœperit esse; gratiæ regimine regitur, vt in semitis Domini, recto corde, siue patientia charitatis, siue feruente spiritu, ideſt, secundùm diuisiones gratiarum spiritus, qui per gratiam diuidit singulis provt vult, possit ambulare, quoad vsque ad promissum regnum cœlorum perueniat. Ideò & in Psalmis ait, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et tu illud, cum aliquoties sub sessore, pastum largioribus cibariis, incumbens freno, cursu extollitur, sessoris flagello cæditur, vt secundùm eius ambulet voluntatem, similiter & liberum arbitrium, dum homo gratiæ Dei immemor in prosperis efficitur, & tanquam de sui possibilitate gloriatus extollitur, eius flagello corripitur, cùm in variis tribulationibus & afflictionibus paululùm subiugatur: vt humiliatus homo, in sua infirmitate ad gratiæ recurrat auxilium. Sicut ergo homo sedens in iumento, cùm peregerit quod incessit, dicit. Feci hodie (vt puta,) triginta milliaria: cum illo sedente, iumentum cucurrit triginta milliaria, sed non ea cucurrisset, nisi à se sessore, tam directum in via, quam gubernatum fuisset; recte ergo sessor quem gratia figurat, dicit, feci triginta milliaria. Ipse enim fecit, qui iumentum facere fecit, & tamen vtrisque labor itineris imputatur. Ita & gratia, & liberum arbitrium, peragit sine dubio iter fidei liberum, dum Dei Christianus facit præcepta. Sed non, (vt suprà dixi,) sine gratia dirigente vel gubernante, propter quod dicitur in Psalmis, *Dirige in conspectu tuo viam meam*: Et *à Domino gressus hominis diriguntur.*]

Philo item l. 1. de vita Mosis, adolescentem Mosem, probè agentem suum equum, ita describit. [Egressus deinde pueritiam, magis curam intendit, non vt quidam fræna laxans concupiscentiis, quamuis non deessent incitamenta plurima, quæ se vbertim offerunt in Regum domibus: sed sobrietate atque temperantia, tanquam habenis quibusdam eas cohibens, ne ferrentur impetu nimio; atque ita singulos affectus suapte natura impotentes & indomitos, cucurabat quantum poterat. Quod si alicubi decessisset ab officio, vel offendisset nonnihil, seuerè à seipso pœnas exigebat: & in vniuersum dabat operam, vt ad primos impetus animi resisteret, quasi contumacem æquum obseruans; nimirum ne inuito auriga ratione, cursum plus satis accelerantes, confunderent pertutbaréntque omnia. Hæ sunt enim bonorum & malorum origines: Bonorum, si ratio teneat imperium: Contrariorum, si affectus dediscunt obedientiam. Meritò igitur stupori erat omnibus familiaribus, tanquam nouum naturæ miraculum.]

*Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.*

*Paulus in hoc agone, qualis.*

1116 Et hîc quoque, Apostolum tanquam huius agonis ideam Christianis omnibus propositam, exhibet Cassianus l. 5. Instit. cap. 18. cum ait. [Apostolus agonem cursus se consummasse describit, cum dicit; *Sic curro, non quasi in incertum*; quod specialiter refertur ad intentionem mentis, & feruorem spiritus sui; quo, toto Christum sequebatur ardore, cum sponsa decantans: *Post te in odorem vnguentorum curremus*, & iterum: *Adhæsit anima mea post te.*] Et anteriori cap. 17. expendens locum ex 1. Cor. 9. quo Apostolus profitetur, se currere non quasi in incertum. [Non currit (inquit,) in incertum, qui obliuiscens posteriora, ad ea quæ priora sunt, extendit se, ad destinatum perseuerans brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu: quo semper dirigens suæ mentis obtutum, & ad eum omni cordis præparatione festinans, cum fiducia proclamat; *Bonum agonem certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Et quia se nouerat, post odorem vnguentorum Christi, præpeti conscientiæ deuotione infatigabiliter cucurrisse, cum fiducia infert, & dicit; *De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Et vt nobis quoque similem retributionis spem aperiret, si in agone cursus istius imitari eum velimus, adiecit; *Non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius:* participes nos coronæ suæ in die iudicij fore pronuntians, si diligentes aduentum Christi, non illum tantùm qui etiam nolentibus apparebit, sed etiam hunc qui quotidie in sanctis commeat animabus, victoriam certaminis castigatione corporis acquiramus.]

Paulinus item exquisitè Epist. 2.] Christus nobis magistrum dedit, quem imitatorem habebat, per quem ad ipsius Domini imitationem peruenire possimus. Nam ipse me magister in acie stare, in stadio currere, in agone luctari docet, liuidum faciens corpus suum, & quæ retrò sunt, obliuiscens: & in priora se extendens: atque ita fundatus in petra, vt etiam in infirmitatibus glorietur; & cùm infirmatur, tunc potens sit, omnia potens (vt ipse profitetur,) in eo qui confirmat suos, Christo, qui pro nobis pugnat, & vincit in nobis.]

*Equi substratio, & ad equitandum instructio.*

1117 Quomodò insternendus equus noster vt Christus ei lubens insideat, audi Ambrosium l. 9. in Lucam *ferè initio.* [Apostoli propria Christo vestimenta substernunt, quò facto gloriam Euangelicæ prædicationis præferrent. In scripris enim diuinis, plerumque vestimenta virtutes sunt, quæ gentium duritiam aliquantulum propria quoque virtute mollirent, vt inoffensa vecturæ felicis obsequia, sedulis affectibus exhiberent. Non enim mundi Dominum, forensi specie gestari dorso asinæ delectauit; sed vt latente mysterio, penetralia nostræ mentis insterneret, & in secretis animorum, intetiore concessu mysticus vector insideret, quasi quodam corpore diuinitatis infusus, regens mentis vestigia, lasciuiam carnis infrænans, vt ductu pietatis, assuetum populi gentilis edomaret affectum. Felices illos qui talem internis renibus recepere victorem.

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
T. VII
3



Felices planè illos, quorum ora ne multiloquio soluerentur, verbi cælestis habena restrinxit. Quæ est ista habena, fratres? Quis me doceat, quemadmodùm ora hominum, aut restringat, aut soluat? Monstrauit mihi habenam ille qui dixit. *Vt detur mihi sermo in apertione oris mei.* Sermo ergo habena est, sermo stimulus est; & ideò durum est tibi aduersùs stimulum calces mittere. Docuit igitur hic nos aperire ora, stimulum perpeti, iugum ducere. Doceat & alius linguæ retinacula pati. Rarior enim tacendi virtus est, quàm loquendi. Doceat planè illi, qui velut mutus, aduersùs dolum non aperuit os suum, paratus in flagella, & verbera non recusans, vt esset pia sessio Dei. Discè à domestico Dei, gestare Christum, quoniam priùs te ille gestabat, cum pastor errantem reduceret ouem. Discè sedula mentis tuæ dorsa substernere, discè esse sub Christo, vt possit esse supra mundum. Non quicumque, facilè vehit Christum; sed ille qui potest dicere. *Incuruatus & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.*]

De equo boni desiderij, & stramentis piæ deuotionis, sella circumspectionis, flagello de funiculis peccatorum, ac bonorum exemplorum calcaribus, quibus peccator fugit ad Deum, sed præ festinatione, omisso prudentiæ fræno, scitè S. Bernardus serm. 1. & 2. de pugna spirituali: quæ dimitto quia sunt extra stadium, in quo versamur. Vt & quæ de quo ad salutem fallaci, passionibus inquam, differit Origenes homil. 15. in Iosue.

### *Stadij agon posterior, qui aurigarum.*

1118 Perga ad posteriorem currentium in stadio agonem, qui est aurigarum, siue agitatorum. Et omnes quidem in nobis ipsis currum, & equos, & aurigam, vel insessorem à naturæ autore datum nanciscimur, vt docet S. Cyprianus in calce libri de bono pudicitiæ, his verbis. [Coërceat animus stimulos carnis: refrænet impetum corporis. Accepit enim hanc potestatem, vt illi ad imperium eius membra seruirent: & quasi legitimus ac profectus auriga, vltra concessas corporis metas extollentes se carnis impetus, cælestium præceptorum habenis reflectat: ne vltrà terminos suos, currus iste corporis raptus, in periculum suum secum & ipsum rapiat aurigam.]

Idem fusè prosequitur Philo l. de Agricult. qui aurigationis illius, vel potiùs insessionis malè obitæ, luctuosum exitum sic describit præmissa distinctione equitis, vel aurigæ, (quos pro eodem habet, quia his ascendentibus, ars simul equitandi vel aurigandi ascendit:) ab insessore, vel provt in Mosis cantico denominatur *ascensore*, qui non agit currum, vel equum, sed agitur, & abripitur in exitium; [Tuam si libet animam considera. Inuenies enim inter partes eius, & equos & aurigam ascensorem, sicut & extra te. Equi sunt, furor & concupiscentia, ille mas, hæc fœmina: ideóque ille vt mas, gestit elata ceruice libertatem appetens: hæc verò seruilior, & callidior, domum depascit ac deuorat, vt fœmina: insessor autem & auriga, vnus est, nempe intellectus: sed auriga tunc, quando ascendit cum prudentia: quando autè cum imprudentia, insessor est, Imprudens igitur piæ imperitia nõ potest habenas retinere, sed patitur elabi è manibus. At iumenta habenis libera, temerè discurrunt nullo ordine. Sessor verò præ imbecillitate sistinere se non valens, decidit: & laceris genibus, manibus, faciéque malè mulctatus miser, deflet suum infortunium; nonnunquam autem pedibus in curra hærens, raptatur supinus, & tractum in orbita caput, ceruicem, humerosque ambos consauciatur. Deinde hûc illûcque distractus & illisus omnibus passim obiacentibus, miserrimo genere mortis extinguitur. Et huic quidem talis exitus obuenit; Currus autem iam leuior, & violentè quassatus, vbi in solum inæquale inciderit, facilè frangitur, vt instaurari non possit & compingi denuò. Iumenta autem omni retinaculo liberata, concitantur & efferantur, nec priùs desinunt currere quàm collabantur, aut in aliquam rupem delata, ipsa quoque intereant: atque ita currus animæ vna cum vectore totus perit per aurigæ insciciam.]

Scitè quoque Maximus Tyrius dissert. 25. *in fine.* [Quo humana conditio (inquit) minotem se esse diuina fateretur, propterea scilicet quòd animum terrestri corpori, tanquam aurigam imposuit currui, cuius & habenarum sustinendarum, & incitandi vim esset habiturus: huic enim aurigæ simul aurigandi artem, virésque tradidit: simul etiam liberum abutendæ artis arbitrium dedit, qui postquàm insenderit currum, & habenas acceperit, siquidem felix beatúsque animus sit, memoriámque habeat, se iussu Dei sublatum esse in currum, validéque aurigationem regere debere, nimirum habenas moderatur, regitque currum, & equorum temeritatem contundit. At equi diuersùm appetunt cursum, temeréque huc atque illuc rapiunt cursum, hic ad petulantiam, ingluiem, ac contumeliam; ille ad temeritatem atque fetociam; alius verò tarditatem, mollitiem, segnitiem, fatuitatem, atque humilitatem sectatur: cuiusmodi seditionibus distractus currus, aurigam conturbat: & si equorum vnius impotens vis cæteros vincat, fertur currus pro libidine victoris. Quo fit, vt victrice interdum petulantia, vna currus & auriga ad contumelias, conuicia, impuritates, atque alias nefarias minimèque syn-ceras voluptates: interdum verò dominante iracundia, in multas variásque calamitates, vterque feratur in præceps.]

### *Currus nostri rota à Christo agitandæ, semoto Phaëtonte nostro.*

1119 Nihil procliuius, quàm vt infaustum illum exitum consequamur, ni Christus currum nostrum ipsemet agitet, & regat. Eius currus rotas quatuor, provt non naturaliter tantùm, sed etiam supernaturaliter currit, sic describit Philippus Abbas Epistola 15. *sub finem.* [Videtis, quia cum misericordiæ veritas, vt dignum est, obuiat vel occurrit, adest statim iustitia, iustitiæ pax occurrit: firmúmque fœdus feriunt, & sese redigunt in quadrigam, cuius suæ quadraturæ Christum ducem constituunt, vel aurigam. Prima rota, est Misericordia, quæ in bonis semper operibus antecurrit. Secunda est veritas, quæ necessariò mox occurrit: quæ vno eodémque iunctæ axe, pariter gaudent ferri, pari cursu

cursu procedere, & à se inuicem non auferri. Quod si veritas Misericordiæ læso consilio subtrahatur, cadit biga, iacet inefficax, & in nihilum reputatur, & vno carens pede, alterique debito plus innixa, moueri non prævalens, tanquam limo, profundiùs est infixa. Pars quadrigæ posterior, primam Iustitiæ ponit rotam, virtutum præcedentium sequacem siue comitem irremotam: dum quod illæ occursu mutuo diligant operari, commendat Iustitia dignum iudicans munerare. Ad quod remunerādume, Pacem continuò vult adesse, quæ conscientiam operantis, à diffidentia secutam facit esse; quæ ab illa mordaces timoris aculeos alienat, dilectionem fouet, fidem promouet, spem serenat. Vnde Paulus, *Reddet mihi Dominus iustus iudex.* Iustitia igitur & Pax, vno axe itidem coniunguntur, & præcedentium copulam pari consortio prosequuntur: & his ritè dispositis, vehiculum fit quadratum, ordo rectus agitur, opus redditur consummatum. Huiusmodi vehiculo, quod prædicto rotarum constat numero conquadrari, nostra debet conuersatio solidari: vt innixa & subnixa tali præsidio, securè prouehatur, & proiectu salutari, de imis ad superos feliciter euehatur. Sine hoc quippè vehiculo, nullius ad perfectum operatio potest vehi; sine hoc in excelsum non est raptus Helias magister Helisæi: sed huius quadraturam in Magistro discipulus recognoscit, cum illius spiritum, dupliciter adfore sibi poscit: *Spiritus*, (ait,) *qui est in te, duplo sit in me.*]

Vt tamen secura & tuta sit vectio, amouendus est rector Phaëton; ideſt, nos ipsi non debemus currum agere, sed Christus. Quare Ecclesia, & pia quæuis anima, de hoc suo agitatore gloriatur Cantic. 6. cum ait, *posuit me currus Aminadab*, quod ita exponit S. Ambrosius l. de Nabuthe cap. 15. [Legimus alibi, dicentem Ecclesiam siue animam; *Posuit me currus Aminadab.* Si ergo anima currus est, vide ne equus, caro sit: agitator autem, vigor mentis, qui regit carnem, & motus eius velut quosdam equos, prudentiæ habenis coërcet. Dormitauerunt ergo qui ascenderunt equos, corporis voluptates, nullo eas moderamine gubernantes. Vnde & ascensores eos, quàm equites vel agitatores malùit nuncupare. Agitator enim cum disciplina & arte pro arbitrio suo equos agitat, vel currentes incitat, vel reflectit indomitos, vel reuocat fatigatos, vel mansuetos pro sua voluntate cōuertit. Vnde cum reciperetur Helias, & curru quasi ad cœlum ferretur, clamauit ad eum Helisæus, *Pater, Pater, agitator Israël, & eques eius*, hoc est, qui populum Domini bono ductu regebas, constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes, quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobauit. Ideò tanquam boni auriga certaminis, victor æterno præmio coronaris. In Habacuc quoque Propheta, lectum est, ad ipsum Dominum dictum; *Ascende super equos tuos, & equitatus tuus salus.* Agitauit enim Apostolos suos, quos per diuersa mundi direxit, vt toti orbi Euangelium prædicarent. *Ascende*, (ait,) *quasi rector equorum*, non quasi ascensor. Ascendit enim eques, non tantummodò vt sedeat, sed vt regat.] Eodem recidit quod S. Chrysostomus hom. 14. in ad Rom. ad illud *qui spiritu Dei aguntur*, seruos Dei, vt agitatos equos, spiritui auriganti subiicit, spiritus quippe ille est ipsemet Christi Spiritus.

Sunt aliqui sanè sub Christo, agitatores currus nostri, sed super omnes, & in omnibus Christus, qui in bonis omnibus præfectis, moderatur & regit. Heliam rectorum populi typū, his verbis depingit Chrysostomus homilia de Ascensione Heliæ. [Oportebat errantis populi rectorem, gubernatorem factorum, moderatorem discrepantium voluptatum, Israëlis aurigam, qui ad iugum timoris Dei lasciuos & vagos animos reuocauit, frœnis lorisque adstrinxit, & ad iter disciplinæ recto tenore currendum concordi quadam copulatione composuit ad regna cœlestia curru atque equis transuolare euectum. Hinc Poëtas atque pictores, in figuranda Solis imagine exempla credo sumpsisse: Qui curru atque equis fulgentibus ipse rutilans, atque radians, & fluctu Oceani subleuatur inter præruptos montium scopulos euadens, quasi ad cœlestia videtur ascendere, in similitudinem nominis eius inductus. Sol enim Græco sermone, *Helios* appellatur. Vnde *Helias* verè *Helios* quoniam curru atque equis fulgentibus igne, de Oceani fluctu, ideſt de mundi commotione, per montium scopulos, ideſt per magnorum laborum difficultates progrediens, ad cœlestia deuectus ascendit.] Allegat hunc Chrysostomi locum, & eius doctrinam ratam habet, confirmatque ex Sedulio lib. 1. Operis Paschalis metricè conscripto, Beda q. 27. ad libros Regum. Tales, omnes propositos, nobis regendis à Deo constitutos contemplemur, sed in omnibus regit & moderatur Christus.

## *Currus Christi, in homine.*

1120 Sumus nos quoque agitatores & rectores currus nostri, quia cum libero potiamur arbitrio diuinitùs indulto, possumus currum mentis, quò libuerit flectere. Sed quia si soli currum nostrum regamus, ad certum exitium ruimus; cum autem benè regimus, rector primarius & agitator, cui gloria rectæ aurigationis debetur, Christus est; propterea simpliciter pia anima agnoscit quod se ad Christum habeat, vt currus, non vt agitator. Præclarè idipsum habet alio loco S. Ambrosius: nimirum l. de Isaac. cap. 8. [Rector noster, (inquit,) Christus est. Ideóque ait anima, *Posuit me currus Aminadab.* Anima ergo currus, qui bonum rectorem sustinet. Si currus est anima, habet equos, vel bonos, vel malos. Boni equi virtutes sunt animæ: mali equi, passiones sunt corporis. Bonus ergo rector, malos equos restringit & reuocat, bonos incitat. Boni equi, sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, & aut iracundia protendit, aut timor, & se inuicem impediunt, & rursum retardant. At verò boni equi volant, & à terris ad superiora se subrigunt animámque eleuant: maximè si iugum habeant suaue, & onus leue, dicentis, *Tollite iugum meum super vos; iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Ipse rector est, qui nouit equos proprios gubernare, vt æqualis omnium cursus sit. Velociores prudentia tardat, iustitia admonet flagello proprio segniores, temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit;

nouit copulare discordes, ne fortè currum suum dissipent. Itaque licet intelligibili spectaculo, videre vnamquamque animam cum summo certamine ad cœlum rapi, festinantes equos qui priores perueniant ad brauium Christi, quorum priùs imponatur palma certuicibus. Isti sunt equi subiecti fidei iugo, astricti vinculo charitatis, iustitiæ frænis, retinaculis sobrietatis. Pulchrè ergo ait; *Posuit me currus Aminadab*, hoc est, pater populi. Ipse autem qui pater populi, idem pater Naason, ideſt serpentum. Iam recole quis ſicut, ſerpens in cruce pependerit pro ſalute vniuerſorum, & intelligis illam animam eſſe pacificam, cui pater Deus præſul ſit, Chriſtus agitator: quia ſcriptum eſt & hoc nomen in noſtris; *Pater, Pater, agitator Iſraël*. Hic ergo agitator dicit; *Conuertere Sunamitis, conuertere*. Benè & quaſi agitator, & quaſi ad currum dicit, *Conuertere Sunamitis*, hoc eſt pacifica. Quæ enim pacifica eſt anima, citò ſe conuertit & corrigit, etiamſi ante peccauit, & magis eam Chriſtus aſcendit, & regere dignatur, cui dicitur, *Aſcende in equos tuos, & equitatus tuus ſanitas*. Et alibi, *Miſiſti equos tuos Tharſis*. Hi ſunt equi Chriſti. Aſcendit ergo equos ſuos Chriſtus, aſcendit Verbum Dei animas pias.] Plagulam ex hoc loco decerpſit, & allegoriam quam hìc proſequimur, confirmauit S. Auguſtinus 2. Contra Iulia. *ſub medium*.

Rurſus pulcherrimè S. Ambroſius lib. 3. de Virg. [Scriptum eſt; *poſuit me currus Aminadab*: eo quod anima noſtra coniungitur corpori, & velut quidam equorum frementium currus, rectorem ſui quærat aurigam. Aminadab enim pater Naaſon fuit, ſicut in Numeris legimus, qui erat princeps populi Iuda: cuius figura refertur ad Chriſtum, qui verus populi princeps animam iuſti, velut currum agitator aſcendens, verbi habenis gubernat, ne violentorum equorum furore, in abrupta rapiatur. Sunt enim eius velut quatuor equi, quatuor affectiones; ira, cupiditas, voluptas, timor. Quibus furentibus cum cœperit agi, nequaquam ſe ipſa cognoſcit. corruptibile enim corpus, animam grauat, & tanquam irrationalium animalium curſus inuitam rapit, voluentibus curis velut quodam impetu proruentem, donec memoratæ corporis paſſiones, verbi virtute miteſcant. Hæc verbi tanquam boni agitatoris eſt prouidentia, ne illi animæ quæ in ſe non eſt morti obnoxia, corpus mortale coniunctum, agitationem ſui faciat eſſe difficilem. Primò igitur hos veloces motus corporis domitet, & nexu rationis infrænet: diem caueat ne diſpari motu ſe velut equi implicent, vt bonum aut improbus decoloret, aut tardus impediat, aut turbidus inquietet. Fremit enim equus malitiæ, ſeſéque iactando, currum lædit, grauat iugalem. Hunc bonus auriga demulcet, & in campum veritatis emittit, fraudis declinat anfractus. Tutus ad ſuperiora curſus eſt, periculoſus ad inferiora deſcenſus. Inde quaſi emeriti qui benè portauerint iugum Verbi, vſque ad Domini præſepe ducuntur, in quo non fœnum eſt eſca, ſed panis qui deſcendit è cœlo. Huius currus rotæ ſunt, de quibus dixit Propheta; *Et ſpiritus vitæ, erat in rotis*: eo quod currus animæ teres & rotundus, ſine vlla oſtenſione voluatur.]

*De eodem curru, ex Ezechiele.*

1121 Locum ex c. 1. Ezechielis, quem ad rem præſentem protulit S. Ambroſius, accommodat ad eandem, & plenè illuſtrat S. Macarius tota propè homil. 1. ex qua deſcribo quædam huic loco magis apta. Poſtquam ergo vniuerſam viſionem provt apud Ezechielem deſcribitur, compendio retulit, ſubiungit. [Hoc autem ipſum quod in exceſſu mentis Propheta vidit, verum erat & certum: cæterùm quippiam etiam aliud myſticum & diuinum ſubindicabat ac repræſentabat; nempe myſterium quod à ſeculis reuera abſconditum eſt, poſterius autem temporibus in aduentu Chriſti manifeſtatum. Nam myſterium vtique contemplabatur animæ, quæ Dominum ſuum erat ſuſcepturа, & illi thronus gloriæ futura. Anima enim quæ digna habita eſt vt fieret particeps ſpiritus in lumine illius, & illuſtrata, eſt à decore inenarrabilis gloriæ eius, cùm præparauerit eam ſibi in ſedem & domicilium, tota lumen euadit, tota facies, & tota oculus; neque ſupereſt vlla pars illius, quæ ſpiritalibus oculis non ſit plena: hoc eſt, nihil habet tenebroſum, ſed tota prorſus fit lumen & ſpiritus, tota plena oculis, nullam habens partem à tergo; ſiue poſteriorem; ſed vndique faciem præ ſe ferens, ineffabili pulchritudine gloriæ luminis Chriſti, veniente in illam, & in ea reſidente. Et quemadmodùm Sol ſui planè ſimilis eſt, nullam habens partem poſteriorem aut inferiorem, ſed totus penitùs lumine ſplendet, & totus lumen eſt, & partium ſimilium: aut quemadmodùm in igne, lumen ipſius ignis totum ſibi ſimile eſt, nihil habens in ſe primum aut poſtremum, maius aut minus; ſic & anima quæ planè illuſtrata eſt ab ineffabili pulchritudine gloriæ luminis vultus Chriſti, & Spiritu ſancto repleta, ac digna quæ fieret domicilium & thronus Dei, tota oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, & tota ſpiritus euadit: nempe ſic eam adornante Chriſto, geſtante, agente, baiulante, & ducente illam, & hunc in modum illam inſtruente, & ſpiritali decore adornante. *Etenim manus*, (inquit,) *hominis erat ſubtus Cherubim*. Nam ipſe eſt qui illa vehitur, & illam dirigit. Quatuor autem animalia currunt vehentia, repræſentabant principales animæ partes & rationales. Nam quemadmodùm aquila, inter cæteras aues principatum obtinet, & leo inter feras, taurus autem inter animalia manſueta, & inter creaturas homo: ita quædam ſunt animæ portiones rationis capaces & magis præcipuæ, voluntas, ſcilicet, conſcientia, mens, & amandi facultas. Per has enim currus animæ gubernatur, & in illis Deus requieſcit.] Et inferiùs. [Quocirca ſeſſor ille vehitur & fertur in curru, & throno oculatorum animalium, ſeu ab vnaquaque anima quæ thronus illi facta eſt & ſedes, & quæ oculus eſt & lumen, cùm inſederit in illa; & cohibet illam frænis ſpiritus, provt nouit qui dirigat illam. Quemadmodùm enim animalia illa ſpiritalia, non pergebant quocumque liberet, ſed quò nouerat & volebat is qui ſeſſor erat, & dirigebat: ſic & in hac vita, cohibet ipſe & impellit dirigens Spiritu ſuo, ita vt proficiſcantur non pro arbitrio ſuo in cœlum cum voluerint: & abiecto corpore tractat & impellit animam

ſapientia

Sapientia sua, in cœlestia; & rursum cum voluerit, descendit in corpus & in cogitationes; denuò, cum libuerit, progreditur ad terminos terræ, & animæ reuelat mysteria. O præclarum, & bonum, atque solum aurigam verum! ] Concludit homiliam, demonstrans in hac Christi aurigatione situm esse vniuersum animæ bonum. [ Quapropter si factus es Dei thronus, & insidet in te, cœlestis auriga, & anima tua tota euasit oculus spiritalis, & tota facta est lux; si etiam enutritus es cibo illo spiritali, & hausisti ex illa aqua viua, atque induisti arcani luminis vestimenta; si denique tuus homo interior expertus, iis omnibus abundat; Ecce iam viuis vitam reuera æternam, amodò cum Domino anima tua requiescente. En adeptus es & accepisti hæc à Domino in veritate, vt viuas veram vitam. ]

Hæc quidem iam ex hac vita obtingunt animæ, quæ auriga Christo regitur, & agitatur; sed nihil hæc tametsi eximia & illustria, nihil inquam ad vitam & beatitatem, quam comprehensoribus decurso fœliciter stadio, & reportata victoria, reponet optimus Agonotheta. Palmæ nomine, tanquam plenitudo victoriæ exprimitur. Hæc animæ quam Verbum rexit, & agitauit remuneratio. Audi S. Ambrosium lib. de Isaac c. 8. [ Ascendit ergo equos suos Christus, ascendit Verbum Dei animas pias. Vnde cognosce quia & istam ascendit, & perduxit eam ad locum palmæ, quando & dicit ad eam. *Quàm pulchra & suauis facta es charitas, in deliciis tuis? Statura tua similis facta est palmæ.* Et ipsa ait, *Dixi, ascendam in palmam.* Sed etiam ipsa charitas palma est. Ipsa est enim plenitudo victoriæ. Plenitudo enim legis, charitas est. Curramus ergo, vt comprehendamus: curramus, vt vincamus. Qui vincit, ascendit in palmam, & manducat fructum eius. Qui vicit, iam non currit, sed sedet; sicut scriptum est. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in sede mea, sicut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in sede ipsius.* Hinc Philosophi, curulia illa animarum in suis libris expressere certamina, nec tamen ad palmã peruenire potuerunt, quoniam summitatem verbi & altitudinem illam animæ nescierunt, quam cognouit hæc anima, in qua erat verbi conuersio. Sic enim ait, *Ego fratri meo, & super me conuersio eius.* Hunc sensum tertiò repetiuit diuersè in Canticis Canticorum. In principio ait. *Frater meus mihi, & ego ei, qui pascitur in liliis, vsque dum aspiret dies, & amoueantur vmbræ.* Deinde ait, *Ego fratri meo, & frater meus mihi, qui pascitur inter lilia.* In fine ait. *Ego fratri meo & super me conuersio eius.* Primùm ad institutionem animæ, ideò & præmisit. *Frater meus mihi.* Illo enim demonstrante se, etiam adhærendi Deo sumpsit affectum. Quod sequitur, secundùm profectum; Tertium secundùm perfectionem. In primo, quasi in institutione, adhuc vmbras videt anima, nec dum Verbi appropinquantis reuelatione commotas; & ideò adhuc ei dies Euangelij non refulgebat. In secundo, sine vmbrarum confusione odores pios carpit. In tertio, iam perfecta requiem in se Verbo ministrat, vt conuertatur super eam, & caput suum reclinet, atque requiescat. ] Accipit, (vtvides,) S. Ambr. conuersionem Christi sponsi ad animam sponsam, pro reclinatione, & quiete in ea, tanquam in throno & sella curuli sua.

### *Christi potestas, in cordis nostri aurigatione, & rectione.*

1122 Sed neque incommodè, equestrem hanc vocem, qua designari vidimus facilem equorum & currus ad aurigæ nutum circumactionem, vsurpatam eo loco dixerim à sponsa significante facilem ad preces suas & vota inflexionem sponsi; sicut & ipsa, sponsi voluntatem habet pro habenis, quibus circumducitur, & summa cum docilitate agitur quaquaversum. Vnde datum Christo ab Isaia c. 9. nomen *admirabilis*, censuit S. Bern. ser. 2. de Circumcis. Quod si S. Chrysost. in psal. 13. Imperatorem, *primum orbis aurigam* dixit, quanto potiore iure, id de Christo dixerim? Suspicit meritissimò, hanc Christi rectoris ac velut aurigæ, ad corda hominum regenda potestatem S. Paulin. Epist. 29. *sub finem*; idque ait esse quod Sap. 7. dicitur, sapientiam per electas animas semet immittere. Ideò Christum Dei sapientiam, vbique se gentium, verbi voluntate circumferre, & virtutem virtutum, ac mentem mentium, se prodere, cum dispergit superbos à mente cordis ipsorum, per beatissimam (vt vocat,) mentis ac vitæ immutationem. Et quamuis ait ostendi in paucis, quod omnibus si velint prosit, (sufficit enim vniuersorum institutioni forma paucorum.) Tamen ea paucitas & varietas sequentium aurigæ Christi ductum, spectat tantùm multitudinem multo ampliorem, eorum quibus specialis ille fauor, ex Christi agitatoris cura non obtigit. Qua ratione Orig. l. 3. contra Celsum, ganniente Celso quod Christum pauci sequerentur, initio respondet. [ Fuisse quidem ab initio paucos Christianos, collatos ad posteriora tempora constat, quamuis non omnino pauci erant, hoc enim inuidiosam fecit Iesum: & Iudæos conciuit ad illi struendas insidias, quòd quaterna quináve millia hominum sequebantur eum vsque in solitudines, non annumeratis mulieribus & pueris tanta vis attrahendi, velut linx quædam inerat Iesu sermonibus, vt non solùm viri, sed etiam fœminæ, omissa imbecillitatis & existimationis cura, persequerentur eum haud grauatim vsque in solitudines doctrinæ gratia: nec minùs pueri omni alioquin affectu carentes, siue illi parentes, sequerentur, siue potiùs diuina quadam vi adducti, illius desiderio faciebant iter vna cum genitoribus. ]

Vel certè ea paucitas de qua agebat S. Paulinus, spectat tantùm illos, in quibus Christus ipse degens in terris, potestatem hanc suam agitandorum & regendorum humanorum animorum, voluit esse manifestam atque testatam, qui non fuerunt sanè adeò multi. Fuerunt tamen aliqui, & vt cætera exempla superiùs proposita premam regustare duntaxat placet, exemplum S. Matthæi, quo Christus initio prædicationis suæ, Regem se cordium, & voluntatum aurigam prodidit. Et addere possumus exemplum quod sub finem vitæ Christi Domini exhibitum est, missis Discipulis ad soluendum pullum & asinam; & populis ad triumphum Christo decernendum & exhibendum commotis; nec non Domino domus persuaso ad cœnaculum grande stratum, (quod sibi & familiæ, vt verisimile est destinarat,) externo homini concedendum. Nam de miraculo subitationis salutis

in

in latrone, satis superque suo loco actum iusto opusculo, vt non sit opus hîc denuò id versare.

### *Exempla illustria aurigationis cordium per Christum hîc superstitem; S. Matthæus.*

1123 Christi igitur aurigæ sapientiam atque potentiam in S. Matthæi conuersione, is facilè capiet, qui Matthæum Publicanum fuisse perspicuum habuerit. Est autem publicanus, (vt definit S. Chrysostomus t. 5. Græcol. serm. 56. & 68.) [Limes improbitatis vltimus, libera violentia, rapina sine reprehensione.] Christus ipse Matthæi 5. vt deploratæ conscientiæ homines notaret, Publicanos protulit, dicens, *Si diligitis eos qui vos diligunt, nónne & Publicani hoc faciunt?* q. d. non esse id eximium, cum etiam pessimi alioqui homines, idem præstarent. Teterrima sunt quæ de huiusmodi carniuorarum auium veréque harpyarum in Iudæa factis, recitat Philo de specialibus legibus *sub finem*, agens de pœna rei in cognatos non transferenda; vbi describit Publicanos, vt genus barbarum, & colluuiem hominum inuigilantium exsugendo generi suo, & ebibendo humano sanguini; Quod Saluianus quoque l. 5. de Prouid. expostulauit. Ex hoc igitur numero hominum, erat Matthæus. Quod tonitrui, quiúve fragor vehementissimæ orationis, hunc in sceleribus soporem excusserit? Quanta, quàm diuturna, quámque attenta necessaria fuerit industriæ ad persuadendum, vt aurum cui incubabat, abiiceret? Vt euaderet in virum frugi & vulgari modo probum?

En veri animorum rectoris industriæ, simul ac potentiæ specimen planè insigne. *Cum transiret Iesus*; neque enim hæsit, vel longa oratione, aut mirabilis alicuius operis patratione hominem perculit; sed cum transiret, & Matthæum in telonio nihil minùs cogitantem aduertisset, duobus hisce verbis, ab auro suo à rationibus à re domestica, quæ illi (vt grande conuiuium mox exhibitum docet,) copiosa erat, hominem auulsit; *sequere me*. Nec ille comperendinauit, aut componendorum duntaxat negotiorum gratia, breuem moram poposcit, causatus debitores apud quos periclitaturæ essent pecuniæ, non receptis fortasse collybisticis chirographis. Non obserandi saltem telonij, spatium expetiit: sed vt audiuit fundentem inter transeundum quatuor illas syllabas, *surgens secutus est eum*; factus momento doctor misericordiæ, qui auaritiæ fuerat institutor, ait Chrysologus serm. 30. Constat, inter nos, qui in fidei Christianæ luce viuimus eruditi à pueris & formati ad vitam sanctam atque perfectam, quantum est ex Ecclesiæ constitutione & fundamentariis legibus quæ neminem Christianum latent; si orator dicendi facultate instructissimus, copioso verborum & rationum torrente, propositis æternis præmiis ex huiusmodi genere discolarum pecuniæ, (vt cum Cypriano loquar) vnum aliquem adoriretur, ægrè perfecturum, vt alienis abstinens, contentus viueret suis, aut de malè partis restituendis, consilium iniret. Quæ igitur par sit oratio, celebrandæ huic Christi in Matthæi pectus potentiæ, quæ hominem quæstus faciendi adeò studiosum, vno & altero verbulo, ad rerum omnium contemplationem subitò adduxit?

Despondeo aliquid par huic cordis Matthæi aurigationi per Christum. Quare ab eo, illud primùm ex S. Gregorio 20. moral. cap. 4. præfatus, hoc planè esse, quod de se Iob in Christi persona cap. 29. pronunciat; *si voluissem ire ad eos, sedebam primus.* [Quia enim (sicut scriptum est,) omnia operatur, secundùm consilium voluntatis suæ, non secundùm nostrum meritum: sed quia ipso ita vt vult, visitatione suas nos Dominus illustrat; Itaque & cum vult venit; & cum venerit, primus sedet: quia & aduentus eius in corde nostro gratuitus est: & appetitus eius desiderij in cognatione nostra, æqualis cæteris desideriis non sit. Sequitur, *Cúmque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Quasi Rex Dominus sedet in corde; quia circumstrepentes regit animorum motus in nostra cogitatione. In mente quippe quam inhabitat, dum torpentia excitat, inquieta frænat, frigida accendit, accensa moderatur, emollit rigida, fluxa restringit: ex ipsa hac diuersitate cogitationum, quasi quidam illum exercitus circumstat.]

### *Dominus asinæ & pulli, ad Christi triumphum abductorum.*

1124 Nec minùs se Regem humanæ voluntatis ac animorum aurigam prodidit Christus, sub extremam vitam, cum aduentante tempore quo fœlici clausula labores suos obsignaturus erat, triumphantis specie Ierosolymitanam vrbem ingressurus, mandauit duobus è discipulis, vt in Castellum, in κώμην, *oppidulum* aut *mapale*, quod contra erat, profecti; asinam & pullum quæ alligata reperturi erant, soluerent, & ad ipsum adducerent. Quod si superueniens aliquis reclamaret, illud vnum dicerent, *Dominus his opus habet*; nec dubitarent, quin illicò sinendi essent ea animalia abducere. Hoc insigne planè est, Christi cordium rectoris, & quo voluerit ea agitantis, specimen.

Quod vt perspiciatur, obseruandum est, perperam Lyranum Matthæi 21. & Comestorem in Historia scholastica, censuisse pullum & asinam sub nullius dominio fuisse, sed ad pauperum vsum, pro necessitate, in castello Ierololymis non procul dissito, fuisse exposita. Hoc manifestè redarguitur illis S. Lucæ verbis c. 19. *soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius, ad illos, quid facitis soluentes pullum? Et Domini eius.* Perperam item Catharinus, agnoscens hæc animalia verè Domini alicuius fuisse, Christum ea mendicato & suppliciter accepisse dixit, quod vnde collegerit non video. Nullum quippe verbum in tota hac narratione, apud Euangelistas varios, sapit mendicationem, vel supplicem petitionem: sed discipuli bini illo missi, iubentur nemine prærnonito, soluere animalia & adducere, ac si quis superueniens domesticorum obstare velit, monentur dicere *Dominus his opus habet.* Quæ non est supplicis deprecatio, sed imperantis potiùs, séque gerentis pro eo qui de re disponere possit pro arbitratu, & independenter ab eo, penes quem est.

Addit

Addit quidem S. Matthæus ad verba proposita, *Dominus his opus habet*, hæc quæ sequuntur, *& confestim dimittet eos*; quæ verba Autor imperfecti operis in Matthæum, ita accepit, vt sensus sit, Dominum Iesum, qui opus haberet iis animalibus, confestim ea remissurum. In quo sensu, ea verba sapiunt demissionem & deprecationem, vt annuant abduci animalia, post breuem vsum remittenda. Verùm S. Marcus cap. 11. eam verborum S. Matthæi interpretationem manifestè repellit, monstrátque sensum esse, animalia continuò dimittenda fore à Dominis. *Dicite* (inquit,) *quia Domino necessarius est, & continuò illum dimittet huc.* Ex mox recitata reclamatione domesticorum, cum viderent ab incognitis solui pullum, addit S. Marcus, *qui dixerunt eis, sicut præceperat illis Iesus, & dimiserunt eis.* Constat ergo, dimissionem cuius S. Matthæus meminit, non spectare ad remissionem animalium, iubente Christo mox faciendam; (quæ sanè non rectè vocanda fuisset *dimissio*, sed dicenda potiùs fuisset *remissio*;) spectare autem ad dimissionem dominorum, permittentium abduci animalia ad vsum Christi. Sicque euertitur ea falsò excogitata precatio supplicis Christi, ad exorandum abducendorum ad breue tempus animalium facultatem.

Statuendum denique est, asinam & pullum non fuisse apud Hebræos rem nihili. Neque enim vti apud nos assolet, adeò abiecta erant ea animalia, vt vilium duntaxat capitum vectationi deseruirent; sed qui erant inter Hebræos ditissimi, ac viri principes, pullis asinarum insidebant; non secùs ac apud nos, Magnates mulabus aut mannis totulariis, peruehi mos est. Quod docent 30. filij Iair, hominis locupletissimi, Iudic. 20. qui sedebant super 30. pullos asinarum. Et ibidem c. 12. quadraginta filij Abdon, & eius 30 nepotes, sedebant super 70. filios asinarum. Disertè hoc de Asinis Arabiæ, & Palestinæ, equos aliarum regionum æquantibus Origenes lib. 1. in Iob.

Sic complanatis omnibus quæ in ea Euangelica narratione poterant negotium facessere, manifestè inde habetur, quanta facilitate Rector cordium Christus, cutrum animorum quâ lubebat agitaret, vt meritò re benè expensa S. Chrysostomus hom. 67. in Matth. sic statuat. [Tu verò diligenter expende, quot mirabilia peragit, & quot prophetias adimplet: asinam inuenturos prædixit, neminem prohibiturum, & omnes tacituros affirmauit, quæ Iudæorum culpa non parua esse videtur: siquidem qui nunquam eum viderunt, sua ipsi sine controuersia tradunt, cum Iudæi etiam per discipulos signa facientem videntes, non receperunt. Non fuit res ipsa parua. Quis enim illis persuasit, quum res ipsorum auferrentur, præsertim pauperibus, ac forsan agricolis, nullo modo aduersari? Cur dixi *non aduersari*, sed nec interrogare quidem, aut interrogantes responso audito tacere, atque cedere? Nam vtraque ista pariter mihi mirabilia & inaudita videntur. Non enim paruum est, cùm traherentur iumenta, nihil dixisse: & si dixerunt, cum audissent quia Dominus illis indigeret, cessisse: maximè cum non ipsum, sed discipulos eius viderent. Hinc omnes docet, Iudæos in ipsum irruentes solo nutu reprimere potuisse. Hîc etiam discipulos docet quicquid ille peteret, etiamsi animam dare iuberet, absque vlla controuersia esse parendum.]

Non potest id melius oculis subiici, quàm si quisque id apud se agi cogitet. Puta si duos è stabulo suo equos, per homines ignotos abduci, nemine domesticorum rogato, aut præmonito, contingeret: & superuenienti, & quò, ac quorsum abducerentur roganti, responsum daretur, Dominum æquè ignotum, his indigere, & ad se abduci iussisse; nulla facta reductionis mentione. Per se liquet, homini cui res suæ charæ sint, eam abductionem fore difficilem. At non erant profectò Hebræi, minùs affixi terrenis rebus, quàm nunc simus: nec minùs chara habebant, quæ possidebant, homines planè animales, & toti carnei ac terrestres. Proditum itaque est, in ea tam lubenti animalium dimissione, ad simplicem voluntatis Christi per Discipulos insinuationem esse verè Christum cordium rectorem, & aurigam; à quo summa cum docilitate circumagantur & voluantur quò visum fuerit.

### *Turbæ clamantes, Hosanna.*

1125 Adductis asina & pullo, excita Christi voluntate populi multitudo, propè immensa; pars de arboribus ramos carpunt, intérque cæteras spoliant ramis palmam, cui per tempus Hierosolymitanæ obsidionis, in vniuersali omnium arborum & plantarum vastatione, ac etiam aliquot post seculis, repensum est, vt superstes esset: quod S. Cyrillus Hierosol. Antistes catech. 10. refert. Pars, vestimenta abiiciunt, humíque sternunt calcanda; honoris genere, quod Plutarchus in Catone, inter eximios qui vnquam magnis triumphatoribus habiti fuerint, honores numerat. Non desunt qui Oliuarum, & Palmarum, aliarúmve mitium arborum ramos manu præferant, indicem subiectæ voluntatis. Imo verò iure dixerim eam fuisse mutam professionem maiestatis, cui vita ipsa & facultates sint obnoxiæ. Nam Rami (iuxta Clementem Alex. 5. Strom. cap. 4.) Symbolum sunt primi nutrimenti, aut breuis vitæ nostræ. Ideò dantur iis qui adorant. Apud S. Dorotheum doct. 18. *in fine*, alia non minùs illustris Christoque honorifica horum ramorum significatio subiicitur. Sic enim scribit. [Quid verò est proficisci illi obuiam cum palmis & ramis oliuarum? Quando quispiam ad bellum proficiscitur contra suum aduersarium, & potitus victoria postmodùm regreditur, familiares sui omnes, & amici occurrunt ei victori, cùm palmis & ramis oliuarum. Nam palma victoriæ signum est. Rursus iniuria cùm quis afficitur ab aliquo, & proficisci vult ad quempiam, qui posset eum ab iniuria vendicare, & vlcisci, ramos gestare solet oliuarum, clamans & petens, vt sui misereatur, & consequatur auxilium. Oliua námque misericordiæ symbolum est.]

Hocigitur fuit, Christo palmarum & oliuarum ramos præferre; palam omnibus profiteri Christum victorem; triumphum quidem ante victoriam consummatam canendo, sed tamen certam, de hoste immanissimo breui obtinendam contestando; eiúsque tanquam Dei, oppressum genus hominum liberare apti, misericordiam implorando. Quod carmen illud victoriale perspicuè ferebat, quo per celebriores quasque vrbis vias, in templo etiam ipso, rin-

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
T. VII
3



gentibus licet Pharisæis, decantando perfectam laudem, & iudice Dauide vel ipsi ex cœlorum & mundi fabrica laudi comparandam, Christo dederunt. Nam clamabant dicentes, *hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis*: quod perinde fuit, ac si dixissent, *salua nos, obsecro, fili Dauid*. Ita enim eam acclamationem ex Psalmo 117. depromptam exponunt S. Irenæus lib. 4. cap. 24. & Origenes, Hieronymus, Ambrosius, Beda, aliique complures, ad citatum Matthæi, aut Lucæ locum. Vt minimum verò, est deprecatio Christo perhonorifica; quippe hunc sensum faciens. *Nouo Regi nostro, iam olim promisso, venienti in regiam, tanquam Domino, benedictio sit, salúsque & victoria salus illi de altissimis*. Ad rem potiùs, quàm ad vocis corticem, respexit Iustinus q. 50. ad Orthod. cum *Osanna* idem esse ait, quod *magnitudo excellens*. Ipsi lactentes, & matrum mammis adhuc appliciti, at Chrysostomus, Euthymius, & Theophilactus censent, in eam perfectam laudem eruperunt, & ad eum modum cum cæteris Christo acclamarunt. Quod DD. prædicti, insinuatum volunt eo Christi responso, quo stupore defixos Pharisæos, inuicémque rogantes, *audi quid isti dicunt*? compescuit, prolato versu Psalmi octaui, quo prænunciatam suam hanc ex ore infantium, & lactentium perfectam laudem, propter inimicos, professus est.

### *Negotiatores è templo pulsi, in triumphi clausula.*

1126 Nihil addi posse videtur, ad eam in mortalium animos ac etiam in paucorum dierum homines, vt Prosper loquitur, potestatem. Verùm S. Hieronymus Matth. 21. quod in triumphi huius clausula ingresso templum Christo contigit, meritò pronunciat admirabilissimum. [Plerique (inquit ibi S. Hieronymus.) arbitrantur maximum esse signorum, quod Lazarus suscitatus est, quod cæcus ex vtero lumen acceperit, quod ad Iordanem vox audita sit Patris, quod transfiguratus in monte, gloriam ostenderit triumphantis. Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quod vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis vt postea crucifigeretur, Scribis & Pharisæis contra se sæuientibus & videntibus lucra destrui sua, potuerit ad vnius flagelli verbera, tantam eiicere multitudinem, mensásque subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sydereum, radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie.]

Exscripsit hunc Hieronymi locum, eo illaudato, Rupertus lib. 3. in Ioan. *ferè initio*. Audi etiam Anastasium Sinaitam lib. 4. de rectæ fidei dogmat. *sub finem*, magnificentissimè statuentem de hoc facto. [Prodigia ab eo edita, testabantur supra hominem esse naturam eius, ex qua operatio proficiscebatur, non dico suscitationem mortuorum, aspectum cæcis restitutum, non leprosorum mundationem, non aliarum læsionum curationem: hæc enim omnes vulgo Saluatori tanquam Deo attribuebant: sed illud etiam, quod fortasse non multis in mentem venit. Quid hoc nempe facere omnia cum potestate. Suprà omnia autem, eiicere ex templo sacrorum caupones, qui domum orationis, speluncam latronum faciebant. Nisi enim potestas eius nimia fuisset, nunquam tam multa millia ementium, & vendentium, ex templo exturbasset: præsertim festo instante, & vndique ad eum confluentibus, cum lex omnes, ex omni loco, ad diem animorum conuocaret, in quo vt pascha immolaretur, lege sanctum erat. Quis enim dux copioso exercitu militum armatorum immisso, tam multos eiicere potuisset; præsertim cum illa nefaria mercatura, diuturno tempore confirmata esset? Ipse verò solo flagello ex funiculis facto, vniuersos eiecit, appellans domum suam domum orationis, quam illi qui Deum cauponabantur, emporium fecerant, ementes pullos columbarum, & diuinas scripturas permutantes, tanquam mensarij nummos, quorum mensæ meritò euertuntur, & pecuniæ effunduntur diuina virtute illius, qui venerat ad repurgandum templum, in quo lex iubebat puras hostias Deo immolare; non autem vt nefaria ista fierent. Quamobrem cum admirarentur, qui hoc, quod fiebat, spectabant, & cum hoc tam ingens miraculum, vt par erat, diuulgaretur, congregauerunt cunctos, quibus partes corporis læsæ erant, qui accesserunt ad eum in templo, & sanati sunt. Maius priore, miraculum secundum. Lex enim claudos & cæcos procul à templo arcebat. At cum hoc mirabile prodigium eiectionis eorum, qui in mercatu erant, hi qui viderant, & audierant, & maius quàm pro viribus humanis, huiusmodi opus docebant, audacter ingressi sunt.]

S. Hieronymus, vt referebam, ob radiantes & sydereum quid micantes Christi oculos, neminem mutire ausum, statuit. Nihilominus hæc tanti effectus causa, quoad corpoream Christi speciem attinet, non est certa. Extra dubium verò est, illuxisse Christum feris pectoribus, eáque mansuefeciisse, & ne contra obsistere, aut possent, aut vellent, inhibuisse. Vbi Rectoris cordium Christi sapientia & potentia apertiùs proditur; non secùs ac auriga, & agitator, eo esset peritior & doctior habendus, si non mites equos, & ad ductum dociles, regat apposité, sed etiam effrœnos & intractabiles mansuefaciat. Herculem Gallicum, dextra clauam, sinistra arcum tensum, gestantem; caluastrum, deformem, senem, lingua pertusa, trahentem catenulis aures innumerorum, exhibet in eius tituli dialogo, Lucianus. Sed verus Hercules Christus, qui iam ab infantia, & in ipsis cunis, serpentes strangulauit, & ab vbere super foramine aspidis est delectatus, verè *ἀκόμιστες depulsor nusciarum*, vt est apud Clementem in Protreptr. Beelzebub, inquam, & eius acierum; linguæ responsione, ideſt, vt Augustinus exponit, cordis alloquio, tantam multitudinem, catenis aureis astringit & tradit quaquauersum; & quidem auribus prehensam. Nam & in corde aures geminæ, ex Galeno l. 6. de vsu partium c. 15.

Dominus

*Dominus cœnaculi grandis, stratis.*

1127 Extremum actum, huius in cordium aurigatione facultatis, proponebam delectum cœnaculi, ad Pascha cum Discipulis manducandum apud ignotum hominem. Instabat agni immolandi pro Iudæorum vsu sacra obseruatio: vnicuique domus sua, templum erat. Ibi sacrificabatur, & immolabatur victima. Functurus Religioso officio Christus, domum non habebat propriam; & qui in alieno nasci voluit, in extrema item vita, ad extraneum hospes diuertit. [ Audiant quos marmorum cura tenet. ] (excl mat S.Chrysostomus hom. de prodit.Iudæ. ) Vrgent Discipuli Christum, rogantes vbi vellet parari Pascha. Iubet Christus, duos ad id delectos intrare ciuitatem, & quem in vrbis aditu reperierint hominem, vas aquæ deferentem, eum sequerentur; domúmque subeunte, domino domus nomine suo renunciarent, placere sibi, apud eum Pascha celebrare cum Discipulis suis. Itaque locum exhiberet ad id accommodatum. Is verò ad primas ingredientium voces diuinitùs tactus, cœnaculum grande stratum assignauit, in quo Christus Pascha cum suis celebraret. Fuisse hunc inter Hierosolymitas Iudæos primarium, domus copiosa, & ampla, ac cœnaculum grande stratum, docere perspicuè videtur; vt non possim sanè S. Ambrosio astipulari, qui hunc Christi hospitem, hominem tenuem & obscurum meditatur. Ego cum aliis Patribus, diuitem, & inter Hierosolimitanos illustrem fuisse, non dubito. At non erat ei incompertum, quanto in Christum odio flagrarent Iudæorum Principes, quos sciebat iam tamdiu sollicitissimos esse de eo comprehendendo, & neci dando; eiúsque nefarij propositi consilia, tunc maximè agitare. Qui Christo fouisset, odia in se Sacerdotum omnium ac Principum concitaturum, non poterat ignorare; cum id esset vulgatissimum, præstarentque edicta de illo extra Synagogam faciendo, qui eum profiterentur Christum, eíve gratificari, aut fauere quoquomodo visus esset: vsque adeò, vt parentes mendici, restitutis filio oculis, eum filij medicum fateri, non sint ausi: ne curationem agnoscentes, & in eum grati aut benenoli apparentes, fulmine excommunicationis, omnibus Christo fouentibus intentato, ferirentur. Regente Christo cor huius diuitis, nihil tale eximuit: Imo cum iustus subesset metus, ne domum exponeret vastandam militi, quem ad Christum vinciendum per illud tempus cogi, nescire poterat: tamen commodissimo domûs loco, exceptum voluit hospitem, à quo non precibus, aut mollibus postulatis, sed verbis quæ iussionem potiùs saperent, de exhibendo hospitio admonebatur.

*Aurigatio cordium per Christum, citra vim.*

1128 Non plura, de cordium humanorum, per Christum aurigam & rectorem agitatione. Infinita enim sunt, ideóque ne tentanda quidem, quæ cœlo iam illatus perfecit, & in dies pergit perficere per gratiam suam; idque non impetu, & vi, sed blanda & leni rectione. Et Satan quidem (inquit S.Ambr.l. de interpellat. David.) [ Citò deiicit ianuam, si patentem eam non inuenerit. At verò Christus, pulsat, non deiicit, qui confortauit ô Hierusalem seras portarum tuarum. Christus manu pulsat, vt aperias: aduersarius securibus concidit; & ideò scriptum est, ne securis & malleus in domum Dei intret. ] Ita tamen pulsat ad cordis ianuam, vt tamesti liberè, tamen infallibiliter sit aperiendum, cum ei placuerit subire, & munitissima arce, (ita enim cor nostrum vocat scitè Antonin.l.8.de vita sua n.41.) ipsisque Angelis inexpugnabili, absque labore potiatur, & in eam tanquam Rex legitimus illicò admittatur, vt Regem decet; Dominaturus ibidem, non per vim, vt Tyranni faciunt.

Ingerit mihi hæc cogitatio, cogitationem aliam. Solem Deus, tanquam magnum Regem, dici præfecit iuxta Philonem in Cosmop. quod pluribus coniecturis firmat. Sed illa optima, quam Proclus, qui item Solem Regem agnoscit initio libri de Sacrificio & Magia, ex solisequis plantis ducit: ac præter cæteras, e loto, quæ Proclo iudice, dilatatione foliorum, ad Solis accessum, & eorundem contractione ad recessum, non minùs Solem Regem suum honorare videtur, quàm homines principibus suis venerabundi accidant, & honorem deferant, gestu genarum, morúque labiorum. Est verò lotos, cordium nostrorum symbolum. Omnia quippe in ea planta, rotunditatem præferunt, etiam folia, & fructus. Quare quod apud Iamblicum lib. de Mysteriis §. 37. Deus iuxta Ægyptios inducitur sedens super Loton, commodè referatur ad hanc humanarum plantarum solisequarum insessionem per Christum Regem, eas non vi, sed pellaci tractione circumagentem; quò placet trahens, non vi, sed suauitate, iuxta illud Prosperi l.contra Collat. c.6. [ Pater, hominem vocatum, ad filium trahit; non resistentem, inuitumque compellit: sed ex inuito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat: vt cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, vbi premebatur: ibi discat, vbi ignorabat: inde fidat, vnde diffidebat; inde velit, vnde nolebat. Etenim *Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* ] Egregiè de eadem tractione S.Anselmus l.1.cur Deus homo c.10.*initio.*

*Aurigatio Satanæ infœliciſsima; Vsus doctrinæ.*

1129 Longè alia est rectio currus vitiorum, cuius est auriga Diabolus, ait S.Chrysost.in Psal. 2. eaque infestio, verius quàm aurigatio, exitiali & luctuosissimo exitu tandem concluditur. Contraponit eam cum aurigatione currus virtutum.S.Bern.in quibusdam dictis, vt refertur in Floribus ex eo lib. 9.c. 24. verbis illis. [ Via legis domini, agitur non gressu corporis, sed affectu mentis. Per hanc viam incedunt, & quasi quendam currum ducunt tria genera hominum, seruus, mercenarius, filius. Trahunt autem eumdem currum, duo iumenta: quorum nomina sunt, comminatio, & promissio. Super comminationem, seruus sedet; super promissionem, mercenarius. Horum vterque trahit currum: alter timore, alter cupiditate, & vterque propriis stimulis impellitur. Solus filius, qui nec timore quatitur, nec illicitur cupiditate, sed spiritu dilectionis agitur, sine labore aut læsione vehitur in curru.

*Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Habet etiam currus ille, quatuor rotas: illas scilicet quatuor animi affectiones notissimas, amorem & lætitiam, timorem & tristitiam; amant enim temporalia, & lætantur cum malè fecerint. Sed hunc amorem & hanc lætitiam, sequitur timor & tristitia sempiterna. Electi verò ponunt primas rotas, timorem & tristitiam: posteriores, amorem & lætitiam. Ipsis enim commutatur timor in charitatem, tristitia in lætitiam sempiternam.]

Fugiamus hos currus Aminadab, & adiungamur ad currum Christi. Adhortatio est planè insignis, Clementis Alexandrini in calce protreptrici. [Festinemus, curramus, ô Religiosæ & Dei Verbi similes, ô homines imagines, festinemus, curramus, tollamus iugum eius, subeamus incorruptionem. Pulchrum aurigam hominum Christum, diligamus. Pullum cum veteri duxit sub idem iugum, & iuncta hominum biga, currum dirigit ad immortalitatem, contendens ad Deum, vt euidenter impleat quod antè significauerat: priùs quidem in Hierusalem, nunc autem agens in cœlos. Pulcherrimum est Patri spectaculum, filius æternus, victor. Magno ergo studio & contentione feramur ad honesta, & efficiamur homines pij ac Religiosi, & maxima eorum quæ sunt aliena ab affectionibus & perturbationibus; Deum & vitam acquiramus. Est autem Verbum adiutor; bono animo simus, & in eo ponamus fiduciam.]

# CAPVT XIV.

## *Christus, Bellator & Victor.*

1130 CHRISTVM Regem virtutum & exercituum Dei viuentis summum Imperatorem, non exclusis ab eius militari summa præfectura aciebus Angelicis, suprà exhibuimus. Eundem sacris militibus concertantem, & compugnantem, ibidem, aliisque etiam locis repræsentauimus. Nunc quod fortissimi ducis est, specie bellantis per seipsum, & bellando vincentis, exhibebimus. Qua ratione, infinities in Scripturis describitur.

### *Christus à Natiuitate, bellator per vitam vniuersam.*

Et verè Christus vir bellator est, non modò ab adolescentia, sed planè, etiam à pueritia sua. Describit ipsum S. Bernardus serm. 1. de Natali Domini, ex ipso conceptionis momento, & à susceptione carnis nostræ, pugnantem cum duobus capitalissimis hostibus nostris, peccato mortis radice, & morte peccati propagine, quam necesse sit, excisa, & stirpitùs euulsa, (quod tunc à Christo factum cum innoxiam carnem suscepit,) radice eius, exarescere. Quid si verò antiqua Christi nascentis pictura in scuto, id repræsentauit? Notus est vsus Germanorum, prolem natam clypeo imponentium; & tum demum agnoscentium suam, si Rheno innataret in illo clypeo, iuxta illud Claudiani in Rufinum.

*Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.*

Memorant eum vsum, Iulianus Epistola ad Maximum, Nazianzenus Carm. ad Nicobulum num. 14. & Galenus lib. 1. de Sanit. tuenda. Qui tamen non ad probandam coniugij fidem, vult fuisse infantem immissum Rheno in clypeo, vnde ελεγχίγαμον, Rhenum nominat in Dyonisiacis Nonnus; sed ad conciliandas proli vires, eámque maturè obdurandam. Quo etiam consilio, apud Lacædemonas, recens nati scuto imponebantur, vt annotauit Græcus Thucydidis Scholiastes lib. 11. Vt igitur Christum à primo ortu, bellis & duritiei militari assuetum exhiberet prisca pictura, in scuto illius natiuitatem exhibuit; malè reprehensa à vetere Epigrammatario lib. 4. Epigr. Græcorum, versibus qui latinè sic sonant.

*In scutum habens, Christi natiuitatem*
*O quàm stultus pictor quod exarat*
*Dominum pacis in scuto nasci pictum.*

Imo ô Poëta, absurdus tu, qui non videas, domino pacis, & bella ab ipso olim strenuè bellanti, fuisse picturam eiusmodi conuenientissimam.

1131 Non diffiteor, potuisse fortassis Poëtam illum, alludere ad antiquum vsum, Imperatorem recens creatum, scuto impositum erigendi, vt omnibus esset conspicuus: quod Ammianus lib. 20. à Gallicanis militibus Iulianum Apostatam Imperatorem renunciantibus, seruatum docet. Idémque de Alexio Emmanuelis filio, habet Nicetas Choniates; Et de Iustino Coripus lib. 2. A Gothis idem vsurpatum habet Cassiodorus lib. 10. Epist. 31. De Cazaris idem infrà referam ex Constantino Porphyrogenito. Vt igitur significaret Poëta; Christum natum esse Imperatorem, eum mox à natiuitate, in scuto pingere fortassis voluit. Hoc illi in mentem venire potuisse non inficior. Nec tamen ista cogitatio, aliena esset à re præsenti; quandoquidem illa subuectio noui Principis in scuto, fiebat inter procinctuales gladios, vt loquitur Cassiodorus, & à militatibus aciebus, eratque tota militaris.

Qui à nativitate tam strenuè bellat, non mirum si adhuc infans ab vbere, delectetur super foramine aspidis, & in cauernam Reguli mittit manum suam; si nomen à Propheta refert *accelera spolia detrahere, festina prædari, quia antequàm sciret puer vocare patrem suum, & matrem suam, ablata est fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum.* Quem locum scitè de Christo bellatore etiamnum puero exponit Ambrosius in psalm. 118. serm. 11. & Chrysostomus in cap. 1. Matthæi hom. 5. & plurimi apud Leonem Castrium Isaiæ 8. Sed planè concinnè his verbis Iræneus lib. 3. contra hær. cap. 18. agens de sene Simeone Christum confitente, adducendus hoc loco, quia rationem belli Christi à pueritia, & factam per eum hostium expoliationem, scitè aperit. [Infantem quem in manibus portabat, Iesum natum ex Maria, ipsum confitens esse Christum Filium Dei,

Dei, lumen omnium, & gloriam ipsius Israël, & pacem & refrigerium eorum, qui in dormitionem ierunt. Iam enim expoliabat homines, auferens ignorantiam ipsorum; suam autem agnitionem eis donans, & dispartitionem faciens eorum qui cognoscebant eum, quemadmodum Esaias; *Voca*, (inquit,) *nomen eius, Velociter spolia (celeriter) dispartire.* Hæc sunt autem opera Christi. Ipse igitur erat Christus, quem portans Simeon benedixit Altissimum: quem Pastores cùm vidissent, glorificant Deum: quem Ioannes, cùm adhuc in ventre matris suæ esset, & ille in vulua Mariæ, Dominum cognoscens, exultans salutabat. Quem Magi videntes, & adorantes, & afferentes munera quæ prædiximus, & substernentes semetipsos æterno Regi, per alteram abierunt viam: non iam per Assyriorum reuertentes viam. *Priusquàm enim cognoscere puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ, contra Regem Assyriorum.* Occultè quidem, sed potenter omnia manifestans, quoniam occulta manu expugnabat Dominus Amalech; propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo Dauid, benè sortiti illo tempore nasci, vt eos præmitteret in suum regnum, ipse infans cùm esset, infantes hominum Martyres parans.]

Quas hostium strages procedente ætate fecerit, quantas ipsemet inimicas acies fuderit & tandem quomodò Principem hostium manu sua cruci confixerit, dicendum infra est; vbi ostendemus, in ea ipsa cruce in qua Christus confixus est, pependisse confixum cum eo Satanam, sicque triumphasse eum in semetipso, vt dixit Apostolus. Ethnicismum radicitùs extirpauit, Iudaismum euertit. Ipse enim est Dux ille venturus, quem Daniel, ciuitatem & sanctum funditùs deleturum prænunciarat, vt accuratè prosequitur Isidorus Pelus. lib. 3. Epist. 257. Ipse peccati phalanges omnes destruxit, bellator strenuus & fortis, à iuuentute & pueritia, per vniuersam vitam. Tota enim vita ipsius ad extremum vsque spiritum, irrequieta, & bellis ac præliis iugibus exercita fuit.

### *Christi armatura.*

1132 Arma eius, vt Driedo de captiu. & Redempt. generis hum. Tract. 2. cap. 2. 1. p. membro 2. latè prosequitur, varia in Scripturis recensentur; nempe hinc caro & anima, variáve membra eius; inde paupertas, humilitas, patientia; præterea claui, crux, & cætera passionis instrumenta, vt verè videns noua bella elegisse Dominum, sic se ad prælium armantem, & per gladium non viri, & gladium non hominis, vocantem Assur, vt prænunciarat Isaias cap. 31. Nec est quod quis in eius armatura fallatur. Videtur enim intectus & inermis fuisse, quia externam armaturam non præferebat. Sed artem ea in parte insignem, in summo hoc bellatore detexit Petrus Damiani Opusc. vltimo cap. 8. & hisce verbis serm. de S. Columba. [Enim verò sæculi huius homines, qui bellorum ambiunt virtute clarescere, qui per ora vulgi suas optant victorias celebrari, cum ingressuri sunt prælium; in corpore suo, quod infirmum est & molle subiiciunt; quod durum est, atque ad penetrandum difficile, superponunt. Loricis quippe se ferreis induunt, & carnem, quæ facilè cedit ictui, custodire contendunt, vt illud durum, ac fortè, quod foris est, defendat molle quod est. Redemptor noster, cum huius mundi campum pugnaturus ingreditur, cum ad debellandas aëris huius nequitias fortis prælior armatur, quia nouum debebat instruere prælium, nouum induit genus armorum; videlicet vt quod infirmum est superponeret, & quod robustum est, occultaret. Loricam siquidem imbecillæ carnis induit, & insuparabilem Diuinitatis fortitudinem occultauit.] Non dissimili vestitûs ratione, quàm qua Erasmus lib. 3. de ratione concionandi *pag.* 155. Robertum de Licio, Ordinis S. Francisci, vsum aliquando scribit. Principes ille ac populum adhortabatur aduersùs Turcas. Vbi ad summum impetum efferbuisset oratio, deplorare cœpit, quod nulli se ad rem tam piam duces offerrent. Si istud (inquit,) obstat, ecce me, qui nihil verebor, abiecta hac veste, vel militem, vel ducem vobis exhibere. Simúlque cum dicto, summam vestem abiecit. Intus planè miles erat, byssino sago, accinctus prælongo gladio. Hoc habitu dimidium horæ, sub persona ducis concionatus est.

### *Bella antiqua, typi bellorum Christi.*

1133 Sic armatus Christus, prælia Domini præliatus est; non carnalia, qualia commenti sunt de suo Messia Hebræi, referente & ferè frustra refellente Barradio Tomo 1. Concor. lib. 2. cap. 14. sed spiritualia; quorum typi fuerunt omnia bella Patriarcharum, Ducum, & Regum populi Israël, vt rectè philosophatur Driedo de captiu. & redemp. generis humani Tract. 2. cap. 2. p. 1. memb. 3. distinc. 3. Lex enim spiritualis est; non quoad illam duntaxat partem quæ sacros ritus præscribit, sed etiam quoad historias & gesta Hebræorum aduersùs gentes: atque adeò etiam quoad prælia quæ Spiritus sanctus extare voluit in libris sacris, tanquam signa prophetica bellorum per Christum & Christi Ecclesiam gerendorum. Et idcircò interdum, prisca illa & typica bella, vocantur *bella Domini, & bella iustorum.*

Eiusmodi fuit bellum Abraham contra Pentadem Regum Gen. 14. Nam S. Chrysostomus in Psal. 2. illud bellum ad Christum transfert. Similiter varia bella sub Mose gesta, typi erant bellorum Christi, iudice Prospero de promiss. p. 1. cap. 40. Bella Iosue, omnium consensu, figuræ erant bellorum Christi & ita frequentissimè Origenes in Iosue; nominatim hom. 12. & 13. & Prosper 2. p. de promiss. à cap. 14. De bello Gedeonis contra Madiam, multi Patres apertè docent fuisse prælij Christi figuram. Optimè S. Greg. 30. Moral. cap. 32. & 34. aliàs cap. 17. Petrus Damiani serm. 68. Et vt Patres id tacuissent, expresè id docet Isaias cap. 9. verbis illis. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madiam. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Paruulus enim natus est nobis & filius datus est nobis.* Sensus est; iugum Diaboli quo populus onerabatur, & virgam exactoris, siue crudelissimi illius Publicani qua premebatur plebs,

Dei, contrita fuisse, bellante Messia ea forma & ratione bellandi, qua olim Gedeon, sine cruore suo aut suorum, in exercitu lagenis tantùm armato, & extèriùs inermi, superauerat Madianitas. Sic enim Christum paruulum, absque violenta prædicatione, & tumultu, subactorum spirituali prælio hostes nostros, tradit Propheta. De Danidis prælio cum Goliath, quod typus fuerit pugnæ Christi cum Satana, tradunt Patrum plerique; & nominatim Augustinus sermon. 197. de tempor. Aliò tamen, hoc est ad Christiani cum Satana & vitiis prælium, rem hanc totam transfert S. Bernardus serm. de Dom. 4. post Pentec. Quod item prælium Dauidis cum Amalecitis fuerit typus pugnæ Christi, perpulchrè monstrat Origenes hom. 19. in Num. *sub medium*. Quare perspicuum est quatenus bellator sit Christus abscondita licet fortitudine, & occultato de industria robore, bellans.

### *Fabulosa eorumdem Christi bellorum adumbratio, ex Manichæis.*

1134 Hæc fortitudinis occultatio, stratagema fuit, quod Christum effecit victorem. Idque expressum meritò dixerim, in commento planè insano Manichæorum quod retuli agens de Verbo inumbrato & tenebrato, sæpéque attingit S. Augustinus Tomo. 6. Et pulchrè etiam in Psalm. 140. ad illud, *& non communicabo cum electis eorum*; Et valdè appositè ad hunc locum lib. de Agone Christiano c. 4. itémque S. Athanasius serm. contra omnes hæreses, *sub medium* sed fusè S. Damascenus Dialo. contra Manichæos *ferè initio*. [Bonus (inquit,) in loco suo, in omni bonitate ac beatitudine versabatur. Materiæ autem, hoc est malum, per multa secula, nec vitæ, nec motus particeps fuit, sed fœda ac deformis caligo, & sensus expers. Postea autem materia, secum ipsa seditionem exercuit, ipsiúsque fructus prælio inter se decertarunt. Cúmque alij fugerent, alij insequerentur, ad lucis fines peruenerunt, eámque conspicientes, pulchritudinis ipsius cupiditate capti sunt, pugnandique inter se finem fecerunt: consentientibusque animis, lucem adoriri instituerunt. Quamobrem cùm bonus ille, potestatem luci subsidio misisset, conserto prælio, tenebrarum principes lucis partem comederunt. Bonus quippè potestatem illam sibi eripi passus est: illud scilicet veritus, ne loco suo illi potirentur. Hoc autem ea ratione fecit, vt per eam partem, quam tradiderat, imperium in malum obtineret.] Expendit patticulatim reliquo Dialogo, omnia prædicta S. Damascenus; illudque nominatim quod aiebant hi vesani, Deum factum esse victorem gentis tenebrarum, permissa clade vnius partis suæ, eiúsque obtenebratione, in commixtione cum corpore.

Quod ex Ethnicorum fabulis fecisse Scripturam, prodit Greg. Nyssenus hom. 9. in Cant. eam nimirum citrà pudorem meminisse eiusmodi fabulamentorum; vsurpari hoc item loco, circa Manichæorum deliria potest, ad illustrandam veritatem in qua versamur. Verè ergo Deus, de gente tenebrarum, de Satana inquam, & spiritualibus nequitiæ in cœlestibus, & subsidiariis eorum copiis, peccato & morti succenturiatis, reportauit victoriam: quia permisit partem sui, (mollienda est vocis huius durities, & exigenda ad amussim Catholicæ veritatis,) permisceri, idest iuxta multorum Patrum phrasim, coniungi corpori tenebroso, & ibi tenebrosam degere ac ingloriam, satisfaciendo & patiendo pro nobis; non versando in luce, nec splendendo prout iuxta diuinitatis suæ natiuum iubar debebat. Monstremus obiter de tribus illis inimicis nostris quos dixi, nimirum gente tenebrarum, eiusque subsidiariis, peccato, & morte, quomodo singuli, in hoc prælio, sint per lucem Verbi tenebris nostris admixtam, prostrati atque contriti; partáque de omnibus victoria, vel potiùs prodigia vt loqui nos vult S. Chrysostomus in Psalm. 45.

### *Victoria Christi de hostium nostrorum Triade, ac primùm de Satana.*

1135 In primis de Satana per Christum subacto, eiusque viribus accisis, splendidè philosophatur Eusebius orat. de Laudibus Constantini. Vbi præmissis victoriis Constantino concessis à Christo, contra varios Barbaros, subdit. [Victoriam quinetiam contra Dæmones, quod est aliud Barbarorum genus, reportauit. Etenim cum duplex in nobis insita sit natura, altera animi, altera corporis, & hoc ab omnibus visum, ille ab oculis penitùs remotus: in his duo contraria Barbarorum genera, cáque nobis admodùm infecta, posita sunt: quorum alterum ex occulto alterum aperte nos oppugnat: atque alterum corpora corporibus obiectat, alterum armis omnis generis, corporis expertibus, animum hominis nudum & inermem obsidet. Porrò autem Barbari illi qui oculis cernuntur, velut pastores quidam feri & agrestes, qui nihil à belluis differunt, in cicures hominum greges impetum faciunt, vastant agros, & tanquam immanes lupi, è solitudine in ciues cuiusque ciuitatis irruentes, ciuitates in seruitutem redigunt, ad extremum omnia quæ possint labefactant, perimúntque. Infesti autem & animorum corruptores Dæmones, qui sub aspectu minimè subiiciuntur, quique omnibus Barbaris sunt multo crudeliores.] Excurrit in mala innumera quæ Barbari isti inuisibiles mundo intulerant; & quomodò eorum vires sint per Christum comminutæ, egregiè prosequitur.

Adeò sanè euiguit per Christum Satanæ potentia, vt qui ante leo potentissimus videbatur, degenerarit in vulpeculam vt illustrissimè philosophatur Gregorius Nyssenus homil. 5. in Cant. ad illud, *capite nobis vulpes parunulas*. Negat autem posse se satis suspicere, miraculum diuinæ magnitudinis in his paucis verbis abditum. Quæ enim & quanta erat Satanæ ius & potentia? Quis & quàm potens Tyrannus iste, ante Christum? Quàm ridiculus verò factus est, & quò vires eius per Christum deductæ? [Homicida qui potens est in malitia, cuius lingua tanquam nouacula acuta, de quo dicit Propheta, *Sagittæ potentis acutæ, cum carboribus desolatoriis*: &. *Insidiatur tanquam leo in spelunca sua*; *Draco ille magnus, Apostata, infernus, dilatans os suum, vector huius mundanæ potestatis tenebrarum; qui habet imperium mortis*; & quæcumque ex persona eius narrat Propheta; *Qui aufert terminos gentium, quos constituit,*

nempe

nempe Altissimus, *pro numero Angelorum suorum*; *Qui comprehendit orbem terræ sicut nidum, & eam tollit tanquam ova derelicta:* Qui dicit *se positurum thronum suum super nubes, & futurum similem Altissimo*; & quæcumque Scriptura de eo persequitur in Iob, quæ planè sunt terribilia; *cuius latera quidem sunt ænea, aurum autem fusile spina: intestina autem lapis smyrites*: & quæcumque sunt huiusmodi, per quæ terribilem illam naturam describit Scriptura. Hic ergo talis & tantus Imperator legionum Dæmonum, quemadmodùm à vera & sola potestate nominatur? *Parua vulpes*; & omnes qui eum circumsistunt, & vniuersus qui est sub eius potestate exercitus, omnes ex æquo despectui habiti, nominantur *vulpeculæ*, ab eo qui incitat venatores ad eos venandos.] Hoc mox tribuit Regi gloriæ Christo, cuius venatores sacros, vocat Angelos, & Apostolos.

1136 Cogitur nunc ad æstus & dolos verti, qui priùs aperta iv irriuebat, sed canem rabidum innexuit Christus, & vinxit catenis, vt mordere non possit nisi volentem, etiamsi sollicitare & latrare possit, vt D. Augustinus serm. 196. de Temp. probè monuit, pleniùs idem versans Psal. 29. Enarrat. 1. & in Psal. 31. Enarr. 2. *ad versum vltimum*; Et in Psal. 32. Enarr. 2. *ad vers.* 8. Ac ne allatrare quidem & sollicitare pro libidine potest, sed quantum Deus pro sua sapientia sinit. Qua ex causa Dæmones Satanæ succinturiati, dicuntur *latrones Dei*, iuxta S. Gregorij interpretationem lib. 14. Mor. cap. 21. qui eiusdem operis lib. 8. cap. 16. de hoc ceto, & mari carcere circumdato ne ad libitum erumpat, aliam perpulchram allegoriam concinnat. Quanta igitur nunc Satanæ est debilitas? Dictum Pelagij est, Epistola ad Demetriad. [Infirmus hostis est, qui non potest lædere nisi volentem.] Et alibi referente & approbante D. Augustino lib. de natura & gratia cap. 58. [Resistamus Diabolo, & fugiet. Vnde animaduertendum est quid possit his nocere quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus sit, qui solis prævalere non resistentibus potest.] Subdit S. Augustinus. [Hæc, & mea verba sunt; verius enim dici non potest.] Hoc autem, vt tanta vis, sit in nos adeò imbellis, debemus Christi gratiæ, per quam confractus est malleus ille, & Satanæ virga comminuta? vulneratus superbus in brachio virtutis Dei, vt est in Psalmo 88. imo in infirmitate. Audi Isidorum Pelus. lib. 4. Epist. 150. [Quæris, cur Paulus, relictis illis splendidis atque augustis, quæ de Christo annunciabat, scripserit Corinthiis; *Non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* Arbitror itaque, quia ipsa quoque illa, quæ probris plena videntur, maximo & robore & honore scatent. Idcirco eum ita dixisse, tantùm non edita voce proclamantem; Victum athletam age in medium produco, vt posteaquàm Olympia vicerit, clariori eum præconio ornem: Vilissimam & contumelia plenam armaturam, duci militiæ circundo, vt tantò magis gemat, qui morbo multitudinis Deorum laborat, vbi tam vilibus armis se victum senserit.]

Nihil igitur ab hoc hoste timendum nobis. Imo impugnando nos seruit paci nostræ sicque impletur illud, *bestiæ terræ, pacifica erunt tibi*; iuxta hanc B. Gregorij glossam 6. Moral. c. 21. [Notandum priùs est, quod non ait; *paratæ*, sed *pacificæ*, videlicet, non quia pacem habent, sed quia pacem faciunt. Hostes quippe callidi, dum insidiantur, affligunt: sed afflicta mens, tanto magis ad æternam patriam reditum diligit, quanto in hoc ærumnoso exilio, laboriosius viuit: & veriùs se gratiæ sui adiutoris humiliat, cum contra se insidias hostium acriores pensat. Terræ ergo bestiæ, electis pacificæ fiunt, quia maligni spiritus cum bonorum corda aduersantes deprimunt, hæc nolentes ad amorem Domini appellunt. Inde ergo cum Deo robustior pax oritur, vnde nobis ab aduersariis durior pugna generatur.]

Illud duntaxat timeri iure potest, ne per socordiam nostram victoria in nihilum recidat, hostique resurgat. De quo egregiè Isido. Pelusiotas lib. 2. Epist. 139. [Periculum est (inquit,) ne ille, qui victus ac profligatus est, ob dissidia nostra collecto robore, acceptam cladem sarciat, victoriámque adipiscatur. Etenim ille quidem iacet, etiamsi audacia stolidè efferatur. At nostra ignauia, mutuúmq; bellum, neruos iacenti ac robur attulerunt: ita vt quantum quidem ad nostrã socordiã attinet, metuendum sit, ne præclarum illud facinus quod à Saluatore editum est, (etsi enim id dictu audax est, tamen quia verum est, dicetur,) prorsus pereat. Vnde etiam hoc fortassè, quod tibi exponi cupis per Psalmistam prædixit, his verbis vtens, *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem*; hoc est ad hominum naturam multis corruptionibus obnoxiam? Etsi enim alia quoque nonnulla indicat (nam si moralem sensum spectes, de Dauide; si naturalem, de Adamo intelligitur;) at ad hunc quoque scopum plerisque sanctis viris tendere visus est. Ego enim inquit, vsque eò me demisi, vt etiam, ob ingentem demissionem, multi ad credendum adduci nequeant, Tyrannúmque subegi ac prostraui. Idque Seraphinorum spectator his verbis clamat; *Discite iustitiam facere, qui habitatis terram: compressus est enim impius.* Vos autem facinus omni spe maius, excellénsque, atque omnem admirationem excedens trophæum, per inertiam vestram perdidistis.]

### *Victoria Christi de morte, altero hoste nostro.*

1137 Sed neque timendum nunc post Christum, à morte, quæ propriè loquendo, non nisi obiectiuè turbat pacem nostram, cum habet homo pacem in bonis suis. Est enim ei amara. At nunc per Christum, mors quæ in olla erat, condita est. *Cum enim* ante Christum, *essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti: nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus*, ait Apostolus Rom. 7. considerans statum quem per Christi mortem consecuta est mors, nobis priùs infesta. Quare nos scientes iam vitæ seruisse, & ad vitam tendere, mortem corporis non horremus, eámque Christi beneficio pro mortua ducimus. Nec absre. Vt enim Chrysologus serm. 40. scitè dixit, [periit mors ipsa, quæ perdebat omnes, dum omnium perdere vult salutem.] [Ecquod tandem illi congruum

epithaphium

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
T. VII
3



epithaphium canemus,(exclamat Naz.orat.42.) mortem à Christo contritam celebrans?Vbi est mors stimulus tuus?Crux te prostrauit;vitæ autor tibi necem attulit.]

Inde verò luculentum, exungulatæ & prostratæ mortis argumentum petere licet, quod ante Christi mortem, mors esset omnibus formidabilis & horrenda. At iam Christo mortuo, pueri & puellæ, morti insultant;eámque dirisui & ludibrio habent.Expendunt id Patres,ac suspiciunt frequentissimè.Produco nonnullos.Basilius orat. in calumniantes quod tres Deos dicamus. [Cruci fixus est volens,vt inuitè crucifixos detraheret. Mortuus est volens, vt inuoluntariè mortuos exsuscitaret. Suscepit quam non suscipiebat mortem, vt eos qui sub morte sunt, viuificaret. Deuorauit ipsum mors ignorans;vbi deuorasset, cognouit quem non deuorauit.Deuorauit vitam,deuorata est à vita. [Deuorauit vnum cum omnibus], perdidit propter vnum omnes.Rapuit vt leo,confracti sunt dentes ipsius. Quapropter etiam,velut debilis contemnitur. Non enim amplius velut leonem timemus, sed velut pellem conculcamus.

Chrysostomus latè hom. 24. in 1. ad Cor. Et optimè quoque his præter cætera, Oratione de Paschate à Peltano Latinè facta. [Hodiè mortis vincula, soluta sunt;hodie inferni victoria,absorpta est. Aptè proinde, conuenientérque hodiè propheticam illam vocem depromimus. *Vbi est mors stimulus tuus? vbi est victoria tua inferne?*Hodie Dominus noster Iesus Christus, æneas portas confregit, ipsámque mortis personam aboleuit. Ecquid dico mortis personam sustulisse, cum ipsum quoque *mortis* vocabulum transtulerit?Neque enim animi à corpore discessus, mors amplius appellatur, sed dormitio,vel somnus.Sanè ante Christi aduentum, crucisque œconomiam, vel ipsum solum nomen mortis terrorem incutiebat.Quare etiam primus homo, magni supplicij loco, eiusmodi sententiam audiuit; *Quacumque die comederis ex illo,morte morieris.* Quin & Beatus Iob quoque, quietis nomine mortem designat: *Mors, (inquit,) viro requies.* Propheta autem Dauid, peccatorum mortem, pessimam pronuntiat. Imò verò non modò diuulsio illa animæ à corpore,*mortis* vocabulo designatur; verùm etiam inferni.Audi Patriarcham Iacob; *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.* Audi alium de ea re vatem: *Infernus dilatauit animam suam.* Facit hûc etiam illud Prophetæ Dauidis;*Liberabit me ex inferno inferiori.* Mitto alia;nam vetus Testamentum,transitum ex hac,vita hoc est, mortem, crebrò admodùm *infernum* appellat. At quia Christus Dominus noster, semetipsum nostri causa in sacrificium obtulit, & ex mortuis denuò resurrexit, suáque resurrectione viam nobis ad resurrectionem muniuit, pro sua clementia, ipsa etiam inferni & mortis nomina sustulit;nouámque & quodammodò extraneam politiam,in vitam induxit.Emigrationem námque ex mortali hac vita,dormitionem vel somnum, potiùs quàm mortem appellandam existimauit.]

1138 Basilius Seleuciæ Orat.32.*sub finem*, scitè omnino [Cur contra pericula discipuli pro Christo alacres armantur,& rerum aduersis lætantur? Cur Christus cum animi anguſtia crucem admittit,& pauor passionem antecedit? Cur quia Christus in mortem viuentem adhuc, expeditionem suscipit, congreditúrque nondum dissecta tyrannide. Adhuc enim iam inde ab Adamo, occupato in homines dominatu, magnificè se iactabat mors.Christus morte contrucidata, post futuris eam velut enectam tradidit ad certamen. Ideò ipse velut in viuentem parans impressionem, pro tei veritate se gerit. Apostoli verò morte deuicta, & veluti iugulata,& extremùm expirante,bene multùm animati eam inuadunt, vt Paulus prædicat; *Christus mortuus est, pro peccatis nostris secundum Scripturas,& sepultus est.* Examussim de scribit mortem. *Et resurrexit tertia die, & visus est Iacobo, deinde plusquàm quinquies mille fratribus simul, ex quibus multi manent vsque ad huc, quidam autem dormierunt.*Non iam, *Mortui sunt.*Depacta namque cruce, somnus mors est:ante crucem formidabilis, & post crucem despicabilis. Et rursus: Quod *Iesu passus, & mortuus est, & resurrexit: ita & Deus, eos qui dormierunt per Iesum,adducet.* Christi finem, *mortem* appellauit:bellum siquidem illi fuit contra mortem viuentem: aliorum, qui post Christum, *somnum* agnoscit, non mortem. Inde factum, vt vitos pro religione concertare videamus, puellos mortem irrisui habere, puellas eam adire lubundas;quando Christus vitæ post mortem futuræ brauium protulit.Quare epinicium cantant omnes; *Vbi mors victoria tua:vbi inferne stimulus tuus?*in Iesu.]

Itaque vt considerat Damascenus 4. fidei cap. 4. ante Christum, mortales etiamsi peccando grauissimè mulctarentur; peccatum nihilominus habebant pro numine.At post Christi mortem, & ipsam mortem, & pœnas omnes, præ peccatis nihili ducunt. Concinnè verò S. Bernardus serm.de Transitu S.Malachiæ, inerudelitatem mortis inuehitur; quæ tantum virum sustulisset. Sed id ad ea,vt crudeliter, sic imprudentissimè post Christi mortem factum sic demonstrat. [Dira profectò & inexorabilis mors, quæ tantam hominum multitudinem vnius percussione mulctauit, cæca & improuida quæ Malachiæ ligauit linguam, impediuit gressus, dissoluit manus,oculos clausit.Illos inquam deuotos oculos, qui piissimis fletibus diuinam peccatoribus reconciliare gratiam consuenere. Illas mundissimas manus, quæ laboriosis & humilibus operibus exerceri semper amauerunt; quæ Dominici corporis hostiam salutarem, pro peccatoribus totiens offerebant, & sine ira & disceptationibus in oratione leuabantur in cœlum; quæ infirmis multa beneficia præstitisse, signis variis effulsisse noscuntur. Illos quoque speciosos gressus,Euangelizantis pacem, Euangelizantis bona, illos pedes qui totiens fatigati sunt studio pietatis, vestigia illa digna quæ semper deuotis osculis premerentur. Sancta denique labia illa Sacerdotis, quæ custodiebant scientiam: os iusti quod sapientiam meditabatur: & linguam eius quæ iudicium loquens, imo & misericordiam, tantis mederi solebat vulneribus animarum. Nec mirum fratres, iniquam esse,quam generauit iniquitas: inconsideratam, quam noscitur seductio peperisse. Nihil inquam mirum, si fetit sine discretione, quæ venit ex præuaricatione: si sit crudelis & fatua, quæ ex antiqui serpentis, fallacia & mulieris insipientia prodiit. Quid tamen causamur, quod Malachiam

chiam ausa sit attentare, fidele equidem membrum Christi; quando & ipsum Malachiæ pariter & omnium electorum caput, furibunda peruasit? Peruasit vtique immunem; sed non immunis euasit. Impegit in vitam mors, & inclusit intra se vita mortem, & absorpta est mors à vita. Hamum sibi deuorans, inde teneri cœpit, vnde visa est tenuisse.

1139 Idem pulcherrimè serm. 26. in Cant. describens mortem Gerardi fratris sui, inter cantandum Psalmum 148. sic scribit. [Accitus sum ego ad id miraculi; videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Iam non stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, & morièdo cantat. Vsurparis ad lætitiam, mater mœroris; vsurparis ad gloriam, gloriæ inimica; vsurparis ad introitum regni, porta inferi; & fouea perditionis, ad inuentionem salutis; idque ab homine peccatore. Iustè nimirum, quia tu, iniquè in hominem innocentem & iustum, potestatem temeraria vsurpasti. Mortua es ô mors, & perforata hamo quem incauta glutiisti, cuius illa vox est in Propheta; *O mors ero mors tua. Morsus tuus ero inferne.* Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus, latum lætumque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat, larualis effigies. Gerardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modò securus, sed & lætabundus & laudans.]

Germana porrò ratio, cur mors per Christum sit prostrata, colligitur ex Apostolo; quatenus Christum & Adamum opponit; quia sicut per Adamum mors, ita & per Christum resurrectio, mortuorum. Inde enim habetur, Christum liberasse nos à morte; & eius mortem fuisse, vt est apud Oseam c. 13. Non quasi temporalem mortem simus post Christum declinaturi; sed quia per temporalem mortem transimus in sempiternam vitam, interuentu resurrectionis quâ Christus nobis est promeritus. Mors enim alioqui fuisset sempiterna. At per Christi mortem, & liberationem inde nobis impensam, facta est temporalis; eamque consequitur vita perennis, quæ mortem vincet victoriâ immortali, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 15. *cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, absorpta est mors in victoria.* Eam verò victoriam vitæ nostræ restitutæ supra mortem temporariam, habemus per Christum redemptorem & eius mortem, ac merita in ea nobis reposita. Vocatum præter cæteras, hac ex causa ab Osea c. 13. Christum, *ventum vrentem*, obseruauit Gillebertus serm. 15. in Cant. exponens fructum terræ desertæ, quam dixerat esse Deiparam. [Vis audire (inquit,) qualem hæc terra deserta dedit fructum? Osee te docet, qui dicit; *Adducet Dominus ventum de deserto vrentem, & desiccabit venas mortis.* Quis alius mortis desiccauit venas, nisi Christus Iesus, quem nobis intemerati ventris desertum refudit? Et benè ventus, quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Denique dictus est secundus Adam in spiritum viuificantem. Huius flatu Apostolicæ nubes volant, quas Esaias miratur. Quid mirum si *ventus* dicitur, quem & *nubem* legis? *Ascendet*, (inquit) *Deus super nubem leuem.* Nec hîc leuem, quasi vagam & instabilem accipias, sed leuitatis intelligentiam ad spiritualem aptitudinem trahe, quod corpus incorruptibile nullam animæ granitatem attulerit, nec depresserit terrena commoratio sensum, multa imò cunctâ cogitantem. An non quasi venti facti sunt, omnes qui spirituali leuitate à terrenis elapsi conuersationem sibi in cœlo collocant? sed ipse speciali ratione ventus, qui reliquorum ambulat super pennas ventorum, & spiritum omnium virtutes excedit. Iure ergo *ventum* eum vocat; nominat & *ventum vrentem*, quod eius flatu, peccati sint in nobis frigora resoluta, & captiuitas nostra, conuersa tanquam torrens in Austro. Sic se habuit contritio præpotentis hostis; quem ab vbertate subditorum Πλούτωνα siue *Plutonem*, id est *abundantem*, nominatum; & inter præpotentia, (scilicet,) numina recensitum, notat Eusebius orat. de laudibus Constantini *ante medium.*

### *Christi, de tertio hoste nostro, siue de peccato, victoria.*

1140 Tandem neque à peccato periclitamur, post Christi victoriam est quidem peccatum, radix amaritudinis, & plus quàm fel & absynthium, suauitatem animæ excludit. Tamen per Christum, (si per nos non stet,) sublata est eius amaritudo; Ipsumque peccatum planè est abolitum, quod S. Paulus infinities iterat. Egregiè verò S. Augustinus q. 169. in Genesim, expressum notat à 70. non interpretationis seruitute, sed prophetica authoritate, vertentibus illud Ionæ 3. *adhuc 40. dies, & Ninive subuertetur.* Verterunt enim, *adhuc triduum, & Ninive subuertetur*: non quod ignorarent, quia in Hebraïcis codicibus legerentur 40. dies; sed quod prophetico spiritu, spectates quò pertineret quadragenaria Niniuitarum pœnitentia, nempe ad exorationem misericordiæ Dei, & peccatorum, quibus Deum prouocarant abolitionem; agnoscentes 70. quod in eo typo singulariter factum erat, præstandum esse vniuersaliter omnibus per mortem Christi, quæ triduo tantum durauit; prophetice pro quadragena, verterunt triduum; quo peccati in Christi morte subuersionem significarent.

Video opponi posse, si Dominus peccatum sustulit, vnde nunc tot peccata? Idem sibi obiecerat Nyssenus Orat. de Natiuit. Christi. Respondet verò in hunc modum. [Is qui hæc spectans sic obiicit, insigni peruulgatóque exemplo, quæstionem ipsemet soluat. Quemadmodùm, cùm serpentes interficiuntur, non continuò reliquas partes vnà cum capite mori videmus; sed, cum interierit caput, illæ tamen, adhuc vitam retinent, nec vitali priuantur motu: sic accidit in Draconis interitu. Etenim ingens cùm esset admodùm fera, quippè quæ singulis hominum ætatibus excreuerat; qui multiplex eius caput, ideft vim illam malorum inuentricem multa in se capita continentem sustulit, cæterarum ipsius partium tractus neglexit, vt interfectæ feræ motum posteris ad exercitationis occasionem relinqueret. Ecquod igitur collisum & effractum est caput? Illud quod impio consilio mortem intulerat, quod morsu mortiferum homini virus iniecerat. Quamobrem qui mortis euertit imperium, vim quæ in capite serpentis erat, vt ait Propheta,

confregit: Reliqua verò pars corporis in genus humanum dispersa, quæ quoad homines vitiorum motionibus permouerentur, squama peccati vitam irritat, atque asperam reddit, potestate quidem iam mortua est, cum eius caput contusum atque inutile factum sit: at vbi tempus transierit, & ea quæ mouentur constiterint, aduenerit que vitæ huius absolutio quam expectamus, tunc & cauda, & extrema pars inimici, mors ipsa nimirum destruetur, atque ita delebitur omninò cuncta malitia.]

1141 Nec minùs concinnè S. Bernardus, eandem obiectionem & quoad peccatum, & quoad Satanam, & quoad mortem elidit, sic differens sermone de transitu S. Malachiæ. [Victa planè mors opus Diaboli, & peccati pœna; victum peccatum, causa mortis, victus & malignus ipse, & peccati auctor & mortis. Nec modò victa sunt hæc, sed & iudicata iam & damnata: Definita quidem, sed nondum promulgata sententia est. Denique iam Diabolo ignis paratus, etsi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore finitur malignari. Tanquam malleus cœlestis opificis factus est, malleus vniuersæ terræ. Terit electos ad eorum vtilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Qualis ergo Paterfamilias, tales & domestici eius, peccatum scilicet & mors. Nam & peccatum, licet simul cum Christo cruci ipsius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem, sed habitare etiam in ipso dum viueret Apostolo permittebatur. Mentior si ipse ait; *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Sit & mors ipsa, minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit autem cum dicitur; *vbi est mors victoria tua?* Et ipsa quidem, inimica nouissima destrueretur. Nunc verò moderante eo qui imperium habet vitæ & mortis, & mare ipsum certis littorum cõcreet metis, mors ipsa dilectis Domini, somnus refrigerij est, Propheta attestante, qui ait; *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Pessima quidem mors peccatorum, quorum & natinitas mala, & vita peior, sed preciosa est mors sanctorum. Preciosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus.

Non dissimiliter ratiocinatur Cartacusen. Apol. 2. [O quis viuet, cum fecerit hæc Deus. Ipse inquam Deus in carne nostra apparens. Verba sunt Balaami, extremam hostium Dei cladem. Per Christum prænoscentis, vt expositi Orig. hom. 19. in Num. *in fine*, qui ibid. hom. 7. *sub medium*, insigniter prosequitur, pugnandum quoque nobis esse cum Gigantibus à Christo subactis, vt hæreditatem à Christo comparatam ineamus. Legendus insuper homil. 25. in eundem librum.

En igitur cui iure meritò acclamemus, *Victori*, siue *in finem*; qui titulus plerisque psalmis appositus, non leuem molestiam facessit Interpretibus; dum hinc aliqui secuti 70. legunt & exponunt, *in finem*. Inde alij, secuti S. Hieronym. & Hebræos codices quales nunc extant, legunt & exponunt, *Victori*; distrahunturque in varios sensus: quibus vt præiudicare consilium non est, ita commodè S. Basilius ad titulum Psalmi 48. censuisse videtur, vtramque lectionem eodem recidere: cum victoria per Christum parta de hostibus nostris, & finis per eundem malorum omnium auerruncum Christum statuendus ærumnis nostris, quando absorbebitur mors in victoria, deposcat epinicium, & victoriale carmen, victori qui de seipso dixit, *ego vici mundum.* Et quanquam fateor S. Basilium agere de eo effectu victoriæ Christi, qui duntaxat obtinebitur, cum Christus tradiderit regnum Deo & Patri; tamen quia Christi victoria, in clausula prælij quod pro nobis iniuit atque confecit, comparata est, & ius ad finem illum quo omnia Deo perfectè subiicientur, partum est per eam Christi victoriam; non immeritò ad illam, tametsi nondum quoad omnes effectus suos plenè consummatam, extendimus victoriales odas, quas iuxta S. Basilium præcini perfactum Psaltem, *in finem, Victori* Christo tribuendum, edixit Spiritus sanctus.

### *Bellatores Christum sanctè æmulantes, eius viribus, & exemplo victores.*

1142 Accumulantur hunc Victorem, quotquot verè in eius militiam se profitentur adscriptos, eiusque exemplo, Reges omnes aduersarios, vt à Mose præscriptum fuit Iosue, funditùs exterminant, donec plenam consequantur victoriam. De Regibus qui in nobis tenebant regna peccati; Satana inquam, & peccatis ad quæ impellit, debitóque æternæ mortis inde consequente, luculenter id exponit Origenes hom. 15. in Iosue, multis differens de regno peccati generatim in homine, déque singularium diuersorum peccatorum regno, in variis singularibus hominibus, quos ait esse Reges peccati, iussos deleri donec plena de eis victoria obtineatur. Nec parciùs differit de Principibus tenebrarum, præfectis vnicuique vitio, de quibus item victoriam consequi iubemur. Ad quod ea cohortatione adscriptu dignissima, sic hortatur omnes Christi Victoris filios, homil. 8. in eundem librum. Agite ergo & vos præpuremus nos ad huiusmodi prælia, percutiamus Hay in in ore gladij, & extinguamus omnes habitantes chaos, omnes contrarias virtutes. Vtinam & ego modò dum loquor ad vos verbum Dei, cor peccatoris pulsare possim. Quod si feceto, certum est quod gladio oris mei percutiam fornicationem, percutiam malitiam, reprimam furorem & si quæ alia sunt mala, in ore gladij, ideſt oris mei sermone restinguam, & non relinquam ex eis qui saluus fiat, neque qui effugiat. Si enim omnes hos hostes nostros extinxerimus, tunc verè diem festum celebrabimus Deo, & deuictis aduersariis læta solemnitate gaudebimus. Tale aliquid mihi videtur etiam à sancto Propheta in Psalmis designari, vbi dicit de se, in matutinis interficiebam omnes peccatores, vt disperderem de ciuitate Domini omnes qui operantur iniquitatem. Siue enim ciuitas Domini, Ecclesia Dei viuentis accipitur, eiiciunt Doctores de Ecclesia, & interficinnt eos qui operantur iniquitatem, contrarios Dæmones, aduersariasque virtutes, qui cogunt homines ad peccatum, docendo, instituendo, & occultata in diuinis litteris ex locis talibus in qualibus nunc sumus, mysteria referãdo. Siue ciuitatẽ Domini vniuscuiusq; nostrum animã intelligamus, quæ ædificatur à Domino ex lapidibus viuis, ideſt ex virtutibus variis & diuersis, &c. Deinde sic prosequitur. [Forrassis nõ mihi credas, quod aduersùs peccatũ iniungitur

gitur nobis pugna. Paulo crede dicenti. *Nondum vsque ad sanguinem restitistis aduersùs peccatum.* Vides tibi aduersùs peccatum pugnam proponi & vsque ad sanguinis profusionem, istud tibi prælium consummandum ? Aut non euidenter hæc indicat scriptura diuina, & in iis in quibus moris est ei dicere, *sanctificate bellum*, Et, *pugnabitis pugnam Domini ?* Quid enim est aliud sanctificare bellum, nisi interemptis omnibus animæ nostræ hostibus, qui sunt vitia peccatorum, & mortificatis membris quæ sunt super terram, atque omnibus malis cupiditatibus amputatis, effici sanctum corpore & spiritu, & fortiter facientem venire ad conspectum Dei viuentis, & pro palma victoriæ, virtutis merito coronari à Christo Iesu Domino nostro? ]

1143 Breuiùs at non minùs efficaciter hom. 9. in Genes. *in fine.* [Sed dico: nunquid iniquitate vsus est Dominus, vt eriperet gentes de potestate aduersariorum, & ad fidem suam deditionémque reuocaret ? Nequaquam, Etac enim aliquando pars Domini Israel. Sed quia peccatis recesserant à Deo suo, propter peccata sua dixit ei Deus ; *Ecce peccatis vestris distracti estis, & propter peccata vestra dispersi estis sub vniuerso cœlo.* Sed iterum dicit ad eos. *Si fuerit dispersio vestra ab extremo cœli, vsque ad extremum eius, inde congregabo vos, dicit Dominus.* Quia ergo principes huius mundi inuaserant partem Domini, necesse habuit pastor bonus, relictis in supernis nonaginta & nouem, descendere ad terras ; & vnam ouem quæ perierat quærere, inuentámque & humeris reuectam, ad supernum perfectionis ouile reuocare. Sed quid mihi prodest si semen Abrahæ qui est Christus, hæreditate possideat ciuitates aduersariorum, & meam ciuitatem non possideat ? Si in mea ciuitate, hoc est, in anima mea, quæ est ciuitas Regis magni, neque leges eius, neque instituta seruentur ? Quid mihi prodest, quod vniuersum mundum subiecit, & aduersariorum ciuitates possidet, si non & in me aduersarios suos vincat ; si non destruat legem, quæ est in membris meis repugans legi mentis meæ, & captiuum me ducit in lege peccati. Sic ergo vnusquisque nostrum satis agat, vt & in sua anima, & in suo corpore vincat Christus aduersarios suos, & subiiciens eos, ac triumphans, etiam suæ animæ possideat ciuitatem. Hoc enim modo de parte eius efficimur, de parte meliore quæ est sicut stellæ cœli in claritate, vt & nos benedictionem Abrahæ capere possimus, per Christum nostrum, cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen. ]

Hunc fuisse scopum assumptæ trabeæ carnis, insigniter aperit Gelasius Papa in opere quod inscripsit, *Dicta contra Pelagianos* ante medium [Autor bonus (inquit,) vt bonum se opus condidisse firmaret, si in eadem sui conditione persisteret, inferioris creaturæ suæ miseratus offensam, quod spiritualis substantia, quæ & sui & alterius processerat, ipsa deceptrix atque in sua nequitia perseuerans omnino consequi digna non fuerat, terrenæ conditionis & per fraudem deceptæ substantiæ, naturam pariter clementer suscepit & causam : sicque vt nunc breuiter explicemus, competenti lapsam dispensatione reparare proponens, vt in seipso hæc eadem natura, qua per inobedientiam mortis rediret ad vitam, solus ipse peccat in se sciens in substantia, quam post peccatum restaurandam potenti benignitate susceperat, vt indebitam mortem quam sine peccato vtique non debebat, pro his qui per peccatum debitores mortis extiterant, imputaret: simúlque Diabolum hominis deceptorem, qui consentientem sibi subditum per diuinam tenebat iure sententiam, per iustitiam, nihil ei reddere iam debentem. Et cùm occidisset eum in quem sine peccato licentiam non habebat, meritò ei vice mutua subiugaretur addictus ; quique se humanæ substantiæ vt potè captiuæ suæ. Dominum Deumque iactabat; huic & iusto pariter & Deo, mutua vice subderetur. Intererat enim æquitatis immensæ, & non abruptæ diuinæ potentiæ, Diabolus, sed ipsius hominis etiam quem se prostrauisse iactabat iustitia vinceretur : quibus non satis habuit reparator excelsus, vt ipse tantummodò in ea natura quam sumpserat, gereret de hoste humani generis hoc triumphum. Quid enim præstaretur, vniuersæ nostræ creaturæ, si victore Diaboli solus Christus existeret. Tribuit ergo fidelibus suis dignanter immensa pietate consortium. Tribuit per gratiam suam fidémque collatam, vt hominum millia ineffabilis compendio sacramenti participatum eius acquirerent, renouatæque in suo Saluatore naturæ facti consimiles, ipsi quoque fierent deceptoris sui mutata sorte victores. ]

Specimen huiusmodi pugnatorum Christi, fuere Apostolorum principes, quos ex strage in impiis edita, & de cruore occisorum, esse purificatione diuina mundatos, Orig. hom. 25. in Num *in fine*, egregiè tradit, cum varia purificationum genera à Mose proposita, discussisset. [ Quis nobis (inquit,) enarrare, poterit, quæ sint purificationes, quæ parentur Paulo, vel Petro, vel aliis horum similibus, qui tantum pugnauerunt, tot gentes barbaras deleuerunt, tot hostes prostrauerunt, tanta spolia, tot triumphos ceperunt ; qui cruentis manibus de cæde hostium redeunt, quorum pes tinctus est in sanguine, & manus suas lauerunt in sanguine peccatorum? Interfecerunt quippè in matutinis, omnes peccatores terræ, & imaginem eorum exterminauerunt de ciuitate Domini. Vicerunt quippè & peremerunt diuersas Dæmonum gentes. Nisi enim vicissent eas, non potuissent capere ex eis captiuos, omnem hunc credentium numerum, & perducere eos ad obedientiam Christo, & subdere eos iugo eius suaui, & imponere eis onus eius leue. Quis ergo ita beatus est, qui succedat eis in his præliis, & interficiat omnes Madianitas, & iustificetur ex sanguine eorum ? Sanguinem enim Dæmonum fundere dicitur, qui eripit eos quibus illi dominantur ; Lauabitur autem hoc sanguine, & purificabitur in regno Dei, vt purificatus & mundus effectus, possit ingredi sanctam ciuitatem Dei : aperiente sibi ostium Christo Iesu Domino nostro, imo qui est ostium ciuitatis ipsius Dei. ]

*Vsu doctrinæ, de Christo Bellatore atque Victore.*

1144 Per nos quoque, vult Christus vincere. Nam & ex Deo nati sumus. Omne autem quod natum est ex Deo, vincit mundum, vt scilicet sicut Christus primogenitus in multis fratribus; mundum, ideſt tres turmas quas fecerunt Chaldæi, interprete S. Bernardo, serm. 1. in Octaua Paschæ, ductore Satana in nos irruentes, deuicit; ita & filij adoptionis, idem præstent. [Quotquot enim sunt Christi, (præmiserat eius sermonis initio, S. Bernardus,) cum Christo eos mundus odit, sed cum Christo superatur pariter & ab ipsis. *Nolite* (ait) *mirari si odit vos mundus: scitote quia priorem me, vobis odit habuit.* Et item, *Confidite*, (inquit,) *quia ego vici mundum.* Sic nimirum manifesta fit sermonis illius veritas, quem ait Apostolus; *Quos præscivit*, inquit (haud dubium quin Deus Pater,) *& prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Vide conformationem. Post ipsum adoptantur, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: post ipsum odit mundus eos: post ipsum & ab eis vincitur mundus. Benè ergo, quod natum est ex Deo, vincit mundum, vt sit testimonium cœlestis generationis, victoria tentationis: & sicut is qui filius est per naturam, mundum cum suo principe triumphauit; sic & nos victores inueniamur, quotquot sumus filij adoptionis. Victores sanè, sed in ipso qui confortat nos, in quo & possumus omnia: quia hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Fide siquidem in Dei filios adoptamur, fidem in nobis mundus in maligno positus odit atque persequitur; fide quoque & vincitur, sicut scriptum est; *Sancti per fidem vicerunt regna.* Quidni attribuatur fidei victoria, cuius est etiam vita? *Iustus*, (inquit,) *ex fide viuit.* Quotiens ergo tentationi resistis, quotiens vincis malignum, noli propriis tribuere viribus, noli in te, sed magis in Domino gloriari.]

Ex hoc capite summam suam potentiam prodere velle Christum, obseruauit Orig. hom. 7. in Num. sic obsignans, egregiam de spirituali certamine & interno bello disputationem. [Vult (inquit,) semper Iesus, res mirabiles facere, vult de locustis vincere Gigantes, & de iis quæ in terris sunt cœlestes superare nequitias. Et fortasse hoc est quod dicebat in Euangeliis; *quia qui credit in eum, non solùm faciet ea quæ ipse fecit sed maiora*, (inquit) *horum faciet.* Verè enim mihi maius videtur, quod homo in carne positus, fragilis, & caducus fide tantùm Christi, & verbo eius armatus, superet giganteas Dæmonum legiones. Quamuis ipse sit qui vincit in nobis, plus tamen esse dicit, quod per nos vincit, quàm quod per te vincit. Tantùm est vt nos armis istis semper simus armati, & conuersatio nostra semper in cœlis sit. Omnis motus noster, omnis actus, omnis cogitatio, omnis sermo, cœlestis sit. Quanto enim nos illuc ardentiùs ascendimus, tanto illi præcipitantiùs ruunt; & quanto magis augemur, tanto illi inferiores fient. Vita nostra si sancta sit, si secundùm Deum sit, illis conferet mortem. Si signis & luxuriosa sit, potentes eos aduersùm nos & gigantes faciet. Quanto ergo nos virtutibus crescimus, tanto illi inferiores efficiuntur & fragiles. Sicut è contrario, si nos infirmemur, & terrena requiramus, illi fortiores fiunt. Et quanto nos dilatamur in terris, tanto illis spatia in cœlestibus largiora concedimus. Vide hoc magis agamus, vt nobis angescentibus illi minuantur, nobis ingredientibus illi pellantur, nobis ascendentibus, illi cadant: sicut & ille cecidit, de quo dicit Dominus in Euangelio; *Ecce vide Satanam sicut fulgur cadentem de cœlo*: vt illis proiectis, introducat nos illuc Dominus noster Iesus, & percipere regnum suum cœleste concedat.]

S. Athanasius, mirabilem hunc victoriarum Christi effectum suspicit, quod etiam ætas infirma, Satanam, eiusque satellitium, habeat ludibrio. Sic igitur philosophatur Athanasius orat. 1. contra Arrianos. [Iam olim ex quo deceperat primum hominem Adam, persuasus omnes sese homines in sua ditione habiturum, ferociter insultabat dicens; *Ego vniuersum orbem terrarum mea manu veluti nidum comprehendam, & vt ouа relicta tollam, nec erit qui aufugiat, aut obloquatur mihi.* Cæterum qui antea orbem terrarum se compreheſurum iactauerat, post aduentum Domini, iam experimento doctus, quid Dominus in rebus humanis ageret, quàm non posset eam quam Dominus gestabat carnem fallere, domitus fractusque, iam inde, etiam à pueris veluti passerculus, superbus ille pro ludibrio habetur. Puer enim infantulus, inferens manum suam super linguam aspidum, deridet eum, qui Euam deceperat; & omnes qui legitimè in Christum fiduciam habent, pedibus conculcant eum, qui hæc verba locutus est; *Ponam solium meum supra nubes, ascendam & similis ero Altissimo.* Et has quidem contumelias, ille patitur.]

Cauendum duntaxat, ne hostis quem Christus victor prostrauit, nostris dissidiis resurgat, & victoriam adipiscatur de victoribus, quod Isidorus Pelus. l. 2. Epistola 139. vt iam retuli admonet Hermogenem Episcopum in Christi persona. Videndus idem argumentum versans in persona sua ibidem Epistola 164. Rursus autem, l. 4. Epistola 64. quàm probrosum sit Christianis, vinci post Christi victorias, pulchrè demonstrat.

## CAPVT XV.

### *Christus Redemptor, Liberator, Seruator, salutare, salus, saluatio.*

1145 NIHIL in Scripturis, & Patribus vsuque communi Christianorum decantatius, quàm Christum esse *Redemptorem nostrum*, qui est effectus victoriæ de qua proximè. Nam & Iob cap. 19. tanto ante Redemptorem suum vincere contestatus est; & Isaias c. 63. de eodem dixit, *Redemptor noster à sæculo, nomen eius.* Interdum tamen in abstracto dicitur *redemptio*, vt apud Apostolum 1. Cor. 1. vbi Christus dicitur factus esse nobis *redemptio.* Et Psalm. 120. vbi

Deus

Deus dicitur misisse populo suo redemptionem. Sed hæc eodem recidunt, iuxta illud Hieronymi Epistola 26. [ Christus redemptio, idem redemptor & pretium, Christus omnia. ] Et reuera Christus fuit is qui dissoluit captiuitatem nostram, & ipsum litrum eius dissoluendæ extitit, iure sibi soli proprio. Nam Pater & Spirit. sanctus, non sunt nostri redemptores, quamuis æquè communicent gratiam redemptionis, ac Christus. Quod vnum voluit Greg. Nyss. orat. in S. Baptisma *sub medium*, visus asserere, nos esse à tribus SS. Triadis personis redemptos. Nostrum porrò redemptorem dixi Christum, quia Angelos non esse ab eo redemptos, iam suprà monstraui, agens de Christo capite.

### *Triplex captiuitas nostra, per Christum exclusa.*

Quia verò redemptio quæ nobis per Christum præstita dicitur, supponit captiuitatem nostram, eamque manifestè connotat, vt ingratitudinem depellamus, quod benè admonet Giselbertus cap. 9. Altercat. ab hac captiuitate est auspicandum. Triplex porrò captiuitas & seruitus, à qua per Christum redempti & liberati sumus, notari potest in Scripturis, vt obseruat Toletus in cap. 8. Ioan. annot. 12. Est enim omnium terrima quam sub Satana, & peccato subiuimus per peccatum primi parentis, & iniuriam numini ab ei irrogatam, excidentes à fœlici statu in quo conditi fueramus in primo homine, nascentes obnoxij damnationi æternæ: ac eatenus constituti sub peccati & Satanæ iugo, quod nobis ipsi plerúmque per actualia peccata aggrauamus, facti gehennæ filij multipliciùs quam antea. Ex quo autem gratiæ originariæ statu excidimus, itémque ex quo per mortale peccatum cœlesti decore diuinæ gratiæ sumus spoliati, excidimus quoque iure habendi auxilia ad comparandam gloriam & vitanda peccata; vnde consequitur, vt propè nolentes abripiamur in peccatum; hinc lubricitate malè operandi viam ad scelera expediente; inde vrgente Dæmone, & malis sociis, ac habitibus propellentibus; tenebrarum autem & ignorantiæ densitate, non proponente mala imminentia, vt verè in misero homine illud Psalmis prophetantis non imprecantis impleatur, *fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.* Hæc est vna captiuitas & seruitus nostra, qua gratis venundati sumus, vt latè & piè admodùm prosequitur Rupertus lib. 1. de meditat. mort. cap. 15. Altera fuit quæ mortales ei subiectos non parum pressit, sed ita vt penè portare eam non possent; nempe seruitus sub lege Mosaica. Postrema est seruitus corruptionis, sub qua hîc gemunt omnes creaturę, iuxta Apostolum, sed homines imprimis.

***

### *Primam, quæ à peccati, & Satanæ iugo est, qui sustulerint.*

1146 Reguſtemus distinctiùs tres hasce captiuitates, vt modum liberationis, ab eis per Christum præstitæ, perspiciamus. Auspicandum autem est à prima. Eam quippe inficiati Pelagiani, Christo redemptoris decus abrogarunt. Sed & Ethnici, referente S. Anselmo lib. 1. cur Deus homo cap. 6. in hoc verbo scandalizati sunt, nullum agnoscentes carcerem in quo detineremur, nulla vincula quibus astringeremur: ac proinde captiuitatem humani generis, nostrámque ab ea per Christum redemptionem, inficiati sunt. Adhæsit iisdem Petrus Abelardus, ex quo hæc verba exscripsit S. Bernardus Epistola 190. quæ est ad Innocentium. [Sciendum est quod omnes, Doctores nostri, post Apostolos in hoc conueniunt, quod Diabolus dominium & potestatem habebat super hominem, & iure eum possidebat; ideò scilicet quod homo ex libertate arbitrij quam habebat, sponte Diabolo consensit. Aiunt namque, quod si quis aliquem vicerit, victus, iure victoris seruus constituitur. Ideò, (sicut dicunt Doctores, hac necessitate incarnatus est filius Dei, vt homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocenti, iure liberaretur à iugo Diaboli. Sed vt nobis videtur, (ait,) nec Diabolus vnquam ius aliquod in homine habuit, nisi fortè Deo permittente, vt carcerarius, nec filius Dei vt hominem liberaret, carnem assumpsit.]

Non desunt argumenta, quibus idem probari videatur. Quatuordecim multipliciter roborata, profert Driedo Tract. 5. de captiuit. & Redempt. generis humani. Sed omnia eò tandem recidunt, quod non sit Christus Redemptor, quia de nulla captiuitate liberati sumus; cum Diabolus è cuius tyrannide redempti dicimur, nullum in nos ius esset adeptus; nec videremur vlteriùs perstare obnoxij damnationi æternæ, si Christus liberasset nos, ac redemisset tam eximio litro exhibito, pro peccatis propter quæ detinebamur captiui. Quanquam quomodò sanguinis Christi effusio, & Vnigeniti mors, potuit Patri placere, vt ob ea remitteret peccata, & captiuitatem solui iuberet. Quod verò pretium, pro hoc isto tetertimo peccato accisionis Christi, qua anteriorum peccatorum facta est redemptio, superesset persoluendum, vt ab eo quoque redimeremur? Hæc omnia ex Abelardo refert S. Bernardus citata ad Innocentium Epistola. Quare censuit. Abelardus, idémque ante eum. Pelagiani tradiderunt; Christum venisse quidem vt doctorem hominum verbo & exemplo, non tamen vt liberatorem aut redemptorem.

### *Stabilitur autoritate.*

1147 Sed certa fides in plerisque Scripturis consignata, & apud omnes Patres, ac Christianos Doctores expressa, disertè habet contrarium. Eóque inprimis pertinet, illud Sophoniæ 3. à D. Bernardo in hanc rem productum, *Saluabo te, & liberabo te noli timere.* Item illud ex Psal. 106. *Exandiuit eos, & redemit eos de ma-*

*nu inimici, de regionibus congregauit eos. Inimicum* antonomasticè interpretatur S. Bernardus, Diabolum, qui non vni præfuit regioni, sed omnibus, & vbique omnes tenuit captiuos. Apostolus verò diserti ssimè Coloss. 1. *qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij claritatis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Et 1. Cor. 6. *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno.* Ipse Dominus, comparat se fortiori superuenienti, & fortem armatum custodientem atrium suum eiicienti, vasáque ac spolia auferenti, ideſt liberanti & redimenti homines, qui priùs sub forti illo nequam erant captiui. Matthæi item 20. Christus ait se venisse, vt daret animam, ideſt vitam suam redemptionem pro multis.

Patres in contrarium, non est necesse proferre: cum & singulis propè paginis id tradant, & Abelardus vna eos securi exciderit; fassus ita sensisse Patres omnes, sibi tamen secùs visum. Quem homine hæretico dignum typhum, his præter cætera castigat loco citato S. Bernardus. [Quid in his verbis intolerabilius iudicem, blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? An non iustiùs, os loquens talia fustibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nonne omnium meritò in se prouocat manus, cuius manus contra omnes? Omnes (inquit,) sic; sed non ego sic. Quid ergo tu? Quid meliùs affers? Quid subtiliùs inuenis? Quid secretiùs tibi reuelatum iactas, quod præterierit sanctos, effugerit sapientes? Aquas furtiuas, & panes absconditos, puto apponet nobis iste. Dic tamen, Dic quidquid illud est quod tibi videtur, & nulli alteri. An quod filius Dei non vt hominem liberaret, hominem induit? Hoc planè nemini, te excepto, videtur: tu videris, vbi videris. Non enim hoc à Sapiente, non à Propheta, non ab Apostolo, non denique ab ipso Domino accepisti. Magister Gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magister omnium, suam doctrinam fatetur non esse suam. *Non enim* (ait,) *a me ipso loquor.* Tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti. *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* Tibi proinde sint, quæ tua sunt.]

## *Munitur via ad rationem pro eadem veritate, vestigato titulo captiuationis nostræ sub Satana, per peccatum.*

1148 Dimissis ergo Patribus, quos Abelardus pro more Hæreticorum omnium flocci facit, vt ratione in reuelatione fundata, coërceamus & reuincamus hos Errones, simúlque argumentis propositis fiat satis; statuendus est verus modus, quo intelligendum est, hominem fuisse per peccatum captiuitate mancipatum, quod aiebam præmittendum esse, redemptioni huic à prima per Christum. Captiui ergo propriè dicuntur, qui bello capti sunt, vt habetur apud Gellium lib. 7. cap. 18. & lib. 4. & 5. ff. *de captiuis & postliminio reuers.* Ea enim captione desinunt esse sui iuris, & viuere, ac operari vtlibet: sed ad nutum alterius adiguntur viuere, nec faciunt nisi quod sinuntur aut abeunt nisi quò conceditur ab eo in cuius potestate degunt captiui. Huiusmodi captiuitatem, cum proportione aliqua, respectu Satanæ omnes incurrimus, cum per peccatum hominis primi, per quod sanctitate excidimus; tum per actualia peccata, quæ quisque supperaddidit, iuxta illud Apostoli 2. Timo 2. *vt resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* Innumera de hac captiuitate & seruitute, addensat Lensæus lib. 2. de libert. Christ. toto, & paucis non pauca Toletus in c. 12. Ioann. Annot. 13.

Est tamen latum discrimen, inter captiuitatem hominis bello capti per victorem, & captiuitatem hominis per Satanam. Neque enim hîc fuit propriè bellum, quo homo renitens & nolens, sit deuictus, vt contingit in humana per bellum captiuitate. Sed homo cum à Satana cogi non posset, abstractus & illectus, incasses Satanæ incidit, factúsque est eius captiuus. Vbi si bellum quis dicat, excitationem per Satanam suggerentem & inuitantem, non refragabor. Eatenus tamen à vero bello discrepat, quia homo, non est vi domitus, sed suamet voluntate se dedidit hosti truculento. Quinetiam interdum homo Satanæ potestati subiicitur, non appetitus ab eo atque deuictus, vllo, ac ne simulitudinario quidem bello. Vitanda quippe sunt hîc extrema duo, quorum alterum omnia peccata esse tantùm à carne & sanguine statuit excluſa Dæmonum potestate ad impellendum in ea: quod sensérunt aliqui grauiter notati à Driedone Tract. 2. de redempt. & captiu. generis humani cap. 2. parte 1. membro 3. dist. 3. *in tertia sententia.* Alterum verò statuit, omnia peccata fieri autore Satana; quod item falsum est. Non enim omnia peccata fiunt incentore Satana, vt monstratum est, cum de causis peccati Iudæ.

1149 Videtur quidem S. Augustinus orat. contra Iudæos, Paganos, & Arrianos contrarium sentire, in illa luculenta Diaboli descriptione. [Quid est Diabolus? Angelus per superbiam separatus à Deo, qui in veritate non stetit, autor mendacij, à semetipso deceptus, qui alterum decipere concupiuit. Iste aduersarius, effectus aduersarius humani generis, inuentor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor etiam turpium cogitationum.] Nec minùs apertè in speciem S. Ambrosius serm. 16. in Psal. 118. ad illud, *feci iudicium & iustitiam, ne tradas me calumniantibus me:* vbi causam cur Dauid qui iustitiam fecisse se prodit, tradi potestati Diaboli vereatur, istam profert. [Hominem se esse cognouit, impar sibi bellum aduersùm spiritalia nequitiæ in cœlestibus; Raptum Enoch esse, ne malitia mutaret cor eius; Noë inebriatum; Lot incestatum; Sacerdotem primum, ipsum Aaron cum Maria sorore tentatum, lepræ maculis aspersam Mariam primùm, post absolutam; Moysem penè internecatum, nisi in circumcisione filij, & eiusmodi sanguinis fusione Sephora mulier eius, omne ab eo periculum depulisset. His igitur commonitus exemplis, nequaquam se fortitudini suæ credat sed cauta humilitate, diuinum sibi prædicando adscisit auxilium, potens me tradatur nocentibus. Scit enim autorem esse principem mundi, omnium delictorum. Ipse indiuiduos proximorum, irarum stimulis excitatis, scindit affectus; ipse flammam accendit libidinis; ipse adolet auaritiæ cupiditates;

tes ; vt quo plus rapuerimus , eo ampliùs requiramus : ipse suggerit & ministrat fomenta luxuriæ,ipse odia exasperat,& immodicæ studia ambitionis inflammat.] Moxque in particulari idem demonstrat de incontinentia & auaritia. Videsis an non idem quoque voluerit Autor sermonis de ieiunio apud Cyprianum , cuius hæc sunt verba,alloquendo Diabolum. [ Huius inferioris mundi,tua est scabies, languentis sunt vlcera , hæc scalpis , hæc impurus ablingis. Si quid vitij est , si quid corruptæ , tu cadaueribus assides,tu contrectas putredines , tu distemperas fœces , tu versas fœtores. Tu spiritus nequam, tu in pistrino seculi huius,fermentator immundus,tu sanctitatis corruptor , & simplicium perturbator, tu incendiator libidinum, & omnium turpitudinum adinuentor; In his regnas quos inquinas, & in his quos polluis,dominaris.Fornicatores & adulteri , te habent suggestorem,te habebunt tortorem , te quoque cum illis vltricia incendia concremabunt.]

Hæc Patrum dicta , non sunt accipienda vniuersaliter,sed tantùm indefinitè. Diabolus enim (quod vnum volunt hi Patres,) autor est & incentor,omnis generis peccatorum,sed non semper. Audi S. Basilium Reg. breuior. 75.cum dixisset Satanam nostris cupiditatibus plerumque, vti, vt nos ad peccatum pertrahat. Subdit enim. [ Quod autem etiam mala ex nobis ipsis nascantur,manifestè Dominus ostendit; *De corde enim* , (inquit,) *exeunt cogitationes malæ.* &c. Hoc autem vsu venit iis,qui ex iniuria, naturalia rerum bonarum semina , inculta dereliquerunt : conuenienter dicto illi Prouerbiorum, *Tanquam seges vir stultus , & velut vinea vir indigens prudentia. Si dimiseris eum, squallebit,& herbis luxuriabit tota & fiet derelicta.* Potrò quæ ex huiusmodi incuria in squallorem abiit, & derelicta est anima , consequens est necessariò, vt spinas ac tribulos progeneret, & ei illud eueniat,quod dictum est ; *Expectaui vt faceret vuas,fecit autem spinas.* De qua quidem anima, illud prædictum est , *Et plantaui vineam Sorech*: quod , si interpretari velis , *electam* significat. Consimile autem huic,quod hîc dicitur , inuenias apud Hieremiam,dicentem ex persona Dei; *Plantaui te vineam frugiferam , totam veram, quomodò conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?*] S.item Chrysostomus lib. 1.de prouid. postquàm latè probauit, vtilissimum fuisse,permitti nos Satanæ tentatori,subdit. [ Quodsi penitùs atque diligenter, his quæ fiunt, animum intendere velimus , inueniemus minimè ad omnia nos, Diabolum impellere: sed cum plurimorum ille nobis lapsuum sit autor , plurima item nosmetipsi per nostram solam socordiam ac negligentiam patimur. Vbi enim , vt ad priora reuertamur, ad Cain Diabolum accessisse, fraternámque cædem suggessisse legimus ? Nam matri quidem illius , visus est loquens , fraudémque concinnans:huic autem , minimè. ] Non igitur quoties delinquimus,necesse est vt Satana instigante delinquamus ; quamuis vt plurimum ita contingat , & semper eum habeamus peccati exemplar : quippe qui nobis pessimo exemplo præiuerit;quo ex capite dictus est peccati princeps,& radix prima.

*De eo titulo,Patrum iudicium.*

1150 Hoc igitur constituto , quod omnia peccata non fiant vrgente & inuitante Satana,manifestum est quod aiebam,hominem non esse Satanæ captiuum iure belli, neque eius potestati subiici,eo quod sit ab eo victus. Eodem quippè modo subiicitur per hæc peccata potestati Satanæ , ac per ea quæ impellente Satana perpetrat. Cum ergo quoties homo perseipsum ruit , potestas quæ tunc Satanæ obtingit , non habeat pro titulo , Satanæ de nobis victoriam, necessarium est , eam potestatem reuocare ad aliam originem. Nempe ad Dei iustam permissionem , qui hominem vltro se auertentem à summo bono,Satanæ tradit,ideò dimittit,ab eo rotandum & circumagendum , eo modo quem nunc exponam. Ita titulum , & rationem ac notionem Diabolicæ potestatis , per peccatum in hominem partæ , exponit sanctus Ambrosius serm. 16.in Psal. 118. *aduers.* 1. Adductis enim ex Apostolo , omnibus primariis peccati membris, subdit. [ In his enim Diaboli voluntatem facimus,&exequimur potestatem,qui per carnis istius desiderta incentiuum suæ fraudis operatur. Quemcumque ergo in vitiorum suorum possessione repererit , tanquam obnoxium suo iuri vendicabit. Adulterium qui facit, luxuriam exercet, aliena diripit , portio Diaboli est:pudicus autem & continens & misericors, Christi portio est.Christi ergo seruum,non potest sibi vendicare , nisi fortè lapsum in vitia deprehenderit : ac nec tum quidem vendicat, sed tanquam suum sibi tradi postulat. Ideò ergo dicit Dauid; *Feci iudicium & Iustitiam* ; non vt arroget,sed vt excusetur,ne quasi peccator deseratur à Christo. Exemplo sit nobis Apostolica lectio, quam ob rem vnusquisque tradatur. Illum enim qui vxorem Patris habuit , quia sic operatus est , tradidit Satanæ Apostolus. Non ergo esset traditus , nisi opera fecisset Diaboli. Vnde non immeritò recusat Propheta nocentibus tradi, qui allegat non Diaboli opera se fecisse sed Christi.]

Eodem modo sæpè philosophatur S. Augustinus,vt lib. 3. contra Iulia.cap. 9. & lib. 2. de nup.cap.29. ac optimè lib. 2 de actis cum Felice Manichæo cap. 11. & lib.3.de libero arbitrio cap.10.nec non S.Gregorius 18. Mor. cap. 3. Sed pulcherrimè S. Bernardus Epistola illa 190. his præter cætera. [ Cæterum etsi iustam dicimus Diaboli potestatem , non tamen & voluntatem. Vnde non Diabolus qui inuasit,non homo qui meruit , sed iustus Dominus qui exposuit. Non enim à potestate, sed à voluntate, iustus iniustúsve quis dicitur. Hoc ergo Diaboli quoddam in hominem ius , etsi non iure acquisitum, sed nequiter vsurpatum , iustè tamen permissum. Sic itaque homo iustè captiuus tenebatur , vt tamen nec in homine nec in Diabolo illa esset iustitia , sed in Deo. Iuste igitur homo addictus , sed misericorditer liberatus.]

Egregiè Abucara opusc.1. [ Deus à principio cum hominem finxit , & fortem & inuictum fecit. Quare Diabolus , cùm non posset suis illum viribus superare , essétque sapiens ad nocendum , fallaciam illi machinatus est , quo vsque per obedientiam voluptate delinitum , nudauit

dauit eum gratia, quæ fortem illum reddebat, atque ita debilitatis viribus facilè eum superauit, & in omnem voluptatem, peccatum, & obedientiæ repulsam, vnà cum posteris suis, induxit. Deinde Deus, eum qui mandatum suum improbauerat, & reiecerat, & ad inimicum accurrerat, eique obedierat, iustè permisit tyrannide eius opprimi: (*Cui enim quis obedit huius se seruum facit*, (inquit Apostolus,) *serui enim estis eius, cui obeditis*. Vendidit ergo se homo qui liber erat, voluptati & inimico.] Sic ille, respondens huic interrogationi infidelis. Rogo te, vt doceas, quomodò facti fuimus serui Diaboli.] Et mox. [Non dicimus sic factum esse Diabolum nostrum Dominum, vt nos penitus per vim teneat; sed quod per peccatum debilitati, deinceps tanquam valetudinarij, faciles facti sumus Diabolo ad capiendum nos, nullo negotio, & facilè in peccata eius & voluptates adducti, & illecti. Sicut enim si inimicus, maleuolo suo potionem veneni adhibeat, vt potione debilitatum facilè vincat, sic cibo illo vetito hominem decepit: & factum imbecillem, arripuit. Tenebat nos itaque seruitute subiectos.]

1151 Optimè item S. Anselmus lib. 1. cur Deus homo cap. 7. quamuis ex persona Bosonis discipuli, idcircò affirmantis ambiguum & falsum videri, quod passim dicitur, Dæmonem fuisse à Christo exturbandum potestate quâ iustè possidebat eum, qui sponte se ad illum contulit, peccando. [Non video, (inquit de hoc communi effato Boso,) quam vim habeat. Nam si ipse Diabolus, aut homo suus esset, aut alterius quàm Dei, aut in alia quàm in Dei potestate maneret, forsitan hoc rectè diceretur: cùm autem Diabolus aut homo non sit nisi Dei, & extra potestatem Dei neuter cõsistat, quam causam debuit Deus agere cum suo, de suo, in suo, nisi vt seruum suum puniret, qui suo conseruo communem Dominum deserere, & ad se persuasisset transire, ac traditor fugitiuum, fur furem, cum furto Domini sui susceptisset? Vterque namque fur erat, cùm altero persuadente, seipsum Domino suo furabatur. Quid enim iustius fieri posset, si hoc Deus faceret? aut si iudex omnium Deus, hominem sic possessum, de potestate tam iniustè possidentis, vel ad puniendum istum aliter quàm per Diabolum, vel ad parcendum illi eriperet; quæ hæc iniustitia esset? Quamuis enim homo iustè à Diabolo torqueretur, eum tamen ille iniustè torquebat. Homo namque meruerat vt puniretur, nec ab vllo conuenientiùs quàm ab illo cui consenserat vt peccaret. Diaboli verò meritum, nullum erat vt puniret: imò hoc tanto faciebat iniustiùs, quanto non ad hoc amore iustitiæ trahebatur sed instinctu malitiæ impellebatur. Nam hoc non faciebat Deo iubente, sed incomprehensibili sapientia sua, quæ mala etiam benè ordinat, permittente. Et puto, illos qui Diabolum aliquam opinantur habere in possidendo homine iustitiam, ad hoc inde adduci; quia vident hominem Diaboli vexationi subiacere iustè, & Deum hoc iustè permittere: & idcircò putant Diabolum illam iustè inferre.] Demonstrat hoc fusè, exemplo repercutientis cum peccato, eum qui malè percusserat, ideoque repercuti merebatur. Tum subdit. [Diuerso igitur intuitu, iusta & iniusta est eadem actio, quam contingere potest ab alio iudicari iustam tantùm, ab alio iniustam. Hoc quoque modo, Diabolus non iniustè dicitur vexare hominem, quia Deus hoc iustè permittit, & homo hoc iustè patitur. Sed & hoc quòd homo iustè dicitur pati, non sua iustitia iustè dicitur pati, sed quia punitur iusto iudicio Dei.] Ita tametsi Bosonis nomine dicta, videntur tamen è mente S. Anselmi esse, cum ea postea nullo modo improbet: quod solet, cum Bosonis dicta sibi non placentia, expendit.

### *Cuiusmodi sit Satanæ in nos potestas, post peccatum.*

1152 Habemus quis sit titulus, illius qualiscumque potestatis quem Diabolus in peccatorem comparat, eúmque vt S. Augustinus loquitur oratione contra Iudæos, Paganos & Arrianos, suo Domino obstringit. Apello qualemcumque potestatem, quia homo non est intelligendus ita permitti potestati Satanæ, vt non possit ei obsistere, spolietúrque libertate. Hoc enim falsum esse certum est, & ex nonnullis Patribus confirmatum in Mor. dist. 2. num. 315. & locis ibi notatis. Non est igitur dominium plenum & verum, quod constituitur potestate legitima, seu iure disponendi de re quapiam pro arbitrio; sed quoad titulum est ius vsurpatum atque tyrannicum, quale habet inuasor in regionem quam nullo iure occupat, vt pulchrè protequitur Orig. lib. 5. in ad Rom. ad illud, *regnauit mors ab Adam*; Quoad ipsam verò potestatem, non est nisi vis eluctabilis, ad impellendum hominem in peccata, ob submotum diuinum præsidium naturæ indebitum; quo fulciatur & roboretur aduersùs machinationes & impetus propellentes ad malum. Supposita tamen exarmatione nostra, & natiua fragilitate, ac superpondio propensionis ab habitus aduentitios & extrinseca incentiua, est potestas a iqua, cui ægrè obsistimus. Et quamuis eam aliquando excutiamus, denuò tamen in eam relabimur, si iteratò peccamus. Quod aduersùs nonnullos, malè id superiore seculo inficiatos, confirmat Lensæus libro 7. de libert. Christia. 8. c. 9. Sed puto id esse clarius, quàm vt necesse sit multis ad id argumentis conniti; cum Scripturæ seruitutem qua Dæmoni addicunt peccatorem, non restringant ad primam mancipationem, sed absolutè & simpliciter peccatorem statuant obnoxium potestati Satanæ, idque proinde etiam admittant, de eo qui post partam sanctitatem, naufragium eius est passus.

Regnum hoc Satanæ, concinnè his verbis describit Autor sermonis de iciunio apud Cyprianum. [Regnum hoc non est naturæ, sed malitiæ: Persecutio est, non defensio, & tota huius potestatis virtus, in mortem damnationémque eorum qui sub hoc principe militant, elaborat. Regnum hoc munitur vitiis, ambitur flagitiis. Turres eius, sunt crimina; arma, quarumcumque turpitudinum molimina. Huius Regis telonarij, sunt pauperum oppressores, tribuni seductores, præfecti iudiciorum peruersores. Cubicularij eius, sunt qnæstuum aduncatores, mercimonij traiectores, ærarij Sacerdotes, nummularij Doctores, conductitij defensores, linguæ subdolæ vel consilij locatores, venales auxiliarij, bilingues causidici, concinnatores mendacij, fabricatores peccati, vestiti mollibus, amicti discoloribus. In domo huius Regis sunt, qui paludamentis

paludamentis talaribus pauimenta verrentes, capillis muliebribus se in fœminas transfigurant, & dignitatem virilem non sine naturæ iniuria dehonestant. In hoc regno sunt quicumque veritatem Dei commutant in mendacium: quicumque, quasi in taberna vitiorum præcones, venales animas impurissimis Dæmonibus corrumpendas exponunt. Hîc auaras manus cupidi muneribus complicant: hîc genu flexo concupiscentiæ suæ quisque idolum colit, & propriæ libidinis adorat simulachrum.]

### *Quàm variè denominetur, & quomodò ad peccati regnum se habeat.*

1153 Hanc Satanæ potestatem siue regnum sic expositum, de cuius latepatentia præclarè Orig. hom. 30. in Lucam, Scripturæ non vno nomine appellant. Nunc enim regnum peccati, nunc mortis nominant, aliisque nominibus illud insigniunt. [Nam sicut Christus (inquit Origenes in cap. 5. ad Rom. *in ipso fine*,) vnum quidem est per substantiam, multis autem virtutibus & operationibus designatur, & gratia ipse esse intelligitur, sicut iustitia, sicut pax, sicut vita, sicut veritas, sicut verbum: ita fortassis & Diabolus, in multis vel in diuersis significationibus, sæpè potest intelligi. Nam & peccatum quod regnare dicitur, ipse putandus est: & mors, ipse credendus est, de quo dicitur, *quia & nouissima*; *inimica destruetur mors.* Sed & perditio, ipse intelligitur, secundùm illud quod dictum est à Propheta; *Perditio factus es, & non subsistes in æternum tempus.* Sed & quod dicit Apostolus, *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, puto quod magis de ipso dictum sit. Ipse enim autor peccati, & mortis, & perditionis, & consequenter, ab inuentis rebus, autor inuenti nominatur.]

Fateor tamen, si præcisè & veluti ad metaphysicum rigorem, res expendatur, aliud esse statuendum regnum peccati, aliud Satanæ. Nam regnum peccati, vt minutè prosecutus sum in Opere aduersùs nouam libertatem p. 1. cap. 8. num 17. illud est, quo homo in peccatum consentiens decliuiorem sibi, ac veluti lubriciorem viam facit ad vlteriora peccata; etiamsi Satanas nullo modo interueniret: Incurruntur enim habitus praui, per actiones anteriores, quotũ pŏdere vrgemur ad similes actiones repetendas. Et quãuis habituũ immissio non multùm premeret, tamen parcior diuinorum auxiliorum subministratio, in peccati pœnam consequens, facit vt appetitus non coërcitus, ferociat ad summum vsque, aut saltem multo fortiùs quam faceret si per gratiam reprimeretur. Vnde homo infirmus, & naturæ propensione in obiectum vetitum inclinans, ægerrimè resistit, turpitérque hastam abiiciens, cedit peccato. Et quamuis interdum proponat abstinere, tamen propè nolens abripitur ad itetanda quæ eit detestatus. Consuetudo enim, tyrannus est voluntatis, vt dixit Isido. Pelus. lib. 1. Epist. 38. Idque S. Gregorius 7. Mor. cap. 14. obseruat significatum à Iobo, cum dixit de improbis, *inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum.* Quæ enim inuoluuntur, ita complicantur, vt prima extremis nectantur, eodémque reueniatur. Impij ergo voluuntur in semitis gressuum suorum, qua reueniunt eodem; & ad easdem culpas, quantumuis eas aliquando detestati, remigrant.

Hæc est connexio peccatorum de qua S. Basilius in cap. 5. Esaiæ fusè ac plenè disserit, ad illud, *Veh qui trahitis iniquitatem in funiculis.* De eadem connexione, in capitulis Patrum *pag.* 68. Ben Azai dixit. [ Curre ad præceptum leue, tanquam ad graue; & fuge à transgressione. Præceptum enim trahit præceptum, & transgressio transgressionem. Siquidem merces præcepti est præceptum, & merces transgressionis, trangressio. ] Eucherius aut quiuis alius earum homiliarum Autor, optimè de eadem connexione disputat hom. 3. ad Monachos n. 9. [Scriptura pronuncians de his qui dum primas negligentias prætermittunt, in alias atque alias semper incurrunt, ita ait: *peccator adiiciet ad peccandum*; Verbi gratia, mali cuiuslibet aut obtrectationis passio inpugnare me cœpit; si non statim me pœnitudo vitæ huius memordit, cras tanta mihi huius vitij facilitas veniet, & quædam, (vt sic dixerim,) suauitas, vt reuocare me ab illo, & continere non possim. Ita enim euenit, vt qui primo tempore emendare noluerit, incipiat in sequenti, nec velle, nec posse. Verbi gratia. Superbiæ acquiescere cœpi, regulam violaui, Seniorem læsi, iuniorem destruxi. Si enim statim me pœnituit tam grauiter fuisse præuentum, ita de die in diem libentissimè me rapiet ipsa violentia consuetudinis, & impetus passionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me sentiam. Obscurat enim atque obruit intellectum onus delicti, assiduitas delinquendi. Etenim ita cor negligentiis obduratur, vt hoc ipsum sese non humiliet, si non satisfaciat, præposito suo no. cre se credat, insuper insultet, & dicat: Quàm constanter ille restiti, quàm benè non acquieui, quanta autoritate respondi? Putabat quòd me semper illi humiliare deberem. Quod qui facit, Diabolo se tradidisse captiuum constat, qui de hominum vitiis & passionibus ac perditione lætatur, & eiusmodi animę euenit illa sententia; *Peccator adiiciet ad peccandum.*]

### *Seruitus peccati, generalis & specialis, ex dictis eruitur.*

1154 Hoc est ergo peccato subesse eique seruire; (à quo enim quis superatur, eius & seruus est:) Id est, per prosopopeiam quandam inducta peccato imperantis persona, peccatum perinde hominem afficit, ac si ei dominaretur. Trahit enim illum, non quidem ineluctabiliter, sed tamen potenter: & ita vt ægerrimè, summáque cum difficultate, possit se ab illo non admittendo, cohibere. Quod S. Bernardus serm. 81. in Cant. sic exponit. [ Vim à natura solus homo non patitur, & ideò solus inter animantia liber. Et tamen interueniente peccato, patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate, non à natura; vt nec sic quidem ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntarium, & liberum. Et quidem peccato factum est, vt corpus quod corrumpitur, aggrauet animam, sed amore, non mole. Nam quod surgere anima per se iam non potest, quæ per se cadere potuit; voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso humore languescens & iacens, amorem

pariter iustitiæ non admittit. Ita nescio quo prauo & miro modo, ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit; vt nec necessitas cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodò voluntaria. Est fauorabilis vis quædam premendo blandiens, & blãdiendo premens, vnde sese rea voluntas vbi semel peccator consenserit, nec excutere iam per se, nec excusare tamen vllatenùs de ratione queat. Inde querula illa vox; veluti gementis sub opere necessitatis huius; *Domine*, (inquit,) *vim patior respondè pro me.* Sed rursus sciens quod non iustè causaretur aduersùs Dominum, cum voluntas sua ipsius potiùs in causa foret, attende quid secutus intulerit. *Qui dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?* Premebatur iugo, non alio tamen quàm voluntariæ cuiusdam seruitutis, & erat pro seruitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est, quæ se cum esset libera, seruam fecit peccati, peccato assentiendo. Voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet, voluntariè seruiendo.] Et mox. [Ita anima miro quodam & malo modo, sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate, & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem, & quod magis mirum magisque miserum est, eo rea, quo libera; eòque ancilla, quo rea: ac per hoc eo ancilla, quo libera. Miser ego homo, quis me liberabit à calumnia huius pudendæ seruitutis? Miser, sed liber. Liber quia homo, miser, quia seruus. Liber, quia similis Deo; miser quia contrarius Deo.]

Regnum generale peccati cui omnes subiacemus, à speciali vniuscuiusque proprio, secernit Orig. hom. 15. in Iosue; Quia nimirum quisque suos manes patitur; & pro diuersitate genij, variis sit peccatis obnoxius, quia variè inescatur & pellicitur: Vnde peccati regnum. Victoris Cartennensis locus ex lib. de pœnit. cap. 22. est in hanc rem planè luculentus. [Cæterum (inquit,) si te in desperationis gurgitem enormitate tuorum scelerum circumactus abieceris, aut itineris tui dubitaueris represso gradu extirpare congeriem, vel sinistræ mentis prolapsu decliuior, in pronum vergentia adducas, lubrica exercitatione vestigia; illicò tibi spes amissæ reparationis adimitur; rapiet te sorbens in abruptum vorago facinorum, claudentur oculi tui nocte peccati, ne veri luminis videant radium permicantem; mortis se cæcitas opponet, & per ludum quemdam huc atque illuc te circumdutent Angeli deceptores. Fient igitur grata cuncta flagitia, & peccandi licentia tibi penitùs adlubescet. Tenebit te Diabolus suæ libertati addictum, vt sit tibi liberum peccare, non viuere. Non sinet te respicere ante qui fueras, cum blandimento peccandi, dulcedine te criminum fallantissimus auocauerit. Et vt semel dixerim, ita te pereundi suauitate decipiet, vt delectabilius tibimet videatur, perire potiùs quàm redire. Omne namque peccatum, absque sui delectatione non geritur. Nec aliàs inescare animum potorit, nisi suauitate desiderij illiciat quem deceperit. Dulcis enim mixtura, & suauis si necesse est faucibus lethalis poculi funesta confectio, nè amaritudinis prima libatio reuocet hauientem. Sic denique visum est mulieri primitiuæ, bonum esse ad aspectum, & dulce ad cibum arboris illius venenum, cuius postquam mentita est suauitas, laboris comedentis, infecit motientis haustus violenta subtilitas.]

### *Adiuncta seruitutis sub peccato.*

1155 Hoc est peccati regnum, quasi essentialiter sumptum. Quæ enim præterea in eo spectari possunt, ad eius veluti grauamina pertinet. Eiusmodi est excæcatio in Scripturis frequentissimè celebrata, & pulchrè à S. Greg. expressa 11. Mor. cap. 18. Nec ignorarunt Philosophi, peccato hominem exoculari, vt docet vulgatum apud eos effatum, de quo plenè in Mor. Dist. 4. num. *omnis peccans est ignorans.* Fodicatio quoque & laceratio assidua conscientiæ, peccato semper comitatur. Insigniter de hoc Tyrannidis peccati importabili onere, Victor Cartennensis lib. de pœnit. cap. 22. Hinc etiam timor ille assiduus peccatoris, nemine persequente fugientis, & ad minimum folij casum expauescentis. Exclusio meriti ad gloriam proficui, atque adeò vitæ in eum finem diuinitùs collatæ inutilitas, tyrannidis peccati ærumna est. Denique vincula quibus alligatur infœlix iste captiuus, sunt funes peccatorum; hoc est ferè necessitas perpetuandi & multiplicandi peccata. Audi S. Ambrosium serm. 8. in Psal. 118. *ad v.* 5. postquàm egerat de funiculis cadentibus in præclaris. [Boni ergo illi funes, isti autem funes quibus trahuntur peccata, vt funis longo, & vt loro iugi vitulæ, iniquitates. Vitula enim indomita, plus se iactat & excutit cum tenetur, nec acquiescit imperio, nec adstringitur vinculo, sed magis cum loro retrahitur, exasperatur. Itaque nec coacta se subiicit, nec tamen libera vinculorum est. Sicut ergo trahit vitula lorum iugi, quæ etsi non tenetur è proximo, tenetur tamen; nec se explicat & absoluit: ita trahit vnusquisque peccator, indomitis moribus iniquitates, qui putat se liberum, quia non est iugo subditus, subiectúsque iudicio: & nescit quod non sit exutus, sed magis vt illa vitula, & ipse se implicat suorum nexibus peccatorum. Hi sunt ergo funes delictorum nostrorum, quibus inuoluimur & ligamur. Et ideò Saluator, qui habet in potestate peccatum dimittere, dicit iis qui sunt in vinculis. *Exite*; vtinam & mihi dicat; Exi de vinculis tuis, exi de nexibus peccatorum tuorum: Solue funes erroris tui, quibus circumdatus & ligatus es. Etsi enim nequissimus Dominum, & detestabilis sim vsu peccatorum, illo tamen iubente liber ero, qui sub vno momento latrocinij damnatum reum supplicio eripuit, constituitque in regno suo. Sunt ergo vincula quibus constringimur, etsi videamur nobis liberi. Beatus qui hæc soluit sibi vincula. Et ideò David ait; *Dirumpamus vincula eorum & abiiciamus à nobis iugum ipsorum.* Non manu vtique visibilia vincula dicit esse rumpenda, sed inuisibiles criminum nexus morum conuersione & fidei professione soluendos. Aut si manu, & tunc opera manus tuæ eroga pauperibus, debiles eleuato, redime captiuos, & soluisti vincula tua. Eleemosyna enim à peccato liberat. Eripe eum qui ducitur ad mortem; hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia tu Sacerdos, aut tu Imperator eripe subscriptione indulgentiæ: & soluisti peccata tua, eruisti te à vinculis.

*Vinculis*

*Vinculis enim peccatorum suorum, vnusquisque constringitur*, sicut ipse legisti. Ligat nos vinculis, carnis illecebra. Vinculum nostrum, auaritia est; vinculum nostrum, ebrietas est; vinculum nostrum, concupiscentia est; vinculum nostrum, superbia est. Sunt, & Diaboli vincula. Denique scriptum est; *Hanc autem filiam Abrahæ, quam ligauit Sathanas decem & octo annis.* Ligat nos Diabolus criminum nexu, ligat nos vinculo fornicationis, vinculo adulterij, vinculo perfidię, qua Christus negatur, vinculo inuidiæ, qua frequenter etiam frater appetitur; vinculo crudelitatis, qua nonnumquam socius & conformis occiditur. Hæc sunt vincula, quibus ligatus vnusquisque ita inclinatur, vt animam suam seuare non possit, nec obtutus ad cælum mentis erigere, nisi ei dixerit Dominus; *Dimissus es ab infirmitate tua*, & munere eum suæ benedictionis exerexerit. Hæc sunt sceleratorum vincula, quibus durè peccatores ligant.]

### *Nexa eidem, seruitus sub Satana. Vtraque ærumnosissima.*

1156 At principatus Satanæ, eiúsque dominatus in peccatorem, est quid concomitans regnum peccati, vel etiam illo posterius. Ex eo namque quod homo per peccatum abiecerit Deum, & idcirco superpondia ad peccatum, idest prauos habitus super naturalem ad illud propensionem sibi adiunxerit, iustéque sit à Deo vbertate auxiliorum spoliatus; (quo ipso regnum peccati incurritur,) ex eo inquam consequitur, vt permittatur Satanæ, ludificandus ab eo, & vrgendus ad noua scelera, cum magna resistendi difficultate. Vel si hæc quasi traditio, idest permissio qua regnum Satanæ constituitur, est pœna iusta concomitans præcedentes, perinde est ad rem præsentem. Æquè enim habemus regnum Satanæ in peccatorem, à regno peccati in eundem secerni, quasi metaphysicè rem spectando, quod vnum nunc quærimus. Ob affinitatem tamen, & quia regnum peccati maximè subseruit Satanæ ad stabiliendam tyrannidem suam, passim confunduntur duo illa regna, seu potius tyrannides; iisque adiunctæ seruitutes, & captiuitates peccatoris.

Vtraque fœdissima, teterrima, & ærumnosissima est. Quo spectant quæ fusè prosequor in Mor. dist. 4. à num. 421. Sed egregiè planè id expressit S. Hilarius in Psal. 125. his præter cætera. [Et quidem grauis est captiuitas corporalis, quæ iure libertatis amisso, victorum dominatui subditur: & seruiunt tum quidem corpora, sed nequaquam capitur fidelis animæ libertas. Testes sunt mihi tres pueri inter flammas cantantes: Testis Daniel in fame leonum, Prophetæ prandio saturatus: Testis Eleazar inter iura dominorum, patris suis legibus liber: Testes cum matre sua Martyres septem, Deo gratias inter noua mortis tormenta referentes. At verò quanto infelicior est animæ captiuitas? Si eam auaritia cœperit, per corpus latrocinatur ac grassatur: si libido vicerit, communicat cum corpore seruitutē: si luxus, ira, odium, temeritas, ebrietas, inuidia subegerit, his imperantibus sibi Dominis, & anima & corpus in commune famulantur: atque ita captiuitatem animæ, & corporis, sequitur mentis captiuitas. Cœterùm conditionem corporis, religiosæ animæ, generositas despicit, Officium quidem durum, tamen homini non omnino miserabile, quia ei seruiatur à seruis. At verò animæ captiuitas, quàm infelix est? Auarus cariturus semetipso, carere timet pecunia: negotiosus, tristis, anxius, sine requie vlla, damni metu semper detinetur, honestatis immemor est, amicitiarum inobseruans humanitatis fugax, religionem nescit, bonitatem omninò odit. At verò cui libido domina est, in quo cœno dedecoris volutatur? Pendet ad occasiones adulterium: anxius circa lasciuiæ suæ furta, oculis mente corpore totus in scortis est. Videns quotidie atque audiens humanas in adulteros leges, adulterium in ipso foro cogitat, quod agit timet, & quod timet, non fugit. Quid verò infelicius ebrietatis dominatu? Ventri vltra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quandam, naturæ incolumi imperare? Quàm dedecorosus autem est furentium motus temeritatis impetus, odiorum stimulis, liuoris anxietas? Quanta ergo perturbatio eorum est, quanta calamitas, qui suprà memoratis malis seruiunt?]

Plenè item ac insigniter, Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 15. tractans illud, *qui facit peccatum, seruus est peccati*, quod sic glossat. [Ex sententia iusti iudicis, collum superbi peccatoris, religatur in hoc seculo sub iugo periculosæ vanitatis. Primitiæ namque stipendiorum originalis & actualis peccati; sunt retia inextricabilis vanitas. Grauis autem vsquequaque est vanitas, quam non leuigat sanctitas. Incuruat enim oculum rationis ad inferiora, & suspicere sursum negat oculum contemptationis ad superiora. Meminit seruus iste, antiquos libertatis discursus, cibaria suspirat Angelica, gratissimi acris commutata deplorat amplissima spatia: in spinam defixas; sagittas sentit natantes per viscerum medullas; dorsum suum à pessimis super fabricatoribus recuruatum gemit, & præcordiis palpitantibus, abyssum miseriarum se iam absorbere cernit. Omni desolatione consolatio durior; cibus, vniuersis ieiuniis austerior; vestis, nuditate austerior. Indignatur magis de tali seruitute; est enim seruitus peccati, seruitutum seruitus. Seruus namque peccati, seruus est tot dominorum, quot vitiorum. Imperant ei vitia, non Domini, sed tyranni; non benevoli sed inimici. Præsunt, sed sine vtilitate: imperant, sed sine miseratione: mandant, sed sine discretione: conregnant super vno, sed cum dissensione. Quisque, si obtemperatum sibi non fuerit, latus miserum sanguinat: si obtemperatum, necat. sub his Dominis, vita nequitior, mors melior, si tamen non amarior. Si enim seruus petat panem accipit lapidem; si piscem, serpentem; si escam, viperam; si vinum, venenum. Rixantur frequenter, quis oculum, quis manum, quis pedem, quis aliud quodlibet membrum serui vendicans sibi, abscindat. Se in oculis regnasse, luxuria allegat, voracitas in gula; mendacium in lingua; crudelitas in manibus, leuitas in pedibus; in auribus vanitas. E contrario curiositas oculum, gulam inobedientia, susurrum linguam manus auaritia, pedes intemperantia, aures iniustitia vendicant. Mallem non habere membra, quam tot suppliciorum pendere vectigalia? In clementius nihil hac exactione, vbi solutum

semper repetitur, innouata cum cruciatibus repetitione. Excitando ad malum, non satiatur luxuria, expetendo ad supplicium, non finitur miseria. Imples luxuriam, & adhuc esurit, sustines pœnam. & adhuc crescit. Quia vitium non extinxisti, flammam inextinguibilem, tibi infœlix succendisti.]

Breuiter multa complexus est Augustinus 19. Ciuit. cum dixit. [Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati, ac per hoc multi quidem religiosi Dominis iniquis, non tamen liberis seruiunt; à quo enim qui deuictus est, huic & seruus addictus est. Et vtique feliciùs seruitur homini, quàm libidini, cùm sæuissimo dominatu vastet corda mortalium, vt alias omittam, libido ipsa dominandi. Hominibus autem illo pacis ordine, quo aliis alij subiecti sunt, sicut prodest humilitas seruientibus, ita nocet superbia dominantibus. Verè, vt ait, nullus potest excogitari deterior Dominus, quàm libido, & libidinis incentor Satanas; vel quàm alia quæpiam affectio peruersa, item præsidiaria Satanæ, iurati & capitalis hostis nostri; ip éque Satanas peruersissimus, & sibi subiectis ærumnissimus dominator. Verissimè item addit Augustinus, cæteras seruitutes quantumuis horrendas, etiamsi Dominis sint noxiæ quos immanitate ac feritate maculant, tamen subiectis in quos ea atrocitas exercetur, prodesse ac commodare plurimùm. Solus hic dominatus, meram calamitatem, & ærumnarum nullo fructu temperatarum immensam molem, miseris, nec tamen miserabilibus subditis infert. Quis enim eius misereatur, qui volens turpissimam seruiat seruitutem? Idque est huius captiuitatis & subiectionis alterum probrum, quod à volentibus subitur; tantúmque excutitur, quia non placet excutere? [Non bona patientia, (ait S. Bern. l. 1. de consid. c. 3.) cum possis esse liber, seruum te permittere fieri.] Et mox c. 4. iungens hoc huius seruitutis probrum, cum altero quod ex Domini improbitate duximus, ait. [Si potes, & non vis: multo magis seruus es huius ipsius tã peruersæ voluntatis tuæ. An non seruus, cui dominatur iniquitas? Et maximè. Nisi tu fortè indignius iudices, hominem tibi, quàm vitium dominari. Quid interest, volens seruias an inuitus? Nam etsi coacto seruitus miserabilior, sed affectata miserior est.]

### *Adumbrata in Ægyptiaca, & Babylonica seruitute.*

1157 Fœditatem ærumnosam huius seruitutis, & captiuitatis, scripturæ, nunc cum Ægyptiaca, nunc cum Babylonica filiorum Israël captiuitate componunt: quarum vtraque, & teterrima fuit & aspertima. Durissima illa Ægypti Tyrannica seruitus, (inquit Eucherius hom. 3. de Pasch. [Quid aliud erant illa vitia & hortenda in luto & paleis Pharaonis imperia, nisi fœda atque terrena, diabolica voluptatis officia & vitiorum detestanda contagia? siquidem infructuosa & inania vitæ humanæ opera, paleæ sunt. Paleæ, inquam, nimiùm flammmis amica materia. Sed hoc ipsum quod Pharao in paruulis Hebræorum pueros iubebat interfici, & fœminas reseruari vtique speciem præferens, inimicus spiritui & amicus carni: inuidens virtuti, consentiens voluptati: fortitudinem præfocat, concupiscentias nutriebat. Hæc itaque seruitus, quod pejus est, non illius tantùm temporis fuit, sed etiam nunc animas negligentium & infidelium, multo periculo, suis nexibus blandæ cap iuitatis inuoluit.] Quare Moses, qui populum ex hac captiuitate, in Christi ex alia longè ærumnosiore liberantis typum eduxit, dicitur datus Israeli redemptor, vt videre est Actorum 7. Latè hanc captiuitatem, cum humana vniuersali, confert Rupertus l. 13. in Matth.

Captiuitatem verò Babylonicam, typum fuisse captiuitatis animatum sub tyranno Satana, & peccato; tradunt varij, quos retulimus, reddentes rationem taciti in Ecclesia *Alleluia* a Septuagesima ad Pascha; tam concinnè S. Hilarius in Psalm. 136. cuius hæc est oratio. [Lex vmbram habet futurorum bonorum, *& omnia in præformationem acciderunt his. Scripta sunt autem propter nos: in quos fines seculorum deuenerunt.* Gesta igitur ipsa illa in exemplum, & scripta in doctrinam sunt. Itaque & hanc corporalem populi captiuitatem, referri in exemplum spiritualis captiuitatis oportet. Captæ enim mentes nostræ sunt, corporum sæculique dominatu, captæ à Dæmonibus sunt iure potiorum, quæ imperium in nos suum per diuersa ministeriorum genera exercent, dum nos ebrietas possidet; dum luxus subigit; dum auaritia deuincit; dum ambitio occupat; dum malenolentia retinet; dum ira vsurpat; dum omnia in nobis regnant hæc incentiua vitiorum. Venit enim Dominus, secundùm Prophetam, captiuitatem auertere, cum dicitur. *Prædicare captiuis remissionem.* Veni ligatos soluere, cum ait; *Hanc filiam Abrahæ quam ligauerat Satanas decem & octo annis, nónne oportuit solui die Sabbati?* Venit seruientes in libertatem reducere, dicens; *Amen amen dico vobis, quoniam omnis qui facit peccatum, seruus est peccati; seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si verò filius vos liberauit, verè liberi eritis.* Capimur ergo, & ligamur, & seruimus, non tam corpore quàm & mente.]

Sed & Origenes hom. 1. in Ezech. ad illud *cum essem in medio captiuorum*, Ezechielem visentem captiuos apud Babylonem, figuram fuisse Christi Domini, pulchrè prosequitur, Videsis insuper Gillebertum in Altercatione Synagogæ & Ecclesiæ c. 17. *in fine.* Plenius de typo huius spiritualis sub Satana captiuitatis, expressoin captiuitate Babylonicæ, Sancius in præfatione ad c. 40. Esaiæ, & in c. 2. Zachariæ, *initio*; & in c. 3. Abacuc, nominatim num. 33.

### *Nusquam ingenuitas. Omnes captiui, hæc prima captiuitate.*

1158 Hæc est captiuitas quam subeunt, & seruitus quam etiamnum seruiunt, omnes peccatores. Mirabatur verò nec iniuria Eucharius, in tam latè fusa captiuitate, ipsósque prouinciarum & regnorum Magnates occupante, iactari ingenuitatem & nobilitatem: quasi possit ingenuitas vera, cum tam terra, támque probrosa, quodque deterrimum est, voluntaria subiectione cohærere; Quod tamen constat esse à vero alienissimum. *A quo enim quis vincitur*, (Eucherij est ratiocinatio,) sicut

sicut & Apostolus testatur, *eius & seruus est*: iste obtemperat iniustitiæ, ille iræ: iste superbiæ ille sæuitiæ: iste malitiæ, ille iracundiæ: iste auaritiæ, ille luxuriæ: Nescio quomodò se inter hæc ingenuum dicere audeat, quem tot domini in partes suas distrahunt. Quid prodest quòd liber est in natura, qui seruus est in conscientia? Videmus nos extrinsecùs generis claritate sublimes, extrinsecùs mentis infirmitate degeneres: innocentum dominos, & criminum seruos. Iam melior est vernaculorum ratio, quos originis videtur inclinasse conditio. Habetis boni famuli vestram consolationem, pro libertate complectimini honestam seruitutem. Intolerabile iugum, & fœda dominatio, & erubescenda subiectio. Aut quid spei relinquitur seruienti, vbi æterna mors, iuncta est seruituti? sine causa est à fortis, vel genere, vel honore conspicuus, qui non est intùs ingenuus. ] Totidem sæuissimis Dominis truculentísque Tyrannis, subiici hominem, quot subiacet affectibus indomitis, atque peccatis, egregiè prosequuntur Nyssenus orat. 3. de beatitud. & Isido. Pelus. lib. 3. Epist. 148. Vbi ergo in homine peccatis obnoxio, pérque ea Satanæ mancipato, vera ingenuitas, & digna eo nomine nobilitas? Ac proinde, quis non seruus & captiuus, ea de qua agimus captiuitate?

### *Christus ab ea nos redemit.*

1159 Eripuit nos ex hac captiuitate ac seruitute, Christus Dominus; quod quia insigniter planè docuit Origenes hom. 6. in Exodum mouens difficultatem initio propositam, & soluens, iuuat eum audire. Tractat ibi illud Cantici Mosis, *populus tuus iste quem possedisti*, seu vt ipse legit *acquisiuisti*. Sic ergo disserit. [ Sed si ipse Dominus creator est omnium, videndum est quomodò hîc acquisisse dicatur, quæ sua esse, non dubium est. Dicitur & in alio cantico Deuteronomij; *Nonne hic ipse Deus, qui fecit te, & creauit te, & acquisiuit te*? Videtur enim vnusquisque illud acquirere, quod non fuit suum. Inde denique & Hæretici dicunt de Saluatore, quia non erant sui quos acquisiuit. Dato enim pretio, mercatus est homines, quos creator fecerat. Et certum est, (aiunt,) vnumquemque non illud emere quod suum est. Apostolus enim ait; *Pretio enim empti estis*. Sed audi quid dicit Propheta: *Peccatis vestris venundati estis, & pro iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram*. Vides ergo quia Dei quidem creaturæ omnes sumus, vnusquisque verò suis peccatis venundatur, & pro iniquitatibus suis, à proprio creatore discedit? Dei igitur sumus secundùm quod ab eo creati sumus. Effecti verò sumus serui Diaboli, secundùm quod peccatis nostris venundati sumus. Veniens autem Christus redemit nos, cum seruiremus illi Domino, cui nosmetipsos peccando vendidimus. Et ita videtur tanquam suos quidem recepisse, quos creauerat, tanquam alienos autem acquisiuisse, quia alienum sibi Dominum, siue errando, siue peccando quæsiuerat. Et fortassè, rectè quidem dicitur redemisse nos Christus, qui pretium nostri, sanguinem suum dedit; quid tale autem vt nos mercaretur, etiam Diabolus dedit? Ergo, si videtur, auscultа. Homicidium, pecunia Diaboli est. Ille enim ab initio homicida est. Fecisti homicidium, Diaboli pecuniam suscepisti. Adulterium Diaboli pecunia est. Diaboli enim in eo imago est, est, & superscriptio. Commisisti adulterium, accepisti Diaboli numisma. Furtum, falsum testimonium, rapacitas, violentia, hæc omnia Diaboli census est, & Diaboli thesaurus. Talis enim pecunia, de eius moneta procedit. Hæc igitur pecunia emit ille quod emit, & efficit sibi seruos omnes, qui de huiusmodi censu quantulúcumq; susceperunt. Verùm ego vereor, ne etiã aliquas de astantibus quos noscimus, Diabolus mercetur occultè; ne etiam aliquibùs nostrorum hanc pecuniam quam suprà enumerauimus, ingerat & faciat illos rursum suos, & rursum pro eis tabulas seruitutis; & peccati chirographum scribat, atque immisceat seruis Dei, eos quos peccati pretio sibi fecerit seruos. Solet enim, quia inimicus homo est, tritico miscere zizaniam. Et tamen si quis fortè huiusmodi pecuniam à Diabolo deceptus, accepit, non vsquequaque desperet; misericors enim est & miserator Dominus; & creaturæ suæ non vult mortem, sed vt conuertatur & viuat. Pœnitendo, flendo, satisfaciendo, deleat quod admissum est. Dicit enim Propheta, *Quia si conuersus ingemueris, tunc saluus eris*. Paulò latiùs progressi sumus, dum volumus exponere quomodò Deus quæ sua sunt dicatur acquitere, & redimere Christus sanguine pretioso, quos emerat Diabolus vili mercede peccati.]

Habes quomodò venundati simus, & quomodò Christus nos redemerit magno pretio. In eãdem sententiã pulchrè disputant Rupertus l. 1. de meditatione mortis à cap. 15. & S. Epiphanius Hær. 42. quæ est Marcionistarum quem religio sit omittere. Impugnans enim spurcum illum, qui ex eo quod Apostolus ad Galatas, dicat Christum factum maledictum, nos redemisse, inferebat, nos priùs, fuisse alterius quàm Dei, ait num. 8. [Maledictum Christus non est, sed dissolutio maledicti: contra verò benedictio omnibus est, in eum verè ac sincerè credentibus. Vnde & *redemit*, scriptum est, non *emit*. Neque enim in alienam possessionem, diripiendi vel emendi gratiã venit. Nam si emeret, quod ante non habebat, emeret; ac mendici instar quibus caruerat sibi compararet. Cuius autem in peculio eramus, omninò egestate nos oppressus aliqua vendidisset, quasi à creditore quopiam coactus. Longè verò sese aliter res habet. Non enim *emendi* verbo vsus est, sed *redimendi*. Cui simile est illud quod idem Apostolus alio loco dixit; *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Atqui neque dies emuntur à nobis, nec pro illis pretium vllum persoluimus: sed ad patientiam, ac tolerantiam, animíque constantiam exprimendam, eam loquendi rationem adhibuit. Quocirca *redimendi* verbum, totum illud susceptæ pro salute nostra corporis, aduentúsque negotium significat; quo quidem pati nostrâ causâ dignatus est Deus, qui pati nihil alioqui poterat, cùm in eodem statu Diuinitatis, patiendo videlicet nihilominus persisteret. Quòd verò perpeti aliquid pro nobis voluit, non ad emendi nostri gratiã præstitit, quasi alieno mancipio teneremur: sed vno duntaxat nostri studio & amore ductus, Crucis supplicium, non necessitate vlla, sed voluntate sustinuit.] Hactenus Epiphanius ex accurata & ad Græcum contextum exacta Dyonisij Petauij interpretatione. Ne

quod Consaluus ad eiusdem Epiphanij Phisiologum c.20. contra Cornarium interpretem tricatur, de S. Epiphanij mente non esse quis censeat, quod nos emptos ex Cornarij versione negabat. Verè enim S. Epiphanius nos à Christo emptos negat, non quomodolibet, (quod esset contra Apostolum contestantem, *Empti estis pretio magno,*) sed in sensu pro quo in præsentia satagimus, quasi nimirum priùs fuissemus Dei dominio subducti, & transissemus in Satanæ iura, legitimámque possessionem.

### *Ea redemptio, est in actu primo duntaxat, & quomodò omnium; aut nonnisi quorundam.*

1160 Addendum verò est, redemptionem prædictam, non fuisse nisi in actu primo, (vt sic dicam:) idest præstitisse Christum, quicquid ex parte optimi liberatoris & redemptoris, necessariũ erat, vt redimeremur, dummodò per nos non stet quominùs redẽptio exhibita, & ex parte Christi sufficienter perfecta, ad nos pertineat. Beneficia enim diuina, quæ hominis sanctificatione, & vera à peccati & Satanæ vinculis exsolutione continentur, in homine iibertate arbitrij donato, sibique permisso, & per ætatem sui potente, humanam acceptationem deposcunt. Itaque vt optimè Philosophatur Nyssenus in Oratione Catech. cap.30. tametsi omnes, sunt in actu primo redempti, nihilque desideratur ex parte redemptoris, quod ad liberationem plenam captiuorum possit opportunum aut necessarium videri; tamen non omnibus obtingit reipsa liberatio, quia non omnes, suum esse volunt, exhibitum à Christo beneficium. Vnde mirum non est, si multi hodiéque perstant captiui. Disputatum est in hanc rem plenè superiùs l.3. sect.1. c.2. *sub finem.*

Quod autem aliqui Patres, affirmant, non omnes homines, sed solos electos, esse à Christo redemptos; sicut Christum non esse mortuum, nisi pro iis qui saluantur de facto, non aliò pertinet, quàm ad factam his duntaxat applicationem beneficij omnibus communiter prouisi; sed ab his duntaxat sibi adhibiti, si adulti erant: vel adhibiti per eos quorum intererat, si non erant sui compotes. In quem sensum sect. illa. c.4. *sub finem*, accipiendos monui, Arnobium Iuniorem, Faustum, Ambrosium, & Ecclesiam Lugdunensem, quos ibi retuli, affirmantes Christum pro solis iustis redimendis vitam abiecisse. S. Augustinus eodem sensu lib.1. de adulterinis coniugiis c.15. ait, [Omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est. Non tamen omnis qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est.] Et l.2. de symbo. c.8. quærens cur Christus cicatrices rediuiuus retinuerit, affirmat id factum, vt in die iudicij, confunderet impios, qui beneficiis per Christum partis, vti noluerint; suffundentur enim immenso rubore, cum ea conspexerint vulnera; videbuntque in quem pupugerunt. [Non vt eis dicas sicut Thomæ; *Quia vidisti, credidisti:* sed vt conuinces eos veritas dicat, Ecce hominem quem crucifixistis, Ecce Deum & hominem in quem credere noluistis. Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis: quoniam & per vos, & propter vos, apertum est, nec tamen intrare voluistis. Qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei: discedite à me in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Sed illorum mors proficiat ad nostram salutem. Si illi contempserunt, nos timeamus eum qui sic venturus est iudicare. Festinet vnusquisque cum viuit, vt viuat; currat vt eius pretioso sanguine redimatur, ne cùm non fuerit inuentus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum.] En quomodò redemptos statuit eos duntaxat, quibus adhibita est redemptio: seu qui cum effectu saluantur, nimirum quia soli beneficium Christi noluerunt esse inane; ac proinde non tantùm in actu primo, sed etiam in actu secundo, sunt redempti. S. Chrysostomus rem subtiliter attigit hom.17. in ad Hebr. expendens illud *semel mortuus est ad multorum exhaurienda peccata.* Sic enim ad hæc verba interrogat. [Quare multorum, & non omnium? Quoniam non omnes crediderunt. Pro omnibus quidem est mortuus, quantum ad ipsum attinet. Mors quidem illa ex æquo respondebat omnium interitui, non exhausit autem & sustulit omnium peccata, propterea quòd ipsi noluerint.]

1161 Hi sunt, quos obstructa per Christum peccati amphora, ab iniquitate sublatos, in terram Sennaar, Zacharias c.4. præclaro ænigmate describit, tradens exhibitam sibi mensuram procedentem insidente muliere, quæ esset vniuersæ terræ iniquitas, sed sublato plumbi talento in os insidentis, vas à duabus aligeris mulieribus alas habentibus velut vpuparum, apprehensum & exportatum est in terram Sennaar, Babylonis regionem. Plumbi talentum, S. Cyrillus l.3. de adorat. *in fine*, ait esse Christum [qui attollitur quidem, idest exaltatur per crucem, ac dignitate diuinitatis spectatur insignis. *Deus*, enim, *illum super omnia exaltauit, & largitus est illi nomen, quod est super omne nomen.* Obstruit autem os iniquitatis, iuxta illud quod in Psalmis canitur, *Et omnis iniquitas oppilabit os suum*; quòd ea prohibeatur aduersùs eos clamare, qui ex infirmitate peccauerint & fide iustificati sint; *Deus enim est ille, qui iustificat; quis est qui condemnet?* Itaque, cùm Christus passus sit pro nobis, quomodò consequens esset, etiam à nobis ipsis repeti nostrorum peccatorum pœnas?]

Cur autem Christus dictus sit lapis stanneus, vel plumbi talentum, tationem primùm petit ex vi plumbi, seu stanni adunatiua. Tum etiam eo quod, [Argentum improbum, simul eum plumbo si excoquatur, optimè purgatur: rapit enim plumbum ad se naturæ vi simul excocti metalli sordes. Non dissimile fuit ille, quod Christus erga nos ipsos impleuit: nobis enim cum improbi essemus, non corporaliter modò, sed spiritaliter admissus est; Ita denique sordes excoxit eas, quæ nobis inerant: is enim tollit peccata nostra, vt nos propter ipsum, & per ipsum puri ac splendidè simus. Et certè Propheta Hieremias de Iudæorum populis, qui purgationem repudiarent, eam quæ per Christum perficitur, conqueritur dicens; *Defecit sufflatorium ab igne, defecit plumbum; frustra argentarius conflat, nequitiæ eorum non sunt excoctæ: argentum reprobatum vocate illos, quia reprobauit illos Dominus.* Intelligis igitur non ignorasse Scripturam diuinam, purgationem argenti, sine plumbo

plumbo fieri non posse. Ergo quia nos cum reprobi essemus, à Christo purgati sumus ideò ille per plumbum figuratur.] Hæc secunda ratio denominandi Christum, stannum, aut plumbum, est huic loco accommodata.

1162 Quomodò ergo per Christum sit obstructa iniquitas, & quomodò nihilominus ei quidam postea adhæreant, & apprehensi à mulieribus vpuparum specie alatis, in Babylonem abdantur, sic exponit S. Cyrillus. [Obstructum est per Christum, os iniquitatis, iustificati namque illo sumus, atque ab omni criminatione liberati, illáque iniquitatis aduersùm nos accusatio conquieuit, hanc enim totius dispensationis suæ finem propositum habuit is, qui propter nos, secundùm nos, & pro nobis mortem subiit, etsi denuò reuixit, neque enim fas erat, vt vita morti succumberet. Sed nonnulli non crediderunt Christi Euangelio, ideoque, cùm à peccato redimi noluerint nil mirum, si eius peccati sarcinam denuò ferunt, quam suis ipsi ceruicibus, infirmitate rationis, & languore mentis, & mollitie animi parum virilis, imposuerunt. Hi enim spiritu improbo circumferuntur, & ad omne genus impuritatis vehementissimè compulsi, summum studium rebus vitiosis impendunt. Studij porrò insigne, sunt pennæ, quas etiam esse ait vpupæ: genus est autem id auiculæ, quæ semper circa lutum pessimè olens volat, atque ex cœno & sordibus, pastum petit. Igitur quicumque sua studia in impuritatem infumunt, hi proculdubio pennas vpupæ iure optimo habere dicendi sunt. Muliebri iidem specie sunt, & effœminati: deniq; eadem forma sunt, qua esse dicitur iniquitas, eorum domina. Vt enim conformes Christo per sanctificationem fiunt, qui sub ipso sunt; sic iniquitati conformes ac similes sunt, qui iniquitatis sarcinam sustulerunt, instituérúntque vitam cum vitiorum impuritate traducere. In Babyloniam porrò regionem mensuram deferunt, ibique domum ei quærunt: quæ res, ni fallor, hoc figuratè significat; qui ea bona respuerit, quæ per Christum parta nobis sunt; animaduerteríque obstructionem, quæ ex peccato est, in eo quòd studium omne in impuritate collocatum habet; fore vt is ex ciuitate sancta Hierusalem, hoc est, è sancta illa parente primogenitorum, superàque ac pulcherrima ciuitate, ac pondere penè non ferendo pressus, vnà cum Babyloniis habitet; ideſt, partem ac sortem cum impiis idolorum cultoribus habeat. Qui enim Christi Redemptionem contemnunt, ij ab impiis non differunt.] Christi Redemptionem ab impiis contemni ait, quia noluerunt beneficio per Christum oblato potiri. Itaque sunt quidem in actu primo, seu quoad sufficientiam redempti; non tamen in actu secundo, siue quoad effectum: quia noluerunt, & Redemptionẽ oblatam contempserunt. Ex se autem, ipse Christus omnes peccati Reges interfecit, vt in eius typo dictum est de Iosue, expenditque Origenes homil. 15. in Iosue.

*Prior modus exponendi nostram per Christum Redemptionem, appenso litro.*

1163 Modus exhibitæ per Christum redemptionis, dupliciter in Scripturis & Patribus exprimitur, pro analogia ad duplicem modum redemptionis in humanis. Prior est, annumerato litro conuenienti; posterior est debellatione hostium à quibus oriebatur captiuatio. Christus litrum superabundans pro liberatione nostra appendit, non Satanæ qui non erat creditor, & cui satisfaciendum non erat, sed æterno Patri. Quamuis enim Satanas esset qui nos captiuos tenebat, non Deus; tamen quia Satanas nihil poterat absque Dei permissu, Deo autem placato excutienda erat eius inuasio, iure dicimur redimi ab eius captiuitate pretio persoluto, & litro exhibito, non ipsi, sed Deo, vero creditori: cum quo proinde, Christum vt negotiatorem nostra causa agentem, sic proponit S. Augustinus fragmento 7. Tomi 10. cum Christi nobiscum negotiationem, & admirabile commercium præmisisset. [O bone mercator, eme nos. Quid dicam eme nos? cum gratias agere debeamus, quia emisti nos. Pretium nostrum erogas nobis: sanguinem tuum bibimus. Euangelium legimus, instrumentum nostrum: serui tui sumus; creatura tua sumus, fecisti nos, redemisti nos. Emere quisque potest seruum suum; creare non potest. Dominus autem seruos suos & creauit, & redemit. Creauit vt essent redemit ne semper captiui essent. Incidimus enim in principem huius seculi, que seduxit Adam, & seruum fecit, & cœpit nos tanquam vernaculos possidere. Sed venit redemptor, & victus est deceptor. Et quid fecit redemptor noster captiuatori nostro? Ad pretium nostrum tetendit muscipulam, crucem suam: posuit ibi escam, sanguinem suum. Ille autem potuit sanguinem istum fundere, non meruit bibere. Et in eo quod fudit sanguinem non debitoris, iussus est reddere debitores. Fudit sanguinem innocentis, & iussus est recedere à nocentibus, ille quippè sanguinem suum ad hoc fudit, vt peccata nostra deleret. Vnde ergo ille nos tenebat, deletum est sanguine redemptoris. Non enim tenebat nos nisi vinculis peccatorum nostrorum. Istæ erant catenæ captiuorum. Venit ille, alligauit fortem vinculis passionis suæ. Intrauit in domum eius, ideſt, corda eorum vbi ipse habitauerat, & vasa eius eripuit. Nos sumus vasa: ista impleuerat ille amaritudine sua. Hanc amaritudinem, etiam nostro redemptori, felle propinauit. Impleuerat nos ergo ille tanquam vasa sua, Dominus autem noster eripiens vasa eius, & sua faciens, fudit amaritudinem, impleuit dulcedinem.]

Emit igitur nos Christus, à Patre; & redemit, discussa captiuitate nostra, insigni & magno, pro ea pretio Patri exhibito. Illud autem pretium ipsemet Christus fuit, vt dicitur 1. Timo. 1. *qui dedit semetipsum redemptionem*; quatenus scilicet vitam suam misericorditer impendit, vt redimeremur. Et quia vita *in* sanguine est, ideſt per sanguinem fouetur, itavt plane corrupto vel effuso sanguine desinat vita, propterea sæpè dicimur redempti, non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati. Et Apocal. 5. dicitur *redemisti nos Domine Deus*,

*Deus, in sanguine tuo.* Et Apostolus. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Non quod Deus, sanguinem filij sui tam horrendo crimine effusum amauerit, illumve poposcerit; sed quod actus quo ea sanguinis effusio, siue illa vitæ voluntaria dimissio, ac spontanea mors, offerebatur; summoperè placuerit Deo: Ille inquam actus voluntatis Christi, quo se ad satisfaciendum Deo, per patientissimam deiectionem ex charitate Dei & miseratione nostri, vltrò obtulit. Hoc namque fuit pretium, illud quod Deus tanti fecit, vt etiam horrendum peccatum quo vita Christi eripiebatur, deletum illius pretij annumeratione voluerit, vt pulcherrime disserit S. Bernardus Epistola 10. Dissoluens argumenta Abelardi superiùs proposita, quæ ex hac doctrina planè concidunt.

1164 Theodoretus ser. 10 de Prouid. hanc primam redemptionem per Christum tanquam litrum, quoad aliquos redemptos, eos scilicet in quibus primùm locum habuit hæc redemptio, sic repræsentat. [Vide naturæ Chirographum sublatum, ô amara mors. Vide illud ipsum cruci affixum, & sublatas ex eo peccatorum notas aspice. Vide vt malitiæ subscriptionem non acceperit. Huius ergo corporis oculi, oculorum qui malè spectauerant, soluerunt debitum: huius aures, pro inquinatis satisfacere auribus: similiter & lingua, manus, ac membra reliqua, pro membris quæ peccata qualiacumque commiserunt. Debito igitur persoluto conuenit vt qui propter illud carceribus inclusi fuerant, carceribus liberentur, & pristina libertate fruantur, ac ad patrios lócos redeant.]

Vniuersaliter autem, de eodem sic habet Sidonius in Eucharistico ad Faustum carm. 16. alloquens Christum,

*Quique etiam pœnas, susceptа in carne tulisti,*
*Sustinuans alapas, ludibria, verbera, vepres,*
*Sortem, vincla, crucem, clauos, fel, missile, acetum,*
*Postremò mortem, sed surrecturus, adisti,*
*Eripiens quidquid veteris migrauerat hostis*
*In ius, per nostrum facinus, cùm fœmina prima*
*Præceptum soluens, culpas nos perpete vinxit*
*Qui cùm te interitu petijt, nec reperit in te*
*Quod posset proprium conuincere, perdidit omne,*
*Quod lapsu dedit Eua suo; chirographon illud,*
*Quo persuasus homo est, hæc compensatio rupit,*
*Expers peccati, pro peccatoribus amplum*
*Fis pretium, veteremque nouus vice fœnoris Adam*
*Dum moreris de morte rapis, sic mortua mors est,*
*Sic sese insidiis, quas fecerat ipsa fefellit.*
*Nam dum indiscretè petit insontémque reóque*
*Egit vt absolui possent & crimine nexi.*

Audi & Proclum homil. de natiuit. Christi num. 5. [Humana natura propter peccata multis obstricta debitis tenebatur; neque quod debebat, vlla ratione dependere poterat. Per Adamum namque omnes peccato quasi chirographum dederamus, omnesque Diabolus in seruitutem redegerat. Etenim corpore nostro permultis passionibus subiecto, veluti charta vsus, nostræ venditionis pretia ostentabat, passionúmque debitum malignus ille falsarios, minitabundus ob oculos nobis ponebat, ac nos vniuersos ad supplicium condemnationemque deposcebat. Erat itaque alterutrum duorum necessarium: aut vt omnes per condemnationem precipites abirent in mortem (omnes enim peccauerant) aut certè vt talis pretium daretur, cui omnis suppetebat iustificatio ad recusandum. Atqui homo, quod peccati debito subiaceret, saluare non poterat: Angelus verò quod tantum redemptionis pretium ipsi non suppeteret, humanũ genus redimere nequibat, supererat igitur vt Deus pro omniũ peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat: atque vnica hæc restabat mali solutio. Ille itaque, qui vniuersam naturam ex nihilo produxerat, cuique nulla ad erogandum facultas deerat, vita morti condemnationíque addictis repetit tutissimam, mortisque solutionem decentissimam, dum nimirum ex Virgine modo quem solus ipse nouit, (nulla enim oratio miraculum hoc assequi valet) humanam naturam assumit, assumptámque in mortem contradit, cúmque in modum redemptionis pretium dissoluit, iuxta illud Pauli: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, peccatorúmque remissionem.*]

Chrysostomus homil. de baptismo Christi, monstrans quomodò Christus impleuerit omnem iustitiam. [Finge (inquit,) ducentos esse denarios mandata legis: hoc debitum, genus nostrum persoluere oportebat: Non persoluimus: coërcebat nos mors obnoxios istis criminibus: cum venisset Christus, nosque coërcitos offendisset, æs alienum dissoluit, debitum illud implenit, & eos qui soluendo non erant liberauit; idcircò non dixit, *decet nos hoc vel illud facere*, sed *implere omnem iustitiam.* Me Dominum decet, (inquit,) qui habeo, pro iis qui non habent persoluere.]

Anastasius Sinaïta lib. 4. de rectæ fidei dogmat. *sub medium*, & nostram venditionem, & redemptionem per Christum, appenso pretio, seruatisque legitimis ritibus affectionis in libertatem, describit his præter cætera. [Reuera nos eramus qui mortem habebamus adulterinam dominam, & honores nostros ab eo tuleramus, ac peccata ad mortem peccaueramus. Clamat igitur Propheta, arguens scelus venditionis, inquiens; *Ecce peccatis vestris venditi estis.* Sed licet venditio scelerata fuerat; oportebat tamen iustam, & legitimam esse liberationem. Empti enim sumus omnes, pretioso sanguine agni immaculati, & incontaminati Christi, atque ita liberati à carcere eius, qui nos primum in seruitutem redegerat; libertatem consecuti sumus. Scidit igitur nostrum chirographum, quo nos ipsi seruituti manciparamus, omnia propter nos perpessus, quæcumque dicunt esse signa integræ libertatis. Etenim verberatus est & pugnis cæsus.] Nimirum ritu Romano olim qui seruitute liberabantur & virga Prætoris feriebantur, & alapam excipiebant.

*Modus*

*Modus alter exponendæ nostræ per Christum Redemptionis, debellatis captiuatoribus.*

1165 Alter modus quo redemptio nostra perfecta dicitur, est per debellationem Satanæ & peccati, expressi per fictionem iuris, ad modum resistentis, & prælio confligentis. Peccatum enim contritum est, & Satanas compressus; vnde illa summa post Christum obligatio sectandi sanctitatem, expressa ab Isaia cap. 20. iuxta Isidorum Peluſiotam l.4. Epistо. 154. sic scribentem. [Grandiloquus ille Esaias, quasi edità voce acclamat; *Discite bonum facere, qui inhabitatis terram, compressus est enim impius.* Nam quia Propheticis oculis præuidebat Saluatoris in carnem aduentum, omni præstantiorem oratione, qui & infinita omnique admiratione maiora bona hominum genere conciliauit: & Tyranno (Diabolo) nexus incidit idcirco clamabat; *Discite iustitiam facere. Cessavit enim tyrannus*, nec amplius in omnes, quà viros, quà fœminas, impetum faciet. Omniáque in tuto collocata sunt; exceptis illis, qui semetipsos suâ sponte, eius substernunt atque subiiciunt deceptioni. Decipere enim homines potest, vi autem subigere ampliùs non potest.] Vtroque ergo illo hoste per Christum superato, erepti sumus è priore sub illis captiuitate, & restituti pristinæ libertati.

Est tamen difficultas aliqua, circa hanc rationem exprimendi modum redemptionis nostræ. Nam plerique Patres, disertè docent Deum noluisse hominem liberare per potentiam; nec Christum voluisse vti potestate vt hominem eriperet; quod absque controuersia poterat; sed elegisse humilitatem, & patientiam; vt Satanas per Iustitiam non per potentiam subigeretur, & ea via liberaremur. Ita S. Augustinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 10. & lib. 13. de Trinit. cap. 12. & 13. & 14. S. Gregorius 17. Mor. cap. 18. S. Leo serm. 5. de passio. & serm. 2. de Natiuit. Dom. Gelasius Papa lib. contra dicta Pelagianorum. At modus hic posterior, quo redemptionem per Christum factam exprimimus, sapit potentiam non humilitatem. Debellare enim, & hoste debellato captiuum eripere, est fortioris superuenientis; quia actio est à proportione maioris inæqualitatis.

1166 Hic nodus facilè extricabitur, si consideremus redemptionem pro nobis à Christo exhibitam, manasse quidem ab actu summæ potestatis in Satanam & peccatum; sed fortitudinem brachij quo duo illi hostes nostri sunt contusi atque contriti, ab conditam fuisse. nec fuisse exsertam, nisi præsuppositа imo adiuncta infirmitate, qua ex Iustitia compensaretur iniuria Deo illata, & captiui de Satanæ inuasoris tyrannide eriperentur, non ex mera potestate, & tantùm quia placuit, sed quia iustissimum fuit ita fieri, reparata Dei iniuria, & Satana vis fasque prætergresso, & vltra quàm ferebant fines diuinæ ob peccatum permissionis grassato in Christum. Deus enim ob peccatum, permiserat tantùm Satanæ sæuire in peccatores. At ille transiliens hos terminos deceptus Christi humilitate, in eum quoque arietauit. Sed fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt. Christus quidem corporaliter, amissa ad tempus modicum vita. Satanas autem æterna contritione prostratus est, & potestas eius prorsus euersa. [Ac sic ille sæuissimus draco (inquit Eucherius homil. 3. de Pasch.) proprium venenum, in necem sui, refusum sentit exitu: ac dum nocere se credit, dum contra Deum suum cæcus impetum facit; dúmque pondus tormenti sui illidit in solidamentum, ictu suo repercussus, fortem fuisse se doluit, & omnem nocendi potentiam se amisisse cognouit, quia noxios virulentorum dentium morsus sacro in corpore dereliquit: & ideò nunc infelices quosque quos sibi assensum facilem accommodare præuiderit, ad fauces suas solis sollicitationum carminibus trahit: & voluntariam prædam, inermis expectat ac proinde prostratus à Domino, humanum genus, non quasi fortior impugnat, sed iniqua consilia quasi debilitatus exsibilat.]

Et ibidem homil. 6. *in fine*, post longam circa hoc exspatiationem. [Repulit mortem omnibus debitam, dum solus soluit indebitam: ac sic per indignissimam passionem, quia non habebat peccata propria, redemit aliena. Hac itaque iustitia victus est, & hoc vinculo vinctus est, humani generis tantus inimicus. Nam cum se illi homo vendidisset, sicut ait, *peccatis vestris venditi estis*, & per peccati commercium solus illi homo deberetur, ille Deum consuetudinaria præsumptione deceptus appetiit, & dum occidit liberum, amisit obnoxium: perdidit ius suum, dum inuadit hominem non suum. Totum ergo cum eo perdidit, quia nihil in eo quod tenere posset inuenit, sicut ipse Dominus ait, proximus passioni, *Ecce venit princeps mundi huius, & in me nihil inuenit.* Ac sic Diabolus dum quærit quem occidere possit, inuenit quem damnare non possit.]

*Pia Redemptionis vtrolibet modo perfectæ, recognitio.*

1167 Insignem praxim agnoscendi beneficium huius per Christum redemptionis, eámque sibi applicandi, suppeditat Prosper in confessione sua quæ extat. Tomo 15. Bibl. Col. Excerpo inde nonnulla. [Heu (inquit) mæ miserum? Relicta patris domo abij in voluntarium desertor exilium: & duce vitiorum omnium multitudine, intima quæque Ægypti per spatiosorum itinerum procliuia deceptus intraui. Illic attrita decoris stola, & nobilitatis veste corrupta, inopem me, & paternorum decoctorum bonorum, subdoli comites, infideles amici, sub hasta mortis, & auctione peccati, cupidissimis licitatoribus vendiderunt. Sub quorum longo & graui confectus imperio, in Babyloniorum etiam iura transiui. Ibi cum per innumeras sæuissimarum dominationum vicissitudines, non in subiectione corporis, sed animæ sudore seruirem, & dignis confusus officiis, peiore quotidie status mei conditione turbaret: subtraxi me, quantum ab instantibus dominis licuit, in occultum spiritus cordisque secretum: & apprehenso cuiusdam sanctarum Scripturarum volumine, quid mihi adhuc spei superesset inspexi. Ac multo perfusus imbre lachrymarum Quo vsque, inquá, dominabuntur mei qui oderunt me? quamdiu inimicis meis seruiam? Istis quidem ipse me dedi, & per lethiferas voluptates pretium meæ perditionis accepi, sed paciſci de me meo

iure non potui. Habebam enim Dominum & meus non eram. Scio enim me eius redemptum sanguine, cui cœlestia, & terrena, & infernа subiecta sunt. Quid istis mecum est, quorum commercium mors est? Reuertar ad eum qui me eruit ad vitam, ac ne me reuertendi moretur facultas, quia in medio gentis alienæ sum, & regni sui limites barbarus dispositis seruat excubiis: benè est, quod redemptorem meum, tenentem omnia loca non tenent. Præsens cælis, inferis adest, totus in abyssis est, totus in terris: non itinere adeundus, non nauigatione quærendus est. Ipsum in Hierusalem reliquimus, ipsum in Ægypto prætermissimus ipsum inter Babylonios non videmus. Sed quæramus & apparebit, pulsemus, & aperiet, petemus, & tribuet. ]

*Nullus præter Christum, vel cum Christo, Redemptor; Non B. Virgo.*

Liquet ex dictis, vtrumque redemptionis modum propositum, ita fuisse Christo proprium, vt nullum alterum potuerit habere autorem. Nemo enim æquale pretium appendere, nemo ex iustitia Deo satisfacere, & peccatum Satanamque placato Deo contundere poterat, præter hominem Deum. Quæ omnia, agendo de finali Christi causa, plenè & solidè sunt constituta. Itaque quod interdum aiunt nonnulli, B. Virginem pro liberandis hominibus tulisse pretium, (quæ est Sophronij locutio, homil. de Assumpt. Deip. & Hildephonsi serm. 2. de Natiui.) nec dissimiliter nonnulli apud Suarem t. 2. 3. p. d. 23. sect. 1. molliendum est; itavt nequaquam significetur B. Virginem fuisse vel ex minima parte, mundi redemptricem: quod certum est admitti non posse, & egregiè à D. Ambr. refellitur, ad illud Lucæ 23. *stabant autem mulieres à longè hæc videntes*, & totidem verbis Epistola 82. *in fine*. [Vt matrem Christi decebat, (inquit) fugientibus Apostolis ante crucem stabat, & piis spectabat oculis Filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognouerat per Filij mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed Iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutorio seruauit. Vnde & dicit; *Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber*. Suscepit quidem affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxilium. ] Idem egregiè tradit Arnoldus Abbas, in laudatione Deiparæ *sub finem*.

1168 Illarum ergo quas retuli locutionum, alia quæri interpretatio debet: Ita scilicet vt sensus sit, B. Virginem ad opus redemptionis nostræ contulisse, primùm edendo Christum; quod fuit suppeditare orbi pretium quo liberari & redimi posset; iuxta illud S. Bernardi serm. in illud *signum magnum*. [ Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam. ] Petrus Damia. serm. 2. de Natiu. Virg. hoc sensu valdè commendat, vt attendamus quantas gratias agere Deiparæ teneamur, secundùm Deum pro redemptione nostra. Deinde cooperata ad redemptionem est, promptissima voluntate filium suum offerendo Patri, ad mortem pro humano genere; ita vt cum esset conscia diuini decreti, de salute hominum aligata morti Christi, non modò non refugerit atrocem filij innocentissimi excarnificationem, sed conformans se diuinæ voluntati, quantum in se erat, filium obtulerit; quodque ex Anselmo refertur, ipsa suis eum manibus crucifigere si opus fuisset parata fuerit; quod egregiè docuit Arnoldus Bonæ Vallis, Tract. de laudibus B. Mariæ, cum ait. [Sanctam Virginem consentiendo voluntati diuinæ, & Christi qui se in redemptionem pro nobis dabat, commune cum Christo holocaustum obtulisse communem in mundi salute cum illo effectum obtinuisse.] Additque & planè eleganter prosequitur Tract. in illud Christi verbum, *Mulier ecce filius tuus*, Deiparam cruci astantem, seque spiritualiter mactantem Deo in ara pectoris sui, & flammis charitatis succendentem, celebrasse cum filio sacrificium vespertinum, & cum Domini Iesv corporali morte, redemptionis nostræ consummasse mysterium. Ex D. Bonaventura, Gerson, & aliis, copiosè hoc illustrat Salazarius in cap. 8. Prouerb. ad vers. 19. à num. 201. vbi multos præterea Patres refert, in eundem sensum accipiendos, qui dixerunt B. Virginem esse salutis nostræ causam, quod habet S. Irenæus lib. 3. contra Hær. cap. 38. & Augustinus serm. 35. de Sanctis. Fulgentius serm. de laudibus B. Mariæ, Petrus Damiani serm. 1. de Annunc. S. Anselmus de Excell. Virg. cap. 9. Richardus Victor suo cap. 26. in Cant. Vel esse humani generis reparatricem, quo pacto loquitur S. Anselmus Tract. citato cap. 9. & 11. Vel esse mediatricem, quod habet S. Bernardus serm. 2. de Assumpt. & alij adducti supra cum de mediatore. Vel esse omnium salutem, vniuersi terrarum orbis conciliatricem, redemptionem captiuorum; Verba sunt sancti Ephrem, orat. ad Deiparam.

Est qui ridiculè eodem trahat, & eodem modo accipiendum putet, illud Christi verbum ad matrem. *Quid mihi, & tibi, est mulier?* Hoc enim sensu illud exponit. [Quid mihi & tibi, in reparanda hominum salute non commune, ô mulier? Quasi admirantis, & ad voluntatem tantæ matris, sponte inclinantis; imo se dedentis & offerentis Dei hominis, exprimat affectum: qui proinde facere iure non possit, quin ea petente, ac vel saltem indicante, tardas horarum moras precoci obsequio flecteret ad vsum miraculi. Quidni enim in carne existens matris conniueret charitati, qui in cœlis regnans, ad vocem serui, diem extendit, Solis cursu in medio cœli refrœnato? ] Ita habetur libro cui titulus est, *vendicata veritas Epistolæ Deiparæ ad Messanenses* cap. 2. *in fine*. Verùm hæc verborum Christi interpretatio adeò insulsa est, & tantoperè à contextu Euangelico, omniúmque Patrum & Interpretum expositionibus aueria, vt somnium potiùs videatur, quàm interpretatio. Itaque non est quod de illis Christi verbis, quasi ferentibus mortalium redemptionem per Deiparam, simus solliciti: præciséque inficiandum est, spectata proprietate sermonis, alium nobis esse redemptorem, quàm Christum Dominum, ac ne Deiparam quidem.

Non

*Non sancti reliqui, ac ne Martyres quidem.*

1169 Quod si Deipara, non nisi admodùm extensa voce redimit nos, ideſt per Filium quem edidit, & cuius redemptionem ratam habuit, ac Deo obtulit, quod non est reuera redimere; multo magis sancti reliqui negandi sunt nos redemisse, iuxta illud, *frater non redimit* etiam partialiter aut imperfectè quod videtur censuisse Autor operis imperfecti in Matth. hom. 41. ad illud, *tauri mei & altilia mea occisa sunt.* Sic enim scribit. [Qui sunt tauri, & saginata occisa? Prophetæ qui occisi sunt pro salute populi, quemadmodùm docet nos Apostolus dicens; *Ego autem impendar & superimpendar pro animabus vestris.* Item alibi; *Ego enim iam delibor.* Hominis libatio, alicui pro aliquo offertur. Deo ergo immolandus fuerat Paulus, pro populo quem docebat. Sic & Prophetæ occisi sunt, vnusquisque pro salute populi quem docebat. Et quoniam mors Prophetarum, sustentabat quidem ex parte salutem humanam, non tamen plenè saluare poterat totum mundum: ideò nouissimè immolatus est agnus, qui totius mundi reatum innocentia sua detergeret. Propterea & in diebus scenopegiæ, quæ interpretatur *fixio tabernaculi*, diuersæ hostiæ occidebantur in figura sanctorum, nouissimè autem occidebatur & agnus. Si ergo agnum illic occisum, intelligimus figuram Christi, consequenter & cæteras hostias, intelligimus præcedentium sanctorum occisiones. Sed & Christus de figurata sanctorum suorum immolatione, dicebat; *Holocausta medullata, offeram tibi cum incenso & arietibus, offeram tibi boues cum hircis.* Nec enim Christus aliquando huiusmodi animalia obtulit Patri. Obtulit autem rationabiles arietes, ideſt principes omnium Christianorum. Obtulit boues, rationabilem terram colentes. Obtulit etiam hircos ex Gentibus, qui pro nomine Christi sunt passi. Hæc autem diximus, vt ostendamus, tauros & saginata occisa, intelligi debere sanctos occisos. Omnes ergo Prophetæ & Christus, ideò occisi sunt, vt hoc spirituale tabernaculum firmiter figeretur.] Videri potest expressisse Origenem homil. 24. in Numer. quem inferiùs commodè ex ipsomet Origene exponam. At hic Autor quem constat crassis scatere erroribus, vix habet quod commodæ interpretationi ansam præbeat, videturque agnoscere, Christum habuisse aliquos redimendo humano generi adiutores. Hoc omnino est repudiandum. Nemo enim præter Christum, quicquam contulit ad redemptionem nostram.

De Martyribus, de quibus maior posset esse suspicio, quia Christo maximè configurantur, & commoriuntur, ita disertè tradunt plurimi Patres, quos profert Espencæus l. de Mediatore cap. 13. & 14. & digress. 4. in 2. Timo 2. ad illud, *omnia propter electos sustineo, vt salutem consequantur.* Nos item aliqua in eam rem protulimus in Opere de Martyrio p. 4. cap. 2. à num. 14. monstrantes totum propè fructum qui è Martyrum morte in alios redundat, contineri bono exemplo; mori autem pro aliis redimendis, singulare Christo fuisse: quibus nunc aliquos addo. Tertullianus l. de pudic. cap. vltimo. [Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem, sua soluit, nisi solus Dei filius? Nam & in ipsa passione liberauit latronem; Ad hoc enim venerat, vt ipse à delicto purus, & per omnia sanctus pro peccatoribus obediret. Proinde qui illum æmularis donando delicta, si nil ipse deliquisti, planè patere pro me. Si verò peccator es, quomodò oleum faculæ tuæ, sufficere & tibi & mihi poterit?]

1170 Scitè S. Hilarius can. 14. in Matth. *sub finem*, vbi exponens porrectum Petro à Christo manum, sic ait. [Quod autem trepidanti illi, non virtutem perueniendi ad se Dominus indulsit, sed manum extendit, apprehensúmque sustinuit, hæc ratio est. Non erat quidem Petrus, Domini sui indignus accessu, nam & tentauit accedere. sed & typicus in eo ordo seruatus est. Non enim Domino, seculi motus tempestatésque calcanti, quisquam passionis esse particeps poterat: Solus enim passurus pro omnibus omnium peccata soluebat: nec socium admittit, quidquid vniuersitati præstatur ab vno. Ita cùm esset ipse redemptio vniuersorum, erat etiam Petrus ante redimendus, ad redemptionis istius fidem, cum in Christi Martyrem reseruatur.]

S. Hieronymus Epistola 146. tractans illud, *nunquam dedisti mihi hœdum.* [Tantus (inquit) Israel sanguis effusus est, tot hominum cæsa sunt millia: & nullus eorum nostræ extitit salutis redemptor. Ipse Iosias, qui placuit in conspectu tuo, & nuper Malchabæi, qui pro tua hæreditate pugnabant, contra fas sanctitatis, hostium gladiis interempti sunt, & nullius cruor nobis reddidit libertatem. Ecce adhuc Romano imperio subiacemus; non Propheta, non Sacerdos, non iustus quisquam, immolatus est pro nobis. Et pro luxurioso filio, ideſt pro gentibus, pro peccatoribus, totius creaturæ gloriosus sanguis effusus est.]

Idem Hieronymus Isaiæ 63. ad illud, *torcular calcaui solus*, & totidem verbis in cap. 1. Threnorum, ad illud *torcular calcauit Dominus*, sic in hanc rem scribit. [Hoc torcular, in quo & malis supplicia, & bonis præmia à Domino Saluatore calcantur. Quod solus ipse calcauit. nullúmque habuit adiutorem. Neque enim Angeli, Throni, Dominationes, aut vlla cœlestium potestatum, humanum corpus assumpsit, & pro nobis passa est, & calcauit aduersarias potestates atque contriuit; sed ille solus qui loquitur in Psalmo; *Saluum me fac Domine quoniam defecit sanctus*, in tantum quod etiam confidentissimus, & in fide firmissimus Apostolus Petrus, timore perterritus fugeret, imo Dominum negaret.]

Egregiè S. Leo serm. 12. de pass. cap. 3. [Quod vnquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari Crucis per immolationem suæ carnis imposuit? Quamuis enim in conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt iusti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine, exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippè in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit, cùm inter filios hominum solus Dominus

noster Iesus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes etiam sepulti, omnes etiã suscitati. De quibus ipse dicebat, *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Fides enim vera iustificat impios & creans iustos, ad naturæ suæ tracta participem, in illo acquirit salutem, in quo se inuenit innocentem. Eadem verbatim irerat epist. 83. & epist. 97. c. 2.

S. Bernardus serm. 3. de ramis Palm. Christum ait singulariter fuisse donec transiret. [Ea nimirum hostia, sicut sola prodesse potuit, sic sola sufficit: nec Christum decuit, simul & Petrum, aut Iacobum, vel Ioannem pro salute hominum pati. Crucifixi tamen fuere cum eo alij duo, sed duo nequam: de quibus nulla prorsus sui pij usio posset haberi, tanquam ex eis, minus efficax sacrificium suppleretur.] Et serm. 13. in Cant. demonstrans gloriam deberi Christo, nobis pacem debere sufficere, cum varios sanctos gloriam abiurasse præmisisset, subdit. [Quid minus ab his omnibus conditor omnium fecit, quo minùs & ipse debeat gloriari singulariter? Solus cuncta creauit, solus de hoste triumphauit, solus captiuos liberauit, & socium habebit in gloria? *Et brachium,* (inquit,) *meum, auxiliatum est mihi.* Item: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* Quid mihi ergo cum victoria, si nec in prælio fui? Impudentissimè mihi arrogo, vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna. Sed suscipite montes pacem populo, pacem suscipite nobis, non gloriam, ipsi soli eam seruantes, qui solus & pugnauit, & vicit. Ita quæso, ita sit, *Gloria Deo in excelsis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*] Pulchre item in rem nostram serm. ad Milites Templi c. 11.

### *Molliti quidam Patres.*

1171 Hæc ex innumeris protulisse sufficiat, ad confirmandum solius Christi fuisse, redimere nos: nec vllius Sancti, etiamsi Apostoli, aut Martyris esse, ad redemptionem hominum per modum redemptoris quicquam conferre. Itaque latè accipiendum & molliendum est quod Petrus Damiani serm. 3. de S. Ioanne, vocat S. Baptistam [Gigãtis ad nos redimendos egressi, coniuratorem, & electum participem, ac collaboratorem redemptionis humanæ.] Item quod S. Macharius homil. 28. vocat Apostolos, [redemptores orbis.] Non enim Apostoli propriè fuere orbis redemptores, ac ne ex parte quidem. Idque noluit Apostolus Coloss. 1. significare, cum professus est, se adimplere in carne sua, quæ deerant passionum Christi, pro eius corpore, quod est Ecclesia. Nam hic locus, nullo modo ita accipiendus est, quasi passio Domini non satis ad redemptionem fuerit; & necesse habuerit compleri per passiones Sanctorum: quem esse reprobum & hæreticum sensum, verborum illorum superficiei ab incautis appingẽdum, monet ibi D. Thomas lect. 6. Is igitur locus, interprete D. Augustino Tract. 108. in Ioan. non est referendus ad passiones Christi personales & proprias, quasi eas Paulus suppleuerit; sed ad passiones ipsiusmet Pauli pro Ecclesia iuuanda & erudienda; quæ Christi ipsius passiones dicuntur quia ad Christi negotia pertinebant, & pro eius causa excipiebantur: vel quia à Paulo, virtute Christi, atque adeò compatiente quadantenus Christo, excipiebantur. Suffragari planè videtur S. Chrysost. hom. in illud tunc *& ipse filius subijcietur ei*, cum enim multis monstrasset quæ de Ecclesia vt corpore dicuntur ad Christum transferri, subdit. [Paulus ergo ille à Christo edoctus, quod persecutio Ecclesiæ in Christum vergeret, cognouit: & quod consentaneum, quod quicquid patitur Ecclesia, in Christum quodammodo refertur. Quare & ipse Regis sui verborum vestigia sequens, in vna Epistolarum dicit, *impleo quæ defuerunt afflictionibus Christi.* Et nunc & iterum affligitur Christus, etiamsi in cœlos rediit. At vide quid præterea dicat. *Suppleo quæ defuerunt afflictionibus Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Vides, vt ipsius faciat quæcunque sunt Ecclesiæ, siue passiones, siue honores. Veneratus es Ecclesiam, veneratus es Christum. Insectatus es Ecclesiam, tametsi non opere, proposito tamen Christũ insectatus es. Cogita quantum periculum eorum qui Ecclesiam mœrore afficiunt; quanta corona eorum qui Ecclesiam venerantur.] Iuxta has prædictorum Patrum expositiones, locus Apostoli quem versamus, non fert sensum illum reprobum quem exclusimus.

Quæ ibi S. Thomas, de *paritoria*, vel provt apud creditum Anselmum ibidem legitur *paritione*, aut vt habet S. Augustinus in Psalm. 61. ad vers. tertium *paratoria* meritorum, non plena ante mundi exitum, quasi voluerit Apostolus, se æquè ac SS. reliquos, in communem illam meritorum cistim, portionem suam conferre patiendo, minùs cohærent cum contextu, quo affirmatur passiones Christi quas in suo corpore adimplebat Apostolus, fuisse pro Ecclesia. At nemo alteri meretur gratiam purus homo. Igitur Apostolus non adimplebat merita, sed passiones suas pro Ecclesia, cuius eruditioni proficiebant.

Opponi præterea aduersùs constitutam veritatem posset, autoritas Origenis, qui homil. 10. in Numeros, verba illa ad Aaronem, *Tu & filij tui, & domus patris tui tecum, sumetis peccata Sanctorum*, ad Christum Pontificem, ac Apostolos, & Martyres aptat; docens Apostolos, & Martyres, pro fide iugulatos fuisse, hostias ad tollenda populi peccata, atque adeò ad redimendum mundum cum Christo. Verùm ibi Origenes, satis apertè significat, sanctos omnes præter Christum, peccata populi sustulisse supplicando tantùm; disertissimè verò & fusissimè homil. 24. in eundem librum idem argumentum versans, tradit sacrificia Martyrum ad tollenda peccata mundi, & redemptionem eorum adimplendam, non nisi impertando conferre. Limbum duntaxat repræsento quo varias hostias variis Sanctis, agnum verò qui postremus immolabatur, Christo accommodans, sic concludit. [Intuere igitur totius mundi, ideſt cœlestium ac terrestrium & infernorum purificationem: vide quantis indigeant ista omnia hostiis, quantos requitant vitulos, quantos arietes, quantos hircos. Sed & in omnibus vnus est agnus, qui totius mundi potuit auferre peccatum, & ideò cessauerunt cæteræ hostiæ: quia talis hæc fuit hostia, vt vna sola sufficeret pro totius mundi salute. Cæteri enim precibus peccata, hic solus potestate dimisit. Dicebat enim; *Fili remissa sunt tibi peccata tua.* Sic ergo imbuitur mundus, primò per diuersas hostias remissionem

missionem quærere peccatorum, donec veniat ad hostiam perfectam, ad hostiam consummatam, agnum anniculum, perfectum, qui tollat peccata totius mundi, per quem festiuitates agat spirituales.] En quam apertè mollit, quod duriusculè priore loco dixisse videbatur de morte Sanctorum, coniuncta morti Christi pro nobis. Fortassis autem eadem ratione mollire benignè licebit locum prolatum ex autore imperfecti qui apertè profecit ex Origene. Quanquam cum opus illud sit fartum pinguibus aduersùs fidem erroribus, non est multum hac in parte, de eius interpretatione laborandum.

### *Insulsitas blasphema, de alio prater Christum redemptore, exsibilata.*

1172 Ægrè adducor, vt vel memoriatam velim blasphemam fatuitatem quarundam Bertarum in hoc genere. Fuisse enim quæ sibi arrogarent redemptionem saltem partialem humani generis, proditum est. Scribit Gerso Tom. 1. Tract. de Examinat. doctr. p.2. post Considerationem sextam. Burgi apud Sebusianos, suo tempore, mulierculam oneratam peccatis, sub pallio deuotionis, & extaseon deprehensam, celare epilepsiam qua laborabat, finxisse vnam se esse de quinque fœminabus, missis à Deo ad redimendas ab inferni pœnis innumeras animas. Imposuisse verò illâ plerisque in ea ora mulieribus, annotat Gerso, qui aderat: additque inspectione frontis, innotuisse ei quæ quisque peccassèt, & duas in pede carbones habuisse, quibus vexaretur quoties anima aliqua ad infernum descenderent. Ternas quotidie animas ab inferno se liberasse iactabat; vnam & alteram absque difficultate; tertiam vel eo plures ægriùs.

Hæc blasphema redemptio huius deliræ redemptricis, eò videbatur magnificentior, quò non viatoribus quales Christus redemit, sed iam iudicium passis, & damnatis, impendebatur. Affini fatuitate Ioannam suam (vt vocabat,) matrem, Gulielmus Postellus, vt multorum sermonibus & nonnullorum scriptis est proditum, venditabat missam à Deo redemptricem mulierum, sicut Christus sexum masculinum redemerat. Heu quò humana ingenia miserè deflectunt, cum veram fidei Cynosuram abiiciunt. Talia vel memorasse, confutasse est.

### *Tituli Christi, penes hanc primam liberationem synonymi, Redemptori.*

1173 Quæcunque hactenus de Christo redemptore in hac prima notione protulimus, æquè dicenda sunt de aliis, solo nomine discrepantibus titulis, quę ei in scripturis ob ereptum à peccati & Satanæ captiuitate populum tribuuntur, tametsi differunt à nomine *redemptoris*, quod hic propriè sonet liberationem exhibito pretio, à quo abstrahunt reliqui, vt rectè prosequitur Driedo, Tract. 2. de captiuit. cap. 1. *sub finem*: cuiusmodi sunt titulus liberatoris ab inimicis iracundis, Seruatoris, Saluatoris qui est vulgatissimus Christi inter Christianos titulus, à saluatione ex hac calamitosissima captiuitate petitus. Angeli sanè Lucæ 2. annunciarunt, natum Saluatorem, & vt Ioann. 4. erectè dicitur, *verè Saluatorem mundi*. Et dilectus discipulus 1. Epistolæ c. 4. ait, *nos vidimus, & testamur quoniam pater misit filium suum Saluatorem mundi*. Innumera eiusmodi pete ex Iosepho à Costa l. 5. de Christo reuelato. cap. 1. Quod autem circa *redemptoris* nomen notabamus, nempe adhiberi quoque interdum nomẽ abstractum *redemptionis* ad Christum designandum, æquè locum habet in re præsenti. Nã Ioëlis 2. Christus dicitur *saluatio*. Verba Prophetæ sunt. *In monte Sion, & in Hierusalem erit saluatio, sicut dicit Dominus*. Et Abdiæ versu 17. *In monte Sion erit saluatio, & erit Sanctus*. Isaiæ 46. *Salus mea non morabitur*. Et, *dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam*. Et c. 49. *dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*. Eodem reuoluitur, quod Christus dicitur *salutare* iuxta illud Gen. 49. *salutare tuum expectabo Domine*. Et Isaiæ 52. *notum fecit Dominus saluare suum*. Et Lucæ 2. *viderunt oculi mei salutare tuum*. S. Aug. 17. Ciuit. cap. 4. tractans illud Annæ, *lætata sum in salutari suo*, ait de hoc salutari. [Christus est ipse IESVS, quem Simeon, sicut in Euangelio legitur, senex amplectens paruulum, agnoscens magnum; *Nunc dimittis*, (inquit) *Domine seruum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum*. Dicat itaque Ecclesia: *Lætata sum in salutari tuo, quoniam non est sanctus sicut Dominus, & non est iustus, sicut Deus noster*, tanquam sanctus & sanctificans, & iustus & iustificans: *Non est sanctus præter te*, quia nemo fit nisi abs te.] Hæc est ratio, cur eum censeat dictum; *salutare Dei*. Quem alij *saluatorem*, vel *salutare* nominant. Tertullianus l. de carne Christi c. 14. solita horriditate loquendi, appellat *salutificatorem*. Græci *Soterem* vel σωτῆρα vocant, quod Tullius 2. in Verrem, ait ita magnum esse, vt Latino vno verbo exprimi non possit. Eamque fuisse Milichonis causam augendi nomen, quo Tullius in oratione pro Plancio, seruatorem se Reipub. dixerat, nomenque *conseruatoris* sibi imponendi, scribit Tacitus annali 15.

### *Tricæ, circa Seruatoris vocabulum.*

1174 Hinc factum, vt tricentur nonnulli, rectène vox *Soteris*, reddatur per nomen *seruatoris*, quod Beza Nouator in sua Noui Testamenti euersione, (non enim versione,) vsurpare solet, & quidam latinitatis aucupes idem faciunt. In quam rem, multa disserit Scholiastes Basilij Seleuciæ ad orationem primam de Iona, contendens *seruatorem* longè aliud esse à Sotere, quem *sospitatorem* vna latina voce quæ Tullium fugerat, dicendum tradit, non item Christum *seruatorem* nominari posse; cum is sit seruator, qui quem occidere in bello potuit, seruat, in seruitutem abducens, vt habetur §. *ferni* instit. de iure personarum. Et apud S. Augustinum l. 19. Ciuit. cap. 15. At Christus non potuit nos in bello occidere, nec seruauit abducens in seruitutem; quin potius professus est, se suos, amicorum non seruorum habere loco. Quid quod Dæmones non saluauit Christus, & tamen seruat? vnde seruator eorum dici potest. Nemo tamen saluatorem Dæmonum, ausit dicere. Hæc lis cùm sit merè de vocabulis, negligi facilè potest. Et quanquam Christum dicere *saluatorem*, frequentissimum est, & Lactantio homini latinissimo familiare; & ita appellandum ex Græ-

co σωτηρ, Christum Dominum doceat sanctus S. Augustinus 3. Trinit. cap. 10. & ex recentioribus Manutius ad Verrinam secundam, Seratius in cap. 2. Iosue q. 1. Baron. 9. Nouemb. Piaculi tamen non insimularim, eum qui *Seruatorem* dicere voluerit. Imo vtrasque voces eodem recidere posse, non dubito, si salus à qua *Saluator* denominatur, non ad salutem medendo collatam pertineat, sed ad ereptionem à graui pressura & vexatione ac seruitute. Qua ratione in libro Iudicum, sæpè legimus, eos qui populum à calamitate aliqua vel seruitute liberabant, dictos esse *Saluatores*. Hanc ergo salutem, qui conferunt, recte & *saluatores* & *Seruatores* dici possunt: seruant enim, quos eripiunt è fornace illa ferrea, & grauibus malis. Idque Christus copiosè nobis præstitit, cum eripuit nos de potestate tenebrarum. Dæmones autem non seruauit, nec saluauit. Nam quod Autor cum quo agimus, seruari a Christo Dæmones ait, quia conseruantur à Deo in esse naturali; malè ad Christum trahitur. Dicatur igitur Christus *Saluator*, si libuerit; dicatur *Seruator*; eodem vtrumque recidit. Nomen tamen IESV, quod Angelus Lucæ 1. à *salute* deriuat, ductum non esse ab hac salute, sed ab ea quæ morbo opponitur, affirmat S. Cyrillus Catech. 19. Quare nihil hîc de eo.

### *Adumbrationes Christi Saluatoris.*

1175 Typi Saluatoris & Seruatoris Christi, fuerunt prisci illi, quos in libro Iudicum dictos *saluatores* memorauí. In quam rem audi Rupertum lib. 4. de victoria Verbi Dei cap. 6. [Pulchrum valdè & venerabile apparet, quod eosdem sic datos Iudices, sacra Scriptura nuncupat Saluatores. Exempli gratia. *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & suscitauit eis Saluatorem Othoniel.* Item & postea *clamauerunt ad Dominum, & suscitauit eis saluatorem vocabulo Ahud.* Nam quid clamabant ad Dominum, nisi saluator qui mittendus erat, iam veniret? Verbi gratia, vt dicetet quisque illorum illud Moysi; *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Sed quia tempus aduentus eis nondum erat, illi qui interim mittebantur, vt liberarent populum temporaliter, rectè sic dici merebantur, quia erant vnici & veri Saluatoris vicarij. Saluatio per illos, duplici modo, videlicet iudicando, & præliando, administrabatur. Iudicando quippè, populum ab idolorum seruitute prohibebant; præliando ipsi in fronte gradientes, de hostibus quibus seruierant, fortiter vindicabant. Erant ergo in disciplina Iudices, in prælio duces, in vtroque Saluatores, sacramenta victoriásque Saluatoris æterni, gestis præclaris, & victoriis mysticis præfigurantes. Sicut enim speculum oppositum soli, similem reddit imaginem, ita & saluatorum & Iudicum illorum lucida fides, saluatori & Iudici æterno, cuius erant Vicarij, similem prætulerat in gestis suis pulchritudinem.] Addit l. 8. c. 13. dubium non esse, quin Iudæi cum affligerentur, ad hunc non typicum, sed expressum Saluatorem suspirarent. [Iamque illum aduenire desiderarent, quem subuenire posse credebant, vtpotè Regem magnum, Regem potentem. Primus ipse Moyses, dum mitteretur ad Pharaonem; *Obsecro* (inquit) *Domine, mitte quem missurus es.* Similiter de cæteris ætatibus, vel temporibus sentiendum, quoties legimus: *Et clamauerunt filij Israël ad Dominum*, propter illam vel illam tribulationem. Sciendum non defuisse clamoribus eorum, memoriam sæpè dictæ promissionis qua de lege & Prophetis audiebant, promissum esse Saluatorem. Simúlque notandum, quod quemcumque taliter clamantibus suscitabat Saluatorem, aliquid per ipsum efficiebat Deus; in quo significaret vel præfiguraret illum qui expectabatur & desiderabatur, Christum vnicum & verum Saluatorem.] Hic vtique solus, fuit verus Saluator. [*Ipse enim* (ait in hanc Cassianus l. 4. de Incarn. c. 12.) Saluum faciet *populum suum à peccatis eorum.* Ac ne fortè eum hoc modo saluatorem diceres prædicatum, quo de aliis dictum est; *Et suscitauit eis Dominus saluatorem Othoniel filium Chenez*, & iterum; *Suscitauit eis Dominus saluatorem Aod filium Gera*, adiecit: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Non est autem humanæ opis redimere populum à captiuitate peccati: quod illi soli vtique possibile est, de quo dictum est: *Ecce Agnus Dei; Ecce qui tollit peccata mundi*, Cæteri enim non suum populum, sed Dei: & non à peccatis, sed ab hostibus saluauerunt.]

Hi ergo fuerunt typi Christi saluatoris. Specialissima porrò, & in nullum ex typis propositis vllatenus cadente ratione, Christus Dominus, saluator dicitur, quia ita saluator fuit cæterorum, vt saluatus ipse non fuerit. Id enim dicere, damnat intorto anathemate Gregorius Nœocæsar. anathematismo 7. Veritatem ergo illius tituli, nemo consecutus est præter Christum, quem passim à salute, bellando & redimendo, (non enim medendo) parta; dictum saluatorem, & Iesum volunt nomine Christi & typorum duntaxat eius, proprio: vt videre est apud Origenem hom. 1. in Iosue, Imò propriè solus Christus, est Iesus & Saluator, reliqui sunt tantùm eius imagines.

### *Quatenus aliqui, secundùm Christum, Saluatores.*

1176 Eodémque modò, de aliquali duntaxat expressione Christi Saluatoris accipiendum est, quod Abdiæ versu vltimo, Apostoli vocantur *Saluatores*, verbis illis. *Ascendent saluatores in montem Sion, iudicare montem Esaü, & erit Domino regnum.* Quæ verba sic Glossat ibi D. Hieronymus. [Ascendent Saluatores, vel qui saluati fuerint de reliquiis populi Iudaici, in montem Sion, vt iudicent & vlciscantur montem Esau.] Ibidem qui iuxta 70. Aquilam, & Theodótionem, vertuntur ἀναβαίνοντες, vel σεσωσμένοι, ideſt *saluati sunt*; iuxta Symmachum, cui S. Hieronymus adhæsit, vertuntur σῳζόντες, ideſt actiuè, *Saluatores.* Quare sensus Prophetæ est, de ipsis qui salui facti fuerint, Apostolos & Apostolicos viros, assumendos esse à Christo in saluatores.

Quorsum autem Apostoli, & qui eorum spiritu potiuntur, dicantur saluatores, sic exponit S. Hieronymus. [Quomodò lumen Dominus, lucem appellat Apostolos suos, & dicit; *Vos estis lux mundi*, & ipsa Petra, Petro donauit vt petra sit; pastor quoque bonus, illis pastorum largitus est nomina, & quodcumque dicitur de eo,

eo, seruis tribuit vt dicantur, sit ipse Saluator, Apostolos suos mundi esse voluit Saluatores: qui ascendere speculâ montis Ecclesiæ,& deponentes superbiam Iudaïcam, vniuersorúmque montium qui aduersùm scientiam Dei erigebantur, regnum Domino parauerunt. Non dissimiliter S. Paulinus epistola.4. [Christus honori suo implicans suos, propè omnia nobis nomina sua communicauit. Vt virtus Dei dicitur, ita & nobis, virtus esse dignatur. *Deus* enim *nostrum refugium & virtus.* Hæreditas, vt illi nos,& ille nobis. Nam sicut habes in Moyse, *facta est Dei portio populus eius Iacob*, ita & in Psalmis habes; *Portio mea Dominus.* Et sicut ipse de se ait; *Ego sum lux huius mundi*, ita & ad suos dixit; *Vos estis lux huius mundi. Ego sum*, (inquit,) *panis viuus*; & nos, *omnes vnus panis sumus*, *Ego sum vitis vera*, & tibi dicit: *Plantaui in te vitem fructuosam, vitem veram: Mons Dei Christus, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*,& sancti eius montes Dei,montes vberes,de quibus nos *inluminat mirabilis à montibus æternis.* Petra est Christus, *bibebant enim de spiritali sequente eos petra*, *petra autem erat Christus*; Etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebant aduersus eam.* Sed quid miramur eum famulis suis indulsisse sua nomina, quibus & partem suam participat & regnum?]

1177 Vides quare hæc aliqualis communicatio Apostolis facta, nominis cæteroqui in rigore incommunicabilis puræ creaturæ, nihil iuribus Christi deroget. Sicut enim homines per aliquam imperfectam analogiam dicuntur *Dij*,quod rem ad viuum resecando,est solius Dei proprium: ita per aliquam proportionem ad Christi proprium munus, qui animabus de Satanæ tyrannide eripiendis Christo cooperantur, eiusque in tam glorioso ministerio sunt adiutores,(nam & Sacerdotes, coadiutores redemptoris vocat Blesensis serm.47.) meritò vtcunque participant nomen Christo proprium, dicuntúrque saluatores: sed, non in ea proprietate, quæ est Christi solius. Disertè id tradit S. Augustinus q.18. in Iudices. Legendus qui id fusiùs versat Adamus Sasbout homil.1. de Circunciſione Christi, & Seratius in c.3. Iudicum q.4. & in c.2. Iosuë q.19. num.5.

Ex his habetur,quo sensu Philotheus Patriarcha Constantinop. *sub finem* laudationis trium Patrum,nempe Basilij,Nazianzeni,atque Chrysostomi, vocet eos *Seruatores secundum Deum.* Et inferiùs addat, eos fuisse *Seruatores post primum Seruatorem.* Affine est, quod in Menæis 30. Septemb. de S. Chrysostomo dicitur, [nisi fuisset Chrysostomus, nouam necessitatem adacturam fuisse Christum, ad terras secundo aduentu reuisendas, vt orbem terræ reum ageret, & iudicaret.] Id enim planè videtur esse idem, quod eum denominate Saluatorem.

Hactenus de Saluatoris in nos officio.

***

### *Vsus doctrinæ de redemptione à Satana, & peccato per Christum.*

1178 Probrosissimum verò & nunquam expiabile crimen fuerit, liberationem à redemptore optimo factam, contemnere ingratissimè, & vltro se denuò importabili captiuitate opprimere,hosti,& tyranno immanissimo, Satanæ inquam & peccato,pro beneuolentissimo Domino, se subiiciendo. [Graui damnatione (verba sunt Eucherij hom.3. de Pasch.) iterantur crimina post quàm Christi sanguine sunt redempta; Inexcusabile malum est, post mortem redemptoris Domini, seruum peccatis hominem, se subdere. Origenes illustrissimè hom.9. in Genesim *in fine.* [Christus ad quem dixerat Pater, *Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* depellens ipsos Angelos potestate & dominatione quam habebant in nationibus, prouocauit eos ad iracundiam. Et idcirco dicit, quia asteterunt Reges & Principes conuenerũt in vnum, aduersùm Dominum, & aduersùm Christum eius.Et ideò aduersantur etiam nobis, atque agones contra nos & certamina concitant. Hinc & Apostolus Christi; *Luctamen est*, (inquit,) *nobis non aduersùm carnem & sanguinem, sed aduersùm principatus & potestates, & mundi huius rectores.* Propterea ergo vigilandum nobis est, & sollicitè agendum, quia aduersarius noster, sicut leo rugiens circuit quærens quem transuoret: Cui nisi restiterimus fortes in fide, rursum nos in captiuitatem reuocabit. Quod si nobis eueniat, ingratum faciemus opus eius, qui cruci suæ affixit principatus & potestates, cum fiducia triumphans eos in semetipsum; & qui venit captiuos dimittere in remissionem. Quin potiùs fidem Christi sequentes,qui triumphauit eos,dissumpamus vincula eorum, quibus nos deuinxerunt potestati suæ. Vincula verò quibus nos constringunt, passiones, & vitia nostra sunt, quibus tamdiu innectimur, donec carnem nostram crucifigamus cum vitiis & concupiscentiis; & ita demum disrumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.]

Quem item pietatis & affectus incensissimi sensum, excitare in nobis debeat erga Christum, redemptio tanto suo incommodo nobis præstita,expendit egregiè præter cæteros,S.Cyrillus l.4. in Esaiam circa illud ex c.49. iuxta 70. *sanctificate despicientem animam suam.* Quia tamen eum locum, breuiùs & eodem modo perstrinxit l.5. pentab. c.5. inde eum produco, ita scribentem. [*Sic dicit Dominus* sanctificate despicientem animam suam, execratum à gentibus, seruis, Principibus. Reges videbunt eum, & consurgent: Principes & adorabunt eum. Confitemini, inquit, sanctum esse illum,vtpote Deum: illum qui suam animam despicit, hoc est qui suam animam contemnit: nam illam pro ouibus posuit,vt pastor bonus: quem execratæ quidem sunt Gentes: & serui, & ministri alapis dehonestarunt, cum Pharisæorum turba illi impiè insultaret: hunc videbunt Reges, & consurgẽt, hunc adorabunt Principes tanquam Deum scilicet qui ad exinanitionem se deiecerit, vt passus carne seruaret orbem terrarum.

Hac

RAYNAUD
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
A. VII
3



Hac sanè ratione, Christus humanum sibi genus vniuersum captiuauit, exemptum teterrima captiuitate. Quod pulcherrimè exponit, sibique contingere reipsa apprecatur Origenes hom. 18. in Num. tractans illud de Christo prænunciatum; *Et vastabit principes Moab.* In quem locum sic scribit. [Moab quidem gens est, cuius principes non alios esse, quàm spiritales nequitias, & principatus illos aduersùm quos nobis luctamen est, intelligimus. Hos ergo iste homo ex Israël vastauit, cum exuit principatus & potestates, affigens illos cruci suæ. Neque enim poterat saluare Moabitas, & ad Dei agnitionem perducere, nisi principes illos qui in eis dominationem impietatis tenuerant deuastasset. *Et deprædabitur omnes filios Seth.* Seth filiùs est Adam, de quo Eua dixit cum natus esset; *suscitauit enim mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Iste est ergo Seth, ex quo omne humanum in hoc mundo ducitur genus. Nam de Cain qui nati fuerant, diluuio perierunt. Filij ergo sunt Seth, omnes qui in hoc mundo sunt. Et cum dicitur, *deprædabitur omnes filios Seth*, prædam sic accipe, sicut in superioribus interpretati sumus: vbi scriptum est, *edet gentes inimicorum suorum:* & vbi catulo leonis, & leoni comparatur. Et hic ergo in prædam accipit omnes filios Seth. Victis aduersariis Dæmonibus, eos qui sub ipsorum dominatione tenebantur, Christus quasi prædam victoriæ suæ ducit, & spolia salutis reportat; sicut & in aliis de eo scriptum est, quia *ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Captiuitatem scilicet illam humani generis, quam Diabolus ad perditionem ceperat, iste rursùs captiuam duxit, & à morte reuocauit ad vitam. Vtinam ergo me, & captiuum habeat semper Christus Iesus, & me ducat in prædam suam, & ego teneat eius vinculis alligatus; & vt ego dixi merear vinctus Iesu Christi, sicut Paulus de semetipso gloriatur.]

S. Athanasius Orat. in 5. Feriam, æquè agnoscit, Christum pro nobis venditum, dominium omnium nostrum, esse adeptum. Nec aliter S. Ambrosius lib. 1. de Iacob cap. 3. id eruens ex Apostolo 1. Cor. 7. liberos Christianos, nominante Christi seruos: eos autem qui iugo seruitutis premebantur, vocante *Christi libertos.* Alios allegabo in calce capitis.

### *Liberatio à timore mortis, appendix primariæ redemptionis hactenùs expositæ.*

1179 Primam eamque teterrimam captiuitatem ac seruitutem humani generis, quomodò dissoluerit Christus, nósque ab ea liberauerit & redemerit, monstratum hactenus videtur sufficienter; vnáque expediuimus liberationem à timore mortis, quam liberationem per Christum collatam, Hebr. 2. docet Apostolus, iuxta simpliciorem literæ sensum cui aliũ mox subnectam. Incredibile sanè est, quàm hæc liberatio, sit Christo honorifica. Retuli iam suprà tractans Regem pacis, S. Bernardum de morte Gerardi fratris sui dissentem, in hoc argumento splendidè esse versatum. Attigi etiam alios quibus addi potest Theodoretus lib. 8. contra Græcos, tractans alacritatem Martyrum in morte pro Christo excipienda.

Liberauit nos Christus à mortis metu, eo ipso quod à peccato nos liberauit. Extirpato enim peccato, & contritis eius viribus quibus cœli aditus occludebatur, mortis quoque metus sublatus est. Nec refert, quod etiam post Christum moriamur. Nam quia peccatum erat naturæ quasi concretum, per carnis euersionem, peccatum extirpatum esse sanxit Deus. In quam rem pereleganter S. Epiphanius Hæres. 64. num. 25. [Vt è magnificorum templorum structura captificus enascens, atque in maximam amplitudinem adolescens, & multiplicibus radicum brachiis per omnes lapidum diffusa compages, non priùs excrescere desinit quàm dissectis ex eo, vnde prodierit, loco lapidibus, tota penitùs labefactata concidat: Tũ enim, sublata captifico, suis locis restituti, rediuiui lapides possunt: Vt & templum ipsum incolume seruetur, cùm nullum ampliùs ex iis quibus euertebatur, incommodis habeat: captificus verò ab imis radicibus euulsa moriatur: Ad eum planè modum, artifex ille Deus, templum suum hominem, qui peccatum, captifici cuiusdam instar, produxerat, dissoluit; eúmque mortis ad tempus impressione atque impetu, opprimi passus est primùm, vti scriptum est: dehinc ad vitam excitauit, vt iisdem prædita partibus caro, exsiccato immortuóque peccato, velut templum quoddam instauratum, immortalis, ac sine vllo damno resurgeret, sublato à fundamentis profligatóque peccato. Etenim quandiu corpus viuit, nec adhuc mortuum est, cum eo viuere peccatum necesse est, & occultas in nobis ipsis radices agere, quantumuis quibusdam velut castigationum reprehensionumque putationibus coërceatur.]

De hac ergo liberatione, non fuit quod plenius ageremus quia succisa eius radice, quæ est peccatum, exarescere quoque hunc eius fruticem, necesse fuit. Addendus duntaxat in hac meta est, affectus conuenientissimus, quem ex hac prima liberatione eruit Chrysologus serm. 6. tractans illud Psalmi 99. *seruite Domino in lætitia*, sic enim habet. [Erat homo peccati seruus, erat captiuus mortis, erat mancipium Dæmonum, erat idolorum vernula, erat vitiorum verbero, erat criminum compeditus. Sic malis Dominis talibus, tantísque exhibebat homo malam & miserma seruitutem. Quando homo non sub peccato tristis? Quando non sub morte lugens? Quando non sub Dæmonibus pallens? Quando non sub idolis tremens? Quando non sub vitiis suspectus? Quando non sub criminibus desperatus? Et ideò homo dabat extrema suspiria, quando tales, tam crudeles Dominos sustinebat. Propheta ergo videns nos à talibus liberatos, & reuocatos ad obsequium creatoris, ad Patris gratiam, ad vnius boni Domini liberam seruitutem, meritò exclamat; *Seruite Domino in lætitia.*]

### *Altera per Christum redemptio, à maledicto legis.*

1180 Supersunt breuiter attingendæ seruitutes duæ posteriores, ac primùm seruitus & captiuitas sub lege Mosaica. Apostolus enim ad Galat. 4. perspicuè docet, testamentum datum in Sinai, generasse in seruitutem; superiúsque tractando fraternitatem nostram cum Christo, sine filiationem adoptiuam, monstratum est; Iudæos vi

vi legis Mosaïcæ, non fuisse Dei filios sed seruos. Idcirco Apostolus aiebat *state & nolite iterùm iugo seruitutis contineri.* Apostolorum Princeps Actorum 15. iugum huius captiuitatis ac seruitutis, importabile fuisse asseuerauit. Et verè quid grauiùs, quàm innumeris obrui oneribus præceptorum legalium, vltra naturalia homini indetrectabilia; neque tamen robur & gratiam accipere, vi cuius homo tanto oneri ferendo par fiat? At certum est, ne stillam quidem gratiæ, vi legis nudæ fuisse collatam; quod infinities inculcat Apostolus. Et idcircò manus Mosis visæ leprosæ, vt philosophatur Origenes hom. 12. in Exod. quia nemo ex vi legis, est sanctè ac purè operatus. Et tamen homo delinquens, maledicto legis subiacebat, & æterno interitu plectendus erat; nec cognitio peccati per legem partæ, ad aliud conferebat, quàm ad cupiditatis acrimoniam excitandam, augendámque peccati pruriginem; ex quo procliuior ruina, & promptior in peccata prolapsio consequebatur; *peccato, per rem bonam*, (hoc est per legis tantùm illuminantis, & non iuuantis prælatam facem,) *operante in homine omnem concupiscentiam*, vt Apostolus loquitur. Accedit seruitûs sub signis de qua egregiè S. Augustinus 3. de doctr. Christ. à c. 5.

Christus redemit nos de maledicto legis, vt est apud Apostolum. Qui etiam alibi, ait Christum factum esse sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret; vt scilicet desinerent sub lege esse, quæ erat ærumnosa planè captiuitas, non tam ratione multitudinis præceptorum, quæ erat numerosissima; cum Rabbi Moyses, Ben-Maïmen numeret præcepta sexcenta tredecim, vt ex eo refert Melch. Flan. l. de regno Christi c. 21. quàm defectu gratuiti interni subsidij concupiscentiam rebellantem cicurantes, & lenitatem conciliantis mandato. Hoc enim subsidium, lex, non conferebat: concupiscentiam nitentem semper in vetitum, acuebat magis; vnde iugis timor & perpetuus angor, ex quo solo seruiebatur, more mancipiorum; ac præcipitatio in maledictum, quod legem non seruantibus imminebat. Charitatem onus legis leue reddentem, quam lex non contulit, vberrimè exhibuit Christus, & statum seruitutis qua lex Mosaïca premebat suos, commutauit legem perfectam libertatis. Sic enim apud Iacobum cap. 1. nominatur, lex Christiana. Adducit huc Tertullianus lib. 5. in Marcionem cap. 4. illud Psaltis tanquam prolatum in persona Christianorum. *Drumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum.* Pacianus in Parenæsi *ferè initio*, egregiè de hac libertate disserens, profert pro ea illud ad Galat. 5. *Vos autem in libertatem vocati estis.*

1181 Christus ipse Ioan. 8. Iudæos solitos ostentare libertatem suam, séque vnquam nemini seruisse profitentes, coërcet promissa liberatione per veritatem; hoc est per legem suam, & fidem susceptam. *Veritas* (inquit) *liberabit vos, si manseritis in sermone meo.* Estque ea liberatio, non à periculo, quod posset sonare Latinum verbum *liberandi*, sed à seruitute, vt ex vi Græci verbi notat S. Chrysostomus hom. 53. in Ioan. & S. August. ibidem tract. 41. & serm. 48. de verbis Dom. Itaque tacitè Christus, eo loquendi modo superbiam Iudæorum frangebat, seruitutem illis obiiciens è qua non nisi per Christianam legem, veræ libertatis conciliatiuam, eximendi essent. Idem voluisse Apostolum, Hebr. 2. cum dixit Christum venisse, vt liberaret eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti, censet ad eum locum creditus Anselmus. Iudæi enim premebantur seruitute legis, & ob eam violatam, intentabatur mors. Itaque ærumnosam vitam ducebant, gladio semper imminente ceruicibus. Ex eo metu ac seruitute, Christus nos liberauit.

Ad eum quoque modum, nostram à maledicto legis liberationem per Christum, expressit Abucara opusc. 1. his verbis [Deus iusto iudicio suo, omnia quæ in lege scripta erant, à nobis exigebat; & quia non poteramus soluere debitum, pro nobis Dominus noster Christus persoluit, maledictum & condemnationem nobis debitam volens assumpsit, atque in se suscepit: & quæ nos pati oportebat, ipse passus est: verberatus, sputis, pugnis, colaphis affectus, crucifixus, & pro nobis mortuus: quamuis, vt paulò antè diximus, per obedientiam mortem delere potuisset, sed tamen ἐκ περίσσειας, ideſt, vt abundaret, & superflueret, quo nos ex Diabolo eriperet, & ex maledicto legis, iustóque Dei iudicio, pro nobis mortuus est; vt liceret Deo misericordiam nobis tribuere: & non iustitiam propriam improbaret, & superuacuam atque irritam redderet, sed potiùs hanc circumscriberet, & terminaret, receptis & recuperatis propriis iustificationibus; neque misericordia eius ἄπρακτος, ideſt, sine opere iustitiæ, transmitteretur.]

Cæterum notat optimè Origenes homil. 11. in Num. nos non esse liberatos iuxta Apostolum de maledicto mandati, aut testimonij, vel iudiciorum; sed de maledicto legis: hoc est ceremoniarum legalium, vt circumcisionis & Sabathi. Nam præcepta Decalogi, Christus non abrogauit. [Apud Mosem, (inquit supra Pacianus,) & veteres, minimi quoque peccati, & quadrantis vnius (vt ita dixerim,) rei in eodem infelicitatis æstuario volutati sunt. Et qui sabbata violauerant, & qui immunda contigerant, & qui escarum vetita præsumpserant, & qui murmurabant, & qui pariete corrupto, & qui veste maculata in Templum summi Regis intrauerant, & qui altarium his obnoxij manu contrectauerant, aut veste contigerant, vt in cœlum ascendere citiùs fuerit, aut emori satius, quàm hæc vniuersa seruare. His igitur nos omnibus multisque præterea carnalibus vitiis, vt citiùs ad destinata quisque perueniat, sanguis Domini liberauit, redemptos à seruitute legis, & libertate fidei emancipatos. Ideóque Apostolus Paulus; *Vos autem*, (inquit,) *in libertatem vocati estis.* Hæc illa libertas, quod non omnibus adstringimur quibus veteres tenebantur: sed donata, (vt ita dixerim,) sylua delictorum, & remediorum indulgentia destinata, in pauca concluſi sumus, & necessaria: quæ & seruare facillimum esset credentibus, & cauere: vt meritissimò Tartarum non recusaret, qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca seruasset.]

1182 Punctum autem præcisum temporis, quo lex perfecta libertatis cœpit vigere, & redemptio de legis maledicto per Christum facta,

executioni mandata est; cum in Tractatione de legibus plenè excutiatur, non est cur hoc loco ad examen vocetur. Vt neque alia pleraque ad hanc redemptionem spectantia, quorum discussio ibi instituitur. Gratulabantur Christianis temporibus hanc exsolutionem ab ea seruitute, & redemptionem à tot maledictis, veteres Patres sub importabili illo iugo gementes, & suspirantes in ostentatam sibi diuinitùs libertatem æui nostri; ideóque Messiæ prænunciati aduentum, ardentissimè expetentes.

Quod verò veluti appendix erat captiuitatis huius legalis, nempe impedimentum adeundi regni, etiam post mortem, æquè Christi liberatoris beneficio dissolutum est, vt optimè expendit Rich. Victorinus lib. 1. de Eman. c. 12. verbis illis. [Sed illud quoque non negligentes prætereundum, quod Emmanuël noster factus est nobiscum Deus, non solùm nostræ susceptione naturæ; verùm etiam cohabitatione peregrinationis nostræ. Sed cur quæso, Deus hominem prosecutus est vsque in exilium, nisi vt eum post se reuocaret ad regnum? Habemus ergo certissimum repatriandi signum, familiare illud in hac nostra peregrinatione diuinæ habitationis contubernium. Certè quotquot Christi tempora præcesserunt, post mortem ad inferni claustra descenderunt. Eccè exilium post exilium, captiuitas post captiuitatem. *Quis est*, (inquit) *homo qui viuet, & non videbit mortem; eruet animam suam de manu inferni?* Ad tollendum itaque timorem tantæ captiuitatis; ad remouendum metum futuræ damnationis, datus est nobis noster Emmanuël in signum: exhibens nobis (vt dictum est,) familiare contubernium. Nam ecce post passionem, & resurrectionem Christi, nemo creditur descendere ad inferos, ex his qui sunt ad vitam prædestinati. Ecce ad qualem liberationem sperandam; Ecce ad qualem timorem tollendum, datum est illud quod loquimur signum. O quanto satius, O quanto salubrius, datum est signum in redemptionem captiuitatis Diabolicæ, quàm in liberationem de manu Regis Syrię & filij Romeliæ?] Quomodò autem seruitus à signis, depulsa sit per Christum, tractat D. Aug. 3. de doctr. Christ. à cap. 6. & sufficienter patet, ex dictis de Christo veritate.

### *Tertia per Christum redemptio, à seruitute corruptionis.*

1183 Redemptio à seruitute corruptionis, à Christo quidem præstita est nobis, quoad ius, (vt sic dicam) illius suo tempore consequendæ. Tamen non experimur hîc eam, donec viuimus, Deo consulente profectibus nostris; ne si laboribus & miseriis innumeris, quibus hæc seruitus continetur, iam nunc eriperemur seculo & rebus caducis tenaciùs iusto inhæreremus, vt disputat Gulielmus Paris. l. cur Deus homo c. 9. *in fine*. Itaque effectus huius redemptionis, & applicatio illius, differtur donec auferatur Luna, quam scitè Ocellus Lucanus, *confinium mortis & immortalitatis*, nominauit. Eas metas cum fuerimus prætereuecti, quotquot in hoc scamma producendi sumus, præcipitabitur mors vsque in sempiternum, & vinculum super omnes populos colligatum, disrumpetur; quatenus mors, & omnia ad eam præcurrentia, connexáve cum illa, eliminabuntur à nobis in sempiternum. Tunc *& ipsa creatura*, (iuxta Apostolum Rom. 8.) *Liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Nunc autem de seipso & Apostolis ingenuè fatetur, quod exspectent redemptionem. *Nos ipsi* (inquit,) *primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.* Nam & corpus ipsum, captiuum hîc est.

Hanc autem liberationem & redemptionem, esse fructum aduentus & mortis Christi, Origenes hom 18. in Numer. *in fine*, probat ex illis verbis Prophetiæ Balaam, *Et erit Edom hæreditas eius, Esau inimicus eius.* Sic enim scribit. [Edom idem est, qui Esau. Hic secundùm historiam quidem, inimicus est Israël, sed in aduentu Christi, etiam ipse hæreditas eius erit: hoc est, recipietur ad fidem, nec excludetur ab hæreditate Christi. Si verò spiritaliter aduertamus, Edom caro intelligitur, quæ aduersatur spiritui, & est inimica. In aduentu autem Christi, cum subiecta fuerit caro spiritui, per resurrectionis spem, etiam ipsa ad hæreditatem veniet. Non enim sola anima, sed & caro, quæ aliquando fuerat inimica, per obedientiam Spiritus, consors futuræ hæreditatis existet. *Et Israël fecit in virtutem.* Hoc est quod dicit, quia tunc Edom, vel Esau, hoc est carnis natura, in hæreditatis societatem vocabitur: cum Israël, anima videlicet, facta fuerit in virtutem, & decenter fuerit repleta virtutibus. Si enim anima non veniat ad virtutes, sed in ignauia perseueret, nec caro ad hæreditatem veniet, sed ad iudicium illius, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.] Idem clariùs liquet ex 1. Cor. 15. vbi triumphus Christi describitur, & nouissimam destruendam esse mortem, omniáque locanda sub Christi pedibus, affirmatur.

1184 Similitérque Hebr. 2. idem Apostolus, docet, Christum communicasse carni & sanguini, *vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*, ideſt Diabolum, *& liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Quem locum latè versat Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 146. putátque sensum esse, quod Christus liberarit nos à seruitute peccati, quam contrahebant impij; rati neque animam esse immortalem, neque vllum institui post mortem iudicium. Hunc enim malorum omnium fontem obstruxit Christus, patefacta immortalitate animæ, & infixa venturi iudicij fide. Concludit autem Isidorus, suam illam expositionem, hac eius loci metaphrasi. [Quoniam velut morituri, sine pudore affatim seruierunt peccatis; (mortis namque metus truculento suo aspectu eos tertitans, & cogitationem eius status, quo non ampliùs erant, in ipsorum animis gignens in omnem peccati seruitutem ipsos detrusit;) idcirco venit Christus, & hac eos seruitute liberauit atque exemit. Quòd si ne sic quidem satis intelligitur (dictum,) dicetur clariùs. A multis enim non potest capi sensus Apostolicus. *Vt liberaret*, (inquit,) *eos metu mortis*, quæ in nihilum ipsos redigeret, & adduceret in cogitationem incorrupti illius, quod post exitum ex hac vita futurum est, iudicij. Hi enim libenti animo in via ad

ad virtutem ducente decurrerunt, qui spe coronarum, quasi quibusdam alis fuere subuecti, & peccatum fugerunt, metu futurorum supplitiorum.] Addit etiam vt probabilem, aliam quoque interpretationem: Hanc nimirum; [Quia multi mortem, vt quæ in nihilum prorsùs eos redigeret, metuentes, multa etiam contra animi sententiam; tam facere quàm pati turpia sustinuerunt, ne videlicet à potentioribus punirentur, Camantes enim & scopum non assecuti, dolos atque insidias mortem patientes struxerunt, vt ostendunt gesta Iosephi, & historia Susannę;) Venit Christus, instituturus homines, Mortem esse magis eligendam, quàm vitium aliquod in nos admittamus, & illam potiùs libenti animo oppetendam, quàm aliquid rerum turpissimarum, vel faciamus vel patiamur. Nam mors quidem à resurrectione extinguetur, probra autem illa in supplicia desinent.]

Neutra tamen expositio, videtur satis cohærens contextui. Itaque præter expositionem huius loci superiùs ex credito Anselmo adductam longè magis arridet interpretatio Photij & Theodoreti, quæ fert, priusquàm aboleretur mortis necessitas per Christi mortem, homines per totam vitam fuisse seruitute continua & grauissima pressos. Nihil enim secularium voluptatum, delectare poterat cordatos homines, metu mortis tanquam sæuissimi Domini, semper instantis, exterrente eos qui in terra degebant, & omnem delectationis sensum diluente. At Christus, morte sua resurrectionem nobis promeritus, ius nobis adeptus æternæ vitæ, nulla vnquam morte temerandæ, & nulli mortis necessitati, eiúsve adiunctis subiiciendæ, mortem hanc qua defungendum est vt ad vitam nascamur, reddidit ludicram. Reuera enim post Christum, mors non est terrori, iis qui agnouerint quæ per Christum vita, sit abiectionem harum exuuiarum consecutura.

1185 Huic per Christum factæ redemptioni, non insisto hoc loco plenius, quia & superiùs tractando de Christo pacis Principe, dea præmisi non pauca; & capite sequenti triumphum Christi describendo, alia quoque addenda erunt. Nunc sat erit adducere illustrem locum D. Chrysostomi hom. 2. in ad Ephes. vbi exponens quomodò Spiritus S. hîc dicatur nobis dari vt pignus & arrhabo hæreditatis æternæ, ait. [Cuiusnam rei est arra? Redemptionis, acquisitionis. Pura enim tunc sit redemptio. Nam nunc quidem, & in mundo versamur & multa humana nobis accidunt, & sumus cum impiis. Pura autem tunc est redemptio quando nec sunt peccata, nec humanæ affectiones, neque promiscuè sumus cum omnibus. Nunc autem est arra. Nam & nunc ab ipsis absumus & conuersatio nostra non est super terram, & nunc sumus extra.]

Nihil porrò præterea addo de redemptione nostra per Christum, ab aliis inimicis nos captiuantibus, quos recenset Abucara toto opusc. 1. quinque enumerans hostes nostros, à quibus Christus nos liberauerit; mortem, Diabolum, maledictum & damnationem legis, peccatum, ac denique infernum. E quibus inimicis tres intermedios, Diabolum, & peccatum, ac maledictum legis, prosecuti sumus hoc capite, & quomodò per Christum ab eis, simus erepti, demonstrauimus. Primus autem, siue mors, non est quod nos vlteriùs remoretur. Pertinet enim ad seruitutem corruptionis, de qua item est actum. Infernus verò cum sit Salarium peccati, & eius terminus ad quem, cum peccato est coniungendus. Neminem sanè latet, reatum mortis æternæ, quem Abucara notat inferni nomine, esse proprietatem nominatim assectantem peccati maculam.

---

## *VSVS DOCTRINÆ, De Christo Redemptore vniuersè sumpto.*

### I.

### *Quanti se homo facere debeat, sic redemptus.*

1186 QVare nihil ad ea quæ tradidimus addendum restat, præter vnum & alterum, singularis omninò momenti consectarium. Primum est, hominem sic redemptum, magni planè se debere facere iuxta illud S. Basilij in Psal. 48. ad illud *homo cum in honore esset.* &c. [Fuit reuera exuperans quædam magnitudo amentiæ istius, & pecuariæ absurditatis à ratione prorsùs abhorrentis, quòd ne senserit quidem initio suæ creationis, ad imaginem sui conditoris factum se esse; & neque cogitarit, quot quantáque in sui gratiam dispensata sunt mysteria, vt sic quidem, ex horum contemplatione, suam ipsius agnosceret dignitatem: Atqui horum adeò immemor omnium fuit, vt spoliatus imagine cœlesti, sibi imaginem hominis induerit terreni. Neu tandem is continenter hæreret peccato, ipsius redimendi causa, Verbum caro factum est & habitauit in nobis, seque vsque adeò humiliauit, vt factus sit obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quod si primæ illius tuæ generationis es immemor, ex depenso tui redimendi gratia pretio, qualemcumque tuæ dignitatis arripe notitiam. Quanti id sit pretij, quo permutatus es, videto; tuamque adeò agnosce dignitatem. Pretio sanè haudquaquam aspernabili, emptus es. Noli proinde seruire peccato, tuam potiùs intellige dignitatem, vt ne assimileris iumentis insipientibus.]

### II.

### *Non sumus nostri, Empti enim sumus: ísque qualis ad omne, officium stimulus.*

Consectarium alterum esto, hominem quod Apostolus optimè notauit, titulo redemptionis non esse suum. Emptus enim est pretio magno à Christo Domino, in cuius proinde iura transcribitur. Idque voluisse S. Petrum Actorum 2. cum dixit, Deum fecisse Iesum. Crucifixum, Dominum & Christum, seu Regem, tradit egregiè S. Athanas. serm. 3. contra Arrianos, his præter cætera. [Verbum, quatenus est ipse Dei filius, Dominus est totius vniuersitatis. Nos autem priùs, ab ipso initio vsque, obnoxij eramus

seruituti corruptionis, & execrationi legis: deinde paulatim progressu temporis fingentes ea quæ non erant, inseruiebamus, vt dixit Apostolus, Diis qui in rerum natura non subsistebant, & ignari veri numinis, vana quæ non erat, præferebamus veritati. Postmodùm autem sicuti vetus ille populus in Ægypto oppressus ingemiscebat, ita nobis quoque, quibus erat insititia & naturalis lex, per tacitas spiritus ingemiscentias, has preces fundebamus; *Vindicanos, Domine Deus noster: & Factus est in munitionem refugij & in Deum protectorem.* Ita quoque Dominus noster, ista ipsa factus est. Neque tum sui, existendi, sed dominandi in nobis initium habuit. Postea Deus vt bonus, & Pater Domini nostri, nostram vicem dolens, cupiensque sui apud omnes notitam inualescere, autor fuit filio suo, vt induto corpore humano, homo fieret, filiúsque appellaretur, atque in eo corpore seipsum offerens pro omnibus, omnes liberaret ab ignorantia Deitatis & corruptione: atque ita fieret omnium Dominus & Rex. Quocirca eo modo eum factum esse Dominũ & Regem, idest, quod Petrus suis verbis significauit, cùm ait, *Fecit Dominum & Christum demisit*, quod perinde est ac si diceret, à Patre eum hominem esse factum. Fieri enim, homini proprium est; verùm non simpliciter eum hominem fecit; sed vt omnium dominaretur, omnésque chrismate sanctificaret, hominem fecit. Nam quamuis speciem serui acceperit Verbum quod in forma Dei subsistebat: non tamen assumptio illa carnis, Verbum seruum aut mancipium reddidit, quod natura rerum Dominus erat, sed potiùs inde omnium hominum libertas confecta est. Verbum autem naturaliter Dominus, postquàm homo natum esset; per formam serui, Dominus & Christus omnium factum est; hoc est, vt omnes sanctificaret Spiritu, factum est, non aliter quàm suprà diximus, Deum esse factum, in Deum & protectorem. Eadem ratione cùm dicit, *Ero illis Deus*, non eo tempore magis Deus efficitur, neque tam initium habet vt efficiatur: sed idipsum quod semper est, illud efficitur indigentibus, cùm illi placuerit: Ita quoque & Christus natura Dominus, & Rex æternus, non quando mittitur, magis fit Dominus; neque tunc initium sumit, vt sit Dominus & Rex: sed quod semper est, hoc ipsum, cùm secundùm carnem gignitur, omnibus liberatis efficitur, atque ita fit viuorum & mortuorum Dominus, eo quod illi deinceps omnia seruiant. Et hoc est quod carmine suo modulatur Dauid, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Non enim conueniebat, per alium quempiam istam redemptionem fieri; sed per eum qui natura Dominus erat, ne tametsi per filium creati essemus, alium tamen nobis, Dominum agnosceremus, lapsique in Arianorum Gentiliúmque deliria, creaturæ potiùs, quàm Deo omnium creatori cultum seruitiúmque præstaremus. Hanc pro mea imbecillitate, eius dicti sententiam puto, Petríque vocem, vera ac bona ratione, aduersùs Iudæos instructam esse.

1187 Ex eadem veritate ritè perpensa, nostram ad Redemptionem subiectionem, agnouere, & stimulauere, Patres alij. S. Maximus homil. 1. de Pasch. *in fine.* [Perspice ô homo, quantum valeas, & perpende quantum debeas. Perspice quantum valeas, vt tandem vilis esse tibi desinas: vt vel pro hoc erubescendis subiacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam de creatoris ac reparatoris dignitate meritis. Habet causas quibus seipse confundat, cur indignis Dominis victo corde subdatur, cui gloria æterna promittitur. Ac sic gemino priuilegio qui dudum diuinæ imaginis participatione videbaris honoratus, efficeris etiam commercij nobilitate pretiosus. Vnde quàm fortis esse possis contra hostem tuum, interroga statum tuum, quod tibi Dominus ad bellandum in membris tuis, mundi principem ac spiritales nequitias superandas, liberandas contulit facultatem; ac sic impossibile non putes, vt transferti obtineas Angelicas beatitudines, cum in hoc seculo Angelicas deuiceris potestates. Non ego te degenerem ac despectum faciat vita, quem vel factura probatur illustrem protulisse, vel gratia; sed cursum fideles Christi ad superna fiducialiter extollant. Nam qui sic cœlesti pretio vident redemptos, ad cœlestia non dubitent præparatos.]

Eucherius optimè, ad eandem mentem hom. 1. in symbol. *in fine.* Ille veniet ad iudicandum nos, qui se iudicio meminit addictum pro nobis. Ille veniet ad discutiendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem suam. Ille inquam, pro commissa nobis salute nostra, rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Qui tantum contulit, scit quantum reposcat. Nouit quanti ei constiterit homo suus; Non ergo nobis viles simus, qui tam pretiosi Deo fuimus; Nihil ille à nobis abiectum, nihil mediocre suscipit: vult consentire cum generositate pretij, dignitatem redempti. Tale conuersationis nostræ expectat meritum, quod sanguinis sui possit valere commercium.]

S. Ambrosius Epistola ad clericos præclarè in eodem argumento versatur, iuxta quem ita liberati à Christo sumus, vt denuò in captiuitatem fuerimus abstracti, sed optabilem. [Bonum est, (inquit,) adhærere alteri, & inferre collum in torques eius, & subiicere humerum, & portare illum. Nec tædiare ad vincula, quia de domo alligatorum exiuit qui regnet, puer ille qui super Regem seniorem & stultum est. Ideóque qui eum sequuntur, alligati vinculis sunt. Denique *Paulus, vinctus Iesu Christi.* Vnde & ipse Iesus captiuam duxit captiuitatem. Non satis visum est ei soluere captiuitatem, quam diabolus imposuerat, ne iterum liberos vacantesque inuaderet, sed perfecta absolutio existimata est sub Christo degere, & iniicere pedes in compedes sapientiæ ipsius, captiuum esse, vt sis liber ab aduersario Rectè puer, quoniam puer natus est nobis, & verè optimus puer, cui dictum est à patre Deo; *Magnum tibi est vocari puerum meum.* Sapiens quoque, vt Euangelium docet; *Quia proficiebat etate & sapientia.* Conuenienter etiam pauper, *quia cum dives esset, pauper factus est, vt nos sua inopia ditaret.* Et ideò non fastidit in regno suo pauperem, sed exaudit eum, & liberat ex omnibus angustiis & molestiis. Sub hoc ergo viuamus, vt Rex ille senior & stultus, nullam habeat potestatem supra nos. Qui dum vult regnare quasi voluntatis suæ dominus, nec sub vinculis est Domini Iesu, inueteratus in peccatis,

tis, stultitiæ incidit deformitatem.

1188 Disertè, hominem titulo redemptionis addici Deo seruum, eáque ex causa ad omne obsequium erga Deum obstringi, non secus ac mancipium erga herum tradit S. Ephrem. serm. de Margar. pretiosa. [Intelligo (inquit) rerum omnium opificem, agricolam esse: & intelligo non ab eo agros hos terræ, sed naturæ campos coli, quos serat ac demetat. Non tamen vindemiat, & ex magno torculari vectigal exigit; priùs dat naturæ humanæ mutuum filium: & fœnus exigit, vniuersam animæ libertatem. Et propter debitum, terrestria passua sibi vindicat: & breui commercio, Dominus omnium efficitur, non solùm vt creator, verùm etiam vt redemptor. Et non modò vt Deus, sed etiam vt qui sudoribus emit, tradit margaritam: ne & ipsum naturæ obolum deperdat. Elocat filium, vt & seruum submittat. O immensam, & periculorum contemnentem liberalitatem! Conchæ enim committit margaritam, & pro obolo lapidem pretiosum violari finit. Cerni mercatorem? Consideras eum qui omnia vendit, vt margaritam emat? Cognoscis diuitem; quomodò cuncta vendat, vt agrum, & inuentum in eo thesaurum comparet? Hic enim cœlestis est pater, qui per filium suum omnia emit humanæ conditionis frugifera: cunctas autem possessiones suas terrenas vendidit, vt iugerum quod ipse condiderat, & Adæ tradiderat compararet.]

Nyssenus quoque optimè l. de perfecta Christiani forma. [Porrò (inquit) cùm *redemptionem* esse Christum dicimus, qui seipsum vt nos redimeret, pretium dedit, ea voce intelligimus, eum tanquam mercedem cuiúsque animi, præbendo nobis immortalitatem, nos è morte a se per vitam coëmptos propriam sibi possessionem effecisse. Quod si eius qui nos redemit, effecti sumus, Dominum ita sequamur, omninò vt non amplius nobis viuamus. Sed illi, qui nos vitæ suæ pretio comparauit: non enim amplius nostri ipsorum Domini sumus, sed ille, qui nos coëmit, Dominus est; nos autem eius dominio mancipati. Illius ergo voluntas, nobis pro lege viuendi proposita sit. Vt enim cum mors impotenti dominatu nos premeret, peccati lex in nobis omnia administrabat, sic quando vitæ iam addicti sumus, par vtique sit, vt ipsius rerum potentis arbitrio gubernemur, ne quando à vitæ voluntate per peccatum recedentes, rursus ad improbum mortis in animos nostros dominatum, vltrò delabamur.]

Tandem piissimè de more S. Paulinus Epistola 16. [Nisi nos Deo tradamus, vendimus Diabolo. Vnde & vetus homo qui se consilio malesuadi serpentis addixit vænundatus sub peccato dicitur. Denique quasi venditus eguit redemptore, qui nos magno emit, ne iam aut Diaboli, aut nostri essemus, & à progenie viperarum in genus regale & sacerdotale mutati, efficeremur sanguis eius, qui nos ab originis primæ generosa institutione degeneres, & durante peccato viles priùs animas, pretioso sanguinis sui commercio, fecit & cohæredes sibi, ac filios Dei fieri non inuida pietate concessit.]

III.

*Humilitas hominis redempti.*

1189 Quantum humilitatis studium, homini hinc indicatur, doceat nos S. Ambros. l. 1. de Iacob. c. 3. tractans enim locum Apostoli ex 1. Cor. 7. quo qui seruus vocatus est, dicitur esse libertus Domini, qui autem liber vocatus est, dicitur seruus Christi. Addit S. Ambrosius. [Disce humilitatem, ô homo; Apostolici vim cognosce magisterij. Seruum te dicis? libertus es. Liberum te iactas? seruus es. Nam & ille qui quasi seruus redemptus est, libertatem habet: & iste qui quasi liber vocatus est, bonum est illi, vt seruum Christi se esse cognoscat, sub quo seruitus tuta est, & libertas secura. Quis quasi idiotam Paulum, vel in ipso iure asserit? Sciuit enim discernere inter libertum & liberum; & ideò non perfunctoriè sed propriè dixit; *Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi.* Reuera enim omnes Christi liberti sumus, nemo liber. Omes enim in seruitute generati. Quid seruili conditione, arrogantiam libertatis assumus: Quid titulos nobilitatis vsurpas, seruilis hæreditas? Nescis quod te Adæ atque Euæ culpa, mancipauerint seruituti? Nescis quod redemerit te Christus, non emerit? *Non auro, non argento, redempti estis de vana vestra conuersatione; sed pretioso sanguine agni*, clamat Apostolus Petrus. Ergo redemptus à Domino es, & quasi Domino seruitutem debes & quasi redemptori. Nec inferiorem putes libertinitatem sub Christo, quàm libertatem esse. Ad dignitatem æqualis, ad tuitionem præstantior est, ad gratiam par, aduersùs lapsum cautior, aduersùs superbiam tutior. Ita libertatem accepisti, vt meminisse manumissoris tui debeas, vt patrono tuo noueris legitimum obsequium deferendum, ne ab ingrato reuocetur libertas. Quid te beatius; qui sub Domino regnas, & sub patrono militas?]

IV.

*Amor in Redemptorem.*

Admouentur item, hinc maximè, faces amoris erga Christum redemptorem. Audi Giselbertum cap. 4. Altercat. *in fine*. Quid huiusmodi homo beneficiis, vel futuris, vel præteritis, in Christi gratiam rependis? Multum meruit de te, qui seipsum dedit pro te. Laudes sursum immolamus, si quis, quos, quantum amauerit, perpendimus. Quis enim? Cui omne genu flectitur, cœlestium terrestrium, & infernorum. Quibus tanta gratia exhibetur? Illis quos reconciliauit proprio sanguine Deo Patri. Quantum? Vt seipsum daret pro nobis. Meritò ergo diligendus est à nobis, qui seipsum, pretium dedit pro nobis. Proinde norunt fideles, quàm necessarium habeamus Iesum, & hunc crucifixum, dum admirantes, & amplectentes supereminentem scientiæ charitatem, in ipso; id vel tantillum quod sunt, in tantæ dilectionis, & dignationis vicem, rependere non confunduntur. Equidem facilè plus diligunt, qui se ampliùs

dilectos intelligunt. Cui autem minus datum est, minùs diligit. Iudæus sanè, vel Paganus, vel Schismaticus, nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia experitur, quæ ait; *Vulnerata charitate ego sum, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cernit quippe vnicum Patris, crucem baiulantem; cernit consputum, Dominum maiestatis; confixum clauis, saturatum opprobriis, tandem dilectam animam dare pro amicis, & sic eis requiem æternam mercari effusione sanguinis.]

V.

*Ne redemptio cassa abeat, prouidendum.*

1190 Hoc vrgebat S. Ambrosius, *sub finem* libri tertij de Virg. vt homo dignum se tali redemptione præstet. [Non aurum & argentum vos liberauit, sed probatio fidei, multo pretiosior auro quod perit. Bonus seruus pretium studet reparare Domino, quod pro se solutum est. Noli aurum parare filiæ, noli argentum. Non diuitiis istis te Christus redemit. Paratum habeto pretium. Non semper exigeris, sed semper debes. Sanguinem soluit, sanguinem debes. Ille pro te soluit, tu pro te redde. Eramus oppignerati malo creditori peccatis; contraximus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus Iesus, suum pro nobis sanguinem obtulit. Sed non potes sanguinem reddere. Bonus quidem seruus debet pretium reparare Domino suo. Sed si non potest pretium suum reddere, vel hoc faciat, ne pretio videatur indignus. Ergo & tu dignam te gere tali pretio, ne veniat Christus qui te mundauit, qui te redemit: & si te in peccato inuenerit, dicat tibi; *Quæ vtilitas in sanguine meo?* Quid profeci tibi, *dum descendo in corruptionem?*]

# CAPVT XVI.

## *Christus Triumphator.*

GLORIOSISSIMO hoc titulo, seriem Christi titulorum obsignabimus. Nam & postremus omnium aduenit, si de publico omnium hostium nostrorum triumpho sit sermo, vt mox exponam.

Christo igitur bellatori fortissimo, & geminæ substantiæ Giganti, ad præliandum prælia Domini & nostra huc demisso, post confectum generosè prælium, hostésque deuictos, & liberationem nostram ritè consummatam, ex vsu apud omnes nationes recepto, & iuri naturæ admodùm consentaneo, debetur triumphus. Sunt autem hostes illi, vt sæpè iam retulimus, tres præcipui. Primus incentor cæterorum, & nequitiæ artifex Satanas. Secundus peccatum, quod per fictionem iuris in Scripturis, vt persona quædam aduersùs hominem dimicans proponitur. Tertius, mors quæ machinatione Satanæ, inducto peccato, producta in aciem, stragem edidit infinitam. De his omnibus hostibus nostris triumphauit Christus Dominus; Primò, clari & inuisibiliter; deinde partim occultè, partim apertè. Tandem verò prorsus apertè, ac manifestè, de omnibus est triumphaturus.

### *Primus Christi triumphus, planè occultus, de Satana, in cruce, ex Coloss. 2.*

1191 Clam Triumphantem de Satana Christum, exhibet Apostolus Coloss. 2. verbis illis; *dolens quod aduersùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Iudicio S. Chrysostomi, ibi homilia 6. Apostolus nunquam ita magnificè locutus est. Hunc enim assignat sensum, extremorum illorum verborum. Expoliatos principatus & potestates, ostentauit palam, triumphans de illis per seipsum. Nec minùs magnificam verborum illorum notionem, agnoscit S. Hilarius sub finem 10. de Trinit. [Apostolus (inquit,) loquente in se Christo loquutus, & salutis nostræ pro Dominum opus memorans, mortem Christi ita significat, vt carne se spoliet & potestates cum fiducia dehonestet, & de his in semetipso triumphet. Si in passione sua necessitas est, & non salutis suæ donum est: si in cruce dolor compungendi est, & non decreti; quod in te mors est scripta confixio: si in morte vis mortis est, & non per potestatem Dei carnis exuuiæ sunt: si denique mors ipsa aliud est, quàm potentum dehonestatio, quàm fiducia, quàm triumphus, adscribe infirmitatem. Si ibi necessitas est, & natura: si ibi vis est, & diffidentia, & dedecus. Sin autem hæc è contrario in Sacramento passionis prædicantur, quis rogo furor est, repudiata doctrinæ Apostolicæ fide, mutare sensum religionis & totum hoc ad imbecillitatem & contumeliam rapere naturæ, quod & voluntas est, & fiducia, & triumphus? Triumphus planè est quæri ad crucem, sed offerentem se non sustineri: stare ad sententiam mortis, sed inde confessurum à dextris virtutis: configi clauis, sed pro persecutoribus orare: acetum potare, sed Sacramentum consummare: deputari inter iniquos, sed paradisum donare: eleuari in lignum, sed terram tremere; pendere in cruce, sed Solem ac diem fugere: exire è corpore, sed reuocare animas in corpora: sepeliri mortuum, sed resurgere: demum, secundùm hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundùm Deum in his omnibus triumphare.] Ita vniuersè, de eo Apostoli loco, hi Patres. Sed tegustemus sigillatim eundem locum Apostoli. Singuli in his verbis apices, magnificentiam Christi in cruce triumphantis produnt.

### *Spoliatio Satanæ configendi.*

1192 Quod dixit Apostolus, spoliatos principatus, ideſt Diabolicas virtutes, iuxta Chrysost. & Theodoretum; alij aliter legunt. Nam Oecumenius legit *exutis initiis*, & exponit de principiis exitij nostri in præuaricatione Adæ: quæ initia, quomodò exui dicantur, non est adeò perspicuum. S. Ambrosius 3. de fide cap. 2. & S. Augu

S. Augustinus lib. de agone Christiano cap. 2. legunt, *exuens se carnem:* quod perbellè cadit in Christi confixionem in cruce, qua vitam abiecit. Propono eandem sententiam perelegantibus Nouatiani verbis lib. de Trinit. cap. 16. cum probat, Christum & deitatem & humanitatem habuisse. [ Vtrumque ergo (inquit,) in Christo confœderatum est, & vtrumque coniunctum est, & vtrumque connexum est. Et meritò, dum est in illo aliquid quod superat creaturam, pignerata in illo diuinitatis & humanitatis videtur esse concordia. Propter quam causam, qui mediator Dei & hominum effectus exprimitur, in se Deum & hominem sociasse reperitur. ]

Propositam Apostoli sententiam de Christo exuto, & sic triumphante de potestatibus, Ad nudationem Christi in cruce, referte videtur Cyrillus Hieros. catech. 2. mystag. alloquens sic Neophytos. [ Statim vt ingressi estis, vestem induistis: quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus suis, imago fuit. Atque ita exuti, eratis nudi: imitantes & in hoc eum, qui in cruce nudatus fuerat, Christum: qua ille nuditate principatus, & potestates huius seculi spoliauit, & magna confidentia in ligno de illis triumphauit. ]

Iam suffixionem Chyrographi in cruce, Hilarius Diaconus refert ad peccatum, quod ait fuisse cruci confixum, & occisum. Peccatum autem metonoymicè dici ait, Satanam peccati autorem & incentorem. Eius verba sunt. [ Quia ex peccato mors, sublato peccato fit resurrectio mortuorum. Quod quidèm fieri minimè potuisset, nisi peccatum affixisset cruci. Dum enim non peccando Saluator vincit peccatum quod hominem tenebat obnoxium; insuper & occiditur ab eo innocens; sic crucifigitur peccatum. Deuictum enim peccatum, mortificatum dicitur. Crux enim non Saluatoris mors est, sed peccati. Innocens enim sic qui occiditur, reos illos facit à quibus occiditur. Peccatum autem principes & potestates intelligamus, quorum studio peccauit primus Adam. Ad autores enim referendum est nomen hoc, quorum mortem in expoliatione significauit. Mors enim ipsorum hæc est, quia victi à Saluatore dum expoliantur animabus quas tenebant in captiuitate, mortificantur. Rei enim facti sunt: quia cum hac autoritate animas tenerent, quia peccauerant, ipsi inuenti sunt ampliùs peccatores, dum illum qui illos non peccando vicerat, occiderunt Et sic iustè expoliati sunt. ] Expoliationem Satanæ interpretatur detractionem animarum quibus vt vestimento induebatur.

### *Diabolus in ipsa cruce, confixus Christo.*

1193 Quod autem sic vestimento illo suo exutum, confixum cum Christo in cruce Satanam, ait; sumpsit ex Origene hom. 8. in Iosue, vbi exponit crucifixionem Regis Hay. Post omnia autem (inquit,) etiam Rex Hay, in ligno gemino dicitur esse suspensus. Hoc in loco mysterium tegitur quamplurimos latens: sed orantibus vobis tentabimus hæc, non nostris opinionibus sed diuinæ scripturæ testimoniis aperire. In superioribus diximus, Regem Hay Diabolo posse conferri. Huc quomodò in ligno gemino crucifixus sit, operæ pretium est noscere. Crux Domini Iesu Christi, gemina fuit. Mirus tibi sermo fortasse & nouus videtur, quod dico crux gemina fuit; hoc est, gemina ratione constat & duplici. Quod visibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus est: inuisibiliter autem in ea cruce Diabolus, cum principatibus suis & potestatibus affixus est cruci. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum? Audi ergo de iis quid ipse pronuntiat: *Quod erat*, (inquit,) *contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens cruci suæ, exuens principatus & potestates traduxit, liberè triumphans eas in ligno crucis:* licet in aliis exemplaribus habeatur *triumphans in semetipso*, sed apud Græcos habetur *in ligno*. Ergo duplex ratio Dominicæ crucis. Vna illa qua dixit Apostolus Petrus quod Christus crucifixus, nobis relinquit exemplum: & hæc secunda, qua crux illa trophæum Diaboli fuit, in quo & crucifixus est & triumphatus. Ideò denique & Apostolus Paulus docebat; *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Vides quia & hic Paulus duplicem crucis prodidit rationem. Duo enim sibi contraria dicit esse crucifixa, se sanctum & peccatorem mundum, ad illam formam sine dubio quam superiùs diximus Christi & Diaboli. ]

Æquè, Diabolum de ea ipsa Cruce quam Christo fixit, pependisse, affirmat S. Basilius his verbis homil. de humilit. [ Astuia Diaboli qua aduersùs hominem vsus est, irrita facta est: & quod ille insidiosè contra hominem machinatus est, non animaduertit sibi ipsi fore aduersum; non tantùm illum lædens, quem à Deo & vita æterna abalienaturum se sperauerat, quantum seipsum prodens apostata à Deo factus est, & morte sempiterna condemnatus. Et laqueo quem Domino struxit ipse captus, inque eo crucifixus est, quem se crucifixurum; & mortuus in eo quem morte se extincturum sperauerat. ]

Idem postea ratum habuit Petrus Damiani serm. 1. de Exalt. S. Crucis *initio*. Tractans enim duas virgas quarum meminit Zach. cap. 11. & *virgam decoris*, præfatus esse verum Virginis, subdit de alia virga. [ Altera funiculi, lignum patibuli, disterminans vtraque Regnum Dei, & Diaboli, imponens frænum malitiæ eius, latamque eius peruagationem, validissima potestate coercens. In hac confossum est latus innoxium, & ad horam crucifixus est innocens manibus & mundo corde. Terribilis ille latro, cuius manus plenæ sunt sanguine, in hac item confossus est, & confectus. Sed Christus aliter, aliter ipse: Christus ad monumentum, ille in æternum. Debellauit aëreas potestates (ait Apostolus,) & affixit eas Cruci suæ. Ex altera parte crucifixus est Redemptor noster, ex alia summus ille præuaricator. Rex Hay, vt narrat Historia, suspensus est in gemino patibulo, ira Rex mortis in duplici patibulo suspenditur, quia dum Christum interficit, in ipsa cruce crucifigitur. ]

Hanc Satanæ crucifixionem, præmissa de more patibulariorum spoliatione, per animarum quibus tanquam vestimentis amiciebatur, abductionem

abductionem ; non repudio. Sed ad mentem Apostoli congruentiorem puto spoliationem Satanæ, (vt in hostili incursu fieri solet,) bonis omnibus exuti: diuitiis inquam quas congregauerat, non in iudicio. Illa enim præda direpta, in triumpho per Christum celebrato, delata est.

### *Satanas traductus ad crucem Christi, confidenter, siue palam triumphatus.*

1194 Sic spoliatos opibus malè partis principatus tartareos, Christus ad crucem traduxit confidenter. S. Epiphanius in Anchorato & hær. 73. Pneumatomachorum, *initio*, idē sonare, hæc putat, ac *vituperauit*. Græcum verbum est ἐδειγμάτισε cuius verbi hanc Glossam suppeditat Chrysostomus homil. illa 6. [ Benè dixit *ostentauit*. Nunquam tam turpiter & indecorè se gessit Diabolus. Nam quum eum se habere expectaret, etiam quotquot habuit, perdidit. ] Et mox. [ Declarat, quod liberè, securè, & confidenter mori, est probrum & dedecus Diaboli. Ille enim omnia fecisset, si potuisset, vt persuaderet hominibus eum non esse mortuum. Non quoniam totum quod postea futurum erat tempus, erat signum & indicium resurrectionis; mortis autem si non illud fuisset, non futurum erat vllum tempus ; propterea mortuus quidem est publicè omnibus videntibus. Non resurrexit autem publicè, vt qui sciret tempus quod postea erat futurum, veritati laturum testimonium. Nam quod mundo vidente suprà in ligno occisus sit serpens, hoc est admirabile. Quid enim non fecit Diabolus vt clam moreretur ? Audi Pilatum dicentem ; *Tollite ipsum vos, & crucifigite; ego enim nullam inuenio in eo causam.* Et rursus ipsi dicebant Iudæi: *si filius Dei es, descende de cruce.*] Omnibus ergo modis, (Quod mox plenius prosequitur Chrysostomus,) voluit Christus suam in cruce mortem patere omnibus, & peragi in publico, conscius horrendæ confusionis qua inde Satanas complebatur.

Idipsum fuit palam triumphari potestates in semetipso, quod postremò addebat Apostolus. Non me latet S. Augustinum Epistola 59. ad quæst. 3. omittere eam particulam *palam*. [ Malos (inquit) principatus, & malas potestates, Diabolicas scilicet, & Dæmoniacas, *exemplauit*, id est, exemplum de illis dedit, vt quemadmodùm ipse se exuit carne, sic suos ostenderet exuendos carnalibus vitiis, per quæ illi eis dominabantur. ] En non comparet apud eum, illud *palam*. Non est tamen ea particula negligenda. Illud ergo *palam* Hilarius Diaconus ad hunc locum exponit [ *Publicè* ; id est in cruce, quod est palam detriumphari à Deo in Christo. Ille enim detriumphatur, qui palam vincitur, & spolia eius publicantur. Ostenditur omnibus prostratus, qui cæteris insultabat. ] Non quod cuidens omnibus esset hanc Christi esse victoriam, & de Satana triumphum ; sed quod externa illa perpessio & passio, quæ iuxta S. Chrysostomum, homil. 2. in Acta, & Damascenum 3. fidei cap. 15. actio potiùs est dicenda, aperta omnibus esset, quoad Christi infamiam solam, non quoad effectum. Nemo quippe Iudæorum qui infiniti aderant, & Christo insultabant, videbat exemplatum Satanam. Ipsa autem Christi exinanitio, peragebatur in omnium oculis, in vrbe totius propè orbis metropoli, cum conuenissent in eam, ex omni natione quæ sub cœlo est, innumerabiles populi. Itaque securè S. Chrysostomus homil. illa 6. ait, orbem ipsum hanc detriumphationem & ostentationem principatuum, per Christum in cruce factam. [ Et quod præclarum est, (inquit,) non commisit hoc alteri, ] sed per seipsum, & in seipso tanta præstitit, tantáque confusione obruit Satanam, quem sic per seipsum circumduxit & ostentui habuit.

### *Alia de Satana ad Christi crucem triumphatio ; simúlque de parato, & apopompæo.*

1195 Nisi cui plus arrideat quod Theodoretus serm. 10. de Prouid, hunc Apostoli locum expendens, idem putat esse Christum triumphasse potestates in semetipso, ac exhibuisse illis spectandum suum corpus & animam ; quarum partium vtraque fuit innocentissima, & remotissima ab omni labe : iniustámque procurante Satana sententiam contra se latam, arguisse, & conuicisse sceleris. Adorationem Patrum in Limbo antea detentorum, & hymnos triumphales hac ex causa Christo ab eis decantatos, pete ex Laurentio Iustiniano, l. de Triumph. Christi agone cap. 22. Nec displicet quod Isidor. Pelus. lib. 4. Epist. 108. significat illud *in semetipso* insinuare potentiam Christi, qui clauis confixus cruci, (quod proximè memorauerat Apostolus, agens de chirographo,) de tantis hostibus triumphum egerit. Audi Pelusiotam. [Quoniam hæc res, athletam robustiorem & artificiosiorem declarat, quando aduersariorum licet constrictus apprehensionibus, tamen eos spoliatos ad ipsum fossatum superauit : Idcircò etiam Christus, pugnam aduersùs Dæmones per crucem suscepit, vt videlicet tantò illustrioribus trophæis de ipsis erectis triumpharet. Atque hoc ipsum est, quod discere cupiebas : *Expolians principatus & potestates ; ostentauit palam, triumphans de illis in semetipso.* Re enim vera triumphati sunt Dæmones ; ab athleta, manus pedésque clauis transfixo, superati. Reuerà traductus est Diabolus, carne vnà in cruce pendente superatus, eique manus dans & concedens palmam. ]

Non omitto quod in hac Christi triumphatione Origen. homil. 9. in Iosue, obseruat impletum esse, quod de parato ablegante apopompæum in desertum, habetur c. 16. Leuit. Verba Orig. sunt. [Potest fortassis & alio modo, paratus & immundus, qui abducit eum cuius sors eremit in eremū, & eo ipso quo educit eū, quasi per immundum contigerit, dicitur lauare vestimenta sua ad vesperam, & esse mundus etiam ipse Dominus & Saluator noster intelligi ex ea parte, qua naturæ nostræ, ideſt, carnis & sanguinis vestimenta suscipit quæ in vespera lauarit : Propter quod & dudum Propheta de eo dixerat; *Et vidi Iesum Sacerdotem magnum, indutum vestimenta sordida, & Diabolum stantem à dextris*

*dextris eius, vt contradiceret ei.* Lauit ergo in vino, ideſt in ſanguine ſuo, ſtolam ſuam in veſpera, & factus eſt mundus. Et inde fortaſſis quod poſt reſurrectionem, Mariæ volenti pedes eius tenere, dicebat, *Noli me tangere.* Vis autem adhuc videre, & aliam duorum ſortium formam? Conſidera duos illos, qui tempore crucis eius, vnus à dextris, & vnus à ſiniſtra eius pependerunt latrones, & vide illum qui confitebatur Dominum, ſortem factum eſſe Domini, & abductum eſſe ſine mora ad paradiſum; illum verò alium blaſphemantem, ſortem factum eſſe Apopompæi, qui in eremum abduceretur inferni. Sed & in eo quod dicitur, *quia affixit cruci ſuæ principatus & poteſtates contrarias, & triumphauit eas*, ſortem in eis Apopompæi compleuit, & tanquam homo paratus, abduxit eas in eremum. Denique & in Euangelio Dominus dicit; *Quia cum exierit de homine immundus ſpiritus, vadit per loca deſerta, quærens requiem & non inuenit.* Sic ergo poteſt & Saluator noſter, homo paratus intelligi, qui ſortem quidem Domini, Eccleſiam ſuam fecerit, eámque diuino conſecrarit altari; ſortem verò Apopompæi, contrarias fecerit poteſtates, ſpiritus nequitiæ, & mundi huius rectores tenebrarum harum, quos (ſicut dicit Apoſtolus,) *cum poteſtate traduxit, triumphans eos in ſemetipſo. Traduxit.* Quò traduxit, niſi ad eremũ ad loca deſerta? Sicut enim illi qui confeſſus eſt, aperuit paradiſi ianuas, dicendo; *Hodie mecum eris in paradiſo*, & per hoc omnibus credentibus, & confitentibus, ingrediendi aditum dedit, quem priùs Adam peccante concluſerat. (Quis enim alius, romphæam flammeam & verſatilem, quæ appoſita eſt cuſtodire lignum vitæ, & fores paradiſi poterat dimouere? Quis alius Cherubim peruigili excubans cuſtodia valebat inflectere, niſi ipſe ſolus, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra?) Vt, inquam, præter ipſum nemo alius hæc facere potuit, ita principatus, & poteſtates, & rectores mundi, quos enumerat Apoſtolus; nemo alius poterat triumphare, & abducere in eremum inferni, niſi ipſe ſolus qui dixit; *Confidite, ego vici mundum.* Idcirco ergo neceſſarium fuit, Dominum & Saluatorem meum, non ſolùm inter homines hominem naſci, ſed etiam ad inferna deſcendere, vt ſortem Apopompæi, tanquam homo paratus in eremum inferni deduceret; atque inde regreſſus, opere conſummato aſcenderet ad Patrem, ibique pleniùs apud altare illud cœleſte purificaretur, vt carnis noſtræ pignus, quod ſecum euexerat, perpetua puritate donaret.] Idem homil. 7. in Ioſue, ex allegatis Apoſtoli verbis, plauſum & clangorem Angelorum, vincente & triumphante Chriſto, ſcitè colligit.

### *Triumphus de peccato, & morte, ad Chriſti crucem.*

1196 Eadem opera; triumphaſſe Chriſtum de peccato & morte in cruce, agnoſcunt Patres. Iſidorus Peluſiota l. 2. Epiſt. 192. ait, Chriſtum cruci ſuffixum, ſuffixiſſe ſecum peccatum & mortem. Itaque ſicut Satanæ cum Chriſto confixio, (quod ex Origene & Petro Damiani audiuimus,) fuit Chriſti de Satana triumphus: ita confixio peccati ac mortis in cruce, triumphus eſt de iiſdem reportatus. Additque idem Iſidorus l. 4. Epiſt. 180. ideirco Chriſtum reſpuiſſe lachrymas filiarum Ieruſalem, quo tempore ad crucem properabat, quia lachrymis proſequendus non erat, qui ad crucem, victoris & triumphatoris inſtar proficiſcebatur, & de peccato trophæum ſtatuebat, ac ad mortem morte mulctandam feſtinabat. Præiuerat Chryſoſtomus hom. 6. in ad Coloſſ. qui de Chriſto cruci ſuffixo agens ait, [illhic plagam accepit mors, à mortuo corpore; læthali vulnere cæſa: & quemadmodùm ſi athleta cum aduerſarium ſuum, ſe iam proſtrauiſſe putat, læthalem plagam acciperet; ita & morti factum eſt.] Et mox [Factum eſt hîc, perinde atque in ſingulari certamine ſolet. Mortem percuſſit Chriſtus: Verùm Chriſtus primùm percuſſus, poſtremò mortem interemit. A mortuo deſtructa & enecata eſt corpore, quæ videbatur immortalis.] Non diſſimiliter S. Auguſtinus homil. 35. ex 50. [Quæ fortitudo draconis contra mortem Domini, qui ſerpentem ſuſpendit in ligno? Triumphauit enim de morte, quam Diabolus propinauerat per aſtutias ſuas homini. Et cum exaltaret Moyſes ſerpentem in eremo in ligno, populus qui mordebatur à ſerpente, attendebat ſerpentem, & ſanabatur, ſic & modò quemcumque momorderit aſtutia Satanæ, intueatur Chriſtum in ligno pendentem. Ibi enim mors occiſa eſt, Dominus ſemper viuit. Sed vt occideret mortem, veſtitus eſt morte. Non potuit mors mori, niſi in vita. Non moritur amaritudo niſi in dulcedine; non moritur frigus, niſi incalore; non eſt mortua mors, niſi in vita. Quid eſt vita? Chriſtus noſter. Sed vita induta erat mortem. Crucifixus eſt, occiſus eſt, mortuus eſt, & reſurrexit tota vita. Interfecta morte, & deglutita morte, iam vita ſurrexit.] Profecit ex his S. Bernardus ſerm. 1. de S. Malachia. Recolenda quæ diximus, de Chriſto pacis principe, ex peccato & morte proſtratis. Omnis enim illa victoria, eamque illicò conſecutus triumphus, ad crucis tempus pertinet, per quod inuiſibilis iſte Chriſti triumphus peractus eſt, & in inferno, ac Chriſti reſurrectione conſummatus.

### *Appendix triumphi Chriſti in cruce, per triduum conſequens, ex Abacuc.*

1197 Necto triumphum à Chriſto in cruce celebratum, cum triumpho mortem proximè conſecuto; quia hic fuit illius quaſi appendix, vel clauſula. Proptereaque S. Chryſoſtomus ſer. 3. de Aſce. (aliàs 4.) poſt deſcriptum motum qui Chriſto ſuffixo contigit, annectens hanc quoque appendicem, addit. [Tunc infernus euerſus eſt, & portæ eius contritæ ſunt, & vectes ipſius confracti. De quibus Dauid vaticinans dicebat; *Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Tunc mors dominans, ſubiecta eſt ſub pedibus Chriſti, & in triumpho ducta captiua. Nam incorrupto reſurgens & glorioſo corpore; hoſtis vires fregit, & eius machinis contritis, telis diſſipatis, vinculis diſruptis, dolorum ac perturbationum iugo proiecto, ad inferni Regiam deſcendit, eius thronum diuulſit, diadema diſtraxit, ſceptra perdidit, eum qui tenebatur, exſoluit,

tyrannum peſſum dedit, vocem emiſit dicens; *Venite omnes patriæ gentium, ad Deum Patrem* venite, & pro ſeruitute libertatem reportate, vos è ſeruitute in libertatem adduco, ex tenebris ad lucem, de morte ad vitam, ex tyrannide ad Regiam. Vitæ enim vobis lætum nuncium fero. Ego ſum Chriſtus. Itaque ne ampliùs timueritis tyrannum, ſed mortem ac mortem, famem atque preſſuram vinculorum, gladij & anguſtiæ, deſpicite. Hæc enim is qui tyrannide premitur, pertimeſcit. Tyranni exercitus profligatus eſt. Solus autem omnium ego Rex ſum victor, qui & in carne pro vobis paſſus ſum. Hic ergo verè fortis & potens eſt Dominus, qui potens eſt in prælio. Hic eſt Rex gloriæ, qui compedibus vinctos educit in fortitudine, habitantes in ſepulchris.]

Agnoſcere hinc licet quid ſibi Habacuc in ſuo Cantico voluerit, cum de Chriſto dixit, *cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius; ante faciem eius ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius; ſtetit & mensus eſt terram, aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi: Incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Hæc non aliò ſpectare, quàm ad Chriſti in cruce triumphum, de Satana peccato, & morte, varij Patres tradunt: nominatim Autor libri de operibus Chriſti Cardin. ſerm. de Paſſ. Euſebius lib. 6. de demonſtr. c. 15. Aug. 18. Ciuit. c. 32. Rupertus, & Recentiorum plerique ad eum locum Habacuc. Ipſa enim eſt mors, ſeu peſtis, quam 70. *verbum* vertetunt ſiue *ſermonem*: intelligentes de verbo aſpero de quo pſal. 90. Ita Aug. in pſal. 48. ad illud *mors depaſcet eos* Item Origenes l. 7. in Epiſt. ad Rom. in c. 8. ad verba illa *certus ſum quia neque mors*, ſic ſcribit. [*Mors* quam hîc dicit, ille accipiendus eſt, quem ſupra expoſuimus, inimicum Chriſti deſtruendum nouiſſimum dici, qui vtique propterea *mors* dicitur quia ſicut hæc communis mors, animam ſeparat à corpore ita à charitate Dei animam ſeparare & ille contendit; & hæc vtique eſt animæ mor.] Eſt igitur Satan, mors, quæ ante faciem Chriſti ibit. Ipſe item eſt Diabolus, & mors peſtifer, mons ſeculi. Eius verò aſſeclæ, colles mundi. Peccata autem, tentoria Æthiopiæ, ac pelles terræ Madian; quæ omnia traducta confidenter, & ante pedes producta; diſſoluta, turbata, diſiecta, & in triumpho propoſita ſunt, pendente Chriſto; habentéque in manibus crucis cornua. Neque enim tam crux Chriſtum habuit, quàm Chriſtus crucem, in qua volens pependit, & fortitudinem ſuam habuit abſconditam. Inde porrò *cornuum* nomen, cruci aptatum à Propheta videtur, iuxta illud Tertulliani lib. contra Iudæos c. 10. [Benedicitur in hæc verba Ioſeph; *Taurí decor eius, cornua vnicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit pariter, ad ſummum vſque terræ.* Non vtique Rhinoceros deſtinabatur vnicornis, vel minotaurus bicornis, ſed Chriſtus in illo ſignificabatur; Taurus ob vtramque diſpoſitionem; aliis ferus vt iudex, aliis manſuetus vt Saluator, cuius cornua vocantur. Vnicornis autem media ſtipitis palus. Hæc crucis pars eſt, hoc extremitates huius cornua vocantur, vnicornis autem media ſtipitis palus. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus, vniuerſas gentes & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cœlum, & tunc ventilabit per iudicium, deiiciens de cœlo in terram.]

1198 Quæ de cornuum, etiam in coronis, vario vſu, ad denotandam fortitudinem adducit Paſchalius l. 10. de Coronis c. 4. & 5. mitto referre. Cum igitur in his cornibus, vinciens ac triumphans de tot teterrimis hoſtibus noſtris Chriſtus Dominus, in tam vili licet ſpecie, & abſcondita fortitudine deprehendatur; mirum non eſt, Sanctos viros vſque adeò non refugiſſe tantum Chriſti vt videbatur opprobrium, vt potiùs illud vbique prætulerint: præſertim Apoſtolus, qui profeſſus eſt Corinthis, non iudicaſſe ſe quod aliquid inter ipſos ſciret, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Agnoſcebat enim ſummum Chriſti honorem, vereque de truculentiſſimis hoſtibus triumphum, in abiectione illa, corporis oculis obuerſante. Ita obſeruauit Iſidorus Peluſ. l. 4. Epiſt. 150. Germana hæc cauſa fuit, cur Abraham, & cum eo antiqui Patres omnes, de præcognita Chriſti morte exultarint, præſcij eam non tam mortem fore, quam triumphum. Diem ſanè illum Chriſti, quo viſo exultauit Abraham, eſſe mortem, ſic probat S. Chryſoſt. hom. de dicto Pauli, *tunc & ipſe filius ſubiicietur ei.* Quia de Abraham item Saluator dicit; *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* Quem diem? Mortis Agnus enim ab arbore traditus Abrahæ imaginem geſſit Agni Dei, qui tollit peccatum mundi. Et quod dicit, Vidit diem: Non aliud facit, quàm quòd vidit mortem. Vnde hoc & vſitato more dicunt homines, *præuenit eum dies* pro eo quod eſt, *mors.* Verùm conſuetudinis lex, non eſt ſatis idonea ad aſtruenda ea quæ dicuntur: Itaque ad Scripturam veniamus. Dicit alibi Beatus Dauid; *Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper illum dentibus ſuis; Dominus autem irridebit illum, quoniam præuidet quod veniet dies eius.*] Impletas item in cruce fuiſſe, illas Emmanuelis victorias, & triumphos de Satana, de quibus Iſaias c. 7. latè proſequitur Rich. Victor. l. 1. de Eman. à c. 17.

Ego concludo conſideratione trophæi in cruce à Chriſto conſtituti, quod peto ex Chryſoſtomo, hom. de Nom. Cœmeterij, & cruce *in fine.* [Tecum (inquit,) ipſe reputa, quis tandem ille ſit ſanguis effuſus. Ille nimirum qui tuorum peccatorum chirographum deleuit: ſanguis ille qui purgauit animum, qui maculas abluit, qui virtutes ac poteſtates palam triumphauit; *expolians*, (inquit,) *principatus, & poteſtates traduxit, confidenter triumphans illos in cruce.* Multa, inquit, illud trophæum habet victoriæ inſignia; multa ibi ſpolia in cruce de ſublimi pendent. Vt enim ſtrenuus Imperator, bello grauiſſimo perfecto, thoracem, ac ſcutum, & arma Tyranni, ſuperatorúmque militum, in ſublimi trophæo ponit; ad eundem modum etiam Chriſtus debellato Diabolo, arma omnia illius, mortem, maledictionem, peccatum, de ſublimi cruce, tanquam de quodam trophæo ſuſpendit; vt omnes trophæum aſpiciant, illæ ſupremæ virtutes, illæ cœleſtes, homines quoque in terris degentes, ipſi quoque victi, improbi Dæmones.]

*Secundus Christi triumphus, partim publicus, partim occultus, in Ascensu ad cœlos.*

1199 Alter Christi triumphus, ex parte publicus, & manifestus, quippe Angelis conspicuus; ex parte verò occultus, quippe hominibus latens, is est, quem Christus ascendens in cœlum celebrauit, in clausula fœlici totius itinerarij filij Dei, vt loquitur S. Bernardus serm. 2. de Ascens. Exprimebant eum olim Christiani (verba sunt Iuonis Carnot. serm. de Purificat. Deip.) [tempore Ascensionis, vexilla triumphum Christi signantia, in eminentiori loco Ecclesiæ, tanquam in arcu triumphali sublimantes.] Fuisséque eum triumphum magnificentissimum, liquet ex Psalmo 67. vbi, *ascendens in altum*; non in crucem, vt perperam (etiamsi sub disiunctione,) habet ibi Euthymius, sed in cœlum, iuxta Apostolum Ephes. 4. dicitur *cæpisse captiuitatem*; & effudisse in homines dona, *simulque confregisse capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.* Quibus verbis, triumphum Christi de spiritualibus & inuisibilibus hostibus celebrari, S. Hilarius latè ibidem prosequitur.

Suspexisse verò SS. Angelos, ac beatos spiritus, triumphantis Christi ingressum, illa Psalmi ad Christum allocutio monstrat; *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto.* Quæ verba sic glossat S. Hilarius accommodatissimè ad præsens institutum. [Dei quidem itinera sunt visa, cum coactis in glaciem aquis, præeunte in columna ignis & nubis, iter populo siccatum est; cum in medio tympanistriarum iuuenes psallentes, glorioso glorificatum Dominum cantauerunt. Sed non minùs itinera & alia Regis, in Sancto, cum virtutibus animisque Sanctorum iter eius præeuntibus, in eo qui primæ sabbati psalmus est, cantatur; *Tollite portas principes vestri, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Et hęc itaque Dei nostri & Regis, in sancto, itinera sunt visa, cum ingressum eius, tanta cœlestium cœtuum gaudia præeunt.]

1200 Non suspicientes modò & admirabundi, sed obsequiosi quoque, Christo affuere in hoc triumpho cœlestes spiritus. Quod pulchrè expressit apud Cyprianum Autor sermonis de Ascensione, verbis illis, quibus vniuersum hunc triumphum concinnè exhibet. [Non manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis euectus est Christus: sed naturæ diuinæ propria vsus virtute, carnem cœlo intulit, & corpus glorificatum, Patris conspectibus præsentauit. Non indicit vectoribus Angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus; sed præcedentes & subsequentes applaudebant victori, & continentes in iubilatione modulabantur canticum nouum, & implebat cœlos consonantiæ illius harmonia: Thronis & Dominationibus parantibus Filio iuxta Patrem confessum: Cherubin & Seraphin pedes pacificos ambientibus: radiantibus vndique diuinis claritatibus: & splendoribus supercœlestibus: quos nec ardor persequens consumit, nec turbinis alicuius afflatus extinguit, nec interpolatio caliginis vllius abscondit. Celebrat tanti triumphi magnificentiam, lætabundus cœlestis exercitus: & qui descendenti coram Pastoribus Bethleemitis decantauerunt in sublimi præconia: modò expressioribus conatibus, & intensioribus iubilis, reuertenti ad Patrem solemniora obsequia impendebant, & festiuis affectibus venerabantur hominem supra se sublimatum, quem gloria & honore coronauerat Pater ad dexteram suam collocatum: hoc dato ei priuilegio singulari, vt in nomine eius genuflectatur, & super omne nomen, eius nomen excellentiùs coleretur.

Sed circa tactam beatorum spirituum effusionem, in Christi ascendentis triumpho, suauissima est, & B. Bernardo dignissima consideratio, quam Galfridus ex eo retulit in Allegoriis Tilmanni ad cap. 38. Esaiæ. (nam apud ipsum quidem S. Bernardū, in eam non incidi. Sic ergo habet Galfridus. [Loquebatur aliquando B. Bernardus, iucunda quadam deuotione, super his decem diebus, quibus post Ascensionem Domini, promissum Paracletum orantes discipuli præstolabantur: dicebatque, videri posse velut detentum ab ordinibus singulis Angelorum, per dies singulos Saluatorem, ad Patrem die decimo peruenisse: & humano quodam more, inducebat singulos ordines, solemnibus eum processionibus, & triumphalibus canticis occupantes. Et cum vellet transire eas, causantes quod apud homines tantam fecerit moram, non modò passurus, sed etiam suscitatus; ad eos autem nec declinare vellet. Quinetiam iuxta illud de Euangelio, cogentes illum, & dicentes, *mane nobiscum Domine quoniam aduesperascit & inclinata est iam dies.* Itaque diebus nouem detentus, decimo tandem super omnes choros Angelorum collocatus, sine vlla deinceps mora, promissum Spiritum sanctum in filios adoptionis effudit. Ipse S. Bernard. serm. 2. de Pentecost. *initio*, circa illud Isaiæ 4. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria*, præfatus Christum esse illud *germen Domini*, ob mundissimam suam conceptionem, subdit. [Illud ergo germen quod de virga Iesse, virore virgineo pullulauit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset à mortuis; quia tunc Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induens, amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem ascendentis gloria, cum medius, Angelorum & animarum sanctarum, ad Patrem deduceris, & triumphatrice palma cœlis inuectus, susceptum hominem in ipsa diuinitatis claudis identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quàm sit fructus terræ sublimis, in consessu ad dexteram Patris, quod vtique cœlestium oculos reuerberat naturarum, quod Angelicus intuitus non attingit. De hac magnificentia & sublimitate consessus in cœlis, magnificentissimè S. Chrysostomus serm. 9. de Ascens.

*Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.*

*Dona à Christo sic triumphante, accepta in hominibus.*

1201 Munera per triumphantem distribui solita, huic triumpho non defuerunt: Et quidem insignia, quæ Antonomasticè *dona* dici meruerint à Psalle. *Dedit* (inquit,) *dona hominibus.* Hoc video de Spiritus sancti effusione Ascensionem proximè consecuta, passim ac-

cipi, cum Ruffino ad 6. Symboli articulum; Nec malè. Estque verè donum illud, exquisitissimum, & Christo dignissimum. Quidni tamen alia quoque agnoscamus Christi triumphantis dona, collata hominibus? Gloriam videlicet in Christi ascensu, sanctis eum reducem comitatis, distributam à Christo tanquam mercedem fructus ventris. Obseruat egregiè Autor sermonis Ascens. apud Cyprianum, euecto in cœlum Christo. [Paternæ complacuisse altitudini; duo genera gentium ciuitati supernæ, de qua glorioſa dicta sunt, deinceps assignari; & esse supra mansionarios homines & Angelos; & beatitudinis illius gloriam his duobus ordinibus in perpetuum frequentari. Hæc merces obedientiæ Christi, hæc crucis & mortis stipendia, hic Passionis labor promeruit; vt corpus humilitatis nostræ, fieret corpori claritatis Christi conforme; & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem, & fierent homines cum Christo in cœlestibus iudices, qui cum eo iudicia pertulerant malignorum, & extiterant vsque ad mortem tribulationum consortes.]

Distributionem porrò ipsam sed vim ac locorum in cœlo, factam ab ipsomet Christo, pensatis vniuscuiusque eorum qui secum venerant meritis, æquè ac in dies fit, cum subinde impletur electorum numerus, piè æquè ac iucundè contemplari possumus. Attigit hoc egregiè Origenes hom. 25. in Iosue *in fine*, docens distributionem terrenæ hæreditatis, ordine certo factam à Iosue, præsignasse distributionem sedium, faciendam, in cœlo. [Quod si, (inquit,) secundùm literam solùm, difficilè textus ipse narrationis explicari potest, & permixtio vel locorum, vel personarum, quæ in historia continentur, euolui: quid dicimus de iis sacramentis, quæ per hæc describuntur, & in quibus distributiones futuræ hæreditatis adumbrantur, & per quæ sanctæ terræ quam mansueti hæreditate susciepient, diuisio celebrabitur? Quis castrorum sedes diuersas explicet, quomodò hæc in resurrectione per singulos quosque sanctorum, Sacerdotali vel Leuitico ordine habenda sit distributio, vt quemadmodùm dicit Apostolus; In resurrectione non confusè agantur omnia sed veniat vnusquisque in suo ordine, initium Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum subiecerit ei omnem principatum, & potestatem? Ibi sine dubio tales quædam castrorum obseruationes, & Sacerdotales distributiones, & ordines, ac tubarum significationes erunt: fortassis enim sicut ordinauit Deus stellas cœli, & rationibus eas quibusdam mirandis & ineffabilibus collocauit; & alias quidem ipsarum statuit in axe Aquilonis, alias in partibus Orientis alias verò in Australi parte connexa, atque alias in Occasu: ita credo quod & eos qui ex resurrectione mortuorum tales erunt, sicut stellæ cœli in multitudine & claritate, venientes scilicet ex semine Abraham, ordinabit Deus in regno cœlorum, secundùm ordinem stellarum & partium cœli: & dabit aliis sortem ad Orientem: aliis ad Occidentem, ad Austrum aliis, & quos ipse nouit statuet ad Aquilonem: quoniam quidem multi venient ab Oriente & Occidente, ex quatuor orbis partibus, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum, per gratiam Domini nostri Iesu Christi.] Sed quod hæc res, iam sit tacta cum de Christo Iudice, insistamus eius triumpho.

### *Absentia infausti monitoris, gloria triumphatoris.*

1202 Non est porrò quod in hoc triumpho carnificem qui priori triumpho aderat plusquàm vnus, adsciscendum putemus, vt ex prisco ritu inclamet hominem memento te quod etiam habet Tertullianus cap. 33. Apolog. & Hieron. Epistola 25. comparans huic monitori, eum carnis stimulum, quem accepit Apostolus inter triumphandum de peccato & Satana 2. Cor. 12. Ex Zonara lib. 11. eum vsum describit Magius lib. de tintinnabulis cap. 11. Non est inquam, quod eiusmodi monitorem, triumphanti Christo apponamus, in tanta periculi prolapsionis in vanum tumorem, elongatione.

In triumphi huius conclusione, considerate iuuat cum S. Anselmo lib. 10. meditat. in decima, quanta gloria donatus sit triumphator noster, quámque sublimè conscenderit, & quanta omnium cœlestium ex Angelis & hominibus conflatorum, gratulatione sit condecorata, ea concluſio. [Amantissimus Domini (inquit,) habitat confidenter, & flagellum non appropinquat tabernaculo eius. Super altitudinem cœlorum, super omnem excellentiam Angelorum, propria virtute ascendit; super solium singularis gloriæ in dextra Patris, qui coæternus & consubstantialis sedet, & diuino amictus lumine coronatus gloria & honore, vt decet vnigenitum Dei. Terrenus in lætitia, plenus omni potẽtatu, Dominus in cœlo & in terra. Ibi adorant eum omnes Angeli Dei, & vniuersa multitudo ciuium cœlestis Sion. In ipso vnanimitet lætantur omnium corda, in eius desiderabili facie, pascuntur omnium oculi bonorum. In ipsum vndique confluunt desideria omnium sanctorum, ipsi iubilat, ipsi applaudit, ipsum magnificat, tota vranica ciuitas, glorioſa per omnem modum in splendoribus eius. *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israël.* Exultate in nobili filio vestro, vos illustres Patriarchæ, quia impleta est in eo omnis expectatio vestra, & ipse sublimis est valdè, & *benedicentur in ipso*, vestro videlicet semine, *Omnes gentes.* Sic enim pollicitus est sermo diuinus. Gaudete in Iesu Propheta magno, vos Prophetæ viri veraces, quia mirificè & glorioſè impleta videtis omnia, quæ de ipso annunciastis in Spiritu sancto & fideles inuenti estis per ipsum in cunctis sermonibus vestris. Gaudete in Domino Iesu magistro vestro, vos inclyti proceres cœli, beati Apostoli; gaudete in ipso, & iterum dico, gaudete cum Christo familiari lætitia. Ecce enim quem vidistis im medio vestri, esurientẽ & sitientẽ, fatigatũ & iis similia carnis infirma tolerantẽ, ab omnibus reprobari, & cum sceleratis reputari, quomodò vicit? quomodò regnat? quomodò ei omnia sub pedibus sunt? Quàm glorioſus in suo Domino, lumine fulget, & sui gaudij, suę ineffabiliſq; glorię nunc vos socios habet, qui olim permansistis cum ipso in tentationibus suis, & vexationum eius consortes fuistis? Adorato nunc dulcia illa genua, quæ se curuauerunt ante vos vsque ad terram,

ram, sedentibus vobis ad sanctissimam cœnam. Adorate nunc sacrosanctas illas manus, quibus pulueré pedum vestrorum Rex Regum lauare & extergere dignatus est. Gaudete in Iesu, principe militiæ vestræ, vos Martyres victoriosi, quia ipsum pro quo tradidistis in mortem animas vestras, ipsum, inquam, Iesum filium Dei, possidetis præmium certaminis vestri. Gaudete in Iesu summo Doctore veritatis, ô venerandi Confessores & Doctores, quia quem olim doctrinis sacris & operibus iustis confessi estis coram hominibus, nunc confitetur vos coram Patre suo, & sanctis Angelis eius. Gaudete in Iesu virgine, & virginum sanctificatore, vos paradisi-colæ Virgines, vos Angelis similes: quia ecce quem amastis, quem optastis, quem ardentibus desideriis expectastis, pro cuius amore terrenos sponsos & omnem ornatum seculi contempsistis, summi Regis filium nunc videtis, nunc tenetis, nunc in eius castis amplexibus quiescitis, & diuelli à vobis nulla insidiatoris fraudulentia potest.]

### *Vltimus Christi triumphus planè publicus, in mundi meta.*

1203 Postremus Christi triumphus, publicus erit: celebrabitur enim coram hominibus & Angelis in mundi clausula, post consummatum iudicium, & latam in bonos & malos sententiam. Peccatoribus enim à longè præludia tanti triumphi conspicantibus, subitóque dehiscente terra absorptis, & descendentibus in profundum quasi plumbum in aquis vehementibus, Christus à terra exaltatus, omnia trahet ad seipsum: quod in mundi meta complendum esse, cum abolita fuerit omnis dominatio, & principatus atque potestas, Christúsque triumphans cœlestem subibit regiam, affirmat Iustinus q. 39. ad Orthod. Sed illustrissimè idipsum exposuit Apostolus 1. Cor. 15. verbis illis de extremo tempore, & mundi clausula. *In Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine; primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio, præter eum, qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* Habes hic omnium nostrorum hostium contritionem sub Christi pedibus, omnisque principatus & potestatis euacuationem. Habes omnium Sanctorum in quibus regnabit, subiectionem ad eundem. Denique habes traditionem regni Deo & Patri. Quæ mihi imago videtur, imo expressio perfectissima, triumphi gloriosissimi in mundi meta celebrandi; non dispari forma quàm celebrati legantur, qui in seculo habiti sunt magnificentissimi triumphi.

### *Inimici omnes, excindentur.*

1204 Tunc planè perfecta & integra hostium nostrorum contritio exhibebitur; Satana, & morte, & peccato, præcipitatis in sempiternum. Nam hic quidem, quamdiu voluuntur lux & tenebræ, hostes prædicti, tametsi transfixi, & illato per Christum lethali vulnere immedicabiliter saucij, adhuc tamen palpitant, nec modicam adhuc humano generi inferunt labem; improuidis plerisque, morderi, se à ligato cane sinentibus, & peccati aculeos infeliciter excipientibus: vt de morte taceam, quæ omnibus indeclinabiliter est constituta. At tunc nouissima destruetur mors, omnis quoque Satanæ principatus & potestas, (qualiscunque tandem hic sit;) euacuabitur, & cum Satana, peccatum, omnesque eius partiarij, pedibus Christi substernentur. Quod autem id faciendum dixi, proximè antè subuectionem Christi postremam in cœlos; obseruari ea in parte potest, analogia cum triumphis mundanis: in quibus vincti ante currum duces inimici, onerati colla catenis ducebantur, vt est vulgatissimum de Iugurtha, ante Marij triumphum ducto: déque quatuor & viginti supra trecentos, quos Pompeius bello Mithridatico confecto, triumphans, ex debellatorum Regum liberis ac Ducibus, egit ante currum suum, Appiano teste. Sic igitur Christus, ante suum cœlum versùs subuectionem, triumphali habitu & pompa, publicè ostentatos hostes nostros & ludibrio habitos, æternùm prosternet, & carceri perpetuo mancipabit, perdendos illhic sempiterno interitu. Nam & in Romano triumpho, quod Eumenius in Constantini Panegyrico prodit, [Captiui Reges, cum à portis vsque ad forum triumphantium honestassent currus, simulatque in Capitolium cutrum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem necabantur.] Idem habet Zonaras lib. 2. *in Diocletiano.* Etiamsi id perpetuum non fuisse, confirmet Bulengerius l. de triumph. c. 28.

### *Euacuabitur potestas omnis humana.*

1205 Euacuationem principatûs omnis & potestatis, in hoc Christi triumpho, secutus Chrysostomum & Theophilactum, aliósque non paucos, accepi de euacuatione regni Satanæ, & contritione omnium eius partiatiorum, & administrorum. Et certum videtur, de ea præcipuè loqui Apostolum; ita vt sublata hominum qui tentari possint successione, etiam illud regnum quo Satanas & superiores mali Angeli, ex consensu inferioribus principantur in ruinam nostram, sit abolendum. Non inficior tamen, quin verum etiam sit, euacuandas esse quascunque alias potestates; siue Angelorum beatorum in inferiores Angelos, aut Dæmones, aut homines. Id quod ad summam Christi & Dei eminentiam perspiciendam pertinet, qui tunc erunt omnia in omnibus, solíque imperabunt & regnabunt; oblitetatis omnibus aliis principatibus & potestatibus; Angelorum quidem in Angelos inferiores, & in nos. principatus euacuabitur, quia omnes illæ præfecturæ, spectant eos qui hæreditatem capiunt salutis: qui tunc nulli vltra erunt. Et quia humanæ quoque omnes dominationes, ex natura sua aliò non pertinent, quàm vt salus animarum obtineatur, & homines per directionem superiorum, & malorum coërcitionem, ac pacem, pertingant securè ad finem suum vltimum: propterea cum omnes eò pertigerint, cessabunt & euacuabuntur vniuersæ potestates, hominum

in homines ; tam Ecclesiasticæ Pontificum & Episcoporum, quàm seculares Regum & Principum:itémque Oeconomiæ, mariti in vxorem, Patris in liberos superiorum quorumcunque in quoscunque inferiores. Omnium æqualitas, & gradus par; nullius ad alterum, nisi ad Christum, & ad Deum, subiectio erit. Húcque S. Chrysostomus hom. in illud, *tunc & ipse filius subiicietur ei*, refert quod de Christi cornu toties in Scripturis legimus. Populo ptiori(inquit,) tres erant ordines Sacerdotium, regnum & prophetia : Præter tres illos, non videbatur alius apud Iudæos principatus.Cornu item erat olei sacrificationis,& vna fuit vnctio, tria verò dona.Vnum cornu,tria charismata : Inungebantur enim Sacerdotes,Reges & Prophetæ. Cæterùm quia aliqui argumenti huius ignari sunt, ne incassum sermo currat, seipsum quidem absumens,lectori verò inutilis,audi breuiter. Seruabatur à Prophetis cornu;è cornu autem inungebantur Reges, Prophetæ & Sacerdotes?nulla quidem charismatis variatione,nam per idem cornu gratia adhibebatur.Inungebantur Reges, inungebantur Prophetæ, inungebantur Sacerdotes: vna vnctio, tria dona. Quare autem in cornu erat vnctio ? Quia imaginem gerebat Christi.An non in argenteo vase,an non in aureo, an non in aliqua alia pretiosiore materia, tantum donum esse potuit?Sed non fuit in alio, quàm in cornu. Siquidem vt dicendo præmisi, imaginem gerit Christi.Etenim dicit ; *Excitabo cornu Dauid* : quod est Dominus Sacerdotij, & regni & prophetiæ,ille sit cum omnibus vobis. Quia cum caput nostrum accipit regnum, contritis tribus illis humanis dignitatibus, in eius cornu,omnis dignitas, & gloria resedit. ] Vides quomodò euacuationem omnis humanæ dignitatis publicæ,& multo magis priuatæ,agnoscat; ex quo Christus in mundi meta regnum acceperit ? De eo enim tempore agit, quamuis per anticipationem in præterito loquatur; & quomodò Christo, tantùm,& Deo,omnia subiecta fore doceat.

Quid quod ipsius etiam Christi potestatem & principatum, tunc temporis euacuandum, saluo eius regno, censuerunt de Apostoli eo loco sententia, quidam Catholici?Nam principatus ille Christi,consistit in potestate gubernatiua Ecclesiæ, & facultate directiua electorum ad gloriam ; ratione cuius Christus nunc dicitur sedere ad dexteram Patris. Vnde Psal. 109. significatur positis inimicis Christi, sub pedibus tanquam scabello,non vltra sessurum Christum ad Patris dexteram, quia non vltra gubernabit Ecclesiam;sed abdicabit gubernatoris officium, quia vlteriùs nulla erit gubernationis necessitas, omnibus constitutis in termino. Retinebit tamen semper regnum & dominium;cùm Iurisdictionis, tum proprietatis in omnes beatos, vnà cum Patre:quia id habet inabdicabiliter titulo vnionis Hypostaticæ, ratione cuius regnabit in domo Iacob,(idest Ecclesia,)in æternum, & regni eius non erit finis. Ita ferè Florauentius 1.de Trinit.cap.3.*sub finem*,allegato.S.Epiphanio Hær. 69. apud quem nihil inuenio. Et quamis doctrina vera sit,tamen non video quomodò ad locum Apostoli conferat; quia abdicatio gubernationis,non erit coniuncta cum abdicatione regni Christi, quod principatum & potestatem necessariò dicit. Quod igitur Christus omnem principatum & potestatem euacuauerit, patrique etiam ipse subiiciatur, non potest de ea gubernationis Ecclesiæ abdicatione accipi.

### *Sancti omnes, subiicientur triumphatori.*

1206 Sanctorum ad Christum tunc triumphantem subiectio, de qua, postea,non melius prodi queat,quàm cum venerabundi & triùphatori,acclamantes,currui triumphantis astabunt, magna & ipsi pars futuri tantæ pompæ, tantique triumphi.Hæ siquidem erunt opes,hæ manubiæ,hæc vera Dauidis præda,quam in triumpho hoc solemnissimo ostentabit triumphator. In luxuriæ triumpho, (sic enim Plinius lib.37. cap. 2. Prompei triumphum appellauit,)prodigij loco habita est, immanis moles auri, argenti, & gemmarum, transuecta. Transtulit alueum cum tesseris lusorium,è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor:& ne quis de ea dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie propè ad hanc amplitudinem accedente, in eo fuit Luna aurea pondo 30. lecti triclimares tres, vasa ex auro & gemmis abacorum nouem:signa aurea tria, Mineruæ Martis & Apollinis,Coronæ ex Margaritis triginta tres:mons aureus quadratus,cu Ceruis & Leonibus,& pomis omnis generis, circumdata vite aurea. Musæum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat. Imago Cn.Pompeij, è margaritis.] Verùm quid hæ vanitates & insaniæ fallæ,imo veræ, (vt scitè Psaltem corrigit Maximus Taurin.hom. de Calendis,) quid inquam hæc terræ minutalium transuectio, ad vias illas opes, quas Christus in triumpho suo deduxit,circundatas immensa gloria?sanctos dico, quibus omnibus laureatis & coronatis, triumphum suum honestabit Christus. Heu iciunitas nostratium comparationum ? Multus est Athenæus lib. 5. Dypnosoph. in ea Antiochi opulentia explicanda, qua in pompa quadam, tria millia Cilicum, aureis coronis illustrium, & equites Pisæos mille, aliósque præterea tres mille, aureis argenteísve,in galea cristis & aureis coronis insignes;octingentos insuper ephebos,aureis coronis micantes exhibuit. Sed hæc ne nominari quidem digna sunt, præ aureis verè & gemmeis,(auersandę paupertini moris nostri voces,) præ cælestibus inquam infinities pretiosioribus coronis sanctorum,illustrantium Christi triumphum.

Pereleganter Eusebius lib. 3. contra Marcellum Ancyranum cap. 15. hanc sanctorum ad Christum subiectionem, exponit de honore & veneratione ingenti sanctorum, referentium in Christum omnia bona sua. Subditque hæc, sanè insignia. [ Filio quidem Dei, sancti omnes per salutarem subiectionem subiiciuntur ; quatenus is vita est, vitam in eo victuri immortalem:quatenus sapientia, sapientes futuri:logos, quatenus logo perficiendi, & Christus, quatenus odore eius bono inungendi. Luminaria designabuntur noui seculi, quibus lux ab illo suppeditabitur. Filij Dei futuri,filiationis eius spiritu adornati & exculti. Quomodò qui illi sunt subiiciendi omnes, facultatum eius cæterarum participes fient?Nam & iusti futuri sunt, de iustitia eius : & de sanctitate illius sancti..Sed ne-

qu-

que quandoquidem Deus erat Verbum, & Deitatem suam iis inuidebit : vt verè sit locutus Apostolus, *Hæredes Dei, cohæredes autem Christi*, futuros eos. Sed & corpora sua æternitate prædita, Soli, Lunæ, & syderibus similia, coruscabunt : quo & in ipso, eius gloriæ participabunt. Quod & idem docuit aiens ; *Unde & seruatorem expectamus Iesum Christum, qui transformabit corpus humilitatis nostræ, vt conforme sit corpori gloriæ eius, secundùm operationem potentiæ ipsius, quæ subijciet omnia sub pedibus eius.* Vides, vt in eo quod possit omnia subiicere sibi, & corporis nostri inducat transfigurationem eam, vt corpori ipsius glorioso, nostra quoque conformia reddantur. ]

1207 Specialiter SS. Angelos, subiectionem suam ad Christum triumphantem, omni demissionis & gratulationis expressione testaturos Gregorius Nyssenus Oratione 3. contra Eunomium, his verbis tradit, expendens illud Hebr. 1. *Et cum iterùm introduxit primogenitum in orbem terræ* ; [ Adiectio ( inquit ) particulæ *iterum*, hoc non primò fieri, per hanc dictionis significantiam ostendit. Nam in repetitione eorum quæ semel facta sunt, hac dictione vtimur. Igitur in fine seculorum, terribilem eius apparitionem, hoc sermone significat, quando non ampliùs in serui forma conspicietur, sed in solio Regni magnificè sedens, & ab Angelis omnibus circum ipsum adoratus. Propterea qui semel in orbem ingressus, primogenitus factus ex mortuis, & fratrum, & omnis creaturæ primogenitus ; cum iterùm ingrederetur in terrarum orbem, iudicans ipsum orbem in iustitia, sicut testatur vaticinium, non repudiat *primogeniti* nomen, quod semel pro nobis accepit : sed sicut in nomine IESV omne genu se curuat, ei qui supra omne nomen est, sic etiam eum qui in nomine primogeniti venit, omnis Angelorum plenitudo obuiam facta, adorat, ob hominum reuocationem affecta gaudio ; quam quia sit noster factus primogenitus, rursus ad gratiam quæ à principio fuit, reuocauit : siquidem gaudium fit Angelis, super his qui ex peccato resipiscentes, salui fiunt. Quocirca vsque nunc congemiscit creatura illa, & condolescit nostræ vanitati, multam suam & detrimentum iudicans nostram perditionem, cum reuelatio facta fuerit Filiorum Dei, quam pro nobis semper expectant, & præstolantur : Et cum salua fuerit ouis, cum superna illa centuria ; (nos autem omnes sumus, humana natura hæc ouis, quam quia factus primogenitus, bonus Pastor seruauit : ) tunc præcipuè in vehementi pro nobis gratiarum actione, Deo adorationem adducent, ei qui propter primogenituram reuocauit eum qui à patrio lare longè abscesserat. ]

Origenes lib. 9. in Epist. ad Rom. hanc sanctorum subiectionem non exclusis Angelis, de quibus Christi triumphatori subiiciendis, ex Nysseno diximus, ait expressam, per genuflexionem, Isaiæ 45. sic enim habet. [ Vbi ergo tradiderit regnum Deo & Patri, idest conuersos omnes & emendatos obtulerit Deo, & ad integrum, mysterium mundi reconciliationis expleuerit, tunc ait ante tribunal Dei stare omnes, vt impleatur hoc quod sequitur ; *Viuo ego dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo.* Flectet autem genu omnis creatura Deo, in nomine Iesu, per quem reconciliata est ei, secundùm quod idem Apostolus dicit : *Quia in nomine Iesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Flectere sanè genu, & omnem linguam confiteri Deo, de Esaiæ Prophetæ sermonibus assumpsit Apostolus. Quod tamen non est carnaliter accipiendum, vt putemus, etiam cœlestia, quæ dicit genuflectere, carnalibus membris hoc facere : verbi causa vt putetur vel Sol, vel Luna, vel stellæ, vel etiam Angeli, & quæcunque sunt quæ celestia nominantur, corporalibus inflexa genibus adorare, aut etiam lingua carnali, & tali membro quali nos homines loquimur, putentur confiteri Deo, de quibus dicitur, quia sint spiritus & ignis, secundùm quod Propheta dicit : *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos, ignem vrentem.* Et quæ genua in spiritibus esse creduntur. Aut quæ linguæ in ignis specie requirentur ? sed genuflectere, subiecta esse cuncta, & cultu Dei obedire declarat. ]

## *Christus, tradet regnum Patri.*

1208 Traditionem regni per Christum faciendam Patri, varij varie exponunt. Petrus Damiani Opusc. 56. c. 1. exponit de perductione omnium ad claram Dei visionem. [ Quod dicit Apostolus, ( inquit, ) *cum tradiderit regnum Deo & Patri*, tanquam regnum donec ipse tenuerit, Pater non habeat : & cum Patri tradiderit, ipse non teneat. *Cum tradere regnum Deo Patri*, nihil aliud sit iuxta sobrium intellectum, nisi perducere credentes ad contemplandam speciem Dei Patris. Tunc quippe Deo Patri, regnum a Filio traditur, cùm per mediatorem Dei & hominum, in contemplationem diuinitatis æternæ, fidelium multitudo transfertur ; idest, vt iam necessaria non sit dispensatio similitudinum per Angelos, & Principatus, & Potestates, & Virtutes : ex quarum persona, non inconuenienter intelligitur dici in Canticis Canticorum ad sponsam ; *Similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoad vsque Rex in accubitu suo est* ; id est, quoad vsque Christus in secreto suo est. Quoniam vita nostra abscondita est cum Christo in Deo ; *Cum Christus* ( inquit, ) *apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Quod antequàm fiat, *videmus nunc per speculum in ænigmate*, hoc est, in similitudinibus ; *tunc autem facie ad faciem.* Hæc enim nobis contemplatio promittitur, actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum. *Filij enim Dei sumus, & nondum apparuit, quod erimus. Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus ; quoniam videbimus eum sicuti est.* Quod enim dixit famulo suo Moysi ; *Ego sum qui sum* : Et, *dices itaque filiis Israël : Qui est, misit me ad vos* ; hoc contemplabimur, cum videbimus eum in æternum. Ita quippe ait ; *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Hoc fiet, cùm venerit Dominus, & illuminauerit abscondita tenebrarum, cùm tenebræ mortalitatis huius, corruptionisque, transierint. Tunc erit manè nostrum ; de quo in Psalmo dicitur, *Mane astabo tibi, & videbo.* De hac contemplatione intelligitur dictum, *cum tradiderit regnum Deo, & Patri* ; idest, cum perduxerit iustos, in quibus nunc ex fide viuentibus regnat, mediator Dei & hominum

homo

homo Christus Iesus, ad contemplationem Dei Patris.]Sic de ea traditione regni, per Christum facienda Petrus Damiani.

Malim tamen eam vel simpliciùs accipere, vel explicatiùs proponere; ita scilicet, vt traditioni regni faciendæ per Christum Deo & Patri, perbellè respondeat quod in priscis Romanorum Triumphis seruatum, obseruat & latè confirmat Paschasius lib. 8. de coronis cap. 1. & 2. Nempe præter lauream coronam, laureis foliis structam, sed adauctam lemniscis, & inauratam lamnulis, vnguentísque delibutam teste Tertulliano lib. de cor. mil. quam triumphans capite gestabat; aliam fuisse amplissimam, & cui ferendæ vix ceruix seruilis apta esset, vt est apud Iuuenalem Saty. 10. quæ non laurea, sed aurea esset; in qua inscripta essent gesta triumphatoris, & in Iouis Capitolini gremio, ab eo in triumphi clausula deponeretur, in eiusdem Iouis æde, cum cæteris donariis religiosè asseruanda. Profitebatur enim ea coronæ traditione qui triumphabat, vnde victoriam & decus suum promanasse agnosceret. Christus itaque triumphatoris specie subuectus in cœleste Capitolium, Deo & Patri vero nomini, ad triumphi clausulam, regnum tradet; coronámque illam omni æstimatione superiorem in Patris sinu deponet, quæ ex electorum omnium veluti singularium gemmarum consertione fuerit compacta. Hanc suam mercedem, (filij enim merces, fructus ventris, ideſt Christi,) hanc coronam suam multo potiore iure quàm Paulus quos ad Deum adduxerat coronam suam nominabat, offerret Christus Deo Patri. Electos inquam omnes, à Dæmonis, & peccati, ac mortis potestate ereptos, inunus lectissimum & acceptissimum sistet Patri.

Negat Thyræus lib. de Apparit. ad Iudic. vniuersale c. 23. n. 30. eam traditionem, voce viua, aut symbolo quopiam faciendam. Sed eo ipso censet tradendum Patri hoc regnum, quod continetur fœlici electorum multitudine; quod beati cœlestis patriæ possessionem inibunt, & cœlum ingredientur. Verùm hæc non videntur satis esse, ad intelligendum quòd à Christo tradantur Patri latores manum suarum. Hoc enim tantùm est dicere, seruis fidelibus, vt intrent in gaudium Domini sui; ideſt donare illos beatitate. At aliquid diuersum est, quod affirmat Apostolus, Christum traditurum regnum Deo & Patri. Quare quicquid sit de vocali traditione, contra quam tot astantibus corpore conuestitis, Deum vocaliter laudantibus, & secum similiter colloquentibus, nihil video validum; traditio tamen per actus intellectus & voluntatis, omninò videtur admittenda. Hoc est, admitto, & Christum cum primum post recessum è terris, concluso iudicio & temporum reuolutione concluſa, prouectus fuerit ad eam cœli partem in qua Christo thronus statuetur; profundissimè adorantem Augustissimam Trinitatem, exhibiturum illi esse gratissimo animo, fasciculum lectissimum viuentium quos à Patre acceperat perducendos cum effectu ad gloriam. Et in recognitionem regni super omnem Ecclesiam, & orbem vniuersum tributi à Patre, hanc illi verè coronam suam oblaturum, ad edendam solemni ritu professionem addictioris clientelæ, & vt passim loquimur, ad exhibendum homagium ex hac similivè formula. En Domine & Deus meus, cum ouibus nonaginta nouem, etiam centesimam quam ad te reuocare missus sum. En Christus tuos omnes in quibus mè primogenitum esse voluisti. Tui etant, & mihi eos dedisti, siue saluandos, siue saluandis ad præscriptum meum cooperaturos vt is qui deerant adiunctis, vnus ex omnibus beatorum & electorum tuorum cœtus adunaretur. Eastibi nunc tandem opera & sanguine meo, in vnum corpus, vnámque beatam Ecclesiam sine macula & ruga congregatos, reptæsento, dedico, & trado.

Quid in hoc toto processu indecorum? quid Christo indignum? quidve dedecens Deum; aut ei non debitum? Vide verò an non ad hunc modum Apostoli verba acceperit Eusebius præclarè in hanc rem vniuersam differens lib. 3. de Eccleſiast. Theologia contra Marcel. Ancyr. cap. 16. his proter cætera. [Filius tunc exultans gaudio, & veluti victoriosus athleta, triumphabundus corona eorum redimietur, quos beatitudine dignos habitos, Patre suo spectante, regno indeficienti & non veterascenti remuneraturus est. Impletis de eo tunc diuinis oraculis; cum aliis, tum illo Gabrielis Angeli ad sanctissimam Virginem, prolato, de filio ex ea generando. *Quod regnaturus sit in æternum, & regni eius non erit finis.* Regnans eo tempore Dei filius, omnes eos qui sub ipso sunt regnaturi, traditurus est tunc suo Patri.]Id planè ait esse, quod Apostolus dixit, Christum Patri traditurum regnum, ideſt, subiectos regni sui, omnes electos. [Consummatos enim ab ipso illos, & tanquam suo glorioso facinore illustratos, patri tradet, tanquam quoddam depositum manifestum; quod & ipse docet inquiens; *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Quocirca veluti probus depositi custos, depositum saluum fartum, tectúmque exibebit Deo, ad instar Pontificis omnes albis amictos, & corporibus immortalibus, tanquam stolis candidissimis radiantes illi in manus tradens; vt non modò sub illo fruantur regno, sed insuper adimpleri possint ineffabilibus Patris sui bonis.]

1210 Hic quoque pertinet, panegyricus ille beatorum, quem in vniuersali omnium sanctorum corona, à Christo cuique pangendum, monstrauimus agentes de Martyrio p. 4. cap. 6. num 21. Optimè id consideravit S. Chrysostomus hom. 31. in Genes. *sub finem*, obseruans iis tantùm qui honores humanos refugerint, paratum esse tantum decus. Vnde sic adhortatur. [Qui virtutem ita operatur. Vt latere velit homines, in die illo terribili, in manifesto accipiet à Domino retributionem. Nam pater tuus, qui videt in occulto, reddet tibi in manifesto. Quasi diceret. Ne cogites, nullus homo laudauit te, & virtutē clam facis, sed hoc cogita, tanta erit paulò post Domini liberalitas, quod non sinet hoc clam vel in occulto esse: sed præsente omni hominum genere ab Adam vsque ad consummationem seculi, te prædicabit, & coronabit, & retributiones laborum virtutis, dabit tibi. Quo igitur excusatione digni erimus, & laborem virtutis sustinentes, & propter momentaneam & vilem euanidamque hominum gloriam, æternam illa nosmetipsos priuantes]

Quamodo

### *Quomodò & ipse Filius subijcietur Patri, sensus auersandi.*

Tradet ergo Patri electos Christus,& sæcula obsignans, ac vicissitudinis obumbrationem illuc vsque productum, nullo vlteriùs nascituro, nullo morituro, nullo sortem sanctorum aucturo, damnatis æterno carceri mancipatis, omnibus Dei hostibus potenter subactis, plena omnium subiectione ad Patrem per Christum facta; tunc & ipse filius (vt addebat Apostolus) subiicietur ei; eritque Deus omnia in omnibus.

Non est sensus Christum planè debellatis inimicis omnibus, ita traditurum Patri regnum, eique ita subiiciendum vt regnare desinat: Hoc enim non cohæret cum illis Scripturis, quibus negatur finem fore regni Christi,& è contrario asseritur potestatem eius fore æternam potestatem quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur. Itaque detestandus planè est sensus hæreticorum, quem S. Athanasius Orat. vnum esse Christum, refert ab eis appictum huic loco Apostoli [si exactè (inquit) animaduertas & rebus ipsis oculos intendere velis, deprehendes eos extra Trinitatem summouere Dominum nostrum Iesum Christum, vt mancipium, vt hominem inadorabilem; cùm sit adorandus, ac potiùs adorantem vnà cum cæteris omnibus, inseruientem, & subiectum sanctæ Trinitati; vt Marcellus & Paulus Samosatensis, diuina & Apostolica scripta ad suam detorquentes sententiam, interpretantur; qua parte dicit Apostolus, *Cum subiecta ei fuerint omnia, tum subijcietur ei quoque filius:* hoc est assumptus homo *subiicietur ei, qui ei subiecit omnia, vt sit Deus* (inquit,) ita vt ante incarnationem fuit, *in omnibus*, omninò incorporalis ac prorsus sine corpore, homóque quondam ab eo assumptus, (& tunc diuinitate exutus,) & cum omnibus adnumeratus, ad genua adorabundus procidet, Deóque subiicetur.] Addit S. Athanasius.[En in quantam vesaniam & infidelitatem prorumpunt, vt animo concipiant, figántque quæ non sunt, & fabulas garriant?] Detestabiliter quoque alij apud Eusebium l.1. contra Marcellum Ancyr. cap.1. de ipsius Christi æmulatione & transitu in Deum, ea accepisse significantur. Disertéque ibidem l.2. cap.1. id tribuit Eusebius Marcello, & latè refellit cap.4. & lib.3. de Eccles. Theol. à c.9. annuente Cyrillo Hierosol. eum quoque Galatam sugillante, Catechesi 15. *sub finem*. Non sunt hi sensus, traditionis regni per Christum, conformes sanæ doctrinæ.

### *Prior sensus probabilis, praditæ subiectionis.*

1211 Sensus ergo esse potest, filium esse Patri subiiciendum, séque, & sua omnia per eos quos dixi actus, in professionem clientelaris addictionis, in Patris potestate positurum, quamuis non idcirco regno excidet. Nam nunc quoque, adhuc stante mundo, simili modo subiectus est Patri: & tamen sedet ad eius dexteram, &, cum Patre viuit & regnat. Firmátque hanc Apostoli expositionem, quod obseruat Theodoretus ibi, aliíque Græcorum nonnulli: nempe Apostolum, ad Corinthios non ita pridem ab Ethnicismo abductos, ista scribentem, cauere voluisse, ne quid apud eos fermenti illius remaneret, quo filius Patrem Saturnum deiecisse; eumque in ordinem redegisse ferebatur. Nam ea quoque ex causa, (quod Isidorus Pelus. animaduertit) Apostolus scribens ad Philippenses, negat Christum in forma Dei, rapinam esse arbitratum esse se æqualem Deo: alludens ad factum Iouis, quem Ethnici fabulabantur regnum Patri rapuisse. Christo ergo omnia subiicienda esse, affirmat Apostolus; ipsum verò regnum Patri traditurum, eique se subiecturum qui subiecerit ei omnia; hoc est Patri superstite tamen, cum ea subiectione, regno Christi. Id quod pulchrè omninò prosequitur S. Zeno Veron. serm. in hoc dictum Apostoli. Et concinnè longam disputationem his verbis concludens Eusebius l.3. de Ecclesiast. Theolog. c.15. *in fine* [subiecturus est ergo sibi omnia; talem verò subiectionem futuram Seruatoris nostri statuere debemus; secundum quam & ipse filius subiicietur Patri, qui ipsi subiecit omnia: nempe præstiturum eum ineffabilem quandam, indeterminabilem, & ipsi soli conuenientem subiectionem, cum nimirum illos, qui ipsi subsunt, omnes & singulos, ad modum chori coactos Deo & Patri præsentabit: gloriam ipsi & honorem, venerationem, & magnificentiam, veluti qui sit omnium bonorum fons & causa, ascripturus.]

### *Alter sensus probabilis, eiusdem subiectionis.*

1212 Alius eiusdem subiectionis Christi sensus, esse potest, quem suprà agens de regno Christi æterno, monstraui esse plurium Patrum, & longa Nysseni ratiocinatione, ostendi consonare menti Apostoli & texturæ capitis; nimirum quod Christus eatenùs Patri subiiciendus dicatur, quatenus membra eius omnia subiiciuntur Deo plenè triumphatis Satana, peccato, & morte, quæ illi plenæ & omnimodæ fidelium, atque adeò etiam Christi, vnum cum eis corpus facientis, subiectioni ad Deum, obstabant. Latè prætet citatos, id prosequitur autor libri primi de Incarn. *in fine*. Extat Tom.4. Augustini. Nec non Nazianzenus orat.36. à num.14. Egregiè planè & breuiter Origenes homil.7. in Leuit. verbis illis. [Donec ego non sum subditus patri, nec ipse dicitur patri esse subiectus. Non quod ipse subiectione indigeat apud Patrem, sed pro me, in quo opus suum nondum consummauit, ipse dicitur non esse subiectus. Sic enim legimus, *quoniam corpus sumus Christi, & membra ex parte*. Quid autem est, quod dicit *ex parte* videamus. Ego nunc (verbi gratia) subiectus sum Deo secundùm spiritum, hoc est proposito & voluntate: sed quamdiu in me caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem, & nondum potui subiicere carnem spiritui; subiectus quidem sum Deo; verùm non ex integro, sed ex parte. Si autem potuero etiam carnem meam, & omnia membra mea in consonantiam spiritus trahere, tunc perfectè videbor esse subiectus. Si intellexisti quid sit *ex parte*, & quid sit *ex integro* esse subiectum, redi

nunc, ad id, quod de subiectione Domini proposuimus: & vide quia cum omnes corpus ipsius & membra esse dicamus. Donec sunt aliqui in nobis, qui nondum perfecta subiectione subiecti sunt, ipse dicitur non esse subiectus. Cum verò consummauerit opus suum, & vniuersam creaturam suam ad summam perfectionis adduxerit, tunc ipse dicitur subiectus, in his quos subdidit Patri, & in quibus opus quod ei Pater dederat, consummauit, vt sit Deus omnia in omnibus. [Particulam *donec*, nequaquam obesse, constat ex iis quæ disputat. Isidorus Pelusianus lib. 1. epistola 18. & ibi latè Conradus. Sic vides dictum hæc Apostoli quod S. Chrysost. homil. separata in illud, vocat, [verbum coactus, & quod non facilè incircumspectior aliquis accipiat,] non difficilè exponi ad veritatem.

### *Erit Deus omnia in omnibus.*

1213 Quomodò autem Deus, tradito sibi per Christum regno, & Christo ipso pariter patri subiecto, sit futurus omnia in omnibus, variè exponunt varij Patres, quorum interpretationes protuli in opere aduersùs nouam libertatis explicationem. parte 1. capite 4. numero 3. Aliam præterea adhibet Marius Victorinus lib. 1. aduersùs Arrium, sed obscuram pro more. Commoditissimæ esse videntur, duæ. Vna quam superiùs tractans æternitatem regni Christi, protuli ex Nysseno, attigitque etiam adhunc locum Theodoretus; nempe quod Deus sit omnibus electis tunc plenè purgatis, futurus omne bonum; omnésque eorum cogitationes, consilia & sensa, in Deo defigentur, vt exponit Elias ad orat. 36. Nazianzeni numero vigesimoseptimo. Insinuátque ibi ipse Nazianzenus, cum ait; [Erit autem Deus omnia in omnibus illo restitutionis tempore, non vtique pater, resoluto videlicet in ipsum filio, non secùs ac si fax aliqua ad aliquod tempus ab ingenti rogo abstracta, in eum rursùs adingatur: (neque eum Sabelliani ad hæc verba furtim se huc insinuent,) sed totus Deus: tum nempe, cùm iam non multi ibimus, sed toti Deiformes, totiúsque ac solius Dei capaces. Hæc enim ea perfectio est, ad quam omni celeritate properamus. Quod quidem Paulus ipse maximè coniicit. Quod enim hîc de Deo indefinitè ait, alio loco apertissimis verbis Christo sigillatim attribuit, ad hunc modum loquens. *Vbi non Græcus, non Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.*]

Mellitissimè S. Bernard. serm. 11. in Cant. [Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcumque est illud, *Erunt* (inquit,) *omnes docibiles Dei; & ipse erit omnia in omnibus.* Vt audio, plenitudo quam expectamus à Deo, non erit nisi de Deo. Quis verò comprehendat, quàm magna multitudo dulcedinis, in breui isto sermone comprehensa sit; erit *Deus, omnia in omnibus?* Vt de corpore taceam, in anima tria intueor, rationem, voluntatem, memoriam, & hæc tria, ipsam animam esse. Quantum cuique horum in præsenti seculo desit de integritate sua & perfectione, sentit omnis qui ambulat in spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus? Hinc est quod & ratio sæpissimè in iudiciis fallitur & voluntas quadruplici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic vanitati, nobilis creatura subiecta est non volens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata & beatificans Trinitas, ad te mea miseria, miserabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exulat. Discedens à te, quantis se intricauit erroribus, doloribus, timoribus? Heu me, qualem pro te commutauimus Trinitatem? *Cor meum conturbatum*, & inde dolor: *dereliquit me virtus mea*, & inde pauor, *& lumen oculorum meorum, non est mecum*, & inde error. En quam dissimilem Trinitatem, ô animæ Trinitas exulans offendisti. Verumtamen *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*: cum error videlicet à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit, & successerit illa quam speramus mira seueritas, plena suauitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, vt sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lumen inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente.]

1214 Hæc est prima illa, quam dicebam, interpretatio modi quo Deus post diem nouissimum, erit omnia in omnibus; saluo, (vt ex Nazianzeno audisti) iure Christi, qui non excluditur, sed cum Patre includitur; cum dicitur, Deum fore omnia in omnibus. Videtúrque in istam expositionem, recidere illa quam latè prosequitur Eusebius libro 3. contra Marcellum Ancyranum capite decimosexto, his præter cætera. [Omnia tum illis erit, quod se tum omnibus exhibebit: ptovt vniuscuiusque facultas, illius Deitatem potest capere: cum spes beatitudinis, & vitæ interminabilis & incorruptibilis, in eo sita sit fine, quando Deus futurus est omnia in omnibus, adimplens omnes radiis suæ Deitatis indeficientis.]

Et *in fine capitis* [Dixit Apostolus Deum futurum tum omnia in omnibus: tanquam Deum inhabitantem, & ambulantem intereos, & omnia ipsis factum. Nonnullorum erit Dominus, aliorum Rex, aliorum aliud quiddam, omnium verò Deus, diuina sua virtute & potentia, omnia illis factus. Hunc finem beatissimæ nostræ spei, circumscripsit magnus Apostolus, inquiens; *Vt sit Deus omnia in omnibus.* Sed in omnibus tamen erit omnia, correspondenter ad facultatem vniuscuiusque, distinctas & diuersas Diuinitatis suæ dimensiones, elargiendo singulis.]

Recidit denique in hanc primam interpretationem horum Apostoli verborum quæ iam pridem excutimus, illa alia quam Iulianus Toletanus lib. 3. Prognost. cap. penult. his

his paucis attigit. [ Seipsum nobis in præmio daturum, quo nihil est aliud melius, repromisit illo qui nos creauit. Quid enim est aliud quod per Prophetam Dominus dixit, *ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs :* nisi ego ero vndè satientur, ero quæcumque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, salus, & copia, & pax, & omnia bona ? Sic enim, & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus, *vt sit Deus omnia in omnibus.*] Origenes Tomo primo, in Ioannem, hoc esse censet, fore Deum omnia in omnibus, quod fore verè bonum electis in mundi clausula. In quam rem copiosè disputat sanctus Augustinus primo, Trinit. capit. decimo-tertio.

Altera interpretatio accommodata quam spondebam, est quod Deus omni tunc creato pricipatu abolito sit futurus in omnibus, omnis potestas ; vt Pontificis, Regis, Toparchæ, Patris, Mariti, omnis denique principatus & potestatis loco recturus, & subiectos solus habiturus omnes. Non dissimili modo de Christo ipso locutus est Apostolus Coloss. 3. hortatus Christianos, vt induant nouum hominem, *vbi non est Gentilis & Iudæus ; Circumcisio, & præputium ; Barbarus, & Scytha ; seruus & liber, sed omnia in omnibus Christus.* Quem locum Theodoretus ibi, existimat esse geminum illi alteri loco in quo versabamur, & per typum exponere archetypum : per baptismum inquam, de quo ibi agebat Apostolus, exponere statum vitæ futuræ, in quo cessante peccato, omnes enumeratæ differentiæ cessabunt ; & corruptione liberati, Christum perfectè induemus ; diuináque voluntas, Christi spiritu omnes plenè occupante, perficietur in omnibus. Quod ipsum proportione aliqua in baptismo efficitur, peccatorum corruptione sublata, & substituta innocentiæ stola ; spiritu denique Christi, occupante Christianam animam ; & ei aspirante, ad diuinam voluntatem in omnibus perficiendam, déque Deo solo in omnibus, cogitando & quærendo.

### *Festum æternum Sanctorum cum Deo.*

1215 Erit ibi abundantia in turribus, veréque Bersabëe, quia inuenta est aqua : de quo in hanc rem egregiè Rupertus libro septimo, in Genes. capite vndecimo, Tunc verissimè agent Sancti festum diem, & Deus cum illis. Audi Origenem homil. 23. in Numeros *in fine.* [ In futuro, si vis considerare quomodò agantur dies festi, erige paululum, si potes, sensus tuos à terra, & obliuiscere paulisper hæc quæ habentur in facie. Describe verò tibi, quomodo cælum & terra transeant, & transit omnis hic habitus mundi ; cælum verò nouum, & terra noua fundetur. Amoue de conspectibus tuis, etiam Solis huius lucem, & da illi mundo qui venturus est, Solis septuplum lumen. Imò potiùs secundùm Scripturæ autoritatem, ipsum ei da Dominum ducem. Pone adstantes Angelos gloriæ, pone Virtutes, Potestates, sedes Dominationes, atque omne nomen clarissimarum cælestiúmque virtutum, non solùm quod in præsenti seculo nominatur, sed quod etiam in futuro. Inter hos omnes considera, & coniice quomodò agi possint dies festi Domini : quæ ibi festiuitas, quæ gaudia, quæ lætitiæ magnitudo. Nam de iis suprà diximus spiritalibus festiuitatibus, etiam si magnæ sint, & veræ, præcipuè cum spiritaliter geruntur in anima ; magna tamen ex parte sunt, non ex integro. Sicut enim dixit Apostolus, *quia ex parte scimus, & ex parte prophetamus* : ita consequens est, vt ex parte diem festum geramus. Vt autem scias hæc ita esse, redeamus ad ipsius Pauli sermonem, quem de diebus festis & Neomeniis posuit : & vide quomodò obseruanter dixit ; *Nemo ergo* (ait) vos *iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi.* Attende ergo diligentiùs quomodò non dixit, *in die festo,* sed *in parte diei festi.* Ex parte enim, & non ex integro, diem festum in hoc mundo positi celebramus. Interpellamur enim, etiam si nolumus, ab onere carnis, pulsamur à concupiscentiis eius, curisque & sollicitudinibus tenebrarum. *Corpus enim corruptibile,* ( vt ait ille Sapientissimus, ) *aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem.* Ex parte ergo, in hoc mundo sancti agunt diem festum, quia & ex parte sciunt, & ex parte prophetant. Cum autem venerint quæ perfecta sunt, destruerunt ista quæ ex parte sunt. Sicut enim perfectæ scientiæ cedit ista quæ ex parte est, & perfectæ prophetiæ cedit ista quæ ex parte est ; ita & perfectæ festiuitati, cedit ista quæ ex parte est festiuitas. Neque enim quod perfectum est, mundus iste capere potest ; vbi vt diximus, necessitas corporis, nunc cibum, nunc potum, nunc somnum suggerit, nunc etiam quamtúmque necessariò vitæ præsentis sollicitudinem mouet, quæ omnia interrumpunt sine dubio continuationem festiuitatis Dei. Cum autem venerit illud quod dictum est de iis qui restituuntur in sancta, si tamen & nos ex iis esse mereamur qui restituendi sunt, qui neque esurient, neque sitient, neque dormitabunt, neque laborabunt, sed erunt peruigiles, sicut Angelorum vita peruigil dicitur ; cum in illum ordinem restitui merebimur, tunc erit vera, & incorrupta festiuitas, cuius festiuitatis princeps & sponsus Dominus erit ipse Iesus Christus Saluator noster, cui est gloria & imperium in secula seculorum Amen.]

Addamus & illud ex hom. 28. *in fine,* vbi distributionem hæreditatis à triumphatore faciendam exposuit. [ Sed quis nostrum talis est, vt ad huiusmodi distributionem, & ad illam cœlestis hæreditatis sortem, venire mereatur ? Quis ita beatus erit, cuius sors in Hierusalem veniat, vt sit ibi vbi templum Dei est, imò vt ipse sit Dei templum ? Quis ita beatus est, vt ibi dies festos agat, vbi altare diuinum perpetuis ignibus adoletur ? Quis ita beatus est, qui sacrificium suum, & incensum suauitatis supra illum ignem ponat, de quo dicebat Saluator ; *Ignem veni mittere in terram* ? Quis ita beatus est, qui ibi semper agat Pascha, in loco quem elegit Dominus suus ? Vbi Pentecostes diem gerat, & festiuitatem repropitiationis, & tabernaculorum solemnitatem ; non iam per vmbram, sed per ipsam speciem, rerúmque veritatem ? Quis nostrum

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3



dignus habebitur, tam beatæ sortis electione, cum Deus dividere cœperit filios nouissimi Adam; non cui dicat: *Eris super quinque ciuitates potestatem habens*, aut cui dicat; *Eris super decem ciuitates potestatem habens*; nec cui dicat; *intra in gaudium Domini tui*: sed cui dicat: *Sedete & vos mecum super duodecim thronos, iudicantes & vos duodecim tribus Israël:* de quibus dicat: *Pater volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* Volo etiam istos esse Reges, vt ego sim Rex Regum; Volo & istos habere Dominationem, vt & ego sim Dominus dominantium. Beati qui ad hanc peruenient beatitudinis summam. Beati qui ad ista conscendere poterunt faltigia meritorum, & benedictus Deus noster, qui hæc promisit diligentibus se. Hi sunt ipsi verè sacris numeris numerati apud Dominum; immò ipsi sunt quorum etiam capilli capitis numerati sunt per Dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.]



OPERIS

# OPERIS CLAVSVLA,

## Et pro ea Eucharisticon.

1216 HIc est finis aduentus Christi ad nos. Hanc ob causam conditus, & tot eminentissimis prærogatiuis (de quibus hactenus vniuersa hac tractatione actum,) donatus est Christus. Idem ipse est finis hominis, vt optimè tradit S. Basilius initio expositionis in psal. 48. his præter cætera. [Nobis finis cuius gratia cuncta facimus, & ad quem omni studio properamus, beata est in futuro seculo vita, quam Deo seruiendo consequimur. Atque adeò hoc vno fine, non queat ne natura quidem rationis particeps, comminisci aut excogitare præstantiorem. Ad hunc & Apostolus excitat, dicens: *Deinde in fine, quum tradiderit regnum Deo & Patri.* Hunc & Sophonias adducit, & ex Dei persona loquens; *Quoniam iudicium meum est in congregationes gentium, vt suscipiam Reges & vt effundam super ipsos iram meam. In igne enim zeli mei, consumetur omnis terra, quoniam tunc conuertam super populos multos linguam in ipsius generationem, vt omnes inuocent nomen Domini, vt ipsi sub vno iugo seruiant.*] Addit eundem subiici sensum debere, omnibus psalmis quorum sit titulus *in finem.* Fœlices qui per subiectionem ad Deum in hac vita, Christo illis facto omnia in omnibus, proluserint ei subiectioni, qua Deus in cœlo post mundi clausulam, erit omnia in omnibus. Quare quandoquidem ad finem Christi, verámque salutem nostram ea subiectione constitutam, deuentum est; hic item huius scriptionis, finis esto: quam fœliciter susceptam, & consummatam gaudere licebit, si detectis altissimis circa nos in Christo Dei consiliis, & eiusdem amore, ex declaratis tot tantisque Christi perfectionibus inflammato, aliquid hinc conferatur, ad metam prædictam per nos & alios attingendam. [Te autem præter omnia, ac super omnia, Deus pater Domini nostri Iesu Christi, æquè voce ac mente supplici obsecro, vt hæc quæ ex largitate tui muneris scripsimus, tu dono tui amoris insinues. Et quia, vt ipse nos Dominus Deus noster Vnigenitus tuus docuit, ita dilexisti hunc mundum, vt pro salute mundi, Vnigenitum tuum mitteres; donis hoc plebi tuæ, quam redemisti, vt in Incarnatione vnigeniti filij tui & tuum donum, & affectum illius sapiat: & hoc quod pro nobis vnigenitus tuus Dominus Deus noster & natus & passus est, & resurrexit, ita omnes & intelligant & ament, vt dignatio suæ maiestatis profectus sit nostri amoris: nec in animis vniuersorum humilitas illius imminutionem habeat honoris, sed augmentum semper pariat charitatis: ac beneficia sacræ misericordiæ ita omnes piè ac sapienter intelligamus, vt tanto plus debere nouerimus nos Deo nostro, quanto humilior propter nos factus est à se Deus.] Hoc Cassiani votum est l. 7. de Incarn. c 31. quod meum item esse volo.

1217 Nec illa quoque ad ipsum Christum petitio, qua S. Cyrillus lib. de Trinit. obsignauit, prætermittenda est. [O Dei Verbum & sapientia & potentia, quidnam tandem tibi nos inopes & imbecilles pro omnibus hisce retribuemus? Tua enim sunt omnia; nec quicquam à nobis nisi nostram salutem flagitas. Ipse enim & hanc das, & accipientibus, propter ineffabilem bonitatem habes gratiam. Tibi gratia, qui vt essemus dedisti, & vt benè essemus gratiosè donasti: cúmque hinc excidissemus, per omni oratione maiorem illam tuam demissionem, nos iterum eò reduxisti. Tibi igitur omnis gloria, & honor, & adoratio conuenit, vnâ cum

principij experte tuo Patre, & vndecumque sancto &, bono, & viuifico tuo Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.]

Quod si quinque libros quibus vastissimum argumentum complexi sumus, quinque hordeaceis panibus quos Christus turbas pauit, conferre placeat, non erit inidonea comparatio. [Sicut enim numero pares sunt, (verba sunt Cassiani, similem comparationem vsurpantis l. 6. de Incarn. c. 2.) sic specie non dissimiles. Nam cum illi hordeacei fuerint, & hi quantum ad ingenium nostrum pertinet, hordeacei dici possunt: quamuis testimoniis sacris locupletati, despicabilibus inuolucris salutiferas opes contegant, etiam in hoc scilicet ab illis non discrepantes: quia sicut illi cum essent pauperes specie, facti sunt diuites benedictione: ita hi quoque, cum ingenio nostro viles sint, sunt tamen sacra admixtione pretiosi: & cum præferant in se, ex sermone nostro hordei vilitatem, habent tamen intrinsecùs ex Dominicis testimoniis panis viui saporem. Superest vt ad exemplum illorum, per diuini muneris gratiam, innumeris ex seminibus salutiferos cibos præbeant. Et sicut ille corporalem dederunt edentibus fortitudinem, ita ij spiritalem legentibus tribuant salubritatem. Potens est autem Dominus, cuius etiam hoc donum est, sicut illud fuit; vt qui per cibum illum fecit non deficere in via saturos, per hunc quoque faciat non deuiare saturatos, &c.

Te orantes Domine, te obsecrantes, vt videns nisum officij ac voti nostri, despio conatui opus efficax: & cum nos pro obsequio affectúque nostro numerum illum panum, libellorum numero exæquare cupiamus, tu virtutem benedictionis illius in hæc transferas: & qui scriptiunculam nostram numero Euangelico muneraris, numerum quoque ipsum Euangelico fructu expleas, tribuásque hæc ad sanctum & salubrem cibum cunctis Ecclesiæ tuæ populis.] Fiat, Fiat.

INDEX

# INDEX

## Rerum, quæ in hoc Volumine continentur.

### A


ALPHA, & Ω, Principium & finis, Christus. 134. α & ω olim sepulchris inscripta. ibid. cur per hæc duo elementa Christus denotatus. 135. quid præsè significent. 138. Variæ sententiæ. 136

Acceleratio necessaria in morbis animi curandis. 531

Acies castrorum sub Rege Christo ordinatissimæ. 195. 202

Administratio regni Christi perfecta. 187

Adolescens secundus in resurrectione quomodo sit Christus. 175. 176. 177

Adoptionis Christi assertio, an hæretica. 48

Adoptionis nostræ fons seu gratia Christo communis. 50

Adoptio hominum in filios Dei qualis. 400

Adoptio quomodo olim fiebat. 401

Adoratio multiplex Christo debita. 52. Peculiaris admittitur fundata in filiatione naturali temporaria. 53

Aduocatus Christus. 542. & seqq.

Aduocatus Christus in cruce. 545

Aduocati Christi misericordia. 554

Æger spiritualis ex se Medicum aduocare nequit. 518

Agni Christi feracitas. 272

Agnus Dei est Christus ob multiplicem rationem. 55. Quia filius est Patris. 56

Agnorum cereorum vsus quorsum inductus. 57

Agonotheta Christus. 594

Alarconis argumenta pro gratia parentum Christi expenduntur. 368

Alleluya, Christus est, eius vocis ethymon. 128

Alleluya certo anni tempore non canitur, & cur. 129. 130

Amen Deo per Christum, quid? 108

Amor Dei in nos. 407

Amore dignus Deus. ibid.

Amor Christi in Ecclesiam. 421

Angeli agri Domini cultores. 272

Angelorum officia erga animas. 306

Angeli pars Ecclesiæ cuius Christus caput. 350

Angelorum illustratio per Christum. 357

Angeli & integri hominis, opera an ab influxu Christi. 369

Patres in hanc rem. 366

Angeli & hominis Filij Dei. 398

Angeli quomodo filij adoptiui. 403

Angeli Magistri. 439

Angularis lapis Christus. 496

Angularis lapis inter Angelos & homines 497. inter Gentes & Hæbreos. ibid.

Angusta porta Christi. 396

Anima Patris Christus. 74

Anima pia ager Christi. 271

Anima iusta ciuitas Christi. 239

Anima iusti domus Dei. 248. huius domus expilatio per Satanam, & ornatus à Christo. 249. 251. Incarnatæ Sapientiæ domus. 250

Anima pia hortus Domini. 255

Anima pia Paradisus. 261. 263

Anima pia vinea Christi. 266

Animæ piæ Christi sponsæ. 422

Annona Militum Christi, quæ? 210

Annulus Patris æterni Christus. 76

Antichristi historia. 213. contra illum Ecclesiæ prouisum est à Christo. 214

Antiqui sub nube & in typis fuerunt. 120

Apopompæus Diabolus. 649

Apostolus Dei Christus. 102

Nestorij error circa Apostolatum Christi 103

Apostolatus Christi notio prima nexa missioni, spectans patrem tantum. 103. Secunda totam Trinitatem. 104

Apostoli Reges. 235

Apostoli legislatores. 288

Apostoli Iudices. 333

Apostoli mediatores. 489

Apostoli Bellatores. 619

Arbores horti Christi. 259

Christus Arbor primaria sui paradisi. 258

Arca templi spiritualis. 245

Arces regni Christi præcipuæ, & earum hostes. 196

Aristoteles Christo comparatus. 466

Armatura militum Christi, quæ. 204. Interior requiritur, non exterior. ibid. quomodo induenda. 205

Armatura Christi. 613

Ascensio Christi triumphans. 651

Asina & pullus ad Christum adducti. 608

Athletæ duriùs habiti. 597. eorum exercitia Christianorum, & Christi certaminibus comparata. 597. Christus cum suis Athletis colluctatur. 598. vincunt cadendo. 599

Athletæ Christi iusti qui & non animum desponden

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3



spondentes. 601
Athletarum segnium damna ; nauorum laus. 602
Attributorum Christi ordo. 2
Attributa diuina per Christum , Dei faciem manifestata,& quæ præcipuè.63. & sequentib.
Aula Christi Regis. 234
Auriga Christus. 595.605
Aurigæ Christiani. 604
Auriga Christus cordium. 607
Aurigatio cordium per Christum. 611
Aurigatio Satanæ. 612

B

BArba Aaron. 362
Bellum intestinum quale. 198
Bella vbique in terra. 276
Bella antiqua typi bellorum Christi. 613
Bellator Christus. 612
Bellatores imitatores Christi & Victores. 618
Benedictionis Græcorum,Antistitum ceremoniæ. 361
Bona Christus. 24
Bonitas Christi ex Apostolo. ibid.
Bonitati Christi aduersùs nos quantum debeamus. 29
Boni & mali admixtio. 26
Buccellatum nostræ nauigationis. 512

C

CAlceamenta militum Christi quæ. 207
Cantica multiplicis generis. 125
Canticum nouum ipse Christus. ibid. & 126. huius cantici harmonia,quæ? 127
Captiuatores hominum à Christo debellati. 633.
Captiuitas hominum triplex per Christum exclusa. 621
Captiuitas peccati. 622. 225
Captiui Satanæ quomodo homines essent. 623.627
Caput Ecclesiæ Christus. 344. 347
Caput Ecclesiæ Christus iuxta Scripturas & Patres. 349
Capitis Ecclesiæ conditiones. 353
Capitis Christi influxus in homines lapsos. 358
Castra Satanæ quomodo ordinata, 197
Character substantiæ Patris Christus. 76
Charitas Christi. 24
Charitas Dei in genus humanum. 64. major quàm in Angelos. ib.
Charitas Christianorum vt fratrum. 454
Christus quomodò omne bonum. 26
Christus idem quod bonus. 30
Christus an sui ipsius ac Spiritus sancti filius dici possit. 51
Christus quomodò sub lege. 299
Christus pro nobis se legi subiecit. 300
Christi influxui an aliquid supernaturale subducatur. 363
Christi influxum in omnes actus naturæ lapsæ qui reiecerint. 363
Christus non est mortuus pro Angelis & homine innocenti,nec eos redemit. 373
Christus eruditus Magister. 457
Christus tradet regnum Patri post Iudicium. 655
Christiani ante tempora Christi. 403
Christi anorum pugnæ. 595. sunt omnium ætatum & sexuum.
Cingulus militum Christi,quis? 597
Ciuitas à Christo exuincta Ecclesia. 237. eius plateæ vici &c. 206
Clericis an temporalis potestas & iurisdictio competat. 239
Cœlum & terra noua. 171
Cœnaculum & eius Dominus applicata Christianis. 11
Cognitio Dei olim tenuis ante Christum, quare. 611
Cognomenta Christi ex Damaso. 62
Conuersio mundi magnum miraculum. 1
Corona tributa Christo tantum post resurrectionem. 142
Corona spinea Christi symbolum regni. 223
Coronæ Christi multæ. 224
Corona Athletarum Christianorum. ibid.
Cornua crucis & trophæa. 600
Cosmopeia noua per Christum. 650
Creatio an maius bonum quàm redemptio. 9
Creatura , Christus dici potest sub qua formalitate. 66
Crux sceptrum Christi. 84.& 85
Crux triumphat de Dæmone. 225
Cunctatio pœnitentiæ respuenda. 649
Currus Christi in homine. 531
Currus Ezechielis Christo & Christianis accommodatus. 605

D

DEbita varia hominum erga Deum. 555. eorum chirographum.556. indissolubilitas per creaturam. ibid. solutio eorum per Christum. 558
Decus aliud eiusdem regni penes titulos. 181. eius stabilitas. 183. à motibus firmior.184. vnde hæc firmitas. 185
Desiderium antiquorum de Christo Medico. 519
Deus vt vnus per Christum conspicuus. 61
Deus omnia in omnibus post iudicium. 658
Deipara domus Dei. 250
Deipara hortus conclusus. 256
Deitas oleum lætitiæ , quo Iesus dictus est Christus. 33
Dij minorum Gentium. 7
Dij sunt filij adoptiui Dei. 8
Dies tempora anni à Christo. 473
Dilectio etiam dicitur. 77. 78
Dilectus antonomasticè dicitur Christus. 74. 75
Directio hominum per Christum caput 354
Directio Angelorum per Christum. 356
Directio electorum per Christum. 383
Diuitiæ Christo , nostri causâ pauperato repensæ,omnium Dominum arguunt. 150
Diuitiæ Christi immensæ. 233
Docti & idiotæ in manu Dei æquales. 181

Doctrina Christi perfecta, & næuo carens. 459. eius argumentum. 460. modus docendi. ibid.
Dominium proprietatis humanum tenue in Christo, supernaturale in omnia, qui repudient. 147. probationes affirmantes. 148. 149
Dominium huiusmodi Christi, non destruit illud, quod est in hominibus, & quare? 152
Dominij illius extensio, tituli, & stabilitas. 156. 157.
Dominus omnium, Christus. 147
Dona à Christo data in ascensione. 652
Ductor hominum Christus. 355

E

Ecclesiæ partes multæ. 172
Ecclesiæ stabilitas, & vnde. 185. in motibus & turbinibus firmior. ibid. & 186.
Ecclesia hortus S. Spiritûs. 253
Ecclesia expressio Paradisi terrestris. 261
Ecclesia corpus mysticum; anima Deus. 344. Eius variæ partes generatim. 345. Singulatim. 346
Ecclesia virgo quamuis antea turpata. 420
Ecclesia sponsa & vidua. ibid.
Efficacia doctrinæ Christi. 462
Electio comparatiua prædestinatorum an à Christo. 388
Eminentia Christi. 375
Emmanuel Christus. 38
Emmanuel nobiscum Deus, & quàm benè. 40
Encænia templi spiritualis. 244
Episcopus Christus. 585. Antonomasticè. 586
Equus quis & quomodo regendus Christiano 604
Equites agonistæ Christiani. 602
Eruditio subita discipulorum Christi 464. Sine plagis. ibid.
Euangelium quid? an lex. 291
Eucharistia cibus mensæ Regis. 230
Eucharistiæ sponsalia. 411
Eucharistia Medicina. 538
Eucharistia tegit Christum aduocatum. 553.
Christus vi verborum in Eucharistia in statu mortis. 567
Exœubiæ hostium nostrorum continuæ. 197
Exemplo docuit Christus. 469
Exercitûs Christi conscriptio ex omni ordine & sexu. 200. eiusdem ordinatio. 202

F

Facies Patris ac vultus Dei est Christus. 58. quomodo id intelligatur. ibid. & seq. 68. 69. Ex Scriptura, & Patribus probatur. 59. 60.
Fideles membra Christi per Eucharistiam & incarnationem. 450
Fides quomodo inducta per Apostolos. 14
Fides vbique prædicanda ante iudicium. 178
Fides explicita Christi de necessitate medij. 393
Fidei iussor Christus. 555
Filiatio Dei naturalis temporaria, an Christo concedenda. 49. aliqui negant. ibid. alij affirmant. 50. 53. aliquæ difficultates partis negantis solutæ. ibid. & seq.
Filiationes plures in Christo an admittendæ 51
Penes quamcunque Dei filiationem Christus an sit vnigenitus. 54
Filius hominis quomodo Christus. 17. 21
Filius Dei naturalis, non adoptiuus est Christus contra aliquos. 44. eorum impugnatio inefficax à quibusdam vsurpata. 45. solida improbatio. ibid. contrarij placiti fundamenta disiecta. 46. Patres ab illo errore purgantur. 47. idem aliqui Scholastici. 48
Filiorum Dei dignitas. 404
Filij Christi & Ecclesiæ. 432
Filij degeneres filij Satanæ. 454
Filius quomodo subditos Patri post iudicium. 657
Firmus ad eius fœcundationem. 269
Finis rerum omnium creatarum Christus. 139 142. ideo vocatur α & ω. ibid. res elucidatur. 140
Fœlicitas à Christo illata. 280
Fons vitæ in paradiso animæ. 263
Fortuna generis humani Emmanuel. 41
Fortuna Dea à Romanis collocata in sterquilinio, imago Dei nobiscum in carne manentis. 40
Fratres nostri naufragi iuuandi. 515
Fures & latrones non ingrediuntur per ostiũ Christi. 397

G

Galea Militum Christi, quæ? 208
*Galenus Maximus* nomen Christi. 520
Gaudium Christi de peccatore pœnitentiam agente. 589
Generatio hominis noui à Christo. 428
Gigantomachia sacra quænam sit, & quomodo fiat. 215
Gladius militum Christi, quis? 208. 209
Gladium illum in lyram commutantes obiter carpti. 210
Gloria in excelsis Deo, Christus. 131. etiam ratione humanitatis. ibid.
Gloria Dei quomodo sit Christus. 132
Gratia substantialis est Christus. 95-96. 97
Gratia data per Christum non impedit legislationem. 290
Gratiæ Christi Typi. 360
Gratiæ antiquorum à Christo. 364. Typi eius rei. 365. de hac Gratia antiquorum Patrum à Christo quid Anselmus & Rupertus. 366
Gratia Deiparæ & Maiorum Christianorum à Christo. 367. Gratiarum actio Christo capiti. 367
Gratitudinis sensus in Deum quod nobis vultum suum, seu Christum reuelauerit. 63

H

Hæresis & Paganismus vxores Diaboli. 426
Hominis distinctio. 17. quid signet in scripturis. ibid.
Hominis nomen honorificum. 18
Homo solus iustus. ibid.
Homo Christus Antonomasticè. 19
Homo homo Christus. 20. Ex Iobo. 25
Bonus Christus etiam homo. 22. & 23

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
T. VII
3



Homo in se armatus. 198
Hominis dignitas. 376
Hominis pretium. 643
Homo est redemptoris non suus. 644
Horti Christi flores, Aromata. 254.258
Horti alij præ horto Christi tesqua. 257
Hosanna. 609
Hostes nostros omnes si vincere cupimus Duci Christo adiungamur. 195.196
Humilitas Christi non obest eius magnitudini. 16.22
Humilitas magnos efficit. ibid.
Humilitas Christi exemplo. 376
Humilitas Christi. 471
Humilitas hominis ob redemptionem. 645
Hyems mystica quæ per ver depulsa? 90

I

IDiotæ,sæculi sapientes disturbant. 180
Iedidia Christus,dilectus Patris. 71.72
Iessei Christiani cur. 525
Ignari Christi Discipuli. 467
Imagines Dei quomodo euadimus. 191
Imago Dei in nobis à Christo. 430
Imperatores sunt Christi subditi. 193
Imperij Rom.vnitas quo fine facta. 178
Impiorum pœnæ. 339
Incarnatio Christi cur exitus. 544
Ioannes Baptista an legislator. 292
Ioannes Baptista quomodo Mediator. 489
Ioannis Baptistæ sanctitas. 490
Ioannes Montmiral dictus Ioannes Bonitas. 29
Ioseph Typus Christi. 74
Iudicium particulare est Christi. 305
Iudicium particulare qua specie à Christo fiat. 308
Iudicium particulare in momento mortis. 309
Iudicij particularis locus. 313. forma adiuncta popularia. 312
Iudicium generale est Christi. 314
Iudicij generalis antecedentia. 316. nubes caligo,conflagratio.ibid. signa in Sole & Luna.317.tempus signorum & horror Mortalium. 318. Tubæ sonus, vox Archangeli. 319.timor impiorum. 320.324. congregatio in valle Iosaphat.321. Aduentus Iudicis & comitatus.322.Crux in aëre. ibid. raptus electorum. Thronus Christi. 324. Gaudia electorum. 326
Iudicij materia.327.discussio. 328. omnes alij patebunt ibid. Librorum apertio. 330.rubor sanctorum nullus ob admissa peccata. ibid.hæc erunt momentanea. 331. omnium subterfugiorum præclusio. 332. sententia Iudiciaria Christi & Apostolorum. 333
Iudicium vltimum rectum, & inflexibile. 335
Iudicium sequetur lux iustorum rugitus damnatorum. 336. diuisio reproborum à Deo & ab electis. 337
Iudicij cogitatio solatium bonorum.343.in ea se exercendo proficiunt. ibid.
Iudicij extremi adiuncta inimici Christi deleti,euacuata omnis potestas. 653
Iudicium extremum Christi triumphus. ibid.
Iudiciaria Christi potestas. 301. eius titulus. 304.obiectum. ibid
Iumentum excutiens nos in via. 508
Iusti fratres Christi. 400.402
Iustitia Dei per Christum manifestatur. 67

L

LApis stanneus Christus. 15
Lapides viui, Sancti. 245
Lapides rationalis Pontificis Hebræorum. 581.
Lapsi & integri hominis Angelique gratiæ diuersæ. 374
Lauacrum aquei vterus fidelium. 434
Laus Dei, Christus 127
Lex & Prophetæ sacramentis pleni. 116
Lex vetus nox fuit. 122
Lex Christi conuertens animas. 297
Leges Christi sanctæ,humanæ. 294
Leges Christi faciles. 301
Legislatiua potentia Christi. 287
Legislator Christus an per solum exemplum. 286
Legislator Christus. 293
Legislatoris Christi comparatio cum Moyse & aliis legislatoribus. 295
Libertas Euangelij. 290
Litro Christi non abutendum. 560
Litrum redemptionis Christi. 631
Lorica Militum Christi,quæ? 207
Luna Ecclesia. 473

M

MAgistrum bonum cur Christus se noluerit vocari. 22
Magister Christus. 456.459.& 466
Magistri dotes. ibid.
Magistri alij cum Christo collati. 465.469
Magnus Deus Christus. 3
Magnus Deus quomodo Pat. & Sp.S. 3
Christus Magnus Deus an copulatiuè, vel disiunctiuè. 5
Magnus idem ac fœlix. 9
Magna opera Dei. ibid.
Majora Christo quomodo eius Discipuli fecerint. 15
Magnitudo in quo posita. 8
Manicheorum fabula de bellis Christi. 614
Maria Mater Christianorum. 408
Martyr Dei, Christus est. 99. 100. & quidem præ omnibus. 101
S.Matthæi conuersio. 608
Mediatoris voces synonymæ. 481
Mediator Christus. ibid.
Mediationis Christi quodnam principium. 485
Mediator vnus ChristusMaximus. 488.493
Medicamentum & Medicus Christus. 522
Medicus Christus corporum.516. Animarum. ibid. 520
Medici Christi lenitas & efficacia. 525. & sequent. 532
Medici curatores animarum. 532
Membri Christi Mystici opus an vt sic dignius 369 154
Mendicus an fuerit Christus.
Mensæ omnes ad Christi Mensam iciunitas. 232.

Merita Christi an influgant in beneficia naturalia. 358. certè in quodcunque supernaturale. 358
Messias idem quod Christus. 35
S. Michaëlis partes in Iudicio particulari. 306
Milites Christi vnde vires sumant. 203. nihil vnquam illis deest. 212
Militum Christi & Satanæ antitheses. 216
Ministri Christi Reges, 235. 282
Miracula Christi. 13
Misericordia Dei in Christo elucet. 67
Misericordia dictus est Christus ipse. 68
Mollitudinis fuga in Christianis. 377
Morbus hominis à solo Christo sanabilis. 523
Morbis animi medendum. 529
Morbi animi nulli incurabiles. 528
Mores mundi à Christo mutati. 14
Mors à Christo gustata, sine Deo, quomodo intelligatur. 95
Mortis angustiæ. 310
Mortis momentum regulariter tantum tempus Iudicij particularis. 312
Mortis victor Christus. 66
Mortis timor nullus redemptis. 640
Mosis lex quomodo non bona. 297. comparata cum Christiana. 298
Mulieres in castris Dei pugnant. 201
Multiplicatio naturæ & gratiæ comparata. 436
Mundus spiritualis homo sanctus. 10
Murenulæ aureæ quid significarent ex Origene. 122

N

NAturæ duæ Christi necessariæ ad mediationem. 485
Nauigationis nostræ portus. 514
Necessitas nulla in castris Dei. 212
Negligentia hominum & incuria in mediis hostibus degentium. 200
Negotiatores è templo pulsi. 610
Nestorianorum quorumdam de Christo doctrina. 49
Nobilitas generis Christianorum. 451. idem ex Paganis probatum. ibid.
Nomen Dei in fronte Pontificis. 587
Notio duplex Apostolatûs Christi, cadens in titulum Angeli exponitur. 105. 106. Bogomilorum ac Origenis circa Christum tali modo spectatum fatuitas. 107
Nouus homo. 10
Noua res creata quomodo Christus dici potest. 86. Multæ rationes pro parte affirmante. 87. 88
Nouale Christi. 268. consummatio eius ad combustionem. 269
Nouitatem in orbem intulit Christus. 88
Nox ante Christum. 473

O

OLei proprietates egregiæ. 33
Onychinum vnguem Christi. 581
Opera Magnifica Christi Regis. 236
Orationes Christi. 548. an semper efficaces. 549
Orétne pro nobis etiamnum Christus. 550
Orationes nostræ ad Christum cu non postulent vt oret pro nobis. 552
Orbis conseruatio à Christo. 12
Ordinis gratiæ & ordinis naturæ finis, Christus. 141
Orbis vniuersus Christum agnoscet. 179
Ordines varij & gradus Ecclesiastici diuersi, quomodo castra Dei componant. 195. 202
Ostium ouium Christus. 391. cur, & sequentibus.
Ostia ouium varia. 391
Ostij ouium Christi varij Typi. 395
Ostium coronatum Augustum. ibid.
Oues Christi sumus. 594

P

PAcificus Christus. 498
Palatia Regum vilia præ Christi domo. 251
Paracletus Christus. 543
Passiones nostræ maiores passionibus Christi quomodo. 13
Pastoris nomen Christo non indecorum. 586. munera eiusdem deducere ad pascua. 587. Arcere lupos. 588. Oues errantes reuocare. 589
Pastor Christus. 583. 593
Pastorum animatum munera. 590. Pastio, exemplum. ibid. Tutela à lupis. 591. reductio aberrantium. 592 Pastorum incuria, exitium ouium. ibid. salus à bonis. 593
Patris notio. 427
Pater Christus. 428
Pater sibi homo. 430
Pater Spiritus S. ibid.
Patres spirituales exemplo Christi. 431
Pater futuri sæculi Christus, Pater perpetuus. 438
Pater æternæ sobolis Christus. 450
Patientiam docet Christus. 471
Patriarchæ olim dicti Christi. 30
Patronus causarum Christus. 544
Pauper fuit Christus & tamen diues. 152. & 153
Paupertas & dominium Christi quomodo cohæreant. 154. 155
Pax Christiani in hac vita. 276. 283
Pax perfecta in alia vita, 280
Pax per Christum nobis cum Deo. 493. cum Angelis. 494. ad homines & nos. 495
Pax amanda. 498
Paxillus Christus cui fideles innituntur. 388
Peccata filij fornicationis. 425
Peccata morbi. 518
Peccati victor Christus. 617
Pecora campi in Ecclesia. 274
Peregrini & viatores omnes. 499
Phaëton quis in curru Christiano. 605
Philippus Dux Burgundię vnde dictus Bonus. 29
Phyrogeniti. 436
Pictura Christi symbolica specie Agni. 57
Pictura Christi in nobis, quæ sit. 189. quomodo exprimere & imitari debeamus. 190. Eius colores qui sint. 191
Piscinæ Christi. 273
Pia opera cibus mensæ Dei. 232
Pij viri Aræ statuæ & templa. 242
Plato Christo comparatus. 465

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
X VII
3



Poma & concentus auium Paradiſi Chriſti. 260
Pomarij Chriſti excellentia. 263
Pons inter nos & Deum Chriſtus. 504
Pontifex & Rex Chriſtus vi eiuſdem tituli. 170
Pontifex Chriſtus. 576
Pontificia & regalis Chriſti dignitas. ibid.
Pontifex Chriſtus à quo tempore. 578. an eius Pontificatus communicabilis. ibid.
Perfectiones Pontificatus. 579. figuræ. ibid.
Pontificatus & regia poteſtas in Chriſto quomodo cohæreant. 172. aliquid contra ſolutum. 173. quandonam hi tituli inceperint. 174. explicatur exemplo vitis. ibid.
Pontificatûs Chriſti perennitas figurata. 584
Porphyra Eccleſia, Chriſtiani.
Potentia Dei in Chriſto conſpicua. 68
Poteſtas regia in Chriſto. 167. eius tituli præcellentiſſimi. ibid. initium regni illius à primo vitæ momento. 168
Huius poteſtatis, nullum in Chriſto viatore exercitium. 169
Poteſtas excellentiæ Pontificia in Chriſto. 577
Prædeſtinationis exemplar. 381. & caput Prædeſtinatorum. ibid. eius Eminentia. 382
Prædeſtinatio an ex Chriſti meritis. 383. aſſeritur & explicatur. 386
Prædeſtinatorum caput Chriſtus. 279
Prædeſtinatus Chriſtus in humana natura. 380. & Prædeſtinatorum amor mutuus & erga caput. 390
Primogenitus omnis creaturæ, Chriſtus. ibid. & ſeqq.
Primogenitus in multis fratribus Chriſtus. 398
Primogenitus filius Dei Chriſtus. 399
Primogenitus in multis fratribus Chriſtus. 405
Primogenitus omnis creaturæ Chriſtus. 406
Princeps pacis Chriſtus ob odia ſublata. 275. quia Rex iuſtitiæ. ibid. ob ſublata bella. ibid. 280
Progreſſio omnis ad Deum per Chriſtum. 506
Ex connubio Chriſti & animæ. 423. 425
Promiſſa Dei per Chriſtum nobis adimpleta. 116. etiam vltra modum. 117
Prophanatores domûs Chriſti. 252
Prophetæ Mediatores. 489
Prouidentiæ Chriſti Emblema. 450
Proximi amor. 376
Pudicitia amanda Chriſtianus. 451
Pythagoras Chriſto comparatus. 465

R

REdemptio hominum per Chriſtum à captiuitatibus. 630. Eſt in actu primo & quomodo non omnium. ibid.
Redemptionis beneficium agnoſcendum. 633
Redemptionis Chriſti contemptores. 640
Redemptio à maledicto legis per Chriſtum. ibid.
Redemptio per Chriſtum à ſeruitute corruptionis.
Redemptor amandus. 642
Regia domus Chriſti Eccleſia. 645
Regna Chriſti, quæ? 160. temporale quale. 161. in Dominio iuriſdictionis conſiſtens. ibid. & quidem fundato in multis titulis. 162
ad Regnum factus eſt Chriſtus. 163. contra tale regnum inefficacia argumenta. 164. regni illius prærogatiuæ. 165
Regnum Dauidis an in Chriſto reſtauratum. 172
Regnum Chriſti quomodo non eſt de hoc mundo. 173
Regnum Chriſti quando inceperit. 175. extenſio illius regni ſpiritualis. 179
Regnum Dei quomodo violenter rapiatur. 214
Religio hortus nucum. 236
Religioſi cœtus, arces regni Chriſti. 197. 202
Religioſi domus. 250
Religioſæ perſonæ ſponſæ Chriſti. 425
Remedia & Medicinæ adhibendæ à curatoribus animarum. 533. 534
Renati in Chriſto. 43
Renouatio mundi per Chriſtum. 11
Reprobi an filij Dei. 402
Reges dicti Chriſti. 31
Reges olim communi nomine Chriſti appellati. 33
Rex Chriſtus ſupra omnes alios Reges. 164. & 165
Rex & Pontifex Chriſtus vi eiuſdem tituli. 170
Rex ſpiritualis, Eccleſiæ. 172
Rex virtutum Chriſtus. 188. eius ſigna. 179. 192
Rex bellicoſus Chriſtus. 194
Rex gloriæ Chriſtus. 218. eius variæ notiones. 219. & ſeqq. eius veſtitus duplex. 220. eius corona. 222
Regis Chriſti adminiſtri. 234
Rex gloriæ Chriſtus neglectus. 274
Romanus Pontifex ſecundarium caput Eccleſiæ. 347

S

SAbathum Dei Chriſtus eſt, quo ſenſu? 72. & 73
Sacerdotes nutrices. 438
Sacerdotes Mediatores. 491
Sacerdos Chriſtus. 561. in natura humana & diuina. 562
Sacerdos an fuerit Chriſtus in ſacrificio paſſionis. 571
Sacramenta Medicinæ. 537
Sacramentorum neceſſitas & vtilitas. ibid.
Sacramenta remedia facilia. 540
Sacrificium Chriſti in cœna vltima. 562. quæ ibi victima immutata. 564. quænam victimæ immutatio. 566
Sacrificij Chriſti figuræ. 568. 572
Sacrificium Chriſti cruentum. 568
Sacrificium incruentum & imago cruenti. 573
Sacrificium animarum noſtrarum. 575
Salomon typus Chriſti. 71



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Saluator Seruator Christus. 637
Saluatoris Christi Typi. 638
Saluatores quomodo Apostoli. ibid.
Sanguinis Christi efficacia ad remedia. 540
Sanctorum gloria. 339
Sancti quomodo subiicientur Christo triumphanti. 654
Sanctorum festum æternum. 659
Sanctitatem docet Christus. 470
Sanctitatis Christi figuræ in Pontifice Hebræorum. 583
Sanitas nulla in homine. 541
Sapientia Dei per Christum quomodo appareat. 63.110
Sapientia Christi Medici. 527
Satanas Rex senex & stultus ex Patribus. 176
Satan maritus animæ impiæ. 426
Satanas quomodo mediator, & eius oppositio cum Christo. 487
Satanas à Christo victus. 614
Satanæ Regnum in peccatores. 625
Satan à Christo triumphatus. 647. eius spoliatio. 646. cruci est confixus. ibid.
Scopuli syrtes Piratæ in vitam nauigatione. 513
Scutum militum Christi, quodnam. 207
Securitas militis, Christi armis instructi. 211
Seminatio cura colonorum. 270
Seruus Dei Christus quo sensu? 78. 79. elucidatur quæstio hæc ex Patribus. 79. ex ratione, 88. circa hæc notanda. 81. 82
Seruus noster an dici possit. ibid.
Seruitus peccati. 625. eius adiuncta. 626. coniuncta cum seruitute Satanæ. 627. Adumbrata in captiuitate Babylonica. 628. nullus non captiuus. ibid.
Senecio Magnus. 8
Signaculum Patris Christus. 76
Simplicitas Christi docentis & eius discipulorum. 461
Sol iustitiæ Christus. 302
Sol Christus. 472
Spiritus S. cor Ecclesiæ. 347
Sponsa Christi Virgo Maria. 411
Sponsæ Christi. 404
Sponsæ Ecclesiæ ante coniugium fœditas. 415
Sponsæ Christi quàm debeant nitere. 426
Sponsalia Christi & Ecclesiæ. 410. 413
Sponsalium Ecclesiæ adumbratio. 414
Sponsalium Ecclesiæ Pronubi. 415. Arrhæ, dos 416. Annulus, Mundus Muliebris. 416. Tabulæ, tempus. 418. Epithalamium. 419. Nuptiæ Christi & Ecclesiæ. ibid.
Stabilitas regni Christi. 168. 183. inconcussa. 184
Stanneus lapis Christus cur. 630
Status varij hominum cuiuscunque tandem ordinis & generis, Exercitum Christi conflant & quomodo. 202
Stella Maris quæ? 512
Stipendia militum Christi. 203
Studendum doctrinæ Christi 467
Subditus parentibus an erat Christus. 165
Subditi Christi nullo onere grauati. 192. quinam sint illi. 193. quid sint. ibid.
Superiores Religiosi Medici. 533
Susceptor Christus 515

T

TEmpli à Christo constructi & Salomonici contentio. 240. & seq.
Templa Dei fideles. 241
Templi Christiani gloria maior quàm Salomonici. 246
Templorum Christi prophanatio & vastatio ibid.
Terminus ad quem viæ nostræ. 509.
Testamentum vetus an totum transferatur ad Christum. 115. an finis eorum Christus. 142
Testamentum Christi an lex? 291
Testamentum Dei Christus. 387
Theodosij Lemma sepulcrale. 541
Thronus gratiæ quid significet. 97
Thronus Christi Ecclesia. 219
Throni Christi sancti, iusti, præsertim Deipara. 230
Throni quilibet, nihil ad Thronum Christi. ibid.
Tituli dominij Christi in quo fundati. 151
Tributa in bonum subditorum Christi. 282
Triduo mortis Christus triumphat. 650
Triumphus Christi sine monitore infausto. 652
Thriumphus Christi in mundi meta. 653
Typi nunc superstites, veritatem continent. 123

V

VEli Templi disruptio & Solimæ euersio, quid significarent. 120. 121
Ver sacrum est Christus. 89. 90
Verbum Dei cibus Regis. 232
Veritas Dei est Christus. 109. errores aliqui circa hanc Dei veritatem. 113. reiiciuntur. 114. & seq.
Veritatis quæ est in nobis fons, Christus. 111
Veritas Euangelica per Christum firmata. 119
Veritas est cingulum militum Christi. 206
Vetustas procul à Christo. 87
Via viri in adolescentia cur dicitur ignorari. 171
Viæ variæ hominum. 502
Via Regia Christus. 502
Semita & via Christus. ibid.
Viæ virtutum recidunt in viam Christi regiam. ibid.
Via Christus. 499. 505
Via Christus & qui ab ea declinent. 506. 508
Via Christi an ardua. 509
Via maritima Christus. 510. Nauis Ecclesia. ib.
Victor Christus. 612
Victoriæ Christi per infirmos. 620
Vinea Christi Ecclesia. 264. eius botri & vites ibid.
Vinea Christi, anima quàm malè culturæ respondeat. 267
Virga Ioseph & Aaron Symbola sceptri crucis. Christi. 225
Virga Mosis cuius typus? 226. est Christi sceptri figura. 227
Virga ferrea Christi mitissimi. 283
Virga Christi docentis. 645. 468

RAYNAUDI
Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
A VII
3

# Index

B. Virgo Christum peperit primogenitum & vnigenitum. 398
B. Virgo quomodo mediatrix. 493
B. Virgo an redemptrix. 634. Redemptor solus Christus. ibid. Sancti & Martyres an redemptores. 635. quid de eo Patres. 636
Virgines sponsæ Christi. 424
Virginitatis bellum continuum. 201
Virtutum hostis, hostis est Christi. 188
Viria nobis infensa quum magis amica. 199
Vmbræ per Christum fugatæ. 118
Vnigenitus & primogenitus Christus. 399
Vnio cum Christo capite. 379
Veritatis studium in Christianis. 377
Vrim & Thummim, quid? 110. 457
Vtilitas ex doctrina de Christo Emmanuele, quæ duci debeat. 42
Quæ de Christo Dei filio. 54
Quæ de Christo vt vultu Dei considerato. 20
Quæ vt Dei seruo. 83
Quæ vt nouo homine. 95
Quæ ex Christo vt Martyre? 101
Vt Apostolo. 107
Vt adimplente promissa Patris. 117
Vt est principium & finis. 143. primogenitus. 147. rerum omnium Dominus. 157. Rex Regum. 170. Rex virtutum. 194. Bellicosus. 216

FINIS.




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
A VII
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
A VII
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Tom. I
De Christo
Th
779a

RAYNAUD

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN